Universidad de Chile
Biblioteca

BARONIO

ANNALES

ECCLESIASTICI

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNALES ECCLESIASTICI

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNALES ECCLESIASTICI

AVCTORE

CAESARE BARONIO SORANO

CONGREGATIONIS ORATORII

PRESBYTERO.

29094
29093

Tomus Primus.

ROMAE

Ex Typographia Congregationis Oratorij apud S. Mariam in Vallicella. M. D. XCIII.

Concessione Præsidentium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCIETATIS IESU BIBLIOTHECÆ COLLEGII LOVANIENSIS

QVarta hæc est Annalium Ecclesiasticorum editio, ab Auctore recognita, emendata, aucta, atque locupletata; quam & aliarum postea ab alijs cudendarum editionum idem vult esse prototypum, nisi forte contingat adhuc aliam ab ipso cudi. Si qua igitur ab aliquo in posterum editio facta ab hac inuenta fuerit discrepare, eam minime esse germanam, Lector intelligat. Quæ autem primo huic tomo addita sint, sequens index palam faciet.

INDEX
PRÆCIPVARVM RERVM
IN HOC PRIMO TOMO ADDITARVM.

DE templo Pacis soluitur obiectio. *Pag. 47. A 6. ibi. Nec est quòd. vsque ad C 2. ibi. Qui quod dicunt.*

De Simeonis cæcitate commentum refellitur. *Pag. 57. B 1. Porro commentum. vsque ad C 1. Verum.*

De Lazari ætate. *Pag. 140. A 8. Sed quid? vsque ad B 3. Quid autem.*

Corona Domini an ex iunco marino. *Pag. 167. D 3. At nullatenus. vsque ad E 2. Sed accipe.*

De forma Crucis. *Pag. 169. C 9. Sed cum. vsque ad finem paginæ.*

De vino myrrhato soluuntur obiectiones. *Pag. 172. D 8. Ad hæc insuper. vsque ad 175. B 8. magna consideratione.*

De modo crucifigendi apud antiquos. *Pag. 177. E 5. id quidem. vsque ad finem paginæ.*

De funeribus Iudæorum. *Pag. 244. C 2. Apud Rabbi. vsque ad C 8. Ceterum.*

Obiectio & eius solutio de tempore conuersionis S. Pauli. *Pag. 261. D 4. Sed huic. vsque ad 262. C 4. Quod ad Pauli.*

De nomine Pauli elucidatio. *Pag. 265. D 4. Quod nobis. vsque ad D 9. Sed de his satis.*

De Philone Hebræo, an fuerit aliquando Christianus, & defecerit a Christianitate ad Iudaismum. *Pag. 304. D 8. Scimus tamen. vsque ad E 4. Ceterum.*

De priori epistola Petri, quòd data sit ad Hebræos. *Pag. 348. B 8. Cum hæc. vsque ad 349. C 10. Quòd enim idem.*

Vnde vsus deosculandi tabellam ex osculo pacis. *Pag. 350. D 8. Nam &. vsque ad E 5. Quod vero. & Pag. 351. A 4. Ait autem. vsque ad B 1. Et hactenus.*

De homilia nomine Athanasij de Assumptione Virginis obiectiones. *Pag. 374. B 1. Quas quidem voces. vsque ad 375. A 5. Demum vt.*

De peruersis traditionibus Rabbinorum. *Pag. 413. D 5. Sed & quod illi. vsque ad D 11. Ceterum quæ.*

De signis annulorum. *Pag. 463. E 9. Ceterum quod. vsque ad 464. A 6. cum Paulus.*

De locis in ecclesia distinctis dexteræ & sinistræ. *Pag. 489. B 9. In Ecclesia quoque. vsque ad D 3. Sed ad hæc.*

De nomine Episcopi elucidatio. *Pag. 524. E 3. & sanctus Augustinus. vsque ad E 10. Ceterum sicut.*

De panis fractionis & decussationis antiquo vsu. *Pag. 545. E 7. Quod autem S. Augustinus. vsque ad 547. B 10. Cum igitur.*

De situs templorum veteri vsu. *Pag. 563. B 10. Itidem Lucianus. vsque ad C 4. Qui igitur.*

De rasione capitis diuersis ex causis apud diuersos. *Pag. 572. A 8. Erat enim. vsque ad B 10. Sed iam.*

De nauium Alexandrinarũ differentia ab alijs. *Pag. 591. E 11. Porro quòd Apostolus. vsque ad 592. B 4. Quod vero.*

De Iacobo aliqua ex traditionibus Hebræorum. *Pag. 629. A 8. Sed his omnibus. vsque ad B 11. Reliquit Iacobus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De prærogatiua Alexandrinæ ciuitatis. *Pag. 636. E 9. Merito igitur. vsque ad 637. A 4. Merito.*

Quomodo Christiani sub Nerone vrerentur in vsum nocturni luminis. *Pag. 639. B 6. Sed quomodo. vsque ad C 10. Subdit autem.*

De Cornelio Senecione, & eius obitu. *Pag. 641. E 8. Hic vero obiter. vsque ad 642. C 9. Hoc item.*

De martyrio S. Andreæ prætermissa. *Pag. 676. B 6. Posiquam autem. vsque ad D 5. Verum enimvero.*

De martyribus in Tuscia sub Nerone passis. *Pag. 680. C 11. At non longe. vsque ad D 5. At non Romæ.*

Elucidatio difficultatis ex Iosephi textu de die Paschatis anni excidij Hierosolymæ. *Pag. 690. D 2. Sed antequam. vsque ad 691. A 1. qui intus.*

Numismata de Iudæa capta, & allusio ad Threnos Hieremiæ. *Pag. 701. B 3. quorum subiecimus. vsque ad E 2. adhuc visitur.*

Cur Domitianus dici voluit filius Palladis. *Pag. 725. E 7. Sed cur filius. vsque ad 726. A 1. Sed hæc.*

De Apocalypsi Ioannis an in canone Nicæno facta sit mentio. *Pag. 738. B 6. ex quibus inducimur. vsque ad B 11. in his omnibus.*

Nummus Neruæ de tributo Iudaico sublato: et explicatur palmæ hieroglyphicum. *Pag. 745. D 7. prout hic ex nummo. vsque ad 746. A 9. Sed quod.*

Habes etiam in calce libri post Indices alia ab eodem Auctore superaddita, occasione recens emergentium quæstionum.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI ET D. N. SIXTO QVINTO PONTIFICI MAXIMO

CAESAR BARONIVS CONGREGATIONIS Oratorij Presbyter sempiternam felicitatem.

QVOD a Beato Apostolo Paulo in re maximi momenti aliquando dictum est: Non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus: id ego, Pater Beatissime, in Annalibus meis Ecclesiasticis conficiendis plane sum expertus. Neque enim deliberate ac consulto tantum opus ante annos circiter triginta aggressus sum; nec meis viribus fretus, quas nullas aut perexiguas esse intelligebam, ad vniuersam historiam Ecclesiasticam maximis difficultatibus inuolutam explicandam accessi; qui id ab initio ne cogitare quidem ausus essem: sed Deo ipso, a quo omne datum optimum descendit, ita disponente, ac paulatim, me propemodum inscio, incrementum dante, ex paruulo semine non parua arbor est exorta. 1. Cor. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nota est Sanctitati vestræ vetus consuetudo Oratorij nostri; in quo singulis diebus, pomeridianis horis, panis verbi Dei sic paruulis frangitur, vt non illo sublimi dicendi genere, quod in sacris concionibus adhiberi solet, sed aliquanto submissiore, ac magis familiari, verum ad permouendos audientium animos (vt diuturno experimento comprobatum est) valde accommodato, res cominus, quasi ex æquo loco, cum vnoquoque agi videatur. Quam ob causam inter alia ex varijs diuersisq. sanctorum Patrum scriptis ad mores optimos instituendos accepta, Sanctorum vitæ, & Ecclesiastica gesta narrantur; quòd ad virtutis & pietatis studium in auditorum animis excitandum, exempla magnam vim habeant. Cum ergo ea de causa res gestas Ecclesiæ, atque Vitas Sanctorum legerem; cœpi illius auctoritate & hortatu, qui mihi & ceteris fratribus meis parentis loco est in Christo præfectus, in ea lectione paulo accuratius ac diligentius versari; eodemq. suasore atque impulsore, ad veteres Ecclesiasticæ historiæ scriptores agnoscendos examinandosq. animum penitus appuli. Cumq. delectatione ipsa iam trahente, longius pergerem, multaq. excerperem & notarem, suisq. locis seponerẽ ac distribuerem; sensim ac paulatim factum est, vt magnam rerum copiam tamquam in aliquam cellam penariã vna congesserim, præsertim contra Nouatores nostri temporis, pro sacrarum traditionum antiquitate, ac S. Romanæ Catholicæ Ecclesiæ potestate. Sicq. cum iam sex lustris ipsa Ecclesiastica historia fuerit a me septies ordine temporum repetita; accidit

cidit, vt amicorum cohortatione, & mea sponte de Annalibus Ecclesiasticis pertexẽdis serio cogitarem.

Deo igitur bene iuuante, e portu soluens, cum in quamdam immensam maris altitudinem inuectus essem; ad multiplices, permagnas, ac pene inexplicabiles difficultates penitus superandas, præcipue in temporum serie distinguenda, & chronologia recte constituenda (quæ in omni antiqua historia in primis obscura est & difficilis) multo labore, magno studio, & diligentia opus fuit. Non enim satis erat in hoc genere eos Historicos legere, qui ad manum sunt; sed omnia Patrum monimenta peruoluere, scriptos codices in bibliothecis scrutari, latentem rerum notitiam apud externos etiam scriptores sæpenumero perquirere, necessarium fuit: verum ad omnia suis ponderibus expendenda, iudicij trutinam adhiberi oportuit; cum nihil periculosius sit in historia, quàm cuiuis scribenti de quacumque re fidem habere. Nec vero, Pater Sancte, hæc a me propterea dicuntur, quòd me omnia perlegisse iactem, aut id alios de me existimare velim: sed potius, quòd ob summam rerum difficultatem, si quæ minus feliciter fuerim assecutus, mihi ab æquis iudicibus ignosci cupiam. Ego quidem quid profecerim, aut omnino an operæpretium in scribendo fecerim, haud satis compertum habeo: nam cui timorem non incutit illa S. Ambrosij sententia, de suis ipsius scriptis sibi adeo parum fidentis, atque hæc ad Sabinum scribentis? Vnumquemque fallunt sua scripta, & auctorem prætereunt: atque vt filij etiam deformes

Ambr. lib. 6. epist. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

delectant, ſic etiam ſcriptorem indecores ſermones ſui palpant.] Ceterum illud certo ſcio, me impigre laboraſſe: aut verius, non ego id operatus, ſed, cui innitor, gratia Dei mecum. Verum, quicquid ſit, hoc alij iudicabunt: Tuq. in primis, Beatiſsime Pater, cuius & ſingularis doctrina, & acerrimum eſt iudicium. Iam enim in tuo nomine primum Annalium noſtrorum volumen e tua nobili Typographia Vaticana prodit, quam nuper, nullis parcens impenſis, inſtituiſti: vt pro tua paſtorali ſollicitudine, hac quoque in re, communi Eccleſiæ vtilitati optime conſulas, ſacris videlicet, ſanctorumq. Patrum libris emendatiſsime imprimendis. Etſi enim timide admodum tam erudito ſæculo lucubrationes has meas in lucem emittebam, eaſq. diutius intra domeſticos parietes comprimendas cenſebam: me tamen optimi & de me optime meriti Cardinalis Antonij Carafæ Bibliothecarij Apoſtolici auctoritas impulit, vt hoc tamquam æs alienū aliquando diſſoluere inciperem.

Tibi igitur, Pater Sanctiſsime, Sacerdoti Dei ſummo has laborum meorum tenues primitias offero: tibi, inquam, Chriſti Domini noſtri Vicario, & Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, veluti viuenti Petro, ac per ipſum Chriſto, grati animi conſecro monu-
Geneſ. 26. 27. mentum. Et perinde ac olim Iacob, vt a patre primam benedictionem poſſet facilius promereri, Rebeccæ matris conſilio & induſtria e grege ſumptum cibum illi paratum attulit: ita pariter ego non e ſaltibus inuijs, locisq. ſilueſtribus, pijs omnibus inacceſsis, ſed acceptum ex ouili Dominico, & ex ſanctæ mātris Eccleſiæ ſententia præparatum, quo potiſsimum certum eſt Sanctitatem tuam libentiſsime veſci, edulium offero (volumina quippe in cibum etiam diuinitus impartiri ſolita, diuinæ Scripturæ monſtrant exempla) appoſiteq. verba illius vſurpans, quem imitandum ſuſcepi, dicam, tua fretus humanitate, confidenter: Surge Pater, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Primam, inquam, illam, Sanctiſsime Pater, benedictionem expeto, qua æterna ſemperq. manens hereditas impartitur: quam & Fidelibus omnibus Pe- 1. Petr. 3.
trus exoptat; nimirum vt cæleſtem hereditatem benedictione poſsideant: cuius virtute pariter mihi his maiora conanti fauor diuinus adſpiret; quo & cetera, quæ paro volumina, ſingula annis ſingulis (quod eſt in animo) ad pedes Sanctitatis tuæ impreſſa deferam. Benedic vna mecum & ſeruis tuis, fratribus meis, qui pro te aſsidue orant, & in vinea magni Patris familias, quæ tibi credita eſt, pro virili laborant. Deus interea te, Pater Sanctiſsime, incolumem ſeruet; vt ad magna, quæ tam breui Pontificatus tui ſpatio egiſti, maiora addas; & præclara multa, quæ inchoaſti, quæq. ſemper moliris & meditaris, ad Dei gloriam & Eccleſiæ vtilitatem feliciſsime abſoluas.

ANTO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANTONIO CARAFAE

S. R. E. TT. SS. IOANNIS ET PAVLI

PRESBYTERO CARD. AMPLISSIMO

BIBLIOTHECARIO APOSTOLICO

CAESAR BARONIVS

felicitatem.

TVA grauissima auctoritate permotus, Cardinalis Amplissime, tuisq. cohortationibus confirmatus, in lucem emitto primum Annalium nostrorum Ecclesiasticorum volumen; cuius editionem in diem ex die, nec sine causa (vt arbitror) differebam. Non enim ignoro quàm difficile sit id pro rei dignitate præstare, quod libri indice sum pollicitus; quàmq. arduum sit, viris doctis, & veteris historiæ peritis, quibus ætas nostra abundat, in hoc scriptionis genere cumulate satisfacere. Tuum vero in primis peracre iudicium perhorresco, qui ad multiplicem doctrinam, qua præclare excultus es, magnam quoque totius Ecclesiasticæ antiquitatis notitiã adiunxisti. Sed me tua singularis recreat humanitas: teque, si minus expectationem tuam expleuero, tuoq. exemplo ceteros eruditos homines, si, quod omni studio secutus sum, minime assecutus fuero, imbecillitati meæ veniam daturos spero. Quòd si hoc qualecumque tandem est opus; laborioſum certe & multarum vigiliarum, aliquid adiumenti ad ædificationem templi Dei, quod est Ecclesia sancta Catholica, attulisse videbitur; primum quidem Deo optimo bonorum omnium auctori gratiæ agendæ erunt, deinde etiam tibi, qui iam pridem studiorum meorum patrocinio peramanter suscepto, sedulitatem & industriam meam excitasti, omniq. officiorum genere perpetuo subleuasti. Suscipe igitur, Cardinalis Illustrissime, veteris clientis librum in fidem & tutelam tuam, vt hæc prima Annalium nostrorum pars in aliorum manus, te patrono, commendatior perueniat; dum secundam non ita multos post menses, si Deo placuerit, imprimendam paramus, ac perpolimus. Interea Deum oro, vt quod agis, diu agas; & de Ecclesia, de sacris studijs, de viris eruditis & pijs, tu pietate & eruditione excellens, semper optime merearis.

IHS

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI.

SVbijcimus hic tibi, Lector, de triplici Annalium Ecclesiasticorum translatione, in Italicum, Germanicum, Polonumq. sermonem, datas hactenus vltro citroq. litteras, cum cupiant & aliæ nationes sua ipsarum lingua Auctorem loqui: vt vel ex his intelligas, quàm cupidissime ijdem Annales ab omnibus sint accepti.

DE TRANSLATIONE ANNALIVM in linguam Italicam.

ADMODVM ILL.RI AC REVER.MO

F. FRANCISCO PANICAROLAE

EPISCOPO ASTENSI

ET COMITI

CAESAR BARONIVS S.P.

SICVT perpetuo obruenda esse silentio impie dicta, nec in aures populi notiori sermone sinendas illabi blasphemias, exemplo admonemur diuinæ Scripturæ, dum prudentissimi Hebræorum cohibere conati sunt blasphemos Syros, ne lingua loquerentur Hebraica: ita e contra præconia veritatis omnium nationum debere sermone proferri, diuinus Spiritus impartiendo Fidelibus diuersarum dona linguarum, reddidit manifestum. Hæc tu ipse considerans, amplissime Præsul, Christianæ eloquentiæ decus, cum Romæ populum pro concione doceres, non satis tibi visum coram frequentissimo cœtu summis laudibus nostros Annales efferre; sed & quo eos in omnium animos penitius insinuares, vt ex illis omnes æque proficerent, in Italicum idioma reddendi eos consilium inijsti: exploratag. nostra voluntate, & facultate concessa, mox instar Prophetæ, linguam in calamum scribæ velociter scribentis conuertens, primum Annalium tomum compendiosa translatione linguæ maternæ, dicto citius, reddidisti; ceterisq. id ipsum in alys linguis præstandi, viam aperuisti. Verum vrgens necessitas a cœptis te inuitum auulsit; ipsa inquam iussio Pontificia, quæ Legato a Latere lateri te consultorem adiunxit. Sed accidit plane feliciter, vt tunc arescentes Galliæ siccitate, irriguo Verbi Dei e tuo pectore copiose manante, virescere cœperint atque florescere. Cum & primaria ipsa Parisiorum ciuitas, infracti roboris Catholicæ fidei & Christianæ constantiæ digrum exemplum, longiori obsidione vallata, ærumnosaq. fame confecta, te concionante, sæpe experimento didicit, quod auditu ex diuinis Scripturis acceperat, non in solo pane viuere hominem, sed omni verbo quod procedit de ore Dei: expertaq. pariter est, Fidelium arma non esse carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum; dum tu ibidem amplissimum patefeceris horreum Verbi Dei, & diuinæ Scripturæ armamentarium reseraueris, quorum altero pasceres esurientes, altero vero armares ad pugnam. Sed tandem, licet sero, intelligens impius ille Benadad frustra oppugnari ciuitatem quæ Eliseum secum haberet, spe vane concepta eluſus soluit obsidionem. Cum iam feliciter confecto negotio, redeuntem te auctum coronis hilaris tua recepit Ecclesia, detinuitq. tui cupida arctius, adeo vt nec siuerit vel oculos ad externa conuertere. Vixq. demum te obtinuisse, tuis litteris significasti, vt cœptas in Annalibus lucubrationes prosequereris: quo magnopere gauisus sum nuncio, Deoq. immensas gratias egi, qui dedit hanc solicitudinem in corde Titi. Perge feliciter, opusq. inchoatum absolue, quod omnes exoptant, expetunt, atque expectant: hac enim sibi via probe consultum existimant; cum quem longe absentem audire concionantem non liceat, dum scripta legunt, cumulatius id ipsum se assecutos intelligant: quod in audiendo non horæ vnius breui spatio coarctentur, nec basilicæ, licet amplissimæ, angustijs ex confluentium auditorum compressione vrgeantur, sed qualibet hora & loco, die noctuque, quoties libuerit, pro pulpito librum, & pro concione habeant lectionem: Sicq. fiat, vt licet munere pastorali cathedræ insideas semper Astenſi, astes omnibus vbique omnibus iugiter profuturus. Vale dignissime Præsul tui Baronij memor, quem sanctis tuis ad Deum precibus iugiter foue.

MARCI

Universidad de Deusto
Biblioteca

MARCI FVGGERI
BARONIS IN KIRCHBERG
ET VVEISSENHORN
RODVLPHO CAES. AVGVSTO
A CONSILIIS
Epistola ad Auctorem
DE TRANSLATIONE ANNALIVM in linguam Germanicam.

ADMODVM REVER. D. CAESARI BARONIO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO
Amico carissimo S. P.

LABOREM meum in vertendo primo tomo tuorum Annalium in linguam paternam tibi probari, perlibenter ex tua accepi epistola XV. Kal. Decemb. ad me data: quem sane laborem inter multas occupationes, quibus quotidie premor, non laudis aut ambitionis ergo, quarum numquam fui cupidus, in me suscepi, sed propter communem Reipublicæ Christianæ vtilitatem. Expertus enim sum, multa in Ecclesia nostra Catholica Romana a multis improbari, quorum fundamenta & prima principia si haberent cognita, proculdubio æquiores se nobis iudices exhiberent. Cum ergo in primum tomum tuorum Annalium incidissem: statim intellexi me id inuenturum, quod tantopere desiderabam, nempe veram & solidam narrationem rerum Ecclesiasticarum, ex qua prima principia & incrementa multis possent innotescere. Nam licet multi historias scripserint Ecclesiasticas: animaduerti tamen multos erroribus implicitos minus dextre, aliquos autem negligentiores in chronographia minus vere, aliquos vero ita obscure scripsisse, vt quid velint, a paucis intelligatur. In tuis autem Annalibus nihil horum inuenitur: omnia sunt dextre & maxima obseruatione temporum vere & dilucide scripta, vt nihil amplius in illis desiderari possit. Qua re ita sum permotus, & in eam spem erectus, quòd dubitare non ausim, me magnam vtilitatem multis, qui præter patriam linguam nullam callent, allaturum ad antiquitatem Ecclesiasticam cognoscendam. Aggressus igitur sum animo magno primum tomum interpretari, in eoq. hactenus laboraui sedulo. Sed hic labor meus plane erit irritus, si tu manum tuam non porrexeris. Nam ex præfixa Epistola Summi Pontificis in editionem primi tomi, satis intellexi, nemini licere tuos Annalium tomos alieno idiomate in lucem emittere absque tuo permissu. Peto igitur, vt pro tua humanitate studium ac beneuolentiam tuam mihi hac in parte deferas, concedasq. vt GERMANIA nostra virtutibus ac laboribus tuis per me fruatur & gaudeat. Ego Deum Optimum Maximum precabor, vt tibi & ætatem & gratiam largiatur, quo omnes tomos, sicut incæpisti, perficias: magnum enim Respublica Christiana acciperet detrimentum, si tantum opus permaneret imperfectum: meæ vero imbecillitati opem ferat, vt vnum aut alterum tomum (si anni plures non permiserint) cum vtilitate multorum perficiam. Bene vale. Augustæ, 16. die Decembris, Anno Domini M. D. LXXXIX.

Tuus addictissimus

Marcus Fuggerus.

ADMO-

ADMODVM ILLVSTRI
AC GENEROSO DOMINO
D. MARCO FVGGERO
BARONI IN KIRCHBERG
ET VVEISSENHORN
RODVLPHO CAES. AVGVSTO
A CONSILIIS S. P.

SVMMO, vir clarissime, fuerat mihi pretio redimendum, vt amplitudo tua dignaretur accipere, quod amantissimis litteris a me sibi postulat impertiri. Quid enim gratius atque iucundius, quidve honorificentius accidere potuisset, quàm vt nostri Annales Ecclesiastici in Germanicam linguam germane atque fideliter verterentur, a tali tantoq. potissimum viro, cuius pura atque sincera omnibusq. spectata religio esset (nam tuo vigilantissimo studio & conspicuo vitæ exemplo Catholici in officio continentur, & in hæreses lapsi ad Ecclesiam reuocantur) cuius quoque munificentia eruditi quique proficiunt, & bonæ litteræ penes Catholicos in Germania coalescunt, quorum lucubrationibus ab eisdem tibi dicatis Bibliotheca illa tua æmula Philadelphiæ illustratur. Talia igitur de Annalibus a me editis & edendis a te præstari, ne mente quidem concipere mihi fas esse videbatur, nedum sperare: vt plane intelligam id te diuino aggressum esse consilio. Quis enim ducat in animum, hominem curis innumeris pressum, laboribus assiduis fatigatum, ac senio insuper prægrauatum, adeo laboriosam prouinciam suscepisse: nisi diuinus Spiritus suasisset, imperasset, ac vehementiori quoque impetu compulisset? Etenim vel legisse tantum Annalium tomos, haud mediocris laboris videri poterat esse negotium: eos vero sæpius attente perlegere, accuratius atque solertius perscrutari, & in aliud insuper idioma transferre, neque tantum sententias ex sententijs, sed dum licet, verba etiam verbis reddere: opus quidem eiusdem esse Spiritus, cuius quoque 1. Cor. 12. & 14. *muneris est interpretari sermones, omnes intelligent. Studueram (probe nosti) susceptum laborem aliqua saltem ex parte minuere, cum superioribus meis datis ad te litteris suaderem, vt prætermissis quibusdam prolixioribus quæstionibus, licet ad historicam facultatem ac veritatem maxime pertinentibus, alijsq. nonnullis quæ rudis lector esset haud facile percepturus, ex eis Epitomen potius Germanica lingua conficeres: sed redditis ad me litteris, id facere renuisti, ac plane exhorruisti; perinde quasi religio esset ex illis vel apicem vnum excidere; sic in omnibus fidelis & accurati munere perfuncturus interpretis. Quo quidem officio illustratum olim Marci nomen in eo qui Euangelista & Petri pariter prædicatur Interpres, vt in te quoque feliciter propagetur, sancte pieq. æmulatus esse videris. Dum enim res a Petro, Petriq. successoribus, eiusdemq. Petri nomine in Ecclesia Catholica gestas potissimum interpretaris: quodammodo & tu Petro accessisse putaris Interpres. Sed & de te illud Pauli de Marco ad Timotheum vsurpare liceat: Assume Marcum, & adduc tecum: est mihi vtilis in ministerio.* 2. Tim. 4. *] hæc Paulus cum esset Romæ (vt ait) solus cum Luca Apostolorum Acta scribente; non satis sibi esse Lucam existimans sine Marco, sed tunc bene consultum, si Marcum sibi Lucæq. coniungat. Opportune sane Lucæ in sacra historia laboranti Marcus inhæsit, eidem profuturus ac Paulo. Perutilis plane Apostolo in ministerio Marcus noster, qui eius exemplo ingemiscens ac deplorans assidue cladem suorum gentilium, æstuansq. pro illorum salute immenso charitatis ardore, omnia peruestigat, seduloq. semper studio collaborans, nihil prorsus omni ex parte intentatum relinquit, vt immanissimæ ex hæresi inflictæ cladi prospicere valeat, atque mederi. Desideriorum sane vir, qui Danielis instar, inter captiuos liber, & in obscurissimis tenebris fulgore Catholicæ religionis elucens, populi tui acerbissime perferens captiuitatem, in* Dan. 9. *pristinam*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hieremi. 31. *pristinam eum libertatem vindicare desideras, & in antiquum patrium solum, in Catholicam inquam Ecclesiam, postliminio restituere. Annuat votis Deus, vt merearis instar Abrahæ, Pater dici recte credentium, & occinat tibi propheticum illud: Quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia est merces operi tuo, & spes nouissimis tuis: reuertentur filij ad terminos suos.] Has demum, optime Marce, quas expostis a me, accipe litteras, concessionis testes, amoris pignus, & mei erga te studij indices: quæ in secundo hoc Annalium tomo excusæ, veluti publico in archiuo repositæ, perspicuæ omnibus, tibiq. integræ conseruentur. Vale: tibiq. strenue laboranti pro fide Catholica, & pro Germanis tuis egregiam operam nauanti præsto sit Deus: cuius potentia, ad subeundos labores renouetur vt aquilæ iuuentus tua.*

Admodum Illustris D. tuæ

Seruus obsequentissimus

Cæsar Baronius.

STA-

STANISLAI CARNCOVII
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS
METROPOLITANI REGNI POLONIAE

Epistola ad Auctorem
DE TRANSLATIONE ANNALIVM
in linguam Polonam.

ADMODVM REVERENDE IN CHRISTO PATER
nobis carissime & obseruandissime.

OFFICIVM fraternæ charitatis, qua Christianæ fidei religionisq. communione colligamur, hoc a me (licet tibi de facie non sim notus) iure quodam suo postulat, vt tibi commune in Christianam Rempublicam abs te profectum bonum gratuler, Annales nempe Ecclesiasticos nuper abs te editos; gaudiumq. meum non vulgare, quo sum ex hoc laborum tuorum fructu eximie affectus, apud te expromam. Cum enim primum atque alterum eorum Annalium volumen auide perlegissem (sero enim in manus meas peruenerunt) egi tantas, quantas animus meus capere potuit, Deo bonorum omnium auctori gratias, qui in necessarijs Ecclesiæ suæ prouidit opportuno tempore, tibiq. non modo mentem & voluntatem indidit ad opus arduum, difficile, propeq. immensi laboris, in quo annos (vt scribis) triginta desudasti, suscipiendum, sed etiam vires facultatemq. præstitit ad perficiendum. Tuum vero pectus plenum pietatis & amoris in Deum, plenum omnis doctrinæ ac scientiæ, absens, absentis tamquam præsentis, dum libros euoluerem, cupidissime sum exosculatus, atque incredibili tui studio accensus. Natura enim ipsa optima duce, cupide ferimur in eorum amorem, qui insigni vna aliqua virtute excellunt: in eorum vero qui pluribus, cupidius: qui autem non modo pleni ipsi sunt cælestibus istis diuinisq. dotibus, sed & alios iisdem locupletare solent, hos vti vasa diuini Spiritus, eiusq. donorum a Deo electa, omnium maxime suspicimus & veneramur, capimurq. summo & admirabili eorum amore. Iampridem ego de te multa a nostris hominibus, qui te in nostram gentem suauiter effusum narrabant, mea magna cum voluptate audieram, perspexeramq. emendato Martyrologio tuam pietatem, & studium Dei gloriæ propagandæ, eiusq. Ecclesiæ ornandæ. Sed cum Annalium volumen primum, ac postea alterum in manus nostras venisset, hæc mihi in te tanto illustriora visa sunt, quanto es vastius pelagus non modo ingressus, sed prope emensus. Ac repetenti quidem mihi memoria diuinæ bonitatis consuetudinem, quam in Ecclesiæ istius militantis regimine ab ipsis eius incunabulis retinet, videntur semper nouis morbis noua remedia fuisse subministrata. Ita (vt recentiora, & quæ sub aspectum nostrum venerunt, tantum attingam) cum Lutherus hæresis suæ virus effundere cœpisset, quo maxima Europæ pars infecta fuit, quodq. sectas innumeras inter se admodum dissectas peperit: excitatus fuit clarissimus Societatis IESV ordo, qui cum alijs pro Ecclesia laborantibus, hac pestifera lue mortalium animos liberaret: ex qua cum alij plurimi viri Dei spiritu pleni, omniq. genere scientiæ ac doctrinæ instructi, tamquam ex equo Troiano prodierunt, tum nuper Robertus Belarminus prodijt, quem tu inexpugnabilem aduersus hæresim turrim, editis in lucem disceptationibus de fidei nostræ controuersiis, extruxisse scribis. Ita cum Centuriatores figmentis mendacijsq. suis, historijs Ecclesiasticis tenebras offudissent: te potissimum elegit Dominus, qui tenebras istas depelleres, lumenq. clarissimum Orbi vniuerso afferres: totumq. Ecclesiasticum ædificium, tecta nimirum, parietes, & fundamenta, atque adeo Hierarchiam ipsam, non modo vallo, muroq. inexpugnabili, historiæ nimirum veritate, cingeres & munires, sed etiam armatura aduersus hæreses, dum controuersas quæstiones doctissime pertractas & explicas, cumulate instrueres. Ostendisti igitur, vti optimus artifex, augustissimi ædificij, militantis nimirum Ecclesiæ origines, pugnas, victorias, trophæa, & incrementa: ostendisti perpetuam & non interruptam Romanorum Pontificum a Petro Apostolorum principe successionem: ostendisti denique summa nostræ fidei firmamenta, vtpote traditiones Apostolicas, fidei dogmata, Petri in Ecclesia primatum, SS. Romanæ Ecclesiæ maiestatem, C[oncil]iorum auctoritatem, vetustissimumq. sanctorum Patrum de diuinis Scripturis sensum: quibus omnibus Catholica fides magnopere firmatur, omnisq. impietas & hæreticorum figmenta ita deficiunt, sicut defi-

cit fu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cit fumus, & sicut fluit cera a facie ignis, sic illa quoque peribunt & euanescent. Iam si tuæ narrationis modum, genusq. dicendi, quo ego magnopere delector, deprædicem; principium facilius quàm finem inueniam: tuq. ipse fortasse, quamlibet verissima scriberem, assentari me tibi putares. Sed vere tibi a me dictum velim credas, admirari me in hoc immenso opere magnarum variarumq. rerum in te scientiam, multarum linguarum peritiam, historiarum tam sacrarum quàm profanarum cognitionem, accuratamq. & exactam antiquitatis inuestigationem, siue ex veterum lectione, siue ex numismatibus, siue denique ex vetustissimis arcuum triumphalium, columnarum, porticuum, templorum, aliarumq. vetustissimarum ædium inscriptionibus: quæ omnia ita historiæ tuæ accommodas, vt manifestum sit, necessarias eas res vnicuique fuisse ad texendum tantum opus. Igitur tam magna & ampla talenti tibi crediti lucra atque prouentus, bonorumq. omnium studia, qui pro tua incolumitate mecum vna Deum optimum maximum precantur, ex animo gratulor. Et vt alia omnia, quæ restant, volumina, quæq. te facturum editurumq. promittis, quàm citissime nobis prodas, ad IESV Christi gloriam ex animo opto, atque abs te maximum in modum peto: operamq. tibi meam & facultates omnes, tantæ quantæ sunt, ad eam rem polliceor & defero. Et, si permittes, curabo, vt in Collegio Patrum Societatis IESV Calissij, nuper a me fundato & erecto, in linguam nostram Annales isti transferantur; vt tu veluti ciuis Polonus, de vniuersa Republica Ecclesiastica optime meritus, nostro nobiscum idiomate loquaris. Data ex Arce nostra Louicien. V. Mensis Augusti, Anno Domini M. D. XCII.

Reu. P. V.

Studiosiss. amicus & frater

Stanislaus Carncouius Dei gratia Archiepiscopus Gnesnen. Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, Primusq. Princeps.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.
STANISLAO CARNCOVIO
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,
LEGATO NATO, REGNI POLONIAE PRIMATI,
PRIMOQ. PRINCIPI S. P.

LITTERARVM tuarum ipsa dumtaxat inspectione, Præsul amplissime, magna admiratione affectus sum, vbi eas a viro tanto datas ad me noui, nempe ab Archiepiscopo Gnesnense, Legato, Poloniæ totius Primate, primoq. Principe, natalibus præfecturisq. adeo nobilitato, & quod ceteris præstat, ob res præclare gestas, egregiæ vitæ meritis summa gloria insignito: qui regalis sacerdotij functione, & sacerdotalis principatus ministerio, sacerdotem simul agens & Principem, principem locum in vtroque sis facile consecutus; dum Archiepiscopi sedulam vigilantiam, Legati solicitum fidumq. ministerium, Primatis præcipuam diligentiam, ac denique Principis robur indefessum, inuictumq. animum in omnibus quàm absolutissime exhibes: adeo vt perditissimis his deploratisq. temporibus, maximo Dei beneficio, cum quatuor hisce muneribus factus sis plurimis causa salutis, de te Propheticum illud occinere iure liceat: Quadriga tua saluatio: itemq. faustis vocibus acclamare: Currus Israel & auriga eius: qui & vna simul quadripertito munere, quatuor munia expleas personarum Moysis, Aaron, Hur, atque Iosue, sicq. insint quatuor facies vni, dum quorum personam geris, eorumdem quatuor virtutes reddas, officiaq. persoluas. Ad hæc, inquam, adeo admiranda, ipso primo tuarum litterarum intuitu, immenso fulgore præstrictis oculis pallens obstupui: verum ipsas perlegens, mox excusso pallore, erubescere cœpi, vbi inspexi immensas, quas mihi laudes aggeras, exaggerasq. dicendi facundia, cum me illis longe imparem ac prorsus immeritum esse sentirem. Sed caue, ne exactius cuncta scrutatus, inuenias (quod est in fabulis) pro virgine ceruam, vel si ex diuinis Scripturis petatur exemplum, conspicias pellitum pro Dauide simulacrum; suffundarisq. ipse rubore, dum ab illa imagine abhorrere me senseris, quam finxeras tibi animo, atque stylo formaueras. Sed est plane, vt hoc quoque nomine immortales tibi gratias agam; quòd probe intelligam, vehementem amoris vim, quo me prosequeris, haud patientem angustis arctari limitibus, redundantia quadam in plures laudationum exitus erupisse, fluxisseq. magno impetu in flumina beneficentiæ, cum adeo liberaliter non solum operam tuam spondeas, sed & facultates, tantæ quantæ sunt, vt ais, sponte offeras. Verum liceat illud Apostolicum vsurpare: Quæro vos, non vestra. In his enim quæ opus sunt, satis abunde suppeditat mihi Romani Pontificis Clementis munificentia. Ceterum quod ad tuam amplitudinem spectat: plus quàm satis abs te meis rebus consultum erit, si me inter clientes tuos annumeres; si vero & inter amicos, summum adijcies gratiæ cumulum, generoso animo tuo dignum.

Quod autem a me exigis, impartiri tibi licentiam, vt Annales nostri in Polonorum linguam vertantur, ipseq. Polonus effectus, cum Polonis communi idiomate loquar, cum id existimes ad expugnandos hæreticos haud leuiter profuturum: imitari plane visus es mihi fidei patrem Abraham, qui ad debellandos quinque Reges, satis sibi putauit armare vernaculos; & sequi Dauidem, qui regijs neglectis armis, rusticis telis est progressus ad pugnam: quippe qui probe noueris, noua bella Dominum elegisse, in quo qui est infirmior, ille potentior habeatur. Accurro igitur summa alacritate tanto classico excitatus ad bellum, inhærens tibi strenuo ac pugnandi perito, vt armiger Ionathæ. Annuat votis Deus, vt tuos labores ac studia, diuina aspirante potentia, læta victoria consequatur: concedatq. mihi Euangelica promissione, vt qui lingua locuturus sum noua, serpentes pariter tollam. Sciant velim Poloni mei, omnia nostra patere ipsis: nec id quidem recens, sed iampridem ijsdem nostros oppigneratos esse labores, cum olim Romæ iaciebantur Polonorum Collegij fundamenta. Sed quòd ille plane visus est ad experiendas vires amoris nostri erga

Universidad de Deusto
Biblioteca

Polonos angustus palæstræ locus : ecce vocati in latum campum, læti progredimur, non pauci tantum, sed vniuersæ prouinciæ profuturi, sub tanto ductore fortes, licet vires nostras pertenues formidemus. Quod vero per viros religiosissimos, eosdemq. eruditos ac maxime pios, affirmas nostros Annales fore reddendos linguæ Polonæ : nihil hoc potuit nunciari gratius atque iucundius. Si enim Doctor Gentium Paulus, aduentu Titi, quo vtebatur interprete, magno affectus est gaudio : quanta ego debeo gestire lætitia, tot simul nactus Apostolicos viros interpretes? Porro huius adeo gratæ petitionis tuæ ipsas litteras testes, futuras posteris perpetuum monumentum, nostri qui sub prælo est quarti Annalium tomi frontispicio perspicuas cunctis affigendas curabimus, vocalem titulum, & semper loquentem inscriptionem prægrandibus signatam notis summæ tuæ erga me beneuolentiæ. Quin & has nostras eisdem subijciemus litteras, quæ pro foribus eorumdem Annalium veluti ianitores excubent, patentes indices non concessionis solum, sed & mei erga amplitudinem tuam studij & obseruantiæ : quæ itidem cunctis ingredientibus notum faciant, & quæ intus sunt, & omnia denique nostra, nostris exposita esse Polonis, ipsis dicata, ipsorum semper inseruitura commodis : Quibus bene precamur, ac cupimus acceptam eos a maioribus Catholicam fidem integram illibatamq. seruare, vtpote digito Dei scriptam, cum innumeris ipse eam miraculis confirmarit : agnoscantq. pastorem suum, sanctorum Antistitum legitimum successorem, ver.eq. fidei & paternarum traditionum heredem, earumdemq. acerrimum defensorem : cuius Apostolatus vos ipsi credentes (quos appello) signa estis in Domino, qui ab eo pastorali studio reuocati estis ad caulas ; & cum essetis oues errantes, iam conuersæ fuistis ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum ; quod pro magno miraculo sit posteris commendandum : cum, vt taceam alia multa, in amplissima ciuitate, vbi duos Catholicos vix fuerat reperiri, ægre totidem nunc hæreticos numerari contingat : vt hac ex parte sit Magno illi Thaumaturgo Gregorio comparandus, ne temere dicere videar, præferendus : nam ille & plures numero Christianos reperit ; diemq. obiens, totidem Gentiles, nempe septemdecim post se reliquit.

At tu ipse, validum Ecclesiæ Catholicæ propugnaculum, vale : tibiq. iam ætate longæuo concedat Deus, vt instar sanctissimi Simeonis, antequam ex hac vita recedas, exoptatam, diuq. expectatam plenam videas redemptionem Israel, vniuersum inquam Polonorum populum fidei Catholicæ restitutum. Romæ. prid. Kal. Octobr. M. D. XCII.

Illustrissimæ ac Reuerendiss. D. V.

Seruus addictissimus Cæsar Baronius.

SIXTVS

SIXTVS PAPA V.

Dilecto Filio Cæsari Baronio Sorano Presbytero Congregationis Oratorij nuncupatæ.

DILECTE Fili, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius noster Antonius tt. SS. Ioannis & Pauli presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus Bibliothecarius Apostolicus nobis retulerit, a te primum Annalium Ecclesiasticorum volumen editum, aliaq. propediem edenda esse, opus non minus docte quàm fideliter a te scriptum, & ad totius antiquitatis Ecclesiasticæ notitiam comparandam valde vtile : quibus nimirum non tantum res gestæ exacte per annos singulos recensentur, & quæ de his obortæ sunt controuersiæ elucidantur, sed etiam ipsi Apostolicarum traditionum fontes purissimi aperiuntur, atque hæreticorum mendacia confutantur : Nos, qui eruditorum omnium fouere solemus ingenia : cum tuam in primis industriam, & egregiam pro Catholica Ecclesia nauatam operam magnopere in Domino commendemus : Cupientes, vt ijdem a te editi, vel edendi Annales Ecclesiastici ad integram rerum veritatem custodiendam seruentur penitus incorrupti, & quàm diligentissime fieri potest, typis excudantur : ac demum ne a quoquam seu negligentia, seu malitia, mendis deformari, aut aliter etiam forsan titulo mutato vel forma, mutari, corrumpi, vel deprauari possint : MOTV PROPRIO & certa nostra scientia, omnibus, & singulis Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, ac Bibliopolis, quouis nomine nuncupatis, tam in Vrbe, & illius districtu, ac statu, & ditione temporali nobis & S. R. E. mediate, vel immediate subiecta, sub quingentorum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ eo ipso applicandorum, necnon amissionis librorum atque typorum ; quàm etiam per totam Italiam & extra eam vbiuis gentium, & locorum constitutis, sub Excommunicationis maioris latæ sententiæ pœnis eo ipso absque alia declaratione incurrendis ; Auctoritate Apostolica, tenore præsentium interdicimus & inhibemus, ne per decem annos a Data præsentium computandos, primum Tomum Annalium a te editum, & alios singulos a te edendos totidem annorum spatio ab vniuscuiusque eorum editione numerando, absque tua licentia imprimere, aliove titulo, vel forma, quouis prætextu mutatos, vel alio quocumque idiomate versos edere, vel sic editos vendere seu venales tenere audeant, vel præsumant. MANDANTES vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & alijs locorum ordinarijs, eorumq. Vicarijs, seu officialibus in spiritualibus, generalibus, ac in dicto nostro statu Ecclesiastico Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Potestatibus, & alijs officialibus : vt quando, & quoties per te, vel tuo nomine fuerint requisiti, præmissa contra inobedientes exequantur, & obseruari faciant, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis quibusuis personis quomodolibet concessis, & confirmatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisq. contrarijs quibuscumque. Volumus autem vt præsentium litterarum exemplis etiam in ipsis voluminibus impressis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris. Die XXVI. Iunij, M. D. LXXXVIII. Pontificatus nostri Anno quarto.

Tho. Thom. Gualterutius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IN

CAESARIS BARONII
ANNALES ECCLESIASTICOS
LAEVINI TORRENTII
EPISCOPI ANTVERPIENSIS
Elegia.

NON Cyrum hic siluis educimus, atque Quirinum,
Expositos fœtæ quos aluere feræ,
In spes imperij magnas, seu Solis ad ortum,
Seu qua se fessis condit anhelus equis.
Nec narrare iuuat captas cum ciuibus vrbes,
Eruiaq. hostili mœnia celsa manu,
Aut Troiæ cineres, & nil nisi nomen Athenas,
Thebasve, atque alijs oppida vasta locis,
Prostrataſq. acies, & fœda cruoribus arua,
Aut tinctum riuis sanguinis Oceanum,
Lintea cum tabulæq. inhumataq. corpora fluctu
Iactantur miseris per freta salsa modis.
Non ita fert animus, nec tanti est gloria, crescat
Cædibus auditis cædis vt ater amor.
Scilicet exemplo peccat qui talia narrat,
Quodq. alios docuit, perpetrat ipse nefas.
Qui legit Aeaciden, vt nil non arroget armis,
Aeacide similis, qua pote, sæuus erit.
Vnus Pellæo iuueni cur non satis Orbis?
Audierat plures, ambijt, interijt.
Aequasti hunc votis, Cæsar Romane: nec impar
Exitus; imperij terminus vrna fuit.
Quod tamen, Octaui, te non deterruit: hostes
Vicisti, patria sed pereunte, tuos.
Sic igitur toto Mars sæuijt impius Orbe,
Bella ferens cunctis accumulata malis.
Nam quis tunc Regum vitam non traxit in armis?
Quis non hanc cælo credidit esse viam?
Tamquam si solio propior Iouis hæreat alto,
Qui plures Orco miserit inferias.
O cæcas hominum mentes, & inania veri
Pectora! qui lucem fingimus in tenebris,
Luctamurq. vmbris, pretiumq. imponere rebus
Spernimus. hinc stultos fallit ineptus amor,
Fallimur & votis; nec sunt tam somnia vana,
Quàm spes nos vanis ludit imaginibus.
Non res humanæ, perituraq. regna beatos
Efficiunt, nec quas colligit Indus opes,
Non aurum, & lapides, nec rubri concha profundi,
Aut Tyrijs ardens purpura cocta focis,
Nec vires, aut forma fugax, & gratia linguæ,
Ac cultum variis artibus ingenium,
Aut aliud terris communi sorte creatum.
Orta etenim pereunt, & male fulta cadunt.
Trans Lunæ Solisq. vias super ætheris ignes
Quærendum est summum, si hæc tua cura, bonum.
Hoc ipsum DEVS est, solus verumq. bonumque,
Certaq. ad æternam semita lætitiam:
Quo sine nec virtus, nec honor, nec gratia fluxis
Rebus inest, quibus & nomen & esse dedit,

Tunc cum principio sic omnia fecit, vt vni
Parerent homini cetera, at ipse Deo.
Quid facis, infelix? parent tibi cetera; tu cur
Detrectas, contra nec pudet ire Deum?
Ecquid erat vetita non tollere ab arbore poma?
Quo gustum recrees est aliunde tuum:
Est & quo saties oculos. quocumque moueris,
En violæ, & varijs lilia mixta rosis.
Ipsa tuo gaudens natura applaudit honori,
Inq. tuum sollers comitur obsequium.
Fortunate nimis, si nil quæsieris extra
Auctorem: tibi namque omnia solus erit.
Serpentem mulier, tuq. hanc vxorius audis.
Turpe alijs Dominum posthabuisse suum.
Nudus, inops, longi condemnatusq. laboris,
I, fuge: qua stabas gratia fortis abest:
Gratia diuini semper mansura fauoris,
Mansisset semper si tua certa fides.
Peccasti miser, at peccati pœna fuit mors,
Quæ sibi iure tuum vindicat atra caput.
Vindicat & stirpem. neque enim mortalibus ortos
Fas est non simili conditione mori:
Vt neque fas sontes animas ascendere Olympo:
Depressæ Stygijs excipiuntur aquis.
O quàm difficile est talem dissoluere nexum!
Pone scelus, sceleri mox grauis vltor adest.
Sed quænam afflictis superant solatia? Tantis
Sola Dei bonitas est medicina malis.
Discite iustitiam numenq. timere: sed vna
Discenda est bonitas, vnde oriatur amor.
Vnius vt noxam luimus sub iudice iusto,
Sic bonus & patiens attulit vnus opem:
Vnus, at idem alius qui tam letalia curet,
Conuenit hunc hominem, nec minus esse Deum:
Esse Deum, ne impar sit maiestate parenti:
Esse hominem, vt possit morte piare nefas.
Filius, æterni vis & Genitoris imago,
Æternum cælo cum Genitore manens,
Virginis in gremium matris se condidit: illic
Auctus, & hinc certo tempore natus homo:
Natus homo Deus ille Deus Seruator IESVS,
Vt faciat, caros quos habet, esse Deos.
Quem tu, Baroni Cæsar, doctissime, felix
Ingenij, sacræ conditor historiæ,
Describens late Regem, dominumque, patremq.
(Non qui fœta malis bella cruentus amet,
Expilet socios, Patres, plebemq. tributis
Vexet, vt effusas mox male perdat opes:
Sed lenis placidusque, & nil nisi lene iubendo,
Pacata populos qui ditione regat,
Mortis & exemplo doceat nos dura ferendo
Vincere, & obiectis non trepidare malis,
Nec corpus præferre animæ, sanctumq. pudorem
Spernere, quo spreto prosilit omne nefas)
Historicos inter tanto caput altius effers,
Quotquot habet Latium, Græcia quotquot habet.
Seu domitos narrent Medos, seu Punica fata,
Pyrrhumque, & belli fulmina Scipiadas:
Quanto splendidius lucent vaga sidera, quàm quæ
Accensa est nostris parua lucerna focis.
Macte igitur virtute, iuuet te incumbere chartis,
Tam bene dum cœptum perficiatur opus.
Grandis adhuc superat via, sed tu perge: laboris
Qui tibi principium est, hic quoque finis erit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primus Annalium Tomus complectitur annos centum, nimirum ab Aduentu Domini vsque ad Traiani Imperij exordium.

PRAEFATIO
IN ANNALES
ECCLESIASTICOS.

IHS

AD LECTOREM.

STIVM [a] nobis apertum est magnum & euidens, sed aduersarij multi.] Scripturi Annales Ecclesiasticos, ijs potissimum verbis Apostoli exordimur. Sicut enim, siue dignitatem spectemus argumenti, nihil hac tractatione excellentius; siue vtilitatem, nihil quod maiora præstare emolumenta, vel ad res dijudicandas, vel ad gerendas, possit: siue iucunditatem quæramus animi nostri, nihil suauius accidere valeat, quàm Christianæ Ecclesiæ per tot annorum spatia ab ipsius incunabulis mirabilia ac prorsus diuina gesta & euenta dignoscere & contemplari: vt merito magnum ostium ad latum pateat campum, per quem exultans decurrat oratio: Ita multa sunt, quæ ex aduerso opposita eius alacritatis impetum retineant; vt non tam cito sint ad cursum laxandæ habenæ, sed mature admodum, opusq. sit Hieremiæ auscultare dicenti [b]: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea.] Fuere namque e recentioribus nonnulli ab Ecclesia Catholica extorres, qui antiquorum res gestas se collecturos professi, nihil aliud conati sunt, nisi vt mendacia coaceruantes, aditum hunc nobis apertum obstruerent, & patentem viam regiam impedirent; & perinde ac si aduersus veritatem iunctis armis bellum iurassent, falsissima quæque cumularunt, omniaq. immutarunt, ac prorsus inuerterunt, nihil aliud molientes, quàm nouam turrim confusionis ad cælum, si fieri posset, pertingentem, qua aduersus Deum & sanctos eius dimicarent, cæco perciti furore, constructuere [c]. Et sicut olim Palæstini [d] puteos illos, quos Abrahæ serui fideles effoderant, bitumine obstruere contenderunt: ita isti veritatis fontem mendaciorum aggeribus obruere tentarunt. Ac denique, non secus ac si quis imaginem Regis [e] alicuius e gemmis admirabili pulchritudine contextam rescindat, ijsdemq. gemmis monstri alicuius aspectum deformissimum fingere conatus fuerit, & adhuc impudenter affirmare præsumpserit hanc ipsam, quòd ex ijsdem gemmis sit opus compositum, esse

a 1. Cor. 16.
b Hier. 6.
c Gen. 11.
d Gen. 26.
e Iren. lib. 1. c. 1

Universidad de Deusto
Biblioteca

pristinam illam nobilissimam Regis imaginem: eodem sane modo ijdem pulcherrimam Ecclesiæ faciem, non habentem maculam neque rugam, labefactantes, ac penitus destruentes, ex ijsdem scriptis, quibus speciosissima redditur, synagogam Satanæ ex Ecclesia, ex Hierosolymis Babylonem, ac denique (quod horrendum est dicere) ex Christo reddiderint Antichristum.

Sed ad horum conatus infringendos, commenta detegenda, ac impostura aperiendas, non multa opus est consultatione, vel facto. Satis superq. puto, si germana illa ac sincera Ecclesiæ vultus imago ex antiquo prototypo demonstretur; cuius tantum inspectione, nullo negotio fiet, vt portenti turpissimi simulacrum, cuiusnam imaginem referat, cognoscatur. In hoc igitur nobis omni diligentia incumbendum, vt in primum illud exemplar semper mentis oculos intendentes, Ecclesiæ effigies illa pristina pristino decori formæq. reddatur, quæ suo splendore sic tenebras disijciat, caliginemq. dispellat, vt oculi intuentium maxima cum iucunditate clarissimo veritatis aspectu perfruantur. Et sicut magno
a Exod. 7. miraculo olim ab Aaronis [a] virga diuinitus concessa, Aegyptiorum magorum virgæ præstigijs inolutæ, & in dracones fallaciter conuersæ, deuoratæ sunt; ita pariter veritate semel in medium posita, ipsorum omnium impostura continuo euanescant.

At maior ex alijs, atque ex nostris ipsis, qui in eo scribendi genere versati sunt, quàm ex hæreticis, nostra quidem sententia, supereſt labor: cum (liceat ingenue fateri) nulla res in Ecclesia ita hactenus negligi visa sit, ac rerum Ecclesiasticarum gestarum vera, certa, atque exacta diligentia perquisita narratio. Et vt de antiquioribus loquar, qui eiusdem argumenti commentarios ediderunt; inuenire difficile est, qui veritatem in omnibus fuerit assecutus. Ecce enim Eusebius, qui primas tenere videtur, Arianismo semel male imbutus, tamersi fidelis in ceteris habeatur, cum in his quæ spectant ad dogmata Arianorum, tum etiam in rebus gestis Constantini Augusti, cuius Vitam in gratiam Constantij Augusti, Arianorum patroni, conscripsit, multa mentitus est, vt suo loco, Deo dante, opportunius ostendemus. Claudicat æque veritas in Socrate sectæ Nouatianorum addicto, & Sozomeno eadem tincto fuligine. Coarctatur eadem atque obscuratur interdum nimia Orosij atque Seueri breuitate. Sed non est propositum modo de singulis dicere. Quòd si posteriores rerum Ecclesiasticarum historicos consulas, magnam profecto eorum esse classem intelliges, qui absque delectu quæcumque vel ab alijs scripta ad manus eorum venerint, vel leui auditu perceperint, conscripserunt, & absque aliqua altiori veritatis indagine, sæpe aniles fabulas, senum deliramenta, vulgi rumores, non sine magno ceterarum rerum solida firmitate subsistentium præiudicio, intexuerunt. Omittimus de Ethnicis dicere, qui si quando res nostras vel leuiter attigerunt, easdem infensissimo animo, canino dente dilacerarunt, & eneruarunt potius, quàm enarrarunt. Sed quid de temporibus illis dicendum, quæ scriptorum inopia, & nimia paucitate remanserunt prorsus obscura, vt opus sit ex abditis penetralibus ac latebris ma-
b Iob 28. gno labore res gestas depromere, & quod dicitur [b] de Sapientia, veritatem ab occultis trahere, eamdemq. in lucem producere? At vero tot tantaq. nemo feliciter poterit superare, etiam si magnos sumat animos, omnesq. neruos intendat, nisi ad hæc inuestiganda ac dignoscenda diuino quodam numine adiutus
c Hierem. 15 fuerit: Qui enim separat [c] pretiosum a vili, quasi os Domini prædicatur.

Sed vt instituti nostri tandem rationem aliquam afferamus, nos certe olim, velut

velut exili cymba prope littus maris huius adnauigantes, pene inscij, recurrentibus interdum fluctibus, sic sumus paulatim e terra subducti, vt prosperis afflantibus ventis, quod antea horruissemus, sensim vasta maria cœperimus penetrare, non tamen sine illius imperio, qui Petro Apostolo dixit [a]: Duc in altum.] Si- a Luc. 5.
quidem cum ætate florente huiusce modi studijs oblectaremur; qui Christi loco præpositus tunc nobis Pater erat, ad hæc impulit, inuitos licet, cum plus oneris certe, quàm nostræ imbecillæ vires ferre possent, imponeret: sicq. triginta circiter annos in his pro viribus, Dei gratia fauente, insudauimus: pene enim imberbes eramus, cum hæc exordiremur, nunc vndique canis aspersi hæc scribimus; semperq. in Vrbe versati, diuersas, quæ in ea sunt, bibliothecas nobiles, Vaticanam præcipue, quam ditissimum rerum antiquarum penu, promptuariumq. dicere consueuimus, perlustrauimus, ac cum eruditis viris, quorum magna copia hic esse solet, omnia contulimus, modo consulentes, modo differentes; vnde magna facta est rebus nostris accessio. Hæc autem de nobis ipsis, licet inuiti, præfati sumus more maiorum: nobilissimi enim Græcorum scriptores, qui res Romanorum historiæ mandarunt, idem efficere consueuerunt. E quibus omnibus hoc vnum exemplum, vt reliqua taceam, Dionysij Halicarnassei, quem honoris causa nomino, satis sit in medium protulisse; qui nullo validiori argumento lectoris fidem sibi conciliasse visus est, quàm asserens complures se annos Romæ versatum, eiusdemq. Vrbis vetera monumenta & abdita quæque sedulo perscrutatum fuisse. Sed missis his, iam tempus est vt rerum omnium, quarum instituenda nobis narratio erit, argumentum proponentes, de ordine etiam, quo sunt omnia disponenda, breuiter differamus.

In primis igitur, quod ad titulum spectat: Cur potius Annales Ecclesiasticos, quàm Historiam, huiusce modi lucubrationes nostras maluerimus nuncupare, hanc afferimus rationem: eo nempe discrimine veteres ab Historia Annales distinxerunt, quòd illa [b] proprie res suorum temporum gestas, quas auctor vel vidit, b Gell. lib. 5. c. 18.
vel potuit videre, pertractet, neque tantum quid gestum sit, sed & qua ratione, Isid. Orig. lib. 1. in fin.
quoue consilio, indicet: Annalium contra scriptor res antiquas, vt plurimum, quas sua non nouit ætas, easdemq. per annos singulos monumentis commendet. Nos autem, quoniam non tantum res antiquas, sed Ecclesiasticas potissimum pertractamus, in quibus non solum, vt in ceteris historijs, ipsa veritas primum sibi vendicare locum debet, sed vel latum vnguem ab ea recessisse, religio est: hanc ob causam, ne proditæ veritatis vel leui saltem suspicione pulsemur, Chri-
stianis legibus obsequentes, præcipientibus [c], Sit sermo vester: est est, non non: c Matth. 5.
quod autem his abundantius est, a malo est] relinquemus historicis Ethnicis locutiones illas per longiorem ambitum periphrastice circumductas; orationesq. summa arte concinnatas, fictas, ex sententia cuiusque compositas, ad libitumq. dispositas; & Annales potius, quàm Historiam scribemus. Et quod Ecclesiasticam maiestatem ac grauitatem maxime decet dicendi genus sectantes; quæ dicenda sunt, sancte, pure, sincereq. absque vllo prorsus fuco, vel figmento, prout gesta sunt, per annos singulos digesta narrabimus. Numquam enim (inquit Arnobius [d] rerum nostrarum grauissimus assertor) veritas sectata est fucum; d Arnob. aduer. Gent. lib. 1.
neque, quod exploratum est ac certum, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem: collectiones, enthymemata, definitiones, omniaq. illa ornamenta, quibus fides quæritur assertioni, suspicantes adiuuant, non veritatis lineamenta demonstrant.] Fuit quoddam tempus (ait Gregorius Nazianzenus [e]) e Greg. Naz. orat. 20. laud. Athan.
cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum res noſtræ florerent, & præclare ſe haberent, cum nimium ſuperflua hæc; & verborum lepore arte fucata dicendi ratio ad diuinas caulas nec aditum quidem habebat.] Huc denique accedit in Annalibus conſcribendis minus adhiberi ſolitus ſententiarum & verborum ornatus: id quidem auctor dialogi de Oratoribus, ſiue is Tacitus [a] fuerit, ſiue alius, teſtatur atque demonſtrat. Quamobrem res ipſas Eccleſiaſticas ad ſuum principium reducentes, ſic res geſtas recenſebimus, vt Eccleſiaſtica Eccleſiaſtice pertractemus. Cumque in omnibus teſtimonio nitamur antiquorum, veritatiq. conſultum velimus; illorum potius verba ſingula vt plurimum reddere, quamuis horridula & incompoſita aliquando videri poſſint, quàm noſtra apponere, ac deſcribere, a nobis eſt conſtitutum. Atque vt magis magiſq. eadem veritas eluceſcat, indiſcuſſum nihil, quod ambiguum, vel veritati contrarium eſſe ſenſerimus, vſpiam relinquemus.

[a] *Apud Tacit. de Orator. dialog.*

Ab ipſo igitur Chriſti Redemptoris noſtri aduentu ſumpto narrationis exordio, res geſtas cuiuſque anni, exacta in omnibus habita (quoad eius fieri poterit) temporis ratione, referre conabimur. Sic enim clariſſimi tam Latinorum quàm Græcorum hiſtorici, Polybius, Dionyſius, Liuius, Tacitus, Dio, & ceteri, quæ ab alijs falſo ac perperam dicta ſunt, ſupputatione temporum facillime confutarunt: Contra vero in innumeros impegiſſe errores eos cognouimus, qui in conſcribendis hiſtorijs, vel nullam, vel certe modicam habuerunt temporum rationem. Vnde quod ad res noſtras pertinet, appoſite admodum Auguſtinus [b]: Per Olympiadas, inquit, & Conſulum nomina, multa ſæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare.] Nos itaque maiores imitando, qui annos ſingulos per Coſſ. numerarunt & diſtinxerunt, Annales noſtros per vnuſcuiuſque anni Conſulatus ſic diligenter perduximus, vt eiſdem Romanorum Pontificum & Imperatorum iungamus annos. Hanc eſſe regiam viam, per cuiuſque anni Coſſ. tempora conſignare, Patres docuerunt, cum ipſa publica Eccleſiaſtica geſta eodem temporum ordine adnotarunt.

[b] *Aug. de doctrina Chriſt. lib. 2. c. 28.*

Nec vero hic quiſpiam de ſuffectis vel allectis Coſſ. ad tempora confundenda imperite nimis ac ſuperſtitioſe ſcrupulum ingerat: quandoquidem in Conſularibus Faſtis, ex quibus anni ſinguli dinumerari conſueuerunt, nonniſi ordinarij Coſſ. etiam ſi poſt modicum temporis ſpatium eſſe deſijſſent (vt auctor eſt Dio [c]) conſcribebantur: ceterum de reliquis cum Auſonio Gallo [d] hoc dixerimus, ſub quibus Coſſ. hi Conſulatum geſſiſſent, oportuiſſe quæri. Conabimur & in eo Thucydiden imitari, vt non tantum quid quolibet anno ſit factum, ſed & quid hieme, quid æſtate, ac quid denique quibuſque menſibus, cum licuerit, enarremus. Rem ſane arduam & perdifficilem, ac nondum alicuius præuij ductoris calcatam veſtigijs inimus viam. Nam etſi complures hiſtoricorum res Eccleſiaſticas perpetuæ memoriæ commendarint; nullum tamen ad hanc ætatem extitiſſe ſcimus, niſi forte qui ſuorum tantummodo temporum res geſtas ſunt proſecuti, qui ſe his tam arctis neceſſitatis vinculis adſtrinxerit, vt res geſtas ſingulas ſingulis annis adſcribere ſit conatus.

[c] *Dio hiſt. Rom. lib. 43.*
[d] *Auſ. Gall. in grat. act. pro ſuo Conſulatu.*

Quæ vero Annalibus contineantur, iam ſummatim perſtringamus. Laudatos nouimus hiſtoricos illos, qui vna cum rebus geſtis, populi illius cuius ſcripſerunt hiſtorias, originem retulerunt, mores, leges, magiſtratus, ac cetera quæ ad eius ſtatum nouerint pertinere, explicarunt. quo ſane exemplo adducti, nos operæpretium facturos exiſtimamus, ſi vna cum naſcentis Eccleſiæ primordijs, ipſa Chriſtianæ

Chriſtianæ Religionis fundamenta primitus iacta, diuinas leges, pias functiones, ſacra Concilia, editos canones (vt inſtituti ratio poſtulabit) ſigillatim recenſuerimus.

Ad hæc Catholicæ Eccleſiæ viſibilem monarchiam a Chriſto Domino inſtitutam, ſuper Petrum fundatam, ac per eius legitimos veroſq. ſucceſſores, Romanos nimirum Pontifices, inuiolate conſeruatam, religioſe cuſtoditam, neque vmquam interruptam, vel intermiſſam, ſed perpetuo continuatam; ſemperq. huius myſtici corporis Chriſti [a], quod eſt Eccleſia, vnum caput viſibile, cui pareant membra cetera, eſſe cognitum & obſeruatum, per ſingula tempora demonſtrabimus.

[a] *Coloſſ. 1.*

Quibus porro incrementis Chriſtiana Religio per totum ſe orbem terrarum diffuderit, ac ſucceſſione temporum longe lateq. in vnius viſibilis capitis coniunctione coagmentata, atque in vno Spiritu fuerit propagata, aperiemus. Bella inſuper, ſiue externa, ſiue ciuilia, quæ a tyrannis, alijſq. hoſtibus, quæve ab hæreticis, vel ſchiſmaticis aduerſus Catholicam Eccleſiam ſunt conflata, eademq. Chriſti veritate quomodo profligata atque extincta fuerint, adijciemus.

Res geſtas Imperatorum, ac ceterorum Principum, quæ tamen ad Eccleſiæ ſtatum ſpectare videbuntur, vna cum ceteris rebus Eccleſiaſticis, annis ſingulis intexemus.

Clades etiam diuinitus immiſſas ad eos puniendos, qui contra Dei Eccleſiam ſuperbire, & in ea quid temere moliri auſi ſunt, quibus diuinum quoddam conſilium ac prouidentia in Eccleſia gubernanda ac protegenda admirabili quodam modo declaratur, ſuo quoque ordine referemus.

Qui item cunctis ſæculis viri ſanctitate conſpicui atque eruditione ſublimes claruerint, quandove ex hac vita deceſſerint (quod & ab antiquis hiſtoricis & Annalium ſcriptoribus peruigili ſtudio curatum eſſe liquido conſtat) ſubinde adnotabimus.

In his omnibus percenſendis, nec ab inſtituto alienum; nec ingratum nos facturos putamus, ſi obſcuras Eccleſiaſticas voces, & gloſſemata, quæ inter legendum occurrunt, loca inſuper perplexa & obſcura, quæ in antiquorum auctorum ſcriptis interdum reperiuntur, pro viribus elucidare conabimur.

Hæc itaque omnia, & alia complura, quæ breui ſumma perſtringi vix poſſunt, ſic pertractabimus, vt nihil dicamus leuiter aut inconſiderate, nihil inaniter, nihil quod non probatiſſimis teſtibus fulciatur, ratione demonſtretur, probetur coniecturis, ac denique, quantum licet, perſpicua ſolidaq. veritate firmetur. Non enim doctas fabulas ſecuti ſumus hæc ſcribentes (dicimus confidenter) ſed grauiſſimis vſi teſtibus, quos ipſa chartarum margo, ne ſingulorum auctorum moleſtum præ nimia longitudine texamus catalogum, facile demonſtrabit. In quibus perueſtigandis ſic comparati ſumus, vt quantumuis graues, quantumuis eruditos, in omnibus ſequi, quaſi errare non potuerint, plus nomini quàm veritati tribuentes, nequaquam obſtinata quadam mente ſtatuerimus: nec contra quempiam, tametſi infimæ claſſis auctorem, omnino contempſerimus; memores Plinianæ [b] ſententiæ, quam ſæpenumero veram experti ſumus: Non eſſe librum tam malum, quin aliqua ex parte profit. Atque ita legimus omnia, vt ne ab improbatis quidem (ſuperiorum tamen permiſſu) & apocryphis abſtinuerimus; ac prout monet Apoſtolus [c]: Omnia probate, quod bonum eſt tenete] quæ vera certaq. apud quemlibet inuenerimus, eadem ſic vindicauerimus, vt

[b] *Plin. ad Marc.*
[c] *1. Theſſ. 5.*

de tenebris

Universidad de Deusto
Biblioteca

de tenebris eruerimus in lucem. Extat enim de his Gelasij [a] Romani Pontificis digna tanto Patre sententia, in hæc verba: Numquid in ipsorum hæreticorum libris non multa quæ ad veritatem pertinent, posita releguntur? Numquid ideo veritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur?]

a Gelas. de Anathem.

Verum, vt præfationi tandem finem faciamus, non excidit memoria, quod ad Memorium S. Augustinus [b] scribens admonuit, fieri non posse, vt historiarum scriptores, absque diuina ope Spiritus sancti, in omnibus veritatem, quam profitentur, agnoscant, atque conscribant; dum ait: Historia sane, cuius scriptores fidem se perspicue narrationibus suis habere profitentur, fortassis habeat aliquid cognitione dignum liberis, cum siue bona, siue mala hominũ, tamen vera narrantur. Quamuis in eis cognoscendis, qui Spiritu sancto non adiuti sunt, rumoresq. colligere humanæ conditionis infirmitate compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video. Est tamen eis aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi cum ab hominibus humana infirmitate falluntur.] Hæc cum dicat ille, longissime a veritatis scopo illos aberrare necesse est, qui ab Ecclesia Dei, vbi solum Spiritus sanctus inhabitat, sese hæretica prauitate diuiserint: quiq. prauis moribus inquinati, scientia tantum inflati, longe absunt vt tantam gratiam valeant promereri, dicente diuina Scriptura [c]: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superueniente iniquitate.] His igitur admoniti, ipsum Spiritum sanctum, Spiritum veritatis [d], cuius est munus, vt doceat nos omnia, & suggerat nobis omnia, quanta maxima possumus animi demissione & reuerentia, assiduitate, & sedulitate, ac studio inuocamus: vt nobis istæc conantibus adesse dignetur, & gratiam, quam alijs sæpe impartiri liberaliter consueuit, nobis itidem, quamlibet indignis, non deneget. At quo magis hæc immerentes postulamus, eo enixius apud sanctissimam Dei genitricem Virginem Mariam, rerum nostrarum omnium semper auspicem, ducem, ac moderatricem, precibus contendimus: vt hæc apud eum qui aperit os mutorum [e], & linguas infantium facit esse disertas, quiq. dat omnibus affluenter, & plus quàm petimus, instanter exoret: vt verbis, scriptis, ac maxime omnium vitæ moribus veritatem profitentes, attestantes, & prædicantes, lingua, calamo, animiq. virtutibus ipsum laudemus, confiteamur, ac celebremus; cui est in Trinitate perfecta laus, virtus, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

b Aug. epist. 131. ad Memor.

c Sapien. 1.

d Ioan. 14.

e Sapien. 10.

HIC tibi, Lector, opportune cudendam putauimus Appendicem illam, quam Auctor secundo Annalium tomo apposuit ad Lectorem extra Ecclesiam Catholicam positum, his verbis conscriptam.

APPENDIX AD LECTOREM
extra Catholicam Ecclesiam positum.

AT non te despicimus, Lector qui a Catholica religione procul abhorres, neque insectamur iurgijs, conuicijs lacessimus, vel appetimus contumelijs: nulla enim animi perturbatione commoti sumus in homines, cum mendacia insectamur. Sed humanissime tecum agimus: vt plane rem tibi potius, ipsam inquam veritatem intelligas aduersari, quàm hominem. Agemus inquam tecum liberalissime: vsque adeo, vt omni indulgentia & animi demissione non vereamur te ipsum, si tamen veritatis tantum es cupidus, accurate istæc nostra legentem, æquum arbitrum constituere. Iustæ namque causæ confisi, tantum tibi concedimus, vt non dedignemur tuum quoque de rerum veritate in re tanta tunc subire iudicium, cum (quod æquissimum iudicem decet) tranquilla ratio mente integra atque sincera, omni animi perturbatione semota, depositisq. priuatis affectibus, in neutram partem inclinans, sublimiori throno in medium collocato consideat. Si talem te iudicem præstas, te ipsum mente turbatum ad te ipsum puro mentis obtutu cuncta exactius disquirentem libentissime prouocamus. Ingens sane vis humanæ insidet rationi, si tamen nullis adstricta compedibus, in omnibus libera libere agere permittatur. Hac quidem ex causa maiores nostri summa freti fiducia veritatis, vbi aduersus obstinatissimos hæreticos agendi sese occasio obtulit, cum illi omne iudicium Ecclesiasticum declinarent atque contemnerent, eo indulgentiæ adacti sunt, vt non recusarint Gentilium quoque hominum experiri iudicium, eorumdemq. sententiam expectare. Hisce iudicibus Iudæi [a] de Samaritis pugnacissime altercantibus tandem victoriam retulere. Ethnico [b] quoque philosopho arbitro ex consensu delecto, cuius standum esset iudicio, Origenes quinque perditissimos hæreticos superauit, ipsumq. iudicem ad fidem Christianam capessendam induxit. Sed & sanctissimus Episcopus [c] in Mesopotamia Archelaus, coram Gentilibus adhibitis ex consensu iudicibus, Manetem hæresiarcham nefandissimum confutauit. Sunt & alia de his exempla, quibus appareat, eos qui veritate pollerent, nullius recusasse iudicium, vel refugisse sententiam, nec eorum quidem qui Domini auctoritate viderentur esse damnati, ipso dicente [d]: Qui non credit, iam iudicatus est.] Sed & nos liberalius videmur tecum agere, qui te ipsum, cum ad rectæ rationis compositus fueris ordinem, arbitrum non refugimus: certissimi plane redditi atque securi, adiudicaturum te nobis causam, atque nobiscum pariter consensurum, si amantissima æqui ratio libenter audiat veritatem: quod cupimus nobis laborum sit præmium;

a Ioseph. Antiq. lib. 13. c. 6.

b Orig. Dialog.

c Epiph. hæres. 66.

d Ioan. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vt te ipſum tandem ſic a te ipſo recte iudicante iuſtiſſime condemnatum, abſolutum erroribus videamus. Faxit Deus, vt aliquando tibi recte ſentienti hilares occurrentes, amplectamur, exoſculemurq. te iam fratrem noſtrum [a] ſugentem vbera matris noſtræ. At vero cum modo, ſummo cordis dolore, non liceat te, prohibente Apoſtolo [b], ſalutare, nec dicere ſaltem, Aue: nemo tamen prohibet, quin tibi ſalutem plurimam cupientes, eam vt Deus impertiat, enixis precibus contendamus.

[a] Cant. 8.
[b] Ioan. 2.

S. GREGORII NAZIANZENI
Ad Nicobolum de Hiſtoria legenda elogium.

PRÆCLARVM eſt mentem hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim conglobata quædam & coaceruata ſapientia eſt, hominumq. multorum mens in vnum collecta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AD commodiorem Annalium vſum: vt, cum citandi erunt, loca ipſa certiori nota conſignata facilius inueniantur: non per capita annos partitos habes, ſed numeris tantum in margine poſitis, antiquioribus characteribus exaratis.

IHS

APP A-

APPARATVS AD ANNALES ECCLESIASTICOS.

De Aduentu Filij Dei.

DECCLESIAM, cuius geſta narraturi ſumus, eſſe omnium plane antiquiſſimam, adeo verum eſt, vt ſine fidei iactura in dubium reuocari non liceat. Eius namque fundamentum primarium, cui cetera omnia cohæreant & innitantur, non eſt aliud, niſi Chriſtus Ieſus Dei Filius, non in tempore creatus, ſed a Patre ante omnia tempora genitus, eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ, ſine quo nihil factum eſt, ac per quem facta ſunt omnia. Cum autem venit plenitudo temporis (vt ait Apoſtolus [a]) miſit Deus ipſum Filium ſuum factum ex muliere: qui diuinæ naturæ aſſociauit humanam, tantoq. fœdere vtramque naturam hypoſtatica vnione coniunxit, vt nec inferiorem (vt ait S. Leo [b]) conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumptio. Quocirca hic eſt Agnus ab origine mundi (vt habetur in Apocalypſi [c]) occiſus; qui ſui ſanguinis effuſione, & qui ante fuerant homines, & qui poſt futuri erant, ablueret, ſecumq. perduceret in gloriam cæleſtem: principium & finis [d]: æterna Sapientia, quæ [e] attingit a fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter: lapis [f] angularis, qui cæleſtia pariter atque terrena, præterita, præſentia, & futura, vna eademq. ſuimetipſius compagine conglutinata ſolidaret: vt merito Apoſtolus dicat [g]: Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula] et in confeſſo ſit apud omnes Patres, quotquot vmquam fuerint ab exordio mundi, nonniſi a Chriſto, & per Chriſtum ſalutem conſecutos. I.

DE ECCLESIAE ANTIQVITATE.

a Galat. 4.
b Leo epiſt. 10.
c Apoc. 13.
d Apoc. 1. 22.
e Sap. 8.
f Iob. 38. Iſai. 28. Epheſ. 2. 1. Petr. 2.
g Hebr. 13.

Iure itaque cenſuit grauiſſimus doctor Iuſtinus [h] martyr, Chriſtianos eſſe nominandos, quotquot e Gentibus, licet aduentum Chriſti præceſſerint, ratione μετὰ λόγου (dixit ille ſermone Græco) vixerant. In quam ſententiam ſic Auguſtinus [i]: Hic de- II.

h Iuſtin. erat. ad Antonin.
i Aug. lib. 10. [illegible]

Universidad de Deusto
Biblioteca

monſtratus eſt antiquis ſanctis, vt ita ipſi per fidem futuræ paſſionis eius, ſicut nos A
per fidem præteritæ, ſalui fierent.] et alibi[a]: Ab initio generis humani, alias occultius, alias euidentius, ſicut congruebat temporibus, diuinitus viſus eſt; nec prophetari deſtitit; nec qui in eum crederent, defuerunt: vt ſciamus[b], etiam antiquos iuſtos, quicumque eſſe potuerunt, nonniſi per eamdem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fide ſcilicet incarnationis Chriſti, quæ illis prænunciabatur, ſicut a nobis facta annunciatur: eademq.[c] fides eſt noſtra, & illorum; quoniam hoc illi crediderunt futurũ, quod nos credimus factum.] hæc Auguſtinus; qui ſatis eleganti ſimilitudine depingens alibi[d] quod affirmamus: Eius, inquit, Eccleſiæ membra erant etiam illi ſancti, quamuis in hac vita fuerint antequam ſecundum carnem Chriſtus Dominus naſceretur. Ipſe enim vnigenitus Dei Filius, Verbum Patris, æquale & coæternum Patri, per quod facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt, vt B
totius Eccleſiæ, tamquam totius corporis, caput eſſet. Sed ſicut totus homo, dum naſcitur, etiam ſi manum in naſcendo præmittat, tamen vniuerſo corpori ſub capite coniuncta & compacta eſt: quemadmodum etiam nonnulli ex ipſis Patriarchis, ad huius ipſius rei ſignum, manu præmiſſa nati ſunt: ita omnes ſancti, qui ante Domini noſtri Ieſu Chriſti natiuitatem in terris fuerunt, quamuis ante nati ſunt, tamen vniuerſo corpori, cuius ille caput eſt, ſub capite cohæſerunt.] hucuſque Auguſtinus, qui ſæpius idem verbis alijs alibi[e] ſcriptum reliquit. In quam ſententiam plurima dixere Græcorum vetuſti ſcriptores, Origenes[f], Euſebius[g], Gregorius Nazianzenus[h], & alij.

Nos autem, quamuis vna ſit ab initio mundi Chriſti Eccleſia, tamen ſuperiora illa & antiquiſſima relinquentes, ſcriptis noſtris ea tantum complectemur, quæ contigerunt C
ex quo Chriſtus, qui inuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo, e cælo in terras eſt dilapſus, & poſt hæc viſus eſt, & cum hominibus (vt ait[i] vates ille) conuerſatus eſt. Opportunum ſane tempus: defecerat enim (quod erat in ſacris oraculis[k]) de tribu Iuda & domo Dauid regium ſceptrum, atque ducatus, non in Sedechia (quod Iulianus dicebat[l]) ſed in Aſſamonæis, poſtquam rerum ſumma apud Hebræos redacta eſt ad Herodem. Tribus enim Iuda in Babylonem, quod ſciunt omnes hiſtoriæ ſacræ periti, in ſeruitutem cum ſanguine regio fuit adducta; deinde poſt annos ſeptuaginta in Palæſtinam poſtliminio reſtituta: cum primum, Ioſepho[m] teſte, eadem prouincia dici Iudæa cœpit; quiq. Hebræi vel Iſraelitæ prius nominabantur, Iudæi deinde ſunt appellati. Zerobabel enim, & qui poſt eum Iudæos gubernarunt (vt tradit Cyrillus[n]) ex tribu Iuda, ex ſtirpe Dauid omnes vſque ad He- D
rodem Idumæum fuerunt: quod & Hieronymus[o] teſtatur, licet alibi aliquando aliter dixerit. Sed hæc ſunt dilucidius explicanda.

Quod enim ad Zerobabel & complures ſucceſſores eius pertinet; nulla eſt dubitatio ex Dauid ſtirpe fuiſſe progenitos, id tã veteri[p] quàm nouo[q] Teſtamento ſæpe teſtantibus: Aſſamonæos autem, penes quos fuit ſumma rerum vſque ad Herodem, conſtat fuiſſe ex genere ſacerdotali, tribu Leuitica, ex filijs (vt habet liber primus Machabæorum[r]) Ioiarib: ſic enim legendum eſt loco Ioarim: nam Ioſephus[s] Aſſamonæum dicit ſacerdotem fuiſſe ex vice Ioiarib: quæ quidem inter viginti quatuor vices ſacerdotales principem locum tenuit[t]. Sacerdotum namque ſucceſſiones ab Aaron vſque ad ſua tempora, non Hieroſolymis tantum, ſed vbicumque gentium Iudæi eſſent, ſcriptis ſemper eorum nominibus in publicis tabulis, teſtatur ſæpe Ioſephus[u] eſſe legi- E
time conſeruatas, nec aliquando labefactatas, vel aliqua ratione mutatas. Vt igitur ſceptrum Iudæ in tribu Iuda vſque ad Herodem Idumæum permanſiſſe dicatur, inde accidit, quod Aſſamonæi, qui erant ex tribu Leuitica, fœdere nuptiarum (quod licitum fuiſſe, Philo Iudæus in libro quem ſcripſit de Monarchia, teſtatur) tribui Iudæ, ipſiq. familiæ Dauid coniuncti eſſent. Sicq. factum eſt, vt horum coniunctione ſacerdotium ſimul & regnum pariter iungerentur, perſeueraritq. ſceptrum Iudæ in Aſſamonæis in linea feminina vſque ad Herodem. Aſſamonæos enim ex materno genere fuiſſe ex tribu Iuda, nulla eſt dubitatio, Rabbinis etiam id teſtantibus: nullo enim alio iure tribui Leuiticæ licitum fuiſſet vna cum ſacerdotio abſque tyrannidis labe adſciſcere ſibi regnum.

Videas

[a] *Aug. ad Deo grat. epiſt. 46. q. 2. in fine.*
[b] *Aug. epiſt. 89. cont. Eſs.*
[c] *Idē ad Optat. de orig. anim. epiſt. 157.*
[d] *Aug. de cat. rud. c. 19.*
[e] *Lib. de patien. c. 21. item de ciuit. Dei lib. 10. c. 25. & lib. 18. cap. 42. Contra epiſt. Pelag. lib. 3. c. 4.*
[f] *Orig. tom. 2. coment. in Ioan. & cont. Celſ. lib. 2.*
[g] *Euſeb. de prap. Euang. & hiſt. lib. 1. c. 3.*
[h] *Gregor. Naz. orat. de Machab.*

III.

[i] *Baruch. 3.*
[k] *Geneſ. 49.*
[l] *Iulian. Apoſtat. apud Cyril. Alex. contra Iul. lib. 8.*

HEBRAEI QVANDO VOCATI IVDAEI.

[m] *Ioſeph. antiq. lib. 11. c. 5.*
[n] *Cyril. lib. 8. contra Iul.*
[o] *Hieronym. in Sophon. c. 1. & in Ezech. c. 21.*

IIII.

[p] *Paral. c. 3. 3. Eſdr. c. 5.*
[q] *Matth. 1. Luc. 3.*
[r] *1. Mach. 3.*
[s] *Ioſeph. antiq. lib. 12. c. 8.*

TRANSLATVM REGNVM AD ASSAMONAEOS.

[t] *1. Paral. c. 24.*
[u] *Ioſeph. antiq. lib. 20. cap. 3. & contra Apion. lib. 1.*

A Videas eiuſmodi coniunctionis occaſione nomina quoque facta eſſe communia, quæ peculiaria alteriuſque tribus eſſe ſolerent; vt nomen Iudæ, nomen Leui Mathathiæ, & aliorum in genealogia Saluatoris, quam texuit Lucas, eſſe ſæpius repetita; ipſoſq. Aſſamonæos, licet eſſent ex tribu Leuitica, nominatos tamen eſſe viros Iuda ob ſceptrum Iudæ ex materno genere ſibi iunctũ. In libro enim Machabæorum primo[a] hæc leguntur de illis qui male pugnarunt: Ipſi non erant de ſemine illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael: & viri Iuda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael.] Porro viros Iuda, qui ex tribu Iuda prognati eſſent, diuina Scriptura dicere conſueuit, ſed Aſſamonæos intellexit ob genus Iuda, ac eius ſceptrum illi debitum ſibi coniunctum; licet alij velint a Iuda Machabæo dictos, non a tribu. Sed hac in re contentioſum funem minime trahimus: quamuis ſciamus nobis fauere Vul- [a] *1. Machab c. 5.*
B gatæ lectionem, qua legitur, Viri Iuda, non, Iudæ, vel, Vir Iudas. Haud enim adeo portentoſum, vt illi dici voluerint Viri Iuda, cũ Hebræi omnes (vt nuper diximus) ſoluta captiuitate, maluerint dici Iudæi.

Quòd igitur Hieronymus atque Cyrillus ſceptrum Iuda in tribu Iuda & familia Dauid vſque ad Herodem Idumæum perſeueraſſe dixere, nonniſi de materno genere eſt intelligendum: vt de multis quoque alijs regnis accidiſſe videmus, cum deficientibus maſculis domus regiæ, per feminas regni ſucceſſio vna cum nomine perſeueret. Sed ceſſaſſe viſum eſt penitus ſceptrum Iudæ, cum Herodes Idumæus, Gentilis homo, poſtea proſelytus, Iudæorum regnum capeſſiuit, quod tranſmiſit ad Archelaum, ac deinde ad Herodem Antipã, qui ex alienigena femina geniti ſunt, nempe (vt auctor eſt Ioſephus[b]) ex Malthace Samaritide. Cum hæc autem apud Iudæos omnes æque eſſent in conſeſſo, V.
TRIBVS IVDA QVA RATIONE REGNASSE DICITVR VSQVE AD HERODEM.

[b] *Ioſeph. antiq. lib. 17. cap. 1. & De bello Iud. lib. 1. c. 18.*

C defeciſſe nimirum ſceptrũ de tribu Iuda, quo ſublato, Chriſtus venturus eſſet: complures ea occaſione arrepta, adulandi ſtudio, ipſum Herodem Chriſtum eſſe dixere; conflatumq. mox eſt nomen ex ſecta, vt ijdem Herodiani dicerentur; ſicq. Ieſum, qui vere Chriſtus erat, ſpernentes, Herodem eidem prætulere. Vnde quoque accidit, vt poſteri Iudæorum, quòd poſt Herodem Idumæum, Archelaum, Herodem Antipam, nulla ex parte Iudæ tribui inhærentes, regnaſſe viderent Agrippam Ariſtobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne Hyrcani Aſſamonæi Pontificis nepte, ex eademq. ſtirpe Reges ad Veſpaſianum Imperatorem vſque perſeueraſſe: quaſi ad illud etiam tempus permanſiſſet ſceptrum Iudæ, occaſione qua diximus ſobolis Mariamnes: ipſi eidem Veſpaſiano (vt ſuo loco dicemus) quæ de Chriſto prænunciata fuerant, tribuerent, cum & complures pſeudoprophetæ conſurgerent, ſe Chriſtum eſſe dicentes. Sed quis horum
D omnium fuerit vere Chriſtus, etſi non alia, tamen euentus facile demonſtrauit. Nam ſi non Herodes, neque Veſpaſianus potuit eſſe Chriſtus: qui vere prædictus fuerat Chriſtus, Ieſus fuit. Numquam ante, perinde ac in aduentu Chriſti, defecerat ſceptrum Iudæ: nam etſi Iudæi alias in captiuitatem redacti, regnare deſierint, numquam tamen aliquis ſuffectus eſt alienigena Rex, qui in Iudæa regnauerit, niſi cum Herodes Idumæus regnum obtinuit. Verum qua ratione ad Herodem rerum Iudaicarum ſumma poteſtas peruenerit, id nobis eſt explicandum.

Conſtat[c], poſt Iudæam a Pompeio Magno debellatam, populoq. Romano redditam VI.
DE HERODIS REGNI EXORDIO.
vectigalem, & ex parte in formam prouinciæ redactam, ac per Scaurum primum, deinde Gabinium[d] adminiſtratam: poſt etiam expilatum templum a Craſſo[e], clademq. maximam a Caſsio[f] inuectam, & a Caio Cæſare[g] rurſus imperatum tributum, atque
E aliam a Caſsio depopulationem miſerrime factam: poſt denique M. Antonij adminiſtrationem, digladiantibus inter ſe odio pertinaciſsimo Aſſamonæis, ad extremum Olympiade[h] centeſima octuageſima quarta, Domitio Caluino iterum & Aſinio Pollione Coſſ. Herodem Antipatris filium Idumæum proſelytum ex S. C. Romæ regnum Iudæorum (vt tradit Ioſephus) accepiſſe. Quando poſt hæc Antigonus Aſſamonæus, qui fauore Parthorum eiecto Hyrcano, vltimus Rex Iudæorum principatum inuaſerat, bello victus cum eſſet, non tantum (quod idem ſcribit Ioſephus[i]) in eum ſecuri animaduerti iuſsit, ſed (vt auctor eſt Dio Caſsius[k]) eidem cruci alligato ac fuſtibus cæſo Antonius caput truncari mandauit. Hic vltimus fuit Regum Iudæorum, in quo & deſijt Iudæorum principatus: nam licet poſt eius occubitum, adhuc qui fuerat pulſus, in humanis eſſet Hyrcanus; tamen redactus in ordinẽ, moderante Herode habena regni, eiuſdem dolo ſublatus eſt. Quocirca cũ fuiſſet ereptum tribui Iuda regiũ ſceptrũ,

[c] *Ioſeph. antiq. lib. 14. c. 8.*
[d] *Ibidem c. 10.*
[e] *Ibidem c. 12.*
[f] *Ibidem c. 12.*
[g] *Ibidem c. 17.*
[h] *Idem lib. 14. c. 20.*
[i] *Ioſeph. lib. 15. c. 1.*
[k] *Dio hiſtor. Rom. lib. 49.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

per feminas in alios ac denique in ipsos Assamonæos delatum ; nihil supererat, nisi vt is A
mitteretur, ex antiquorum prædictionibus, qui cælitus dilapsus in Israel regnaret, Gentes regeret; regnumq. Iudaicum, quod acto in crucem Antigono fuerat extinctum, per crucem, quam subiret, restitueret, & amplioribus spatijs propagaret.

VII. PONTIFICATVS E DOMO LEVI SVBLATVS.

Verum enimvero non modo regnum, sed & legitima summi sacerdotij institutio per hæc tempora defecerat. E familia namque Assamonæorum fuit ad alios translatum: nam Hyrcanus [a] quidem Pontifex Maximus ab eodem Herode necatus est; cui cum substituisset Aristobolum [b] gentis eiusdem, mox & hunc interfici iussit; & Ananelum quemdam ignobilem Iudæum Babylone accersitum (quem, viuente adhuc Hyrcano, Pontificem delegerat, & paulo post gradu mouerat) extulit rursus ad tantam dignitatem. Post hunc, nonnullos alios, nulla habita diuinarum legum ratione, vel quòd magnam pecuniarum vim loco pretij offerrent, vel quòd plurimum gratia apud ipsum possent, pro libito sufficit, atque dimouit. Sunt harum rerum testes locupletissimi Iosephus [c], Eusebius [d], Hieronymus [e], & alij plerique. Nec his contentus Herodes, insigne [f] pontificium nobilissimum, stolam scilicet sacerdotalem, vt sibi ius omne & ornamentum summi sacerdotij prorsus arrogaret, & in potestatem suam redigeret, in loco munitissimo custodiri iussit. Regno itaque ac sacerdotio Iudæorum collapso & funditus euerso, quid aliud restabat, nisi vt Sanctus sanctorum vngeretur [g]? Postremo, quod omnium maximum existimari debet: ipsa rectorum dogmatum sincera doctrina, plurimis vndique erroribus erumpentibus, fere penitus erat obscurata; ita vt Iudæi pene omnes altissima caligine inuoluerentur, neque satis quid verum foret, dignoscere ac dijudicare possent: quod quale foret, bene erit breuiter, vt instituti argumenti ratio postulat, attigisse. B C

[a] Ioseph. antiq. lib. 15. cap. 9.
[b] Ioseph. lib. 15. antiq. cap. 3.
[c] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 8.
[d] Euseb. histor. lib. 1. c. 6.
[e] Hieronym. in Dan. c. 9.
[f] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.
[g] Dan. 9.

VIII. DE SECTIS IVDAEORVM.

Tres præcipuæ his temporibus (vt auctor est Iosephus [h]) apud Hebræos sectæ vigebant, Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum: quibus & duæ aliæ accesserunt postremo institutæ, Galilæorum, atque Herodianorum. His, vt cuique in animo erat, quamplurimi e Iudæis adhærebãt. Sed cum maxime inter se dissiderent, in causa erant, vt animi illorũ qui veritatem quærebant, innumeris quæstionibus impliciti distinerentur. Et de Pharisæis quidẽ quæ scripta reliquerit Hieronymus [i], paucis attingemus. Testatur enim, quòd non multo ante aduentum Christi, exorti sunt in Iudæa Sammai & Hillel; ex his Scribæ, & Pharisæi. horum posteri duas illas familias constituerunt, quæ (vt recte veteres interpretes existimarunt) Christum non receperunt, & ceteris ruinæ fuerunt. Sammai merito dissipator, ex interpretatione nominis, vocatur; & Hillel profanus, quòd per traditiones, & διυτερώσεις suas, legis præcepta dissipauerint, atque maculauerint. Horum scholam primus accepit Achibas, post eum Meir, tertio loco Ioannan, inde Eliezer, post quem Delphon, cui successit Ioseph Galilæus, atque vltimo loco vsque ad cladem Hierosolymorum per Titum illatam Iosue. Ex his qui Legi interpretandæ nauabant operam, Scribæ dicebantur, ceteri communi nomine Pharisæi. Omnes autem superstitionibus cum pertinacia inhærentes, obdurantes se contra veritatem (vt est Euangelicus sermo [k]) cæci facti sunt, & duces cæcorum. Erant horum hæc dogmata a veritate deuia. Fato hi [l] cuncta tribuebant: animarum iudicia sub terra fieri affirmabant: transanimationem Pythagoræam [m] hoc temperamento astruebant, vt solas bonorum transire in alia corpora, malorum autem animas interminato supplicio cruciandas assererent. hæc de illis Gentilis ipsorum, & ipse Pharisæus secta, Iosephus [n]. Suppetunt de his & ex Euangelio testimonia, dum in Christum quidam ipsorum putantes transmeasse animam Eliæ [o], alij vero Ioannis Baptistæ, dicebant illum esse Eliam, vel Hieremiam, vel Ioannem Baptistam, siue alium quempiam ex Prophetis. Astronomiæ quoque cultui eosdem vehementer fuisse addictos, in hisq. Græcorum vanitates esse sectatos, auctor est Epiphanius [p]. Insuper ijdem vitiosa interpretatione Legem corrupisse, Christi Domini nostri testimonio sæpius conuincuntur. Sed non est de his modo dicendum per singula. D E

[h] Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 2. De bello Iud. lib. 2. c. 7.
[i] Hier. in Isai. cap. 8.
[k] Matth. 15.
[l] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2. De bell. Iudaic. lib. 2. c. 7.
[m] Epiph. in Panar. lib. 1. c. 16.
[n] Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 7.
[o] Matth. 14. Marc. 8. Luc. 9.
[p] Epiph. in Panar. lib. 1. c. 16.

IX. DE PHARISAEORVM INSTITVTIS.

Porro quod ad vitæ statum pertinet, nundinaria quadam sanctitate sic animos omnium sibi conciliabant, vt quod ipsi dicerent, vel facerent, ius fasq. ab omnibus esse crederetur. Vnde hæc de ijs Iosephus [q]: Tanta est eorum auctoritas apud populum, vt etiam si Regi obloquerentur, aut Pontifici, fidem tamen vulgus eis habeat.] et alibi [r]: Genus hominum astutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infestũ, vt eos etiam aperte

[q] Ioseph. antiq. lib. 13. c. 18.
[r] Ioseph. lib. 17. c. 3.

A aperte impugnare non vereantur.] hæc ille. Vita [a] autem ab illis sic erat instituta, vt eorum victus simplex esset, nullisq. mollitus delicijs. Dehinc ipsorum tyrocinia si quis attendat, quid dignum equidem vehementi admiratione inueniet: descriptum illud habes ab Epiphanio [b] his verbis: Quidam enim ipsorum, cum se exercebant, præscribebant decennium, aut octennium, aut quadriennium virginitatis & continentiæ: et frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandestine per somnia tristis corporis defluxio contingeret. Et alij ex ipsis asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantum latitudine, & in his se ad vesperam locabant, vt si quis dormisset, in pauimentum decideret, & rursum excitaretur ad orationem, per hoc quòd vigilantem vitam haberent, quantum fieri posset. Alij lapillos ex aquis collectos sibi ipsis sternebant, vt dum his pungerentur, non in profundum somnũ deferrentur, sed vigilantiã sibi ipsis parare cogerentur. Alij spinas pro strato habebant ob eamdem causam. Ieiunabant bis in sabbato, secunda & quinta die; decimabant decimationes; dabant primitias, trigesimas, & quinquagesimas; sacrificia & vota exactissime exoluebant. In prædicto vero Scribarum habitu progrediebantur, per amicula, & alios ornatus, ac muliebria pallia, in latis crepidis & calceamentorum ligulis procedentes [c]. Nam fimbrias ac prætextus quosdam in quatuor alis amiculi vnusquisque habebat ex ipso stamine illigatos, quo tempore continenter agebant, aut virginitatem exercebant: singuli enim determinatum castitatis aut continentiæ tempus habebant; & hæc ipsorum exemplaria erant ad declarandum hominibus suam professionem, vt nemo contingeret scilicet sanctificatos. Dicebantur [d] autem Pharisæi, eo quòd separati essent ab alijs, propter spontaneam superfluam religionem apud ipsos receptam.] hæc Epiphanius. B C

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.
[b] Epiph. lib. 1. Panar. c. 16.
[c] Epiph. eod. lib. 1. c. 15.
[d] Epiph. lib. 1. Panar. c. 16.

X. PHARISAEORVM HYPOCRISIS.

Per hæc, inquit Iosephus, magnam sibi Pharisæi auctoritatem parauerunt apud populum; & quicquid ad solemnes precationes & cultum diuinum attinet, iuxta horum interpretationem & præscriptum solet fieri: tantum habent a ciuitatibus sapientiæ, temperantiæ, & vitæ honestioris testimonium.] hæc de his ille. Cum autem eiusmodi sanctitatis speciem extrinsecus præseferrent, & ad decipiendos homines compositam laruam induerent: quales intus essent, qui nouit corda hominum, egregie quibusdam quasi coloribus depinxit, cum ait [e]: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.] et quod habet inferius: Serpentes genimina viperarum, quo modo fugietis a iudicio gehennæ?] D

[e] Matth. 23.

XI. DE SADDVCAEIS.

Non his certe meliores erant Sadducæi, qui longe deteriora dogmata, quàm Pharisæi, sectabantur: siquidem (vt referunt Acta Apostolorum [f]) dicebant non esse resurrectionem mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; cum alioqui Pharisæi e contrario hæc tenerent & faterentur. His turpiora multo Iosephus [g] ijsdem tribuit, dum eos de animarum immortalitate delira quædam tradidisse, animasq. vna cũ corporibus simul & eodem tempore extingui putasse testatur. In reliquis cum Samaritis idem sensisse, nisi tantum quòd Hierosolymis agentes, vna cum Iudæis sacrificarent, confirmat Epiphanius [h], qui eosdem a Saddoc sacerdote nomen accepisse, sed a præceptoris sui doctrina defecisse, narrat. Ad hæc, hos inter se feris moribus discrepasse, & erga exteros illiberales & inhumanos fuisse, quam ob causam auersatum eos populum, & Pharisæis potius obedientem fuisse, Iosephus [i] tradit, additq. eius sectæ fuisse paucos, sed fere dignitate præcipuos. In hos æque ac in Pharisæos Ioannes Baptista inuectus est his verbis [k]: Progenies viperarũ, quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira?] E

[f] Act. 23.
[g] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.
[h] Epiph. lib. 1. Panar. c. 14.
[i] Ios. de bel. Iud. lib. 2. c. 7. in fin. & antiq. lib. 18. c. 2.
[k] Matth. 2.

XII. DE ESSENIS.

Qui tertio loco recensentur Esseni, a ceteris omnibus schismate erant diuisi, qui [l] nec sacrificarent in templo, quòd (vt dicebant) sanctioribus vterentur cærimonijs. Ceterum vitæ moribus fuisse conspicuos, omnes vno ore fatentur. Sed de illorum vitæ institutione, accommodatiori loco agemus inferius. Quod ad dogmata spectat, quorum causa præsens suscептus est sermo: Epiphanius [m] eosdem inter Samaritas adnumerat, quos in quatuor sectas fuisse distinctos affirmat. Quinam vero fuerint Samaritæ, nemo in diuinis versatus Scripturis ignorat. Hi sunt, qui cum diuisi essent a Iudæis, non templum, non sacrificia, vel cærimonias communes cum illis habebant; cumq. quinque tantum Moysis libros reciperent, Prophetas ac cetera diuinæ Scripturæ volumina

[l] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.
[m] Epiph. Panar. lib. 1. c. 10. SAMARITANORVM SECTAE DIVERSAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

negligentes reijciebant, non credentes resurrectionem mortuorum, negantes & Spiritum sanctum. hæc & his plura Epiphanius [a] in Panario. Præterea horum (quòd in quatuor sectas essent distincti) alios tradit fuisse Essenos, quos diximus; alios Sebuæos [b], qui cum in omnibus cum illis consentirent, tamen quòd transposuissent tempora solennium festiuitatum, a ceteris sunt segregati. Gortheni tertio loco positi, his aduersantes, diuersam ab illis dierum festorum rationem habuerunt, Essenis potius in hoc adhærentes.

[a] Epiph. in Panar. lib. 1. c. 9.

[b] Epiph. eod. lib. c. 11.

XIII. DOSITHEI SVPERSTITIOSISSIMI.

Quartum genus erat Samaritanorum, qui Dosithei [c] sunt nominati, a dictis omnibus differentes, resurrectionem mortuorum profitentes, superstitiosa tamen nonnulla ad nouum vitæ genus instituendum accommodarunt: siquidem ab animatis abstinebant; insuper, quod scribit Origenes [d] in Periarchon, adeo superstitiose colebant sabbatum, vt quo quisque eorum habitu, loco, situ, die sabbati inuentus fuisset, siue stans, sedensve, intus vel foris, eo loco eademq. positione ea die vsque ad vesperam permaneret. Sane haud ingratum fore existimamus, ex quo in hæc de sabbati superstitiosa obseruatione semel incidimus, si quod scribit Synesius ad Euoptium de nauigatione sua hic opportune recensuerimus: Cum, inquit, exorta tempestate, peracta esset dies parasceues, & vespere decidente Sole, Iudæi qui nautæ erant, sabbatum inchoarent: qui clauum tenebat, mox vt Solem reliquisse terram coniectauit, relicto clauo, prosternit se, seq. cuique calcandum exhibuit. Rati autem nauigantes id ex desperatione eum fecisse, omnes consternabantur: cum autem causam accepissent, quidam gladio euaginato necem eidem intendebant, vt in opus incumberet: ille vero immobilis librum legebat legis, nec minus quàm Machabæus aliquis mortem comminatam contemnebat. sicq. tota nocte, cum sequenti die, vsque ad dimidium noctis, sedit Iudæus otiosus; tunc vero sponte surrexit, & clauum omissum recepit.] hucusque Synesius. Sed iam omissa repetamus. Eosdem Dositheos præ ceteris Prophetas repudiasse, Tertullianus [e] refert; monogamos fuisse, & nonnullos ex his virginitatem seruasse, Epiphanius tradit [f], qui & de Dositheo eorum auctore historiam quamdam narrat. Sed hactenus de Samaritis.

[c] Epiphan. lib. 1. Panar. c. 13.

[d] Orig. Periar. lib. 4.

[e] Tertull. de præscrip. & Hieron. contra Luciferianos.

[f] Vbi supra cap. 13.

XIIII. HEMEROBAPTISTAE.

Non prætereundum genus hominũ illud, qui a Pharisæis aliqua, aliqua vero a Sadducæis mutuati, monstrũ quoddam conflarunt. Hi etenim simul cum Pharisæis cetera sentientes, cum Sadducæis mortuorum resurrectionẽ negabant. Præter hæc autem præcipuum hæc secta habebat, quòd vere, autumno, hieme, & æstate, qui illi essent addicti, quotidie baptizarentur; rati nimirum hominem non posse viuere, nisi quis singulis diebus in aqua mergeretur, atque ita ablueretur, ac proinde sanctificaretur; quos eam ob causam Hemerobaptistas esse appellatos, Epiphanius [g] docet: qui & his addit Nazaræos, qui nec sacrificia, nec libros Moysi cum ceteris baberent communia, abstinerentq. ab animatis, velut immundis.

[g] Epiph. in Panar. lib. 1. c. 17. & 18.

XV. DE HERODIANIS.

His proximos dicit [h] esse Ossenos: ac nouissimo loco ponit Herodianos, quorum hæresis temporibus regnantis Herodis est exorta, ipsumq. dicebant esse Christum: quòd scilicet secundum diuinum oraculum, cum defecisset penitus sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, ipse ille esse videretur qui mittendus erat, eo quòd ex S. C. Rex Iudæorum fuisset declaratus. Horum gregales fuerunt qui vna cum Pharisæis [i] consparirarunt contra Christum, & cauillosam de tributo persoluendo Cæsari [k] proposuerunt quæstionem. De secta vero Galilæorum, quæ tempore census est exorta, suo loco opportunius dicemus inferius. Prædictas hæreses Tertullianus [l] breui compendio recensens, hæc ait: Taceo Iudaismi hæreticos: Dositheum, inquam, Samaritanum, qui primus ausus est Prophetas, quasi non in Spiritu sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducæos, qui ex huius erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc hæresim etiam resurrectionem carnis negare. Prætermitto Pharisæos, qui additamenta quædam Legi astruendo, a Iudæis diuisi sunt: vnde etiam hoc accipere ipsum, quod habent, nomen digni fuerunt: Cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt.] Atque his Tertulliani similia fere Hieronymus [m].

[h] Epi. lib. 1. c. 19. & 20.

[i] Marc. 3.

[k] Matth. 22. Marc. 12.

[l] Tertull. de Præscrip. c. 45.

[m] Hieron. contra Luciferian.

XVI.

Hic erat status rerum Iudaicarum, & quidem perditissimus ac profligatissimus omnium: quippe e loco motis atque collapsis firmissimis columnis illis diuina operatione statutis, Regno, Sacerdotio, atque Lege, status Iudæorum illis subnixus ingenti est fragore prostratus; quem posse erigere, atque in integrum restituere, non erat

ita erat hominis opus, sed tantum diuinæ virtutis atque potentiæ. Quod se facturum Deus per Amos [a] Propheram olim pollicitus est, dicens: In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius; & ea quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo eum sicut in diebus antiquis, vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes, eo quòd inuocatum sit nomen meum super eos, dicit Dominus hæc faciens.] Id quidem Deum impleſse per Filium suum, quem ad hoc misit in mundum, Iacobus [b] Apostolus in illo sacrosancto Apostolorum conuentu pro concione egregie professus est. In tam acerba rerum Iudaicarum iactura (quod prædixerat Isaias [c]) sicut perpaucæ spicæ post messem, vel post vindemiam esse solet racemus, aut duæ vel tres quæ post excussam oleam in summitate rami oliuæ remanent; ita fere cunctis in errorem adductis, vix exiguus numerus illorum remanserat, qui sacramentum veræ religionis, quod a sanctis Patriarchis ac Prophetis acceperant, retinerent atque seruarent. Pusillus plane grex iustorum, redemptionem Israel expectantium: inter quos ætate maiores Simeon Iustus, Anna vidua, Zacharias sacerdos, Elizabeth eius coniux, & qui remanserant ex stirpe Dauid, Ioseph, atque Maria, & si qui alij diuinæ legis cultores & amantes, in veritate perstarent, auidiusq. illum cuperent, qui collapsum Regnum, Sacerdotium, atque Legem ipse Rex, & Sacerdos, atque Legifer Emmanuel restitueret: et (quod olim Isaias [d] locutus) idem Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluaret nos.

[a] Amos 9.

[b] Act. 15.

[c] Isaiæ 17.

[d] Isaiæ 37.

XVII. DE STATV GENTILIVM.

Quòd si lumen, quod in mundo erat, tenebræ factæ sunt (secundum Euangelicam [e] ad hanc rem accommodatã loquimur analogiã) ipsæ tenebræ quantæ erant? Si ipsa, inquam, Iudæa, vbi notus erat Deus [f]; & Israel, vbi magnum nomen eius, tanta erat obuolutus caligine: quid putandum de Gentibus, quæ Deum ignorantes, in idolis prauos colebant dæmones? Talibus enim ducibus, ijsdemq. hostibus, quænam posset infelix homo bona capessere, vel mala vitare? Iam & collapsæ erant, quæ apud Gentes fuerant optimis legibus institutæ Respublicæ: et ipsa Romanorũ, qui egregijs animi virtutibus sibi subegerant Orbem, relicta illa antiqua recte viuendi consuetudine, plus ceteris omnium vitiorum genera sectabatur, eisdemq. velut cœnoso gurgite obrura mergebatur; id enim scriptores eorum sæpius exclamantes conquerebantur. vnde & in hanc sententiam Augustinus [g]: Ecce, inquit, Romana Respub. (quod non ego primus dico, sed auctores eorum, vnde hoc mercede didicimus, tanto ante dixerunt Christi aduentum) paulatim mutata, & ex pulcherrima atque optima, pessima atque flagitiosissima facta est, &c.] Quid memorem ceteras nationes? multiplicium deorum in vnaquaque prouincia superstitiosissimum cultum, ferales Gentium ritus, portentosas populorum inolitas vbique consuetudines, turpissimos hominum mores cuncta labefactantes, ipsaq. iura naturæ violantes? Bene ergo, ac peropportuno tempore a Deo consultum est, vt vnigenitum Filium, per quem cuncta creauerat, in mundum mitteret, vt omnia restauraret ac stabiliret, ipseq. Via, Veritas, & Vita, a recto tramite deuios, fidei religione ac morum compositione reuocaret ad viam; cunctosq. per veritatem errores auferens, iter aperiret ad vitam.

[e] Matth. 6.

[f] Psal. 75.

[g] August. de Ciuit. Dei lib. 2. c. 19.

XVIII. FILII DEI ADVENTVS IVDAEIS ET GENTILIBVS PRAENVNCIATVS.

Quapropter cum cælitus ad salutem vtriusque populi, Iudæi atque Gentilis, a Patre Filius mittendus esset in terram: quo totius humani generis reciperetur consensu, consilium Dei fuit, vt longe ante eius aduentum, tantæ rei sacramentum Iudæis atque Gentilibus innotesceret: Illis quidem multifariam (quod ait Paulus [h]) multisq. modis loquens patribus in Prophetis, hæc prædixit, ac figuris adumbrauit: Gentiles autem, quòd a veritate veri cultus procul abessent, nec facile externæ religionis hominibus admouerent aures, per suos ipsorum vates, de his quæ ventura erant, voluit præmoneri. Erant hi [i] Mercurius Trismegistus, Hydaspes, atque Sibyllæ, sic dictæ a Dei consilijs denunciandis, quasi θεοβούλαι, decẽ numero, vt aiunt, omnes virgines; quibus ob virginitatis insigne meritum diuinationem esse concessam, Hieronymus [k] existimauit: quam & ob causam eas appellare Patres [l] consueuerunt Prophetissas Gentilium; quibus & tantum tribuit Heraclitus [m], vt eas non humanitus, sed diuinitus apparuisse putarit.

[h] Hebr. 1.

[i] Lact. lib. 1. c. 6.

[k] Hieron. contra Iouin. lib. 1.

[l] Theoph. Antioch. ad Autol. lib. 2.

[m] Clem. Alex. Strom. lib. 1.

XIX.

Vsi sunt crebro sancti Patres, ad conuincendos errores Gentilium, Sibyllarum oraculis: quam ob rem Gentiles ipsi (vt auctor est Origenes [n]) Christianos, Sibyllistas nominabant. Memoria sane dignum, quod de Paulo Apostolo scribit Clemens Alexandrinus [o] his verbis: Quo modo Deus Iudæos saluos esse voluit, dans eis Prophetas;

[n] Orig. cont. Celsum lib. 5.

[o] Clem. Alex. Strom. lib. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PATRES VSI SIBYLLARVM TESTIMONIIS

ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ exercitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo secreuit. Præter Petri prædicationem, declarauit Paulus Apostolus dicens: Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quo modo vnum Deum significet, & ea quæ sunt futura: Hydaspem sumite, & legite, & inuenietis Dei filium multo clarius & apertius esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi Reges instruerent aciem, qui eum habent odio, & eos qui nomen eius gestant, & eius fideles, & aduentum, & tolerantiam.] Hæc cum recitet Clemens antiquus Theologus ex Paulo; non vtique ex epistolis eius, sed ex concionibus ad populos habitis, quarum nonnulla verba in audientium aures sic esse illapsa putandum est, vt numquam ea delerit obliuio. Quid ni Paulus ex Græcorum libris aliquando testimonium petendum putarit, cum & Græcos poetas citare consueuerit, & prudenti consilio, cum concionaretur Athenis in Areopago [a], aræ titulum ad sui argumenti rationem accommodarit?

a *Act.* 17.

XX.

POENA MORTIS DECRETA LEGENTIBVS LIBROS SIBYLLINOS.

Quàm præterea frequentes fuerint Christiani in legendis libris Sibyllinis, quantam ve ad conuincendos Gentiles ex ijs vim & auctoritatem sibi comparare studuerint, ex eo facile potest intelligi, quòd pœna mortis ab eorum lectione eos absterrere legibus oportuerit: quod his verbis Iustinus [b] martyr testatur, cum ait: Opera autem, & instinctu malorum dæmonum, mortis supplicium aduersus librorum Hydaspis & Sibyllæ aut Prophetarum lectores constitutum est; vt per timorem homines ab illis, quo minus scripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, sed in seruitute eorum retineantur, absterrerentur. quod quidem efficere, & ad finem suum perducere nequiuerunt. Non enim absque timore tantum huiusmodi scripta legimus; verum etiam vobis ad inspiciendum quæ in eis traduntur, vt videtis, offerimus, grata acceptaq. omnibus fore scientes. Atque hoc etiam si paucis persuaserimus, maximum tamen inde feremus lucrum: nam, vt boni agricolæ, amplam a Domino capiemus mercedem.] hæc Iustinus. Non fuisse autem securum Christianis Sibyllinos libros legere atque scrutari, ex his quæ Valerianus Imp. [c] ad Senatum rescripsit, cognosci perspicue potest: Miror, inquit, vos, patres sancti, tamdiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, & non in templo omnium deorum tractaretis.] hæc ille.

b *Iust. mart. in orat. ad Ant. Pium.*

c *Apud Flau. Vopiscin Valer. Imp.*

XXI.

SIBYLL. CARMINA QVAESITA.

Admiramur magnopere quidē consiliū Dei, qui sic Gentibus, quæ Deum ignorarent, prospexit, vt non Sibyllina tantum carmina in eorū manus venire, sed eadem conflagrata, diligenti inuestigatione ac publica alibi legatione perquiri, conquisita examinari, ac denique examinata, spurijs, quæ eorum iudicio sunt inuenta, reiectis, probari, eademq. probata custodiri voluerit: hæcq. omnia ante Christi aduentum: tum vt quæ aduersus eos Christiani adducere possent in testimonium, haberent; tum etiam vt ea citantes, & ex libris ipsorum testimonium petentes, nulla impostura suspicione moueri iure possent. Siquidem carmina illa Sibyllina temporibus Tarquinij Superbi Romam allata, Syllanis temporibus, cremato Capitolio, Olympiade (vt numerat Dionysius [d]) centesima quinquagesima tertia, Scipione [e] & Norbano Coss. ab Vrbe condita anno sexcentesimo septuagesimo primo, conflagrarunt. Post annos vero septem, Capitolio restituto, sub Consulatu Curionis (vt testatur Lactantius [f]) ex S. C. tres Legati, P. Gabinius, M. Octacilius, & L. Valerius, Erythras missi sunt, qui carmina Sibyllina conquisita Romam portarent; qui scriptos a priuatis versus circa mille Romam detulerunt. atque hæc Lactantius ex Varrone.

d *Dionys. Halic. hist. Rom. lib. 4.*
e *Cassiod. in chron.*
f *Lactan. lib. 1. c. 6.*

XXII.

SIBYLLINA CARMINA SAEPE RECOGNITA.

Porro non Erythris modo, sed in alijs etiam Orbis prouincijs ab ijsdem esse quæsita, ac Romam delata, auctor est Tacitus [g]; additq. eadem iussu Augusti Imperatoris fuisse recognita, atque purgata: quod, quantum ex Dione [h] colligitur, contigit sub Consulatu Cornelij Lentuli & Marcellini, anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo sexto: quando, inquit Tacitus [i], sanxit Augustus quem intra diem ad Prætorem Vrbanum ferrentur, neque habere priuatim liceret. Quod a maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam & Italicas colonias carminibus Sibyllæ, seu vna, seu plures fuere; datoq. sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discerere.] hucusque Tacitus. Suetonius [k] etiam de eadem per Augustum facta cognitione & expurgatione hæc dilucidius: Postquam vero pontificatum maximum, quem

g *Tacitus lib. 5. Annal.*
h *Dio hist. Rom. lib. 54.*
i *Tacitus lib. 5. Annal.*
k *Suet. in Oct. Aug. c. 31.*

numquam

numquam viuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit: quicquid fatidicorum librorum Græci Latiniq. generis, nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit; ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito; condiditq. duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.] hæc Suetonius.

XXIII.

Hæc itaque tā diligenti studio ab Ethnicis Deus curari voluit, vt cum ad eos redarguendos citarētur a nostris carmina Sibyllina, nulla (vt diximus) posset iure obijci impostura calūnia; licet neque adeo illis parcerent: vnde in eos Lactantius [a]: His, inquit, testimonijs quidam reuicti, solent eo confugere, vt dicant, non illa esse carmina Sibyllina, sed a nostris ficta atque composita: quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemq. legerit, aliosq. veteres, qui Erythræam Sibyllam, ceterasq. commemorant, ex quarum libris ista exempla proferimus; qui auctores obierunt, antequam Christus secundum carnem nasceretur.] hæc Lactantius. Quod spectat ad Cumanæ Sibyllæ carmina: quod Dionysius [b], quem citauimus, Solinus [c], Plinius [d], & alij dicunt, eadem vna cum Capitolio conflagrasse: non sic accipias, vt ea penitus interierint, nec illorum remanserit aliquod exscriptum exemplar. Constat [e] enim, etsi non ab alio, certe ab Attilio Duumviro ea fuisse exscripta priuatim, eumdemq. eam ob causam insutum in culeum fuisse mari iniectum. Equidem Lactantius [f] expresse testatur, Cumanæ Sibyllæ carmina suis etiam temporibus extitisse, eademq. recondita, non ab alio quàm a Quindecimviris inspici consueuisse. Certe non aliunde Cicero [g] de Rege venturo Sibyllinum reci tat vaticinium, eiusq. interpretationem, quòd aliter homines salui esse non possent, nisi eumdem Regem exciperent. ac licet ipse Reip. studiosissimus illud, vt humanum inuentum ad inuadendam Rempublicam detestetur; quòdque eius rei certum tempus non fuisset definitum, eam ad decipiendum dicat adhibitam esse latebram obscuritatis: tamen ipsa adesse tempora, ex ijsdem carminibus ore multorum iactari solitum, manifestum facit. Siquidem Lentulus [h] ex ijsdem Sibyllinis carminibus regnum sibi adscisceret conatus, Catilinæ se iunxit: eodemq. prætextu [i] M. Antonius in Lupercalibus Cæsari coronam Regis imposuit. Hæc enim iam esse præ foribus, ex ijsdem Sibyllinis carminibus cecinit Maro [k]; sed nescius mysteriorum, quæ de Christo ex Virgine nascituro prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonino filio Pollionis: sed de Verbi incarnatione ea esse intelligenda, Constantinus Imp. [l] aduersus Gentes egregie pro concione disputauit. Potuit idem Maro ab Hebræis etiam de his aliqua accepisse: nam Herodes Rex Iudæorum cum Romam venit, sæpe eodem Pollione (vt scribit Iosephus [m]) vtebatur hospite, Virgilij amicissimo.

a *Lact. lib. 4. c. 15.*
b *Dionys. Halic. lib. 4.*
c *Solin. in Polyhist. c. 8.*
d *Plin. lib. 13. c. 13.*
e *Dionys. Halic. lib. 4. Valerius Max. lib. 1. c. 1. 13.*
f *Lact. lib. 1. c. 6.*
g *Cic. de diuin. lib. 2.*
h *Luc. Flor. lib. 4 cap. 1.*
i *Cic. Philip. 2.*
k *Virg. ecle. 4.*
l *Constant. orat. ad sanct. coetum c. 20.*
m *Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13.*

VATICINIA DE CHRISTO VENTVRO.

XXIIII.

Sic etiam & quod de Christo antiquitus prædictum fuerat, ex Iudæa venturum Regem, qui summa rerum potiretur, rerum ignari scriptores [n] Vespasiano Augusto esse tribuendum putarunt, quòd Iudæos domuisset, atque ex Iudæa in Vrbem triumphans vna cum Tito venisset. Id enim Tacitus [o] his verbis narrat: Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, vt valescerent Oriens, profectiq. Iudæa rerum potirentur: quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.] hæc ille. Et Suetonius [p]: Percrebuerat, inquit, Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. Id de Imperatore Romano, quantum euentu postea patuit, prædictum, Iudæi ad se trahentes, rebellarunt, &c.] Ad hæc etiam de Rege nascituro spectant ea quæ recitat idem Suetonius [q] in hæc verba: Auctor est Iulius Marathus, ante paucos menses quàm nasceretur Octauius, prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur, Regem populo Romano Naturam parturire: Senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur.] hæc Suetonius. Quodnam vero fuerit illud prodigium, seu prodigia, Dio [r] his verbis narrat: In Capitolio multæ statuæ de cælo tactæ, liquefactæq. fluxerant; deiectaq. erant tū alia simulacra, tum Iouis columnæ insistens. Præterea imago Lupæ cum Remo ac Romulo consecrata ceciderat: litteræ eriam in columnis, in quibus leges scribebantur, confusæ atque obliteratæ erant.] hæc Dio anno ab Vrbe condita sexcentesimo nonagesimo. Sequenti autem, sub Consulatu M. Antonij & Ciceronis (vt tradit Suetonius [s]) natus est Augustus. Iam vero hæc & alia omnia Gentiles, quòd nescirent diuinæ dispensationis mysterium, Christum Regem venturum, qui idololatriam pessumdaret atque destrueret, ac nouas leges præscriberet, in alium quemuis sensum trahentes, interpretabantur.

n *Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 22.*
o *Tacit. Annal. lib. 22.*
p *Suet. in Vespas. c. 4.*

ORACVLA MALE TRIBVTA IMPERATORIBVS.

q *Suet. in Oct. Augus. c. 94.*
r *Dio Rom. hist. lib. 37.*
s *Suet. in Oct. c. 5.*

Proxime

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXV.

Proxime autem ante dicta tempora, illustrissimum illud, totoq. Orbe celeberrimum Apollinis Delphici oraculū occlusum erat, nec vltra vsitata responsa dabat, horrescente dæmone, vt qui optime nosse poterat mala sua annunciari non tantum per oracula Sibyllina, sed & Propherarum prædictionibus: de quo perbelle hæc Ethnicus orator[a]: Sed, inquit, quod caput est: cur isto modo iam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed iamdiu, iam vt nihil possit esse contemptius? Hoc loco cum vrgentur, euanuisse aiunt vetustate vim loci eius, vnde anhelitus ille terræ fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet. De vino aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt vetustate.] hæc Cicero: cui si audientes Gentiles fuissent, de falsitate ac vanitate deorum (dicam cum Arnobio[b]) perorata causa fuisset. Sed quænam esset causa tanti silentij Apollinis obmutescentis, idem ipse, licet inuitus, aliquando effari coactus est. Cum enim Augustus Apollinis studiosissimus[c], vt qui crederetur Apolline genitus, quiq. in cœna illa, quæ δωδεκάθεος vulgo dicebatur, pro Apolline ornatus solebat accumbere, cui & templum in Palatio erexerat, eidem sacrificasset hecatombem; hæc tandem ab eo responsa, vt ferunt[d], elicuit:

Me puer Hebræus diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemq. redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.]

Ad hæc addunt, Augustū Romam reuersum, aram in Capitolio erexisse hac inscriptione notatam: ARA PRIMOGENITI DEI. hæc Nicephorus, ac Suidas, quibus ceteri fidem adhibuerunt. Putatur hic ille esse locus in Capitolio, e regione rupis Tarpeiæ, vbi nobilissimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini: sed eo prostrato, eodem in loco erecta est basilica in memoriam Dei genitricis Mariæ, atque dicta ex causa, ARA CÆLI, titulo nuncupata; vel quòd aiunt, Dei genitricem Mariam infantem in vlnis habentem, monente Sibylla, sublimem in aere ab eodem Augusto illic esse conspectam. Quod tamen ita velim intelligant, qui ei rei maiorem fidem adhibendam putant, quàm his quæ ex Græcis auctoribus recensuimus: non quòd Sibylla aliqua Augusti temporibus, quæ illum hæc docuerit, superstes fuerit: siquidem Cumæa, quæ nouissima omnium fuisse traditur, quinquagesima Olympiade (auctore Solino[e]) vixit, temporibusq. Tarquinij Regis Romæ fuit: sed sic accipiendum, vt ea ipsa Augustus a Sibylla, hoc est, Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine citari a maioribus consueuerunt, acceperit; non autem a Sibylla, quasi adhuc viuente vate, quæ diximus, ei ostensa fuerint. Augustum namque multū fuisse in cognoscendis, scrutandis, expurgandisq. carminibus Sibyllinis; quæ proxime diximus, satis superq. ostendunt.

XXVII.

Sunt & alia complura, quæ Augusti Imperatoris temporibus cum accidissent, eiusdem Imperatoris causa esse facta, Romanarum rerum scriptores existimarunt: quæ tamen rerum nostrarum nobilis historicus Paulus Orosius, fuisse Christi aduentus præsagia, ac futurorum bonorum prænuncia, attestatur. Sed haud adeo nouum, mirumve erit, si quæ in Augusto contigerunt, eadem Christi aduentus præmonstrandi causa obuenisse dixerimus: quippe qui sciamus omnes, eumdem Christum in Cyro Rege Persarum fuisse expressum; vt de illo dixerit Dominus[f]: Assimilaui te, & non cognouisti me.] Si enim ad soluendum iugum Iudaicæ captiuitatis, & populum illum in libertatem vindicandum, atque ad templum restituendum Cyrus merito subijt personam Christi: quid, inquam, nouum aut mirandum, si multa quæ in Augusto vel sub Augusto sunt facta, Christi aduentum, cum ad redimendum genus humanum, & Ecclesiam excitandam & erigendam, & cæleste regnum impartiendum aduenit, velut signis quibusdam expresserint? Sed singula recenseamus. Hoc, inquit Orosius[g], commemorasse ideo par fuit, vt per omnia venturi Christi gratia præparatum Cæsaris Imperium comprobetur. Nam cum primum, Caio Cæsare auunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens, Vrbem ingrederetur: hora circiter tertia, repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem cælestis arcus orbē Solis ambijt: quasi vnum eum ac potissimum in hoc mundo, solumq. clarissimum in Orbe monstraret; cuius tempore venturus esset, qui ipsum Solem solus, mundumq. totum & fecisset & regeret.] hæc Orosius de circulo ambiente Solem a Suetonio[h] mutuatus. Scribunt eadem Seneca[i], Plinius[k], Dio[l], & alij. Atque hæc sub Consulatu Antonij, anno ab Vrbe condita septingentesimo decimo contigerunt.

Addit

[a] Cic. lib. 2. de diuinat.

ORACVLVM DELPHICVM MVTVM RED. DITVM.

[b] Arnob. aduers. Gent. lib. 3.

[c] Suet. in Oct. c. 94. c. 70. c. 29.

[d] Niceph. hist. lib. 1. cap. 17. Suid. in histor. verb. Augustus. Cedrenus in comp. hist.

XXVI. CHRISTVS QVOMODO INNOTVISSE AVGVSTO POTVIT.

[e] Solin. Polyhist. c. 2.

[f] Isaiæ 45.

[g] Oros. hist. lib. 6. c. 18.

[h] Suet. in Oct. c. 95.

[i] Senec. lib. 1. natur. quæst. c. 2.

[k] Plin. nat. hist. lib. 2. c. 28.

[l] Dio hist. Ro. lib. 45.

A Addit insuper Dio, sequenti anno, Hircio & Pansa Coss. visum Solē intra tres circulos effulgere, quorū vnum corona spicarum ignita circumdaret: quæ tamen futuri Triumuiratus causa fuisse demonstrata putauit. Ipso primo anno Triumuiratus, Lepido & Planco Coss. tres Soles esse visos, post Plinium[a], idem Dio[b] testatur. Anno vero tertio (vt testis est Eusebius[c]) Romæ e taberna meritoria Transtiberim oleum e terra erupit, fluxitq toto die sine intermissione. Quo signo, inquit Orosius[d], quid euidentius, quàm in diebus Cæsaris toto Orbe regnātis futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur. Itaque cum eo tempore, quo Cæsari perpetua Tribunicia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit; sub principatu Cæsaris, Romanoq. Imperio per totum diem, hoc est, per omne Romani rempus Imperij, Christum, & ex eo Christianos, id est, vnctum, & ex eo vnctos, de meritoria taberna, B hoc est, de hospitali largaq. Ecclesia affluenteratque incessabiliter processuros, &c.] hæc Orosius. Meruit locus ille nobilissima memoria illustrari, ecclesia nimirum amplissima Dei genitricis titulo, a Callisto Pontifice, prima omnium, quarum extet memoria, olim erecta.

XXVIII. ALIA OSTENSA PRODIGIA.

[a] Plin. nat. hist. lib. 2. c. 31.
[b] Dio hist. Rom. lib. 47.
[c] Euseb. in chronic.
[d] Oros. hist. lib. 6. c. 20.

Habitabant Augusti tempore qui erant Romæ Iudæi Transtiberim (vt auctor est Philo[e]) permissi iure maiorum viuere: quod & Ethnici scriptores testantur; vnde vnus[f] ex ipsorum poetis Iudæum hominem, Transtiberinum ambulatorem, appellat, cum ait:

XXIX. IVDAEI ROMAE TRANSTIBERIM HABITABANT.

[e] Philo lib. de leg. ad Caium.
[f] Mart. epigr. lib. 1. in Cæcilium.

Hoc quod Transtiberinus ambulator,
Qui pallentia sulphurata fractis
Permutat vitreis.]

C Sed quamuis viles atque abiecti essent: tamen quoniam ex Iudæis salus ventura erat, regio, vbi degerent, eo meruit miraculo illustrari. Addit idem Orosius[g] alia id genus multa, quæ ab Augusto facta, ad ea quæ per Christum essent facienda, deducit: vt de tabulis debitorum ærarij exustis[h], de Iano clauso[i], deq. Augusti nomine illi indito octauo Idus Ianuarij, quo die Christus a Magis colitur Rex Iudæorum, vel a Patre & Spiritusancto accepit in Iordane de diuinitate testimonium: sed in his non immoramur. Corrigendi tamen ex his qui[illegible]imus, sunt illi, qui inconsulte nimis ea ipsa accidisse putarunt ipso Christi Domini nostri natali die.

[g] Oros. lib. 6. c. 20. 21. 22.
[h] Suet. in Oct. c. 32.
[i] Ibid. c. 22.

Venturus itaque in mundum Dei Filius, Verbum Patris, cuius generatio inenarrabilis[k], ex genere Abrahæ, ex tribu Iuda, & stirpe Dauid (quòd ante promiserat, ac sanctissimis viris Deo dignis sæpius reuelauerat) vt ex dispositione diuini consilij fuerat D ordinatum, delegit humanam carnem assumere, & similis nobis per omnia, absque peccato, homo fieri. Cuius genealogiam summatim[l] potius quàm gradatim per continuatam successionum omnium seriem descripserunt Euangelistæ, Matthæus[m] & Lucas[n], sed diuerso ordine. Vnde S. Augustinus in hanc sententiam hæc ait[o]: Ideo numerus generationum in Matthæo & Luca diuersus est, quia vterque sub diuersa Christi persona diuersam texit genealogiam. Matthæus quidem, quia regiam in Christo personam instituerat insinuare, naturales Christi ex Regibus Iudæorum generationes numerat. Lucas vero sacerdotalem in Christo personam ostendere volens, generationes adoptionis Christi percurrit.] hæc ille pluribus: eadem ante ipsum Hilarius[p], & postea Iulianus Toletanus[q], & alij. Cuius rei illud est argumentum, quòd Matthæus per Salomonem, Lucas vero per Nathan eiusdem Christi genealogiam describit: sicq. E admirabili quadam consentione, vtriusque vnctionis mysterium, regni scilicet ac sacerdotij, in vna eademq. persona Christi, qui regnum acciperet & sacerdotium, ac regale sacerdotium instituere, simul iungerent.

XXX. DE CHRISTI GENEALOGIA.

[k] Isai. 53.
[l] Epiph. in compend.
[m] Matth. 1.
[n] Luc. 3.
[o] Aug. de consensu Euangel. lib. 2. c. 3. 4.
[p] Hilar. can. 1. in Euangel. Matth.
[q] In l. cont. Iud. lib. 3.

Quod pertinet ad Dauidicam stirpem; ex ea progenitam esse sanctissimam Dei genitricem Mariam, apud omnes Catholicos in confesso est, id Prophetis[r], Angelis[s], Euangelistis[t] testantibus, id ipsum denique Iudæis impijs confitentibus. Cum enim Christum secundum carnem esse filium Dauid, ipsumq. ex beatissima Deipara humanam carnem sumpsisse, omnes quotquot vnquam fuerunt Catholici sint professi; plane & eamdem ex Dauidico stemmate esse progenitam, necesse est affirmare. Confirmant stabiliuntq. hac etiā ratione hoc idem Euangelistæ, dum texentes Christi genealogiam, Ioseph virum Mariæ e regia Dauidis stirpe originem ducere demonstrant. Cum certum exploratumq. habeatur, nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus

XXXI. CHRISTVS EX STIRPE DAVIDICA.

[r] Matth. 1. Luc. 1.
[s] Matth. 1. Luc. 1. 3. Matth. 22.
[t] Luc. 1. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Num. vlt.

bus feminam sibi matrimonio iungere licuisse, id iubente diuina Scriptura [a], atque dicente: Nubant quibus volunt, tantum vt suæ tribus hominibus; ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione sua: et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hereditas permaneat in familijs, nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant, vt a Deo separatæ sunt.] hæc lex diuina. Deducentes itaque Euangelistæ genus Ioseph ex Dauid, perinde est, ac si ex eodem principio Mariæ prosapiam deriuarent. Sed cur non potius Mariæ quàm Ioseph genealogias descripserint: ea suppetit certa ratio, quòd cum genealogiæ describerentur in publicis chartis; virorum, & non mulierum series texebatur. id cum innumeri fere sanctorum Patrum affirment; ex Iosepho [b] Iudæo historico, in his quæ scripsit aduersus Apionem, paruo negotio confirmatur, dum ait: Mittunt enim Hierosolymam conscribentes a patre nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, &c.] hæc ille de antiquis libris agens, in quibus genealogias conscriptas Hierosolymis summa diligentia asseruabant. Atque de his satis, quæ ad progeniem Dauid facere videbantur.

b Ioseph. contra Apion. lib. 1.

A

B

XXXII. EX GENERE ETIAM SACERDOTALI CHRISTVS.

Iam autem quod ad stirpem sacerdotalem attinet: communis est sanctorum Patrum consensus, Dei genitricem Mariam eo genere natam: cognatione quoque tunc temporis coniunctam fuisse generi sacerdotali, liquet testificatione Lucæ [c] Euangelistæ, Angelo apud eum ita loquente Mariæ: Ecce Elizabeth cognata tua, &c.] Cuius vero stirpis illa esset, quæ cognata Mariæ dicitur, antea idem Euangelista declarat, cum dicit: Vxor illius, *nempe Zachariæ*, de filiabus Aaron.] ex quibus intelligas admisceri solitam stirpem regiam cum genere sacerdotali. Nec est quod quis obijciat de tribubus non miscendis ex diuina lege superius recitata. Nam primo dicimus, peculiariter sacerdotali tribui esse concessum [d], vt cum regia stirpe posset inire nuptias: in exemplum adducentes Aaron [e], qui de tribu Iuda Elizabeth filiam Aminadab, sororem illius Naason, qui tribus Iudæ tunc princeps & dux erat, accepit: addunt & de Ioiada Pontifice maximo [f], qui filiam Ioram Regis Iudæ, sororem Ochoziæ, nomine Iosabeth, duxit in vxorem. His Patres omnes qui hæc tractant, ne laboremus singulos enumerare, assentiuntur.

c Luc. 1.

d Epiph. hæres. 78. & alij eum secuti.

e Exod. 6.

f 2. Paral. 22.

C

XXXIII. DE CONNVBIIS SACERDOTALIBVS.

At his addimus, quæ de connubijs sacerdotum scribit Philo [g] Iudæus vir disertissimus, qui res Iudaicas præ ceteris calluit: in libro enim, quem scripsit de Monarchia, hæc ait, loquens de summo Pontifice: Quin & de genere futurarum vxorum diligenter præscribitur, vt Pontifici spondeatur non solum virgo, sed sacerdotalis generis, vt sponsus sponsaq. gentiles sint, & quodammodo consanguinei, quo magis per totam vitam moribus conueniant. Ceteris conceditur, vt quamuis ipsi sacerdotes sint, possint tamen ducere non sacerdotum filias: siue quòd leue sit hoc piaculum, siue quòd non expediat plebem in totum submoueri a sacerdotum affinitatibus. Ideo licitum est sacerdotibus huiusmodi connubium, vt cognationi proximum: nam generi loco filiorum sunt soceris, & hi loco parentum sunt generis.] hæc de coniugio & cura procreandi liberos Philo, secundum eam quæ suo tempore vigebat apud Iudæos consuetudinem. Porro Christi sæculo vixisse Philonem, ex suis ipsius scriptis liquido apparet. Ex his igitur cum demonstratum sit, excepto summo Pontifice, cui ineundum esset coniugium cum stirpe sua, reliquis sacerdotibus licuisse vxorem ducere ex ceteris tribubus: quantumlibet de Zacharia constet [h], ex filiabus Aaron accepisse vxorem Elizabeth: non tamen dicimus fuisse summum Pontificem, sed potius vnum ex sacerdotibus de vice Abia: quam quidem sententiam paulo inferius firmissimis probatam attestatamq. rationibus ostendemus.

g Philo lib. 2. de Monarchia.

h Luc. 1.

D

E

XXXIIII. DE NOMINE HELI DVBITATIO.

Sed quod ad Christi genealogiam per Euangelistas monumentis & litteris commissam spectat; non est quod quis adeo miretur, si quem Matthæus nominat Iacob, parentem Ioseph, Lucas eumdem appellet Heli. Vetus dubitatio, & antiqua est ista quæstio, de qua Africanus Theologorum antiquissimus æque ac disertissimus, in epistola, quam scripsit ad Aristidem [i], longam de Christi genealogia disputationem inferens, hæc habet in fine: Vterini, inquit, erant fratres Heli & Iacob: Heli absque prole decedente, Iacob illi semen suscitauit, & genuit Ioseph, qui natura filius eius erat, lege vero Heli: ita vtriusque filius erat Ioseph.] hæc Africanus: cui Hieronymus [k] ac ceteri antiquorum Patrum mira consensione adstipulati sunt; quibus & nos magis tribuimus

i Apud Euseb. hist. lib. 1. c. 9.

k Hier. in Mat. 1. & alij.

A buimus, quàm recentioribus [a] quibusdam, qui Heli eumdē putant esse & Ioachim dictum, ac patrem Virginis Mariæ, socerum Ioseph, patremq. eius, quòd (sicut diximus ex Philone) generi loco filiorum haberentur: quamuis liber inscriptus, Philo de Temporibus, testetur, penes Assyrios & Ægyptios Heli, Heliachim, & Ioachim esse synonyma. Ista sunt, quæ de Christi genealogia ad veritatem historicam pertinere existimamus; cetera interpretibus relinquentes, memores instituti, nos non horum, sed historicorum fungi munere.

a Lucid. de emē dat. temp. & alij eum secuti.

XXXV. DE CHRISTI GENEALOGIA MENDACIA REFELLVNTVR.

Ex his dictis refelluntur, quæ impius Iulianus Apostata [b] in Christū tam falso, quàm impudenter effutijt, ipsum non esse ex tribu Iuda progenitum; & quæ eiusdem impietatis farinæ Faustus Manichæus [c] delirans dixit, Dei genitricem Mariam ex tribu Leui originem ducere. Sed neque illud omittendum, olim Gnosticos (quod & proxime dicturi sumus) portentosum librum quemdā confinxisse de stirpe Mariæ: in quos summo

B iure acerrime S. Epiphanius [d] inuehitur. Ad hæc insuper dicimus, Iudæos rebus Christianorum insensissimos de Christi genealogia multa solitos esse garrire; cuius rei exēplum Hieronymus [e] narrat his verbis: Audiui ego quemdam de Hebræis, qui se Romæ in Christum credidisse simulabat, de genealogijs Domini nostri Iesu Christi, quæ scripta sunt in Matthæo & Luca, facere quæstionem: quòd videlicet a Salomone vsque ad Ioseph, nec numero sibi, nec vocabulorum æqualitate consentiant: qui cum corda simplicium peruertisset, quasi ex adytis & oraculo deferebat quasdam, vt sibi videbatur, solutiones, &c.]

b Apud Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iul.

c Apud August. contra Faustū lib. 23. cap. 5.

d Epiph. hæres. 20.

e Hier. commēt. in epist. ad Tit. lib. 1. c. 3.

XXXVI. DE THEODOSII IVDAEI IMPOSTVRA.

Sed parua sunt hæc, si cum ceteris conferantur, quæ Theodosius Iudæorum princeps temporibus Iustiniani Imperatoris, de sacerdotum genealogia, & Christi sacerdotio

C effinxit, multosq. decepit. Quam quidem imposturam a Suida [f] recitatam, ac nimis temere comprobatam, cum ab omnibus impugnetur, contineatq. aperta mendacia Euangelicæ veritati palam obuiantia, confutare omittimus. Vnum tantum euertemus fundamentum, super quo tota fabula innititur, dum viginti duos tantum sacerdotes in templo ministrasse historia tradit: nam Iosephus [g] Iudæus, qui illis fere vixit temporibus, de numero sacerdotum longe aliter sensit ac testatur: nimirum vigintiquatuor fuisse sacerdotum vices, quarum singulæ habebant hominum plusquam quinque millia, qui statis diebus ministrarent in templo. Sane quidem ad septingentos sacerdotes ministrare quotidie in templo solitos esse cædendo victimas, insuper & ingentem fuisse multitudinem offerentium libamina, tradit Aristæas in historia quam scripsit de Septuagintaduobus interpretibus. Verum quod spectat ad prædictam fabulam; non

D fuit nouum inuentum prædicti Theodosij, quod scribit de obstetrice Deiparæ virginitatis exploratrice. Nam Clemens Alexandrinus septimo Stromatum testatur hæc eadem a quibusdam suo tempore iactari: sed hæc ex apocryphorum insomnijs.

f Suid. in hist. verb. Iesus Christus.

g Ioseph. lib. 2. contra Apion. et in vita sua, in princip.

XXXVII.

Quomodo autem codices de genealogijs Iudæorum conscripti, Herodis Regis iussu periclitati sint, Eusebius [h] hunc in modum rem gestam conscribit: Cum, inquit, familiæ, non Hebræorum solum, verum etiam eorum qui vsque ad proselytos genus suum referebant, vt ad Achior Amanitē, & Ruth Moabitidem, qui ex Ægypto elapsi, commiscebantur cum Israelitis, ad illud tempus scriptis proditæ, in tabularijs seruarentur: Herodes, quoniam illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilq. ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, suæ ignobilitatis & obscuri generis conscientia exagitatus, annales illos de genere & familiarum antiquitate incendit: ar-

E bitratus se nobilem visum iri, cum nemo suum genus ex publicis illis monumentis depromptum, ad Patriarchas, vel ad proselytos, vel ad eos qui γειώρας, id est, terræ incolæ, qui cum Israelitis permiscebantur, vocati sunt, omnino posset reducere. Erant tamen nonnulli antiquitatis replicandæ studiosi, qui nomina auitæ stirpis vel tenentes memoria, vel ex scriptis annalibus promentes, priuatim sibi indices eorum conficiebant: magnopereq. propterea gloriabantur, quòd ipsorum nobilitas ita foret ad posteritatem reseruata. Inter quos erant, tum qui propter generis cognationem, quo Christo Saluatori coniungebantur, ex Domini tribu & familia orti, δεσπόσυνοι nuncupati sunt: tum qui ex Nazaris & Cochaba Iudæorū pagis prognati, in reliquas Iudææ partes commearunt: istamq. genealogiam a nobis supra commemoratam, ab Euangelistis conscriptam, partim ex libro annalium, siue dierum, sumentes, partim complectentes memoria, aperte, quoad poterant, explanarunt, &c.] hæc Eusebius: quibus plane

h Euseb. lib. 1. cap. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

contraria, quod saltem ad genus spectat sacer dotale, scribit Iosephus[a], dum agens contra Apionem, inuiolatas duorum millium annorum apud Iudæos remanere sacerdotum genealogias, easdemq. ex antiquis libris iterum nouas esse descriptas dicit. Sane quidem, quod pertinet ad genus Dauid, magna incessit Domitiànum Imperatorem libido, vt de ea stirpe, si qui superessent, mandaret inquiri, vt omnes e medio tolleret, quòd vetus fama esset, ex eo genere nasciturũ Regem, qui cunctis gentibus dominaretur. Scribit hæc Hegesippus[b], & nos de his suo loco pluribus acturi sumus inferius. Iã cetera, quæ præcesserunt Christi Saluatoris aduentũ, ex instituto prosequamur, atque in primis de Dei genitricis parentibus, eiusdẽq. cælo terraq. celeberrimo natali.

[a] Ioseph. lib. 1. contra Apionem

[b] Apud Euseb. lib. 3. c. 15.

XXXVIII. DE SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS PARENTIBVS.

Satis sibi esse putarunt Euangelistæ, quod promissum patribus antiquitus erat, Dei Filium vnigenitum ex genere Abrahæ, ex tribu Iuda, progenie Dauid, atque ex ipsa sanctissima Virgine Maria, secundum inscrutabile diuinum consilium, humanam sibi sumpsisse carnem, testatum relinquere, ad ipsius Christi facta, cuius causa opus susceperant, enarranda, tantum intenti. Ceterum non adeo obscura remansit de Mariæ parentibus historia, quam tum scriptis, tum etiam traditionibus consignatam fuisse, auctor est Epiphanius[c], dum ait: Tametsi enim historia Mariæ, & traditiones habent, quòd dictum est patri ipsius Ioachim in deserto: Vxor tua concepit: tamen non quòd sine coniugio hoc factum, neque sine semine viri, &c.] Porro integra ipsa historia excidisse videtur, ex eaq. tantummodo hinc inde sparsa remansisse fragmenta: quæ etsi deessent, satis esse deberet pijs hominibus ipsa traditio, cuius idem meminit Epiphanius. Quod enim, inquit Augustinus[d], vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est: nonnisi Apostolica auctoritate traditum, rectissime creditur.] Quod igitur Orientalis, quod Occidentalis semper prædicauit Ecclesia, in dubium vsque adeo reuocare, summæ esse dementiæ, non est qui non satis intelligat.

[c] Epiph. aduers. Collyrid. hæresi 79.

[d] Aug. de bapt. contra Donatist. lib. 4. c. 24.

XXXIX. REFELLVNTVR COMMENTICIA DE GENERE S. MARIAE.

Nos interim spurijs, quæ de parentibus sanctissimæ Deiparæ aliquando fuere scripta, reiectis, quæ de vera historia supersunt fragmenta colligentes, ac ea simul iungentes, vt licuerit, contexemus. Execrandum (quod diximus) de stirpe Mariæ olim a Gnosticis, scelestissimis omnium hæreticorum, fuisse excogitatum figmentum, Epiphanius[e] aduersus ipsos agens, testis est, dum his vtitur verbis: Stirpem quoque Mariæ, librum quemdam esse dicunt, in quo horrenda quædam ac pernicioſa exprimentes, referunt, &c.] moxq. subdit fabulam ex eodem libro petitam, de homine formam asini habente, qui Zachariæ in templo thus adolenti apparuit. Eiusdem quoque argumenti de Mariæ ortu a Seleuco Manichæo insana ac delira quædam esse commenta, incertus auctor[f], licet Hieronymus hactenus existimatus fuerit, eiusq. nomine opus illud editum reperiatur, affirmat, ac iure quidem. Non enim aliunde Faustus[g], & ipse Manichæus, suos quos scripsit, mutuatus videtur errores de Maria Virgine, quòd fuerit ex Leuitica stirpe, quàm a Seleuco consodali, egregio mendaciorum concinnatore, qui & de Apostolorũ rebus veritari pugnantia multa habuit: nominat vero eum S. Augustinus[h] Leucium, quem procul reijcit. Eiusdem generis & existimationis habentur, quæ ex pseudoeuangelio Iacobo attributo leguntur, quæ a nostris chartis procul repellimus. Proferunt etiam nonnulli[i] ex antiquo Rabbino, nomine Hæccados, summæ apud Iudæos auctoritatis viro, historiam quamdam de parentibus Virginis, eiusq. natali, prophetice scriptam ad quemdam Antoninum Romanum Consulem: sed cum ante Christi aduentum nullus eius nominis reperiatur Consul Fastis adscriptus; eam esse commenticiam, facile existimamus, sicut & alia id genus, quæ referre omittimus.

[e] Epiph. aduers. Gnost. hæres 26.

[f] Apud Hieron. tom. 9. lib. de Nat. S. Mariæ.

[g] Apud Aug. contra Faust. lib. 23. c. 9.

[h] Aug. lib. de fide contra Manich. c. 38.

[i] Galatin. lib. reuelat. arcan. & alij eum secuti.

XL. Magna quidem & per omnia admiranda, quæ nec verbis satis digne persequi vlli possint, præcessisse natalem Dei genitricis Mariæ, non puto adeo angusti pectoris & emotæ mentis reperiri hominem, qui non intelligat; si mente reuoluat, atque animo expendat, tot tantaq. seruis Dei ante ipsorum ortum impartita diuinitus priuilegia. Quis enim apud se repetens, quæ Sampsonis, Samuelis, Hieremiæ, & Ioannis Baptistæ natalitia præcesserunt, mox non firmiter credat, non tantum illis non caruisse Dei genitricem Mariam, sed longe amplioribus, augustioribus q. ornatam, auctamq. esse muneribus? ac quis abiecte nimis, atque adeo humiliter de Deo sentiens, eum plura atque maiora elargitum esse seruis quàm matri, & amico sponsi quàm sponsæ, mente captus dixerit? Sed iam quid de his a Patribus scriptum reperiatur, adducamus in medium.

[k] Apud Niceph. lib. 2. c. 7

XLI. De S. Anna, Dei genitricis matre, eiusq. sororibus, earũdemq. sobole, hæc Hippolytus[k] martyr:

martyr: Tres fuere sorores Bethlehemiticæ, filiæ Mathan sacerdotis, & Mariæ coniugis eius, sub Cleopatræ & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatris filij regnũ: primæ Mariæ, secundæ Sobe, tertiæ Annæ, nomen erat. Nupsit prima in Bethlehem Maria, & peperit Salomen obstetricem: Nupsit quoque secunda itidem in Bethlehem, Sobe, & genuit Elizabeth: Nupsit postremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis natus est Christus.] hæc Hippolytus. Ex his & alijs refellitur illorũ sententia, qui dixerunt S. Annam tertio nuptam, & singulas ex singulis viris genuisse filias; vel eorum, qui conati sunt asserere, ex eodem viro Ioachim tres peperisse filias, nulla alia adducti ratione, nisi quòd in Euangelio[a] mentio habeatur de eiusdem Dei genitricis sorore Maria Cleophæ; eamdemq. putarunt progenitã Salome, cuius meminit Marcus[b]. Sed cum de his alij aliter senserint, penes prudentem lectorem sit iudicium. Nam si, cum in diuinis Scripturis sorores nominatas inuenerint, velint hi germanas intelligere, in porteatosos eos labi errores necesse est; cum apud Matthæum[c], & Marcum[d], Christi sorores & fratres nominentur, dicentibus conciuibus suis: Nonne & sorores eius apud nos sunt?] quas quidem nullus vmquam Catholicus ex Deipara Virgine natas, vt horrendum nefas, vel cogitare præsumpserit. Porro fratrum & sororum nomine, sæpe in diuinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi, apertissimum est: nec enim quis dixerit esse mentitum Abraham, cum Saram vxorem sororis nomine nuncupauit. Vniuirã vero fuisse Annam, nec post obduratam sterilitatem, ex voto conceptam, repromissione obtentam, susceptamq. in senectute filiam, alios nouisse partus, tam veteres quàm recẽtiores Orthodoxi Patres sunt professi.

DE SANCTA ANNA MATRE S. MARIAE.

[a] Ioan. 19.

[b] Matth. 15.

[c] Matth. 13.

[d] Marc. 6.

Sed vt ad rem redeamus: præter illa quæ de S. Annæ genere ex Hippolyto recitauimus, Germanus Episcopus Constantinopolitanus hæc de eius stirpe summatim colligens, eam natam esse dicit ex genere sacerdotali, tribu Aaronica, radice prophetica, & regia Dauid & Salomonis, & eorum qui deinceps fuere. Quod ad Ioachim eius viri spectat genealogiam, S. Ioannes Damascenus[e] his verbis eam nobis testatã reliquit: Ex stirpe Dauid, Leui genuit Melchi & Pantheren: Panther autem genuit Barpantheren; nã ita vocabatur: Barpanther rursum genuit Ioachim: Ioachim denique genuit sanctã Dei genitricem.] hæc quo ad stirpem Ioachim. At Epiphanius[f] Iacob cognominatũ fuisse Pantheren, genitum patre Panthere, & ex prædicto Iacob genitum Ioseph esse vult. Iterum autem Ioannes Damascenus adtulit hæc de genere Ioseph: Rursus ex stirpe Salomonis filij Dauid, ex vxore sua Mathan genuit Iacob. Mortuo autem Mathan, Melchi ex tribu Nathan, filius Leui, ac frater Pantheris vxorem ipsius Mathan, quæ etiam Iacobi mater erat, sibi matrimonio copulauit, atque ex ea genuit Heli. Ita vterini fratres erant Iacob & Heli, ille nimirum ex tribu Salomonis, hic ex tribu Nathan oriundus. Porro Heli, qui ex tribu Nathan erat, nullis liberis susceptis e vita migrauit: ea de causa Iacob ipsius frater semen excitauit, ac Ioseph progenuit. Ioseph quidẽ natura filius Iacob erat a Salomone oriundus: legis autem ratione patrem habebat Heli, ex Nathan prouenientem. Quæ cum ita sint, Ioachim selectissimam illam, ac summis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio sibi copulauit. Verum quemadmodum prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret, per orationem ac promissionem Samuelem procreauit; eo modo hæc etiam per obsecrationem & promissionem Dei genitricem a Deo accepit; vt ne hic quidem cuiquam ex illustribus matronis cederet. Itaque gratia (nam & id sonat Annæ vocabulum) Dominam parit; id enim Mariæ nomine significatur.] hæc Damascenus.

XLII. DE IOACHIM ANNAE MARITO.

[e] Ioan. Damasc. de fide Orthod. lib. 4. c. 15.

[f] Epiph. hæres. 78. aduers. Antidicomar.

Sed melius ac dilucidius Epiphanius[g], qui claruit tẽporibus Constantij Imperatoris: agens quippe aduersus Collyridianos hæreticos, qui Dei genitricem Mariam humanæ naturæ prorsus expertem, ac diuinæ tantum participem fuisse dicebant, ad illos conuincendos hæc ait: Genita est ab Anna, & ex Ioachim donata est Annæ: quæ & per preces & omnem diligentiam, secundum promissionem patri ac matri data est: non tamen aliter genita præter humanam naturã, sed sicut omnes, ex semine viri, & vtero mulieris. Tametsi enim historiæ Mariæ traditiones habent, quòd dictum est patri ipsius Ioachim in deserto: Vxor tua concepit: tamen non quòd sine coniugio hoc factũ, neque sine semine viri, sed futurũ Angelus missus præuaticinatus est, vt ne qua hæsitatio fieret propter id quod in veritate factũ est, & iam ex Deo ordinatũ, & iusto promissum.] hæc Epiphanius Iudaicarum rerũ antiquarum accuratissimus inuestigator, probatusq. assertor.

XLIII. PROGENIES MARIAE.

[g] Epiph. hæres 79. aduers. Collyrid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XLIV. Gregorius vero Nyssenus[a], qui licet ætate iunior, eodem tamen sæculo claruit, rem gestam hisce describit: Audiui, inquit, arcanam & occultam quamdam historiam, tales de ea prodentem narrationes. Insignis quidam in illa exacta secundum legem viuendi ratione, & nobilis propter summam virtutem pater Virginis erat: sed expers sobolis consenescebat, propterea quòd coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset: habebatur autem matribus a lege quidam honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea, quæ de matre Samuelis narrantur; & Sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio priuetur, quæ nihil in legem peccasset, sed vt mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret: confirmata autem nutu diuino, donum quod petijt accepit. Cum autem nata esset puella, nomen quidem imposuit ei Mariam, vt etiam per nomen impositum, diuinitus datum munus significaretur.] hæc de his, quæ ad natale Virginis spectant, Nyssenus: de ceteris autem quæ subdit, agemus inferius: eadem ceteri Patres, qui de ea tractationem instituerunt. Nec innitimur scriptioni illi, quæ hactenus Hieronymi[b] nomine ad Cromatiũ & Heliodorũ scripta vulgata est: nam licet in ea complura veritate constantia conscripta reperiantur, quæ a dictis auctoribus sibi vendicent auctoritatem & fidem; tamen non tantum eam Hieronymi non esse dixerimus, sed auctoris plane vt ignoti, sic prorsus imperiti, qui in ea condenda & conscribenda non nouit aperta vitare mendacia, dum ait illis temporibus, quibus ea acciderunt, fuisse Isachar summum Pontificem: cum clarius ipsa luce habeatur notum, tunc temporis post Hyrcanum Ananelo ab Herode traditum Pontificium, inde Aristobulo, & iterum Ananelo, Iesu Fabeti post eum, inde Simoni, Anano postea, ac demum ceteris, quos per successionem Iosephus[c] singulatim recenset; inter quos, vsque ad cladem Hierosolymorum per Titum illatam, nullus eius nominis reperitur institutus Pontifex.

DE EADEM S. ANNA.

[a] Greg. Nyssen. orat. in natal. Domini.

[b] Apud Hieron. tom. 9.

[c] Ioseph. antiq. lib. 15. 16. 17. & de bell. Iud. lib. 1. & seq.

Sed ad Epiphanium redeamus, qui vnus instar omnium nobis est: hic in luculenta oratione illa, quam habuit de laudibus Mariæ Virginis[d], hæc de eius parentibus atque natali: Huius, ait, parentes fuerunt Ioachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt, atque etiam fructum huiusmodi germinarunt, sanctam Virginem Mariam, templum simul & matrem Dei. Ioachim porro, Anna, & Maria, hi tres Trinitati palam sacrificium laudis offerebant. Ioachim enim interpretatur præparatio Domini, eo quòd ex illo præparatum sit templum Domini, nempe Virgo. Anna rursum similiter gratia interpretatur, propterea quòd Ioachim & Anna gratiam acceperunt, vt accedentibus precibus, talem fructum germinarent, sanctam Virginem adepti: Ioachim siquidem precabatur in monte, Anna in horto suo. Anna vero grauida effecta, cælum & thronum Cherubicum peperit sanctam puellam Mariam. Illa enim reperitur esse cælum, templum, & thronus: quia Mariam interpretari solemus Dominam, &c.] plura id genus habet Ioannes Damascenus, Andreas Cretensis, Germanus Episcopus, & alij recentiores. Sed in his, ad rerum gestarum seriem enarrandam intenti, non immoramur.

XLV.

[d] Extat tom. 7. Biblioth. sanct. a Mar. collect.

XLVI. Verum antea monemus, ne alicui inferat scrupulum, si Augustinus[e] agens contra Faustum Manichæum, excipiat non esse canonicum librum illum, quem in testimonium adducebat de Ioachim, quòd esset ex tribu Leui sacerdos, & non ex tribu Iuda: nam illum plane diuersum esse ab his quæ de eodem sunt superius enarrata, liquido constat. Sed audiamus verba ipsius: Quod de generatione Mariæ Faustus posuit, quòd patrem habuerit ex tribu Leui sacerdotem quemdam nomine Ioachim: quia canonicum non est, non me constringit: sed etiam si hoc crederem, ipsum potius Ioachim dicerem aliquo modo ad Dauid sanguinem pertinuisse, & aliquo modo ex tribu Iuda in tribum Leui fuisse adoptatum, &c.] hæc & alia ibi Augustinus, excipiens de libro non canonico, vt sic eludat Fausti argumentationem, ne aliquo modo cogeretur asserere non ex Dauid, sed tribu Leui descendisse Mariam, quod ille amens nitebatur astruere. Iam vero reliquum est, vt cognitis his quæ præcesserunt natalem Dei genitricis Mariæ; quo potissimum ipsa nata sit anno, certis quibus licet argumentis inuestigemus.

[e] Aug. contra Faust. lib. 23. cap. 8.

XLVII. Si fidem adhibendam esse putamus Nicephoro[f], dum ex Euodio Episcopo Antiocheno Apostolorum successore fragmentum, quod recitat, se accepisse dicit ex eius epistola quadam, cui titulus, Lumen, inscribebatur: perfacile erit annum natalis Dei genitri-

[f] Nicep. hist. lib. 2. c. 3.

A genitricis Fastis adscribere: quippe qui testetur anno decimo quinto suæ ætatis eam Christum Dominum peperisse. Reddam ipsa verba, quæ Euodij esse dicit: Trimula, inquit, cum esset, in templum præsentata, ibi in Sanctis sanctorum traduxit annos vndecim: deinde vero sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita; apud quem cum menses peregisset quatuor, ab Angelo lætum illud accepit nuncium. Peperit autem huius mundi lucem, annum agens quindecimũ, vigesima quinta die mensis Decembris.] hæc Euodius apud Nicephorum. Quod quidem scriptum alicui antiquorum innotuisse, nondum reperimus. Verumtamen vt ab hac sententia non recedamus, tum aliorum auctoritas, tum ratio persuadet. Neminem veterum adhuc inuenimus, qui aliam de ætate Virginis, cum peperit Christum, sententiam sit affirmare conatus. Suadet, inquam, hæc ratio: quòd vigebat tunc ea apud Iudæos consuetudo,
B cum filiæ ipsorum adultæ essent, eas nuptui tradere; vertebaturq. ignominiæ, si quis aliter faceret, & postquam adulta esset, expectaret vt esset superadulta. In quam sententiam Paulus Apostolus[a]: Si quis, inquit, turpem se videri existimat super virginem suã, quòd sit superadulta, & ita oporteat fieri; quod vult, faciat.]

DE S. MARIA IN TEMPLO PRÆSENTATA.

[a] 1. Cor. 7.

Ex his igitur dicere necesse est, incidisse sacratissimum diem natalem Dei genitricis Mariæ sub Consulatu Furnij Neporis & Iunij Silani, anno ab Vrbe condita septingentesimo trigesimo septimo[b], Augusti Imp. a Triumuiratu vigesimo sexto, Olympiade centesima nonagesima[c], anno tertio: nam Christum Dominum natum esse sub Consulatu Lentuli & Messalini, suo loco demonstrabimus. Ac subinde refelluntur[d], qui post sequentem annum, sub Consulatu Liuij & Pisonis, eam ortam esse tradunt. Natam ferunt Nazareth: eamdemq. trimulam, quod parentes vouerant, in templũ allatam,
C ac Deo oblatam, vndecim illic egisse annos, ijdem, quos iam retulimus, auctores testantur, nimirum Euodius[e], Gregorius Nyssenus[f], Ioannes Damascenus[g], Germanus Episcopus Constantinopolitanus[h], Andreas Cretensis[i], Georgius Episcopus Nicomediæ[k], & alij[l], a quibus nullum Orthodoxorum dissensisse hactenus, sed nouatoribus tantum nostri temporis displicuisse, cognouimus. Sed æqua lance primum cuncta expendamus, videamusq. si quid sit impedimento, quo minus hæc vera esse possint.

XLVIII.

[b] Secundũ supput. Dionys.

[c] Secundũ supput. Euseb. aliter Ioseph.

[d] Mar. Scot. in chron. & alij eum secuti.

[e] Euod. apud Niceph. hist. lib. 2. c. 3.

[f] Greg. Nyss. oratione de S. Christi nat.

[g] Io. Damasc. de Orthod. fid. c. 13.

Satis scimus, lege diuina[m] tam de masculis quàm feminis Deo dicatis, votoq. promissis, statutam esse redemptionem, quot per annos singulos quisque siclos persolueret sacerdotibus. Porro huiusmodi redemptionem fuisse liberam, & ex arbitrio vouentis, si
D vellet potius in templo seruire Deo, quàm annuam pecuniam soluere, satis Samuelis[n] exemplum demonstrat, qui a tenerrima ætate ministrauit in templo, nullo a parentibus persoluto pretio redemptionis. Cum itaque diuina lex nemini vouenti redimendi necessitatem imposuerit; vouentis arbitrio, vel in templo ministrare, vel censum persoluere, relictum esse, manifeste apparet. ex quibus inferimus, necesse fuisse locum in templo esse, vbi feminæ, quæ se Deo vouerant, absque aliqua nota vel labe suspicionis simul agerent.

XLIX. REDEMPTIO LIBERA.

[h] Ger. ser. de præsen.

[i] Andr. Creten. serm. de S. Deipara.

[k] Georg. ser. de præsen.

[l] Cedren. in comp. hist. & alij recent. historici.

[m] Leuit. 27.

Porro & qui structuram templi considerat, diuersoria ad hoc opus valde accommodata in eo fuisse animaduertet. Nam (quod exacte describit Iosephus[o]) Salomon in circuitu templi constituxit in primis in inferiori loco triginta cellas, quæ inter se constipatæ externe parietes templi fulciebant, erantq. inter se peruiæ, & patebant singulæ in longum vigintiquinque cubitos, ac totidem in latum, & viginti cubitis attollebantur. Super has alia series cellarum erat extructa, super quas rursus aliæ, omnes inter se
E numero & amplitudine pares, ita vt coniunctæ inferius æquarent ædificium altitudine; nam superius non erat circumædificatum. fuerunt autem omnes cedro contectæ, erãtq. omnes simul numero nonaginta. Hæc vero etsi de templo a Salomone constructo scribat Iosephus: tamen quod sub Zerobabel fuit restitutũ, etsi prioris templi non æquaret altitudinem, nihilominus ad instar illius esse constructum, docent[p] diuinæ litteræ: ac illud demum quod ab Herode Rege fuit excitatum, æqualis priori illi altitudinis & amplitudinis fuisse, eiusdem Iosephi[q] testimonio comprobatur. In his ergo, quas diximus, nonaginta amplissimis cellis, non solum feminas Deo voti causa oblatas, sed alias insuper diuersi ordinis personas separatim degere potuisse, nullum puto rationis participem dubitare.

L. DE TEMPLI STRVCTVRA.

[n] 1. Reg. 1.

[o] Ioseph. antiq. lib. 8. c. 2.

[p] 1. Esdr. 3.

[q] Ioseph. lib. 15. antiq. c. 14. & De bello Iud. lib. 6. c. 6.

At vero nullatenus placet, quod nonnulli putarunt, locum illum in interiori templo,

Universidad de Deusto
Biblioteca

muro discretum, quo feminæ, tam indigenæ, quàm peregrinæ, orationis causa conuenirent, fuisse ipsarum habitationem: nam ex his quæ idem scribit Iosephus[a], liquido constat, locum illum precum officio fuisse tantummodo adscriptum, dum hæc ait de interiori templo, a quo alienigenæ excludebantur: Necessario namque proprius locus religionis causa mulieribus destinatus, muro discernebatur: altera quoque porta opus fuisse videbatur. Contra primam vero secreta erat, ex alijs regionibus vna porta meridiana, & vna septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat: sed nec suam portam, interiecto muro, transgredi licebat: patebat enim locus ille pariter indigenis & hospitibus feminis, religionis causa venientibus.] hæc Iosephus. At quomodo dixerimus illic feminas habitasse, & quæ sunt necessaria ad victum ibidem sibi parasse, cum illuc nec vas inferre, nec comedere fas fuisse, idem Iosephus[b] scribens contra Apionem testetur? Erat ergo locus ille intra templum orationis causa discretus, & non habitationis, sicut & Origenes[c] de virginibus testatur, seorsum a nuptis in templo orare consueuisse; eoq. accedere solitam Dei genitricem Mariam, etiam postquam peperit Christum, affirmat: cui adstipulatur Cyrillus Alexandrinus[d], agens aduersus Anthropomorphitas, & alij[e]: sed nihil ad rem nostram, qui de loco habitationis, & non orationis, in præsentia agimus.

a Ioseph. de bell. Iud. lib. 6. c. 6. LOCVS ORATIONIS FEMINARVM IN TEMPLO.

b Ioseph. contra Apion. lib. 2. c Orig. in Mat. tract. 24. d Cyrill. aduers. Anthrop. c. 27. e Theophylact. in Matth. c. 23. & recentiores.

LII. IN ECCLESIA DISTINCTAE FEMINAE A VIRIS.

Perseuerauit aliquandiu & in Ecclesia laudabilis vsus, vt seorsum a viris feminæ conuenirent in ecclesia, necnon seorsum ab alijs virgines orantes consisterent. Habes id in primis egregie expressum a Philone de Essenis, seu (quod mauult Hieronymus) de Christianis apud Alexandriam habitantibus; hæc dilucidius apud Clementem[f], Gregorium Nazianzenum[g], & Ambrosium[h]. Sed nec adeo facile admittimus, quod Origenes, ac ceteri præfati auctores testantur, Dei genitricem Mariam post contractas nuptias, in templo seorsum a nuptis orare voluisse cum virginibus. sed de his alias pluribus, cum agemus inferius de nece Zachariæ. Atque vt vnde digressi sumus, eodem reuertamur: iam satis monstratū est superius, in exteriori parte templi exædificatas fuisse amplissimas cellas, ad habitationem aptas & accommodatas; vt iam nulla de ea re possit oriri quæstio. Quod ergo reliquum est, videamus an exemplo aliquo & auctoritate diuinarum Scripturarum ostendi possit, in aliqua templi parte habitasse aliquando feminas.

f Clem. constit. lib. 2. c. 61. g Greg. Nazianzen. in somnio de Anastasia. h Ambros. ad virg. lapsam. c. 6.

LIII.

Quod in primis occurrit: Iosaba[i] filia Regis Ioram clam subtraxit e gladio Athaliæ in necem filiorum Ochoziæ debacchantis, Ioas filium dicti Regis; quem vna cum nutrice in templum adductum, ibidem per sex annorum spatium enutriuit, quousque palam factum perduxit ad regnum. Insuper habetur in Exodo[k], a Moyse factum labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Qui illum locum sunt interpretati[l], fuisse dicunt mulieres, quæ sæculi pompæ atque delicijs renunciantes, sese vna cum suis rebus, his præsertim quæ essent peccatorum illecebræ, ministerijs Domini mancipantes, assiduis intentæ precibus excubarent ad ostium tabernaculi: quod quidem pietatis officium, extructo postmodum templo, non tantum non cessasse, sed magnifice auctum, par est credere. Ex harum numero fuisse Annam Prophetissam, filiam Phanuel, existimant; de qua scribit Lucas[m] Euangelista, quòd annos octoginta quatuor nata, iam vidua ab adolescentia sua, cum vixisset cum marito septem tantum annis, vacans precibus die ac nocte, non discedebat de templo. Mentio habetur & in libris Machabæorum[n] de reclusis virginibus in templo, quæ procurrebant ad Oniam summum Pontificem. De his S. Ambrosius[o], cum de virginibus agit, his verbis meminit: Etiam templo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, vt essent indicia futurorum: figura enim in paucis est, vita in pluribus.] hæc Ambrosius. Ex his omnibus tam ex diuinis Scripturis quàm ex sanctis Patribus depromptis veritatis oraculis, satis clarum redditur atque perspectum, non tantum quicquam obstare, quo minus ea quæ dicti auctores de præsentatione & mansione Dei genitricis in templo dixere, sint vera, sed eidem historiæ omnia summopere suffragari, eamdemq. firmius stabilire. At quoniam in his diutius immorari, instituti ratio non patitur; semel cœptam de Dei genitrice Maria prosequamur historiam.

i 4. Reg. 11. k Exod. 38. l Collegit omnes Canis. lib. 1. de Maria Deipara c. 12. HABITATIO FEMINARVM IN TEMPLO. m Luc. 2. n Mach. lib. 2. c. 3. o Ambros. lib. 1. de virg.

LIV.

Cum iam ætatis annum attigisset decimum quintum; de maritando eam, inter sacerdotes initur consilium. Qui enim Deo deuoti erant homines, nubebant statuto tempore

tempore, vt de Samuele & ipso in templo oblato scimus contigisse: certum enim exploratumq. habetur, ipsum vxorem duxisse, ac liberos suscepisse. Deligitur in maritum Virginis vir iustus Ioseph, eius contribulis, ex stirpe Dauid oriundus, sed opificio faber. Neque enim ad pecuniam, neque ad honores inspicere, sed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptijs penes Iudæos fuisse consuetudinem, testatur Iosephus[a], cum agit de matrimonijs sacerdotum: vt non mireris, si viro fabrilis artis, sacerdotum consilio, quorum esset officium, de his quæ semel Deo essent oblata, disponere, nuptui traditam audias. Sed hæc cum agerent illi, diuina tamen prouidentia mariti nomine fidissimus custos & testis Mariæ virginitatis integerrimus parabatur. Rem gestam ijdem qui supra citati[b] auctores enarrant.

S. MARIA VIRGO DESPONSATVR. a Ioseph. contra Apion. lib. 1. b Gregor. Nyss. orat. de sancta Christi natiu. & alij.

LV.

B Sic autem desponsata Virgo parentibus redditur, qui eam domum reducant, & quæ ad futuras nuptias sunt necessaria præparent. Erant sponsalia eiusmodi apud Hebræos non minoris momenti, quàm ipsæ nuptiæ, vt auctor est Philo[c]: siquidem in solemni amicorum conuentu mariti vxorisq. nomina scribebantur in tabulis; & si quid sponsa in domo paterna manens deliquisset, æque plectebatur ac nupta, vt lapidibus obrueretur, si adulterij rea inuenta esset. Quænam vero, cum interim Maria desponsata maneret in domo paterna, contigerint, Lucas[d] Euangelista his verbis recensет: Mense autem sexto missus est Gabriel Angelus a Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatā viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: et nomen virginis, Maria. et ingressus Angelus ad eā dixit: Aue gratia plena, Dominus tecū, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitaC bat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoq. & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.]

c Philo lib. de specialibus. d Luc. 1. ANNVNCIATIO S. MARIAE.

LVI. DE VOTO VIRGINITATIS AB EA NVNCVPATO.

Sed antequam cetera prosequamur, aliquid de voto virginitatis ab eadem sanctissima Virgine Deo nuncupato, quod ad institutum spectare arbitremur, afferamus in medium. Cum enim illa de futura prole concipiēda accepto nuncio excipiat de sui corD poris integritate, dicens: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?] ne præter sententiam eam fuisse responsionem, & elusionem potius, quàm iustam exceptionē (quod omnino absit) dicere cogamur: eam de virginitate seruanda votum emisisse, fateri necesse est. Quid enim? Ecce concipies, ait Angelus. Virum non cognosco, illa respondet. nihil certe ad rem: nam post hæc cognoscere potuisset, ac concipere (quod dictum erat) in vtero. Verum enimvero quàm maxime opportune, se non cognoscere virum, excepit: quòd impossibile existimaret, semel Deo deuota virginitate, se virum aliquando cogniturum: alioqui nulla fuisset in ea admirandi, vel scisciandi leuis saltem occasio, quin promissis ab Angelo acquiescet. In hanc sententiam S. Augustinus, assertor nuncupati voti virginitatis Mariæ, hæc ait[e]: Ipsa quoque virginitas eius ideo gratior & acceptior; quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse, præripuit; sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua E nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quod profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Quamquam, etiam si hoc solum dixisset; Quomodo fiet istud: nec addidisset; Quoniam virum non cognosco: non quæsisset vtique, promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi virgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo exciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cum adhuc quid esset conceptura nesciret: vt in terreno mortaliq. corpore cælestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi.

e Augustin. lib. de sanct. Virg. c. 4.

Itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque Christus nascendo de virgine, quæ, antequam sciret quis de illa esset nasciturus, virgo statuerat permanere: virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare: ac sic etiam in ea femina, in qua formam serui accepit, virginitatem esse liberam voluit.] hæc Augustinus, Latinorum Ecclesiæ doctorum facile princeps, quem & ceteri complures sunt secuti. A

LVII. E Græcis nobilissimus Theologorum Gregorius Nyssenus [a] eadem constanter affirmat, cum ait: Si Maria liberorum causa ducta fuisset a Ioseph; quomodo parituram Angelo prænuncianti, se rem nouam & alienam audire præstulisset, cum ipsa quoque sese adstrinxisset naturæ legi, vt aliquando mater esset? Verum quia carnem Deo consecratam, tamquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramq. præstare: idcirco, licet, inquit, Angelus sis, licet de cælo venias, licet id quod ostendis, naturam superet humanam; tamen me virum cognoscere nefas est: Quomodo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum noui, sed virum non cognosco.] hæc ille, cui ceteri Græcorum, qui de ea re egerunt, sunt adstipulati. At non patitur ratio instituti, vt singulorum hic verba recenseam: sed satis visum, tam e Latinis quàm e Græcis testatam veritatem insinuasse; a qua scio neminem dissentire, nisi stolidissimorum hæreticorum factionem & satellitium, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis & continentiæ, egregiam diabolo nauant operam. Sanctissimæ igitur nostræ Virgini in perpetuæ virginitatis Deo dicandæ proposito primæ sunt deferendæ; cuius exemplo fœcunda semper virginum germina in Ecclesia pullularunt: quod prophetico spiritu ante tot sæcula præuidens Dauid, dixerat: Adducentur Regi virgines post eam, proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione.] Præcinuit tympanistria nostra canticum illud [b], quod nonnisi virgines concinere possunt, quod subinde nobilissima illa agmina virginum centum quadraginta quatuor millium succinuerunt. B C

a Gregor. Nyss. orat. de Christi natiuitate.

DE VOTO VIRGINITATIS S. MARIÆ SENTENTIA PATRVM.

b Apoc. 14.

LVIII. At si quis roget, quonam tempore augustissima Virgo atque sanctissima, voto nuncupato, perpetuam virginitatem Domino consecrauerit? Vt hæc inuestigemus, prius videndum est, quid de voto puellæ, antequam fuerit desponsata, vel postea, lex diuina sanciuerit. Locutus Deus per Moysen [c], hæc de puellari voto populo seruanda mandauit: Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obligauit animam suam, & tacuerit; voti rea erit: quicquid pollicita est & iurauit, opere complebit. Sin autem statim vt audierit, contradixerit pater: & vota & iuramenta irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quòd contradixerit pater. Si autem maritum habuerit, & vouerit aliquid, & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento: quo die audiuerit vir, & non contradixerit, voti rea erit, redderq. quodcunque promiserit. Sin autem audiens statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaq. quibus obligauerit animam suam; propitius erit ei Dominus.] hæc diuina sanctio de puellæ voto antequam nubat, vel nuptæ adhuc in domo parentum permanentis: nam de ea quæ est in domo viri, ibidem paulo post eadem lex definiuit. His visis, haud putamus a veritatis via quempiam aberrare, si dixerit sanctissimam Virginem, antequam fuerit desponsata Ioseph, parentibus scientibus, nec dissentientibus, votum virginitatis nuncupasse: conceperant namque illi maximam de puellæ sanctitate expectationem. [Hæc autem (si credimus Cedreno [d], qui vndecimo anno ætatis Virginis parentes ex hac luce subtractos testatur, licet de re tam antiqua haud libenter recenti auctori hæc sine teste affirmanti assensum præbeamus) ante parentũ obitum contigisse oportuit. Aduenientе vero ætatis nubilis tempore, quid de ipsa quæ se voto virginitatis perpetuæ Deo consecrasset, agendum esset, opus erat consulto. Magni certe pretij fuisse apud eos virginitatem, iam superius, cum egimus de Pharisæis, satis diximus. Laudabantur [e] in hac parte apud eos Esseni, qui ducentes vitam sine vxore, perpetuæ se continentiæ manciparent. D E

c Num. 30.

DE TEMPORE EMISSI VOTI.

d Cedr. in compend.

e Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 7.

f Greg. orat. de familia Christi natiuit.

LIX. Quid autem non sine diuino consilio de Virgine statutum esset, Gregorius Nyssenus [f] his verbis recitat: Cum puella creuisset, & adulta esset; sacerdotes consilium agitare, ne quid de sacro illo corpore statuentes in Deum peccarent, cœperunt. Nam subiugare eam legi naturæ, & addicere quasi seruam, si quis eam in matrimonium duceret, res longe absurdissima, minimeq. decora videbatur. Sacrilegum enim prorsus existima-

DIVINVM CONSILIVM DE VIRGINE DESPONSANDA.

stimabatur, si homo ius ac potestatem in donarium, quod Deo consecratum & dedicatum esset, haberet: quoniam legibus sancitum & constitutum est, vt vir potestatem habeat in vxorem: vt autem intra templum vna cum sacerdotibus mulier versaretur, & in sanctis conspiceretur, neque consuetum, neque visitatum erat, & simul grauitas & honestas rei non aderat. Deliberantibus igitur eis super hac re, diuinitus incidit consilium, vt darent eam cuidam viro nomine desponsationis, is autem ad custodiendam virginitatem eius esset idoneus. Inuentus est igitur Ioseph talis, qualem ratio consilij requirebat, ex eadem cum Virgine familia & tribu: isq. de consilio sacerdotum sibi puellam despondet; coniunctio autem non vltra sponsalia progrediebatur.] hæc Gregorius. A

LX. His consentientia Epiphanius [a] scripsit, cum ait: Primum enim, quando Virgo tradebatur ipsi Ioseph, sortibus cogentibus ipsam ad hoc venire; non tradita est ipsi ad coniunctionem (si verum dicere oportet) quoniam viduus erat: sed propter legem quidem vir ipsius vocatus est. Iuxta consequentiam vero, ex Iudæorum traditione ostenditur, quòd non coniunctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quo conseruaretur in testimonium futurorum, quòd non spuria dispensatio aduentus in carne accessit, sed quæ testimonia haberet in veritate, extra semen viri in Spiritu sancto dispensata in veritate.] hæc ille. Sed quod affirmat viduum fuisse Ioseph, exactiorem requirit indaginem. Cum itaque ijdem dicant, ex sacerdotum consilio, diuino confirmante assensu, datum Ioseph sponsum Virgini, non ad opus coniugij, sed potissimum ob virginitatis custodiam, & non prolis causa; votum Deo factum de ea conseruanda, satis affirmare videntur. Fuit tamen de Mariæ voto aliorum sententia, nimirum beatissimam Virginem, postquam est desponsata, votum virginitatis, quod animo diu conceperat, sponso assentiente, verbis expressisse. Horum auctor est sanctus Thomas [b], quem complures sunt secuti. Perfacile fuit id suaderi homini iusto, ab illa præsertim, quæ & Deum ipsum (si ita licet dicere) in suum traxit obsequium. Quid ni præstaret hoc iustus, quod Pharisæi ad præscriptum tempus, & Esseni in perpetuum ea ætate obseruabant? B C

a Epiph. in Panar. hæresi 78. aduersus Antidicomar. & in Ancorato fusius.

IOSEPH MARITVS DATVS OB CVSTODIAM.

b Tom. 3. par. q. 28. art. 4.

Iam vero reliquum est, antequam cœptam historiam vlterius prosequamur, de sancti Ioseph sanctissimæ Virginis sponsi statu disserere; viduus ne fuerit, an cælibem vitam vsque ad Mariæ desponsationem duxerit, sicq. semper virgo permanserit. Antiqua est hæc quæstio, quæ & vtriusque partis grauissimos habuit assertores. Inualuit olim nonnullorum antiquorum Patrum opinio, illos qui in Euangelio fratres Domini dicti inueniuntur, Iudam Thadæum, Simonem, Ioseph, & Iacobum Minorem nominatum, ex Ioseph, & vxore quam longe ante sponsalia Virginis duxerat, esse susceptos. Habuit, inquit Epiphanius [c], hic Ioseph primam suam vxorem ex tribu Iuda, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos, & duas femellas, quemadmodum Euangelium secundum Matthæum, & secundum Marcum declarauerunt.] hæc Epiphanius, existimans nimirum omnes quos fratres, vel sorores Domini Euangelistæ nominant, esse ex Ioseph, ex prima, quam putat habuisse, vxore progenitos. Qui huic opinioni adhæserunt, recensentur complures antiquorum Patrum, ac in primis Hippolytus Portuensis [d], qui ait, Ioseph ex vxore sua Salome genuisse quatuor masculos, Iacobum, Simonem, Iudam, & Ioseph; duas itidem feminas, Esther, & Thamar: testatur de filijs Ioseph etiam Origenes [e], Eusebius [f], idem qui supra Epiphanius [g] sæpius, Gregorius Nyssenus [h], Ioannes Chrysostomus [i], & alij [k] Græcorum, Latinorum autem Hilarius [l] & Ambrosius [m]. D E

LXI. DE S. IOSEPH STATV.

c Epiph. hæresi 78. aduersus Antidicomar.

d Apud Niceph. lib. 2. c. 3.

e Orig. in Mat. 17.

f Euseb. hist. lib. 2. c. 1.

g Epiph. hæres. 29. 51. 78. & in Ancorato.

h Gregor. Nyss. homil. de vejur. Christi orat. 2.

i Chrys. homil. de annun. Virg.

k Theophil. in Matth. c. 27. Euthym. in Matth. c. 2.

Quo autem fundamento innitantur hi qui in hanc sententiam abierunt, & e quo fonte ista hauserint, Origenes [n] testatur his verbis: Fratres autem Iesu putabant nonnulli esse ex traditione Hebræorum, sumpta occasione ex Euangelio, quod titulum habet, Iuxta Petrum, aut ex libro Iacobi, filios Ioseph ex priore vxore, quæ conuixerat ipsi, antequam duceret Mariam.] hæc ille. Hieronymus [o] aduersus hos qui ex apocryphis istæc hauserunt, declamans, hæc ait: Quidam fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, & a quadam Escha muliercula confingentes. Nos autem (sicut in libro quem contra Heluidium scripsimus, continetur) fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi Minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in alio loco Euangelij fratres Domini legimus appellatos. Fratres

LXII. IOSEPH CELIBS, NON VIDVVS.

l Hilar. in Mat. c. 1.

m Ambr. in epist. ad Galat. c. 1.

n Orig. vbi sup. in Matth. 13.

o Hieronym. in Mat. 12. in fin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fratres autem consobrinos dici omnis scriptura demonstrat.] hæc Hieronymus, ac do- A
cte quidem. Quæ enim vel Petri aut Iacobi nomine ferebantur pseudoeuangelia, a Leucio, seu Seleucio quodam fuisse conficta, testatur Innocentius [a] Papa. De his & Gelasius [b]: Euangelium, inquit, nomine Petri apocryphum: Euangelium nomine Iacobi minoris apocryphum.]

a Inno. epist. 3. ad Exuperium.
b Gelas. Conc. Rom. sub. de script. apocr.

LXIII.

IOSEPH SEMPER VIRGO.

Fuit igitur de his aliorum magis probabilis ac recepta sententia, Ioseph non bigamum, nec aliud ante sanctissimam Virginem iniisse coniugium: huius fortissimus adstipulator, seu potius auctor Hieronymus [c] aduersus Heluidium infamem hæresiarcham pugnans, hæc ait: Tu dicis Mariam, virginem non permansisse: ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur; Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, B
quàm maritus: relinquitur eum virginem mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari.] hæc ille. In eamdem sententiam etiam Augustinus [d]: Habe, inquit, Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum: quia de Virginis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate seruata: sis autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis; vt de virgineis membris genitricis, sæculis Christianis nulla sit zelotypia.] Idem & paulo post: Gaude itaque Ioseph, nimiumq. congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij: quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.] Consentit & his Theodoretus [e], dum ait: Vocatur quidem Iacobus frater Domini, sed non erat natura; sed nec fuit Iosephi filius, vt quidam existimarunt, ex priori matrimonio natus, sed erat quidem Cleophæ C
filius, Domini enim consobrinus.] Huic sententiæ ceteri omnes [f], qui postea vixerunt, Latinorum Orthodoxi scriptores consenserunt: adeo vt Petrus Damiani, suorum temporum scriptor nobilissimus, dicat magna fiducia, Ecclesiæ fidē in eo esse, vt non modo Deipara, verum etiam putatiuus pater atque nutricius virgo habeatur. Certe quidem, quantum probabilibus coniecturis agere licet; quomodo non homini virgini Deus virginem, ex qua carnem suscepturus erat, tradidisset, si factus homo, ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eamdem iam senescentem nonnisi virgini commendauit?

d Aug. ser. 14. in Nati. Dom.
e Theod. in Epi. ad Gal. cap. 1. in fine.
f Beda, Albinus Flac. Bern. Ans. Ruper. Tho. Gerson, & alij recentiores, et Lipom. vberius in schol. præposita hom. Chrys. de annunciat. Petr. Dam. epist. 11. cap. 4. ad Nicol. Rom. Pontif. His similia Gers. serm. de nat. Maria.

LXIV.

FRATRES DOMINI A QVO GENITI.

Quod autem ad historicam veritatē spectat: totius huius quæstionis cardo in eo vertitur, vt efficaci demonstretur ratione, illos, qui in Euangelio dicti sunt fratres Domini, alterius potius esse filios, nec ad Ioseph vllatenus pertinere. Sane quidem vsitatam in diuinis Scripturis esse consuetudinem, quisque curiosus inuestigator facile intelliget, D
vt nomini proprio filij, nomen etiam proprium patris subiungatur; vt cū dicimus Iacobum Zebedæi, filium ipsius Zebedæi intelligamus. Ex qua quidem regula, mille exemplis in Scriptura testata, illud infertur, quòd qui dicti sunt fratres Domini, non alium habuerunt patrem, quàm eum, cuius esse dicuntur. Vnde Iacobus & ipse dictus frater Domini, cum Iacobus Alphæi ab Euangelistis [g] nominatus habeatur; eum vtique non alio quàm Alphæo patre genitum, iure dixerimus. An vero eodem parente procreati sint ceteri, qui & fratres Domini a Matthæo [h] dicuntur, dum ait: Fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?] de Ioseph nulla est dubitatio, fuisse germanum Iacobi, testantibus id Euangelistis. De ceteris autem haud facile his consenserimus, qui putant hos omnes fuisse germanos, ijsdemq. parentibus natos, nulla alia de causa, nisi quòd simul sint nominati. Sed ea- E
dem ratione, quòd dum nominantur Iacobus minor & Ioseph filij Mariæ vxoris Alphæi, vt modo dicemus, prætermittuntur vero Simon & Iudas; eos alijs parentibus esse genitos, credere suademur. Sed quibusnam parentibus exorti sint Simon & Iudas, dicemus inferius. Cum igitur ex nuper dictis probe nouerimus, quis fuerit pater Iacobi minoris & Ioseph: restat vt de eorumdem matre, quænam extiterit, inquiramus, ac demum de ceteris qui dicti sunt fratres Domini, inuestigemus.

g Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Act. 15.
h Matth. 13.

LXV.

Quod ad Iacobi & Ioseph matrem spectat: eam dictam esse Mariam, Euangelicus [i] sermo testatur, dum ait: Erant autem & mulieres a longe aspicientes, inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome.] Quænam autem fuerit ista Salome, Matthæus [k] declarat, sic eumdem sermonem retexens: Erant ibi mulieres multæ a longe, inter quas Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater,

i Marc. 15.
k Matth. 27.

A mater, & mater filiorum Zebedæi.] Ecce tibi, quam Marcus Salomen nominat, eam DE SALOME.
matrem filiorum Zebedæi Matthæus appellat. Ex quibus errare conuincuntur, qui dixerunt Salomen vxorem fuisse Ioseph, sponsi Virginis, & ex ea dictos suscepisse liberos. Sicut etiam erroris argui necesse est eos, qui ipsam Mariam Iacobi matrem & Ioseph, esse dixerunt vxorem eiusdem Ioseph Mariæ sponsi. Nam si viuebat illa adhuc tempore passionis Christi, absurdum illud, auribusq. piorum omnium molestissimum dicere opus esset, eumdem Ioseph eodem tempore duas habuisse vxores, nempe Mariam Iacobi matrem, & sanctissimam Dei genitricem; quod vel cogitare, animus horret.

Ex eo vero quod dictum est, Mariam, cuius Matthæus & Marcus meminerunt, eo- LXVI.
B rumdem auctoritate constare, fuisse matrem Iacobi minoris, eamdemq. Alphæi vxorem, a quo idem Iacobus nomen accepit, vt diceretur Alphæi: suboritur dubitatio, num eadem vna sit cum ea quam Ioannes [a] Mariam Cleophe nominat. Hieronymus [b] post multa de his disputata, sic concludens ait: Restat conclusio, vt Maria ista, quæ Iacobi minoris scribitur mater, fuerit vxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini: DE SORORE S. MARIAE VIRG.
quam Mariam Cleophe Ioannes Euangelista cognominat, siue a patre, siue a gentilitate familiæ, aut quacumque alia ex causa ei nomen imponens. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quòd alia dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hic Maria Cleophe: disce Scripturæ consuetudinem, eumdem hominem diuersis nominibus nuncupari.] hæc Hieronymus. Theophylactus [c] etiam tradit, dictam Mariam Cleophe sic
C nuncupatam, quòd fuerit filia Cleophæ, eademq. vxor Alphæi. Dixerunt alij, Mariam Cleophe sic esse dictam, quòd fuerit Cleophæ vxor, solitasq. vxores Iudæorum a viris suis cognominari; eademq. ratione Gregorium Nyssenum [d] eodem vti argumento, cum probare intendit, Mariam sororem Moysi fuisse virginem, quòd semper fratrum, & non viri nomine nuncupetur, dictaq. reperiatur Maria soror Moysi & Aaron. At hæc irrita erunt, si credimus Iosepho Iudæo [e] Iudaicarum antiquitatum diligentissimo; cuius auctoritate exploratum habetur, Mariam sororem Moysi virum habuisse Vr, qui orantis Moysis manus sustinebat; ex eoq. filium suscepisse, nomine Beselehel, cuius frequens & clara est in diuinis Scripturis mentio. Non autem omnia expressa esse in sacris litteris, & sæpe ab alijs esse dicta, quæ in illis silentur, haud difficulter eruditus quisque concedet.

a Ioan. 19.
b Hieron. contra Heluid.
c Theoph. in Matth. c. 27.
d Greg. Nyss. lib. de virg. cap. 9.
e Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 2. & 4.

Verum quod spectat ad Mariam Cleophe: eam non filiam Cleophæ, sed vxorem LXVII.
D fuisse putamus: missisq. ceteris, in his omnibus inhæremus, vt par est, Hegesippo [f], omnium antiquissimo, ac proximo Apostolorum temporibus, qui ait Cleopham fratrem fuisse Ioseph, eoq. genitum Simonem, seu dicere velimus, Simeonem, qui Iacobo minori in sede Hierosolymitana successit: cuius dum meminit [g], & non dicit eos fuisse inter se germanos; facile inducor, vt opiner diuersos prorsus fuisse Cleophen & Alphæum, distinctasq. esse inter se Mariam Cleophe, & Mariā quæ ab ijsdem Euangelistis mater dicitur Iacobi minoris & Ioseph; eamdemq. Mariam Cleophe (vt habet Ioannes) sororem fuisse sanctissimæ Virginis, non germanam ex Anna genitam, vt superius dictum est, sed consobrinam ex sorore vel fratre patris vel matris genitam. Nec est quod quis possit arguere, eamdem esse Mariam Iacobi & Ioseph matrem cum Maria Cleophe; quasi, quod plerumque accidit, Ioannes expresserit, quod ceteri Euangelistæ tacuerint: nam diuersus prorsus est eorumdem sermonum contex-
E tus, dum Matthæus [h] & Marcus [i] Mariam matrem Iacobi & Ioseph a longe stantem cum ceteris mulieribus tradunt: Ioannes [k] vero de Maria Cleophe habens sermonem, eamdem cum Maria Virgine iuxta crucem manentem constituit. Hæc sentiens, puto, Hieronymus [l], haud fixus in priori permansit sententia, vt eadem fuerit Maria mater Iacobi cum Maria Cleophe. Sed quid ait in fine disputationis? Verum, inquit, in hac parte contentiosum funem non traho: alia fuerit Maria Cleophe, alia Maria Iacobi & Ioseph, &c.]

f Apud Eus. hist. lib. 3. cap. 16. & 26.
g Eusseb. hist. lib. 2. cap. 1. FRATRES DOMINI EX DIVERSIS MATRIBVS.
h Matth. 27.
i Marc. 15.
k Ioan. 19.
l Hieron. contra Heluid.

His igitur de S. Ioseph sanctissimæ Virginis sponsi virginitate stabilitis; iam reli- LXVIII.
quam de Verbi incarnatione ex Euangelio historiam prosequamur. Cælestis nuncius [m] Gabriel Angelus, vt trepidantem Virginem magis magisq. firmaret, sicq. assensum eius eliceret: quòd non impossibile, vt ait, apud Deum omne verbum, recens de Elizabeth eius cognata exemplum, ad confirmandam tanti sacramenti veritatem, adducens,

m Luc. 1.

ait:

Universidad de Deusto
Biblioteca

IOANNIS BAPTISTAE CONCEPTIONIS TEMPVS.

ait: Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis.] Hæc autem de conceptione Ioannis a Gabriele inculcata, quomodo se habuerint, idem diuinus historicus Lucas Euangelista perpetuæ scripturæ monumentis commendauit. Nos autem rem vulgatam, omniumq. ore versatam, superfluum ducimus hic describere; satis esse putantes, eiusdem tempus insinuare secundum a nobis inferius initam rationem. Anno igitur ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo, Coss. Sabino & Rufo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno primo, Augusti Imp. a Triumuiratu inito anno trigesimo nono, octauo Kalendas Octobris, post æquinoctium, solemnis ieiunij tempore [a], Ioannes Baptista est in vtero materno conceptus; cum eius pater Zacharias sacerdos de vice Abia, in templo adolens incensum, de eiusdem conceptione, Angelo admonente, diuinum accepisset oraculum.

a Chrysost. in Luc. 1.

LXIX. DE SACERDOTIO ZACHARIAE.

Quod autem ad Zachariam spectat: ea in primis videtur enodanda quæstio, An ipse re vera fuerit summus sacerdos, sicut a compluribus summæ auctoritatis doctoribus [b] communi velut quadam consensione affirmatum esse scimus. Inuiti ad hæc disquirenda trahimur, nec aliqua perciti altercandi libidine; sed quòd ex ratione instituti, pro veritate elucidanda aduersus quoscumque obniti, cum oportet, necessitate quadam inueniamur adstricti. Qui de summo Zachariæ sacerdotio sententiam sectati sunt, ea potissimum ratione id suadere sunt conati, quòd (vt dicit Lucas Euangelista) ipso ad adolendum incensum in templum ingresso, populus staret foris expectans; rati nimirum Zachariam adijsse ipsa intima templi adyta, Sancta sanctorum, quæ semel tantum in anno ipsum solummodo summum Pontificem penetrare fas esset. His respondet & tempus, quòd decima die mensis septimi summus sacerdos lege diuina [c] in Sancta sanctorum ingredi iuberetur; quo etiam mense Zachariam de conceptione Ioannis ab Angelo esse præmonitum, ea quæ superius diximus, facile monstrant. Hæc sunt quæ de summo sacerdotio Zachariæ apud quamplurimos certam fidem sibi vendicarunt.

b Aug. in Ioan. tract. 49. Ambros. in Luc. 1. Beda in Luc. 1. Euth. in Luc. 1.

c Leu. 15. 23. Num. 29.

LXX.

Quàm vero hæc sint leuia, & quàm facillime redarguantur, ea quæ dicturi sumus aperta luce significabunt. In primis enim in ipso Luca [d], qui hæc scribit, dicendi morẽ attendamus oportet: nam cum ipse de summo Pontifice agit, non Sacerdotem simpliciter, sed Principem sacerdotum nominare consueuit [e]; cum alioqui de Zacharia longum texens sermonem, eumdem tantummodo Sacerdotem appellet. Sed quid insuper addit? quòd dum fungeretur munere vicis suæ, sorte obtigit vt incensum poneret. Porro functionem summi Pontificis, ipsi tantummodo debitam, sorti fuisse subiectam quis dixerit; cum ea solum sorte consueuerint definiri, quæ multos haberent simul competitores? Sane quidem, sicut vnicum erat sacerdotium summum, ita necesse est nonnisi ad vnum spectare potuisse eiusdem sacerdotij functionem. Hanc inextricabilis argumentationis rationem vitare conatus Beda [f], illud affert, vt sortem cuius meminit Lucas, non ad incensum referri velit, sed ad ipsam summi sacerdotij institutionem: sed nullo modo hanc interpretationem verbis Euangelistæ conuenire, perfacile quisque iudicabit. Reddam ipsius Euangelistæ verba, quo hæc manifestiora reddantur: Factum est, inquit, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret ingressus in templũ Domini, &c.] sunt hæc adeo clara, vt nulla videantur interpretatione opus habere.

d Luc. 22.

e Act. 23.

f Beda in Luc. 1.

LXXI.

Verum quo omnis de sorte sacerdotij tergiuersatio conuincatur; dicimus, nullum certe exemplum, neque in diuinis Scripturis, neque apud profanos historicos, qui res Hebræorum sunt prosecuti, inueniri, quo vel saltem semel ad hæc tempora sorte collatum fuisse summum sacerdotium dici possit: neque certe perditissimis Herodis Regis temporibus, quibus, vt diximus, sacerdotium venale erat, summum sacerdotem sorte delectum fuisse aliquando reperitur. Semel tantum nefas contra legem præsumptum fuit (quod Iosephus [g] vehementer deplorat, qui omniũ sacerdotum institutiones, vsque ad cladem Hierosolymitanam per Titum illatam, recenset) quando Vespasiano Iudæam cum exercitu afflictante, ea factio Iudæorum, quæ dicebatur Zelotum, ceteris præualens, vi publica depositio redactoq. in ordinem Anania summo Pontifice, successorem sorte delegit, quæ obtigit homini rustico, Phani nomine, cunctis derisioni exposito.

g Ioseph. de bell. Iud. lib. 4. c. 5.

His

His de sorte sacerdotij confutatis, iã reliquum est, vt de ingressu Zachariæ in templum ad adolendum incensum, & populo foris expectante, vnde de summo eius sacerdotio falsa dimanauit opinio, elucidemus historiam. Philo Iudæus [a], qui hoc sæculo vixit, & hæc de quibus agimus, ob oculos habuit, scribens de templi altaribus ac sacerdotalibus functionibus, ait: Testatur lex iubendo poni duo altaria, materia, loco, vsuq. differentia. Alterum enim e saxis collectitijs impolitis extruitur in atrio iuxta templi vestibulum, ad immolandas victimas: alterum vero aureum situm est post primum velum in penetralibus, nemini perspicuum, nisi sacerdotibus functionis suæ tempore castitatem seruantibus, quod factum est adolendis odoribus.] hæc Philo de duobus altaribus, quorum alterum in atrio positum erat extra primũ velum, alterum intra idem velum locatum. Porro primum velum nominat respectu secundi, quod S. Paulus [b] secundum velamentum appellat; intra quod erat tabernaculum, quod dicitur, Sancta sanctorũ; diuina vero Scriptura [c] vtrumque appellat interius velum, & exterius: Idem vero Apostolus primum quod dicimus velum & secundum, nominat primum & secundum tabernaculũ, sicq. ait: Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panũ, quæ dicitur Sancta. Post velamentũ autem secundũ, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & aream testamenti circumtectã ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, & alia. His ita compositis, in priori quidẽ tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorũ officia consummantes, in secundo autem semel in anno solus Pontifex.] hæc Paulus. Ex quibus illud manifestum redditur, populum non tantum a secundo tabernaculo, quod erat Sancta sanctorum, sed a primo, in quod tantummodo intrabant sacerdotes, fuisse secluſum: nam (quod ait Philo) nemini erat perspicuum, nisi sacerdotibus, nec illis semper, nisi functionis suæ tempore. Vnde dum de populo ait Lucas, quòd omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi; haud dubium liquet esse intelligendum, extra primũ velum ipsam constitisse, Zachariam autem intra ipsum velum ad incensum adolendum ingressum.

a Philo lib. de vitũ. offeren.

DE TEMPLO ET LOCIS EIVS DISTINCTIS.

b Hebr. 9.

c Leuit. 21. Exod. 35. 40.

LXXII.

Hæc insuper manifestiora redduntur ex his quæ de templo eiusq. partium vsu, populi ac sacerdotum sedibus distinctis & officijs in hunc modum Iosephus [d] describit: Templum quatuor porticus habuit in circuitu, & harum singulæ propriam secundum legem habuere custodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis; mulieres tantum menstruatæ transire prohibebantur. In secundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq. coniuges, cum essent ab omni pollutione mundæ. In tertiam masculi Iudæorum mundi existentes, atque purificati. In quartam autem sacerdotes, stolis induti sacerdotalibus. In adytum vero soli Principes sacerdotum, propria stola circumamicti.] hæc Iosephus: quæ & alibi [e] fusius explicat, cum templum describit: vbi agens de primo tabernaculo, illic mensam, candelabrum, & thuribulum habens tredecim odorum suffitum, posita refert. Neque quis existimet vnum tantum fuisse thuribulum aureum in templo, quod Paulus [f] ponit in secundo tabernaculo, quod dicitur Sancta sanctorum.

d Ioseph. cont. Apion. lib. 2.

TEMPLI ET OFFICIORVM DESCRIPTIO.

e Ioseph. de bell. Iud. lib. 6. c. 6.

f Hebr. 9.

LXXIII.

Plura enim fuisse thuribula in templo, eaq. aurea, diuina Scriptura [g] pluribus in locis testatur: dicebaturq. altare thymiamatis, quod erat in primo tabernaculo, intra primum velum: illudq. ipsum Lucas [h] nominat altare incensi, a cuius dextera visus est Angelus Zachariæ. Adolebatur in eo incensum, inquit Philo [i], summo mane, antequam foris hostiæ immolarentur, cum lucernæ componerentur; & vespere, quando, vt ait Scriptura [k], eædem collocarentur. Porro cum essent omnium sacerdotum vices vigintiquatuor, olim sorte ductæ; illa quæ erat Abiæ, ordine numerabatur octaua. Attamen non mediocre inter eas fuisse discrimen, licet eiusdem muneris essent, testatur Iosephus [l]; qui adeo auctum esse sacerdotum numerum refert, vt cuiusque vicis essent plusquam quinque millia: cumq. ad inuicem sibi singulæ vices statutis temporibus ad ministerium sacrarũ functionum succederent, sortiebantur inter se, qui in exteriori altari in cædendis victimis ministrarent, quisve intra velum incensum adoleret: at non sacerdotes tantum, sed & inferioris ordinis ministri ipsi per vices succedentes (quod scribit Philo [m]) sortiebantur ministeria. Ex dicta igitur occasione Zacharias sacerdos sortito sacram incensi adolendi peregit functionem.

g Exo. 25. 37. 3. Reg. 7. 1. Paral. c. 28. Exod. 30. 37.

h Luc. 1.

DE XXIV. VICIBVS.

i Philo lib. de vict. offerend.

k Exod. 30. 1. Paral. c. 24.

l Ioseph. in Vita sua in princ. & cõtra Apion. lib. 2.

Philo lib. de Monarch.

m Philo de sacerd. honorib.

LXXIV.

LXXV.

Etsi ex his omnibus satis superq. appareat Zachariam sacerdotem solummodo, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

ZACHARIAS ORDINIS MINORIS SACERDOS.

a Ioseph. antiq. lib. 20. cap. 8. & de bello Iud. lib. 1. & seq. sparsim. Collegit eos Niceph. hist. lib. 2. cap. 1. 4. & Niceph. Epist. Constantinop. in Chron. b Ioseph. aduers. Apion. lib. 2.

non summum Pontificem extitisse: ne quis tamen remaneat dubitandi locus; ad eam A
rem confirmandam satis sufficere existimamus, quòd Zacharias minime adscriptus
reperiatur inter summos Pontifices, qui illis vixere temporibus, quorum catalogus
integer, & nulla ex parte corruptus hactenus extat, quem Iosephus [a] exacte contexuit
vna cum historijs Iudæorum; habitaq. cuiusque successionis ratione, anno quo hæc
contigerunt Zachariæ, Matthias Theophili Pontificatum gessisse reperitur, qui Si-
moni successit. Ab Aaron quidem vsque ad Phani, qui intrusus est a Zelotis, tempore
Vespasiani Augusti, ad duorum millium annorum spatium seruatas esse inuiolatas pu-
blicisq. monumentis consignatas successiones Iudæorum Pontificum, idem Iosephus [b]
aduersus Apionem agens, apertissime tradit, dum ait: Indicium vero integritatis hoc
maximum est: quia Pontifices apud nos a duobus millibus annis denominati filij a pa-
tre conscripti sunt, &c.] Porro easdem tabulas ex antiquis litteris nouas sæpe esse resti- B
tutas & exemplaribus auctas, testatur; adeo vt nec tempore cuiusuis cladis acceptæ, eæ-
dem successiones aliquo modo deperdi potuerint. Hactenus de Zachariæ inferioris or-
dinis sacerdotio, quo quidē magis illustratur, quàm summo Pontificatu, quippe qui his
tēporibus ab Herode contra ius fasq. ex animi sententia in immeritos conferri consue-
uisset: præstatq. magis Zachariā Dei sacerdotē, quàm arbitrio Herodis Pontificē dici.

LXXVI. DE VERBI INCARNATIONE.

Iam vero, vnde digressa est, ad Gabrielis nuncium de sublimi ac per omnia inscru-
tabili Verbi incarnationis mysterio, reuertatur oratio. Cum ille omnia non humanitus, sed diuinitus esse perficienda, sanctissimam Virginem monuisset, ac exemplo co-
gnatæ sterilis Elizabeth eamdem certiorem reddidisset, ac firmasset: illa haud cunctata, mira animi submissione præbens suæ voluntatis assensum, hæc ait [c]: Ecce ancilla
c Luc. 1. Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.] Moxq. sic dilapsum est Verbum in vte- C
rum Virginis, vt ex ea carnem assumens, quod semper fuisset, esse non desineret; vni-
taq. sibi indiuise & inconfuse humanæ naturæ substantia, in vna eademq. persona ex
duabus naturis vnus Christus, idemq. perfectus Deus, atque perfectus homo, in vte-
ro virgineo formaretur. Nouum plane miraculum, atque adeo inusitatū, vt (quod olim
d Hierem. 31. prædixerat Hieremias [d]) mulier circumdaret virum: siquidem vno eodemq. momento
conceptus est Christus perfectus Deus & homo. Contigerunt hæc Coss. Cornelio Len-
tulo & Valerio Messalino, Augusti Imp. anno ab inito per menses fere quatuor Trium-
uiratu, quadragesimo, octauo Kalen. Aprilis, eadem die qua primus homo formatus
est Adam.

LXXVII.

His peractis, sanctissima Virgo exurgens [e], abijt in montana cum festinatione in
e Luc. 1. ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elizabeth.] Nemo, D
quantumuis sibi videatur sapiens, instar Iuliani atque Porphyrij, diuinum historicum
S. Lucam Euangelistam redarguat oscitantiæ, quòd nomen ciuitatis, quam incolebat
DE CIVITATE IVDA IN MONTANIS. Zacharias, ad quam sanctissima Virgo festinans accesit, non exprimat: nam satis ex-
pressit, dū ciuitatem Iuda in montanis positam, ibiq. Zachariam habitare scribit: sicq.
ob eam causam ciuitatem sacerdotalem fuisse demonstrans; quænam esset, cum de nul-
la alia ambiguitas possit oriri, antonomastice signat. Sed vt hæc clariora reddantur;
f Iosue. 21. altius necesse est historiæ principium petamus. Diuisit ex instituto Moysis Iosue [f] tri-
bui Leuiticæ filijs Aaron quadragintaocto ciuitates ad habitandum, easdemq. non si-
mul positas, sed quòd e ceteris tribubus essent acceptæ e diuersis Palæstinæ locis, vbi
singulæ degerent, ab inuicem longioribus interdū spatijs separatas. Cum itaque easdem
ciuitates sortirentur; prima, quæ egressa est sorte, data est familiæ Caath Leuitici ge- E
neris ex filijs Aaron, ciuitas e tribu Iuda, quæ Cariatharbe, aliter vero Hebron, siue
Chebron est nominata, posita (vt eadem diuina Scriptura testatur) in monte Iuda, in
qua quidem regione nulla alia erat ciuitas sacerdotalis.

LXXVIII. DE CHEBRON CIVITATE SACERDOTALI.

Quanto nobilior ceteris Palæstinæ vrbibus, Hierosolymis exceptis, esset hæc ciui-
tas, tum ob sui antiquitatem, tum etiam ob egregia rerum gestarum monumenta,
quandoquidem ibi habitauit Abraham, vnctus est Dauid, ibiq. celeberrima erant se-
pulchra Patriarcharum; post diuinam Scripturam testatur & Iosephus [g] historicus, qui
g Ioseph. antiq. lib. 5. cap. 1. hæc de eius antiquitate refert: Chebron septem annis est antiquius, quàm vrbs Ægypti
h Ioseph. de bell. Iud. lib. 5. c. 7. Tanis.] & alibi [h] hæc pluribus: Chebron autem indigenæ ferunt non eius terræ modo
ciuitatibus, verū etiam Ægypti Memphi antiquiorem: denique bis mille & trecenti
eius connumerātur anni: hoc autem narrant Abraham quoque parenti Iudæorū fuisse
domici-

A domicilium, posteaquam Mesopotamiæ sedes reliquit; eiusq. posteros hinc ad Ægyptum esse profectos: quorum nunc etiam monumenta extant in eadem ciuitate peroptimo marmore liberaliter fabricata. Cernitur autem sexto ab oppido stadio arbor maxima terebinthus, eamq. memorant ab initio mundi creati nunc vsque durare.] hæc Iosephus. De eadem ciuitate Hieronymus [a] his verbis: Ascendit Chebron, hæc est Cariatharbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum Iesu Naue, Hebræi autumant, licet plerique Caleb quartū putent, cuius ex latere memoria monstratur.] et alibi idem auctor [b]: Est quercus Mambre iuxta Chebron, in qua vsque ad ætatem infantiæ meæ & Constantij Regis Imperium, terebinthus monstratur peruetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitauit Abraham: miro enim cultu ab Ethnicis habita est, & velut
B quodam insigni nomine consecrata.] hæc Hieronymus.

a Hieron. epist. 27.

b Hieron. de locis Hebraicis.

Qui vero regionis illius loca descripserunt [c], vigintiduobus milliaribus Chebron ab Hierosolymis distare testantur. Quomodo autem idem locus, quòd ibi fuisset quercus Mambre, vbi tres visi sunt Abrahæ Angeli, qui vnum adorauit, summa veneratione a Christianis, Iudæis, pariterq. Gentilibus haberetur, Sozomenus [d] pluribus scribit. Sed de his nos suo loco deinceps agemus. Iam ex dictis satisfactum putamus de prætermisso nomine ciuitatis: nimirū non incuriæ historici esse tribuendū: cum, quod diximus, sufficienter eam nominasse videatur. Etenim cum dicat Zachariæ in illa sedem fuisse, constat sacerdotalem fuisse ciuitatem: cum vero adijciat [e] in montanis Iuda sitam, Chebron necessario significatam esse apparet. Vnde & certum est, errare illos, qui per ciuitatem Iuda in montanis positam, putant Hierosolymam esse intelli-
C gendam: nam non est annumerata inter ciuitates sacerdotales apud Iosue [f] Hierusalem, quæ potius regia erat ciuitas; quò tantum tempore vicis suæ sacerdotes, qui in suis habitabant ciuitatibus, accedere consueuerunt. Burchardus [g] autem in descriptione Terræ sanctæ, domū Zachariæ sic ponit in montanis Iudææ, vt tamen ab Hebron, seu Chebron, nouem leucis distare, eamdemq. non in ciuitate, sed in campestribus sitam dicat: at certe auctore Luca Euangelista, intra ciuitatem Iuda positam fuisse Zachariæ domum, non in campestribus, constat. Quæ autem (vt ad rem redeamus) ibi ea salutatione sunt facta, nempe quòd infans in vetero Elizabeth exultauit, simulq. sanctificatus est, de Mariæ cantico, spirituq. prophetico, Ioannis natali, atque Zachariæ recepta loquela, & gratiarum actione, exacte S. Lucas describit; vt non sit opus aliquid addere, vel verbis alijs recensere. At de his hactenus: iam reliqua prosequamur.

LXXIX.

c Apud Bed. de locis sanctis, c. 9. & Sozom. hist. lib. 2. c. 3.

LVCAS FVNCTVS MVNERE EXACTI HISTORICI.

e Luc. 1.

f Iosue 21.

g Burchard. par. 1. c. 7. §. 62.

D His enarratis, mox subdit Euangelista: Factum est autem in diebus illis, exijt edictum a Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis. Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino: et ibant omnes, vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph a Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ erat Bethlehem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.] hæc Lucas [h]. At quoniam, etsi non interpretis, historiographi certe fungimur munere; nostri esse putamus officij, vt hæc ipsa multis perplexa nodis & obuoluta obscuritatibus enodemus, ac quantum vires suppetunt, elucidemus. Magna sane vrgensq. est obiectio illa, quæ ex Iosephi Iudæi historia [i] exoritur, qua dicitur, descriptionem factam sub Quirino Præside, non Herodis tempore, quo ponitur ab Euangelista, immo nec sub regno eius filij Archelai; sed
E post illum exactum, nouem saltem annis ab Herodis interitu contigisse. Mirati sumus vehementer Eusebium [k], ad confirmandam Euangelicam veritatem de censu acto sub Quirino, citasse dictum auctorem, quem in his quæ ad tempus spectant, contradicere certum est; vsque adeo, vt illius assertione historiam a Luca conscriptam in dubium reuocari sit necesse.

LXXX. DE FACTA DESCRIPTIONE A QVIRINO.

h Luc. 2.

IOSEPHVS REDARGVITVR.

i Ioseph. antiq. lib. 17. cap. vlt. & lib. 18. c. 1. De bello Iud. lib. 2. c. 7.

k Euseb. histor. lib. 1. c. 5.

Sed mirum in modum obstupuimus ad nouatorum vesaniam, dum Iosepho Iudæo plus tribuunt, quàm Euangelio a Luca conscripto: quippe qui adeo irrefragabilem esse ducant illius historiam, vt potius quàm velint Iosephum erasse, dicere non erubescant, textum Euangelij alteratum, vel potius adulteratū, eaq. verba quibus dicitur: Hæc descriptio facta est a Præside Syriæ Cyrino] non esse Euangelistæ, sed alicuius otiosi hæc scribentis in margine, eademq. inde irrepsisse in textum. Sed doceant, velim, quando sine ijsdem verbis a Patribus idem textus citatus alicubi reperiatur, vel si quis

LXXXI. NOVATORVM VESANIA EXPLODITVR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Græcus aut Latinus codex inueniatur antiquus, in quo ea verba desiderentur. At cum (vt & nunc habet textus) semper a temporibus Apostolorum, æque in omnibus Christiani orbis ecclesijs ea verba in Euangelio sint lecta; quæ tanta temeritas & impudentia, vt ea velint expungi? Inepta prorsus est illa responsio, qua dicitur, eo tempore quod scribit Lucas, promulgatum esse edictum de Orbis descriptione; sed ob ingruentia bella, quibus Palæstina vexata est, post decimumquartum annum census exactionem esse dilatam. Digna risu potius quàm confutatione sententia: cum constet his temporibus nullo graui externo bello vexatam fuisse Palæstinam, regnante Herode, & Archelao post ipsum: sed ex ipsius Euangelij etiam refellitur verbis, quibus dicitur, quòd ibant omnes, vt profiterentur, singuli in ciuitatem suam; nec aliud erat ipsa professio, quàm census solutio, vt docet Iurisconsultus [a].

a l.1. & seq. ff. de censib.

LXXXII. IOSEPHI HISTORIA INFIMA COLLATA CVM EVANGELIO.

Verum quid tam magnum, tam nouum & inusitatum, immo quid tam verum & frequens, quam si dixerimus Iosephum esse hallucinatum? Quid, inquam, tam magnum? cum certe, etsi nulla subesset ratio eum erroris arguendi, Euangelistæ quidem auctoritas satis superq. sit ad quantumlibet testatam & obsignatam probatamq. eius opinionem infringendam. Sed hæc apud Christianos: quid si de his agendum esset cum Gentilibus, qui non obediunt nec credunt Euangelio? certe nec in re tanta eorumdem arbitrium subterfugerem. Quis enim, licet Ethnicus, veri tamen amator & æquus iudex, cum de veritate historiæ quæritur, non maiorem putet esse adhibendam fidem illi qui propinquior illis temporibus fuerit, cuius fides adeo sincera probetur, vt numquam erasse reperiri possit; quiq. vitæ integritate sic polleat, & veritatem colat, vt pro ea millies, si liceret, vitam profundere non recusset? Sane quidem his omnibus & mille alijs partibus Lucas Euangelista Iosepho historico præstat, & maxime antecellit. Sed quid amplius? Non est opus, vt modo ex Ethnicis æquum iudicem interpellem; cum diu ante hæc iudicarit perditissimus ille Christianorum hostis Iulianus Apostata [b], dum Lucæ citat testimonium de descripto Christo vna cum Maria & Ioseph sub Quirino. Sed missis his, ad rem propositam redeamus.

b Apud Cyrill. Alex. lib. 6. contra Iul.

LXXXIII. Quid, inquã, tam nouum & inusitatum, vt Iosephum in his erasse dixerimus; cum & alias sæpe eumdem in diuersos lapsum esse errores, nemo non dixerit? Ad quod, ne longe petita ab his adducamus exempla, accipe illud in primis, quod ipse in locis citatis de Antiquitatibus Iudæorum [c] profitetur: post exactum Archelaum e regno, Quirinum esse missum in Syriam, ac Iudæum populum censuisse, idq. incidisse dicit [d] in annum trigesimum septimum post deuictũ a Cæsare Augusto in Actiaca pugna M. Antonium. Verum si hæc ad exactam temporum rationem referas, falsa esse proculdubio inuenies: nam si numeres annos qui intercurrunt ab Actiaca pugna, quæ contigit Augusto tertium & Messala Coss. [e] annos esse quadraginta colliges. Dum etiam in locis nuper citatis meminit de eiusdem Quirini Consulatu, quasi de re admodum recenti, Fastos Consulares eum ignorasse certũ est: nam Quirinum vna cum Æmiliano collega ante annos viginti duos Consulatum gessisse, est exploratissimum.

c Ioseph. antiq. lib. 17. c. vlt. & lib. 8. c. 1.
d Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.
ALIVS IOSEPHI ERROR.
e Dio lib. 50.

LXXXIIII. In quàm præterea absurda & portentosa mendacia incidat necesse est, qui de annis Herodis Regis inconsulte nimis Iosepho fidem adhibendam putarit: ex se ipso quisque poterit perfacile intelligere, dum obitum Herodis ipse recensет biennio ante Christum natum: adeo vt ea ratione non tantum quæ S. Lucas de Herode scribit, sed & quæ Matthæus [f] narrat, si Iosepho demus aures, fide careant (quod nefas est dictu) necesse sit. Verum eumdem auctorem in annis regni Herodis computandis esse mirum in modum hallucinatum, adeo vt nouem annos numerare prætermiserit, ex suis ipsius scriptis aperta luce paulo inferius, cum agemus de tempore natalis Christi, aperiemus; vt nullus de ea re (ni fallimur) dubitandi locus relictus videatur. Quanta est insuper in eodem auctore inconstantia, dum anno decimosexto Herodis Regis, Varum fuisse Præsidem Syriæ tradit [g]; postea vero ait, eum successisse Sentio Saturnino, anno ante ipsius Herodis obitum; cũ inter vtrumque temporis spatium anni intercurrant saltem viginti? nec est quod possit dici, eumdem Varum iterum eo missum, cum nec ipse Iosephus, nec alij id testentur. Hæc dicta sint aduersus eos qui tanti faciunt eiusdem historici testimonium, vt eius causa Euangelicam veritatem non vereantur impudenter nimis adducere in controuersiam, & dubij iudicij lance suspendere. Verum quo eadem ipsa Euangelica veritas sua firmitate subsistens, manifestior habeatur; operæpretium

f Matth. 2.
IOSEPHI ENORMES PANDVNTVR ERRORES.
g Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13. & lib. 17. c. 7.

A ræpretium duximus successionem Syriæ Præsidum ex antiquis probatisq. historicis comparatam, a tempore regni Herodis, vsque ad Augusti Imperatoris obitum, hic intexere; qua etiam non Iosephus tantum, sed alij, qui eamdem aliter confinxerunt, erroris redarguantur.

LXXXV. DE IVDAEAE PRAESIDIBVS.

Cum decretum esset ex Senatusconsulto Iudæorum regnum Herodi, & illud inuasisset Antigonus [a]: ab Antonio res Orientales administrante Caius Sosius Syriæ Præses creatus est: id quidem ipse Iosephus & Dio [b] testantur. Contigit (vt idem Dio tradit) Sosij præfectura sub Consulatu Claudij & Norbani, anno ab Vrbe condita septingentesimo decimo septimo. Sosio est subrogatus Q. Didius, quem auctore Dione [c] constat præfuisse Syriæ saltem vsque ad tempus Actiacæ pugnæ, quæ facta est anno ab Vrbe condita septingentesimo vigesimo quarto, quando eodem auctore liquet Augustum parta

a Ioseph. lib. 14. cap. 27.
b Dio lib. 49.
c Dio hist. Rom. lib. 52.

B victoria venisse in Syriam. Huic est suffectus Messala, cuius & Dio [d] meminit: hic præfuisse videtur vsque ad annum ab Vrbe condita septingẽtesimum trigesimum primum, quando M. Agrippa tam Syriæ, quàm toti Orienti præficitur; qui (vt idẽ testatur Dio [e]) est reuocatus anno ab Vrbe condita septingẽtesimo trigesimo tertio, quo ipse Augustus in Syriam profectus reperitur [f], vbi mansit saltem triennij temporis spatio; nã sub Consulatu Sentij Saturnini adhuc agebat in Oriente, componens res prouinciarũ, vt testatur Velleius Paterculus, circumferens, vt ait, orbi terrarũ præsentia sua pacis suæ bona. Anno vero Vrbis septingentesimo trigesimo octauo, iterum illo redijt, ac tenuit vsque ad annum septingentesimum quadragesimum primum.] hæc ex Dione [g]; cui consentit Iosephus [h], dum ait Agrippam præfuisse Orienti annis decem; putamus tamen

d Dio eod. lib. 51
e Dio hist. Rom. lib. 53.
f Idem lib. 54.
g Dio ibidem.
h Ioseph. antiq. lib. 16. c. 6. in fin.

C dilatum magistratum Agrippæ vsque in sequentem annum Vrbis septingentesimum quadragesimum secundum, quo anno Consulatũ gessit vna cum Valerio Messala Quirinus: quo perfuncto magistratu, eumdem Quirinum esse missum in Syriam Præsidem, satis annuere videtur Tacitus [i], dum agens de eius funere, post Consulatum mox debellasse, inquit, per Ciliciam castella Homonadensium, ac sic insignia meruisse triumphi.

i Tacit. lib. 3. Annal.

At dubium non est, illos consueuisse in prouincijs bella gerere, qui illis præessent Proconsules, siue Præsides: nec vlla dubitatio est, sub prouincia Syriæ Ciliciam esse redactam: quibus rationibus fateri opus est, Quirinum in Syriam Præsidem missum esse post suum Consulatum, anno ab Vrbe condita septingentesimo quadragesimo tertio. Post ipsum vero subrogatos putamus, quos scribit Iosephus [k], Sentium Saturninum, & Volumnium; quorum præfecturam diuturniorem fuisse, idem auctor testatur. Anno ve-

LXXXVI. SVCCESSIO PRAESIDVM SYRIAE.

k Ioseph. antiq. lib. 16. c. 13. & seq. 1

D ro ab Vrbe condita septingẽtesimo quadragesimo octauo præficitur Syriæ, totiq. Orienti C. Cæsar, Augusti filius adoptiuus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Euãgelista [l] recensetur, idẽ qui supra Quirinus, idemq. dictus Cyrinus; quem præfectum tunc Syriæ, ea quæ de eodem Quirino citato loco scribit Tacitus, persuadent, dum ait, proficiscenti dicto C. Cæsari ad bellum Armenicum, quando diximus ex Dione [m] & Velleio Paterculo, Syriæ simul & totius Orientis illi creditam præfecturam; datum insuper fuisse eidem adhuc adolescentulo necdũ vigesimum annum agenti rectorem eumdem P. Sulpitium Quirinum. Illo vero (vt ex Dione diximus) in prouincia defuncto, cum nullus alius substitutus legatur; Quirinum remansisse Syriæ Præsidem, nulla debet esse dubitatio. Hic autem habuit successorem Quintiliũ Varum, quem eodem auctore [n] constat mãsisse in eo magistratu vsque ad Consulatũ Sulpitij Cameri-

l Luc. 2.
m Dio hist. Rom. lib. 53. & Velleius hist. Rom.
n Dio lib. 56.

E ni, & Poppæi Sabini, anno Christi Redemptoris nostri vndecimo. Cui non Quirinus, vt Iosephus habet, sed M. Ambiuius est subrogatus; nisi velimus dicere, eũdem Quirinum adhuc tertio in Syriam Præsidem missum. Ambiuio autem est suffectus Annius Rufus, cuius tempore (vt idem Iosephus [o] testatur) Octauianus Augustus mortuus est. hactenus de successione Præsidum Syriæ.

o Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 3.

Quod autem spectat ad censum per Quirinum in Iudæa actum: si ad historicam veritatem indagandam ipsius Lucæ verba pensemus, cognoscemus non semel tantum, sed iterum actum esse sub eodem Præside censum. Sic enim ait: Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino, &c.] Quòd primam dixit; nemo prudens intelliget, tunc primum censos fuisse Iudæos, atque redactos sub tributo, factosq. Populo Romano victigales. Siquidem longe antea, sub Consulatu Ciceronis & Antonij, Pompeius eos domuit, & tributum ab eis exegit: idq. ipse Cicero [p] in primis testatur; id Iosephus [q], & alij [r]. Neque id semel factum est: nam eumdem Pompeium (vt auctor

LXXXVII. IVDAEI SAEPE CENSI.

p Cic. orat. pro Flacco.
q Ios. antiq. lib. 14. cap. 8. in fin.
r Ammian. lib. 14. Aug. de ciu. Dei lib. 18. c. 45. Hieron. in Dan. cap. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Cæsar in com. de bello ciu. lib. 3. & Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17.
[b] Dio hist. Rom. lib. 55.

est Cæsar[a]) tempore belci ciuilis a Regibus, Dynastis, & Tetrarchis Asiæ totius & A
Syriæ, sub qua continebatur & Palæstina, constat ingentes pecunias corrasisse: quin
etiam auctore Dione[b] scimus, & Gabinium Syriæ Præsidem tributum Iudæis imperas-
se: hoc ipsum & Cassium & ceteros factitasse qui post successerunt Præsides Syriæ, cer-
tum est; ac viginti nouē annis Iudæos Romanis tributa pependisse, antequam Antipa-
ter, Herodis pater, Iudææ procurator a Romanis institueretur, nec postea vmquam
cessasse, tradit Epiphanius[c]. Nec, licet ea prouincia a Romanis Herodi ac ceteris Regi-
bus concessa esset, desijt tamen aliquando tributum soluere: quod ex Euangelio etiam
testatum habemus, cuius auctoritate compertum est, eosdem Iudæos tempore Hero-
dis Regis Rom. Imperatori censum persoluisse; perseuerasseq. vsque ad Vespasiani
tempora eiusdem pensitationem, omnes[d] æque affirmant.

[c] Epiph. in Panar. hæres. 51.
[d] Epiph. hæres. 51. Ioseph. antiq. & de bello Iud. & alij.

LXXXVIII. Quòd igitur ab Euangelista ea descriptio a Quirino prima facta dicitur: non sic (vt B
vidimus) est accipiendum, vt tunc primum Iudæi fuerint descripti atque censi: sed
primam dixerit respectu secundæ sub eodem Præside factæ, more Romano, quolibet
lustro censendo populum. Nec quis subinde existimet impossibile, vt tam diuturno
tempore Quirinus fuerit in prouincia. Nam & Quintilium Varum longe maiori an-
norum numero eamdem administrasse, Iosephus[e] testatur. Rursumq. sub Tiberio Au-
gusto Valerium Gratum in eadem functione vndecim annos exegisse, Pilatum annos
decem (vt de ceteris taceam) idem auctor affirmat[f]. Sed nec id dici patitur Iosephus,
dum scribit[g], his temporibus Varum Præsidem Syriæ, & Sabinum procuratorem Iu-
dææ præfuisse, & vsque ad finem regni Archelai in eo munere perdurasse: nisi dixeri-
mus eodem tempore tres fuisse in magistratu, Varum, Quirinum, & Sabinum, sicut
nuper ante hos totidem easdē administrabant prouincias, Sentius Saturninus, Volum- C
nius, & Pedanius; nam ait[h]: Præsederunt autem rectores, quibus a Cæsare scriptum
fuerat, Saturninus & Pedanius Legati, & cum his Volumnius procurator.] Horum
duo, primus & vltimus, alibi ab eodem auctore[i] sunt Præsides Syriæ appellati; sed
verius est, vt paulo inferius demonstrabimus, Iosephum errasse: qui enim semel ab his
quæ sunt temporis deuiat, in alios simul errores adduci necesse est: prætermissis enim
ab eo nouem annis regni Herodis, portentosos inde necesse esse sequi errores, mani-
festum est.

DIVTVRNIORES SYRIAE PRAESIDES.
[e] Colligitur ex Ioseph. numerando tempus ingressus & egressus.
[f] Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 3. & eod. c. 5.
[g] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 12. De bello Iud. lib. 2. c. 1.
[h] Ioseph. de bel. Iud. lib. 1. c. 17.
[i] Ioseph. antiq. lib. 16. c. 3.

LXXXIX. Sed Tertullianum[k] interim audiamus. Agens ipse pro veritate carnis Christi ad-
uersus Marcionem, hæc ait: Sed & census constat actos sub Augusto nunc in Iudæa
per Sentium Saturninum, apud quos genus eius inquirere potuissent.] hæc ille. Sed
quid est, quod dicit, nunc? quid insuper, quod per Sentium Saturninum ait census D
exactos? Sed iungamus his, quæ rursus de eodem censu inferius habet his verbis[l]: Ne-
mo facile ignorari de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus adhuc
tunc fortasse pendentibus.] hæc Tertullianus: scabrosus plane locus, nec facile su-
perandus. Minime enim placet quod dicitur[m], Quirinum per Sentium Saturninum
egisse censum in Iudæa: nam qui fuerint Saturnini collegæ in administratione pro-
uinciæ, iam nuper vidimus. Rursus præfectura Saturnini nullo pacto ad Christi tem-
pora potuit peruenisse; cum post eum, vsque ad Quirinum, præfuisse illic ad multos
annos Quintilius Varus dicatur. Nec puto dicendum, Quirinum Præsidem ad exigen-
dum censum vsum fuisse administro eodem Varo, quem constat amplissima Consula-
tus dignitate, non, vt Quirinus, semel tantum, sed secundo auctum[n]; primum vna
cum collega Vespillo, secundo vna cum Ælio Cato: indignumq. prorsus haberi, vt Va- E
rus fuerit Quirini minister.

DE CENSV SVB SATVRNINO.
[k] Tert. aduersus Marcionem lib. 4. c. 19.
[l] Idē eod. c. 30.
[m] Pamel. ibi notat. 216.
[n] Fast. Cons. Panuin. ex Dione & aliis collecti.

XC. Sed de his acturis, illud in primis videndum est: Cur dum agit Tertullianus de cen-
su, in quo descriptus est Christus, non potius Euangelij auctoritate dicat a Præside Sy-
riæ Quirino fuisse exactum? Agebat ille aduersus hæresiarcham, qui non recipiebat
Euangelistam de Christi carne loquentem[o]: vnde non adeo mirandum, si posthabito
Euangelio Lucæ, cui (vt iam dixi) non credebat, prouocat ad Romani archiui censuum
antiquas tabulas. Sed cur potius (forte quispiam sciscitabitur) actum dicit per Saturni-
num, quàm per Quirinum? Siste, quæso, parumper & attende: nam in auctore qui est
in eloquendo (vt & docte quidem Lactantius[p] refert) parum facilis, minus comptus,
& multum obscurus, non tantum ipsius orationis periodi atque sententiæ, sed singu-
la verba, ac dictiones, sunt omni studio examinanda. Quid enim quòd cum de eodem
censu

[o] Tertull. lib. de carne Christi.
[p] Lact. lib. 5. c. 1.

A censu agit, diuerso admodum vtitur loquendi genere? Dum enim Saturnini interpo- TERTVLLIANI LOCVS DIFFICILIS LIMVS ELVCIDATVR.
nit personam, sic ait: Census constat actos nunc in Iudæa per Sentium Saturninum.]
Cum vero de Saturnino tacet, mutans stylum, his vtitur verbis: Nemo facile ignora-
ri de genere potuisset, vel de recentibus Augustianis censibus adhuc tunc fortasse pen-
dentibus.] Quorsum hic dicit, tunc? illic vero, nunc? quodq. hic ait, Adhuc fortas-
se pendentibus] inibi vero, Constat exactos?]

Mea quidem sententia, quam volens libensq. eruditorum quorumcumque censuræ XCI.
subijcio, Tertullianus cum non satis exploratum haberet ex Luca Euangelista de Chri-
sto nato, cum Ioseph & Maria venirent in Bethlehem: an ante absolutam descriptio-
nem natus, atque sic descriptus fuerit, nec ne: vt in re dubia, illis vtitur verbis: Adhuc
tunc fortasse pendentibus.] Porro ne ob eam causam eluderetur tota illa argumenta-
B tio, de probanda ex parentibus in censu descriptis veritate Christi carnis; argute ad cen-
sum sequenti lustro peractum, in quo necesse fuit tam Christum, quàm qui dicebā-
tur pater & mater eius, describi, prouocat Marcionem: eoq. sensu accipienda illa ver-
ba: Actos nunc per Sentium Saturninum] ac si diceret, exactos postea. Contigit
enim sequens lustrum, quo (vt diximus) more Romano census agebatur, sub Consula-
tu eiusdem Sentij Saturnini & Ælij Cati[a], post annos quinque a Christo nato, secundū [a] Fasti Panuinī ex Dione.
quod ipse numerat Christi annos. Nam cum ipse dicat agens aduersus Iudæos, super-
uixisse Augustum annos quindecim, ex quo natus est Christus; sane quidem Consula-
tum Sentij Saturnini incidere in annum quintum Christi, certum est. Sicq. quod dicit
census actos nunc in Iudæa per Sentium Saturninum, idem est, ac si diceret, census
actos postea in Iudæa sub Consulatu Sentij Saturnini: Consulum enim nominibus soli-
C tas census cuiuslibet tabulas notari, nullus est qui nesciat. Nec quidem in Tertulliano
magis propriam locutionem, excultioremq. dictionem requirendam esse, qui eius le-
ctioni est assuetus, haud difficulter iudicabit. Nec mirabitur, si quod sub Saturnino
Consule factum est, per eumdem actum dixerit.

Non erat adeo lenis in Tertulliano[b] dubitandi occasio, an in tabulas census Quiri- XCII.
ni Christus relatus esset: quippe qui in primis nesciret, an ante clausas census tabulas [b] Tert. aduers. Iud. c. 8.
fuisset natus: verum etsi certum habuisset natum esse; tamen ante dies octo, cum non-
dum illi esset inditum nomen, quod (vt testatur Euangelista[c]) post circumcisio- [c] Luc. 2.
nem accepit, impossibile erat in tabulas census inferri, in quibus cuiusque profitentis
scriberetur nomen. Constat enim iure antiquo Romanorum[d] omnes cuiusque ætatis [d] Dionysius Hal. lib. 4.
& sexus, quantumlibet infantes, censeri solitos; itemq. & Iurisconsultū postea respon- l. ætatem. ff. de cēsib.
D disse, eum qui post descriptionem natus infans esset, ante tamen quàm eadem descri-
ptio absoluta esset, in ipsas census tabulas adscribendum: scimus tamen, non tantum
(vt diximus) apud Iudæos ante octauum diem, quo nomen indebatur infanti, id fieri
minus licuisse, sed nec apud ipsos Gentiles quidem; quippe qui (vt habet Festus Pom-
peius[e]) feminæ die octauo, masculo autem die nono (qui dicebantur lustrici dies) no- [e] Fest. Pomp. in verb. lustrici.
men imponere consueuerant. At licet de his Tertullianus iure dubitare potuisset: ta-
men pendente adhuc census descriptione sub Quirino, Iesum Christum Dominum no- [f] Epiph. lib. 1. c. vlt.
stru esse natum, circumcisum, atque descriptum, Patres omnes pari consensione [g] Iust. orat. ad Anton. Pium.
confirmare videntur. Circumcisum ipsum eodem loco quo natus est, auctor est Epi- CHRISTVS DESCRIPTVS SVB QVIRINO.
phanius[f]: Iustinus[g] martyr sub Quirino descriptum fuisse profitetur: id apud Cy- [h] Cyrill. in Iul. lib. 6.
rillum[h] Iulianus Apostata; id Orosius, dum ait: Romano censui, statim vt natus est,
E adscriptus est, dicendus vtique ciuis Romanus census Romani professione.] hæc ille [i] Notat Sig. ex Liuio, Cic. & aliis lib. 1. c. 14. de inr. antiq. Rom.
iure antiquo Romanorum[i], quo ex descriptione in chartis censuum quis argueretur [k] l. in orbe. ff. de stat. hom.
ciuis esse Romanus: qua etiam ratione omnes, qui in orbe Romano sunt, inquit Iu-
risconsultus[k], ciues Romani dici possunt, quòd censu Romano descriptus sit vni-
uersus Orbis.

Quod vero ad descriptionem infantium pertinet, postea concessa est immunitas pro- XCIII.
uinciæ Syriæ, sub qua & Iudæa censebatur, vt nonnisi puberes adscriberentur in tabu-
lis censuum, & qui non illam attigissent ætatem, haberentur immunes, prout & Iuris- [l] l. forma. ff. de censib.
consultus[l] de his agens testatur. Sed (vt iam nonnihil intermissa repetamus) quod
diximus descriptionem per Quirinum factam, fuisse lustralem, & quolibet quinquen-
nio repeti solitam; sic accipiendum esse proponimus, vt lustralis census quolibet quin-
quennio agi solitus, Augusti illo edicto, cuius meminit Euangelista, auctus fuerit, ma-
gnumq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVALIS CENSVS QVO CHRISTVS DESCRIPTVS.

a Cens. de die Nat. c. 15.
b Tertull. de pal. c. 2.
c Cassiod. Var. lib. 3 epist. 52.

CENSVS AVGVSTI RATIO.

gnumq. acceperit incrementum. Sæpe namque census descriptionis mutatam esse formam, qui Liuium & Dionysium legerit, facile intelliget. Porro perseueraſſe in futurum lustralis census exactionem vsque ad Vespasiani Imp. tempora, Censorinus[a] fidem facit: sed Tertullianus[b] in libro de Pallio, suis adhuc temporibus census scribi solitos testatur, cum ait: Deo tot Augustis in vnum fauente, quot census transcripti, quot populi propaginati?] Cassiodorus[c] de Orbis descriptione ab Augusti edicto imperata eam affert causam, quòd cum ob bella ciuilia immensis vniuersus Orbis afflictatus cladibus esset, ipsaq. rerum dominia haberentur incerta atque confusa; his prospicere curans Augustus, Romanum orbem agris diuisit, censumq. describi voluit, vt possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate soluenda.] hæc ibi. Illa adhuc affertur causa, quam Suidas[d] sic scribit: Cæsar Augustus monarcha viros viginti probatissimæ vitæ delectos in omnes prouincias misit, per quos & homines & opes descripsit, edixitq. vt iustam inde in ærarium partem inferrent. Hæc descriptio prima facta est; cum hi, qui eum antecesserunt, quid non possessoribus eriperent? vt locupletibus publico essent crimini diuitiæ.]

d Suid. hist. verb. Καισαρ Αυγουστος

XCIV.

Quod vero ad numerum censorum spectat, idem inferius cum de Augusto agit, hæc ait: Huic cum visum esset numerare omnes Romani Imperij incolas, vt sciret quanta esset multitudo; reperit myriades quatuor centum decem mille, & tredecim viros.] Sed corrigendus mendosus textus, vt dicat, quater centum. Alia insuper redditur huius census ratio[e]; quòd cum Augustus vectigalia omnia prouinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituit, alia in agros, alia in capita; itaque censum in toto Imperij Romani orbe indixit, vt capitum fortunarumq. summam, quæ in Imperio esset, cognosceret. Verum præter lustralem censum, ob exhaustum nimis ciuilibus bellis ærarium, alias sæpius idem Augustus tributum imperauit: ac primum (vt scribit Dio[f]) Marcio & Sabino Coss. anno ab Vrbe condita septingentesimo decimo quinto, noua vectigalia excogitauit, estq. ille ipse annus quartus Triumuiratus, quo & ab Æra, numeri nota, in Hispanijs cœpti sunt anni numerari. Rursus etiam ipso sextum Consule vna cū Agrippa, census nomine pecuniam exegit[g]. Sub Consulatu insuper Poppæi Sabini & Sulpitij Camerini, inuidiosam illam de caducis hereditatibus legem, Poppæi nomine, ferendam curauit[h]. Quid dicam de collatione vigesimæ imperata? Quid de censo Senatu, quando tam ingens est exacta pecunia, vt multi sponte a Senatu abierint? Quid insuper de censu per Italiam exigi iusso? Meminit de his omnibus Dio[i]. De censu etiam tribus Gallijs ab eodem imperato agit Florus[k].

a Sigon. de Iur. antiq. Ital. lib. 3. c. 21.

PLVRES CENSVS EXACTI AB AVGVSTO.

f Dio hist. Rom. lib. 48.
g Dio lib. 53. in prine.
h Tacit. lib. 3. Annal.
Plin. in paneg. & alij.
i Dio lib. 54. 55. & 56.
k Flor. in Epitom. Liu.

XCV.

Iam vero admirari fortasse aliquis posset, ac perinde quærere: Quid est quòd nullus Ethnicorum historicorum, qui res Romanorum sunt prosecuti, de tam celebri descriptione ac nobilissimo censu aliquando meminerit? Ceterum haud adeo admirandum esse cognoscet, qui nobilissimorum præstantissimorumq. historicorū monumenta, illorum præsertim temporum, quibus hæc contigerunt, excidisse consideret. De Liuio sciunt omnes: de Dione & Tacito, qui res Romanorum per annos singulos diligēti cura studioq. conscripserunt, quid dicam, in promptu est: nimirum Dionis historiam a Consulatu Antistij & Balbi vsque ad Consulatum Messalæ & Cinnæ, nempe per decem annorum spatium, quinque ante Christum natū, totidem post, e commentarijs sublatam, omnino perijsse. Taciti vero Annales incipere ab Imperio Tiberij Cæsaris, omnes sciunt. Suetonius, qui restat, sic scripsit Vitas Romanorum Imperatorum, vt nullum sibi præscripserit seruandi temporis ordinem: quamobrem multa prætermisisse, collatione facta illorum qui in scribendo per Consules res gestas cuiusque anni memoriæ commendarunt, perfacile conuinci potest.

XCVI.

CHRISTI SVB QVIRINO CERTA DESCRIPTIO

Certe rem tam patentem & claram, ex ipsis Romanis archiuis, in quibus cuiusque census tabulæ asseruabantur, quas nostri citare consueuerunt, certam, testatam, obsignatamq. sibi fidem publicam vendicasse, certum est: adeo vt non Celsi, non Porphyrij, non denique Iuliani, vel si qui alij Christianæ fidei extiterunt acerrimi oppugnatores, negare sint ausi; nisi tantum ceteris omnibus impudentiores, quos diximus, nostri sæculi nouatores: qui, quod ait Iudas Apostolus, quæcumque ignorant, blasphemant; quæcumque autem norunt, in his corrumpuntur.] Ecce quam libere Iustinus[l] martyr publica defensione Christianæ fidei apud Antoninum Pium, eiusq. filios Cæsares, ipsumq. Senatum, necnon populum Romanum agens, de descriptione census sub Qui-

l Iust. mar. apol. ad Anton. Pium.

sub Quirino his meminit verbis: Vicus, inquit, quidam est Bethlehem in regione Iudææorum, triginta quinque stadijs Hierosolymis distans: vbi natus est Christus Iesus: quemadmodum & ex descriptionibus census acti, quæ sub Quirino primo vestro in Iudæa procuratore sunt confectæ, intelligere potestis.] Rursus & Tertullianus[a] de ijsdē descriptionis tabulis hæc contra Marcionem reijcientem Euangelium: De censu, inquit, Augusti, quem testem fidissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiūt.] Non tantum itaque Euangelica veritate, sed & publica fide Romani archiui, illis temporibus probata obsignataq. erat historia de Christo a Quirino in tabulis census scripto. Meminit eiusdem Quirini Suetonius[b], eumq. hominem fuisse prædiuitem testatur: hunc & vsque ad Tiberij Imperatoris annum septimum superuixisse, asserit Tacitus[c], qui eius natales, res gestas, ac funus compendio scribit.

a Tertul. cont. Marc. lib. 4. c. 7.
b Suet. in Tiberio c. 46.
c Tacit. lib. 3. Annal.

XCVII.

DESCRIPTIO GEOMETRICA AVGVSTI.

His de facta ab Augusto Orbis descriptione narratis, præterijsse nolumus aliam ab hac diuersam, sed quæ huic haud parum conferret, ab eodem Augusto absolutam Orbis descriptionem, nempe geometricam: quæ nimirum ad Romani Imperij censendas prouincias, loca, atque personas, maxime conduceret. Hanc a Iulio Cæsare inchoatam Augustus absoluit: sed quo ordine & tempore, Æthicus rem gestam describens, sic demonstrat: Itaque Iulius Cæsar bissextilis rationis inuentor, diuinis humanisq. rebus singulariter instructus, cum Consulatus sui fasces erigeret, ex Senatusconsulto censuit omnem Orbem iam Romani nominis admetiri per prudentissimos viros, & omni philosophiæ munere decoratos. Ergo a Iulio Cæsare & M. Antonio Coss. Orbis terrarum metiri cœpit: id est, a Consulatu suprascripti, vsque ad Consulatum Augusti tertium & * Crassi, annis * vigintiuno, mensibus quinque, diebus nouem a Zenodoro omnis Oriens dimensus est sic, vt inferius demonstratur. A Consulatu item Iulij Cæsaris & M. Antonij, vsque ad Consulatum Augusti decimum, annis * vigintinouem, mensibus octo, diebus decem a Theodoto Septentrionalis pars dimensa est, vt euidenter ostenditur. A Consulatu similiter Iulij Cæsaris, vsque ad Consulatum * Saturnini & Cinnæ, a Polycleto Meridiana pars dimensa est annis triginta duobus, mense vno, diebus decem, sic vt definita monstratur. At sic omnis Orbis terræ intra annos triginta duos a dimensoribus peragratus est, & de omni eius continentia perlatum est ad Senatum.] hucusque auctor.

** al.* Coruini
** al.* xx.
** al.* xx.
** al.* Messalæ & Quirini.

XCVIII.

DESCRIPTIO VNIVERSALIS.

Absoluta sunt hæc atque perfecta ante Christum natum anno decimo, secundum præscriptum annorum numerum, licet in prænotatis Coss. error inesse appareat. Ex his factum est, vt dimensis atque distinctis Romani Imperij prouinciarum, ciuitatum, ac locorum limitibus, facilior aditus pateret tum ad hanc de qua agimus, tum ad alias Romani Orbis per censum descriptiones faciendas. Meminisse visus est[d] Plinius eiusdem descriptionis, dum se in describenda Italia sequi profitetur eam quæ est ab Augusto facta descriptio. Idemq. dum hæc alibi[e] ait: In diuo quoque Augusto, quem vniuersa mortalitas in hac censura nuncupat] nempe eam, quam Vespasianus & Titus recens egerunt, de qua idem[f] inferius meminit: significare videtur, in quolibet repetito in Orbe Romano lustris singulis censu, mentionem Augusti fieri, quòd primus omnium vniuersum Orbem Romano subiectum Imperio censuisset. At de censibus satis.

d Plin. lib. 3. c. 5
e lib. 7. c. 45.
f lib. 7. c. 49.

XCIX.

DE ANNO QVO NATVS EST CHRISTVS.

Quibus vero Consulibus, qua Olympiade, quoto insuper Augusti Imperij anno, simul & Herodis Regis, potissimum hæc sit facta descriptio; quo etiam & natus Redemptor noster Dominus Iesus Christus perhibeatur, reliquum est vt perquam studiose inuestigemus. Hæc basis quædam ac fundamentum Annalium esto. Perspecto etenim vero, quo Christus natus est anno, ceteri qui ab eo dinumerantur, veri certiq. supputabuntur. Quòd si quem in hoc primo anno errare contigerit, in singulis alijs errare, quisquis fuerit, licet inuitus, cogetur; quod multis, licet non mediocriter eruditis, accidisse vidimus. Quapropter omni studio ac diligentia videndum nobis est, vt certus annus, quo natus est Christus, firmiter testatus habeatur, in quo velut cardine quodam tempora futura voluantur.

C.

In eo itaque perquisitigando, certior ille modus est habitus, quo per Coss. & Olympiadas tempora disquiri consueuerunt. Vnde in hanc sententiam Augustinus[g]: Per Olympiadas, & Consulū nomina, multa sæpe quærantur a nobis; & ignorantia Consulatus, quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare.] Ergo quod ad Consules spectat, quibus natus est Iesus: tres, eædemq. diuersæ reperiuntur fuisse antiquo-

g Aug. de doct. Christ. lib. 2. c. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVIBVS COSS. NATVS SIT CHRISTVS.

antiquorum sententiæ; quarum primæ auctor est Epiphanius, secundæ Cassiodorus, tertiæ vero est Seuerus assertor. Testatur Epiphanius [a] natum esse Dominum Iesum humani generis Saluatorem Augusto decimumtertium & Siluano Coss. Cassiodorus [b] natalem Domini, Cornelij Lentuli & Valerij Messalæ seu Messalini Consulatu consignat, præcedentis scilicet anni Coss. Seuerus [c] autem neutri horum consentiens, annum anticipans, natum Christum dicit Sabino & Ruffino Coss. Nos vero harum trium duabus extremis reiectis, quasi regiam viam gradientes, mediam sequimur. A

a Epiph. in Panar. hær. 51.
b Cassiodor. in Chron.
c Seuer. histor. lib. 2.

CI.

Scimus in his desudasse disertorum virorum ingenia; & eum qui inter recentiores de Fastis Consularibus fusius disputauit [d], eius fuisse sententiæ, vt, quod sensit Epiphanius, natus fuerit Dominus Augusto & Siluano Coss. In quam & nos alias pedibus ieramus. Re tamen ipsa accuratius peruestigata, Cassiodoro potius acquiescimus, a quo nec re vera dissensisse videtur Epiphanius, nisi quòd dum ipse de die natalis Christi est secutus Ægyptios, qui sexta Ianuarij Christum natum esse dicebant [e], non oportuit sub dictis Coss. Lentulo & Messalino, sed sub dictis sequentis anni Coss. Augusto & Siluano, natalem Domini constituere. Quòd ipse æque cum Latinis & Græcis, natum Dominum existimasset vigesima quinta Decembris, sub ijsdem Coss. natalem Christi vtique collocasset: nam eius [f] sententia est, vt passus sit Christus anno trigesimo tertio per tres menses inchoato: nec quantumlibet dicat Dominum natum quadragesimo secundo Augusti, ab ea sententia discrepare videtur, vt paulo inferius suo loco dicemus. Illud insuper, vt Cassiodorum sequamur, maxime persuadet, quòd homo Romanus, litterarum omni genere excultissimus, & in his apprime versatus; vt qui non tantum Consulares Fastos, sed & de computo Paschali libellum conscripsit, magna adhibita consideratione; nec aliter quàm Romana profiteretur Ecclesia, sub dictis Coss. Christi natalem posuisse videatur. Secutus est Cassiodori sententiam Marianus Scotus, qui ante quingentos annos claruit chronographus nobilissimus; eamdemq. nouissime Cuspinianus pariter est secutus in suis ad Cassiodorum commentarijs. B C

d Panu. in commēt. Fast. lib. 2.
e Chrysost. hom. in Luc. cap. 2. in Nat. Domin. & Cassian. collat. 10. cap. 1.
f Epiph. hær. 51.

CII.

QVA OLYMPIADE NATVS SIT CHRISTVS.

Hæc igitur esse vera certaq. ex ipsa etiam supputatione Olympiadum certius demonstrabimus. Natus est enim Dominus Olympiade centesima nonagesima quarta, anno ipsius secundo. Id sentit Eusebius, dum in Chronico descriptionē factam a Præside Syriæ Quirino (quo anno, vt dictum est, & Christus est natus) sub eodem anno secundo Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ ponit: errore tamen librariorū factum est, vt natalis Domini, sequenti anno, nempe tertio eiusdem Olympiadis, positus habeatur: cum toto cælo appareat, tam descriptionem â Quirino factam, quàm natalem Domini vno eodemq. anno recensenda fuisse. Sed hæc clariora redduntur, si quæ idem auctor alibi scripsit [g], accuratius expendantur. Cum enim dicat, annū decimum quintum Tiberij Imp. incidisse in annum quartum Olympiadis ducentesimæ primæ, quod etiam in Chronico profitetur; idemq. affirmet [h] eum annum fuisse ætatis Christi trigesimum: ab eo tempore superiores Olympiadas numerans, proculdubio inuenies natum Dominum dicta Olympiade centesima nonagesima quarta, anno secundo. Nam cum septem intersint plenæ Olympiades, & duo reliqui sint anni nuper dictæ Olympiadis: septenario quater reuoluto, superq. additis illis duobus annis, trigesimus Christi ætatis impletur annus. Cum igitur Consules a Cassiodoro positi, Consulatum inijsse reperiantur dicta Olympiade, anno secundo; fateri necesse est, sub dictis Coss. eodemq. anno secundo Olympiadis, Dominum esse natum. D

g Euseb. de præparat. Euangel. lib. 10. cap. 3.
h Idē in Chron. & lib. 2. c. 10.

CIII.

QVOTO ANNO AVG. IMP. CHRISTVS SIT NATVS.

Quo insuper anno Imperij Octauiani Augusti Christus sit natus; cum alij ab alijs diuersam inierint rationem in annis eius Imperij supputandis, diuersarū etiam sententiarum auctores fuere; dum alij quadragesimo secundo, alij vero quadragesimo primo, rursumq. alij vigesimo octauo eiusdem Octauiani Imperij anno ipsum Dominum natū esse dixere. Quòd vero idem Eusebius [i] Christi natiuitatem incidisse dicat in annum quadragesimum secundum Augusti Imp. constat cœpisse numerare annos Augusti a nece Caij Iulij Cæsaris: a quo tempore deducendo annos quadragintaduos, natalis Christi in Olympiadem centesimā nonagesimam quartam & annum ipsius secundum (vt diximus) incidisse dicendus est. Sed aduertendum in eo illud, quòd licet Eusebius [k] eodem anno, quo occisus est Cæsar, Octauiani ponat ingressum, idq. anno primo Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ; tamen errore librariorū factum, vt primus Augusti annus anno secūdo dictæ Olympiadis positus habeatur. Quotquot igitur antiqui E

i Idē lib. 1. c. 5.
k Eusebius in Chron.

tiqui scriptores Christum natum anno quadragesimo secundo Augusti dixerunt, a nece C. Iulij Cæsaris annos numerare cœpisse videntur. Reperies Ethnicos antiquiores auctores ab eo tempore annos eiusdem Imperatoris numerare solitos esse, & in primis Horatium [a] his versibus: A

a Horat. lib. 4. oda 14.

——— Nam tibi quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam:
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemq. & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit.]

Cum itaque lustro tertio Imperij ea potitum victoria, & Alexandriam cepisse dicat; ipsum a nece Cæsaris annos Augusti numerare, satis apparet. Alexandriam enim non eodem anno quo Actiaca pugna est victus Antonius, sed sequenti, sexto Kal. Aprilis esse debellatam, notatur in Fastis. Tacitus etiam, siue alius auctor dialogi de Oratoribus, nonnisi a nece Cæsaris numerat Augusti annos, dum imperasse annos quinquaginta & octo testatur. Iosephus [b] quoque cum dicat eumdem regnasse annis quinquaginta septem, sex mensibus, & amplius diebus duobus; & ipsum a morte Cæsaris annos illius Imperij numerare cœpisse, certissimum est. Cum ergo vetustiores, & qui ceteris auctoritate præstarent auctores, a nece Cæsaris Augusti annos numerando deduxissent; complures nostrorum eamdem ineuntes numeri rationem, more maiorum, natum dixerunt Christum Dominum anno quadragesimo secundo Augusti Imperatoris: B

CIV.

NVMERATI AVGVSTI ANNI A NECE CAES.

b Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.

est idem quoque annus Lentulo & Messalino Consulibus in Fastis adscriptus: fuerunt hi post Eusebium, Epiphanius [c], Chrysostomus [d], Orosius [e], Beda [f], & alij [g]; quod & ipsa S. R. Ecclesia in suo Martyrologio [h] profitetur. Porro non ea tantum ratione quia heres institutus a Cæsare illi successit Octauius: sed quoniam suprema ac maxima omnium potestas eidem ex S. C. cum eum armauit in Antonium, collata est; ab eo tempore inchoari visum est eius Imperium. Habes id egregie testatum ex Bruti [i] litteris ad Ciceronem, dum de ornato & aucto Octauio summa Imperij potestate conqueritur, dicens: Itaque timeo de Consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis, quàm inde, si Consul factus sit, descensurum.] & alia plura id genus. Quæ etiam idem auctor refricat, cum in Antonium agit vndecima Philippica, appellatq. illud Imperium extraordinarium: quòd cum duci qui vicisset, daretur nomen victoriæ, acclamareturq. a militibus Imperator, ipsi Octauio fuerint hæc ante pugnam collata. C D

c Epiph. hær. 51.
d Chrysost. hom. Græce scripta de Indict.
e Oros. lib. 1. c. 1. & 7.
f Beda de sex ætat.
g Alb. Flac. de diuinis offi.
h Ro. Mart. 25. December.
i Apud Cicer. epist. ad Brut.

Rursus vero alij reperiuntur numerasse Augusti tempus ab anno sequenti a nece Cæsaris, quo Hircio & Pansa Consulibus in bello desideratis, idem Octauius Consulatum inuasit decimoquarto Kal. Septembris, vt Tacitus & Dio testantur, dum aiunt, Augustum illum diem habuisse supremum, quo primum inierat Consulatum: Quo item anno, ante quintum Kal. Decembris, cum Lepido & Antonio fœdus iniens, Triumuiratum instituit, quod ex antiquis lapidibus tabulisq. Panuinius [k] testatum prodidit. His ita se habentibus, complures, qui numerarunt annos Imperij Augusti ab arrepto Consulatu, & Triumuiratu proxime nondum per mensem inito, cum idem Octauius annum ætatis ageret vigesimum; natum dixerunt Christum Dominum anno quadragesimo primo eiusdem Imperatoris Augusti, quo Lentulus & Messalinus Consules erant: porro non aliam eos inijsse rationem annorum Augusti, exploratissimum est, cum nulla subesset causa, vt a sequenti anno, vel reliquis, annum primum illius Imperij auspicari potuissent. Fuerunt autem ex antiquis auctoribus, qui natum Dominum dixerunt anno quadragesimo primo Augusti: vt Irenæus [l], Tertullianus [m] (licet hic memoria lapsus, a morte Cleopatræ eos deducat) Hieronymus [n], & alij recentiores, qui omnes secundum assertam nuper rationem, Christum natum esse sub præfatis Consulibus Lentulo & Messalino, nobiscum æque consentiunt. Non prætermittimus, alia adhuc habita ratione annorum Augusti, alios dixisse Dominum natum anno vigesimo octauo eiusdem Imperij: fuerunt hi Clemens [o] Alexandrinus & Eusebius [p], qui quidem putarunt tot intercedere annos ab Actiaca pugna vsque ad natalem Domini: nam Eusebius in Chronico debellatos ab Augusto Antonium & Cleopatram ponit Olympiade E

CV.

QVI NVMERARVNT ANNOS AVG. A TRIVMVIRATV.

k Panuin. com. in 2. lib. Fast.
l Iren. adu. hær. lib. 3. c. 25.
m Tertul. contr. Iud.
n Hieronym. in Isa. c. 2. in Dan. c. 9.
o Clem. Alexan. strom. lib. 1.
p Euseb. hist. lib. 1. c. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

centesima octogesima septima, anno tertio; a quo numerare incipiens dictos annos vigintiocto, æque confirmat natum Dominum Olympiade cētesima nonagesima quarta, anno secundo, dictis Coss. Lentulo & Messalino: cum tamen, auctore Dione & alijs, reperiatur contigisse ea victoria [a] anno ab Vrbe condita septingentesimo vigesimo tertio, quarto Nonas Septembris, Augusto tertium & Messala Coss. dictæ Olympiadis anno secundo. A

a Dio lib. 56. & 51.

CVI. ANNVS NATALIS CHRISTI DEDVCTVS A TEMPORE BAPTISMI.

Sic igitur dicta Cassiodori sententia omnium auctorum attestatione firmata atque stabilita habeatur: quæ potissimum Lucæ Euangelistæ [b] testimonio solidatur, dum baptismum Christi contigisse narrat anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris: quando, inquit, ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, &c.] Quorum verborum cum multiplex sensus [c] a Patribus afferatur; quis potior sit, & quis omnium maxime præferendus & eligendus, accurate perscrutemur. Fuit Epiphanij [d] sententia, Christum baptismi tempore sic dictum ab Euangelista fuisse quasi triginta annorum, vt exactis vigintinouem annis, ac mensibus decem, duobus mensibus minor fuerit ætate annorum triginta: hæc ille ea ratione, quòd baptizatum fuisse Dominum existimarit ad sextum Idus Nouembris. Fauet huic opinioni Cornelius Iansenius [e], vigilantissimus sacrarum litterarum interpres. Sed communior illa videtur antiquorum Patrum sententia, asserentiū Christum Dominum eo anno, quo est baptismate initiatus, inijsse annum trigesimum, cui omnes sunt adstipulati, qui Christum passum existimarunt ipso ætatis suæ anno trigesimo, vt Tertullianus [f], Africanus [g], Lactantius [h], & alijs sed primum auctorem sanctum Ignatium constituunt, quòd ipse scribens ad Trallianos, dicat Christum triginta annos agentem baptizatum esse a Ioanne: cui sententiæ cum nonnulli ex recentioribus faueant, nouissime R.P.Benedictus [i] Pererius, vir sacris litteris nobiliter imbutus, & eas apprime callens, eamdem confirmauit. B C

b Luc. 3.
c Consule Cornelium Iansen. Concord. Euāg. d Epiph. hæres. 51. e Cornel. Iansen. eod. lib.

AETAS CHRISTI CVM BAPTIZATVR.

f Tertul. contra Iud.
g African. apud Hieron. Daniel. c. 9.
h Lactan. lib. 4. c. 10.
i Bened. Perer. com. in Daniel. lib. 7. q. 6.

CVII. TEMPVS CHRISTI BAPTISMI.

Tertia opinio fuit asserentium Christum baptizatum esse trigesimo suæ ætatis anno expleto, & trigesimoprimo inchoato, quasi tunc re vera dici posset triginta annorum, cum illos explesset: non enim dictionem illam, quasi, numeri diminutionem semper importare, nec dubitatiue semper poni, sed assertiue, pluribus diuinæ Scripturæ locis demonstrari potest. Huius opinionis primus assertor habetur Ioannes Chrysostomus [k], quem sequitur Euthymius [l]. Complures vero Græcorum idem sensisse, argumento est canon ab illis statutus, quo hæc describta habentur [m]: Si quis triginta ætatis annos non impleuerit, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus: quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere.] innuentes illi nimirum ad illud Lucæ, quod hoc ordine Græce traducitur: Erat ipse Iesus quasi annorum triginta, incipiens.] sicut & Origenes interpunctione distinguit illud, incipiens, a superioribus; quasi Lucas dicere voluerit: Ea ætate erat Dominus, cum cœpit munus suum peragere. Rursus Beda [n], Bernardus [o], & alij [p] complures recentiores eamdem interpretationem sunt secuti: quorum rationes non morabor singulas recensere; sed vnus mihi satis superq. atque omnium instar Ignatius erit, qui cum vixerit Christi tēpore, eumq. in carne viderit (vt de eo testatur Hieronymus [q]) quo potissimum ætatis suæ anno Christus fuerit baptizatus, ignorasse non potuit: certe fideliorem verioremq. Lucæ Euangelistæ interpretem Ignatio neminem quis iure dixerit: dum quæ de Christo scripsit, ob oculos habuit. D

k Io. Chrysost. hom. 12. in Mat. l Euthym. in Matth. c. 3.
m Mart. Brach. lib. can. Græc. c. 20.
n Beda de rat. temp. c. 45.
o Ber. ser. 1. de Epiph.
p Lirin. Luc. 3. & nouis. Scal. de emend. temp. lib. 6. c. 2. prope fin.
q Hier. de Scrip. Eccl. c. 16.

CVIII. S. IGNATII SENTENTIA IRREFRAGABILIS.

Mirati sumus vehementer locum illum Ignatij epistolæ ad Trallianos ab omnibus qui eam quæstionem fusius disputarunt, vitiosa translatione esse citatū, atque in eum sensum allegatum, vt ipse affirmarit, Dominum trigesimo suæ ætatis anno (vt habet vetus ac perperam facta ex Græco in Latinum versio) esse baptizatum: sed recens versio eademq. germana atque sincera sic habet [r]: Et expletis tribus annorum decadibus vere baptizatus est a Ioanne.] Græce autem sic: Καὶ ἓξ ἐπὶ δεκάδας ἐπὶ πολιτεσπάρμος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου.] Aduersus igitur tam patens apertumq. de ætate Christi Ignatij testimonium, nemo vel mutire, nedum refragari iure debet; cum præsertim S. R. Ecclesia istud ipsum professa videatur in antiquo Rituali, quod Ordinem Romanum appellant; vbi cum agitur de Epiphania, hæc verba describta habentur: Solemnitas hæc Græcis θεοφανία, siue ἐπιφανία nuncupatur, Latine autem apparitio, siue ostensio, vel manifestatio interpretatur. Expletis namque Christus quasi triginta annorum curriculis, venit in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.] hæc Ordo Romanus, quæ etiam E

r Habetur in tom. 1. Bibl. San.

A etiam recitat Albinus Flaccus [a]. Quòd vero hæc dictio, quasi, non dubitatiue vel diminutiue sit posita, velut aliquid desit de expleto triginta annorum numero, sed potius affirmatiue, vt illud Ioannis [b]: Quasi vnigeniti a Patre] et illud Pauli ad Corinthios [c]: In eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatē tamquam a Spiritu Domini] satis expresse colligitur. Nam nisi Epiphanio consenserimus, qui ait Christum baptizatum esse sexto Idus Septembris, a cuius sententia Romana Ecclesia semper abhorruit: nulla ratio patitur, vt Christus baptizatus sit ad finem anni trigesimi: cum constet de die baptismi, nēpe sexta Ianuarij, vt antiqui Patres & ipsamet Ecclesia profitentur. Itaque vel oportuit ipsum baptizatū esse ipso initio anni trigesimi, vel illo expleto, anno sequenti a Kalendis Ianuarij per dies sex inchoato: sicq. Ordinem Romanum esse intelligendum, prudens quisque cognoscet.

a Albin. Flaccus de offic. eccl. c. 6.
b Ioan. 1.
c 2. Cor. 3.

B At vero si ex his manifestū indubitatumq. reddatur (vt profecto redditur) Christum Dominum tempore sui baptismi, anno decimoquinto Imperij Tiberij Cæsaris, iam expleſſe trigesimum annum & trigesimumprimum inchoasse: equidem si ceteros Christi annos ad suū principium reducas, plane inuenies ipsum natum sub dictis sæpe Lentulo & Messalino Coss. Olympiade, vt dictum est, centesima nonagesimaquarta, anno secundo: sicq. firmam ratamq. haberi de tempore natalis Domini nuper Cassiodori recitatam sententiam, quam in omnibus cum Romana Ecclesia esse concordem, vel saltem ex eo videre possis, dum idem auctor in suo Paschali cyclo, post Consulatum Basilij vicies semel, annos Domini numerat quingentos & sexagintaduos: qua ratione, per singulos annos vsque in hodiernum sæcula numerando, æque in omnibus consentientem cum Romana Ecclesia eumdem numerum annorum inuenies: Quomodo vero in C Fastis Onuphrij Panuinij annus superabūdet, suo loco inferius facile demonstrabimus. His igitur examinatis atque discussis breuiter quantum potuimus; esto velut γνώμων totius futuri temporis fixus atque firmatus primus Christi annus sub Consulatu Lentuli & Messalini, Olympiade centesima nonagesimaquarta, anno secundo, ab Vrbe condita secundum Varronianam ab antiquis magis probatam atque receptam supputationem, anno septingentesimo quinquagesimoprimo. CIX. PROBATA A ROM. ECCLESIA CHRONOGRAPHIA.

Sequimur in annis Vrbis Varronē magis, quàm alios secus supputantes, quòd rerum antiquarū Varrone doctiorem neminem fuisse constet, testificatione Ciceronis & aliorum omnium eidem absque dubitatione aliqua primas deferentium; cum tamen alios aliter supputare annos Vrbis consueuisse certo sciamus, nec Varronem omnes esse secutos intelligamus: nam Ausonius Gallus, annum sui Consulatus Vrbis annis consi- D gnans, mille centum decem & octo annos interlapsos testatur his versibus: CX. ANNI AB VRBE CONDITA VARII.

Vrbis ab æternæ deductam Rege Quirino
Annorum seriem cum Procule accipies;
Mille annos, centumq. & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen aduſque leges.] vel cum ait:
Annis vndecies centum, coniunge quaternos
Vndecies, vnamq. super trieterida necte:
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.] Quæ quidem Ausonij supputatio Varroniana minor est annis viginti. Nec arroget sibi quisquā ex Olympiadū annis certū posse deducere inchoatæ Vrbis exordiū. Nam quis Varrone in Olympiadū supputatione peritior? nouit & calluit ipse eas, nec aliunde quàm ex illis annos Vrbis creditur consignasse. Sed quòd nec adeo omnino absque controuersia stabilita inueniatur Olympias E & annus eius quo cœpta est Vrbs condi, idcirco non eadē omnium ea de re vna sententia. Sed & nec a quo anno incipiendi sint numerari Vrbis anni, an ab excitatis mœnijs eius, vel ante, penes antiquos vna fuit assertio. Hæc idcirco dixisse voluimus, quo intelligamus haud tuto & certo posse Christi annos a conditæ Vrbis tempore numerari.

Licet igitur ex dictis satis testatus annus, quo indicta descriptio, ac natus est Christus, tam per Romanos Consules, quàm per Græcorum Olympiadas habeatur: tamen ex consuetudine sanctorum Prophetarum, qui ex chronologia Regum Iuda consueuerunt signare tempora; & nos, quo potissimum anno Herodis Regis Christus sit natus, perquiremus: etiam si rem haud facilem, immo satis molestam aggrediamur, quam eruditissimorum virorum hactenus ingenia & mentes torsisse videmus. Nam qui sibi Iosephum in omnibus sequendum proposuerit, ab Euangelica veritate (proh nefas) declinet necesse est. Et quoniam dicere, illum erraſſe, nec erroris monstrare causam, & CXI. QVO ANNO REGIS HERODIS CHRISTVS NATVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veritatem patefacere, parum liberalis & eruditi hominis esse videtur; age, in primis A
quæ idem auctor de annis Herodis Regis scriptis mandauit, adducamus in medium.

CXIII. Collatum Herodi regnum Romæ ex Senatusconsulto, Domitio Caluino & Asinio
Pollione Consulibus, Olympiade centesima octogesimaquarta, Iosephus [a] testatur, cui
& Dio Cassius [b] assentitur. Verum Antigono Iudæorum regnum inuadente, Herodes
non est eo potitus, nisi eo debellato; quãdo Marci Antonij ope & voluntate, per Sosium
Syriæ Præsidem restitutus, liberas regni habenas moderatus est: quod factum esse M.
Agrippa & Caninio Gallo Consulibus, Olympiade centesima octogesimaquinta, idem
Iosephus [c] affirmat; qui colligens Herodis regni annos, numerat ab institutione facta
ex S. C. vsque ad eius obitũ annos triginta septem, a restitutione vero per Antonium
facta annos triginta quatuor. Si igitur dictos annos triginta septem Herodis regni nu-
meres per Consules & Olympiadas subsequentes; proculdubio Herodem ante Re- B
demptoris nostri natalem ex humanis desijsse, certissimũ est, tam si illos triginta septem
per sequentes Consulatus deducas annos, quàm si per Olympiadas: sed tunc opus est
vt ab anno quarto dictæ Olympiadis, qui est & primus sequentis centesimæ octogesi-
mæquintæ, numerare incipias; nullus enim alius annus Consulatui ipsorum cohæret.
Nam ex supputatione Eusebij & Phlegontis, quam omnes sequuntur, centesima octo-
gesimaquarta Olympias inchoatur sub quinto Cæsaris Consulatu, in fine mensis Iunij:
ipso enim initio æstiualis solstitij Olympiadũ annos numerari solitos [d], exploratissimũ
est: quamobrem idem annus dictorũ Consulũ sex menses habet centesimæ octogesimæ-
quartæ Olympiadis, & totidem octogesimæ quintæ sequentis. Cum vero testetur Iose-
phus [e], Herodem expleſse annos regni sui triginta septem, eumdemq. obijsse prope Pa-
schale tempus: dicere necesse est, eum vixisse vsque ad dictum Consulatum Lentuli & C
Messalini, quo natum diximus Christum: ipso enim expletur annus primus centesi-
mæ nonagesimæquartæ Olympiadis, quo circa dictum Paschale festum est mortuus
Herodes, & auspicatur eiusdem Olympiadis annus secundus, cuius mense sexto natus
est Dominus: vt ex his videas sub eodem Consulatu (secundum numerum annorum
regni Herodis a Iosepho statutum) circa finem mensis Martij Herodem obijsse, & post
nouem menses vigesimaquinta Decembris natalem Domini diem contigisse. Qui ve-
ro natum Christum dicunt anno sequenti, sub Consulatu Augusti & Siluani; ante an-
num vnum & nouem circiter menses, quàm Dominus nasceretur, Herodem vita fun-
ctum esse dicant, necesse est. Hi [f] vero, vt quoquo modo Iosephum cum Euangelista
concilient, errasse in eo Iosephum affirmant, dum numerat ipse triginta septem illos
annos regni Herodis ab institutione Romæ facta ex S. C. eosq. esse numerandos dicunt D
a Consulatu M. Agrippæ & Caninij Galli, quo anno occiso Antigono, est potitus re-
gni habenis pacificis, a quo tempore idem numerat tantum triginta quatuor: sed qua
ratione, cuiusve auctoritate id faciant, non satis compertum habemus.

CXIIII. Ceterum Eusebius [g] alia ratione a Iosepho longe diuersa numerat Regis Herodis an-
nos, nimirum ab Olympiade centesima octogesimasexta, anno tertio; Cyrillus Hiero-
solymorum Episcopus [h] anno quarto eiusdem: Epiphanius [i] etiam, dum tradit Domi-
num nostrum natum esse anno trigesimotertio Herodis Regis, Cyrillo potius consen-
tire videtur. Sed quam hi omnes, sic numerando Herodis Regis annos, inierint ratio-
nem, & quos sectati sint auctores, nos certe præterit. Quamobrem attentiori studio,
quæ de annis Herodis a Iosepho sunt scripta, disquirenda esse censemus. Atque in pri-
mis illud monendum putamus, eumdem auctorem in his quæ sunt temporis, sæpe hal- E
lucinatum esse; quod tum in Herodis annis, tum in ceteris accidisse, suis locis inferius
facile demonstrabimus. Sed in præsentiarum, quod ad annos eiusdem Herodis spectat:
cum idem auctor [k] dicat Herodem eo tempore, quo Iulius Cæsar, confecto bello Ale-
xandrino, tradidit Antipatro eius patri Iudææ prouinciæ administrationem, natum an-
nos quindecim fuisse: rursusq. affirmet [l] ipsum vixisse vsque ad annum suæ ætatis fer-
me septuagesimum; hac ratione numerando ceteros Herodis annos a Consulatu Cale-
ni & Vatinij, quo a Cæsare tributa est Iudæa Antipatro, quando Herodes agebat an-
num decimumquintum, ipsum vixisse vsque ad annum nonum ætatis Christi negari
non potest. Vide, quæso, quanta sit in eodem auctore leuitas & inconstantia, & quot
labyrinthos & inextricabiles offendere errores & in eis mergi necesse sit eos, qui de an-
nis Herodis regni tam facile eidem Iosepho acquiescendum existimant.

CXV. Reliquum est igitur, vt aperiamus erroris causam, qua ille idem auctor, numeran-
do to-

[a] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 28. [b] Dio hist. Rom. lib. 49.

[c] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 28.

DE ANNIS HERODIS IOSEPHI SVPPVTATIO.

[d] Vide Panuin. in comen. Fast. lib. 1. de Olymp.

[e] Ioseph. antiq. lib. 17. c. 10. & de bello Iud. lib. 1. c. 21.

[f] Panu. in Fast. & alij eum secuti.

[g] Eusebius in Chronic. [h] Cyrill. catech. 12. [i] Epiph. hæres. 51. & 58.

IOSEPHVS MALVS CHRONOGRAPHVS.

[k] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17.

[l] Ioseph. antiq. lib. 17. c. 8. & de bello Iud. lib. 1. c. 21.

A do toties dictos Herodis annos, deceptus est. Sicut enim Sole clarius esse probatur, VNDE ERROR IOSEPHI OSTENDATVR.
quòd annos ferme septuaginta Herodem vixisse testatur, & quòd tempore Consulatus
Caleni & Vatinij annos erat natus quindecim: sic e contra errore lapsus est, dum anno-
rum numerum regni eius incipit numerare a Consulatu Domitij & Pollionis. Huius
autem erroris inde fluxit occasio; quòd cum in confesso esset apud omnes, Herodis re-
gni annos triginta septem esse adnumeratos; rursumq. certum esset, ipsum ex Senatus-
consulto regnum accepisse; factum est, vt ipse ad primam institutionem Romæ sub dic-
tis Consulibus factam verterit oculos, & ab eo tempore numerare cœperit annos re-
gni ipsius Herodis. Ceterum tunc occupato eodem regno ab Antigono, nondum vsque
ad mortem eius potitus est; quando (vt dictum est) iussu opeq. Antonij per Sosium Sy-
riæ Præsidem est restitutus. Porro quoniam in bello ciuili contra Octauianum Augu-
B stum eidem M. Antonio fauit, illud demeruisse visus est. Quamobrem cum idem Au-
gustus, Antonio & Cleopatra deuictis, summa rerum potitus esset: mox idem ipse He-
rodes suæ culpæ conscius, supplex ad veniam impetrandam, Rhodum ad eumdem il-
lic agentem se contulit, depositoq. diademate, ac precibus fusis, ab eodem regnum
promeruit, quod & decreto Senatusconsulti fuit eidem stabilitum.

Hæc omnia non ab alio, quàm ab eodem ipso Iosepho [a], qui ea pluribus scribit, ac- CXVI.
cepimus. Facta sunt hæc eo ipso anno, quo idem Augustus nauali bello Antonium & [a] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 10.
Cleopatram debellauit, eodem Augusto tertium & Messala Coss. Olympiade (vt dixi- QVANDO COEPTI NVMERARI ANNI REGNI HERODIS.
mus) centesima octogesimaseptima, anno secũdo. Ab eo igitur tempore in publicis mo-
numentis adscriptum primum annum Herodis regni, ac deinceps ceteros sequentes es-
se adnumeratos, ea potissimum ratione constare videtur; quòd cum Augustus ex Se-
C natusconsulto rescidisset, irritaq. reddidisset quæ ab Antonio in Imp. perduelle gesta
essent; non licuit Herodi illos regni sui numerare annos, quibus regnauit postquam il-
lud ab Antonio sibi restitutum accepit, sed ab eo tempore quo ab Augusto sibi redditum fuit, & ex Senatusconsulto firmatũ. Quid enim non in eius gratiam Herodes egis-
set, qui quicquid haberet, eidem acceptum ferens, ob id ciuitates, theatra, templa (vt
idem testatur Iosephus) eius nomine dedicasset? Hæc itaque cum tam aperta veritate
subsistant: duplici ratione dicimus ab eo tempore numerandos esse triginta septem il-
los Regis Herodis annos; tum vt dictum septuaginta annorum ætatis illius tempus im-
pleatur (aliter idem auctor sibi contrarius reperitur) tum etiam ob nouam regni eius ab
Augusto ex Senatusconsulto restitutionem tunc tam insigniter factam.

Est igitur in numero primus annus regni Herodis sub Augusto tertium & Messala CXVII.
D Coss. Olympiade centesima octogesimaseptima, anno secundo: qua ratione dicimus, QVOTO ANNO REGNI HERODIS CHRISTVS NATVS.
Christum Dominum Redemptorem nostrum natum anno regni Herodis vigesimono-
no inchoato. Ex his itaque luce euidentius & clarius constare videtur, cum nonnisi
eiusdem auctoris auctoritate hæc affirmemus, ipsum Iosephum numerando a Consu-
latu Domitij & Pollionis annos triginta septem Herodis regni, nouem saltem annis
eius obitum anticipasse. Vnde & portentosus ille manauit error, vt descriptionem a
Quirino factam tempore natalis Domini, post nouem annos factam esse describat: quot
enim annis in obitu Herodis errauit, totidem in eadem descriptione errasse oportuit:
eiusmodi enim naturæ sunt errores temporum, vt cum quis a recta linea semel exci-
derit, per deuia semper ferri, licet inuitus, cogatur.

Reliquum iam illud tantum esset, vt dictum tempus, quo ea descriptio facta est, & CXVIII.
E natus est Christus, more maiorum, Hebraicis chronologijs etiam consignemus. Sci- QVOTO ANNO AB ORIGINE MVNDI CHRISTVS NATVS.
mus veterrimam hanc esse quæstionem, in qua sudarint & alserint tum antiquorum
tum recentiorũ ingenia: nouissime vero, Christum natũ esse quatermillesimo vigesimo-
secundo anno ab origine mũdi, noster Pererius [b] in suis eruditis commentarijs in Danie- [b] Bened. Perer. in Daniel. lib. 11. q. 5.
lem adnotauit. Ceterum ob diuersitatem exemplarium, & quòd non eamdem omnes
in illis numerandis seruent methodum & rationem; mirum dictu, quòd quot sunt
capita (vt communi fertur prouerbio) totidem de ijsdem scriptæ reperiantur senten-
tiæ. Sedere autem arbitrum, & cuius sint potiora iura disquirere, & antiquissi-
mam omnium quæstionem lata sententia definire, non est præsentis otij, nec nostra-
rum virium tantum opus. Illud tamen non omnino prætermittendum videtur, San-
ctam Dei Ecclesiam antiquitus consueuisse supputare annos ab origine mundi, non
secundum Hebraicam editionem, sed secundum Septuagintaduos interpretes. est

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Aug. de Ciu. Dei lib.15.c.11
b Iul.cōtr. Iud. lib.3.

eius rei fides apud S. Augustinum [a], dum de ijsdem interpretibus hæc ait: Porro illos A in auctoritatem celebriorem susceptit Ecclesia, & credentes Iudæorū potius quàm istos non habere quod verum est.] Rursum Iulianus Episcopus Toletanus [b], falso cognominatus Pomerius, hæc in eamdem sententiam: Ergo, inquit, illa nobis & sola pro his annis est obseruanda auctoritas Septuaginta interpretum, quæ merito omnibus editionibus & translationibus antefertur, quam etiam hucusque omnes doctores Ecclesiastici tenuerunt, & in hac præcipue annorum supputatione secuti sunt.] hæc ille. Adijcimus & Græci hominis insigniter eruditi de eadem re testimonium, videlicet Anastasij Sinaitæ Episcopi Antiocheni [c], æqualis Magno nostro Gregorio, qui sic ait: Sciendum est quòd aliter computant Hebræi, & aliter Romanæ Ecclesiæ traditio.] hæc ille.

c Anast.Sinait. in Hexam.lib.7.

CXIX.

Addamus & hic apte catalogum antiquorum Patrum, qui licet diuerse inter se, ob B diuersitatem Græcorum codicum & interpretationem, tamen æque omnes secundum Septuaginta interpretes, annos ab origine mundi, vsque ad ortum Christi numerare consueuerunt. Incipiam ab antiquiori; ab ipso, inquam, Theophilo Episcopo Antiocheno, qui a mundi principio, vsque ad obitum Lucij Veri, quo tempore ipse sedit, intercurrisse ait annos quinquies mille sexcentos octogintaquinque. Eamdem inijsse rationem Cyprianus [d] videtur, cum numerat annos secundum eosdem Septuaginta interpretes, atque hæc ait: Sex millia annorum plane complentur, ex quo hominem diabolus impugnat, &c.] Clemens Alexandrinus [e] ab Adam vsque ad mortem Commodi annos numerat quinquies mille septingentos octogintaquatuor. Sed quid tamdiu in singulis immoror? Hippolytus [f], Iulius Africanus [g], Origenes [h], Eusebius Pamphili [i], Lactantius [k], Epiphanius [l], Hieronymus [m], Philastrius [n], Orosius [o], Augustinus [p], duo C Anastasij, Sinaita [q], & Nicænus [r], Nicephorus [s], Suidas [t], & alij recentiores complures eadem numeri ratione consignare consueuerunt Acta Synodica: cuius rei exemplum est in sexta Synodo Oecumenica, vbi a mundi origine vsque ad illud tempus celebrati Concilij, anni numerantur sex mille centum nonagintanouem. Profitetur & Romana Ecclesia in suo Martyrologio, se annos supputare secundum eosdem interpretes. Verum propter exemplarium diuersitatem, & alias innumeras difficultates, perdifficile est veritatem consequi, dum inemendata de inemendatis scribuntur, vt testatur Hieronymus [u]. Sed hoc nomine plurimum debent omnes eruditi, immo & tota Dei Ecclesia Illustrissimo ac Reuerendissimò Antonio Carafæ, S. R. E. Cardinali Bibliothecario, qui multo labore ac studio tandem Græcam Septuagintaduorum interpretum editionem, iam pene antiquatam, in lucem vindicauit, eamdemq. Latine redditam, non minori labore emendatam, ac perpolitam edendam curauit: opus plane diuinum, ac D diuinitus inspiratum; quod a S. D. N. Sixto V. Romano Pontifice merito comprobatum, ac magnopere laudatum, vt Ecclesiæ Catholicæ esset vsui, idem sacro diplomate in fronte eius affixo cunctis Fidelibus significauit. Sed de his hactenus.

VARIAE SENTENTIAE DE MVNDI ANNIS.
d Cyprian. in præf. lib. de exhort. mart.
e Clem. Alex. Strom.lib.1.
f Hipp. in can. temp.
g Iul. Afric. ad Arist.
h Orig.in Mat. tract.29.
i Eusebius in Chronic. & in frag.ad Marin.
k Lact. lib.7. c. 25.
l Epiph. hæref. 66.
m Hier.in epist. ad Tit.c.1.
n Phil. hist. de hæres. c.112.
o Oros. lib.1.c.1.
p Aug. de Ciu. Dei lib.12.c.12
q Anast. Sin.in Hexam.lib.7.

CXX.

His igitur, quæ ad annum natalis Domini pertinent, stabilitis; superest, vt de mense ac die, quibus natus est, narrationem instituentes, in primis quæ de ea re ab hæreticis vel alijs perperam scripta sunt, refellentes, tandem veritatem ipsam, Patrum auctoritate testatam, & Catholicæ Ecclesiæ longo vsu receptam atque probatam in medium adducamus. Sunt (inquit Clemens [x] Alexandrinus) qui curiosius natali Domini non solum annum, sed etiam diem addunt: quem quidem dicunt decimooctauo anno Augusti, vigesimaquinta mensis Pacon esse natum; ea est apud Latinos decimaquinta mensis Maij.] Rursus etiam quidam, inquit, tradunt eum natum esse vigesimaquarta vel vigesimaquinta mensis Pharnuthi, hoc est, vigesima vel vigesimaprima Aprilis.] Porro hæc hæretici phanatice, nulla vel saltem verisimili ratione, vel auctoritate nixi, sed sicut & alia deliramenta, ex proprij animi sententia, perciti furore protulere. Fuit de eadem re Ægyptiorum, eorumdemq. Orthodoxorum opinio, vt existimarent Christum Dominum natum vndecima mensis Tybi, quæ est apud Latinos sexta dies Ianuarij, qua Epiphaniam Domini Ecclesia celebrare consueuit [y], cum illi vtrumque mysterium eodem die peractum volunt, nimirum Christum natū, ac etiam baptizatum; sed & eadem die illud insigne miraculum, vinum ex aqua factum esse, Epiphanius [z] auctor est, licet ipse baptismum ad aliud tempus referat: at de eo pluribus suo loco. Quod autem ad dictam de natali die sententiam pertinet, idem Epiphanius [a] eamdem constanter affirmat, sed Hieronymus [b] refellit.

QVO MENSE ET DIE CHRISTVS EST NATVS.
r Anast. Nican. lib.quæst. q. 92.
s Nicephorus in Chronic.
t Suid. in hist.
u Hier. in epist. ad Tit. c.3.
x Clem. Alex. Strom.lib.1.
y Cassian. collat.10.cap.1.ex præf. Paschal. epist.Theoph. Epist. Alexand.
z Epiph. hæres. 51.
a Idem ibid.
b Hieron. in Ezech.cap.1.

Ceterum

A Ceterum his omnibus de die natalis Domini reiectis assertionibus, tam Latinorum quàm Græcorum Ecclesiæ pari consensione in eam conueniunt sententiam, vt Redemptor noster sit natus vigesima quinta mensis Decembris. Nam præter ea quæ habentur apud Clementem [a], Augustinus [b] ex traditione Ecclesiæ idem affirmat, dum ait: Ioannes natus est, sicut tradit Ecclesia, octauo Kal. Iulias, cum iam incipiunt minui dies: Dominus autem natus octauo Kalend. Ianuarias, quando iam incipiunt dies crescere.] et alibi [c]: Octauo, inquit, Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus: natus autem traditur octauo Kal. Ianuarias. Ab illo ergo die ad istum vsque computati ducenti septuaginta & sex dies reperiuntur, &c.] hæc Augustinus, eadem & ceteri Latinorum. De Græcis vero; non alia sentire eos, Anastasius Nicænus Episcopus [d], Græcorumq. Menologium, & alia ipsorum antiqua monumenta fidem faciunt.

CXXI. CERTA SENTENTIA DE MENSE ET DIE NATALIS DOMINI.
a Clem. const. lib.5.c.13.
b Aug. tract.in Psalmum 132. prope fin.
Oros. lib.7.c.2.
c Aug. de Trin. lib. 4.c.4.
d Anast.Nicæn. lib.quæst.q. 92.

B At nec est prætermittendū de hebdomadis die, atque (quod maius est) hora, quibus natus est Christus Dominus, dicere. Fuit nonnullorum sententia, vt eadem die, ipsaq. hora, qua primus homo creatus est, eadem omnino & secundus homo (sic enim Christum appellat Apostolus [e]) fuerit natus. Hinc ait Hesychius [f]: Natus est mense Decembris, die sexto, hora tertia diei.] hæc ille: Anastasius [g] Sinaita eadem die, sed ad vesperam diei sextæ; & Anastasius Nicænus [h] eadem, sed hora diei septima. Verum quod ad diem spectat: die Dominico natum esse Dominum, in sexta Synodo Græci profitentur, dum aiunt [i]: In eo die manna in eremo pluit, in eo nasci dignatus est, in eo stella Magis refulsit, in eo de quinque panibus & duobus piscibus quinque millia hominum pauit, in eo baptismum in Iordane suscepit, in eo ipse pius Redemptor humani generis sponte pro salute nostra a mortuis surrexit.] hæc illi.

CXXII. DE DIE ET HORA NATALIS DOMINI.
e 1. Cor. 15.
f Hesych.ser. de Natal. Dom.
g Anast.Sinaita in Hexam. lib. 7.
h Anastas. Nic. lib. quæst. q.92.
i Sex. Syn. c. 8. tom.3. Concil.

C Quod autem pertinet ad eius diei tempus: Dominum nostrum nocte esse natum, Lucas Euangelista [k] non obscure insinuare videtur, dum de natali Christi locutus, mox subdit: Pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.] Id ipsum profitentur interpretes; id etiam vetus traditio Ecclesiastica persuadet, atque sacræ noctis illius anniuersarijs functionibus docet [l]: rursumq. ea parte noctis, quæ de media nocte dicta, ad sequentem pertinet diem, Christum Dominum natum multi existimant, secundum quod prophetice [m] dictum fuerat: Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens e cælo, e regalibus sedibus venit.]

CXXIII.
k Luc. 2.
l Albinus Flac. de diu. offic.c.1. & alij.
m Sapien.18.

Iam reliquum est, vt omnia quæ dicta sunt, contrahentes in vnum, dicamus, Redemptorem nostrum Dominum Iesum Christum ob salutem humani generis natum D esse vigesima quinta Decembris, C. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino Coss. Augusti Imperatoris ab inito Triumuiratu, quadragesimo primo, a nece Cæsaris quadragesimo secundo, Herodis Regis anno vigesimo nono inchoato, ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimo primo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo. Quæ autem in eius natali contigerint, iam aggredimur enarrare. His itaque de Aduentu Domini pertractatis atque discussis, ad ipsos Annales Ecclesiasticos percensendos commodior patefactus est aditus, vt iam e scopulosis & confragosis locis enauigasse videatur oratio: cui ad immensum pelagus superandum pandenti vela, ipsa Dei genitrix, cuius diuinum puerperium ipso ingressu enarrandum occurrit, diuini numinis conciliatrix semper assistat.

CXXIIII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ANNALES ECCLESIASTICI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

VM rerum omnium conditor & moderator Deus cælum [a] creasset & terram; nec vlla vtriſque gratia vel pulchritudo ineſſe poſſet ſine luce; omniaq. eſſent tenebris obuoluta, ipſaq. terra inanis & vacua: opportune conſuluit, vt primum omniū ipſis rerum principijs lucem crearet, cuius fulgore tā quæ facta eſſent, quàm etiam quæ eſſent facienda, velut quodam claritatis & gloriæ indumento circumamicta, naturali ſuo ſplendore niteſcerent. Hæc autem cum in Orbis inſtitutione ſint facta: rurſum cum tempus aduenit, in eiuſdem reſtitutione ſunt felicius adimpleta. Cum enim vniuerſo humano generi, peccati culpa, ſempiternæ noctis eſſet offuſa caligo, cunctaq. vndique dēſis tenebris obſcurata, & ſquallens horrensq. eſſet omnium rerum facies: immenſa ſuæ bonitatis largitate proſpexit Deus, vt noua luce cuncta perfunderet, mitteretq. ex ſe genitum, ſuæq. ſubſtantiæ Filium, ipſum cæleſte iubar, candorem [b] lucis æternæ, lumen de lumine, lucem [c] veram, iuſtitiæ [d] Solem; nouumq. inſtitueret diem, illū ſcilicet, de quo olim eſt prophetice dictum: Hæc [e] dies, quam fecit Dominus.] Cuius cum iam crepuſculum & auroram præfatiſimus; quod reliquum eſt, ipſum Solem orientem ſpectemus, eumdemq. appoſite leui nube contectum, quo minus aciem oculorum perſtringeret, & diſpenſationem implere poſſet, quam conſummandam acceperat. Age nunc, Verbum ipſum carne velatum, Deum hominem factum, e Virgine ſanctiſſima natum ſpectemus; atque de ipſo, quæ in primis Euangeliſta nos docuit, enarremus.

I. PRAELOCVTIO.

a Geneſ. 1.

b Sap. cap. 7. et Symb. Nican.

c Ioan. 1.

d Apoc. 1.

e Pſal. 117.

Cum igitur (quod ante diximus) edicto cogente, e Nazareth Galilææ in Bethlehem Iudæ Ioſeph atque beatiſſima Virgo Maria, vt profiterentur, aſcendiſſent: Factum eſt, inquit [f] Lucas, cū eſſent ibi, impleti ſunt dies vt pareret: et peperit filiū ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio: quia non erat ei locus in diuerſorio.] hæc Euangeliſta. Quod in primis ad locum ipſum, vbi Chriſtus eſt natus, pertinet: ſpelunca fuit in ſuburbijs Bethlehemiticis poſita, de qua [g] Origenes contra Celsū ſcribens, hæc ait: Quòd autem in Bethlehem ſit genitus Ieſus, ſi velit aliquis poſt Michææ vaticiniū & poſt Euāgelij per Ieſu diſcipulos conſcriptam hiſtoriam fieri alias certior, intelliget vt ſubſequenter in Euangelio, cum eius natiuitas enarratur, & in Bethlehem ſpeluncam oſtendi, vbi ille ſit natus: quod vtique & in illis locis percelebre eſt; vel apud eos quidem, qui a fide ſunt alieni, fama & nomine circumfertur, eadem & in

II. NATIVITAS DOMINI.

f Luc. 2.

g Orig. lib. 1. DE SPELVNCA BETHLEHEMITICA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& in ſpelunca Ieſum quemdam, quẽ Chriſtiani adorent & demirentur, genitum eſſe.] A
hæc Origenes. Porro eamdem ſpeluncam foris in agro ſuburbano poſitam fuiſſe, Euſe-
[a] Euſeb. de demonſt. Euang. lib. 7. cap. 3. bius [a] Pamphili monſtrat his verbis: Hodie quoque, qui illum locum incolunt, tam-
quam a patribus eorũ accepta memoria, his qui viſendi gratia Bethlehẽ petere conſue-
uerunt, teſtimoniũ ſuum afferunt, veritatem fidei facientes, agrũq. demonſtrantes, vbi
Virgo enixa infantem poſuit.] hæc ille. Eiuſdem ſpeluncæ meminit Iuſtinus martyr
[b] Epiph. lib. 1. in fin. in dialogo cum Tryphone, & Epiphanius [b]: ſed ceteris omnibus S. Hieronymus, qui
[c] Hier. epiſt. 28. illic ætatem tranſegit, locupletius ſcribit, dum ſic litteris ſuis Marcellam [c] alloquitur:
Quo, inquit, ſermone, qua voce ſpeluncam Saluatoris exponam? et illud præſepe, in
quo infantulus vagijt, ſilentio magis, quàm infimo ſermone honorandum eſt.] & pau-
lo poſt: Bethlehem ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus eſt, hic
inuolutus pannis, hic viſus a paſtoribus, hic demonſtratus a ſtella, hic adoratus a Ma- B
[d] Burchar. in deſcript. Terræ ſanctæ par. 1. c. 7. §. 19. gis. Sanctior locus eſt rupe Tarpeia, quæ de cælo ſæpius fulminata, oſtendit quòd
Deo diſpliceat.] hæc ad Marcellam.

Erat Bethlehem ſupra collem in longum porrectũ ſita; in cuius extremitate, Orien-
tem verſus, ſub rupe quadam exiſtente tunc temporis iuxta muros ciuitatis, erat [d] ſta-
[e] Cyprian. de oper. Card. in nat. Chriſti. bulum ac præſepe Domini exciſum in rupe, vbi natus eſt Chriſtus. At vero qui loca
[f] Athan. ſer. de natiuit. Chriſti apud Lip. to. 8. illa ignorarunt, nihil de ſpelunca dixerunt, quòd putarint in alicuius ruſticæ domun-
culæ ſtabulo Chriſtum natum. Hinc apud Cyprianum [e] hæc leguntur: Nullum arcta
Ioan. Damaſ. in carm. de nat. Chriſti. domus diuerſorium occultabat, nec ſecreti receſſus erant illius caſulæ; incruſtaturam
tectum & ſoli parietes per circuitum veſtiebant.] hæc ibi. Porro de ſpelunca non
dicti tantum auctores, ſed & alij [f] teſtimonium ferunt.

III. Adhæc (quod tacet Euangeliſta) non illic tantum fuiſſe præſepe, ſed bouem & aſi- C
BOS ET ASINVS IN PRAESEPE DOMINI. num ad illud alligatos (quod olim Propheta [g] cecinerat) cum Hieronymus, tum etiam
[g] Habacuc c. 3. ſecundum 72. interpr. complures antiquorum Patrum teſtantur. ille ad Euſtochium [h] de Paula ſcribens, hæc
[h] Hier. epiſt. 27. ait: Inde Bethlehem ingreſſa, in ſpecum Saluatoris introiens, poſtquam vidit ſacrum
[i] Greg. Nazian. orat. de Chriſti natiuit. Virginis diuerſorium, & ſtabulum in quo agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præ-
[k] Greg. Nyſſ. de Chriſti generat. ſepe Domini ſui: vt illud impleret, quod in eodem Propheta ſcriptum eſt: Beatus qui
[l] Paulin. ad Seuer. epiſt. 11. ſeminat ſuper aquas, vbi bos & aſinus calcant: me audiente, iurabat, cernere ſe oculis
[m] Cyril. catech. 12. fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepe Dominum, Magos adoran-
tes, ſtellam fulgentem deſuper, matrem Virginem, nutricium ſedulum, paſtores no-
cte venientes, vt viderent Verbum, quod factum erat, &c.] Eadem de boue & aſi-
no Gregorius [i] Nazianzenus, itemq. Nyſſenus [k], Paulinus [l], Cyrillus [m], Pruden-
tius [n], & alij [o]. D

IV. Nec tacendum, quod tunc etiam in eodem puerperio accidiſſe fertur miraculum; ni-
AQVA FLVXIT E PETRA. mirum, quòd in eadem ſpelunca, ad ea quæ vſus quotidianus expoſcebat, e petra fluxit
[n] Prud. in cath. die 8. Kal. Ian. aqua, quæ numquam potuit exhauriri, ſed manſit diutius diuinæ virtutis egregium
[o] Ioan. Damaſc. in carm. de nat. Chriſti. monumentum: ſiquidem adhuc Bedæ temporibus vigebat cunctis perſpicuum tantæ
[p] Beda de locis ſanct. c. 8. rei prodigium: quod ipſe, a teſte qui hæc viderat ſanctiſſimo Epiſcopo acceptum, his
verbis ſcriptis mandauit [p]: Hæc ſpelunca tota interius ſpecioſo marmore tecta, ſupra
ipſum locum, vbi Dominus natus ſpecialiter traditur, ſanctæ Mariæ grandem geſtat
eccleſiam. Petra iuxta murum cauata, primum Dominici corporis lauacrum de mu-
ro miſſum ſuſcipiens, hactenus ſeruat: quæ ſi qua forte occaſione vel induſtria fuerit
exhauſta, nihilominus continuo dũ reſpicit, ſicut ante fuerat, plena redundat.] hæc ille.

V. Vix credi poteſt, in quanta veneratione & cultu Chriſtiani ſemper habuerint locum E
CVLTVS BETHLEHEM. illum: vt quantumlibet Hadrianus Imp. ad abolendã tantæ rei memoriam (quod ſcri-
[q] Paulin. ad Seuer. epiſt. 11. bit Paulinus [q] & alij) Veneris & Adonidis templum deſuper erexiſſet, nihilominus (vt
nuper ex Origene vidimus) percelebris etiam apud Gentiles eſſet tanti loci memoria.
Sed reddita pace Eccleſiæ, ſpelunca illa mirifico eſt opere exornata, ipſumq. præſepe
[r] Chryſoſtom. in Luc. c. 2. honoris cauſa tectum argento: de quo hæc apud Chryſoſtomum [r]: O ſi mihi videre li-
ceret illud præſepe, in quo Dominus iacuit! Nunc nos Chriſtiani quaſi pro honore tu-
limus lateritium, & poſuimus argenteum: Sed mihi pretioſius eſt illud quod ablatum
eſt: argentum autem & aurum meretur Gentilitas: Chriſtiana fides meretur illud
luteum. Non tamen condemno eos, qui honoris cauſa fecerunt; neque illos condemno,
qui in templo fecerunt vaſa aurea: ſed admiror Dominum; qui creator eſt mundi,
non inter aurum & argentum, ſed in luto naſcitur.] hæc ille, putans fortaſſe vas
illud

A illud argento tectum, fuiſſe luteum, quod tamen conſtat fuiſſe ligneum: vel eumdem
auctorem non de vaſe ipſo eſſe locutum, ſed de exigua lateritia illa ſtructura, quæ ip-
ſum præſepe, Chriſti cunabula continebat, exiſtimandum. Porro Chriſti natalis nobi-
liſſimum monumentum ex ligno confectum, nullaq. argenti vel auri cælatura conte-
ctum, poſt multa tempora inde translatum, Roma poſſidet, eoq. multo felicius illuſtra-
tur, quàm tugurio Romuli, quod intextum ex ſtipula, eorum [a] maiores ad multa ſæ- [a] Dionyſ. Hal. hiſt. Rom. lib. 1.
cula de induſtria conſeruarunt.

Sed iam ad ipſum ſacroſanctum Virginis puerperium redeamus. Cum naturæ Do- VI.
minus gignitur, naturæ legibus non tenetur: quæ conceperat ſine viro, parit ſine do- MARIAE VIRGINITATIS INTEGRITAS.
lore; & quæ virgo ſemper fuerat ante partum, æque permanſit in partu, ac proinde
eadem perſeuerauit poſt partum: vnde ipſa in Eccleſia Dei a perpetua virginitate con-
B ſecuta eſt cognomentum. Nam quantumuis Dei mater eſſet, quo excellentior nullus
eſt titulus: tamen numquam nominari a maioribus conſueuit ſine ſuperaddito cogno-
mine Virginis. In quam ſententiam hæc Epiphanius: [b] Quis vmquã, aut quo ſæculo [b] Epiph. hæreſ. 78.
auſus eſt proferre nomen S. Mariæ, & interrogatus, non ſtatim intulit Virginis vocem?
Ex ipſis enim nominibus epithetis, etiã virtutis ſigna elucent: dignitates enim appella-
tionum acceperunt iuſti, vnuſquiſque decenter, vt congruum fuit. Et Abrahã quidem
impoſitum eſt epitheton, Amicus Dei, & non diſſoluetur: Iacob vero, vt Iſrael voce-
tur, & non alternabitur: Apoſtolis, Boanerges, hoc eſt, filij tonitrui, & non relinque-
tur: et S. Mariæ vox, Virgo, & non mutabitur; impolluta enim permanſit & ſancta.]
hæc Epiphanius. Quæ ergo & in partu & poſt partum virgo diuina virtute permanſit, EXPERS PARTVS MOLESTIARVM MARIA.
æque ſine dolore parturijt, nec aliquo indiguit obſtetricantis obſequio; ſed ipſa geni-
C trix [c] & obſtetrix deuotam dilectæ ſoboli exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, iun- [c] Apud Cyprian. de oper. card. in nat. Chriſti.
git oſcula, porrigit mammam: totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla
naturæ contumelia in puerperio.] hæc apud Cyprianum. Nihil ſane commune cum
ceteris mulieribus in hoc habuit, vt, ſicut illæ, peccati pœna id expoſcente, cum dolore
pareret, vel quæ partum ſequuntur, experiretur moleſtias laſſitudinis. Vnde & S. Ze-
no [d] Epiſcopus Veronenſis de his agens, hæc ait: Non mater eius tanti partus pondere [d] S. Zeno Epiſc. ſerm. 6. de nat.
exhauſta, totis pallens iacuit reſoluta viſceribus: non filius matris aut ſuis eſt vllis ſor-
dibus delibutus: neque enim re vera aliquid circa ſe habere poſſet immundum, qui hu-
mani generis peccata ſordes & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes,
quæ ſunt tarditate periculoſæ, nullo puerum maternorum viſcerum ſecutæ ſunt damno;
nulla adhibita rudifœtæ ſueto more fomenta: neque enim, fratres, his poterat in-
D digere, quæ accipere in vterum meruerat ãnimarum omnium Saluatorem.] hæc ille. D

Quæ autem mox ſubdit de pœna incredulæ obſtetricis, & ſoſpitate eidem reſtituta, VII.
haud dubiũ ex apocryphis eſt mutuatus; ſic enim ait: Maria incorrupta concepit, poſt APOCRYPHA DE OBSTETRICE.
conceptum virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit. Obſtetricis incredulæ pe-
riclitantis, enixa in teſtimonium reperta eiuſdem eſſe virginitatis, incenditur manus;
qua tacto infante, ſtatim edax illa flamma ſopitur: ſicq. illa medica feliciter curioſa,
dum admirata mulierem virginem, admirata infantem Deũ, ingenti gaudio exultat,
quæ curatum venerat, curata receſſit.] hactenus Zeno; ſed non aliunde, vt diximus,
quàm ab apocryphis accepta. Refellũtur iſtæc de obſtetricis obſequio, ex his quæ Atha-
naſius [e] ſcribit his verbis: Quæ ſine dolore aliquo mater fuit, eadẽ & obſtetricis munere [e] Athanaſ. ſerm. de nat. Chriſti apud Lip. tom. 8.
E functa eſt, cum a nulla muliere didiciſſet: non enim permiſit quemquam impuris ma-
nibus attrectare partum ab omni labe purum: illa per ſe eum, qui ab ipſa & pro ipſa ge-
nitus eſt, ſuſcepit, pannis inuoluit, & in præſepio reclinauit.] hæc ille.

Porro quod ad ipſos pannos pertinet, quibus dicit Euangeliſta [f] Chriſtum a matre [f] Luc. 2.
fuiſſe inuolutum: admirabili quadam diuina diſpenſatione factum eſt, vt ſacratiſſimæ VIII.
illæ faſciæ ad tantæ rei memoriam futuris temporibus ſeruarentur, in quarum honorem SACRAE FASCIAE.
nobiliſsima erigeretur baſilica, & anniuerſaria feſta dies a Chriſtiano populo ageretur, [g] German. & Euthym. in orat. de faſcijs Dom. apud Lip. tom. 6. die 31. Aug.
prout ſignificant Patrum [g] encomia, ea die in Eccleſia dici ſolita. Sed iam reliqua pro-
ſequamur, quæ tunc temporis contigiſſe dicuntur.

Cum multa, quæ Auguſti Imperatoris tempore generi humano commoda & vti- IX.
lia contigerunt, ex antiquioribus hiſtoricis ſcribat [h] Oroſius, rerum omnium auctori [h] Oroſ. lib. 6. cap. 22.
illa tribuens, qui eo tempore quo venturus eſſet in mundum, multis bonis locupleta-
uerat Orbem: de pace poſt tot ciuilia atque externa bella populo reſtituta, cuius cauſa
templum

Universidad de Deusto
Biblioteca

templum Iani dicit ab eodem ter clausum, agit; atque æquissimi Principis modestiam commendat, quòd ne Dominus diceretur, edicto vetuit: cūq. alia multa prodigia referat [a], vt de fonte olei ex Transtiberina taberna meritoria fluente, de arcu cælesti Solem ambiente, & si quæ alia id genus recensent: complures sunt, qui inconsulte nimis ea ipsa omnia, eadem qua Dominus natus est die, contigisse scripserunt: certe hoc non dicit Orosius. Nā quod ad prodigia pertinet: quibus Augusti Imperij annis longe ante Christum natum acciderint, ex Dione ac ceteris antiquis historicis, superius, cum de signis quæ aduentū Domini præcesserunt, pertractauimus, satis egimus. Quod vero spectat ad Iani fores ab eodem Imperatore [b] ter clausas: quàm longe id ante Christi natalē diem acciderit, ex Dione, quires Romanorum per singulos annos descripsit, facile intelligemus. Primo [c] enim post Actiacū bellum, Augusto quintū & Sexto Apuleio Coss. idem Imperator Iani portas clausit; quæ iterum reseratæ bello Cantabrico, rursum eo feliciter confecto sunt occlusæ [d], eodem Augusto nonū & M. Silano Coss. Sed ijsdem Cantabris sæpius rebellantibus, ac Germaniæ populis tumultuantibus, apertæ denuo, Ælio Tuberone & Fabio Max. Coss. ab eodem [e] iussæ sunt claudi: verum ne id fieret, Daci Istrum transgressi, fuerunt impedimento. hæc ex Dione; cuius auctoritate constat, primo ante annos vigintiseptem, ac iterū ante annos vigintitres, quàm Dominus nasceretur, Iani fores occlusas esse; demū ante annos decem de ijsdem claudendis fuisse decretum. Ad hæc quòd Domini nomen oblatū Augustus recusauerit, id accidisse sub Cons. Ælij Cati & Sentij Saturnini, ex eodem [f] Dione colligi potest; est is annus sextus a Christo nato.

[a] Idem lib. 6. cap. 29.

[b] Suet. in Aug. cap. 22.

[c] Dio hist. Rom. lib. 51.

[d] Dio hist. Rom. lib. 53.

[e] Dio hist. Rom. lib. 54. in fin.

[f] Dio hist. Rom. lib. 55.

X. SALVS, CONCORDIA, ET PAX.

Porro hæc omnia & alia, diuina quadam dispēsatione esse facta, omniaq. cælestis Regis aduentui inseruisse, nemo sapiens vmquā negare poterit. Quòd si, vt Athenis fecit Apostolus [g], ea ipsa quæ Ethnici alia occasione peragere consueuerunt, in nostrarū rerū argumentum trahere velimus: certe nec illud prætermittendum est, quod his temporibus, eodemq. ipso anno quo Iani portæ sunt iterum clausæ, accidit; cum idem Augustus collata sibi pecunia a Senatu populoq. Romano ad imagines faciendas: nullam; inquit [h] Dio, sibi, sed tantum Saluti publicæ, Concordiæq. & Paci posuit. Sane quidem non me præterit, ipsorum [i] Gentilium auctoritate constare, ex carminibus Sibyllinis esse prædictum, affore Regem, a quo tantum speranda salus esset: hunc quidem fuisse Christum, ex ipso nomine Saluatoris, non est qui nesciat. Ipsum etiam prophetico [k] sermone Principem pacis esse dictum, quis adeo rerum omnium ignarus aut ignorat, aut negat? De cuius concordia inæstimabili quid dicam? quā nullis maioribus, euidentioribusq. signis demonstrare, vel melius exprimere ipso diuino vate, quisquam potest; ait enim [l] ille: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer parululus minabit eos.]

[g] Act. Apost. cap. 17.

[h] Dio hist. Rom. lib. 54.

[i] Cic. de diuinat. lib. 2.

[k] Isaiæ 9.

[l] Isaiæ 11.

XI. DE PACIS TEMPLO.

At sicut veris innitimur, & verisimilibus non contradicimus; ita quæ sunt a veritate prorsus aliena, procul (vt instituimus) abijcimus atque refellimus; cuiusmodi sunt ea quæ de templo Pacis Romæ collapso ea nocte qua natus est Christus, a multis vt vera certaq. scribuntur: Inuenimus hæc primum narrata in homilia quadam incerti auctoris, titulo tamen Petri [m] Damiani prænotata: sed cum ille diem obierit annis circiter quinquaginta, antequā S. Bernardus, quem citat, ea conscriberet, facile tantus Pater falsi tituli calumnia liberatur. Sed quod magis displicet, complures rerum Ecclesiasticarum scriptores non ignobiles, falso decepti titulo, eadem tamquam vera affirmasse, scriptis mandasse, vel pro concione narrasse reperiuntur: taceo de industria illorū nomina, ne videar in homines potius inuehi, quam aduersus mendacia agere pro veritate. Sed antequā istæc refellamus, operæpretium ducimus, ea quæ in dicta homilia incerto auctore narrantur, hic velut ex scripto recitare: sunt huiusmodi: Templum Romæ, quod vocabatur Æternū, corruit, omnibus impensis & Vrbis & Orbis consummatū. Cum enim Romani in victoriosæ antiquitatis memoriā templum singulari schemate facere decreuissent, ab omni illa deorum, immo dæmoniorum multitudine quæsierunt, vsquequo durare posset tā excellentis operis operosa constructio. Responsum est: Donec virgo pareret. Illi ad impassibilitatem oraculū retorquentes, Templum Æternum, solemnem illam machinā vocarunt. Nocte autem ista, cum de virginali thalamo virgineus flos Mariæ egressus est, ita cecidit & confractum est illud murale & columnarum opus, vt vix apparerent vestigia ruinarum.] hæc ibi. Porro omnes qui eamdem rem describunt, illud quod dicitur templum Æternum, idem fuisse cum templo Pacis, æque consentiunt.

[m] Legitur apud Lip. tom. 8. & Sur. tom. 6.

Sed

XII. REFELLITVR COMMENTVM DE TEMPLO PACIS.

Sed quomodo hæc non facillime erroris redarguuntur, cum ostenditur templū Pacis nondum Christi tempore Romæ esse erectum; quod testimonio omnium antiquorum historicorum constat, domitis Iudæis per Titum, a Vespasiano Imp. fuisse constructum? Id quidem in primis Suetonius [a], Iosephus [b] Iudæus, Plinius [c], & alij complures, qui scripserunt Vitas Imperatorum, testantur: fuisse autem ante Vespasiani tempora Romæ tantæ molis aliquod templum Pacis, nullus vmquam monstrare poterit. Nec est quòd quis adhibendā fidem putet Clementi Alexandrino [d], dicenti a Numa erectū esse templū Fidei & Pacis; nam antiquorum nullus rerū Romanarum tractator de templo Pacis a Numa erecto quid affirmare inuenitur, & Tertullianus expresse in Apologetico profitetur nullum Romæ templū fuisse erectum sub Numa: quod & alij confirmant scriptores per scholiasten Pamelium ibi citati: aduersus quos nec audiendus incertus auctor, qui de templo Pacis Romæ a tēporibus Romuli erecto testatur. Quod enim a recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur. Sed esto verum sit aliquod fanum a Numa erectum, putas ne tantæ molis fuisse opus, vt templum dici deberet? Habes in secundo Annalium tomo, testimonio Varronis, illa a Romanis solita dici templa, quæ sumptuosissime essent extructa; adeo vt perpauca inuenirentur in Vrbe templa, cum tamen plurimæ essent dijs dicatæ ædes. Quin nec quod Vestalium erat in Vrbe fanum, templum dici meruisse, eiusdem auctoris fide monstratum est. Vbi ergo erat Romæ tempore Romuli, vel Numæ, templum Pacis, cuius nulla penitus quouis sæculo a Gentilibus scriptoribus facta mentio reperitur? At certe templum Pacis, de quo ea prænunciata esse testantur, immensæ fuisse molis opus, ijdem ipsi confirmant: nam de templo Pacis quod collapsum sciunt, cuius & ruinæ spectantur, eos intellexisse, quis dubitat?

[a] Suet. in Vespas. cap. 9.

[b] Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. c. 24.

[c] Plin. lib. 36. cap. 25.

[d] Clem. Alex. Strom. lib. 5.

XIII.

Qui quod dicūt de inscriptione Templi Æterni, fortasse ad illam alludunt, quæ hactenus in illustri antiquitatis monumento marmori insculpto, Romæ legitur his verbis [e]:

[e] Extat in ædibus Farnesianis. descripsit Aldus.

PACI AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS AVG.
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR
DEDIC. XV. K. DEC
L. ANNIO BASSO
C. CAECINA PAETO
COS

Inscriptæ in eodem marmore leguntur singulæ tribus, quæ in ædificationem templi, vt iussum fuerat, pecuniam contulerunt. Porro (vt Herodianus [f] est auctor) sub Commodo Imp. idem templum incendio conflagrauit: verum non penitus fuisse flammis absumptum credimus: nam (quod ait Ammianus [g] Marcellinus) Constantinus Imp. Romam veniens, inter cetera admiranda Vrbis ædificia, ipsum templum Pacis spectans, in admiratione habuit. Sed de his satis. Eadem ratione habenda putamus alia nonnulla id genus, quæ nullo vel incerto auctore feruntur. Iam cetera quæ sunt historiæ Euangelicæ prosequamur.

[f] Herodian. in Commodo Imp.

[g] Ammian. Marc. lib. 16.

XIV. PASTORES AD PRAESEPE.

Pastores, inquit [h] Euangelista, erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque ad Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Et venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his quæ dicta erāt a pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deū in omnibus, quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.] hactenus S. Lucas. Erat locus ipse, inquit [i] Hieronymus,

[h] Luc. 2.

[i] Hieron. epist. 27.

turris

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE PASTORIBVS

turris Ader, id est, gregis, iuxta quã Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis; dumq. seruant oues, inuenerunt Agnum Dei puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cælesti rore complutum est, & cuius sanguis tulit peccata mundi, & exterminatorem Ægypti litus in postibus fugauit.] hæc Hieronymus. Est hæc turris gregis, de qua olim Michæas [a], dum loqueretur de admirabili aduentu Dei, hæc ait: Et tu turris gregis nebulosa filia Sion vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Hierusalem.] De eadem egregijs illustrata monumentis hæc Beda [b]: Porro ad Orientẽ in turre Ader, id est, gregis, mille passus a ciuitate Bethlehem segregata est ecclesia, trium pastorũ diuinæ natiuitatis consciorum monumenta continens.] hæc ille: quibus significari videtur, tres tantũ pastores præsepe Domini adijsse.

[a] Mich. 4.

[b] Beda de locis sanct. cap. 8.

XV. CHRISTI NATALIS EX LIBRIS SIBYLLINIS NOTVS.

Præterea sicut Christi Domini nostri natali lætati sunt Angeli, & sacrum hymnum, cũ hæc essent annunciata pastoribus, cecinerunt: ita & mali dæmones perterriti atque turbati, de nato puero Hebræo, qui suas ipsorum vires eneruaret atque contereret, licet inuiti, responsa dedere: quæ cum innotuissent Augusto, qui & ex Sibyllinis versibus de eodem complura perceperat, ea quæ præfati sumus, dum egimus de Aduentu Domini, debitæ religionis persoluit obsequia. Sane quidem admiratione digna est in tanto homine contraria de eãdẽ re sententia, ac repentina mutatio: quippe qui antea Iudæorum cultui adeo erat infensus, vt (quod testatur [c] Suetonius) Caium nepotem laudauerit, quòd Iudæam præteruehens, apud Hierosolymam non supplicasset. Contigit autem Caij in eã regionem aduentus (vt ex Dione [d] auctore colligimus) sub Consulatu C. Antistij Veteris & Lælij Balbi, anno ab Vrbe condita septingentẽsimo quadragesimooctauo; est is annus ante natum Dominum tertius.

[c] Suet. in Oct. cap. 93.

[d] Dio hist. Rom. lib. 55.

XVI. AVGVSTVS FAVET IVDAEIS.

Porro quantũ posthac Iudæorum religionem in pretio habuerit, Iudæisq. tũ Romæ, tum etiam vbique terrarum commorantibus fauerit; Philonem [e] hæc ipsa apud Caium Augustum referentem audire, pergratum erit: Ipsum, inquit, Augustum numquam inflatum talibus obsequijs, hinc certo colligitur, quòd numquam sustinuit se appellari Deum vel Dominũ, auersatus hanc adulationem, nec dissimulans probari sibi Iudæos, qui abominarentur talia. Alioquin non passus fuisset Transtiberim bonã Vrbis partem teneri a Iudæis, quorum plerique erãt libertini; quippe qui belli iure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi, fuerant permissi iure maiorum viuere. Hos sciebat habere suas proseuchas, id est, synagogas, in quibus cœtus facerent, præsertim sabbatis iuxta religionem patriã. Sciebat eos collectas primitiarum mittere Hierosolymam, & certos homines, qui pro ipsis offerrent victimas. Eos tamen nec Vrbe iussit excedere, nec mulctauit iure ciuiũ: quandoquidem ne in Palæstina quidem extinctam volebat eorũ religionem & Rempubl. nec circa proseuchas quicquã nouauit; nec cœtus in quibus leges discerentur, fieri vetuit; nec solemnem modũ primitiarum offerendarum vllo edicto sustulit: sed tam sancte nostra sacra habuit, vt pene omnium eius domesticorũ dona extent in templo nostro, in quo mandauit quotidianas mactari victimas suis sumptibus Deo votas altissimo: quæ sacra in hodiernum peraguntur, durabuntq. perpetuo, monumentum virtutum Imperatoris. Domi quoque quoties menstruas pecunias frumentive distributiones populus acciperet, Iudæorum rationem haberi voluit: quæ liberalitas si in sabbatum incideret, quando nostris nec dare licet, nec accipere, nec operis quicquam facere, præsertim quæstus gratia; iubebantur diribitores Iudæis in posterum reponere publicum beneficium. quapropter omnes vbique gentes, suopte ingenio Iudæis parũ propitiæ, verebantur tamen violare iura Iudaica.] hæc Philo, qui habet postmodum permulta alia, quæ cumulate reperiuntur in supplici illo Agrippæ ad Caium misso libello, quem ipse Philo recenset in sua quam scripsit legatione ad Caium, quem nos quoque, cum tempus postularit, inferius his nostris scriptis inseremus: quæ quidem omnia eo magis sunt admiratione digna; quòd idem Augustus (vt Suetonius [f] tradit) non tantum, quod diximus, abominaretur olim religionem Iudæorum, sed & superstitiones peregrinas, quamuis Gentilium, contemneret, vt Atticam, & Ægyptiam, quam etiam in Vrbem se inferentem (vt auctor est [g] Dio) edicto repressit, vetuitq. ne quis Ægyptia sacra nec in suburbano intra quingentos passus ageret.

[e] Philo de leg. ad Caium.

[f] Suet. in Oct. cap. 93.

[g] Dio hist. Rom. lib. 54.

XVII. Hæc itaque satis de natali Domini. Restat vt de eius infantia quælibet exacte prosequamur; primumq. ipsius annum (cum nonnisi huius, quo natus est, supersint sex dies) ab

dies) ab ipsis Kal. Ianuarijs numerare, more maiorum, feliciter auspicemur, quibus Consulatum Augustus decimumtertium & Plautius Siluanus inierunt. ANNVS PRIMVS CHRISTI.

IESV CHRISTI ANNVS 1.

AVGVSTI IMP. ANNVS 42.

XVIII. CIRCVMCISIO DOMINI.

REdemptor humani generis Christus Dominus postquam in Bethlehem natus est (quoniam, vt ait Apostolus [a], missus est a Patre in similitudinem carnis peccati) octauo die, ipsis Kal. Ianuarij, Augusto decimumtertium & Plautio Siluano Consulatum gerentibus, eodem in quo natus est loco circumciditur; nomenq. IESVS, quod ab Angelo fuerat præmonstratum, eidem est inditum. Cuius gestæ rei historiam Euangelista paucis enarrat, cum ait [b]: Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.] hæc Lucas. In spelunca circumcisum esse Dominum, [c] Epiphanius testatur: neque enim aliqua adstringebantur lege Iudæi, vt circumcidendum infantem deferrent in templum. Cum itaque in circumcisione nomen accepisset, censu Cæsaris (quod superius susius dictum est, dum egimus de descriptione ac censu Quirini) [d] descriptus est. Quiq. in hunc mundum (quod ait Ioannes [e]) ad hoc venit, vt dissoluat opera diaboli, ipsas Kal. Ianuarias præ ceteris anni diebus Gentilium superstitionibus pollutas, fuso sanguine consecrauit; sibiq. ipsas primitias temporis, diaboli tyrannide occupatas, primitijs sui sanguinis vendicauit: quod mysterium symbolicis quibusdam verbis olim inuoluerat Isaias, cum diceret [f]: Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis.] Quibus autem ritibus Ecclesiasticis dictam diem Christi sanguine adeo illustratam Christiani consueuerint solemniter celebrare, alibi [g] pluribus diximus. Cetera vero quæ spectant ad sanctissimum ac diuinitus inditum nomen IESV super omne nomen admirabile, cui omne genu [h] cælestium, terrestrium, ac infernorum, diuino cogente imperio, flecti debeat; relinquimus interpretibus, qui hæc copiosius pertractarunt: nos interim, quod est nostri instituti, Euangelicæ historiæ seriem percurramus.

[a] Rom. 8.

[b] Luc. 2.

[c] Epiph. in Pan. lib. 1. tit. 1. circa finem.

[d] Oros. lib. 7. c. 3.

[e] Ioan. 3.

[f] Isai. 11.

[g] In Notat. in Martyrologium Rom. die 1. Ian.

[h] Ad Philip. c. 2.

XIX. MAGORVM ADVENTVS.

Matthæus Euangelista [i] describens Magorum aduentum ad Christum infantulum adorandum, hæc ait: Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes Principes sacerdotum & Scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero; & cum inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorẽ eum. Qui cum audissent Regem, abierunt: et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dũ veniens staret supra vbi erat puer. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valde: et intrantes domũ, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum: et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrhã. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.] hactenus de Magorum aduentu Matthæus.

[i] Matth. 2.

XX. CONSTANS FIDES HISTORIAE MAGORVM.

Quoniam vero non ipsam tantum rerum historiam narrandam suscepimus; sed quæ in ea sunt difficultates & nodi, dissoluere & enodare pro nostris viribus polliciti sumus: complures quæ in Matthæi de Magis historia oboriuntur quæstiones, explicandas nobis proposuimus; quas aggressurus Ioannes Chrysostomus [k], in hunc modum præfatus est: Multa, inquit, nobis opus est vigilantia, multis precibus, vt præsentis loci difficultatem possimus absoluere, & discere, quinam sint Magi, & vnde venerint, & quonam modo, quoue suadente; quænam etiam illa stella fuerit, quæ Magos vsque ad Christum perduxerit.] hæc ille. Quod in primis ad gestæ rei narrationem spectat: cum Matthæus, qui primus omnium Euangelium scripsit, eam adeo diligenter ac copiose fuerit prosecutus; inde accidit, vt cæteri, qui post eum Euangelicam historiam scriptis man-

[k] Chrysost. hom. 6. in Matth. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

darunt, Euangeliſtæ referre eamdem prætermiſerint: quam etſi Ioſephus Iudæus ſilentio præterierit, ſicut & alia quamplurima; certe ſi ab externis teſtimonium quis quærat, habet Macrobium [a], hominem alioqui rebus Chriſtianorum infenſiſſimum, ſed dum loquitur de Herodis infanticidio, eiuſdem veritatis æquum adſtipulatorem. Hæc dixerimus contra recentiores Anabaptiſtas, qui eo inſaniæ peruenerunt, vt eidem hiſtoriæ aduerſantes, impietate ſuperarint Manichæos omnium hæreticorum ſceleſtiſſimos; cum illi aduerſus Matthæi [b] Euangelium mira contradicendi libidine inſanientes, nullam tamen de Magorum hiſtoria controuerſiam mouere ſint auſi; ſicut neque ceteri impietatis alumni, qui (quod dicitur) omnem voluere lapidem, ſi quo modo notam potuiſſent inurere Euangelicæ veritati, vt Celſi, Porphyrij, & Iuliani. Sed miſſis his, de ipſis Magis, quinam fuerint, primum omnium inſtituamus orationem.

[a] Macrob. lib. 2. Saturn.

[b] August. contra Faust. lib. 17. 18. 19. & 23.

XXI. MAGI QVI FVERINT.

Cum de ea re diuerſæ reperiantur ſcriptæ ſententiæ, ab antiquioribus ſumemus exordium. Iuſtinus [c] Philoſophus & Martyr de Magis his ſcribit, quòd malis artibus, magiciſq. excantationibus atque præſtigijs ſibi dæmones conciliauerant: quibus cum addicti penitus eſſent, cognita per Chriſti aduentum, indicante ſtella, veritate, ab illis, ad rerum Dominum venientes, defecerint. Dixerat eadē ante ipſum Ignatius ad Epheſios ſcribens in hæc verba, dum agit de Magis: Hinc euanuit mundi ſapientia, præſtigiæ factæ ſunt nugæ, magia riſus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus deſtructus, cum Deus vt homo apparuit, & homo vt Deus operabatur.] hæc ille. His haud diſcrepantia Origenes [d] contra Celſum agens, ſcribit: ac quam rem geſtam putauit, his verbis enarrat: Si ſcrutanda fuerint quæ nato Domino de Magis & ſtella ſcribuntur, ſecus equidem Græcos ac Iudæos affabor. Nam Græcis id dixerim; Magos hoſce, quia dæmonibus aſſueuiſſent, vt quos pro eorum conſuetudine & pro arbitrio inuocarent, idcirco id agere & dæmones colere, quia nihil diuinius his aut fortius, vel carminibus, quibus hos prouocarent, potentius ducerent & faterentur. Quòd ſi maioris ac veræ diuinitatis vis quædā appareat, tollentur mox dæmonum operationes, quippe qui nequeant obiectā diuinitatis lucem ſpectare. Iure ergo ſecundum hanc Ieſu natiuitatem cum cæleſtis exercitus multitudo (vt Lucas ſcripſit, & ipſe teneo) Deum collaudando, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, decantarent: dæmones ipſi attriti ſunt, & infirmiores ſunt redditi, vbi eorum deprehenſæ ſunt & conuictæ præſtigiæ, & actiones omnes non modo per Angelos prorſus deletæ, qui ob Ieſu natiuitatem ad terram hanc cælitus commigrarunt, ſed per Ieſu animam ipſam & diuinitatem omnino ſublatæ.

[c] Iust. Martyr in dial. cū Tryph.

[d] Origen. contra Celſ. lib. 1.

XXII. DE MAGIS SENTENTIA ORIGENIS.

Magi itaque, qui Ieſum poſtea adoratum venerunt, cum vellent, quæ ſoliti fuerant, magicis quibuſdam carminibus factitare, apparentis ſtellæ cauſam conquirentes, & non mediocrem eſſe hanc contemplati; cum in cælo ſignum ſpectarent, quod diuina, non humana præferret; cepit cupido animum, quid illud portenderet, peruidere. Et vt nobis apparet, cum haberent & hi ex Balaam prophetias, quas Moyſes ipſe, vt erat ingenio acer, conſcripſerat, & in his de ſtella quod traditur comperiſſent: intellexerunt hominem demigraſſe ad vitam, & natum eſſe quem Prophetæ cum ſtellæ indicio iampridem venturum denunciaſſent. Et cum hunc, vt potiorem, dæmonibus prætuliſſent, qui ſoliti eſſent vanis rerum imaginibus ludificari, in Iudæam eumdem adoraturi ſe contulerunt; certiores iam redditi, eſſe Regem aliquem natum, ignari tamen quale hic eſſet imperium habiturus, & vbinam gentium naſceretur, &c.] hæc Origenes in Celſum; & alibi [e] de ijſdem rurſus in hunc modum: Si, inquit, a Moyſe prophetiæ Balaam ſacris inſertæ ſunt voluminibus, quanto magis deſcriptæ ſunt ab his qui habitabant tunc Meſopotamiam, apud quam magnificus habebatur Balaam, quoſq. artis eius conſtat fuiſſe diſcipulos? Ex illo denique fertur Magorum genus & inſtitutio in partibus Orientis vigere: qui deſcripta habentes apud ſe omnia quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quòd orietur ſtella ex Iacob, & exurget homo ex Iſrael. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſemetipſos: et ideo quando natus eſt Ieſus, agnouerunt ſtellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipſi, quàm populus Iſrael, qui ſanctorum Prophetarum audire verba contemſit. Illi ergo ex his tantum quæ Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcentes adeſſe tempus, venerunt, & requirentes eum, ſtatim adorauerunt.] hactenus ille.

[e] Orig. hom. 13. in Numer.

XXIII. Porro his quæ diximus de excantationibus dæmonum ab ijſdem fieri ſolitis, aſſentitur

A titur Baſilius [a], atque adſtipulatur Hieronymus [b], & alij, qui eos fuiſſe Chaldæos, eoſdemq. ab Erythræa Sibylla de Chriſto venturo edoctos eſſe teſtantur. Inter alios qui hos Magos Chaldæos fuiſſe dixerunt, Chalcidius Platonicus fuit, qui hæc habet in ſuis commentarijs in Timæum Platonis: Eſt, inquit, alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet de ortu ſtellæ cuiuſdam, non morbos morteſq. denunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad huma næ conuerſationis rerumq. mortalium gratiam: quā ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum cæleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem Dei ortum, repertaq. illa maieſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto conuenientia nuncupaſſe.] hæc ille.

MAGI CHALDÆI
[a] Basil. orat. de hum. Christi generat.
[b] Hieron. in Isa. 19. & 47.

Fuit autem ab his diuerſa complurium Patrum ea ſententia, eoſdem Magos fuiſſe ſa- B pientes Perſarum, quorum ſententia eius gentis Principes cuncta facere conſueuiſſent, vt veteres tradunt hiſtorici, ac etiam teſtatur S. Hieronymus [c]. Hæc ſenſerunt Clemens [d] Alexandrinus, Ioannes Chryſoſtomus [e], Cyrillus Alexandrinus [f], Theodoretus [g], S. Leo [h] Papa, & alij; quorum aliquos, qui dixerunt eoſdem Magos fuiſſe Reges Perſarum, erraſſe certum eſt: quandoquidem longe ante Chriſti aduentū Magi regnarunt in Perſide: nam poſt mortem Cambyſis, duos Magos fratres tantum menſibus ſeptem regnaſſe in Perſide, Herodotus [i] & alij tradiderunt. Errat tamen Ammianus [k], qui Magos ſeptem poſt Cambyſem regnaſſe teſtatur. Erant enim Magi in Media populi, vt idem Herodotus tradit. Verū Perſas a popularibus ſuis appellatos eſſe Magog & Maguſæos, E teſtatur Suidas in verbo μαγὼγ, & in verbo πέρσαι: vnde ijdem Perſæ Magi æque dici potuerunt. Porro Magos ab Hieſtaſpe famoſiſſimo Rege ſapientiam didiciſſe, Ammianus C teſtatur; hiſq. adeo ſtuduiſſe Perſas conſtat, vt tradat Cicero de diuinatione, Regē Perſarum eſſe non potuiſſe, qui non ante Magorum diſciplinam atque ſcientiā percepiſſet.

XXIV. MAGI PERSAE.
[c] Hier. in Dan. c. 2.
[d] Clem. Alexan. lib. 1. strom.
[e] Io. Chrysost. in Matth. homil. 2.
[f] Cyril. in Isa. c. 49. orat. 4. lib. 4.
[g] Theodor. lib. 5. hist. c. 39.
[h] S. Leo serm. 1. in Epiph.
[i] Herod. lib. 3. Euseb. in chron.
[k] Ammian. lib. 24.
[l] Iustin. dialog. cum Tryphone.

Ceterum non e terra Chaldæorum, nec e Perſide, ſed ex Arabia Magos veniſſe, alij XXV. complures affirmant, vt Iuſtinus Martyr [l], Tertullianus [m], Cyprianus [n], vel qui alius ille fuerit auctor, qui ſcripſit de Operibus cardinalibus, Epiphanius [o], & alij, ſecundum id quod in Pſalmo ſcriptum eſt [p]: Reges Arabum & Saba dona adducent.] quæ de Meſſia eſſe intelligenda, tam noſtri interpretes, quàm etiam Rabbini complures æque aſſentiuntur; ſicut & illa quæ ſcribuntur ab Iſaia [q]: Surge illuminare Hieruſalem.] & inferius: Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.] Madian, inquit Hieronymus [r], & Epha, regiones ſunt trans Arabiam, omniſq. prouincia appellatur D Saba.] Huic ſententiæ, quòd Magi venerint ex Arabia, cum nos, vt veriori libentius adhæreamus: perapte, quo & ipſa certior firmiorq. reddatur, harum gentium ſunt repetenda principia, & vnde ita ſint denominatæ, cauſa & ratio perquirenda. Atque hoc quidem factu haud multum difficile: conſtat enim ex diuina Scriptura [s], Abraham ex Cætura multos genuiſſe filios, & inter alios Iexan & Madian: ex Iexan vero ortus eſt Saba, & ex Madian Epha, & alij; quos omnes Arabiam incoluiſſe conſtat, atque ex ipſorum nominibus loca ipſa eſſe ſortita nomina, ac populos denominatos Sabæos & Madianitas, quorum (vt diximus) meminit Iſaias. Rurſus etiam Balaam, qui de ſtella prædixerat vaticinium hoc [t]: Orietur ſtella ex Iacob] licet ipſe Meſopotamenus eſſet, Haran incolens, vt ipſe profitetur dicēs [u]: De Haran adduxit me Balac Rex Moabitarum] tamen in Arabia conſtat ea de oritura ſtella eſſe vaticinatū. Nam Moab, cuius Rex erat E Balac, qui eum mercede conduxit, erat (vt tradit Hieronymus [x]) ciuitas atque prouincia eius nominis in Arabia. Sicq. ſiue ſcripturam, ſiue traditionem de ſtella & Rege futuro penes Arabes, quibus prænunciata fuerat, perpetua memoria viguiſſe, par eſt credere: quibus admoniti, & nouæ ſtellæ viſu excitati ſimulq. directi, quæſitum Regem Iudæorum in Iudæam venerunt.

MAGI ARABES.
[m] Tertul. lib. adu. Iudæos, & lib. 3. contr. Marc.
[n] Cypr. de oper. card. de Stella & Magis.
[o] Epiph. in comp. doct.
[p] Psal. 71.
[q] Isai. 60.
[r] Hieron. in Isa. c. 60.
[s] Genes. 25.

DE STELLA VATICINIVM.
[t] Num. 24.
[u] Num. 23.
[x] Hier. de locis Hebraic. & in Isai. 15.

Quod inſuper obſeruatione dignum eſt: Abraham cum ex Cætura & Agar filios genuiſſet, nequaquā illos cū Iſaac heredes inſtituit; ſed ſeparans eos ab illo, plagā Orientalem illis tribuens, ac ſic dimittēs, largitus eſt illis munera. hæc ex Scripturæ [y] ſacræ auctoritate didicimus. Quænam autem fuerint munera quæ Cæturæ filij acceperint, Epiphanius [z] ex Hebraicis traditionū fontibus hiſce declarat: Filijs Cæturæ dona erant, pecuniæ præſentes, aurum, argentum, ac veſtitus: et in myſterio concluſit Abrahā in peris thus, & myrrham, & aurum Regum Sodomorum & Gomorrhæ, quando [a] Codorla-

XXVI. EX FILIIS ABRAHAE EX CAETVRA MAGI.
[y] Genes. 25.
[z] Epiph. in exp. doctrin.
[a] Genes. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

homor & Berſa ac reliqui a Sodomis & Gomorrhis ac reliquis acceperunt, & equos de- A
prædati ſunt, & hominum multitudinẽ captiuam adduxerunt, & ab vnoquoque opu-
lentiam pecuniarũ & aliarũ rerum multitudinem diripuerunt: quam reduxit Abrahã
tunc a cæde Regum: et neque auertere ea quæ iam Deo deſtinata erant, auſus fuit; ſed
dedit ipſa cum alijs donis filijs ſuis ex Cætura, veluti in traditionibus Hebræorũ repe-
rimus. At vero in Chriſti aduentu, cum ijdem filij Abraham & diſceſſiſſent & habitaſ-
ſent in partibus Arabicis Magodiæ regionis; Magi, qui ex ſucceſſione ſerminũ illorum
deſcenderunt, eadem dona in participatione eiuſdem ſpei Chriſto in Bethlehem obtu-
lerunt, quando ſtellam conſpicati venerunt. Quorum donorum manifeſtam certitudi-
a Iſaiæ 8. nem [a] Propheta declarat, dicens: Antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem
ſuam, capiet vim Damaſci, & ſpolia Samariæ contra Regem Aſſyriorum. Hæc enim
a Damaſco in temporibus Abraham (velut antea dixi) a Regibus qui venerant, accepta B
ſunt. Quando ergo accepit ipſa? priuſquam noſſet vocare patrem aut matrem, quando
b Iuſt. Martyr in dialog. cum Typho. venerunt Magi, & aperuerunt peras ſuas, ſiue theſauros, veluti aliqua exemplaria ha-
c Tert. lib. 3. contra Marc. c. 13. Iuſtin. vbi ſup. & Petrus Alex. c. 13. bent, & obtulerunt myrrham, thus, & aurum.] hactenus Epiphanius. In eumdem ſer-
me ſenſum interpretatus eſt Iuſtinus [b] Martyr dictum Iſaiæ textum, dum agens cũ Try-
phone Iudæo de veritate fidei Chriſtianæ, Magos ex Arabia veniſſe, eoſdemq. Arabes
ſuiſſe dicit, itemq. Damaſcum olim in Arabia ciuitatem poſitam. hæc ipſa etiam Ter-
tullianus [c] ingenue fatetur: ipſa quippe Syria Damaſci, Arabia nominata [d] reperitur,
d Burchard. in deſcript. Terræ Sanct. par. 1. c. 1. Idem Tullianus per Regem Aſſyriorum, viſitato Scripturæ loquendi modo, Hero-
dem eſſe intelligendum, prout & idem Iuſtinus & Petrus Alexandrinus, affirmat.

XXVII. Ex omnibus his tam ex diuinæ Scripturæ auctoritate ac antiquorum interpretatione,
ARABIA ORIENTALIS. quàm etiam ex Hebræorum traditionibus enarratis, ſatis elucidatum videtur quod C
e Matth. 2. dicti auctores dixerunt, Magos ex illa regione Arabiæ veniſſe, quæ vergit ad Orientem
f Geneſ. 25. (inde enim eos veniſſe, Euãgeliſta [e] teſtatur) præſertim ex dicto illo diuinæ Scripturæ lo-
co [f], quo dicitur, Cæturæ filios in Oriente ab Abraham eſſe locatos. Qui inſuper Iudææ
ſitum deſcripſere, eam ex Orientali parte ſpectare dixerunt Arabiam: inter quos Taci-
g Tacit. hiſtor. lib. 5. tus [g] de his agens, hæc ait: Terra fineſq. qua ad Orientem vergunt, Arabia terminan-
tur: a Meridie Ægyptus obiacet, ab Occaſu Phœnices & mare, Septentrionem a late-
re Syriæ longe proſpectat.] hæc ille: quod eo verius eſt, ſi hiemalis ſolſtitij ratio ha-
beatur: ſecundum quod creditur locutus Euangeliſta, cum Chriſtus ſit natus media
hieme. Ceterum quod ſpectat ad Perſidem, vnde complures, veniſſe Magos affirmãt:
h Chryſoſt. hom. 6. in Matth. Ioannes [h] Chryſoſtomus eam Septentrionem verſus poſitam affirmare videtur; quod
i Hier. in Ezech. c. 5. & teſtatur S. Hieronymus [i] hæc ſcribens in eamdem ſententiam: Operatus eſt ſalutem D
in medio terræ: a partibus Orientis cingitur plaga quæ appellatur Aſia, a partibus Oc-
cidentis ea quæ appellatur Europa, a Meridie & Auſtro Libya & Africa, a Septentrio-
ne Scythis, Armenia, & Perſide, & cunctis Ponti nationibus.] hæc Hieronymus. At ve-
k Cyril. in Iſai. c. 49. lib. 4. or. 4. ro [k] Cyrillus Alexandrinus, qui eoſdem Magos a Perſide veniſſe contendit, eam prouin-
ciam ex Oriente Iudæam ſpectare teſtatur; quod & qui Ptolemæi tabulas perlegerit,
exploratum & euidens eſſe cognoſcet. Verum ſi conſideretur Magorum aduentus tem-
poris ſpatium, nempe dierum tredecim (vt pluribus paulo inferius demonſtrabimus)
eos certe non e Perſide, vel e Chaldæa, ſed ex Arabia Orientali veniſſe, perfacile quiſ-
que percipere poterit.

XXVIII. Sed & conſideratione dignum eſt, quòd Regina Saba, ex ijſdem & ipſa Cæturæ fi-
DE REGINA SABA. lijs originem ducens, illã incolens regionem quæ a parte Auſtri eſt confinis Arabiæ, ve- E
l 3. Reg. 10. nit Regem Iſrael explorare; cui & eadem, quæ Magi, munera attulit, nempe aurum &
aromata, licet & gemmas ſuperaddiderit, prout his verbis docet diuina Scriptura [l]: Re-
gina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmati-
bus. Et ingreſſa Hieruſalem multo cũ comitatu & diuitijs, camelis portantibus aroma-
ta, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, venit ad Regem Salomonem.] Quæ,
obſecro, tanta cupido tum illius, tum Magorum, qui ex ijſdem (vt dictum eſt) progeni-
m Num. 24. toribus deſcendebant, inceſſit animũ de Rege, qui in Iſrael regnaret, peruestigando; niſi
quòd in illis regionibus de re tanta Balaam [m] oraculo erant admoniti? At quod illa cre-
didit eſſe impletum in Salomone, qui & ipſe Chriſti venturi typum gerebat; iſti, duce
ſtella, adhuc perquirendum putarunt Regem Iſrael, quem & feliciter inuenerunt.

XXIX. Cur vero ijdem Magi ſint nominati, ſupereſt inueſtigare; ſimulq. an ijdem ipſi Reges
fuerint

A fuerint, perquirere. Penes antiquos triplicis generis Magos fuiſſe, tradit [a] Euſebius: MAGI AN REGES FVERINT.
quorum primi erant doctiſſimi atque abſtinentiſſimi, vt excepta farina & olere, nihil *a Apud Hier. tom. 9. de regg. monach.*
aliud in cibum haberent: alij erant ſacerdotes, vt videmus perſeueraſſe in Perſide, quo-
rum ſacerdotes conſtat Magos eſſe appellatos: tertij vero generis illi fuere, qui inuo-
cationibus malorum dæmonum intendentes, vel ad commouendos animorum affectus
in contraria ſtudia, vel ad futura prænoſcenda, & occulta diuinanda, maleficia exer-
cerent: cuius magiæ genus maxime proprio vocabulo malas artes dici, teſtatur Phi-
lo [b], qui tamen veram magiam, vt ſcientiam libero homine dignam, ſummopere lau- *b Philo lib. de ſpecial. legibus.*
dat. Porro tertij generis Magi Romanorum legibus, inquit Tertullianus [c], cum dam- *c Tertul. lib. de Idololatr.*
nati ſint atque proſcripti: cumq. magia punitur, cuius ſpecies eſt, ait, aſtrologia, *iudiciaria ſcilicet;* vtique & ſpecies in genere damnatur.] hæc ille, qui eius generis hos fuiſ-
B ſe Magos eſt opinatus, ſic dicens: Magi & Aſtrologi ab Oriente venerunt: ſcimus ma-
giæ & aſtrologiæ inter ſe ſocietatem. Primi igitur ſtellarum interpretes natum Chri-
ſtum annunciarunt, primi munerarunt.] hæc Tertullianus [d], qui & eoſdem Reges *d Tertul. lib. ad-uerſ. Iudæos.*
fuiſſe aſſentiri videtur, dum ſic ait [e]: Reges Arabum & Saba dona afferent illi; nam & *e Tertull. ibid.*
Magos Reges fere habuit Oriens.] hæc ille, alludens nimirum ad Plinium [f], qui ait ma- *Pamel. not. ad Tert. lib. de Idololatr. num. 52.*
giam in Oriente Regum Regibus imperaſſe: vel ad id quod ante Philo dixerat hoc *f Plin. nat. hiſt. lib. 30. c. 1.*
modo: Non ſolum eam plebei ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim *g Phil. lib. de ſpecial. legibus.*
Perſici tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familia-
riter.] hactenus [g] ille.

At quòd Magi fuerint Reges, etiam Theophylactus [h] aſſerit, idemq. Fidelium pia XXX.
traditio tenet: eoſdemq. tres numero fuiſſe, ſecundum tria munerum genera, æque MAGI REGES.
C confirmat; quod & S. Leo [i] in ſuis ſermonibus ſæpe teſtatur. Hos igitur fuiſſe Reges *h Theophylact. in Matth. 2.*
dixerimus, viſitato more diuinæ Scripturæ, quæ cuiuſque oppidi dominum Regem ap- *i Serm. de Epiph. 1. 3. 5. 6.*
pellare conſueuit; vt patet de quinque Regibus, quos Abraham [k] armatis ſuis vernaculis *k Geneſ. 14.*
debellauit. Nec quidem propinquioris Iudææ Arabiæ eos fuiſſe Reges putamus; nam
illi præerat Syllæus, cuius Ioſephus frequenter meminit: ſed potius interioris partis
prouinciæ illius, quæ longe lateq. ad Orientem & Meridiem ſeſe diffundit. Quòd ve-
ro eoſdem Matthæus Magos appellet; in eam ſententiam ſumus procliuiores, vt exiſti-
memus, illius magiæ ſtudioſos, quæ ex rerum naturalium cognitione percipitur, ex-
titiſſe. cui quidem noſtræ ſententiæ adſtipulatus videtur Chalcidius Platonicus, dum
ſuis in Timæum Platonis commentarijs hæc ait: Eſt quoque alia ſanctior & venera-
bilior hiſtoria (*alludit enim ad Matthæi Euangelium*) quæ perhibet ortu ſtellæ cuiuſ-
D dam non morbos morteſq. denunciatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ
conuerſationis rerumq. mortalium gratiam. Chaldæorum profecto ſapientes viri, &
conſideratione rerum cæleſtium ſatis exercitati, quæ ſiſſe dicuntur recentem ortũ Dei;
repertaq. illa maieſtate puerili, venerati eſſe, & vota Deo tanto conuenientia nuncupaſ-
ſe.] hucuſque ille, ratus tamen hos fuiſſe Chaldæos. Cum autem Epiphanius [l] dicat, *l Epiph. in cap. doct.*
dictos Cæturæ filios, Magorum progenitores, habitaſſe in partibus Arabicis Magodiæ
regionis: haud inepte quis dixerit, Magos, non a magica facultate, ſed ab eadem Ma-
godia regione eſſe denominatos.

De tempore autem quo Magi Bethlehem venerint, inter ſe diſſentiunt antiqui ſcri- XXXI.
ptores: quorum aliqui, vt Euſebius Pamphili [m], Epiphanius [n], ac ceteri hos ſecuti, MAGI QVANDO VENERVNT.
in ea fuerunt ſententia, vt poſt biennium a Chriſto nato Magos in Bethlehem ad Chri- *m Euſebius in chron.*
E ſtum veniſſe dicerent; ea nimirum ratione adducti, quòd Herodes (vt teſtatur Euan- *n Epiph. in Panar. lib. 1. tom. 1. prope fin. & tom. 2. hæreſ. 30. edit. Ebton. eos.*
geliſta [o]) omnes pueros occidi iuſsit a bimatu & infra ſecundum tempus quod exqui- *o Matth. 2.*
ſierat a Magis. Sicq. anno Auguſti Imp. quadrageſimoquarto Magos Bethlehem per- *p Aug. ſer. 7. de Epiph. de temp. 35. & in addit. ſer. de Epiph. edit. Louan. pag. 431.*
ueniſſe aſſeruerunt. Alij vero dixerunt, decimotertio a natiuitate Domini die Magos
Bethlehem adueniſſe, verum biennio ante Chriſtum natum illis ſtellam apparuiſſe:
cuius ſententiæ Auguſtinus [p] fuiſſe reperitur, & alij, nec alia ex cauſa, quàm quòd a bi-
matu & infra Herodes pueros omnes necandos curauit. Sed vt ab his omnibus diſſen-
tiamus, multa perſuadent. Dicant, rogo, qui poſt biennium a Chriſto nato eos adue-
niſſe tradunt, an id acciderit, quia non ſtatim vt viderunt ſtellam, ſe itineri commi-
ſerunt? At non ea eſt cauſa: quandoquidem eos, confeſtim vt ſtellam inſpexerunt,
eſſe profectos, Euangeliſta non obſcure inſinuare videtur: alioquin ea mora ipſos red-
didiſſet ſuſpectos poſteris nomine ignauiæ, ſi tã inſolito ſigno admoniti, adhuc annũ &

Universidad de Deusto
Biblioteca

multos menses oscitanter nimis iter capessere detrectasent. Si vero statim vt in cælo visa est stella, iter arripuerunt; quidnam fuit causæ vt biennij tempus insumpser int in itinere? cum, non dico si e Perside vel Babylone, sed etsi ab extremis Indijs Orientalibus profecti fuissent, illud licet longissimum itineris spatium sex mensibus eos confidere potuisse, quilibet æquus rerum æstimator diiudicare possit. Insuper si, vt dicunt, post biennium Magi aduenerunt: quo modo (quod refert sanctus [a] Matthæus) eum in Bethlehem inuenerunt, quem (vt testatur sanctus Lucas [b] Euangelista) post quadraginta dies, secundum Moysi legis mandatum, tulerunt Hierusalem, vt sisterent eum Domino, hisq. impletis officijs Ioseph & Maria Virgo sanctissima vna cum infantulo sunt reuersi in Galilæam, atque Nazareth habitarunt? Aliqui vero ex his qui hanc sententiam firmare conati sunt, non valentes his respondere, commentum excogitarunt, dicentes, iterum parentes cum puero, occasione cuiusdam festi, esse reuersos Bethlehem. Sed quod festum fuerit illud, dicant obtestor. Nam si aliquod fuit ex legalibus; Hierosolymam, & non Bethlehem eundum fuisset. Si vero aliquod spectaculum Bethlehem ederetur, absit vt eius causa vel pedem extra domus limen integerrima Virgo produxisse credatur. Atque hæc satis sint ad hanc sententiam refellendam.

a Matth. 2.
b Luc. 2.

XXXII. ARGVITVR ERROR DE MORA BIENNII.

Quod autem ad illos pertinet, qui stellam ante biennium apparuisse putarunt: etsi satis esse possent quæ paulo ante de tam longo temporis spatio in itinere insumpto dicta sunt: tamen quia & ijdem vna cum illis ea nituntur ratione, quòd dicat Euangelista, Herodem occidi iussisse infantes omnes a bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat a Magis: ad hæc primum inferimus id quod Ioannes [c] Chrysostomus ijsdem respondens ait: Quòd Herodes a biennio & infra pueros interfici iussit, non mireris: siquidem conueniunt in eum tyrannum pauor & furor: pro abundantia cautionis maius tempus inclusit, ne quis vel proximæ ætatis effugeret.] hæc ille, & prudenter sane. Quis enim insanientis tyranni, & metu perdendi regni, in proprios filios immaniter debacchantis, furorem intra terminum rationis vel temporis metã putauerit continendum? Tyrannorum est cuncta pauere, nec quantauis adhibita cautela atquè custodia posse reddi securum. Didicit ille a Magis tempus stellæ; & licet ex ortu stellæ potuisset simul intelligere tempus nascentis infantis; tamen veritus ne fortasis antea natus esset quàm illi stellam vidissent, ea sibi arte consulendum putauit, ne vlterius quod in ea re suspicaretur, reliquum esset: sicut cum nulla subesset ratio, vt qui extra Bethlehem nati essent, occiderentur; eo quòd ex diuina Scriptura per Principes sacerdotum & Scribas certior factus esset, quòd Christus in Bethlehem nasceretur; tamen omnes, qui in omnibus finibus eius essent, necari præcepit.

c Chrys. homil. 9. in Matth.

CVR A BIMATV CAEDES IVSSA.

XXXIII. Sed cum illud biennij spatium Euangelista referat ad ea quæ a Magis dicta essent Herodi, cum ait: A bimatu & infra secundum tempus quod exquisierat a Magis] dici posse videtur, quòd etsi Herodes omnes pueros a bimatu & infra occidi mandauit; tamen quod dicitur: Et infra secundum tempus quod exquisierat a Magis] illud, Secundum tempus; non esse referendum ad id quod dixerat, A bimatu; sed ad illud potius, quod subdit, Et infra: sicq. Euangelistam significare voluisse, eo cædis edicto non includendos eos qui geniti essent post Christum natum, & stellam visam a Magis, quorum nulla posset esse suspicio; atque ita voluisse cædendorum puerorum terminum esse secundum tempus quod exquisierat a Magis. Sicq. ex his, ni fallor, sublata illa videtur de biennio & tempore a Magis perquisito difficultas. Eumdem locum sic declaratum vidi postea a Cornelio Iansenio Episcopo Gandauensi, viro quidem Theologicis facultatibus nobiliter exculto; quo non mediocriter delectatus sum, ne ego noui sensus Euangelicæ interpretationis, quantumlibet veri atque germani, dicerer primus auctor.

XXXIV. ADVENTVS MAGORVM.

Itaque ea magis nobis probatur sententia, quæ Catholicæ Ecclesiæ consuetudine magis recepta videtur: nempe, Magos tunc, cũ natus est Christus, statim vidisse stellam; eosdemq. mox Iudæam versus iter suscepisse, ac Iudæorum metropolim Hierosolymam accessisse, atque interrogasse de nato puero; totumq. itineris spatium termino dierum tredecim confeciisse, atque Bethlehem peruenisse eodem die quo S. Dei Ecclesia tantam solemnitatem anniuersaria memoria celebrare consueuit. Quod quidem haud mirum videri debet, si ex Arabia Iudææ adiacente (quod superius demonstrauimus) eosdem aduenisse dixerimus, & (vt prædixerat [d] Propheta) ad celeritatem itineris dromedarijs

d Isai. 6.

A medarijs vsos fuisse, quos velociores esse ad cursum equis Nyssæis [a], Aristoteles tradit. Constans insuper est de his sanctorum Patrum sententia, Magos Bethlehem aduenientes, in præsepe, vbi natus est, Christum Dominum reperisse, id Chrysostomo [b], Augustino [c], Hieronymo [d] sæpius, & alijs fere omnibus attestantibus. Vnde summo iure redarguuntur qui aliter senserunt, ea leui ratione permoti, quòd Matthæus nullam de præsepe fecerit mentionem, sed dixerit [e] eos intrasse domum, & inuenisse puerum cum Maria matre eius: quasi vero non sit diuinæ Scripturæ satis frequens phrasis, locum quemlibet, ad habitandum tamen accommodatum, quantumlibet exiguũ, domum appellare: cum & nidum auium, domum quoque nominet, vt videre est in Psalmo: Herodij domus.] vnde Euthymius [f] sic optime: Hic, inquit, tugurium domum appellat.

a Aristot. hist. ani. lib. 9. & vlt.
b Chrysost. in Matth. 2. hom. 6. & 7.
c Aug. ser. 2. de Epiph.
d Hier. epist. 14. 17. 18. & 27. Fulgentius, & alij recentiores.
e Matth. 2.
f Euthym. in Matth. 2.

B Quod ad stellam pertinet, quæ ijsdem Magis apparuit: cuius generis astrorum fuerit; iam penes omnes antiquos Patres in confesso est, nequaquam ex illis fuisse, quibus cælos videmus ornatos, nec etiam ex illis, quæ ex vaporibus coagmentatis accensæ in aere, cometæ sunt dictæ: quod Origenes [g], Basilius [h], Chrysostomus [i], & alij optime intellexere. Cum autem diuino miraculo cælitus apparuerit, naturæ superans facultatem; cuius substantiæ fuerit, non est facile definire: vnde in eo consentiunt omnes, diuinam quamdam fuisse virtutem, quæ non aspicientium tantum oculos sui fulgoris radijs illustraret, sed quæ & mentes illorũ diuina luce perfunderet, atque ad Christum natum perquirendum excitaret; idq. præ ceteris affirmat S. [k] Leo his verbis: Agente sine dubio in eorum cordibus diuina inspiratione, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret; & quorum oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum.] id ipsum Chrysostomus [l], Fulgentius [m], & alij. Gregorius [n] Nyssenus existimauit esse Angelum, qui ea figura stellæ apparuerit. Quicquid sit, illud exploratissimum est, ipsum Deum omnipotentem, qui visibilibus illis signis, columna ignis per noctem, & nubis columna in die populum tot annis per desertam regionem deduxit, eumdem ipsum stellæ signo Magos ad præsepe perduxisse. Certe non eius fulgoris, quo ceteras nitere videmus stellas, fuisse, sed longe fulgentioris, S. Ignatius [o] proximus illis temporibus declarat his verbis, ad Ephesios scribens: Stella fulsit splendore exuperans omnes quotquot ante fuerant: lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei nouitas. Omnia autem reliqua astra vna cum Sole & Luna chorus fuere stellæ illius, ipsa vero claritate exuperabat omnes.] hæc ille. Hinc Prudentius cecinit de ipsa dicens:

g Orig. lib. 1. cont. Cels.
h Basil. de hum. Christ. generat.
i Chrysost. in Mat. 2. hom. 6.
k S. Leo ser. 4. in Epiph.
l Chrysost. vbi supra.
m Fulgent. ser. de Epiph.
n Nyss. dialog. de anima.
o Ignat. ad Ephes. epist. 14.

D *Stella quæ Solis rotam*
Vincit decore ac lumine, &c.]

Ex quibusdam autem apocryphis Seth nomine scriptis libris, multa de Magis feruntur, deq. stella quæ illis apparuit, quòd formam pueri crucem gestantis exprimeret: sed quia hæc commenta ab hæreticis [p] Sethianis excogitata videntur, vt inania prætermittimus.

p Epiphan. hæres. 26. & 39.

XXXV. DE STELLA.

Cetera autem quæ huius historiæ sunt mysteria, ipsaq. a Magis oblata mystica munera, qui hæc cupit, interpretes consulat; nos vero nostri instituti limites non excedimus. Illud tantummodo non prætereundum putamus, eiusmodi Magorum ad Christum aduentum, quòd ex eo vocatio Gentium ad Christum expressa fuerit, percelebri anniuersario cultu Ecclesiam consueuisse celebrare, ac magnificentissime colere, vt sanE ctorum Patrum fere innumeræ de ea re descriptæ homiliæ declarant: adeo vt extorris prorsus a Christiana religione videretur, qui tantæ eius diei celebritati non interfuisset. Vnde de Iuliano Apostata Ammianus [q] scribit, quòd licet clam dæmonibus immolaret, tamen ne detegeretur quòd erat idolorum cultor, voluit suam præsentiam exhibere his ferijs, quas, inquit, Christiani celebrantes mense Ianuario, Epiphaniæ nomine nuncupant. Eadem de Valente Imp. testatur Gregorius [r] Nazianzenus. At iam de his satis.

XXXVI. FESTVM EPIPHANIAE.

q Ammian. Marcel. lib. 21.
r Greg. Nazian. orat. in funere Basilij.

Postquam autem Magi, vt decebat, Christo infanti debitum exhibuere religionis obsequium, in somnis admoniti, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam: qui tantum abest, vt Hierosolymam ad Herodem redierint, vt nec in his quæ esse solent in via, publicis hospitarentur hospitijs, sed in montibus & in speluncis agerent, cum post labores itineris, quiescendi tempus aduenisset. Atque hæc quidem ex his quæ

XXXVII. MAGORVM REDITVS.

Cyrillus

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Extat Cyrilli historia de vita Theodosij apud Metaph. die 11. Ian.

Cyrillus [a] fidelis historicus scribit in rebus gestis S. Theodosij cœnobiarchæ, facile possunt intelligi; qui dum agit de monte & spelunca, quam sibi ad habitandum sanctissimus vir ille delegit, hæc ait: Quædam enim fama ab alto a parentibus tradita ad nos vsque peruenit, quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab Oriente, cum Deo, qui ex superna specula in Occidentem huius mundi venerat, aurum, thus, & myrrham pie admodum obtulissent; deinde ab Angelo responsum accepissent, in eamdem viam rursus inirent, sed per aliam prorsus redirent in suam regionem: hos, inquam, dicit Magos in hac spelunca in reditu fuisse diuersatos; cumq. hic noctu dormissent, mane ingressos esse viam quæ ducebat in patriam. Tale quidem esse id quod dicitur, nulla labefactat improbabilitas. Nam primum quidem cum statuissent non ingredi iter per Hierosolymam, non est admodum facile, vt ij alia via ex Bethlehem domum reuerterentur: sicut etiam nunc videmus, eos qui a Bethlehem, vel ab ea quæ est circũcirca regione transeunt, per hanc proficisci.] hæc ille. Pergit vero Euangelista:

XXXVIII. IESVS OFFERTVR IN TEMPLO.

Postquam [b] impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. et vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: et ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c. Et erat pater & mater eius mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur: et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.] hæc Lucas. Porro hæc omnia, vt legi obsequerentur, legalia exhibuerunt officia; quod & Lucas, dum ipsas citat leges, insinuat, cum aliæqui nullatenus astringeretur Virgo sanctissima: quippe quæ sicut cum concepit filium, nulla est ex parte fœdata, sed mirifice illustrata; ita cum peperit, nullam virginalis claustri iacturam sentiens, remansit in omnibus illibata, atque prorsus impolluta, magis magisq. donis cælestibus aucta.

b Luc. 2.

XXXIX. VIRGINITAS ILLIBATA.

Non est igitur quòd quis requirat in natura modum, dum qui supra naturam habet imperium, hæc miraculo operatur, & superexcellenti quadam diuinæ operatione naturæ: qui enim e mortuis exurgendo signaculum sepulturæ non soluit, quomodo nascendo virginale claustrum violauit? nisi quis impie dixerit, qui pepercit lapidi, non pepercisse matri. Si quid autem contra hæc loqui visi sunt Tertullianus [c], Origenes [d], & Ambrosius [e]: ita accipiendæ sunt eorum sententiæ, vt sic Christus per sacra virginei vteri claustra transierit, vt eadem clausa remanserint, secundum illud quod de porta Orientali [f] prophetice dictum est: Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq. clausa Principi.] quod ad specialem Saluatoris natiuitatem esse referendum, ait [g] Hieronymus, vt sic dicatur Christus aperuisse claustra ipsius virginalis pudoris, vt tamen eadem iugiter clausa permanserint. Augustinus [h] nouo miraculo in re minima edito, vetus in re omnium maxima factum demonstrat, cum agit de annulo ad zonam ligato, atque sine ipsius annuli vel zonæ fractura foras in terram elapso. Sicut ergo ea ratione lege soluta erat sanctissima Virgo: ita etiam (quòd non sicut ceteræ feminæ, viri semine conceperit, nec vt aliæ, cum dolore pepererit) omnium quæ ex peccati culpa proueniunt, infirmitatis atque languoris expers omnino fuit: hinc sibi tempus purgationis expectandum non erat; & nihilominus hæc omnia libens volensque, vt sacræ legi obsequeretur, sibi implenda proposuit.

c Tertul. lib. de carne Christ. in fine.
d Orig. in Luc. homil. 14.
e Ambr. in Luc. com. lib. 2.
f Ezech. 44.
g Contra Pelag. lib. 2.
h De Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.

XXXX.

Sed ad ipsum Simeonem veniamus, de quo hæc scriptis mandasse reperitur Timotheus [i] presbyter Hierosolymitanus: Cum, inquit, Simeon esset in templo, vidit quidem multas matres cum suis filijs templũ ingredientes ad peragendum sacrificium purificationis; in quarum medio erat quæ portabat venerandum fœtum, & nullis sordibus contaminatum. Iustus autem Simeon huc & illuc oculos circumferens, postquam

i Timoth. presb. serm. de proph. Simeon.

A quam vidit multas matres in priuato habitu humanitatis, solam autem Virginem infinito & diuino lumine circumdatam, separauit reliquas matres, clamans & dicens coram omnibus: Date mihi locum, vt teneam eum, qui desideratur: vidi eum, qui me præuidit; vnde & meus germinauit spiritus. Cur quæ estis ancillæ, cum libera & domina concertatis? cur infantes vestros aræ offertis? huc conuertimini, & eos offerte huic puero, qui est antiquior Abraham, &c.] hæc ille; sed, vt putamus, pia potius meditatione, quàm historica assertione. Idem Simeon, de quo agimus, inter Prophetas annumeratur: de cuius vita & obitu [a] Epiphanius agens, hæc habet in fine: Vita functus est Simeon iste quidem pluribus annis obsitus, bene confectus: nec tamen a sacerdotibus postremum honorem consecutus, humatus est.] hæc ille. Cur autem id acciderit, nullam affert causam; sed ea putatur, quòd palam Christi aduentum annuncians, [in

IESVS A SIMEONE SVSCIPITVR

a Epiph. de Prophet. vit. & interit. c. 24.

B se sacerdotum ceterorum inuidiam & odium concitarit. Porro commentum illud de Simeone, quòd cæcus fuerit, sed cum Iesum accepit in vlnas, visum receperit, nec dignum quidem putauimus, qui Annalibus intexeretur: nam diuinæ Scripturæ aduersari constat. Leuitici enim capite vigesimoprimo sententia Domini declaratum scimus, ne cæcus in templo Domini fungeretur munere sacerdotis: functionem autem illam sacerdotalem fuisse, cum Lucas insinuat, tum Patres ferme omnes agnoscunt, & Ecclesiam in sacris imaginibus profiteri, certum est. Auctor autem eius historiæ est qui præfationem habet versionis dialogi Iasonis cum Papisco, quæ extat in calce operum Cypriani editionis Pamelij, ex quo alij accepisse videntur. Sed cum nullus antiquorum Patrum Simeonis cæcitatis reperiatur assertor: equidem eam historiam vt apocrypham esse reiectam, argumento est.

C Verum enimvero non tantum cum accepisset puerum in vlnas suas Simeon, illud de aduentu Christi palam canticum occinuit, & prophetice, quæ de illo essent ventura, prædixit: sed, Et erat, inquit Lucas [b], Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. Et hæc vidua erat vsque ad annos octogintaquatuor: quæ non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte, ac die. Et hæc, ipsa hora superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.] hæc de ipsa Lucas Euangelista. Quomodo autem Anna numquam

XLI. DE SIMEONE.

b Luc. 2.

ANNA VIDVA.

e templo discessisse dicatur, vt merito eamdem S. Cyrillus [c] Hierosolymitanus religiosissimam monialem appellet, consule quæ superius dicta sunt de præsentatione Dei genitricis in templo. At quomodo Præsentationis Christi solemnitas, quam & Purificatio-

c Cyril. catech. 10.

D nem, siue Occursum maiores nuncupauere, ad abolenda Lupercalia, Romæ cœpta sit anniuersaria festa die celebrari, suo loco dicturi sumus inferius.

Cum vero hæc Hierosolymis non in angulo, sed in templo agerentur, & tam ex Simeonis cantico & prophetia, quàm etiam (vt dictum est) ex Annæ attestatione, iam spargerentur in vulgus, & in Herodis aures illaberentur: qui nuper de nato Rege Iudæorum ex relatione Magorum magnum timorem conceperat; his denuo de aduentu Christi nuncijs exacerbatus, in furorem actus, vt se eo metu liberaret, necem meditatur infantis. Sed tanto facinori, per Angelum Ioseph monens, occurrit Deus: tunc enim accidit, quod post Magorum discessum contigisse Matthæus [d] Euangelista scribit his verbis: Cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque

XLII.

d Matth. 2.

IESVS DVCITVR IN AEGYPTVM.

E dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.] hæc Matthæus. Quæ autem Domino nostro Iesu Christo Ægyptum adeunti contigerint, ex Sozomeno [e] hæc scribente describimus:

e Sozom. hist. lib. 5. c. 21. & Niceph. ex ipso lib. 10. c. 31.

XLIII.

Memorant, inquit, arborem esse, quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est oppidũ Thebaidis; cuius fructus aut folium aut particula aliqua corticis ægrotis admota, morbos a compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph cum propter Herodem, assumptis secum Christo & Maria sancta Deipara, fugisset, atque venisset Hermopolim, simul vt portæ appropinquauit, statim arborem, licet plane maximam, aduentu Christi curuatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse, & Christum adorasse. Atque hæc quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV IN AEGYPTVM PERDVCTO MIRACVLA

quidem de hac arbore, sicut a multis audiui, a me commemorata sunt. Quæ quidem, A si quid ego iudico, vel significabant iam Christum in vrbe adesse; vel, vt est verisimile, non modo arborem, quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege gentilicia venerabantur, dæmone iam qui ibi colebatur, ob Christum talium rerum euersorem, qui in eo loco comparebat, perhorrescente, sua sponte commotam esse; verum etiam omnes Ægyptiorum statuas, aduentante tum Christo, iuxta prophetiam Isaiæ, concussas. Itaque dæmone inde abacto, arbor, quo rei gestæ testimonio esset, remansit ibi, fidelesq. morbis liberauit. Atque vt Ægyptij & Palæstini istarum rerum, sic alij singuli aliarum, quæ apud ipsos gestæ sunt, testes locupletes existunt.] hactenus Sozomenus. At vero Isidi consecratam fuisse Perseam arborem, Plutarchus [a] ait; ea de causa, quòd eius fructus cordis, folium linguæ speciem referat.

a Plutarch. in Iside.

XLIV.

Quod pertinet ad Ægypti simulacra: de illis olim hæc prædixerat Isaias [b]: Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra Ægypti a facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius.] Eusebius [c] Pamphili de his agens, hæc ait: Hi qui prius incolebant Ægyptum praui vitiosiq. dæmones per multa sæcula in simulacris latitantes, animasq. Ægyptiorum omnis superstitionis errore addicentes ac subijcientes, cum sensissent nouam quamdam diuinamq. virtutem ad se accessisse, illico commoti sunt, & fluctuationem ac perturbationem in semetipsis pertulerunt; corq. eorum & vis intelligendi intrinsecus ab ipsis conuicta sunt; cesseruntq. & fugati sunt ab eadem virtute, quæ vi effugere eos compellebat, & ignis instar ineffabili quadã ratione adducebat: et tunc quidem inuisibiliter dæmones talia passi sunt, cum Saluator noster in Ægyptum cum visibili corpore peruenit.] hæc Eusebius. Sed & S. Athanasius [d] Alexandrinus Episcopus, non tantum commota esse, C sed corruisse simulacra Ægypti testatur his verbis: Quis iustorum aut Regum in Ægyptum descendit, & eius descensu idola in Ægypto ceciderunt? Abraham descendit, nihilominus tamen idololatria vbique viguit: natus est ibi Moyses, æque illic hæsit religionis error.] & inferius: Ægyptiorum superstitio non quieuisset, nisi Dominus omnium in corpore, quasi in nube vectus, eo descendisset, & idolorum errores compescuisset.] hæc ille.

b Isai. 19.

c Euseb. de demonst. lib. 6. c. 20.

SIMVLACRA COLLAPSA.

d Athanas. lib. de incar. Verbi.

XLV.

Origenes [e] & ipse Ægyptius in hunc modum: Fuge in Ægyptum, propterea vt destruantur manufacta eorum, & confringantur & pereant idola ipsorum; propterea vt dæmones turbentur, & Regum fabricæ in idolis destruantur, vt fiat in aduentu Domini fugitiuorum seruorum & malorũ interitus.] hæc ille, & alia multa id genus: eadem alij complures sanctorum Patrum: quæ quidem omnia sic accipienda esse putamus, non vt cuncta quæ tunc erant in Ægypto corruerint simulacra, sed de his aliqua; D non tam in signum quòd ille aduenisset, quàm quòd idololatriam esset penitus euersurus. Demum in Vitis Patrum, quod opus Euagrij esse putatur, hæc scripta leguntur: Vidimus & alium sanctum virum, nomine Apollonium, apud Thebaidem in finibus Hermopolis; ad quam ciuitatem Saluatorem cum Maria & Ioseph de Iudææ finibus venisse tradunt, secundum prophetiam Isaiæ. vidimus ergo ibi & templum ipsum, in quod ingresso Saluatore, corruisse omnia idola in terram, & comminuta esse, memorabantur.] hæc ibi. Sane quidem illinc fluxisse in Græcos fontem idololatriæ, qui Herodotum legerit in Euterpe, plane intelliget.

e Orig. homil. 3. diuers.

XLVI.

Porro non modo Ægyptum Domini præsentia illustratam, sed & ipsam solitudinem, per quam transiuit, esse nobilitatã tradunt: quæ tunc quodammodo semen benedictionis suscipiens, postea suo tempore (quod idem ait [f] Propheta; Exultabit solitudo, & florebit quasi filium: germinans germinabit) tot sanctorum monachorũ, illic quaquauersum incolentium, produxit sacra germina. At non prætermittendum putamus nobile monumentum habitationis Christi in Ægypto; quod traditione piorum cognitum posteris, ab his qui religionis ergo ad illa peregrinati sunt loca, & inter alios ab eo qui ceteris habetur [g] fidelior, sic describitur: Inter Heliopolim & Babyloniam, medio ferme loco, est balsami hortus.] & post multa: Rigatur, inquit, hortus ille ex paruulo fonte, sed vbere; in quo fama est beatam Virginem Iesum paruulum pluries lauisse, panniculosq. eiusdem mundasse, cum esset in Ægypto propter metum Herodis. est & ibidem lapis, super quem dicitur eosdem exiccasse. hæc omnia venerantur a Christianis & Sarracenis. Verum quia fons Iesu paruulus est, non sufficiens irrigationi totius

f Isaiæ 35.

g Burchar. in descript. Terræ S. par. 2. cap. 4.

MEMORIA CHRISTI IN AEGYPTO.

A ni totius horti, Sarraceni alium profundum foderunt puteum iuxta illum, ex quo quatuor boues per rotam aquam extrahunt, sperantes ex vicinitate fontis Iesu aquam alterius fontis fore virtuosam. At se deceptos animaduertentes, construxerunt canalem, per quem transmittunt aquam illam in fontem Iesu, vt sic ex eis mixtis fœcundaretur hortus. Nec eos fefellit opinio: nunc enim sufficienter & virtuose fœcundatur ex aquis sic mixtis.] hæc & alia admiranda, quæ auctor oculis contemplatus est, refert; cui, vt diximus, ceteri qui eiusdem argumenti libros scripserunt, adstipulantur: qui & addunt [a], locum illum in quo habitasse ferebatur sancta Deipara, ab ipsis etiam Sarracenis magna veneratione haberi, adeo vt ibi lampadem perpetuo ardentem in memoriam Iesu illic olim habitantis conseruent: locumq. illum ab incolis Ægyptijs Matuream nominari tradunt. Sunt & alia multa de his quæ tum in itinere, tum etiam cum manerent

a Vide Cornel. Iansf. concord. Euang. c. 11.

B in Ægypto, contigisse dicuntur: quæ quoniam firma carent auctoritate, libentius silentio præterimus: accepta enim putamus ab apocrypho illo De Infantia Saluatoris inscripto libello, qui legibus [b] Ecclesiasticis est interdictus. Sed his omissis, Euangelicam iam prosequamur historiam.

b Gelas. in can. de lib. apocrypb.

XLVII.

Cum vero Christus ex Iudæa recessisset: Tunc, inquit Matthæus Euangelista [c], videns Herodes quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, a bimatu & infra secundum tẽpus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in Rama audita est ploratus, & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.] hactenus de his Matthæus. Non sensit ante dictum tempus dierum quadraginta Herodes se illusum a Magis: siquidem

c Matth. 2.

HERODES IN INFANTES SAEVIT.

C cũ illi magno silentio recessissent, spe sua frustratos atque delusos esse putauit, vitasseq. in itinere Hierosolymam, ne populi totius derisioni paterent. Hæc ratus ille, quæ Magi dixerant de Christo nato, humanum existimauit esse figmentum. Cum primum autem de eodem ex his quæ accidissent in templo (vt diximus) certior factus esset; tũc se a Magis, qui se redituros Hierosolymã ad ipsum spopondissent, illusum fuisse cognouit: magnoq. furore percitus, quoslibet mox infantes, qui Bethlehem essent, ac in finibus eius, necandos esse mandauit; eos videlicet qui essent bimuli ac inferioris ætatis, vsque ad illud tempus quo stella Magis apparuisset, & de Christo nato certam fidem fecisset. Cur autem a bimatu & infra Herodes pueros occidi iusserit, satis superius dictum est, cum de tempore apparentis stellæ sermonem habuimus.

XLVIII.

Hic tantum refellendum est illorum commentum, qui dixerunt idcirco bimulos ab D Herode esse iussos occidi, quòd tunc temporis ipse Romam abierit accusatus a filijs, neque vsque ad biennium in Palæstinam redierit. Hæc licet conficta omnino videantur, tamen esse falsa, Iosephi testimonio conuincuntur. Constat quippe eiusdem [d] auctoritate, Herodem tempore regni sui Romam bis concessisse: primo quidem non accusatus a filijs, sed potius ipse accusaturus filios, illuc se contulit; indeq. in Palæstinam est reuersus ante annum vigesimumoctauum regni ipsius; quo anno, Olympiade centesima nonagesimasecunda, Cæsaream in honorem Cæsaris dedicauit. Quod certe tempus neque secundum annos regni Herodis ab eodem Iosepho supputatos, neque secundum initam superius a nobis rationem eiusdem regni, tempori natalis Domini aptari potest, & multo minus posterior eiusdem Romam aduentus, cuius idem [e] meminit, vt

ARGVITVR ERROR DE MORA HERODIS.

d Ioseph. antiq. lib. 16. c. 7. 8. 9.

e Idem eod. lib. c. 13.

f Eusebius in Chron.

E recte intuenti veritas se ante oculos offert. Itaque illa tum Eusebij [f], tum etiam aliorum aserentium infanticidium perpetratum post biennium a Christo nato, sententia prorsus irrita redditur.

XLIX.

Necantur miserando modo interea infantes: luxit tunc Bethlehem infantulos suos: et quod prædixerat Hieremias [g] Propheta, vox in Rama audita fuit: nimirum, siue (quod habet Hebraica lectio) immensum de tam miserabili infantium strage lamentum auditum est in excelso, siue in Rama ciuitate in sorte Beniamin contra Hierusalem, cuius est frequens mentio in diuinis [h] Scripturis; siue in Rama, quæ erat in Arabia (vt Iustinus [i] Martyr, disserens cum Tryphone, putat intelligendum) longe lateq. fama percrebuit: eademq. non tantum Ramam, sed Romam perlata est, & peruenit ad aures Imperatoris; quod Ethnicus auctor testatur. Macrobius [k] enim eiusdem infanticidij his verbis meminit, dum agit de Augusto: Cum, inquit, audisset, inter eos quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit interfici, filium

g Hierem. 31.

h Iosue 18. Iudic. 19. 3. Reg. 15.

i Iust. Mar. dialog. de verit. Christ. religi.

k Macrob. lib. Saturn. c. 4.

quoque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quàm filium.] hæc ille. A

L. *a Phil. lib. 2. de temporibus.* HERODIS SAEVITIA IN VOS ET SCRIBAS.

His sane consentientia scribuntur apud [a] Philonem Iudæum (quamuis non eius creditur a multis liber, qui inscribitur de Temporibus) his verbis: Anno vero trigesimo principatus sui tyrannici Zanedrin de domo Dauid deleuit, & Annanelum quemdam atque Zanedrin ex proselytis suffecit, qui nimirum videbantur in lege eruditi: tum & Salomen sororem suam, & virum eius de tribu Iuda, itemq. proprium filium, quem ex vxore eiusdem tribus susceperat, interfecit, quòd diceretur in lege promissus Christus natus.] hactenus ibi: quæ tamen scimus a nonnullis impugnari, quasi non sit vere Philo eius Chronici auctor, sed qui illud edidit, Annius. Sane quidē hæc non posuissem, nisi Eusebium eadem fere in suo Chronico firmiter asserere reperissem, eadem Olympiade qua natus est Christus, anno primo; vbi hæc ait: Herodes ad ea quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit: virū sororis suæ Salomes interfecit; & cum eam alij tradidisset vxorem, etiam hunc necat: Scribas quoque & interpretes diuinæ legis pariter necat.] hæc ille. Quæ quidem cum apud Iosephum non reperiantur (sunt enim multa ab eo prætermissa) non aliunde quàm ab aliquo digno auctore Eusebius mutuatus videtur, qui eadē breuiori summa contraxit. Quòd vero idē qui inscribitur Philo, ibi distinguat Herodis principatum tyrannicum a legitimo; ea ratione fecisse constat, quòd licet ab Augusto ex S. C. legitime Rex institutus fuisset; tamen, vt qui erat alienigena, a Iudæis minus legitimus habebatur: legitimum vero tunc reputatum a Iudæis esse, cum illi in eius regnum iurassent; quod tandem extortū ab eodem fuisse dicemus. B

LI. *b Ioseph. antiq. lib. 17. c. 3.* PHARISAEI OCCISI AB HERODE.

Immo & Iosephus his [b] consentientia scribit, dum his vtitur verbis: Ad sex millia Pharisæorum noluisse iurare Herodi, nec Cæsari, cum tota gens Iudæorum fidem suam eidem Regi iureiurando obligasset; ac eadem de causa ab eodem Herode male exceptos esse.] Sic etiam, quod idem qui supra auctor dicit, Synedrin ab Herode deletum, etiam Eusebius ait, Scribas quoque & interpretes diuinæ legis ab Herode simili scelere occisos. Hæc igitur nomine Philonis scripta in hunc modum testata firmiter posuimus, quòd (vt diximus) liber ille commenticius habeatur. Sane quidem non imus inficias, multos in eo reperiri errores: quos cum potius tribuendos aliqui putent scriptoribus; cetera quæ aliunde etiam sibi fidem vendicant, cur non recipere debeamus, nullam inuenimus causam. Hæc modo de eo Chronico satis. Interfecit Herodes & tres alios filios, sed alijs temporibus, alijsq. de causis: videlicet Antipatrum, qui venenum patri parauerat: sed id factum est (vt narrat Iosephus [c]) quinto die ante eiusdem Herodis obitum. Iussi sunt item ab eo occidi alij duo, sed longe ante hæc tempora: fuerunt hi Aristobulus & Alexander; qui non furore Herodis de medio sublati sunt, sed ipso Augusto permittente, & Concilio centumquinquaginta virorum Beryti ad hoc coram Syriæ Præsidibus conuocato, mature id iureq. decernente; prout idem Iosephus [d], qui rei gestæ seriem pluribus scripsit, testatur: quod & ante Christum natum contigisse, ex eodem auctore facile percipi potest. C D

c Ioseph. antiq. lib. 17. c. 9.

d Ioseph. antiq. lib. 16. in fin. & 17.

LII. INFANTES MARTYRES. *e Orig. hom. 3. diuers.*

Quod pertinet ad necatos infantes: quòd pro Christo occisi sint, immo & in singulis Christus videatur occisus, merito magno honore eos semper Ecclesia affecit, & vt martyres coluit, atque anniuersaria memoria celebrare consueuit. vnde Origenes [e]: Bene, inquit, & secundum voluntatem Dei eorum memoriam sancti Patres mandauerunt sempiternam in ecclesijs celebrari, veluti pro Domino morientium, veluti pro Iudæis & Gentibus creditoris, vel etiam ipsis parentibus; quorum parentes, vt diximus, præ nimio dolore percutiebantur, vt eis intercessio filiorum ad Deum plurimum profuisset.] hæc Origenes: et S. Augustinus ex Latinis de cultu sanctorum Innocentium ab Ecclesia recepto testatur agens contra Pelagianos, & in sermonibus de ijsdem habitis. Addunt nonnulli (quod modo diximus) ijsdem temporibus Herodem complures Pharisæorum occidi mandasse, eo quòd non sicut alij Iudæi, Cæsari & sibi iurassent. Timore enim nuper nati Regis tyrannus exagitatus, ne regni dispendium pateretur; quo sibi illud magis magisq. firmaret, populum ad iuramentum adegit: sed hæc fusius anno sequenti, quo sunt facta, dicentur. Narrat Eusebius [f] Herodem post necem infantium perpetratam in multas calamitates incidisse, morboq. protinus vexatum esse, sicq. ad extremum vsque spiritum perseuerasse. Verum quod ad morbum pertinet, illæ ærumnæ alio tempore acciderunt: deceptus est enim ipse, quòd infanticidium (vt vidimus) post biennium a Christo nato esse perpetratum putarit. E

f Euseb. hist. lib. 2. c. 8.

Ad hæc

Ad hæc etiam spectare videtur quod scribit S. Petrus [a] Episcopus Alexandrinus & martyr in suis regulis Ecclesiasticis, quas recepit atque probauit sexta Synodus [b]; occasione huius infanticidij, Zachariā sacerdotem Ioannis patrem, quòd ad necem quæsitū filium subtraxisset, ab eodem Herode inter templum & altare occidi iussum: scribit hæc istis verbis: Cum quibus Herodes & alium prius natum infantem cum interfecturus quæ fuissent, & non inuenissent; patrem eius Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elizabeth.] hæc Petrus: non quòd edicto Herodis includeretur Ioannes, qui nec in Bethlehem, nec in finibus eius, sed in domo paterna in montanis Iudææ (vt superius dictum est) alebatur; sed quòd Herodes ea suspicione nati Regis Iudæorum vehementer exagitatus esset: cum enim ad aures eius peruenissent admiranda illa, quæ in conceptione & natiuitate Ioannis contigissent, eum Christum esse ratus (sicut & Iudæi postea eodem errore lapsi sunt) ipsum speciali mandato necari iussit, vt se ea suspicione liberaret. Magna certe fuerant signa illa, atque in ore omnium peruulgata. nam, quod ait Euangelista [c]: Factus est timor super omnes vicinos eorum: et super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc: et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis, putas, puer iste erit?] Equidem sicut cum tantus sacerdos, pater eius Zacharias, offerens incensum in templo mutus est redditus; quòd visionem vidisset, cognouit populus: sic etiam reddita illi loquela, ac ministrante ipso in templo, tantæ rei causa neminē latuit. At quod sciebant omnes, Herodem vnum præterijsse ac ignorasse, stultitia est dicere; sicut & obtusæ mentis, existimare Herodem hæc tanta dissimulasse, & patientia toleraſſe. A B

LIII. *a Petrus Alex. can. 3.* *b Sext. Syn. c. 1.* *apud Theo. Balsam.* ZACHARIAE FINIS. *c Luc. 1.*

Hæc dixerimus, quo magis nobis probetur Zachariæ necis causa a Petro allata, licet ex apocryphis accepta noscatur; quam his quēque verbis recenset Cyrillus [d] Alexandrinus: Hic Zacharias prophetico spiritu ad occultorū cognitionē deductus, cum mysterium Virginis de eximio partu probe intelligeret, non arcuit incontaminatam purissimamq. matrem ab eo templi loco, qui virginibus ex lege designatus erat: docens nimirum Iudæos, quòd creator totius vniuersi & omnis creaturæ Rex humanam naturam, vt reliqua etiā omnia, subiectam habet, pro suo arbitratu eā ad quodcumque velit ducens, non autem ipse creaturæ addictus: adeo vt in ipsius potestate sit situ, nouam creaturam creare, quæ matrem effectā virginitate non priuet. idcirco non arcuit eam a loco templi virginibus dicato: erat enim locus hic inter altare & templū intermedius. Quando igitur audierunt Regem totius creationis ad humanā natiuitatem diuino consilio procedere; veriti ne in eius Regis potestatem & imperiū venirent, eum qui hæc de partu testificatus erat, interficiunt, sacerdotem sacrificantes.] hæc Cyrillus: narrāt eadem Origenes [e], Gregorius Nyssenus [f], Basilius [g], & alij post eos. Haud tamen dubiū est de his intellexisse Hieronymū, dum ait [h]: Alij Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt: ex quibusdā apocryphorum somnijs approbantes, quòd propterea occisus sit, quia Saluatoris prædicauerit aduentū. hoc quia de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.] hæc ille, in eā sententiā magis inclinans, vt Zacharias ille, quem Dominus, exprobrans Iudæis, interfectū dicit [i] inter templū & altare, non fuerit pater Ioannis de quo agimus, sed ille potius qui a Ioas Rege inter templum & altare in Regū historia [k] occisus dicitur: quem tamen Ioiadæ fuisse filiū, eadem diuina Scriptura testatur; quamuis, quod citat, in Euangelio Nazarenorū pro filio Barachiæ filium Ioiadæ scriptum esse dicat; ex quo etiam Epiphanius [l] eumdem Ioannis patrem Ioiada genitum esse tradit, qui & Zachariā Prophetam Barachia natū scribit [m]. Certe si fides præstanda est Hippolyto martyri, auctori grauissimo; eius [n] testimonio exploratum habetur, Zachariam Ioannis parentem, filium fuisse Barachiæ sacerdotis. C D E

LIIII. *d Cyril. aduers. Anthropomorphitas.* DE ZACHARIAE NECE TESTES. *e Orig. in Matth. tract. 20.* *f Greg. Nyss. de Christi nat.* *g Basilius homil. de humana Christi gen.* *h Hier. in Mat. c. 23. lib. 4.* *i Matth. 23.* *k Paralip. 2. c. 24.* *l Epiph. de vit. & interitu Prophet. c. 23.* *m Idem eod. lib. c. 21.* *n Apud Niceph. hist. lib. 2. c. 3.* FIRMATVR SENTENTIA DE NECE ZACHARIAE. *o Matth. 23.*

De patre Ioannis Christum Dominū esse locutum, illa etiā ratio persuadet; quod dicens [o]: Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ] voluerit primum & nouissimum iustum occisum significare, omnesq. simul his duobus extremis includere. Nam si de Zacharia filio Ioiadæ, qui a Ioas Rege occisus est, intelligere voluisset; quæ subest ratio diuersitatis, vt sanguis iustus, qui post illum vsque ad Christi tempora effusus est, non esset (quod minatur) super illos venturus? Nec satisfacit his illa responsio, qua dicitur, quòd Scriptura tantū explicat petitionem vindictæ in Abel & Zacharia. In Abel, cum dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.] et in Zacharia, cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

narrat eum morientem dixisse: Videat Dominus, & requirat.] quasi etsi reliqui iusti A
vltionem non expetierint, non sint confertæ diuinæ Scripturæ testimonijs & exemplis,
quòd Dominus vindicat sanguinem seruorum suorum, & vindictam tribuit in hostes
eorum. Certe sicut sanguis Abel, ita & omnium iustorũ sanguinem a Deo vindictam
a Apoc. 6. exposcere, ostenditur in Apocalypsi [a]. An non & Machabæi fratres, cum ab Antiocho
b Mach. 2. c. 7. cruciarentur, futuram in illum Dei vltionem sunt comminati? cum dixerint [b]: Dominus Deus aspiciet veritatẽ, &c.] Ceterũ quod ad veritatem historiæ pertinet: non dicti tantum auctores Petrus, Origenes, Basilius, Gregorius, & Cyrillus Zachariam Ioannis patrem occisum tradunt inter templum & altare, licet de causa necis non æque conueniant: sed id ipsum testatur Epiphanius [c], sic dicens: Hunc Herodes ille tyrannus
c Epiph. de vit. & interitu Prophet. c. 23. iuxta aram domumq. Dei occidit, effususq. est sanguis eius in vestibulo templi.]

LV. DE SANGVINE ZACHARIAE.

Sed quod ad effusum sanguinem spectat: Hieronymus simplicitati credentium po- B
tius tribuens, quàm historiæ veritati, æque reijcit quod dicebatur de saxis templi inde-
lebili nota conspersis sanguine Zachariæ, hæc habens [d]: Simpliciores fratres inter ru-
d Hieronym. in Matth. 23. inas templi & altaris, siue in portarum exitibus qui Siloam ducunt, rubra saxa mon-
strantes, Zachariæ sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de
odio Iudæorum, & fidei pietate descendit.] hæc ille. Sed certe non erat de ea re vulgi
e Tertullian. in Scorp. c. 8. recens rumor: quandoquidem Tertullianus [e], qui tot sæculis præcessit Hieronymum,
in Scorpiaco hæc testata reliquit his verbis: Zacharias intra altare & ædem trucidatur,
perennes cruoris sui maculas silicibus adsignans.] hæc Tertullianus. Memini me ali-
quando incidisse in antiquum codicem scriptum bibliothecæ Vaticanæ, de Peregrina-
tione ad loca sancta, in quo eadem de Zachariæ sanguine lapidibus templi indelebili
nota inhærente certa fide consignata erant. Sed missis his, de Zachariæ Ioannis paren- C
f Extat apud Theod. hist. lib. 4. c. 7. tis nece illata Christi tempore, ac de vltione in interfectores secuta, Valentinianus [f]
Imp. etiam in epistola quam scripsit ad Episcopos Asiæ, his verbis breuiter memini-
sse videtur: Ne in ea, quæ testamenti Christi sunt, damna incurratis, id quod in Za-
chariæ sanguine euenichat: nam funesti illi, perinde ac pestifer dæmon, qui cædis il-
lius socius erat, mortis supplicio traditi, adueniente cælitus Rege nostro Iesu Christo,
disrupti perierunt.] hæc ibi: quæ quidem ad priorem Zachariam, de quo diximus,
nullo modo aptari posse videntur.

LVI.

Quin insuper Gnostici etiam hæretici temporibus Apostolorũ propiores, de Zacha-
ria Ioannis patre, quòd occisus fuerit in templo, pro constanti affirmarunt; verũ cau-
g Epiph. in Panar. hæres. 20. sam necis eius ridiculam prætexuerunt, quam recitat ac refellit S. Epiphanius [g], dum
IOANNES A NECE SVBDVCTVS. contra illos scribit in Panario. Quòd vero superius auctore Petro Alexandrino diximus D
causam necis Zachariæ fuisse, quòd filium suum Ioannem, qui quærebatur vt occide-
retur, prodere noluisset, illumq. vna cũ matre Elizabeth fuga lapsum celasset: Quod ad
h Niceph. hist. lib. 1. c. 14. Ioannem pertinet, Nicephorus [h] cum agit de Herodis infanticidio, tradit his verbis:
Saluator quidem, ita vt dictũ est, in Ægypto exulabat: filius autem Zachariæ Ioannes,
in cuius natiuitate patris vox soluta est, cum primum ab illo Ioannis nomen in tabula
fuisset exaratum, alterum cum dimidio annum agebat, & vna cum matre Elizabeth
in spelunca quadam ad regionem montanã saluus conseruabatur, fortasse Herodis san-
guinariam effugiens manum: atque inde in solitarijs locis libenter versari solitus, An-
geloq. duce vsus, in remotiores siluarum recessus secessit, &c.] hactenus de his illę: ea-
i Cedrenus in compend. hist. dem Cedrenus [i], qui addit, Elizabeth post dies quadraginta in eadem spelunca diem
obijsse, Ioannis vero curam ab Angelo esse susceptam. Sed licet hæc tam antiqua ab eo E
fine certo auctore ferantur; tamen quod ait de suscepta cura ab Angelo, haud adeo im-
k Genes. 21. possibile videri debet, si quis mente recolat, Ismaeli a matre proiecto Angelum [k] adsti-
tisse. Hæc satis de Zachariæ nece, & Ioannis latebris. Sed non prætermittamus, adhuc
l Ioseph. de bell. Iud. lib. 5. c. 1. de alio Zacharia Iosephum [l] agere, qui ipsum & in medio templo a factione Zelotum
temporibus Vespasiani Augusti interemptũ affirmat, hominem cum primis illustrem,
probum, ac diuitem, quem Baruch filium fuisse testatur. Iam reliqua prosequamur.

LVII.

Hoc ipso anno, quo Christus est natus atque descriptus censu Quirini, eiusdem de-
scriptionis occasione Iudas Galilæus, indignum ratus & contra leges patrias, Iudæos
m Ioseph. antiq. lib. 18. c. 1. & de bello Iud. lib. 2. c. 7. alienigenis tributum pendere, populum ad defectionem solicitauit. Causam autem er-
roris in Iosepho [m], qui hæc post annum nonum, nimirum post Archelaum e regno exa-
ctum recensет, iam superius diximus, dum de annis Herodis Regis exactam peruesti-
gationem

A gationem instituimus; vt non sit opus eadem secundo repetere. Meminit eius defe-
ctionis Gamaliel in eo Iudæorum conuentu, in quo causam dicere iussi sunt Apostoli;
aitq. post alia [a]: Ante hos dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem; cui consensit nu-
a Act. 5. GALILAEORVM SECTA. merus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est; & omnes, qui credebant ei,
dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus pro-
fessionis, & auertit populum post se: et ipse perijt; & omnes quotquot consenserunt
ei, dispersi sunt.] hæc Gamaliel apud Lucam: quæ hoc ipso anno contigisse, ea quæ
superius diximus, dum de annis regni Herodis fusius disseruimus, facile monstrant.
Verum si in his quæ ad tempus spectant, Iosephum [b] consulas; non tantum (quod di-
b Ioseph. antiq. lib. 20. c. 2. in fin. ximus) Quirini censum, & Iudæ defectionem nouem post annos a Christo nato conti-
gisse affirmare inuenies; sed, quod magis mireris, contra Gamalielis assertionem, pri-
B mum extitisse Iudam, inde post longum tempus Theodam seduxisse populum, testari.
Sed quod omnia excedit ac pro monstro habendum est, longe post dictum Concilium
Iudæorum, vbi Gamaliel ea dixit, Theodam vixisse, eaq. molitum esse tradit, nimi-
rum sub Cuspio Fado Iudææ Procuratore, qui a Claudio Imp. vna cum Longino Sy-
riæ Præside eidem prouinciæ legatus est; cum alioqui præfatum Concilium sub Tibe-
rio Imp. fuisse coactum, certum sit, prout suo loco facile inferius demonstrabimus.
Quonam igitur pacto potuit Gamaliel in Senatu retulisse, quæ non facta essent?

Sed antequam de Iuda Galilæo agamus, quæ de Theoda, qui Iudam præcessit, LVIII.
idem Iosephus [c] scribat, in medium afferamus: Fado, inquit, Procuratore apud Iu- *c Ioseph. ibidẽ.* DE THEODA.
dæam, præstigiator quidam nomine Theodas persuasit magnæ vulgi multitudini, vt
C assumptis suis facultatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium: Prophetam enim se
iactabat, promittens se verbo scissurum fluuium, & facilem præbiturum transitum;
taliq. promissione permultos seduxit. At Fadus effecit, vt nihil lucri facerent ex sua in-
sipientia, immissis in eos turmis equitum; qui ex improuiso irruentes, ex his multos
interemerunt, multos viuos ceperunt, & in his ipsum Theodam, cuius caput absci-
sum reportarunt Hierosolymam.] hactenus Iosephus. Post Theodam vero, Iudam
Galilæum, de quo est sermo, populum ad defectionem permouisse, Gamalielis atte-
statione cognouimus.

De hoc acturi, in primis videamus, quomodo hic sibi ex diuina lege compararit au- LIX.
ctoritatem, Iudæos non debere pendere tributum alienigenis; an ea nimirum ex causa,
quòd scriptum esset in Deuteronomio [d]: Non erit vectigal pendens ex filijs Israel] quæ *d Deut. 23.*
D in Vulgata editione desiderãtur, sed apud Septuaginta interpretes eadem verba legun-
tur: ex quibus Tertullianus [e] citat dictum locum, necnon ex eodem auctore Hiero- *e Tertul. lib. de pudicitia.*
nymus [f] scribens ad Damasum. Vel motus ille, quòd scriptum esset [g]: Dominũ Deum *f Hieron. epist. 1. 1. c. & consule schol. Mariani Victorij in eam-dem epist.*
tuum timebis, & illi soli seruies] ea ratione Deum tantum, Dominum, & non He- IVDAS GALI-
rodem, vel Cæsarem, esse dicendũ, Iudas Galilæus in populo prædicaret; auertere eum LAEI SEDITIO.
studens, ne censu Cæsaris describeretur, quo se illi esse subditos declararent. Cuius de- *g Deut. c. 6. & 10.*
nique rei tunc gestæ seriem describit Iosephus [h] his verbis: Extitit quidam Iudas Gau- *Luc. 4.*
lanites, ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto sibi Pharisæo Sadoch, solicitauit ad de- *h Ioseph. antiq. lib. 18. c. 1.*
fectionem populos: censum nihil aliud esse quàm manifestam seruitutis professionem
dictitans, & vniuersam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim, vt re
bene gesta, fortunis suis fruantur feliciter, & confirmati in earum possessione, laudem
quoque sibi parent fortitudinis; nec sperandum auxilium cælestis numinis, nisi quo-
E que ipsi suis rebus consulant. Accipiuntur hæc pronis vulgi auribus, ita vt accenderen-
tur ad audendum aliquid: atque ita dici vix potest, quantum hi viri totam gentem
conturbauerint, dum omnia miscent cædibus & latrocinijs, promiscuisq. nullo vel
amicorum vel inimicorum respectu prædationibus, & insignium virorum cædibus,
prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, re vera priuatorum lucrorum stu-
dio. Itaque conficientibus se mutuo ciuibus, & furiosissima contentione certantibus,
ne externus quidem hostis cessabat interim: ac ne extrema quidem fames forte super-
ueniens potuit eos compescere, quo minus sæuirent expugnandis oppidis: donec eo ma-
lum progressum est, vt hostilis flamma Dei templũ inuaderet.] sed hæc postea. Idem
inferius [i]: Hi cetera cũ Pharisæis consentiunt, nisi quòd constantissimo libertatis amo- *i Ioseph. eod. lib. c. 2. in fine.*
re flagrant, credentes solum Deum Dominũ habendum ac Principẽ, facilius vel exqui-
sitissima pœnarum genera laturi vna cum cognatis suis ac carissimis, quàm mortalem

Universidad de Deusto
Biblioteca

aliquem appellaturi Dominũ: quod quia multis sæpe spectatum scio, plura de hoc non libet dicere.] hactenus Iosephus de origine Galilæorum ex Iuda Galilæo: quem esse diuersum a Simone, de quo alibi idem [a] agit, suo loco dicemus. A

[a] Iosepho. de bello Iud. lib. 2. c. 7

LX. Ceterum etsi Gamaliel (vt vidimus) testetur & hæresis auctorem perijsse, & omnes quotquot consenserunt ei; tamen eadem hæresis dimanauit ad posteros: siquidem Iudæ filij [b], Iacobus & Simeon, sub Claudio crucis supplicium subiere, eadem, vt putatur, ex causa. Inualuisse eamdem sectam in Ægypto apud Iudæos qui eam regionem incolebant, idem [c] auctor testatur: qui & de his quæ post cladem Hierosolymitanam illis acciderint, instituens narrationem, hæc inter alia de Galilæis: Omni enim genere tormentorum & vexatione corporum in eos excogitata, ob hoc solummodo, vt Cæsarem Dominum faterentur, nemo cessit, neque dicere velle visus est; sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conseruauere; tamquam brutis corporibus, non animis etiam cruciatus ignemq. susciperent. Maxime vero puerorum ætas miraculo spectantium fuit: nec enim vel eorum quisquam commotus est, vt Dominum Cæsarem nominaret: vsque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat.] hactenus de his ille. B

[b] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3.

[c] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 29.

LXI. Hac igitur ratione credimus permotum Herodem, vt compulerit Iudæos sibi ac suis posteris regnum iurare. Sed quia hæc facta sunt trigesimoprimo anno regni eius, fusius dicenda loco suo, in præsentia relinquimus. Huius vero sectæ homines fuisse illos quorum Lucas [d] meminit, quòd Pilatus miscuit eorum sanguinem cum sacrificijs eorum, tradunt Græci auctores Oecumenius [e], & Anastasius Nicænus [f], qui addit etiam hos statuisse, non esse pro Romano Imperatore vel alijs Ethnicis offerendũ Deo sacrificiũ. Huius vero hæresis occasione, quòd vigeret temporibus Christi Domini nostri, ac etiam Apostolorum; accidit, vt quoniam tam ipse Christus, quàm Apostoli Galilæi essent, in suspicionem adducti sint, ne eadem sentirent cũ Galilæis: eo enim nomine sectatores eius hæresis dicebantur. Quamobrem (vt obseruat Hieronymus [g]) Pharisæi volentes experiri (quod ait Matthæus [h]) accesserunt ad Iesum, tentantes eum, roganteq. num liceret censum dari Cæsari, necne? Quibus Dominus prudenter cauteq. respondens, ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: et quæ sunt Dei Deo.] sicut diuersa licet ratione [i] aliàs, ne scandalum inferret, iubet Petrum piscari, & ex statere in piscis ore inuento, mandat eidem pro vtroque pendere tributum. Eadem denique consideratione & Paulus (vt idem testatur Hieronymus [k]) sæpe aduersus Galilæorum dogma iaculatur sententias, vt cum dicit [l]: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.] et scribens [m] ad Titum: Admone, inquit, illos Principibus & potestatibus subditos esse.] vel cum item Romanos instituit, dicens [n]: Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.] et his similia. C D

[d] Luc. 13.

[e] Oecum. in Act. Apost. c. 5.

[f] Anast. Nican. lib. quæst. q. 67.

[g] Hier. in epist. ad Tit. c. 3.

[h] Matth. 22.

[i] Matth. 17.

[k] Hier. in epist. ad Tit. 3.

[l] Rom. 13.

[m] Tit. 3.

[n] Rom. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 2. — AVGVSTI IMP. ANNVS 43.

I. SEcundum agente annum Redemptore nostro Domino Iesu Christo, Cosso Cornelio Lentulo & L. Calpurnio Pisone Cos. cum Herodes [o] in regno ageret annum trigesimumprimum, Iudæos iuramento adegit, sibi ac posteris subditos ac fideles fore: quando (vt habetur apud Philonem [p]) Hebræi tandem fessi, vltro ipsi ac eius posteris regnum obtulerunt, iurantes in fide ipsius ac posterorum sese permansuros.] hæc auctor; qui mox subdit: Regnauit hic primus Herodes tyrannico principatu annis triginta vno vsque ad præsens tempus, legitimo vero sex.] qua autẽ ratione Iudæi distinguerent principatum Herodis legitimum ab illegitimo (detrahunt his enim qui res Iudaicas minus callent) dictum est superius, cum de infanticidio actum est. His autem apud Philonem conscriptis Iosephus [q] adstipulatur, dum agens de Herode, quomodo in Pharisæos iurare renuentes vltus sit, hæc ait: Hi Pharisæi vocantur, genus hominum astutum & arrogans, & interdum Regibus quoque infestum, vt eos iam aperte impugnare non vereantur. Nam cum tota gens Iudæorum fidem suam iureiurando obligasset Herodi Regi, & Cæsari; hi soli non iurauerunt, excedentes sex millium numerum: quibus hoc nomine a Rege mulctatis, Pheroræ Herodis Regis fratris vxor pro eis mulctam persoluit: cui reponentes gratiam, quoniã credebantur futura præscire ex

[o] Dio lib. 55. hist. Rom.

[p] Philo lib. 2. de temp. IVDÆI IVRANT HERODI.

[q] Ioseph. antiq. lib. 17. c. 3.

Dei

A Dei colloquijs, prædicebant decretum esse Deo, regnum ablatum ab Herode & eius progenie, transferre in ipsam & maritum Pheroram, ac communes liberos. Sed hoc quoque Regi per Salomen innotuit, & quòd aulicorum quosdam solicitarent atque corrumperent: qua in culpa Pharisæorum aliquot deprehensos interfecit, &c.] hæc de nece Pharisæorum iurare denegantium scribit Iosephus.

II. DE SALOMHE HERODIS SORORE.

Quod vero pertinet ad Salomen Herodis sororem, cuius non hic tantum meminit Iosephus, sed & eam superstitem post fratris obitum dicit: aperte his contradicit Eusebius [a], & dictus auctor, qui Philo [b] de Temporibus inscribitur, qui eam anno trigesimo sui regni vna cum viro de tribu Iuda neci traditam esse testatur. Verum Iosephus sibi ipsi inconstans esse reperitur, dum quam sororem Herodis dicit, eamdem cum agit de eius obitu (nisi scribenti vel typographo vitio & errori tribuatur) vxorem [c] eius appellat. B

[a] Eusebius in Chron.

[b] Philo lib. 2. de temp.

[c] Ioseph. lib. 18. antiq. c. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 3. 4. — AVGVSTI IMP. ANNVS 44. 45.

ANno Christi tertio C. Cæsar & L. Æmilius Paulus, sequenti vero Vinucius Nepos & Alfinius Varus Consulatum gesserunt: quibus, sicut & ceteris inferius positis, licet nihil dignum reperiatur quod Ecclesiasticis inseratur Annalibus: tamen vt in serie temporis cuiusque anni ratio habeatur; necessario, prout in Fastis adscripti habentur, suis locis per singulos annos describendos eos esse putauimus. C

IESV CHRISTI ANNVS 5. — AVGVSTI IMP. ANNVS 46.

QVinto autem Christi anno creati sunt Consules Ælius Lamia & M. Seruilius Geminus.

IESV CHRISTI ANNVS 6. — AVGVSTI IMP. ANNVS 47.

D SEquenti postmodum anno, Sex. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino Consulibus, Christus sextum ætatis suæ agebat annum: quo (vt auctor est Velleius) Tiberius Nero ab Augusto adoptatur, cui in Imperio successit.

IESV CHRISTI ANNVS 7. — AVGVSTI IMP. ANNVS 48.

SEptimo vero anno Lucius Valerius Messala & Cornelius Cinna Consules creati sunt. Sed enim quoniam qui breui summa enumerati sunt anni vsque ad Herodis obitum, nulla re memorabili, quæ ad rerum Ecclesiasticarum statum pertineat (vt dictum est) sunt insignes: incipiemus hoc anno, quo contigit, de Herodis insanabili morbo agere; ac sequenti, de eiusdem interitu miserando. In eas enim calamitates virum alioqui felicissimum diuina vltione ob persecutionem in Christum excitatam, & immanem eius sæuitiam, quam in infantes Bethlehemiticos exercuit, incidisse, omnium Ecclesiasticorum est sententia, id in primis Eusebio [d] testante, qui sic ait: Verum deinceps post necatos infantes, quæ merces crudele Herodis facinus contra Christum & pueros eius æquales admissum subsecuta sit; & quo pacto statim post, nulla ne minima quidem dilatione interposita, diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quasi proœmia rerum ei post discessum e vita obuenturarum euidenter ostenderit, operæpretium est intelligere. Qua autem ratione prosperum & florentem regni sui statum, quo se tum frui putabat, domesticis calamitatibus, E

IN HERODEM VLTIO DIVINA.

[d] Euseb. hist. Eccl. lib. 1. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quarum aliæ ex alijs ortæ sunt, ipse obscurarit, dum * vxorem & liberos, dumq. reliquos, quibuscum propter propinquitatem generis & amoris coniunctionem maxima ei intercessit necessitudo, nefaria cæde afficeret; in præsentia commode explicare non possumus: præsertim cum istarum rerum argumentum omnem illam crudelitatem, quæ a poetis in tragœdijs describi solet, longe superet. Quod quidem si quis scire desiderat, legat Iosephi historiam, qui idem vberrime plenissimeq. persequitur.] hæc Eusebius; qui eiusdem Herodis interitum ex eodem Iosepho mutuatus, compendio describit. Sed nos gratius fore existimamus, si ex verbis eiusdem auctoris eadem describamus, sed anno sequenti, quo facta sunt.

* al. sororem

A

IESV CHRISTI ANNVS 8. — AVGVSTI IMP. ANNVS 49.

B

I. HERODIS AETAS.

ANno igitur Domini octauo, M. Aemilio Lepido & L. Arruntio Nepote Consulibus, Herodes moritur, regni sui trigesimoseptimo inchoato, prope tempus Paschale, cum annum ætatis ageret sexagesimumseptimum, vt ex Iosepho [a] colligitur, dum ait, ipsum iam egisse annum ætatis quintumdecimum, cum pater eius Antipater a C. Iulio Cæsare Iudææ Procurator est institutus, Fusio Caleno & Vatinio Consulibus. Vnde ne sibi ipsi auctor contrarius penitus esse videatur; quod indefinite dicit ipsum ad annum septuagesimum suæ ætatis appropinquasse, ad ea quæ de ætate eius superius dixerat, est accommodandum. At quoniam alij, ijdemq. diuersi, in alia atque diuersa tempora Herodis obitum referunt: ne nos temere contra aliorum sententias hoc ipso anno Herodem ab humanis desijsse affirmare videamur, consule quæ de annis eius regni exactissima diligentia perquisitata sunt superius, cum de tempore nati Christi Domini egimus; quibus & demonstratum est, anno eiusdem Regis vigesimonono Iesum Redemptorem natum, ac postinde Herodem octo annis superuixisse, atque vsque ad Consulatum præsentis anni fuisse superstitem.

a *Iosephus antiq. lib. 14. c. 15. in fin. et 16. & 17.*

C

II. HERODIS MORTVS.

Sed age modo quæ de portentoso illius morbo, qui obitum præcessit, Iosephus suis scriptis memoriæ mandauit, eiusdem verbis hic enarremus; simulq. de his in quibus vacillet fides auctoris, admoneamus: Interea, inquit [b], Legati instructi mandatis ac litteris Romam properant, nimirum vt innotescat Augusto Antipatri filij detecta proditio in patrem, quem veneno comparato necare parauerat, cuius causa ille conuictus asseruaretur in carcere. Interea morbo Rex correptus, testamentum condidit, successionem regni relinquens natorum minimo, exasperatus in Archelaum & Philippum calumnijs Antipatri: Cæsariq. legauit mille talenta, & vxori Iuliæ liberisq. eius, amicis, atque libertis talenta quingenta. Suis quoque filijs distribuit pecunias, & agros, ac redditus, similiter etiam nepotibus. Salomes etiam ratio est habita, quam propter perpetuam & inconcussam beneuolentiam ditauit egregie. Desperata deinde salute, quòd iam ad septuagesimum ætatis annum accederet, mirum in modum efferatus est, iræ impatiens, & amarulentus in rebus omnibus: in causa erat opinio contemptus, quòdq. existimaret gentem lætari suis infortunijs: quam opinionem confirmauit quorumdam apud populum gratiosorum seditio mota ex causa tali.

b *Iosephus antiq. lib. 17. c. 8.*

D

III. AQVILA AVREA EXCISA.

Iudas Sariphæi filius, & Matthias Margalothi, doctissimi erant Iudæorum, & interpretes patriæ legis præstantissimi, ob idq. cari populo, quòd iuuentutē disciplinis instituerent: totis enim diebus eis dabant operam quotquot cupiebant in virtute proficere. Hi post quam cognouerunt morbum Regis esse incurabilem, concitauerunt iuuentutem, vt sublatis operibus quæ Rex præter patriam consuetudinem fecerat, propugnatores pietatis se ostenderent, debitum inde expectantes præmium. Nam hanc esse Regi causam cum calamitatum domesticarum, tum postremo præsentis morbi; videlicet quòd contemptis legibus, multa nouare ausus sit: nam hac parte multis in rebus pietatem Regis hi doctores desiderabant. Inter cetera supra maiorem portā templi dedicauerat donum pretiosum, aquilam auream magni ponderis: cum lex nostros homines veter imagines statuere, aut consecrare animantium effigies. Quamobrem hi doctores auctores erant discipulis, vt aquilam illam detraherent: Etsi enim res videatur non carere periculo, tamen etiam iucundæ vitæ præponendum esse honestum obitum, si con-

E

A si contemnatur propter tuendas leges patrias: quandoquidem sempiterna fama nullo sæculo passura sit gloriam eorum intermori: et alioquin ignauos iuxta ac fortes eumdem manere interitum: proinde recte facturos virtutis cultores, si ex communi necessitate honorem sibi decerperent, & cum hoc solatio de præsenti vita recederent: magnum enim leuamen esse honestis conatibus immori, & periculi non contemnendum præmium laudem transmissam ad nepotes ac posteros, cuius in partem tota cognatio tam viri quàm feminæ veniant: quo quid esse possit optabilius?

IV.

Hac exhortatione accensis iuuenibus, rumor superuenit extinctum Regem nuncians, & propensos iam ad facinus perpulit. Itaque claro meridie ascendentes, detractā aquilam conciderunt securibus, inspectante congregata in templum multitudine. Quod vt renunciatum cognouit dux regius, maiorem aliquā conspirationem metuens, occurrit B eo cum valida suorum manu, cohibiturus demolitores aquilæ: et irruens in vulgus rude & imparatum ac conglobatum temere, facile reliquis dissectis & cedentibus, circiter quadraginta iuuenes resistere ausos comprehendit, cumq. his auctores facinoris Iudam & Matthiam, turpe putantes cedere; omnesq. ad Regem perduxit. Quo rogante, quo freti ausi sint sacratam imaginem demere: aiunt, & deliberasse id multo antea, & deliberatum executos, vt fortes viros decuit. Nam & honori diuino, inquiunt, succurrimus, & legem, cuius discipuli sumus, vindicauimus. Nec est quod mireris, si tuis decretis leges præponimus, quas nobis Moyses auctore & doctore Deo pertulit: nec recusamus mortem ac supplicium quodcumque nobis intuleris, conscij nos non malefici, sed pietatis causa hæc perpeti. Hæc illi, non minore animo quàm verbis præferentes fortitudinem, æque tum ad constanter patiendum alacres, atque antea ad fortiter agendum fuerant.

CAPTI IVVENES FORTITER AGVNT.

C

V. QVID HERODES AD IVDAEOS.

Eos Rex vinctos misit Hiericunthem: moxq. accitis Iudæorum primoribus, in concionem eorum lectica ob imbecillitatem delatus, cœpit commemorare labores suos exhaustos pro Republica, tum instauratum templum impendijs ingentibus, quale opus per ducentos vigintiquinque annos nemo Assamonæorum Regum ad honorem Dei valuisset perficere: nec extructum id tantum a se, verum etiam ornatum votiuis muneribus ac donarijs templo dignissimis: et ob hæc facta speransse se vel post obitum sempiternam & memoriam & gloriam. Nunc, proh nefas, viuo etiam ac superstiti, pro beneficijs reponi iniuriam, & medio die, inspectante multitudine, sua dona sacrata violari ac detrahi: quæ iniuria licet in ipsum intentata, re tamen vera ad Deum magis pertineat, cuius sacra compilata sunt. Tum honoratiores quique, veriti crudelitatem D eius, ne forte efferatus in se quoque grauius animaduerteret, negauerunt hæc facta ex ipsorum sententia; videriq. sibi, admissam rem dignam supplicio. Ille in ceteros mitior, Matthiæ Pontifici adimit sacerdotium, quasi non alieno ab hoc consilio; eiq. successorem dedit fratrem vxoris suæ Ioazarum. Huius Matthiæ Pontificatu accidit etiam alium Pontificem ad vnam diem substitui, qua Iudæi populariter ieiunium celebrant: nam Matthias ea nocte quæ præcedebat diem ieiunij, visus est sibi per somnum cum vxore congredi; & cum ob eam causam rem diuinam facere non esset idoneus, Iosephus Ellemi filius adiutor vicarius propter cognationem ei datus est. Ceterum Herodes post mulctatum Matthiā sacerdotio, alterum Matthiam seditionis auctorem, eiusq. socios viuos exussit, in quam noctem etiam defectus Lunæ incidit.]

VI.

Hæc de horum supplicio Iosephus, cuius causa est opinatus Herodem crudeli morE bo esse vexatum, omnia illius adscribens crudelitati, quòd hos viros ob insigne factum tam crudeli morte mulctasse. Sed dicat auctor, quonam pacto morbus Herodis huic culpæ tribui possit, qui iam ante, quàm hæc accidissent, vt ipse ait, eum vexare inceperat? Verius illud, quod & ceteri existimarunt, Heredis plagas diuinitus inflictas, non in alterius criminis quàm infanticidij culpā reijciendas. Rursum, quantum adhuc coniectura assequi licet, facile adducimur, vt opinemur hos populi doctores, quòd scientia omnes facile antecellerent, ex illorum numero fuisse, quorum Herodes rogauit sententiam (vt habet [a] Euangelista) vbi Christus nasceretur: et quantumuis verba certa ex scripturis sanctis deprompta respondissent; ipsi nihilominus, licet ex his alijsq. permultis de aduentu Messiæ certiores redditi essent, illum requirere, & vt par erat, venerari prætermiserunt; non sine suspicione adhuc (iuxta illud Euangelicum dictum [b]: Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit) in

CAVSA CAEDIS IVSTIOR.

a *Matth. 2.*

b *Luc. 11.*

obscuran-

Universidad de Deusto
Biblioteca

obscurando aduentu Christi eumdem cum Herode funem traxisse, atque eam ob causam meritas pœnas dedisse. Certe Angeli loquentis ad Ioseph testimonio constat, non vnum tantum Herodem, sed & alios (forte hos ipsos) Christi interitum procurasse, cum ait: Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.] Sed iam de morbo Herodis ex Iosepho cetera prosequamur. A

VII. CRVCIATVS HERODIS.

Regi vero, inquit [a], morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente numine. Lento enim calore torrebatur, qui non tã externo tactu deprehenderetur, quàm intus popularetur viscera. aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset continuo cibos suggerere: simulq. vexabatur intestinorum exulceratione & colicis passionibus: pedes tumebãt phlegmate humido & pellucido, similiterq. inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta tentigine, non sine fœtore grauissimo: super hæc omnia neruorũ contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem constans erat inter viros diuinos & fatidicos opinio, Regem tot modis læsæ pietatis Deo pœnas expendere. Qui tametsi grauius affligeretur, quàm vt videretur posse morbo perferendo sufficere; tamen euasurum se sperabat, accersendis medicis intentus, & medicamentis conquirendis vndique. Profectus etiam vltra Iordanem fluuium, calidis aquis se fouebat apud Callirhoen, quæ præter vim medicam potu quoque iucundæ sunt. Hæ aquæ in lacum bituminis feracem effluunt: ibi de medicorum consilio immissus fouendus in refertum oleo solium, visus est illis iam agere animam. Quare exorta comploratione familiarium excitatus, & ad se reuersus, nullamq. amplius salutis spem supereresse intelligens, donatiuum militibus quinquagenas drachmas iussit distribui: magna denique liberalitate vsus in duces atque amicos, rursus Hiericunthem reuersus est: vbi atra bile prægrauante, eo immanitatis prolapsus est, vt facinus animo conciperet longe atrocissimum. B C

[a] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 8.*

VIII. ATROX MANDATVM HERODIS.

Nam cum e tota ditione nobiliores Iudæorum ad eum conuenissent, euocati minaci edicto, pœnam capitis intentante non parentibus, infensus ex æquo siue fontibus siue innoxijs, vniuersos concluſit in circo: accita deinde Salome sorore, maritoq. eius Alexa, ait instare sibi terminum vitæ succumbenti tantis doloribus: quod quidem ferendum esse, quando iuxta communem mortalium sortem accidat. Illud permolestum esse, si carendum sit extremo honore luctus, qui debeatur Regibus: non enim ignotam sibi Iudæorum mentem esse, quòd optatam suam mortem lætis accepturi sint animis; quandóquidem vel a viuentis non abstinuissent contumelia: sed illorum esse officij, leuamen aliquod præsentis huius doloris decernere: nam si assensum consilio suo præbeant, fore funus longe quàm aliorum Regum honoratius, & manibus suis gratius, omnibus per totam ditionem non ficte lugentibus. Ergo quamprimum viderint se exhalasse animam, debere eos clausam circo nobilium multitudinem cingere militibus, ignorantibus etiamtum suum obitum, non prius vulgandum, quàm mandatum executi sint: iubere deinde, vt circumactos vna omnes iaculis configerent. Quibus hoc modo cæsis, duplicem se eis habiturum gratiam, vel quòd mandatorum fuerint memores, vel quòd obitum suum publico luctu honorauerint. Hæc ille cum lacrymis lamentabundus cognatos per mutuam fidem & beneuolentiam perq. omnia sacra obtestabatur, ne se extremo hoc honore fraudatum vellent: eis contra pollicentibus daturos se operam, vt cuncta iuxta eius mandatum fierent.] & paulo post: D

IX. HERODES INFERENDI SIBI NECEM CVPIDVS.

Dum hæc mandata cognatis dat, superuenerunt a Roma litteræ a Legatis missis ad Cæsarem, quarum summa erat: Acmen ab irato Cæsare occisam esse (*parauerat hæc venenum propinandum Herodi*) propter locatam Antipatro operam: ipsumq. Antipatrum relinqui arbitrio & Regis & patris, siue in exilium vellet eum pellere, siue capite plectere. His auditis, Herodes paululum recreatus est, voluptate nuncij pœnæ Acmes; & permissæ sibi potestatis libere statuendi de filio. Mox repetitus graui dolore, cibi tamen auidus, malum simul & cultellum popposcit: solebat enim & antea per se paulatim incidendo comedere: tunc vero circumspiciebat, ferire se ipsum cupiens: perpetrasserq. facinus, ni Achiabus nepos ictum præueniens, clamore sublato, cohibuisset eius dexteram: moxq. denuo luctus cum trepidatione ac tumultu occupauit palatium, quasi Rege iam agente animam. Quem strepitum vbi persensit Antipater, ratus patrem vere vitam finisse, spem concepit fore, vt solutus vinculis sine difficultate regnum acciperet: coepitq. cũ custode carceris de missione agere, multa & in præsens & in futurum E

A rum post acquisitam potestatem pollicens. Ille vero adeo non paruit, vt mox conatus eius Regi renunciaret, vtq. solicitatus ab eo sit ostentato præmio.

X. OBITVS HERODIS.

Tum Herodes, qui iam ante male affectus erat erga filium, postquam audiuit custodem carceris, exclamans præ indignatione, & caput sibimet verberans, quamuis morti proximus, erexit se in cubitum, iussitq. vnum e satellitio sine mora eum occidere, & corpus obscuro funere condi in castello Hyrcanio. Deinde [a] mutata voluntate, mutauit etiam testamentum: Antipam enim, quem prioribus tabulis regni successorem destinauerat, Galilææ simul ac Perææ Tetrarcham constituit: regnum vero Archelao largitus; Trachoniticam, Gaulaniticam, Bataneam, & Paneada regiones tetrarchiæ nomine assignauit Philippo filio, germano fratri Archelai: Iamniam autem, Azotum, & Phasaelida Salomæ sorori suæ tribuit, & argenti signati quingenta millia. Ha-
B bita est ceterorum cognatorum ratio, abundeq. prospectum singulis leganda pecunia, & redditibus annuis. Cæsari quoque legauit argenti signati centies centena millia, præterq. sua vasa tam aurea quàm argentea, magnumq. vestis pretiosæ numerum: Iuliæ autem Cæsaris vxori & quibusdam amicis quinquagies centena millia. His ita ordinatis, quinta die postquam Antipatrum filium occidit, vita functus est.] hactenus Iosephus de Herodis obitu: prosequitur cetera de missione nobilium in circo inclusorum, deq. funere eius sumptuosissime per Archelaum regni heredem curato: quæ qui scire cupit, eumdem auctorem consulat: quem etsi in cæteris probemus; in his quæ de Salome Herodis sorore eiusq. viro narrat, secundum ea quæ nuper diximus, & auctoritate Eusebij mendacij redarguitur. Contigit vero Herodis obitus hoc anno prope tempus Paschale, vt ex his quæ de Archelao idem qui proxime auctor inferius tradit, facile
C percipi potest. [a] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 10.*

XI. MORES HERODIS.

Verum quod ad ceteros Herodis mores spectat: præter incomparabilẽ hominis immanis sæuitiam, constat, hæc testantibus ac perorantibus Iudæis in Senatu Romano [b], eumdem fuisse moribus turpissimum, vt qui ex libidine effrenata virgines constupraret, & thoros alieni coniugij sæpius vi adhibita violaret ac fœdaret. Nullum denique tam magnum scelus & immane facinus reperiri potuit, ad quod ille vel illecebris voluptatis vel impetu furoris ac crudelitatis non impelleretur. Cuius rei cum pleni sint omnes libri, plena antiquorum monumenta, plena denique omnia; alio nos, vt res ipsa postulat, transeamus. [b] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 12.*

XII. ARCHELAI REGNVM.

Archelaus autem, curato funere patris, etsi ex eius testamento regni heres fuisset in-
D stitutus, tamen a Regis nomine abstinuit [c]; quòd non tam a patris, quàm ab Augusti Imp. arbitrio id penderet: ceterum cuncta quæ patris erant, in ipsius potestate fuerunt, illiq. parebat exercitus; a quo quantumuis sæpe Rex acclamaretur, Regem se dici non tulit, donec constaret de Imperatoris animo. Interim [d] compluribus seditiosorum expoſcentibus de nece doctorum ac iuuenum occasione deiectæ atque concisæ aquilæ interemptorum in quosdam Herodis amicos vindictam: Archelao detrectante, & blandis verbis eos placare studente; illi maiori ira perciti, templum adeuntes, ibi ceterã multitudinem ad rebellionem solicitarunt (erat prope infinitus numerus, cunctis ad sacrum celebrandum Pascha Hierosolymam vndique confluentibus) Saxis insuper ferientes, complures occiderunt cohortalium militum, qui ad eos compescendos missi erant ab Archelao; a quo immisso in eos equitatu, ad tria millia virorum cæsa sunt ipsis diebus Paschalibus. Post hæc Archelaus pro stabilimento regni & firmandis patris tabulis te-
E stamenti, Romam ad Augustum adnauigauit. Profectus & Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ, vt contra Archelaum ageret, & sibi ex prioribus tabulis debitum regnum, quòd posteriores esse inualidas diceret, ab Augusto impetraret. Verum re in Senatu pertractata, placuit Augusto ex vltimis tabulis, quas firmas ratasq. esse voluit, Archelaum Regem institutum regnare. Sicq. hoc anno exordium regni auspicatus, tenuit annis nouem. Hæc omnia pluribus Iosephus describit, quæ nos summatim contraximus. [c] *Ioseph. eod. cap. 10.* [d] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 11.*

XIII. IESVS REDVCITVR IN PALAESTINAM.

Inter hæc: Defuncto Herode, inquit Euangelista [e], ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire: et admonitus in somnis [e] *Matth. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth: vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.] hactenus Euangelista. Scimus de reditu Domini ex Ægypto diuersas esse sententias: vt enim variarunt scriptores in supputatione annorum regni Herodis, ita etiam de tempore Christi reditus diuersa inter se sentire coacti sunt: quandoquidem statim post Herodis obitum ab Angelo de reuersione Ioseph fuisse admonitum, Euangelij auctoritate omnes æque consentiunt. Quid de accessu & recessu ab Ægypto senserit Epiphanius [a], ipse his verbis declarat: Descendit, inquit, in Ægyptum trigesimoquinto anno Herodis: redijt autem ab Ægypto post mortem Herodis: quapropter trigesimoseptimo anno principatus ipsius Herodis, puer erat quatuor annorum, quando Herodes impletis annis triginta septem, vitam finiuit. Archelaus vero nouem annos regnat; in cuius regni principio egressus Ioseph de Ægypto vna cum Maria & puero, cum audisset Archelaum regnare, secessit in partes Galilææ, & habitauit tunc in Nazareth.] hæc Epiphanius; qui iterum Christum in Ægypto biennio tantum mansisse testatur [b], Nicephorus [c] vero triennio, quinquennio alij [d], vel sexennio, nonnulli vix [e] anno vno: quos omnes decipi certum est: nam vsque ad octauum Christi annum Herodem superuixisse, cuius regni anno vigesimonono inchoato natus est, iam satis superius demonstrauimus. Eusebius sexto Christi ætatis anno Herodis obitum recenset, septimo autem Archelai institutionem. Porro vno eodemq. anno & Herodem defunctum, & Archelaum ab Augusto in regno confirmatum esse, iam superius vidimus. Ceterum etsi hoc anno Herodes obijt, & Archelaus regnum accepit, & Angelus de reditu Ioseph admonuit: tamen quoniam tum Martyrologium [f] Romanum, tum [g] cetera testantur contigisse Christi reditum ex Ægypto septima Ianuarij: reliquum est dicamus, id nequaquam factum hoc anno, sed sequentis initio: quandoquidem prope Paschatis celebritatem hoc anno Herodem efflasse animam, ac subinde Archelaum auctoritate Augusti cœpisse regnare, cognouimus.

[a] *Epiph. lib. 1. Panar. cap. 21.*
[b] *Idē hæref. 58.*
[c] *Niceph. hist. lib. 1. cap. 14.*
[d] *Cornel. Iansc. concor. cap. 11. & alij.*
[e] *Panuin. in Fastis.*
[f] *Martyr. Rom. 7. Ianuar.*
[g] *Bed. Vsuard. Ado, & alij eadem die.*

XIV. IVDAEI TVMVLTVANTES COMPRIMVNTVR.

Dū ergo adhuc Romæ ageret Archelaus, a Varo Syriæ Præside, inquit Iosephus [h], venerunt litteræ, defectionem Iudæorum significantes. Hi enim post discessum Archelai cum tumultuarentur, ad eos compescendos cum Hierosolymam aduenisset Varus, supplicio affecit auctores: reuersusq. Antiochiam, vbi Præsides agere consueuerant, Hierosolymis legionem vnam reliquit, vt Iudæis nouandarum rerum facultatem præriperet: præerat illi Sabinus Iudææ Procurator, qui militum insolentia in Iudæos abutens, maximæ omnium dissensionis in populo præbuit occasionem. Cum enim aduenisset sacra dies Pentecostes apud eos celeberrima, & more patrio vndecumque Iudæi religionis ergo Hierosolymam conuenirent: excitati illi omnes acerbissimo odio in Sabinum, partiti trifariam, inclusos vndique Romanos oppugnare etiam parabant. Insuper dum hæc Hierosolymis aguntur, quòd prouincia sine Rege esset, quamplurimorum studia regnum affectantium increbuere, vt Iudæ Ezechiæ filij ductoris latronum, Simonis serui Herodis, & Atrongis pastoris obscurissimi, qui sibi regni diadema & regium nomen vsurparunt; quorum omnium conatus, & damna, quæ tum ipsis Iudæis, tū externis intulerunt, idem Iosephus [i] pluribus tractat. Interim Sabinus Procurator Iudææ, his perterritus, extemplo Vari Præsidis, quo periclitantē legionem ab interitu eriperet, postulauit auxilium, pugnantibus interea aduersus Iudæos Romanis militibus, qui & sacræ pecuniæ conditorio potiti sunt, Iudæorum compluribus desideratis. Inde vero accessione militum Archelai, & aduentu Vari cum duabus alijs legionibus, & finitimorum Regum ac Tetrarcharum copijs, omnibus quæ in itinere sunt inuenta ab illis igni ferroq. absumptis, & inter alia oppida Emmaus igne crematо, fugæ se commiserunt Iudæi, qui obsidebant legionem. Varus vero, peruestigatis seditionis auctoribus, egit in crucem ea de causa circiter duo millia Iudæorum: insuper decem millia illorum qui in vnum confluxerant, inuadens, non ausis illis manus conserere, sed deditionem facientibus, dimissis ceteris, in aliquos necessarios Herodis Regis animaduertit; sicq. rebus Iudæorum compositis, Antiochiam redijt, quando eiusdem Vari permissu quinquaginta Legati a Iudæis missi ad Augustum Imp. Romam venere, quibus etiam præsto fuere qui Romæ agebant Iudæi, vt numerat Iosephus [k], plusquam octo millia. Erat omnium illa petitio, vt eis liceret suis legibus viuere, nec amplius esse sub Regibus; sed tantum Romanis subditi aggregarentur prouinciæ

[h] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 12.*
[i] *Ioseph. eod. lib. 17. cap. 12.*
[k] *Ioseph. ibid.*

A uinciæ Syriæ. Auditi sunt ab Augusto in æde Apollinis, quam magnificentissime in Palatino monte construxerat: aderat Archelaus, necnon & Philippus Tetrarcha Herodis filius. Orantes primo loco in Senatu Iudæorum Legati, quæ fuerant sub sæuissimo ac impurissimo Rege Herode passi, pro concione dixere, multaq. in Archelaum iactauere; sed Nicolaus Damascenus orator aduersus eos pro Herode & Archelao respondens, quæ ab illis essent dicta, confutauit.

XV. PALAESTINAE IN TETRARCHIAS DIVISIO.

Dimisso his auditis Senatu, Augustus [a] paucos post dies Archelaum non Regem declarat, sed dimidia parte ditionis, quæ Herodis fuerat, ei concessa, Tetrarcham constituit, regnum quoque pollicitus, cum primum se tali honore dignum redderet: alterum dimidium partitus est inter alios duos filios Herodis, Philippum, & Antipam. Huic Transamnana regio cessit cum Galilæa, & ducenta talenta annua: Bathanæa vero cum Trachonitide & Auranitis, cum parte quadam Zenodori, vt vocant, domus, obtigit Philippo, & centū talenta annui redditus: Archelao vero Iudæa, & Idumæa, præterq. has Samaria, cui ex auctoritate Cæsaris tributorum quarta pars remissa est, eo quòd ceteris tumultuantibus soli quiete manserant in officio. In Archelai ditione comprehendebantur vrbes Stratonis turris, Sebaste, Ioppe, & Hierosolyma: nam Gazam, Gadaram, & Hippon, Græcanici instituti vrbes Cæsar ob id separatas a regni terminis, Syriæ contribuit. Sexcenta autem talenta quotannis redibant ad Archelaum.] hæc Iosephus de partitione Iudæorum regni ab Augusto facta tunc temporis, cum Romæ Herodis heredum causa acta est in Senatu.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 17. c. 13.*

XVI.

Rebus itaque in hunc modum firmatis ac stabilitis, Archelaus, Philippus, & Antipas, ceteriq. Iudæorum Legati in Iudæam reuersi sunt. Horum meminit breui compendio Tacitus [b], sic dicens: Post mortem Herodis, nihil expectato Cæsare, Simon quidam regium nomen inuaserat. is a Quintilio Varo obtinente Syriam punitus; & gentem coercitam liberi Herodis tripartito rexere.] hæc ille. Post hæc autem quidam vultu similimus Alexandro Herodis filio, qui vna cū Aristobulo fratre ex sententia Præsidum & Herodis patris fuerat morte mulctatus, se a nece clam subtractum simulans, paternū regnum ab Augusto petere non dubitauit; sed impostura detecta, pseudo-Alexander ille sententia eiusdem Imperatoris in ordinem remigum est redactus. Hæc omnia cum describat Iosephus [c]; admirari libet, quot ludibria, quæ damna coactus sit subire populus Iudæorum, postquam verum legitimumq. a Deo promissum ac datum Regem, Christum ipsum recipere ac venerari contempsit: quo semel spreto, & in fugam adacto, non vnum tantum Herodem, sed complures compulsus est pati tyrannos; nec fuit ipsi amplius a vexatione quies aliqua, donec a Romanis funditus deletus est. Reuersus autem in Iudæam Archelaus, Ioazarum summum sacerdotem, quem Herodes abrogato Matthiæ suffecerat, in ordinem redegit, eiusq. fratrem Eleazarum nomine in eam dignitatem prouexit: qui nec ea diu potitus est; sed & ipso sublato, Iesum Siæ filium in eius locum substituit. Hæc omnia de successione Pontificum Iudæorum Iosephus cum scribat; quantum tamen temporis ea quisque administratione sit functus, non explicat.

[b] *Hist. lib. 5.*
SVMPTVM DE IMPOSTORE SVPPLICIVM.
[c] *Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 14.*

IESV CHRISTI ANNVS 9. — AVGVSTI IMP. ANNVS 50.

E ANno Christi nono, A. Licinio Nerua Siliano & Q. Cæcilio Metello Silano Coss. idem Iesus Christus Redemptor noster, cum superiori anno (vt diximus) monitus ab Angelo Ioseph ex Ægypto recessisset, septima Ianuarij in Palæstinam [d] reductus, ac in Galilæam perductus, Nazareth habitauit. Memorabilis fuit antiquitus in Ecclesia ea dies, quæ cum in Martyrologio [e] Romano, tum in ceteris [f] anniuersaria commemoratione recolitur. Est Nazareth, vbi Christus egit, inquit Hieronymus [g], viculus in Galilæa iuxta montem Thabor; vnde & Dominus noster Iesus Christus Nazarenus vocatus est: habetq. ecclesiam in loco quo Angelus ad beatam Mariam euangelizaturus intrauit; sed & aliam vbi Dominus est nutritus.] de ijsdem duabus domibus & Beda [h] meminit, cum agit de locis sanctis. Porro domus illa, in qua de Verbi incarnatione sanctissima Virgo cæleste accepit nuncium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseuerat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manibus vindicata, in

I. IESVS NAZARETH DVCITVR.
[d] *Matth. 2.*
[e] *Martyr. Rom. 7. Ianuar.*
[f] *Beda, Vsuard. Ado ead. die.*
[g] *Hieron. de loc. Hebraicis.*
[h] *Beda de locis sanct. cap. 16.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta, in Dalmatiam primum, inde in Italiam translata est in agrum Lauretanum Piceni prouinciæ: quod perinsigne ac nobilissimum vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus Orbis veneratur ac colit. Nec est quod quis de re gesta dubitet, qui memoria repetat illic dictum esse ab Angelo, non esse impossibile apud Deum omne verbum. Fidei Christianæ esse, prædixit Christus, vt & montes Christianorum imperio e loco in locum transferrentur: præstiterunt hoc complures sancti, & inter alios Gregorius ille Magnus [a], cognomento Thaumaturgus. complura enim id generis certa auctorum fide reperiuntur miracula edita: sed in his modo non immorandum. Qui Nazareth inuiserunt, eiusdem domus situm eadem omnino mensura signatum inspexerunt; accolis, quod factum est, fideliter attestantibus. Sed hæc obiter: neque enim est in animo rei gestæ historiam egregie testatam hic enarrare; agemus de ea suo tempore, quo facta scribitur. Interim his fruere, lector, quæ venerandus Pater Petrus Canisius [b], cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, non minus pie, quàm ornate atque erudite, suo more, conscripsit. Sed relicta repetamus.

[a] Greg. Nyss. in Vita ipsius.

[b] Canis. de sancta Maria Deipara lib. 5. c. 25.

II. Ex eo autem quòd Dominus noster fuit incola Nazareth, iuxta sermonem propheticum, Nazarenus est appellatus; quæ etiam vox ignominiæ causa inscripta est titulo Crucis. Porro & Angelus apud Marcum [c], & Apostoli honoris causa Iesum Nazarenum dicere consueuerunt [d]. Quinetiã ipso principio nascentis Ecclesiæ, a Iesu Nazareno omnes item Christiani, Nazaræi dicebantur; & ipsa Christiana religio, secta Nazarenorum. Nam qui accusabant Paulum Iudæi, vt habent Acta Apostolorum [e], Inuenimus, dicebant, hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum, &c.] Perseuerauit vero eiusmodi nomenclatura, vt Christiani dicerẽtur Nazaræi, quousque omnes æque cœperunt dici Christiani: tunc etenim Nazaræorũ nomen remansit hæreticis: quorum duplex erat differentia: alij namque fuerunt ante Christum, nec Christum nouerunt: alij vero, qui sic in Christum credebant, vt tamen in obseruatione legalium Iudæi esse non desinerent, de quibus pluribus Epiphanius [f].

IESVS NAZARENVS.

[c] Marc. 16.

[d] Act. 2. 3. 4. & 26.

[e] Act. 24.

[f] Epiph. in Panar. hæres. 29.

III. Ad hæc insuper, eo quòd Dominus in prouincia Galilæa habitasset, ab impijs nominatus est Galilæus, & ab eo Christiani etiam Galilæi sunt appellati: eo quippe nomine insignes impietate viri Porphyrius & Iulianus Apostata, & alij his similes nuncupare Christianos consueuerunt. Sunt autem [g] duæ Galilææ in Palæstina; quarũ altera confinis est Iudææ, altera vero contermina Phœnicibus (sic eas describit Cyrillus [h], quas Iosephus [i] superiorem & inferiorem nominat) Prior posita in tribu Nephtalim, Galilæa Gentium dicta est; posterior autem in tribu Zabulon circa Tiberiadem, & stagnum Genezareth (vt tradit Hieronymus [k]) sita est. in harum posteriori est Nazareth, vbi Christus Dominus habitauit. Sed & de Galilæorum natura hæc breuiter Iosephus [l]: Sunt, inquit, pugnaces ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi; neque aut formido vmquam viros, aut penuria regiones illas occupauit, quoniam totæ optimæ & fertiles sunt, &c.] Atque hæc satis.

[g] Greg. Naz. in Iul. orat. 1. GALILAEAE DVAE.

[h] Cyrill. Alex. in Iul. 2.

[i] Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 2.

[k] Hieron. de locis Hebraicis.

[l] Ioseph. vbi supra lib. 3. cap. 2.

IESV CHRISTI ANNVS 10. — AVGVSTI IMP. ANNVS 51.

[m] Dio hist. Rom. lib. 55.

QVi sequitur annus habuit Consules [m] Furium Camillum & Sextum Nonium Quintilianum, quando Dominus Iesus Christus agebat suæ ætatis annum decimum.

IESV CHRISTI ANNVS 11. — AVGVSTI IMP. ANNVS 52.

I. VNdecimus autem consignatus est Consulibus [n] Q. Sulpitio Camerino & C. Poppæo Sabino: quo anno (vt omittamus cetera quæ ab instituti nostri ratione abhorrent) illud consideratione dignum ducimus, quòd cum Augustus Imp. recensito equitum Romanorum numero, inuenisset superiorem esse numerum illorum qui cælibes

[n] Dio hist. Rom. lib. 56.

libes esset, quàm eorum qui haberent vxorem; grauissima oratione coniugium cum primis laudans, cælibatum deinde vehementer exagitauit; quòd scilicet Vrbe ob bella ciuilia ciuibus Romanis exhausta, eamdem, sobolis fœcunditate susceptа, vt olim florentissimã numero ciuium cupiebat: itaque sicut coniugium præmijs ac priuilegijs honorari, ita & cælibatum pœnis voluit notari. Porro cum talia tantaq. statuisset; non a pœnis tantum cælibum immunes esse voluit quæ perpetuam virginitatem seruassent; sed, inquit Dio [a], eisdem eadem quæ matribus præmia largitus est. Oderat enim ille in primis fictum cælibatum: vnde pro concione in illos inuectus qui simulate illum colerent, exemplo Vestalium virginum, æque illos esse puniendos, ijsdemq. supplicijs subijciendos, si pudicitiam non seruassent, est comminatus. Vt ex his videas æque apud omnes virginalis vitæ maxime omnium esse habitam rationem: quandoquidem (quod pluribus docet Hieronymus [b] scribens contra Iouinianum) apud Græcos & barbaros pariter, apud omnes tam poeticis quàm historicis litterarum monumentis semper ante omnia reperitur virginitas commendata: iam vero Christi Dei & hominis admirabili conceptione ac partu nobilitata, atque insigniter exaltata, ad quantum fastigium celsitudinis sit prouecta, non est humanæ facultatis explicare.

AVGVSTI LEGES CONTRA CAELIBATVM.

[a] Dio hist. Rom. lib. 56.

VIRGINITAS LAVDATA.

[b] Hieron. contr. Iouin. lib. 1.

Eodem anno (quod auctore Dione [c] etiam superius dictum est) Quintilius Varus Syriæ Præses, cuius paulo ante facta est mentio, e Syria auocatus, eodem præfecturæ munere ornatus ad ad ministrandam Germaniam prouinciam amandatur: qui dum aspere nimis ac dure barbaram gentem illam tractaret, ad defectionem impulit; atque adeo cum aduersus eosdem bello decerneret, profligatis ac cæsis Romanorum copijs, ipse desperatione actus, sibi ipsi mortem conscinit.] hæc Dio; sed de morte inferius. Ceterum quod ad rationem temporis spectat, hallucinatum reperies Iosephum, qui Varum perseueraſse in prouincia Syriæ vsque ad successorem Quirinum, quem vult illi successisse post expulsum e regno Archelaum, affirmat. Habita enim ratione annorum regni Herodis, quos numerat trigintaseptem a Consulatu Domitij & Pollionis, necnon successoris eius Archelai; ex eius sententia quadriennio ante præsentem annum Varum e Syria recessisse, & Quirinum subrogatum esse, dicere opus esset. Sed de his, alijsq. Syriæ Præsidibus ea consulas, quæ superius a nobis dicta sunt, cum egimus de Quirino.

II.

[c] Dio hist. Rom. lib. 56. VARVS REVOCATVR E PALAESTINA.

IESV CHRISTI ANNVS 12. — AVGVSTI IMP. ANNVS 53.

CVm Iesus Christus Dominus noster ageret suæ ætatis annum duodecimum, Coss. P. Cornelio Dolabella & C. Iunio Silano; & a parentibus duceretur ex more Hierosolymam ad diem festum Paschatis; nescientibus illis, remansit Hierosolymis; ac triduo quæsitus ab eis, est inuentus in templo. Rem gestam his verbis S. Lucas [d] describit: Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisq. diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem, & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.]

I. IESVS HIEROSOLYMAM DVCITVR.

[d] Luc. 2.

Hæc vt intelligamus; sciendum, Iudæorũ morem fuisse, vt non in synagogis tantum legem explicarent, & de lege disererent, sed etiam in templo. Vnde Paulus [e] Apostolus, cum suam coram Felice Præside dixit defensionem, hæc ait: Neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, &c.] In eiusmodi autem publico conuentu is ab illis ordo seruari consueuit, qui

II.

[e] Act. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

apud Ambrosium [a] descriptus habetur: nimirum, vt sedentes disputarent, seniores dignitate sederent in cathedris, quæ ordine erant dispositæ (erant hæ illæ cathedræ, de quibus Dominus in Pharisæos [b] ait: Amant primas cathedras in synagogis) ceteri minoris ordinis in subsellijs; nouissimi omnium in pauimento super mattas, quibus & dabatur dicendi locus, cum eis quid reuelatum esset; quæ omnia maiores dijudicabant. Hunc quidem morem, vt rem valde laudabilem, Paulus conatus est inferre in Christi Ecclesiam, vt ea epistola quam scripsit ad Corinthios [c] ipse affirmat. Sed de his inferius suo loco pluribus. In eiusmodi vero congressum volens incidit Dominus Iesus, apud quem etiam inuentus est a parentibus. A

a Ambr. in epist. ad Corinth. c. 14.
b Matth. 23. Marc. 12. Luc. 11. 20.
c 1. Cor. 14.

III.

Sed quænam fuit causa, vt a sanctissimorum parentum oculis, qui in alendo puero vigilantissimum semper studium adhibuerint, tam inopinate sese Iesus subduxerit? Reducendum in primis est in mentem, quod de templo Hierosolymorum & Iudæorum consuetudine Iosephus [d] tradit. Ipse quidem dum templum ab Herode restitutum describit, hæc inter alia: Necessario, inquit, proprius locus, qui religionis causa mulieribus destinatus muro discernebatur, altera quoque porta opus habere videbatur. Contra primam vero secreta erat ex alijs regionibus vna porta meridiana, & vna septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat. Sed nec suam portam interiecto muro transgredi licebat: patebat enim ille locus pariter indigenis & hospitibus feminis religionis causa venientibus.] & inferius: Aliarum quidem portarum magnitudo par fuit; quæ vero super Corinthiam posita, quo mulieres conueniebant, ab Oriente aperiebatur, porta templi sine dubio maior erat: quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumq. magnificentiorem; quoniam crassiori argento atque auro vestiebatur, quod quidem nouem portis infuderat Tiberij pater Alexander. Gradus autem quindecim a muro, qui mulieres segregabat, ad maiorem portam ducebant: namque illis qui in alias portas iter dirigerent, quinque gradibus erant breuiores.] hactenus de his auctor: ex quibus quidem probe intelligi potest, tam in ingressu templi, quàm etiam intra templum, & portis diuersis & parietibus interpositis, mulieres a viris fuisse distinctas. Porro pueros innocentes, de quibus nulla posset esse peccati suspicio, matres sequi, si vellent, non erat vetitum; quibus etiam liberum esset, si voluissent, magis patribus inhærere. Ceterum non portis tantum ac muris separati erant a mulieribus viri, sed & diuersis porticibus, prout idem auctor [e] contra Apionem scribens tradit his verbis: Templum quatuor porticus habuit in circuitu, & harum singulæ secundum legem habuere custodiã. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiã alienigenis; mulieres tantummodo menstruatæ transire prohibebantur. In secundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq. coniuges, cum essent ab omni pollutione mundæ. In tertiam masculi Iudæorum mundi existentes ac purificati. In quartam autem sacerdotes, &c.] hucusque Iosephus. B C D

d Ioseph. de bell. Iud. lib. 6. c. 6. DISCRETI VIRI A MVLIERIBVS IN TEMPLO.
e Ioseph. contra Apion. lib. 2.

IV.

Ex his igitur de loco distinctis in hunc modum viris a mulieribus, quòd apud alterutrum quisque parentum existimaret esse puerum Iesum, ea occasione perditum esse fuit opinio; sed quæ minus probetur, vt dicetur inferius. Beda [f] aliam ab hac paulo diuersam affert causam; dicens fuisse apud Iudæos consuetudinem, vt ad festa venientes vel redeuntes in patriam, seorsum viri a mulieribus choros ducentes, incederent; exemplo petito (vt opinor) quòd olim mari rubro transmisso, Iudæorum viri ac mulieres seorsum ab inuicem procedentes, laudes Deo cecinerint. Verum id tantum ab ijs templum adeuntibus, non autem redeuntibus domum, fieri solitum arbitramur. Sed & repugnat Bedæ quod ait Lucas [g], parentes existimasse puerum esse in comitatu inter cognatos & notos, non autem apud alterutrum ipsorum; quod æquius fuisset opinari, si seorsum ab inuicem processissent. Refellitur insuper quod dictum est superius, id in templo contingere potuisse, non autem foris: nam licet vera sint quæ recitata sunt ex Iosepho; tamen cum Lucas pariter dicat, consumptis diebus, ἐν τῷ ὑποστρέφειν αὐτούς, in ipso actu redeundi remansisse Hierosolymis puerum Iesum; plane significat, expletis octo illis Paschæ diebus, cum discederent Hierosolymis, contigisse. E

f Beda in Luc. c. 2.
g Luc. 2.

V.

Alia igitur in parentibus non sentientibus Iesu subductionem est causa quærenda: quam inter multas quæ accidere potuissent, illam veriorem esse putamus; nimirũ quòd illi Hierosolymis recessuri vna cum cognatis & notis ac reliquo comitatu, ceteris præcedenti-

DE CAVSA DEPERDITI IESV OPINIONES.

dentibus, improuisa aliqua, sed Dei prouidentia oborta (vt accidere solet) occasione detenti, mox velociter consecuturi præmiserint cum cognatis & notis puerum Iesum: qui paululum cum illis progressus, non autem ciuitate egressus, veluti parentũ cupidus (vt pueri esse solent) vel loco steterit, illos expectaturus; vel ad illos rediturus, hospitium versus tendens, iter alio flexerit; eoq. modo, parentibus & cognatis ac notis inscijs, diuino consilio se subduxerit; nec id illis sentientibus, nisi emenso eius diei itinere. Sed nec tunc eo inuento, sequenti die ijdem eius parentes Hierosolymam sunt reuersi: et cum ad tertium vsque diem quæsissent, tandem post triduum (inquit Lucas) inuenerunt eum sedentem in medio doctorum. Reliqua autem quæ post hæc acciderunt, idem exacte prosequitur. A

VI.

Inuentus a parentibus Iesus (inquit Euangelista [a]) descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.] his tantum verbis totam Christi adolescentiam ac iuuentutem perstrinxit; vt nihil præterea de eo scripserit vel ipse, vel ex quatuor aliquis alius; sed hoc solum, quòd erat subditus illis. Cetera enim quæ ex libro de Infantia Saluatoris, vel ex aliquo alio apocrypho sunt accepta, non probat, quinimmo repudiat ac reijcit Dei Ecclesia. Valentiniani enim hæretici quædam ridicula commenti sunt de infantia Saluatoris; de quibus Irenæus [b]: Asumunt, inquit, in hoc & illam falsationẽ, quasi Dominus cum puer esset & disceret litteras, cum dixisset magister eius, quemadmodum in consuetudine est, Dic A, respondit A. Rursum cum magister iussisset dicere eum B, respondisse Dominum: Tu prior dic mihi quid est A, tunc ego dicam tibi quid est B.] sed facessant delira hæc. B

a Luc. 2. IESV EXERCITIA.
b Iren. aduers. hæres. lib. 2. c. 27

VII.

Quod ad miracula spectat, hæc egregie Ioannes [c] Chrysostomus: Si antea cum iunior esset, miracula fecisset; non indiguisset Israel, qui ipsum manifestaret. Vir enim factus, miraculorũ multitudine non Iudæis modo, sed & Syris, & longinquiora colentibus cognitus est tribus annis dumtaxat. Qui igitur tam breui miraculis claruit, longe magis a prima infantia, si ea fecisset, claruisset: fuisset enim maiori admirationi, vtpote puer, quàm vir; neque tamdiu in obscuro latuisset. Sed nihil a pueris operatus est.] hæc & alia plura Chrysostomus in eamdem sententiam. Sed quid interim Iesus? Inseruisse ipsum adultum nutricio Ioseph, eidemq. fabro in fabrili exercitatione, testimonio Iudæorum testatum habetur apud Marcum [d] Euangelistam; quorum assertione non tantum filius fabri, sed & ipse faber dicebatur, aientibus illis, non externis solum, sed eiusdẽ patriæ viris: Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?] His optime consentiũt quæ Iustinus [e] martyr in dialogo cũ Tryphone Iudæo his verbis ait: Cum fabri tignarij filius haberetur, informis videlicet, quemadmodũ Scripturæ annunciauerant, apparens, faber atque adeo & ipse putaretur esse; fabrilia namque, cum in hominibus esset, faciebat opera, aratra & iuga conficiens.] hæc Iustinus. Inde fortasse (quòd tractant fabrilia fabri) sub iugi & aratri symbolicis verbis Euangelium proposuit, cum dixit [f]: Tollite iugum meum super vos.] item de aratro: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respicens retro, aptus est regno Dei.] C D

c Chrysost. in Ioan. homil. 20. IESVS FABER.
d Marc. 6.
e Iust. lib. de virit. relig. Christ.
f Matth. 11. Luc. 9.

VIII.

Sane quidem quod ad Iosephum spectat: si tam grandæuæ ætatis erat, nempe (vt ait Epiphanius [g]) agens annum fortassis octogesimum & vltra, cum sanctissima Virgo Maria illi est desponsata: iam in Christi adolescentia decrepitæ ætatis, ad subeundos artis fabrilis labores minus fuisse idoneus existimari posse videtur: adeo vt lignariæ officinæ labores omnes refunderentur in Iesum: atque eo magis, si eidem auctori acquiescimus [h] dicenti, Ioseph post repertum Iesum puerum in templo haud multo post ex hac vita migrasse, & propterea in Euangelica scriptura nullam amplius de eo haberi mentionem. Sunt & hæc Epiphanij verba: Sed neque post reditum ab Ægypto idem Ioseph multis annis vixit.] et paulo post: Duodecimo anno, ascendentibus illis ad Hierosolyma, quæsitus est Iesus, quando non reperiebatur in itinere, velut habet Euangelium secundum Lucam. Post hos annos moritur Ioseph, & educatus est non amplius a Ioseph, sed in domo Ioseph. Vnde non amplius dicit Euãgelium quòd venit pater ipsius; sed: Ecce, inquit, mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te.] Neque enim nuptijs in Cana Galilææ celebratis, quibus tum sanctissimam Virginem, tum Iesum præsto fuisse constat, interfuisse legitur, neque Christo morienti adfuisse reperitur: nam si tunc Ioseph superstes fuisset, haud dubiũ non Ioanni a E

DE IOSEPH ET AETATE EIVS.
g Epiph. haref. 78.
h Epiph. ibid.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IX.

filio commendata fuisset, cui superesset fidissimus ac probatissimus custos virginitatis. A

Hæc de ætate ac tempore obitus quamuis ab Epiphanio & alijs ipsum secutis affirmentur, scimus tamen non esse omnium eamdem sententiam: sunt enim qui velint cum fuisse iuniorem ad subeundos peregrinationis labores: quasi non potuerit esse senex robustarum virium & infracti roboris, nec valuerit promereri a Deo benedictionem illam, quæ Aser est impartita, cum dixit illi [a] Moyses: Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.] Hæc quidem non ea ratione dixerimus, vt affirmemus Ioseph fuisse octogenarium, cum desponsata est illi beatissima Virgo; quod nec ipse Epiphanius certe affirmat, cum dubie id asserat, dum eius fortasse ætatis fuisse dicit: sed quòd libentius illorum inhæreamus sententiæ, qui traditione quadam, quæ per singulas ætates ad posteros dimanauit, illum maturioris fuisse ætatis, cum sanctissimam Virginem etsi in coniugem, tamen in custodiam fidissimam susceperit, dicunt. Sicut & illis magis B assentimur, qui vna cum Epiphanio, eum dicto tempore diem obijsse dixerunt, quàm ceteris qui post resurrectionem Domini adhuc fuisse superstitem tradiderũt: cuius opinionis asserto reperitur auctor cuius apud Cyprianum [b] habetur editus commentarius de Operibus cardinalibus: sed & Augustinus [c] eiusdem sectator fuisse videtur.

a Deuter. 33.

IOSEPHI OBITVS.
b Apud Cypr. de operib. card. de pas. Domini.
c Aug. de temp. ser. 81.

X.

Iisdem Consulibus, contigit memorabilis illa Variana clades in Germania, cum Romanus exercitus sub Varo est penitus profligatus; qua accepta, idẽ Varus sibi ipsi intulit manus, dans meritas pœnas de expilata a se Syria: de eo enim Velleius tradit, quòd Syriam diuitem pauper ingressus, dines egrediens pauperẽ reliquit. Prosecuti sunt hæc pluribus idem Velleius [d], Suetonius [e], ac Dio [f]. Ex his videas, quàm insigniter Orosius [g] errore labatur, dum cladem Varianam ante Christum natum accidisse commemorat. C

d Vell. Paterc. hist. Rom.
e Suet. in Oct. c. 23.
f Dio lib. 55.
g Oros. lib. 6. c. 21.

IESV CHRISTI ANNVS 13.

AVGVSTI IMP. ANNVS 54.

h Dio hist. Rom. lib. 56.

ANnus Christi decimustertius Consulibus M. Aemilio [h] Lepido & T. Statilio Tauro in Fastis signatur.

IESV CHRISTI ANNVS 14. & 15.

AVGVSTI IMP. ANNVS 55. & 56.

i Idem ibidem.

DEcimusquartus annus T. Iulio [i] Germanico & Fonteio Capitone Coss. adscribitur: quo, vt in præcedente, nihil gestum reperitur quod ad nostrum institutum spectare videatur: sicut nec in sequenti, quo inierunt Consulatum C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus. D

IESV CHRISTI ANNVS 16.

AVGVSTI IMP. ANNVS 57.

I.

ANno Christi decimosexto, duobus Sextis, ijsdemq. Nepotibus, Pompeio & Appuleio Coss. Archelaus Ethnarcha Romæ a Legatis Samaritanorũ ac Iudæorum E iudicio postulatus, nono principatus sui anno (vt Iosephus testatur [k]) damnatus Viennam Galliæ ciuitatem in exilium mittitur, pecunia eius fisco adiudicata, & ditione sua contributa Syriæ. hæc pluribus Iosephus; qui tamen sibi parum constans, alibi dicit [l] id accidisse anno regni eius decimo. Porro quod spectat ad tempus damnationis Archelai: Dio [m] Iosephum secutus (cum enim post multos annos, nempe Seueri Imperatoris temporibus, scripserit; res Iudæorum a Iudæo historico mutuatus creditur) damnatum dicit Herodem Palæstinum (sic enim Archelaum nominat) & trans Alpes relegatum, ac partem eius ditionis in publicum esse redactam sub Consulatu M. Aemilij Lepidi & L. Arruntij, anno ab Vrbe condita septingentesimo quinquagesimonono, quo ipso anno a Iosepho exactus ponitur, prout ex numero annorum regni Herodis patris eius ab eodem auctore descripto perfacile quis intelliget. Sed quàm manife-

k Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 6.
ARCHELAVS DAMNATVS EXILIO.
l Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 13.
m Dio hist. Roman. lib. 56.

A manifeste erret, satis superius demonstrauimus, cum de tempore nati Christi egimus. Assentitur & nostræ huic chronologiæ Eusebius [a], dum anno Augusti Imperatoris vltimo contigisse ait exilium Archelai in Galliam.

a Eusebius in Chronic.

Quænam autẽ obiecta sint illi crimina, vt sic damnatus fuerit, Iosephus [b] his verbis rem gestam enarrat: Primates tam Iudæorum quàm Samaritarum, non ferentes eius tyrannidem, detulerunt eum ad Cæsarem; maxime cum scirent, eum contra ipsius mandatum feciſſe, a quo iussus fuerat ex æquo ac bono præesse subditis. Hoc audito Cæsar commotus accersit procuratorem eius Romæ agentem, & ipsum Archelaum nomine: nec dignatus quicquam scribere, Vade, inquit, & quamprimum illum ad nos adducito. Qui accelerata nauigatione in Iudæam delatus, reperit eum cum amicis in conuiuio; indicataq. voluntate Cæsaris, ad profectionem hortatus est. Mox vbi B venit, Cæsar auditis eius accusationibus & ipsius defensione, misit eum Viennam in exilium, quæ est vrbs Galliæ, mulctatum prius omni pecunia.] hæc ille. II.

b Ioseph. antiq. lib. 17. c. 15.
OBIECTA IN ARCHELAVM.

Ex his itaque certior causa redditur, cur Ioseph monitu Angeli reuersus ab Ægypto idcirco noluit in Iudæam venire, quòd audisset illic regnare Archelaum Herodis filiũ loco patris sui: nam & in Galilæa, quo secessit, itidem filius Herodis regnabat: vnde patet illum non extimuisse successores Herodis, sed Archelai tyrannidem iam omnibus notam. His peractis, ac finibus Archelai principatus in prouinciam redactis, inquit Iosephus [c], Procurator Coponius quidam eques Romanus in Iudæam missus est, ea sibi a Cæsare potestate mandata. Hoc disceptante, Galilæus quidam, Simon nomine, defectionis arguebatur: quia indigenas increparet, si tributum Romanis pendere paterentur, dominosq. post Deum ferre mortales.] hæc Iosephus: quem, dũ [d] alibi id fa- C ctum ait per Quirinum Consularem tunc a Cæsare in Syriam missum, & cum eo Coponium, iam superius cum de annis Regis Herodis egimus, confutauimus, ipsumq. errore temporis lapsum ostendimus. III.

CVR IOSEPH TIMVIT ARCHELAVM.
c Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 7.
d Ioseph. antiq. lib. 17. c. vlt. & lib. 18. c. 1.

Videas eumdem auctorem, confusis semel temporibus, & res gestas simul confundere; vt cum scribit [e] tempore census Quirini, Iudam Gaulanitem vna cum Sadocho Pharisæo nouam hæresin de non pendendo tributo Romanis peruulgasse, idq. post Archelai obitum contigisse: alibi [f] tamen (vt vidimus) id ipsum factum scribit a Simone quodam homine Galilæo: sed verius existimamus, cum diuersa sint nomina, diuersas etiam fuisse personas, ac tempora; Iudamq. auctorem sectæ, Simonem vero assectatorem; & illa de Iuda temporibus nascentis Christi sub Præside Syriæ Quirino, ista vero de Simone post exactum Archelaum, cum Iudæa est iuncta Syriæ; illa occasione census, ista vero contigisse ea ex causa, quòd Iudæa sit in prouinciam redacta, facta haud dubium deterioris conditionis. Quantumuis enim Archelaus tyrannus esset, circumcisus tamen proselytus ex patre itidem circumciso proselyto natus erat, ac proinde eorum gentilis videretur: sed redacta semel Iudæa in prouinciam, regnum Iudæorum iam penitus videretur abscissum: qua nouitate, compressa semel secta Galilæorũ, in Simone reuixit. Sæpius enim, post excisas etiam Hierosolymas, Galilæos eadem solitos prædicare, turbasq. ciere ac mouere, ob idq. libenti animo mortem oppetere; iam superius, cum de Galilæorum origine egimus, satis manifestauimus. Nec est quod quis dicere possit, eumdem fuisse Iudam atque Simonem, eamdemq. personam nominatam duobus nominibus: nam etsi in Scriptura diuina id frequens est, ab eodem tamen Iosepho haud facile vsurpatum inuenitur. D

IV.
DE IVDAEA IN PROVINCIAM REDACTA.
e Ioseph. antiq. lib. 18. c. 1.
f Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 7.

Eodem anno, decimoquarto Kal. Septembris, qua die quondam primum Consulatũ inierat, Octauianus Augustus e vita excessit, cum annos septuagintaquinque, menses decem, & dies viginti sex vixisset: siquidem natus est nono Kal. Octobris. Solus summũ Imperium gessit a victoria Actiaca annos quadragintaquatuor, dẽptis diebus tredecim. hæc Dio [g] post Tacitum. Qui autem numerant annos eius Imperij a Triumuiratu inchoato, regnasse colligunt annos quinquagintasex, & menses sex; vt Epiphanius [h], & alij, quos superius recensuimus: Qui vero supputant annos a nece Cæsaris, quo anno eidem armato in Antonium (vt diximus) collata est a Senatu summa Imperij potestas, quinquagintaseptem annos, menses sex, ac dies duos annumerant, vt Iosephus [i], & alij: ea ratione auctor libri de Oratoribus, longe alius haud dubie quàm Tacitus [k], cum regnasse ait annos quinquaginta & octo, quòd scilicet eius vltimi anni dimidium & amplius regnasset. At de annis Augusti fusius superius actum est. E

V.
AVGVSTI OBITVS.
g Dio hist. Rom. lib. 55.
h Epiph. in Anacorato.
i Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3. & de bello Iud. lib. 2. c. 8.
k Tacit. lib. de Orat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

VI. LEX DE GRAECO SERMONE.

Sed antequam ad Tiberium Octauiani Augusti successorem conuertamus stylum; ea quæ de eodem Augusto scribit Suetonius, attendamus; dum ait, ipsum haud diu ante obitum togas distribuisse ac pallia, vestimenta nimirum Romanorum atque Græcorum, lege proposita (si tamen res serio facta est) vt Romani Græco, Græci Romano habitu & sermone vterentur. Hæc cum Suetonius [a] de illo scribat, tamen antea irrepserat in Italiam vsus pallij; de quo sic Tertullianus [b]: Pallium etsi Græcum magis, sed lingua iam penes Latium est: cum voce vestis intrauit.] Porro pallij vsus haudquaquam visus est a Romanis fuisse receptus: nam Plinius [c] memirit, quòd qui aqua & igne interdicebantur, togis exuebantur, & pallijs amiciebantur, quasi peregrino induendi modo. Reus item constituebatur [d] peregrinitatis, si quis aduena toga indutus videri vellet esse Romanus: non tamen Romanis vti pallio vetitum esse videtur; vt de Scipione, cum esset in gymnasio, & de Catone minore, cum ius diceret, quos pallio vsos esse traditur, videre licet: constat etiam, quod de Tiberio scribit Suetonius [e], ipsum abiecta toga, ferme biennio permansisse in pallio.

a Suet. in Oct. c. 98.
b Tertul. lib. de pallio. c. 3.
c Plin. lib. 4. epist. 22.
d Suet. in Claudio. cap. 15.
e Suet. in Tib. c. 13.

VII. GRAECAE LINGVAE VSVS.

Græco etiam vti sermone, haudquaquam vsu in Vrbe receptum fuisse intelligitur: vnde de eodem Tiberio, qui successit Augusto, hæc idem [f] auctor scribit: Sermone Græco, quamquam alias promptus & facilis, non tamen vsquequaque vsus est: abstinuitq. maxime in Senatu; adeo quidem, vt monopolium nominaturus, veniam postularit, quòd sibi verbo peregrino vtendũ esset; atque in quodam decreto Patrum, cum ἐμβλημα recitaretur, commutandam censuerit vocem, & pro peregrina nostratem requirendam, aut si non reperiretur, vel pluribus & per ambitum verborum rem enunciandam. Militem quoque Græce testimonium interrogatum, nisi Latine respondere, vetuit.] hæc Suetonius: eadem fere de ipso testatur Dio [g]. Atque de Claudio [h] traditur, quòd splendidum virum, Græciæq. prouinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo Iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Ad hæc spectant, quæ narrat Cicero [i] de Lucullo, quòd dicere solebat, se libenter Græcis barbara admiscuisse, vt se Romanum probaret. Commendat Valerius [k] de eadem re Romanorum magistratuum pristinum vsum, cum ait: Magistratus vero prisci quantopere suam populiq. Romani maiestatem retinentes se gesserint, hinc cognosci potest, quòd inter cetera obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perseuerantia custodiebant, ne Græcis vmquam nisi Latine responsa darent: quinetiam ipsa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per interpretem loqui cogebant, non in Vrbe tantum nostra, sed etiam in Græcia & Asia; quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. nec illis deerant studia doctrinæ, sed vlla non in re pallium togæ subijci debere arbitrabantur; indignum esse existimantes, illecebris & suauitate litterarum, Imperij pondus & auctoritatem domari.] hæc ille.

g Dio hist. Rom. lib. 57.
h Suet. in Claud. c. 16.
i Cicer. ad Att. lib. 1. epist. 16.
k Valer. Max. lib. 2. c. 2.

VIII. LATINAE LINGVAE MAIESTAS.

Vnde inferri potest, in titulo Crucis Domini, quem scripsit Pilatus Hebraice, Græce, & Latine, non eo ordine quo recensentur ab Euangelistis [l], inscriptiones esse positas: nam diuersi cum inter se reperiantur, non ordinem ipsos secutos esse, sed tantum quod factum esset, insinuasse: sed Latinam inscriptionem primo loco positam esse. Nam & Nicolaus [m] Papa in Michaelem impium Imperatorem furore quodam percitum in Latinam linguam insultantem ait: Hæc cum Hebræa & Græca in titulo Domini a reliquis discreta, insignem principatum tenens, omnibus nationibus prædicat Iesum Nazarenum Regem Iudæorum.] Sed de tituli Crucis inscriptione plura inferius. Porro eadem Latina lingua Christi fidei sacramentis in Romana Ecclesia magis magisq. nobilitata, sicut illa totius Catholicæ fidei semper tenuit principatum, eodem modo & ipsa est præ ceteris exaltata. Vnde Marcianus Imperator in Chalcedonẽsi sacrosancto Concilio coram amplissimo Patrum conuentu concionaturus, licet homo Græcus, & inter Græcos, & in ditione ac regione Græcorum, eamdem orationem Latine prius, postmodum Græce dixit, vt ex ipsius Synodi [n] Actis constat. Legati etiam Apostolicæ sedis, Ecclesiæ Romanæ, litteras Romanorum Pontificum ad Synodos Græcorũ Episcoporum conscriptas, nonnisi Latine legi, ac corã omnibus ex scripto recitari iubere consueuerunt; & nisi efflagitantibus omnibus eius confessus Episcopis, Græce reddere. Fidem facit horum omnium vnus ex Legatis eiusdem sedis Philippus presbyter in SS. Concilio Oecumenico Ephesino; vbi recitatis Cælestini Papæ litteris Latine scriptis, vniuersi Episcopi petierunt, vt eadem epistola Græce translata, denuo recitaretur. Tunc his ver-

l Luc. 23. Ioan. 19.
m In epist. ad Mich. Imp. tom. 3. Concil. noue edit.
n Synod. Chalc. act. 6.

his verbis sic interlocutus Philippus Legatus: Vetus, inquit, consuetudo habet, vt Apostolicæ sedis diplomata Latine proponantur, & hoc sat esse solet. Nunc vero quoniam beatitudo vestra efflagitat, vt litteræ allatæ Græce itidem relegantur, necesse fuit vestræ beatitudinis desiderio satisfacere, &c.] hæc habent ipsa Acta SS. Synodi [a] Ephesinæ. In sacris etiam Missarum solemnijs penes Græcos ea semper viguit consuetudo, vt tam lectiones Euangelicæ, quàm Apostolicæ, primum Latine, inde Græce eadem in ecclesia publice recitarentur, vt idem qui supra Nicolaus [b] Papa ad eumdem Imperatorem scribens testatur. Sed quando occasione edicti Augusti Imp. pene non sentientes longius digressi sumus, nunc ad propositum reuertamur.

a Act. Synod. Ephes. edit. Pelt. tom. 2. c. 23.
b Nicol. epist. ad Mich. Imp.

IX. TIBERIVS.

Post obitum Augusti Imperatoris, ipsa die XIV. Kal. Septembris, Tiberius [c] Nero, Iuliæ Augustæ filius, capessit Imperium, tenuitq. annis vigintiduobus, mensibus sex, diebus vigintisex. erat ipse tunc annum agens quinquagesimumquintum. Mittitur vero tunc ab eo mox ad procurandam Iudæam Valerius Gratus, mansitq. in eo magistratu annis vndecim, vt testatur Iosephus [d]. Tunc Herodes Tetrarcha, qui & Antipas, receptus in amicitiam Tiberij, de ipsius nomine vrbem a se conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro ad ora lacus Genezareth, vnde non longe ab Emmaus sunt aquæ calidæ: hæc partim a conuenis, partim a Galilæis habitata est, quorum nonnulli eo commigrare coacti sunt; quidam etiam e nobilitate sedes illic sibi optauerunt: at quo maior esset frequentia, recepti sunt ad incolendum etiam tenuissimi quique vndecumque confluentes.] hæc & alia de Tiberiade narrat idem Iosephus [e]. Porro & lacus ipse ab eadem ciuitate cognominatus est Tiberiadis: huius est frequens mentio apud sanctos Euangelistas; in ea enim regione frequenter versabatur Dominus noster.

c Ex Tacito, Sueton. Ioseph. Dione, & aliis.
d Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.
STVDIA HERODIS IN TIBERIVM.
e Ioseph. eod. c. 3.

X. CIVITATES ET TEMPLA AVGVSTO.

Hic non omittendum, ipsum Herodem olim, Augusti tempore, Sephori ciuitatem cinxisse mœnibus, & totius Galilææ caput constituisse, & in honorem Iuliæ Augustæ Iuliada nomen imposuisse: quo etiam tempore Philippus [f] Tetrarcha pari æmulatione in gratiam eiusdem Augusti Cæsaris Paneada sitam ad Iordanis fontes, auctam ædificijs, Cæsaream dici voluit; & vicum situ in ripa lacus Genezareth, Bethsaida dictum, in speciem vrbis nobilitatum, nomine Cæsaris filiæ, Iuliam nuncupauit. Fuit vero Bethsaida patria Petri, Andreæ, atque Philippi Apostolorum [g]. Hæc præstiterunt hi paterno exemplo ducti, qui ex turri Stratonis Cæsaream maritimam amplissimam ciuitatem in honorem Augusti constructerat [h]. Horum non piguit meminisse, quòd in Euangelio & Actibus Apostolorum sæpe eorumdem locorum mentio habeatur. Verum enimvero in eo Herodem parentem Antipas & Philippus imitari minime potuerunt, vt sicut ille, qui in honorem Augusti templa erexerat, vnum Cæsareæ, cuius meminit Philo [i], alterum in Panio, de quo Iosephus [k]; ita & isti eadem in Tiberij gratiam præstarent. Nã is primis annis sui Imperij, adeo optimi Principis & ab omni fastu alieniissimi specimen dedit; vt non tantum (quod ait Suetonius [l]) se Dominum dici vetuerit; sed (quod scripsit Dio [m]) neque vllum templum sibi proprium extrui, neque se in vllo alio coli passus fuerit; edicto etiam palam, ne quis priuatus, neque vrbs vllam statuam ipsi poneret iniussu suo; addideritq. se numquam id concessurum. hæc & alia id genus digna optimo Principe de Tiberio memoriæ commendauit Dio Cassius; addituq. Tacitus [n], ingestum a populo sæpius nomen Patris patriæ ipsum repudiasse, vetuisseq. in acta sua iurare, etiam si Senatus id censuisset: ac dictitare solitum, cuncta mortalium incerta; quantoq. plus aliquis adeptus foret, tanto magis esse expositum ludibrio. eadem & Suetonius [o] pluribus.

f Ioseph. ibid. et de bel. Iud. lib. 2. cap. 8.
g Ioan. 1.
h Ioseph. antiq. lib. 16. c. 9.
i Philo de leg. ad Caium.
k Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13.
l Sueton. in vita ipsius c. 27.
m Dio histor. Rom. lib. 57.
TIBERIVS LAVDATVS.
n Tacit. lib. 1. Annal.
o Suet. in vita Tib. c. 26. & 27.

IESV CHRISTI ANNVS 17.

TIBERII IMP. ANNVS 1.

I. PRAESIDVM SVMMVM IVS.

SEquenti anno, Druso Cæsare & C. Norbano Flacco Coss. Valerius Gratus Iudææ Præses, adempto summo sacerdotio Annano Pontifici, in locum eius Ismaelem Fabi filium subrogauit: quo etiam paulo post in ordinem redacto, in Eleazarum Annani Pontificis filium honorem transtulit.] hæc Iosephus [p]. Redacta semel, quod diximus, post Archelaum exactum Iudæa in prouinciam, qui illuc Præsides mittebantur ab Imperatore,

p Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peratore, veluti rerum domini sibi etiam in sacra ius vendicabant, atque ex animi libidine summum sacerdotium tribuebant itidem & auferebant. Stolam siquidem pontificiam, quasi regni hereditariam, in suam potestatem redegerant: quomodo autem acciderit, id totum Iosephus [a] his verbis describit: Hyrcanus Pontifex eius nominis primus, extructa prope templum turri, degebat in ea maiorem temporis partem: et quoniam hanc stolam habebat in sua custodia, qua nemo præter illum vtebatur; recepturus priuatum habitum, eo loci illam deponebat: idem mos fuit etiam successoribus posteris. Herodes autem regnum adeptus, turrim hanc opportuno loco sitam, magno sumptu exædificatam, denominauit ab amico Antonio; & stolam ita vt ibi reperta est, detinuit, ratus eo magis obnoxium se habiturum populum. Idem fecit Archelaus filius eius & successor: cuius regno in prouinciam mutato, Romani simul & pontificiæ stolæ possessionem nacti sunt, in cellą ad hoc ipsum structa repositæ, & obsignatæ sigillo Pontificum atque custodum sacri ærarij, Præfecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Hanc septimo ante festum die Præfectus exhibebat Pontifici: qua purificata indutus sacrorum tempore, sequenti die rursum eam reponebat in cellam, vbi antea condita fuerat. Id fiebat singulis annis ter, ieiunij tempore.] hæc ille.

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 6.

DE STOLA PONTIFICIA.

II. Porro adiuncta erant stolæ duo alia indumenta, quorum alterum superhumerale, alterum vero pectorale dicebatur, amboq. pretiosis lapidibus erant insignia. de his hæc alibi idem auctor [b] memoria digna testatus: Ex lapillis, inquit, quos Pontifex in humeris gestabat (sardonyches erant, quorum naturam nulli non notam narrare superuacuum puto) micabat alter, quoties litatum esset, is qui dextrum humerum occupabat: tantumq. fulgorem emittebat, vt procul etiam intuentibus conspiceretur, idq. præter naturam suam & consuetudinem: quod certe admirationem meretur apud omnes, nisi si qui ex contemptu religionis sapientiæ opinionē aucupantur. Sed mirabilius est quod nunc dicturus sum. Per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex insutas rationali gestat, in bello victoriam Deus prænunciare solebat: nam priusquam exercitus se moueret, tantus fulgor ex eis emicabat, vt toti populo perfacile innotesceret adesse Deum, opemq. & auxilium suum inuocantibus esse allaturum. Quapropter Græci, quotquot a nostra religione non abhorrent, cum hoc miraculum pro compertissimo habeant, ita vt negari non possit, rationale vocant λόγιον, hoc est, oraculum. Desijt tam rationale quàm sardonyx fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum suarum præuaricationem.] hactenus de his Iosephus. Porro Philo [c] gemmas illas, quas Iosephus appellat sardonychas, dicit smaragdos; agensq. tam de his quàm de rationali, eleganter eorum mysterium declarat.

[b] Ioseph. antiq. lib. 3. cap. 9.

VESTES SACERDOTALES.

RATIONALE.

[c] Philo lib. de Monarchia.

IESV CHRISTI ANNVS 18. — TIBERII IMP. ANNVS 2.

I. Anno Christi Domini nostri decimooctauo Statilius [d] Taurus & L. Libo Consules creati sunt: quo tempore Valerius Gratus Præses in Iudæa, quem nuper tribuerat Pontificatum Eleazaro Annani Pontificis filio, abrogauit; eamq. dignitatem Simoni Camithi filio contulit, qui in Pontificatu annum tantummodo exegit. Hæc Iosephus [e] in Iudæa tradit euenisse. Romæ autē (vt auctor est Dio [f]) Tiberius Imperator inter alia laudatissima edicta quæ promulgauit, vt de veste serica non vtenda, neque vasis aureis, nisi in sacris, aliud addidit aduersus magos, & quoslibet diuinationes exercentes, quos omnes seueriss imo edicto exagitauit. Causam autem eius ferendæ legis idem auctor narrat his verbis: Porro Tiberius, etsi Thrasillo assidue vtebatur, ac singulis diebus vaticinia accipiebat; tamen re accurate considerata, cum aliquando per somnum iussus esset cuidam argentum dare, hominem interemit, quòd intelligebat per magicam artem dæmonem immissum fuisse: reliquos omnes astrologos, magos, aut quicumque aliquopiam modo diuinationes exercerent, exteros necauit; ciues, qui (etiamnum neglecto priore edicto, quo prohibitum fuerat vsu harum artium omnibus qui in Vrbe essent) tractare eiusmodi res deferrentur, extorres

[d] Die lib. 57. & Tacit. lib. 2.

[e] Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 3.

[f] Dio hist. Rom. lib. 57. sub dicis Cons.

TIB. IMP. MAGOS EXAGITAT.

torres egit: qui vero destitissent, impunitatem consequebantur.] hæc Dio.

Addit ad hæc Tacitus [a], sub idem tempus, ijsdem Coss. Libonem Drusum Vrbanum Prætorem, quòd inuocationibus dæmonum inseruisset, multis accusationibus iudicio postulatum, testibusq. conuictum, domi mortem voluntariam oppetijsse, se ipsum necando: item eiusdem criminis reum L. Pituanium e saxo Tarpeio deiectum; & in P. Marcium extra portam Exquilinam, præcinente classico, more prisco, Consules aduertisse. Sicq. magiæ crimen, quod per multos annos, vt ait [b], Romanam Vrbem exedit, hoc anno primum repressum est, atque seuere punitum. Meminit eiusdem aduersus magos Tiberij sanctionis etiam [c] Plinius: vt plane consideratione sit dignum, aduenientе Christo in mundū, Magos ex Oriente venientes, ipsum Dominum cognouisse & adorasse; dæmones in Ægypto perterrefactos; Roma vero, itemq. ab Italia magos expulsos, & in eosdem seueriss ime lege actum esse. Venerat quippe in Orbem ille qui aduersus dæmones bellum indiceret, eorumq. vires infringeret, & sub eodem Imperatore crucem perferendo, sibi cuncta subijceret.

II.

[a] Tacit. Annal. lib. 2. sub ijsdem Coss.

[b] Tacit. lib. 1. hist.

[c] Plin. nat. hist. lib. 30. c. 1.

IESV CHRISTI ANNVS 19. — TIBERII IMP. ANNVS 3.

I. Post hæc, anno qui sequitur, Redemptoris nostri decimonono, C. Cœlio [d] Rufo & L. Pomponio Flacco Coss. Simon [e] Camithi filius summus sacerdos, anno tantum eo honore perfunctus, a Valerio Grato Iudææ Præside in ordinem redactus est, sufsectusq. ab eodem in locum ipsius Iosephus qui cognominabatur Caiphas: huius sacerdotium diuturnius fuit, de quo plura suo loco inferius dicturi sumus.

[d] Dio lib. 57. Tacit. lib. 2. & alij.

CAIPHAE SACERDOTIVM.

Ijsdem Coss. cum oracula vana quædam, tamquam Sibyllina, de Vrbis interitu anno nongentesimo ab eius origine obuenturo ferrentur; Tiberius tamquam falsa redarguit, eaq. occasione adiecit animum, vt omnes fatidicos libros inspiceret, eorumq. alios probaret quos legitimos sciret, spurios vero reijceret. Hæc ex Dione [f] referimus, quo manifestius reddatur, Christianis, qui (vt superius dictum est) in prædicando Gentilibus aduentum Christi veri Dei, & idolorum falsitatem, ex Sibyllinis carminibus interdum, quòd illi diuinæ Scripturæ non crederent, peterent testimonia, nonnisi ab expurgatis toties per ipsos libris id facere licuisse, vt nulla de impostura iure obijci posset calumnia. ab Augusto id etiam factitatum, iam præfati sumus.

II. [e] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.

[f] Dio histor. Rom. lib. 57. sub his Coss.

Sub idem tempus, Iudæi [g] fessi oneribus tributorum, pro releuatione apud Tiberium Imperatorem suppliciter egerunt, simulq. Syria de eadem re conquesta: cum his alijsq. casibus Oriente exagitato, ab eodem Tiberio Germanicus, quem ex Druso Germanico fratre suo, Liuiæ filio genitum, in filium adoptauerat, ad res prouinciarum componendas in Syriam mittitur. Tiberius enim æque atque Augustus Iudæis fauit; eisdemq. Romæ degentibus, in ciues distributiones fieri solitas, sicut & ille fecerat, impertiri voluit, vt Philo [h] testatur: quæ autem ijdem Romæ agentes passi sint dolo Seiani, suo loco narrabimus.

III. [g] Tacit. lib. 2.

[h] Philo lib. de legat. ad Caiū.

IESV CHRISTI ANNVS 20. — TIBERII IMP. ANNVS 4.

Christi annus vigesimus habuit Consules Tiberium Aug. tertio, & Germanicum secundo, vt Annales Taciti [i] demonstrant. Tunc temporis idem Tiberius, Christiano quidem nedum philosopho Principe dignum, de histrionibus Vrbe pellendis promulgauit edictum, ijsdemq. ea arte interdixit, vt Dio [k] testatur: Tacitus autem id post quinquennium factum, sub Consulatu Asinij & Antistij, tradit. Præterea hoc anno, scribit Dio [l], ijsdem Coss. ex Senatusconsulto statuisse Tiberium, ne sententia mortis damnatus intra decimum diem duceretur: quod quidem edictum latioribus spatijs Theodosius [m] Augustus Christianus Imp. ampliauit, nimirum vt triginta etiam diebus executio capitalis sententiæ differretur. Ex his corrigendus est Sidonius [n] Apollinaris, qui eiusmodi dilationem triginta dierum tribuit Senatusconsulto Tiberiano: nam

[i] Tacit. lib. 2. Annal. sub ijsdē Coss.

[k] Dio hist. lib. 57. sub ijsdem Coss.

TIB. IMP. LEGES.

[l] Dio ibidem, & Suet. in vit. Tib. c. 75.

[m] l. si vindicari. C. de pœnis. Rufin. lib. 2. c. 18. & Soz. lib. 7. c. 22.

[n] Sidon. lib. 1. epist. 2. in fin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam decem tantum dies ab illo sunt dati, ceteri autem viginti a Theodosio Imperatore sunt additi. A

IESV CHRISTI ANNVS 21. — TIBERII IMP. ANNVS 5.

I. S Equenti anno, Iunio Silano & Norbano Flacco Consſ. iubente Tiberio, grauissimis Senatus decretis feminarum libido, quæ etiam in Senatorias grassabatur, est coercita; cautumq. ne quæstum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuisset. Hæc pluribus Tacitus [a], qui Vestiliæ, quæ causam dedit edicto, narrat impudicitiam: quibus autem pœnis conuictæ Romanæ feminæ essent addicendæ, B Suetonius [b] tradit; & mox subdit [c]: Externas cærimonias, Ægyptios Iudaicosq. ritus compescuit: coactis qui ea superstitione tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Iudæorum iuuentutem per speciem sacramenti in prouincias grauioris cæli distribuit: reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, Vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent.] hæc Suetonius. id enim dictis Consſ. Silano atque Norbano actum, testatur Tacitus [d]; qui ait, quatuor millia Iudæorum libertini generis in insulam Sardiniam amandatos sub specie coercendorum latrociniorum, re ipsa tamen vt ob aeris grauitatem interirent.

a Tacit. Annal. lib. 2. sub iisdem Consſ.
b Suet. in Tib. cap. 25.
c Suet. in Tib. cap. 36.
IVDAEI ROMAE VEXATI.
d Tacit. Annal. lib. 2. sub iisdem Consſ.

II. Quænam autem huius decreti aduersus Iudæos causa præcesserit, Iosephus [e] in hunc modum describit: Erat quidam Iudæus, qui ne legibus pœnas daret, metu solum verterat, vir modis omnibus pessimus. Is Romæ agens, gerebat se pro Mosaicæ legis interprete, adscitis in societatem tribus alijs per omnia sui similibus. His cũ se in disciplinam dedisset Fuluia mulier nobilis amplexa legem Mosaicam, persuaserunt ei, vt purpuram & aurum in Hierosolymitanum templum mitteret: quæ accepta in proprios vsus verterunt, quod ante destinauerant. Id postquam Tiberius ex amico suo Saturnino, ipsius Fuluiæ marito, de iniuria coniugi facta questo cognouit; iussit vniuersos Iudæos ex Vrbe pelli: ex quibus Consules, delectu habito, quatuor millia militum miserunt in Sardiniam: plurimos etiam, qui ob patriã religionem detrectabant militiam, affecerunt pœnis grauissimis. Ita propter quatuor sceleratos, omnes Iudæi coacti sunt Vrbe cedere.] hæc de his Iosephus [f]; qui & de immani scelere perpetrato ab Ægyptijs sacerdotibus aduersus Paulinam clarissimam feminam, quo ex facinore ijdem Ægyptij sacerdotes sunt in crucem acti, deq. diruto Isidis templo, eiusdemq. statua in Tiberim D mersa texit historiam. at cum vera narret; tamen cum post Christi Domini nostri crucis supplicium contigisse hæc asserat, more suo plurimum a veritate temporis discrepat: id enim annis ante tredecim esse factum, Taciti testimonio, qui per annos singulos res tunc Romæ gestas digesserit, comprobatur.

e Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.
f Ioseph. antiq. lib. 18. c. 4.

III. Manserunt ita exules extra Vrbem pulsi Iudæi vsque ad necem Seiani, cuius calumnijs (vt scribit Philo [g]) tam dire a Tiberio exagitati sunt: qui demum (vt ait) comperta Iudæorum innocentia, res illorum in feliciorem statum restituit, atque multa in eosdem contulit beneficia: hoc enim idem Philo his verbis testatur: Itidem iura Iudæorum sub Tiberio conseruata sunt, licet Seiano res nouas moliente in Italia. Cognouit enim ille mox post necem insidiatoris, meras calumnias fuisse, delata de Iudæis Vrbem incolentibus crimina conficta a Seiano, vt gentem e medio tolleret, quam norat E vel solam vel præcipue repugnaturam conatibus impijs, & conspirationi caput Imperatoris petenti. Proinde mandauit omnibus prouinciarum Præsidibus, vt oppidatim huic genti parcerent, exceptis conscijs paucis admodum; ceterum de ritibus eorum nihil nouarent, sed commendatos haberent tum viros ipsos, vt pacis amantissimos, tum mores eorũ, legesq. vt conferentes ad tranquillitatem publicam.] hæc Philo. Quæ vero pro Iudæis, conquerente de illis Pilato Iudææ Præside, Imperator rescripserit, suo loco opportunius ex eodem auctore narrabimus. Si enim temporis ratio habeatur, haud dubium hæc pro Iudæis Tiberius rescripsisse anno Domini nostri trigesimotertio inuenietur.

g Philo de legat. ad Caium.
IVDAEI RESTITVTI.

IIII. Eodem anno, Germanico Cæsare Orientis Præfecto, arte Pisonis tunc in Syria Præsidis, morte sublato: Tiberius (inquit [h] Dio) cum antehac plurima egregie fecisset, tum in

h Dio hist. Rom. lib. 57.

A tum in contraria omnia mutatus imperauit crudeliter, & ad omnia impulsorem habuit & administrum Ælium Seianum, Seij Strabonis filium. Porro Suetonius [a], Tacitus [b], Dio [c], & alij portentosa Tiberij facinora prolixe describunt, ad quos ea nosse optantes remittimus.

a Suet. in Tiber.
b Tacit. lib. 2. & 3.
c Dio lib. 57. 58

IESV CHRISTI ANNVS 22. & 23. — TIBERII IMP. ANNVS 6. & 7.

I. ANno sequenti, Valerius [d] Messala & Aurelius Cotta Consules creati sunt. Hos secuti [e] sunt Tiberius quartum & Drusus secundum ineuntes Consulatum. Sub B hoc tempus P. Sulpitius Quirinus, qui olim præfuerat Syriæ, ac censum egerat, sub quo descriptus est Dominus noster Iesus Christus, ex hac vita migrauit; cuius funus iussu Tiberij publicis exequijs frequentatum est a Senatu: de rebus ab eo gestis hæc summatim Tacitus [f]: Nihil ad veterem & patriciam Sulpitiorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium: sed impiger militiæ, & acribus ministerijs Consulatũ sub Diuo Augusto, mox expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus, datusq. rector Caio Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat; quod tunc patefecit in Senatu, laudatis in se officijs, & incusato M. Lollio, quem auctorem Caij Cæsaris prauitatis & discordiarum arguebat. Sed ceteris haud læta memoria erat Quirini, ob intentata (vt memoraui) Lepidæ vxori repudiatæ pericula, sordidamq. & præpotentem senectam.] hæc de Quirino Tacitus. C

d Tacit. lib. 3. sub iisdem Consſ.
e Idem ibidem sub iisdem Consſ.
QVIRINI OBITVS.
f Tacit. ibidem sub iisdem Consſ.

II. Sub hoc ipso Consulatu quarto Tiberij Imperatoris, consignata erant falsa illa aduersus Redemptorem nostrum conficta a Maximino Imp. & alijs Acta [g] Pilati: quæ falsitatis certa ratione arguit Eusebius; quòd tanti mendacij assertores, rerũ nostrarum ignari, sub hoc Consulatu & sub Pilato contigisse scripserint, quando necdum Pilatus in Iudæam missus fuerat Præses; quod anno duodecimo eiusdem Imp. factum esse, Iosephus [h] testatur. Hæc repetens Eusebius [i] sic ait: Idem scriptor in decimooctauo antiquitatis libro, anno regni Tiberij duodecimo, Pontium Pilatum Iudææ regimen obtinuisse, atque eumdem decem annos continuos ad Tiberij fere occasum ibidem commoratum enarrat. Quocirca commentum eorũ, qui heri prope & nudiustertius commentarios contra Saluatorem nostrum ediderũt, perspicue refutatur: in quibus primo D omnium temporis ipsius ratione falso ab illis obseruata, mendacium eorum qui talia commenti sunt, euidenter & aperte coarguit. Nam ad quartum Consulatum Tiberij Cæsaris, qui fuit anno regni eius septimo, facinora a Iudæis in salutari Saluatoris nostri passione admissa fuisse, commentarij isti complectuntur: quo quidem tempore satis liquet Pilatum nondum ad Iudææ præfecturam gerendam aduentasse.] hæc ille. Porro de Actis Pilati suo loco paulo post plenius atque exactius agemus.

g Euseb. hist. lib. 1. c. 9.
ACTA PILATI FALSA.
h Ioseph. antiq. lib. 18. c. 5.
i Euseb. hist. lib. 2. c. 9.

IESV CHRISTI ANNVS 24. & 25. — TIBERII IMP. ANNVS 8. & 9.

I. POst prædictos C. Sulpitius [k] & D. Haterius gesserunt Consulatum. Hos secuti sunt anno sequenti C. Asinius [l] & C. Antistius.

k Tacit. lib. 3.
l Idem lib. 3.

IESV CHRISTI ANNVS 26. & 27. — TIBERII IMP. ANNVS 10. & 11.

INde vero anno Domini nostri vigesimosexto Consulatum inierunt Cornelius [m] Cethegus & Visellius Varro: post quos Cossus Cornelius & Asinius Agrippa [n] eo functi sunt magistratu: quibus omnibus annis nihil memoria dignum, quod ad res nostras pertineat, gestum est.

m Idem lib. 4.
n Idem lib. 4.

IESV

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV CHRISTI ANNVS 28.

TIBERII IMP. ANNVS 12.

I. PONTIVS PILATVS PRAESES.

ANno Christi vigesimooctauo Cn. Lentulo Getulico & C. Caluisio Sabino Coss. cum Valerius Gratus Iudææ Præses annum in magistratu egisset vndecimum, successorem habuit Pontium Pilatum, qui in eadem functione annis decem permansit.] hæc Iosephus [a], & alij [b]. Quid autem idem Præses, cum primum in Iudæā venit, aduersus Iudæos egerit, idem auctor recenset his verbis [c]: Pilatus cum curandam accepisset regionem, nocte intempesta opertas Hierosolymam intulit imagines Cæsaris: quæ res post triduum ingentem inter Iudæos suscitauit tumultum. Nam qui aderant, stupore permoti sunt, quasi iam profanatas leges suas viderent: nullum enim fas esse collocari in vrbe simulacrum. Ad querelam autem eorum qui in ciuitate erant, subito etiam ex agris multitudo confluxit. Euntes autem illico Cæsaream ad Pilatum, intentissime deprecabantur, vt ab Hierosolymis auferrentur imagines, & eis iura patria seruarentur. Pilato autem supplicantibus abnuente, circa domū eius proni corruerunt, & immobiles quinque diebus noctibusq. continuis mansere. Post autem Pilatus tribunal ascendens, studio magno conuocat multitudinem Iudæorū, quasi qui velit eis dare responsum. Cū subito milites accepto signo (sic enim iam fuerat præparatum) armati circumsteterunt Iudæos; circumdataq. triplici acie, Iudæi quidem stuporis erant pleni, videntes insperaram rerum faciem. Tunc Pilatus denuncians trucidaturum se omnes, nisi imagines Cæsaris susciperent, annuit militibus vt educerent gladios. Iudæi autem quasi vno consilio omnes subito corruerūt, & ceruices nudatas excipiendis ictibus pararunt: vociferantes, vniuersos se interfici magis velle, quàm legē profanari. Tunc Pilatus circa religionem studiū populi demiratus, confestim de Hierosolymis statuas iussit auferri.] hæc Iosephus de Bello Iudaico, eadem & in libris de Antiquitatibus [d] narrans.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3. & 4. in fin. & de bello Iud. lib. 2. c. 2.*
[b] *Euseb. hist. l. b. 2. c. 9.*
[c] *Ioseph. de bello Iud. l. b. 2. c. 8.*
[d] *Ioseph. antiq. lib. 18. cap. 3.*

II. QVAE PILATVS EX PHILONE.

Porro Philo Iudæus, qui his ipsis viuebat temporibus, rem a Pilato aduersus Iudæos gestam longe aliter contigisse scribit [e], sic dicens: Quid alter auus tuus (*alloquitur Caium Augustum*) Tiberius Cæsar? nonne manifeste voluntatem eamdem habuit? Certe per vigintitres annos, quibus imperauit, antiquissimam religionem templi conseruauit incolumem, immotamq. modis omnibus. et possum quiddam in laudē eius proferre, quamuis mille sub ipso iactatus casibus. Sed amica est & tibi quoque grata veritas. Pilatus erat Procurator Iudææ: hic non tàm in gratiam Tiberij, quàm in odium populi, auratos clypeos dedicauit intra sanctam vrbem in Herodis regia, nulla insignes imagine, nec habentes quicquam vetitum: tantum titulus continebat nomen dedicantis, & eius cui dedicabantur. Id vbi diuulgatum est in populum, aduocatis vsi quatuor regijs filijs fortuna dignitateq. regia præditis, reliquisq. huius familiæ, atque optimatibus ceteris, orabant vt tolleretur illa clypeorum nouitas, nec violarentur ritus patrij conseruati a superioribus Regibus & Imperatoribus. Cumq. ille aduersaretur rigide, vt erat pertinaci duroq. ingenio; conclamatum est: Desine seditiones bellaq. ciere; desine pacem profligare: non honoratur Imperator per legum contumeliam: noli huc iniuriæ prætextum quærere: Tiberius nihil vult temerari de ritibus nostris: aut ostende illius edictum, vel epistolā, aliudve simile: vel da, vt te omisso, per Legatos oremus Dominum. Id vero magis eum exasperauit, veritum, ne si mitteretur legatio, cetera quoque deregerent eius crimina, venditatas sententias, rapinas, iniurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem sæuissimam. Iratus igitur homo iracundus, anceps erat animi, quòd neque demere semel dedicatas res auderet, nec subditis gratificari vellet, non ignorans Tiberij talibus in rebus constantiam. Quod vbi viderunt optimates, & animaduerterunt eum pœnitere cœpti, quantumuis dissimularet; scripserunt Tiberio litteras humili deprecatione plenissimas: Qui cognito quid dixerit Pilatus, quid minatus sit, non est opus vt dicam, quantum excanduerit; quamuis non commoueretur temere: ipsa res iram eius indicat. Confestim, nihil procrastinans, scribit litteras, valde obiurgando eius audaciam, iubendo vt sine mora clypeos illos tolleret: et translati sunt Cæsaream maritimam, ab Augusto proauo tuo denominatam, quo in eius sacrato templo dedicarentur; sicut factum est. Ita consultum fuit & Impera-

[e] *Philo de legat. ad Caium.*

Imperatoris honori, & ciuitatis antiquis moribus. hæc sunt decreta Tiberij.] hæc Philo; cui potius, quàm Iosepho, fidem adhibendam, nemo non dixerit: vt ex his plane intelligas, quantum in auctore vacillet fides historica, qui non tantum a nostris scriptoribus, sed a suis gentilibus mendacij arguatur.

III. QVAE RVRSVM PILATVS IN IVDAEOS.

Addidit post hæcidem Pilatus aduersus Iudæos eiusmodi scelus: Est (inquit Iosephus [a]) apud Iudæos sacer thesaurus, quem Corban dicunt: hunc Pilatus ad inductionem aquarum iussit expendere: erat autem inducenda aqua ab stadijs trecentis. ob hoc itaque vulgi oriebantur querelæ; ita vt etiam Pilati, qui Hierosolymam venerat, cum clamore circumdarent tribunal. Ille autem præuiderat tumultum eorum: siquidem populo permiscuit armatos milites, qui tunc essent priuatorum vestibus induti; præcepitq. vt gladijs quidem non vterentur, fustibus autem acclamantes ferirent. Sicq. compositis rebus, dat ex tribunali signum, confestimq. cædebantur Iudæi: quorum multi quidem plagis, multi vero se inuicem conculcantes in fuga, misera protritione perierunt. Tunc ad calamitatem interfectorum stupens multitudo conticuit: atque ob hoc accusator Herodis Tetrarchæ Agrippa, qui fuit filius Aristobuli, quem pater Herodes interfecit, ad Tiberium venit. Illo vero non suscipiente accusationem, residens Romæ, reliquorum quidem potentium notitias ambiebat, maximis autem colebat officijs Germanici filium Caium, cum adhuc esset priuatus.] hæc Iosephus. Quænā vero post hæc eidem Agrippæ Romæ obuenerint, quove modo sit, iubente Tiberio, detrusus in carcerem, & inde exaltatus in regnum, suo loco dicemus. Hæc itaque ipso Pilati ingressus initio recitata sunt, non quòd eodem primo sui magistratus anno facta esse contendamus: sed cum incertum plane sit tempus, quo eadem sunt perpetrata, hic maluimus recensere; vt quale fuerit ingenium hominis, & quibus moribus comparatum, ex his facilius innotescat. Duxit vna secum Pilatus in prouinciā vxorem suam, vt ex Euangelista exploratum habetur: nuper enim sub quarto [b] Consulatu Tiberij, Seuero Cæcinna grauissima oratione censente ne vxores maritos in prouinciam proficiscentes comitarentur, intercedente Valerio Messala, ac per omnia commodius esse, si illæ maritos assectarentur, ostendente, legis rogatio elusa est.

[a] *Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 2. & antiq. lib. 18. c. 4.*
[b] *Tacit. Annal. lib. 3.*

IESV CHRISTI ANNVS 29. TIBERII IMP. ANNVS 13.

ANnus Christi vigesimusnonus habuit Consules M. Liciniū & L. Calphurnium, fuitq. Romanis ingentibus cladibus memorabilis: nam collapso apud Fidenas amphitheatro, quinquaginta millia hominum obtrita sunt, Romæq. totus mons Cælius conflagrauit: sed hæc omnia pluribus Tacitus [c].

[c] *Idem lib. 4.*

IESV CHRISTI ANNVS 30. TIBERII IMP. ANNVS 14.

SEquenti anno inierunt Consulatum Iunius Silanus & Silius Nerua. Nihil tamen his, quod pro Annalibus nostris Ecclesiasticis faciat, aut ijs dignū sit, reperimus; licet a nonnullis, hoc ipso anno suæ ætatis trigesimo Christum esse baptizatum, affirmetur: sed id accidisse anno sequenti, aperte demonstrant quæ a nobis dicta sunt superius, dum de anno quo natus est Christus, in Apparatu fusius disputauimus.

IESV CHRISTI ANNVS 31. TIBERII IMP. ANNVS 15.

I. PRoximus sequitur annus decimusquintus Imperij Tiberij Cæsaris, Euangelica [d] attestatione celeberrimus, quo gesserunt Consulatum Rubellius atque Fusius, ambo Gemini [e]. Annus quippe idem qui ab Isaia [f] placabilis per antonomasiam dictus est, & acceptabilis [g]: quo nimirum orbi terrarum profundis tenebris obuoluto,

[d] *Luc. 3.*
[e] *Tacit. lib. 5.*
[f] *Isai. 61.*
[g] *Luc. 4. secundum 72. interpr.*

Redemptor humani generis Christus Deus noster, lux vera, lumine prædicationis cœpit affulgere. A

II. EVANGELICAE HISTORIAE DIGNITAS.

Huius quidem rei præclarissime gestæ historia, non a quibuscumque, sed a Deo tantum præordinatis testibus, ab ipsis inquam sanctissimis quatuor Euangelistis, monumentis meruit diuinitus consignari: quorum admirabilem excellentiam atque præstantiam Ezechiel [a] Propheta sub quatuor animalium symbolicis speciebus in diuina illa cælitus ostensa visione gloriæ Domini prænouit. Si enim, quod ait Apostolus [b], ministratio mortis (ipsa inquam legis scriptio) litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quo modo non magis ministratio spiritus erit in gloria?] Fuerunt hi ministri Noui testamenti, non littera tantum, sed spiritu: vt non solum ipsorum scriptis res gestæ narrentur; sed quod superat humanum captum, vim quamdam spiritus ipsis Deus indiderit, ac perinde diuinam illam Ezechieli ostensam præseferant imaginem, vt appareat aspectus eorum velut carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum, splendor ignis, sed & de igne fulgur egrediens ad destructionem [c] munitionum, consilia destruens, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, in captiuitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi. Porro etsi diuersis in locis, varijsq. temporibus & occasionibus in eodem argumenti genere singuli versati sint; tamen admirabili quodam modo, ac nonnisi diuino consilio factum est, vt consensione quadã harmonica, quod simul omnes, hoc singuli quique in scribendo præstitisse videantur: vt merito, iuxta propheticum illud ænigma, sic propria a ceteris distincta esset facies singulorum, vt tamen eædem quatuor facies singulis coniunctæ essent. B C

a Ezech. 1.
b 2. Cor. 3.
c 2. Cor. 10.

III. CONCORDIA EVANGELICA.

Fuit antiquorum scriptorum studium, vt quatuor sancta Euangelia in vnum coniungentes, ex ijsdem quatuor vnum intexerent. Id conatum esse scimus primum omnium Theophilum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, vt Hieronymus [d] ad Algasiam scribens testatur his verbis: Theophilus Ecclesiæ Antiochenæ septimus post Petrum Apostolum Episcopus, qui quatuor Euangelistarum in vnum opus dicta compingens, ingenij sui nobis monumenta reliquit.] Id ipsum præstitit Tatianus: id item tertio loco Ammonius, quem (inquit idem Hieronymus [e]) secutus est Eusebius Episcopus Cæsariensis. Hi quidem de conuenientia ipsorum Euangelistarum canones quosdam scripserunt, quos idem Hieronymus Latinitate donauit. Meminit horum Victor Episcopus Capuanus in præfatione [f] quam Tatiani Euangeliorum quatuor Harmoniæ præfixit. hæc de antiquioribus. Ceterum complurium recentiorum in eadem re enituit studium, quorum præcipuum sibi locũ vendicare videtur eruditus æque ac pius Cornelius Iansenius Episcopus Gandauẽsis; cuius sic nobis proponimus sequenda vestigia, vt tamen liberi interdũ esse velimus, per aliã viã, quæ rectior videatur, incedere. D

d Hieron. epist. 152. quæst. 6.
e Hieron. præfat. in quatuor Euang. ad Damas. epist. 123.
f Habes eã tom. 2. biblioth. S. Marg.

IIII.

Age, ipsam Euangelicam historiam prosequamur, quam Lucas Euangelista egregia certitudine temporum, more maiorum, testatam sic exorditur: Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus sacerdotum Anna & Caipha: factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ, &c.]

V.

Etsi aliam interpretis, aliam vero historici sciamus in scribendo esse rationem: tamen nos debere difficultates ac nodos ad historiam elucidandam dissoluere, neminem negaturum esse putamus. Quamobrem in ijs quæ tum hic tum alibi occurrant, enodandis de rebus gestis difficultatibus (quod præfando polliciti sumus) studium nostrum non deerit. Quod vero in primis pertinet ad tetrarchias, quarũ meminit Euangelista: iam superius dictum est, tam ex testamento Herodis [g], quàm ex diuisione ab Augusto [h] facta, Iosephum scripsisse consentientia Euangelistæ; nimirum Herodi Antipæ Galilæam cum Transamnana regione esse tributam, Philippo autem Trachonitidem regionem, vna cum Auranitide, & parte quadam, quæ fuerat Zenodori, olim Herodi tradita [i], quas S. Lucas & post eum Dio [k] Ituræam appellat. Fuisse & his temporibus tetrarchiam Lysaniæ, idem auctor consentire videtur, dum eamdem primum a Caio [l] Tiberij successore, inde a Claudio Agrippæ [m] donatam affirmat. E

g Ioseph. antiq. lib. 17. c. 10.
h Ioseph. antiq. lib. 17. c. 13.
i Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13.
k Dio lib. 49. hist. Rom.

TETRARCHIARVM DISTINCTIO.

l Ioseph. antiq. lib. 18. c. 8. in fi.
m Ioseph. antiq. lib. 19. c. 4. & de bello Iud. lib. 2. c. 11.

Quisnam

A Quisnam fuerit iste Lysanias: sicut errare certum est illos qui dixerunt [a] Herodis fuisse filium, ac Herodis Antipæ & Philippi fratrem; ita etiam errore labi eos [b] constat, qui hos corrigentes, & ipsi correctione sunt digni, dum Lysaniam hunc, de cuius tetrarchia hic mentio habetur, illum putant esse filium Ptolemæi Mennæi, cuius Iosephus [c] meminit: nam eiusdem auctoris testimonio [d] expressum habetur, eumdem Lysaniam Cleopatræ arte fuisse necatum, vt eius potiretur ditione, quæ erat apud Libanum posita; idque, Dione [e] auctore, contigisse constat sub Consulatu Publicolæ & Neruæ, anno ab Vrbe condita septingentesimo decimooctauo.

VI. DE LYSANIA.

a Eusebius in Chronic. anno Domini 7.
b Cor. Iansen. in concord. Euang. & alij eum secuti.
c Ioseph. antiq. lib. 14. c. 23. in fi.

Cleopatra vero simul cum Antonio sublata de medio, rebus in integrum restitutis, Actisq. Antonij irritis; Lysaniæ alteri, eiusdem cum priori nominis, ea tetrarchia fuisse videtur ab Augusto restituta: nam cum idem Iosephus [f] longe post obitum dicti Lysaniæ senioris meminit Zenodori, quòd conduxisset ditionem Lysaniæ, certe non de priori Lysania Tetrarcha, sed de posteriori necesse est intellexisse. Erat Abila, ex qua dicta est tetrarchia Abilina, ciuitas vna (vt ait Plinius [g]) in prouincia Decapoleos; cuius Lysanias (vt Lucas tradit) Tetrarcha erat. Quod insuper ad vocem ipsam Tetrarchiæ pertinet; in ea potius vsus loquendi, quam vocabuli proprietas attendi debet; cum auctore Plinio [h] certum sit, non quartam regni vel prouinciæ partem esse eo nomine intelligendam, sed potius Principis cuiusque dominium, etiamsi vnius tantummodo fuerit ciuitatis: quippe qui dicat, prouinciam in Palæstina Decapoleos dictam, cuius est mentio in Euangelio [i], cum decem habuerit ciuitates, earumdem fuisse tetrarchias singulas, regnorum instar, & in regna solere contribui. B

VII. LYSANIAS IVNIOR.

d Ioseph. antiq. lib. 15. c. 4.
e Dio hist. Rom. lib. 49.
f Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13.
g Plin. hist. nat. lib. 5. c. 18.
h Plin. ibid.
i Matth. 4. Marc. 5. & 7.

Quòd præterea S. Lucas Euangelista non Tetrarcharum dictorum tantummodo, sed Principum sacerdotum Annæ & Caiphæ temporibus prædicationem Ioannis inchoatam tradat: res haud mediocri difficultate obuoluta videtur: tum cum vnum tantummodo, non duos simul, & ante & post hæc tempora summum sacerdotem penes Iudæos fuisse, certum exploratumq. habeatur: tum etiam, si Iosepho credimus, quòd non Anna (vt vidimus) sed Caiphas hoc tempore summi sacerdotij munere fungeretur. Scimus & vicariam eiusdem sacerdotij præfecturam nemini solere concedi, nisi aliqua necessitate vrgente, & ad modicum temporis spatium: cum & idem Iosephus testetur [k], Matthiæ summo sacerdoti, quòd inter dormiendum pollutus esset, rem diuinam facere lege vetito, ad vnius tantum diei spatium vicarium adiutorem esse datum Iosephũ Ellemi filium. Nec insuper constare posse videtur quod dicunt, summos sacerdotes fuisse Annam & Caipham, ita tamen vt alternis annis sacerdotalem functionem obtinerent. Nam nonnisi alterius horum tempore potuit Ioannes prædicationem exordiri: cum, quo tempore alter esset summus sacerdos, alterum cessasse, dicere necesse sit. Nec demum esse verum quod scribit Eusebius [l], delectos a Præsidibus Romanis summos sacerdotes, & vnumquemque illorum vno tantum anno eo ministerio perfunctum esse, nemo non videt. nam etsi (quod scribit Iosephus [m]) primis annis Valerij Grati Præsidis, qui a Tiberio illuc primo sui Imperij anno missus est, per annos illos tres primos totidem mutati sunt summi sacerdotes; tamen qui vltimo loco creatus est Caiphas anno tertio Tiberij Imperatoris, absque alio successore non ad præsentem tantum annum, sed (quod constat ex Euangelistis) vsque ad Redemptoris nostri crucem, immo & post resurrectionem (vt testantur Acta Apostolorum [n]) eumdem Caipham in eadem functione perseueraſſe, ac sic per annos saltem decem & septem ipsum eodem munere functum fuisse apparet: cui veritati & Iosephus [o] adstipulatur, dum creationem Caiphæ sub tertio anno Valerij Grati constituens, nullum alium ei datum successorem vsque ad Vitellij Præsidis, qui Pilato successit, tempora, testatur: tunc vero ipsum redactum in ordinem, & Ionatham Anani filium subrogatum tradit. C D E

VIII. FVNCTIO SACERDOTALIS.

k Ioseph. antiq. lib. 17. c. 8.
l Euseb. histor. lib. 1. c. 9.
m Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.
n Act. 4.
o Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.

Quòd ergo ab Euangelista eodem tempore Anna, perinde ac Caiphas, Princeps sacerdotum dicatur, alia est perueſtiganda ratio. Ac primum illud dicimus, quòd etsi vnus idemq. summus Pontifex apud Iudæos esset; tamen complures alios sacerdotalis ordinis dictos esse Principes sacerdotum, quorum frequens est mentio in diuinis Scripturis, certum est: hos fuisse vigintiquatuor numero, sicut & totidem erant vices sacerdotales, ex his quæ leguntur in libris Paralipomenon [p], facile intelligitur: qui enim cuiusque vicis princeps & caput erat, ille ipse Princeps sacerdotum dicebatur. IX.

p Paralip. 1. c. 24.

Universidad de Deusto
Biblioteca

At non dicimus Annam hac tantum ratione esse dictum Principem sacerdotum, sed & A
alia prorsusq. diuersa, quam subinferimus.

X. CONCILIVM IVDÆI. * al. Sanedrin

Erat quidem apud Iudæos ex senioribus atque magistris conflatum collegium, quod ab illis Synedrin* dicebatur, constabatq. ex septuagintaduobus viris. Huius originem a Deo per Moysen institutam habes in libro Numeri [a], quando Deus Moysi præcepit vt septuaginta viros deligeret, quos senes & magistros populi esse nosset. Hoc seniorum collegium, iunctis duobus alijs qui Heldad & Medad personas agerent (qui licet remansissent in castris, eodem tamen afflati Spiritu prophetarunt) numero septuagintaduorum semper perseuerauit in posteris. Erat horum summa auctoritas, vt qui de lege cognoscerent, & de Propheta, ac simul de Regibus iudicarent. Horum namque iudicio Herodes Rex postulatus est; in quos postea crudeliter sæuijt, vt testatur Iosephus [b]. At de horũ munere pluribus acturi sumus inferius: modo autem (quod B
ad rem propositam pertinet) qui septuagintaduorum seniorum primus haberetur, idem Princeps sacerdotum dicebatur; cum alioqui summus sacerdos primũ omnium locum teneret, cunctisq. præesset Principibus sacerdotum: seq. habebat amborum perfunctio instar præfecturæ Mosis & Aaron, quorum quamdam similitudinem exprimebant. Sicq. Anna cum esset eiusmodi collegij princeps, merito, sicut & Caiphas, Princeps sacerdotum dicebatur, licet vtriusque functio esset omnino distincta. In eo libro qui Philonis nomine de Tẽporibus inscriptus habetur, non prorsus contemnendo, si purgatis mendis integer redderetur, hæc, quæ id ipsum monstrant, habentur: Herodes anno trigesimo principatus sui tyrannici, Synedrin ex domo Dauid deleuit; & Annanelum quemdam (*quod nomen idem est quod Anna*) atque Synedrin ex proselytis suffecit, qui nimirum in lege videbantur eruditi.] hæc ibi. Videas insuper in Euange- C
lio [c], cum Christi causa ageretur, ac subinde de vero Propheta quæstio esset, An ille ipse Christus esset: eumdem primo ad Annam, tamquam ad Principem sacerdotum illius collegij, esse perductũ, cuius muneris erat de Propheta iudicare: ac demũ ad Caipham, sine cuius assensu sententia ferenda non erat. Videas etiam apud Acta Apostolorũ, cum de lege esset iudicium, nimirum de fide Christi, quam prædicabant Apostoli, in eo consessu primo loco nominatum Annam, inde Caipham, postea vero iuxta consessus ordinem, Ioannem, Alexandrum, ac ceteros. Hæc sunt quæ de Annæ & Caiphæ principatu sacerdotum inter se distincto habuimus dicere: iam cetera prosequamur.

[a] *Num. 11.*
[b] *Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17.*
[c] *Ioan. 18.*

XI. IOANNIS PRAEDICATIO.

Eodem itaque anno, dictorumq. Principum sacerdotum tempore, Ioannes Zachariæ filius, qui ea occasione quam superius recensuimus, secesserat adhuc infantulus in desertum, afflatus diuino Spiritu venit in omnem regionem Iordanis, prædicans bap- D
tismum pœnitentiæ. Describitur tanti Prophetæ locus, habitus, atque victus: vt qui nimirum habitasset in [d] deserto loco, indutus vestimento ex pilis [e] camelorum confecto, ac zona cingeretur pellicea: esca [f] vero locustæ essent, & mel siluestre. At primum, quod ad habitationis locum spectare videtur; quomodo idem ipse post multa tempora Fidelibus innotuerit, sincera attestatione Sophronij [g], qui eiusmodi scribit historiam, enarremus: Erat, inquit, senex quidam habitans in monasterio Abbatis Eustorgij, Ioannes nomine: quem S. Elias Episcopus Hierosolymorum voluit ducem monasterij constituere. Ille vero non acquiescebat, dicens: In montem Sina orationis causa pergere volo. Archiepiscopus autem cogebat eum, vt prius Abbas fieret, & postea pergeret quo vellet. Cum vero senex non acquiesceret, dimisit eum, spondentem, se, postquam reuersus esset, susceпturum regiminis curam. Et ita salutato Archi- E
episcopo, iter arripuit, vt ad Sina montem proficiscereturet, assumpto secum & discipulo suo: transuadatoq. Iordane fluuio, cum vix vno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum inuasit eum febris. Cum vero in tantum excresceret ardor febris; vt ambulare non posset, inuenerunt speluncam paruulam, in quam ingressi sunt, vt requiescerent. Cum vero febris ita inualuisset, vt se vix mouere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tunc senex in somnis aspexit quemdam adstantem sibi, & dicentem: Dic senex, Quo ire vis? Respondit: In montem Sina. Dicit ei: Ne, quæso, recedas hinc. Cum vero seni id persuadere non posset, abscessit: febris vero seni acrius infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni adstitit eodem habitu, & ait: Quid, senior, affligi vis? audi me, & nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex: Tu quisnam es? Respondit is qui apparuerat: Ego sum Ioannes Baptista, & ideo tibi iubeo vt

[d] *Luc. 3.*
[e] *Matth. 3.*
[f] *Marc. 1.*
[g] *Sophron. Prat. spir. c. 1.*

nusquam

A nusquam recedas: nam spelunca ista breuis, maior est monte Sina, quippe in hanc sæpius Dominus noster Iesus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere mihi, quòd hic habitabis; & ego mox tibi sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit, se in eadem spelunca permansurum; & continuo sanus effectus, perseuerauit ibidem toto vitæ suæ tempore: speluncam vero illam fecit ecclesiam, congregauitq. fratres. Appellatur locus ille Sapsas. Fuit in eodem loco Sapsas commorans in spelæo senex alius tantæ virtutis, vt leones secum in eadem spelunca susciperet, atque cibum in sinu suo ipsis præberet.] hactenus Sophronius. Eiusdem monasterij meminisse videtur Beda [a], cum agit de locis sanctis. Porro quòd locus hic tam proximus
B fuerit Iordanis ripæ, existimamus speluncam istam fuisse potius Ioannis habitationem, cum e deserto veniens baptizaret in Iordane, quàm vbi antehac in deserto commorans ageret.

[a] *Bed. de loc. sanct. cap. 13.*

XII. IOANNIS VESTITVS.

Quod autem ad eiusdem integerrimi nostri Præcursoris vestimentũ pertinet: quale nam esse soleret illud ex pilis camelorum intextum indumentum, perfacile est demonstrare. Sed prætermittimus innumeras pene de Ioannis vestis asperitate sanctorũ Patrum scriptas sententias: satis namque sit ex verbis Euangelistæ, materiam ipsam ex qua esset confecta, describentis, qualis esset, certo experimento cognoscere. Ex pilis camelorum nonnisi rude atque asperum intexi solere indumentum, quod cilicium appellatur, certum est: id enim S. Paulinus [b] Nolanus Episcopus, dum de Melania Romana clarissima femina agit, asserit in hunc modum: De pallijs, quæ ex camelorum pilis texta, asperitate setarum compungebant homines, & in mentem reuocabant Ioannem, quem pili camelorum hirto tegmine vestiebant.] Alius item Paulinus Con-
C sularis de eodem amictu in carmine de Ioanne Baptista sic ait [c]:

[b] *Paulinus ad Seuer. epist. 10.*

[c] *Extat in collect. poet. Christian.*

Vestis erat curui setis conserta cameli;
Contra luxuriem molles duraret vt artus;
Arceretq. graues, compuncto corpore, somnos.]

XIII.

Iam autem quod ad zonam attinet: cum in Palæstina Iudæi zonis vterentur laneis, Ioannes ex zona etiam comparans sibi corporis afflictionem, pellicea cingebatur: vnde Hieronymus: Stupebat, inquit [d], ad conuersationem Eliæ & Ioannis Baptistæ, quorum vterque zona pellicea adstrinxit ac mortificauit lumbos suos.] hæc Hieronymus. Nunc denique quod ad cibum spectat: exacte, qualis fuerit, recenset Euangelista: nimirum locustis & melle siluestri Ioannem consueuisse famem pellere: pane enim & vino caruisse, Saluatore id testante [e], didicimus. Porro nec baccis, seminibus,
D vel oleribus vsum esse, Clemens [f] Alexandrinus certo credidit, dum ait: Matthæus Apostolus seminibus, baccis, oleribusq. absque carnibus vtebatur: Ioannes continentiam vlterius extendens, locustas & mel siluestre comedebat.] Quòd enim non adeo communibus vteretur cibis, ea de causa de ipso Saluator noster testatus est dicens [g]: Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.] Quæ cum ita sint, vt profecto sunt: proculdubio Ioannes, qui longe ab hominum consuetudine agebat, non communibus ceteris vsus est cibis, sed eo qui præ manibus haberetur, nec vllo labore longe quæsitus, vel arte paratus esset. Locustas in Palæstina, genus fuisse animalium ad cibi vsum, diuina Scriptura [h] plane demonstrat, dum locustam inter comestibilia, quæ munda es-
E sent, recenset. Sane quidem auctor est Strabo [i], genus quoddam Æthiopum locustas in cibum habere, quibus sale permixto in massas confectis vescantur: de Parthis eadem tradit Plinius [k]: de Orientalibus & Libycis eadem scribit Hieronymus [l]: ijsdem vsum in cibum fuisse Ioannem, tradit Augustinus [m], & Beda [n], qui & a sancto Episcopo Archulpho, qui ad ea loca peregrinatus erat, hæc quæ didicit, suis scriptis testata reliquit: nimirum notissimas esse locustas in Palæstina, quæ corpusculis in modum digiti manus exiguis & breuibus in herbis facile captæ, coctæq. oleo, pauperem victum parent: easdem solitas exiccari fumo, & sic comedi, habereq. malum odorem, & grauem gustum, Euthymius scribit. De siluestri melle, quidnam fuerit, cum multi multa eaq. diuersa scribant, hæc Beda a dicto Episcopo fide dignissimo accepta conscripsit: In eodem deserto sunt arbores folia lata habentes & rotunda, lactei coloris, & melliti saporis, quæ natura fragilia manibus confricantur & eduntur, hocq. esse mel siluestre dicitur.] hæc ille.

[d] *Hieronym. ad Demet. epist. 8.*

[e] *Luc. 7.*

[f] *Clem. Alex. Pædag. lib. 2. c. 1.*

[g] *Matth. 11.*

[h] *Leuit. 11.*

[i] *Strabo lib. 16.*

[k] *Plin. nat. hist. lib. 11. c. 29.*

[l] *Hier. aduers. Iouin. lib. 2. & in Ion. c. 4.*

[m] *August. Confess. lib. 10. c. 31.*

[n] *Bed. de locis sanct. c. 14.*

XIV.

Verum his omnibus aduersatur Isidorus Pelusiota, qui & ipse monasticam vitam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum diutius excoluerit, ea quæ scribit, potuit a Palæstinæ monachis didicisse: sic enim A
[a] Epist. 132. lib. 1. LOCVSTAE ET MEL SILVESTRE. ait ad Timotheum lectorem scribens [a]: Locustæ, quibus Ioannes alebatur, non animantia sunt (vt quidam imperite putant) scarabęis similia (absit) verum herbarum ac plantarum summitates. Eodemq. modo rursum non herba quædam est mel siluestre, verum mel montanum, quod ab agrestibus apibus conficitur, summeq. amarum est, & gustatui omni infestum atque inimicum. Quibus ex rebus singularem quamdam ac pene incredibilem corporis afflictationem Ioannes præseferebat: vt qui non inedia dumtaxat, verum etiam victus asperitate omnem corporis appetitionem amaram red-
[b] Lib. 1. epist. 5. deret] hucusque Isidorus ad Timotheum. Ad Nilum item scribens [b], eadem quoque habet, additque: Quocirca sic cibos & vestitum monasticæ vitæ iuxta Deum perfectæ omnibusq. numeris absolutæ in Ioanne Baptista didicimus.] Hæc cum scribat Isidorus, & nonnisi maiorum auctoritate; quid de his sentiendum sit, definiendum nobis B
non est, sed totum relinquimus lectoris arbitrio. Nam constat, Græcam dictionem ἀκρίδας, & locustam infecti genus infirmas habens alas ad volandum, & summitates herbarum significare.

XV. IOANNES AVCTOR VITAE MONASTICAE. Porro eiusmodi vitæ genere Ioannem iecisse vitæ monasticæ fundamenta, non tantum qui supra Isidorus, sed & Catholici omnes fatentur: eaq. de causa Chrysostomus
[c] Chrysost. in Marc. homil. 1. eumdem Ioannem monachorum principem nominat, cũ ait [c]: Sicut sacerdotum principes sunt Apostoli, ita & monachorum princeps Ioannes Baptista.] et iterum [d]: Con-
[d] Idem homil. de Ioan. Bapt. siderate, monachi, dignitatem vestram: Ioannes princeps vestri est dogmatis; ipse monachus, statim vt natus, in eremo viuit, in eremo nutritur.] et ad Eustochium Hieronymus [e] in hunc modum: Huius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista.] hæc ille. His cum inuideant Nouato-
[e] Hieron. epist. 22. C
res, eo deuenerunt stultitiæ, vel potius iniquitatis, vt malint corrumpere verbum Dei, & Ioannem vitæ otiosæ & delicioſæ infamare, quàm monasticam ab eo dimanasse vitam, in Ecclesia altissimis defixam radicibus, Euangelica nempe attestatione, vt subripi aut euelli nequeat, adstipulari, vel profiteri. Sed in his non immoramur diutius: quandoquidem, omnium sententia, sibilis potius & risu, quàm ampliori confutatione digni sunt: licet ad illos imperitiæ, dementiæ, ac (vt vno verbo dicam) perfidiæ summo iure redarguendos, non defuerit vigilans studium eruditissimi ac maxime pij viri Petri Canisij, ad quem, qui talia cupit, amandamus; nos interim textum ipsum historiæ Euangelicæ prosequemur.

XVI. CHRISTVS BAPTIZATVR. Cum plurimos ad se venientes Ioannes [f] exciperet, ad pietatem institueret, eosdemq. baptizaret, ac etiam de Christo, quòd venisset, illis annunciaret: venit & Iesus, & ab D
[f] Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. ipso est baptizatus. Rem gestam Matthæus [g] his verbis enarrat: Tunc venit Iesus a Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc [h] dimisit eum:
[g] Matth. 3. [h] Marc. 1. et baptizatus est a Ioanne in Iordane. Baptizatus [i] autem Iesus, confestim ascendit
[i] Matth. 3. de aqua. Et ecce aperti sunt ei cæli: et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælis dicens: Hic est filius meus dilectus,
[k] Luc. 3. in quo mihi complacui. Et [k] ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph.]

XVII. DE CHRISTI AETATE TEMPORE BAPTISMI. De tempore baptismatis Christi diuersæ admodum sunt antiquorum sententiæ. Sunt enim qui baptizatum esse dicunt, cum inciperet annum trigesimum agere, ipso E
[l] Orig. hom. 1. in Exech. [m] Hieronym. in Exech. c. 1. [n] Epiph. in Panar. hæres. 51. mense Ianuarij: id quidem Origenes [l], id Hieronymus [m], & alij. Discrepat ab his Epiphanius [n], qui hæc ait: In trigesimo Consulatu a natiuitate sua circa decimum mensem venit ad Ioannem, & baptizatus est in Iordane fluuio, trigesimo anno natiuitatis in carne, hoc est, secundum Ægyptios, Athyr mensis duodecima, ante sextum Iduum Nouembrium.] et infra: Trigesimo anno baptizatus impleuit annos vigintinouem, & menses decem (velut dixi) duodecima mensis Athyr, ante sextum Idus Nouembris.] hæc ille, intelligens nimirum Euangelistam illis verbis significare voluisse, Iesum prope esse cœpisse, hoc est, prope implesse trigesimum annum, vt sic diceretur
[o] Iren. lib. 2. c. 39. esse triginta annorum: sicut & Irenæus [o] intellexisse videtur, dum ait: Ad baptismum venit, qui nondum triginta annos suppleuerat, sed qui inciperet esse tamquam triginta annorum.]

Discrepat

A Discrepat vero Ignatius ab his omnibus: qui secundũ germanam ex Græco factam XVIII.
translationem, ad Trallianos scribens, hæc dicit: Expletis tribus annorum decadibus, vere baptizatus est a Ioanne, & triennium prædicauit Euangelium.] quam sententiam sequi Chrysostomum, & alios complures nobiles Græcorum & Latinorum auctores, immo & S. R. Ecclesiam istud ipsum profiteri; superius, cum de anno quo natus est Christus, plenissime disseruimus, exacte demonstrauimus in Apparatu; eamq. veriorem, ac merito ceteris præferendam susius diximus: ea consulat lector, qui hæc auidius cupit. quamuis enim hic opportunior videretur locus quo istæc explicanda fuissent; tamen, quoniam ad peruestigandum, quo Christus natus est, annum, in huius loci Euangelistæ interpretatione tota vis erat, illic potissimum de tempore & anno, quo
B baptizatus est Dominus, fuit agendum. Quod vero ad mensem & diem, quibus ba- DE DIE BAPTISMI CHRISTI.
ptizatus est Christus, spectat; id factum esse sexta Ianuarij, ex communi & antiqua traditione Eusebius [a] Pamphili ad Marinũ scribens testatur: confirmat hoc ipsum Hieronymus [b], ac denique omnes scriptores Ecclesiastici, vno dumtaxat excepto Epiphanio, vt vidimus: qui sicut audiendus non est, dum ait Christum natũ sexta Ianuarij, ita nec cum dicit baptizatum esse sexto Idus Nouembris, cum & eidem contradicant Ægyptij, licet de die natali Domini æque ipsi consentiant.
[a] Eusebius ad Marinum. Habetur illius fragmenta in editione Chrysostopheri post histor. Euagrij.

Locus ipse fluminis, quo Dominus voluit baptizari, remansit posteris perpetua me- XIX.
moria celebris, & virtute miraculorum conspicuus: de eo enim hæc scribit Gregorius BAPTISMI LOCVS.
Turonensis [c]: In Iordane habetur locus in quo Dominus baptizatus est. In vno etenim
[b] Hieronym. in Exech. c. 1. reflexu aqua ipsa reuoluitur, in qua nunc leprosi mundantur. Cum enim aduenerint,
[c] Greg. de gloria martyrũ c. 17. C sæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur: de publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt, sanati autem ad propria discedunt. Ipse quoque Iordanis ab eo loco in quinto milliario mari commixtus mortuo, nomen amittit.] hæc Gregorius; qui & alia multa de locis sanctis dicit a suo diacono, qui (vt ipse ait [d]) illuc peregrinatus est. De eodem hæc etiam Beda [e]: In loco, inquit, in quo Do-
[d] Idem eod. lib. cap. 1. minus baptizatus est, Crux lignea stat vsque ad collum alta, quæ aliquoties aqua
[e] Beda de locis sanct. c. 13. transcendente absconditur: a quo loco ripa vlterior, id est, Orientalis in iactu fundæ est. Superior vero ripa in supercilio monticuli grande monasterium gestat, beati Ioannis Baptistæ ecclesia clarum, de quo per pontem arcubus suffultum solent ascendere ad illam Crucem, & orare. In extrema fluminis parte quadrata ecclesia quatuor lapideis cancris superposita est, coctili creta desuper tecta; vbi vestimenta Domi-
D ni, cum baptizaretur, seruata esse dicuntur. Hanc non homines intrare, sed vndique cingere ac penetrare solent.] hæc Beda. His scilicet perpetuæ memoriæ monumentis locus ille nobilitatus est, quem Christus baptismate consecrauit, quo nobis iter ad cælum aperuit.

Postquam autem Christus Dominus noster baptizatus est a Ioanne: Tunc, inquit, XX.
Matthæus [f], Iesus ductus est in desertum a spiritu, vt tentaretur a diabolo, &c.] texit
[f] Matth. 4. enim totius rei gestæ seriem. Quod vero ad veritatem historicam pertinet: reijcitur sententia auctoris illius, quisquis fuerit, qui scripsit de Operibus cardinalibus (quod quidem opus Cypriani [g] nomine est insignitum) dum ait: Etsi re vera Christus est du-
[g] Apud Cypr. lib. de Operib. carn. cap. de ieiunio. ctus a spiritu in desertum, atque tentatus: tamen quod dicit Euangelista assumpsisse eum diabolum in sanctam ciuitatem, atque statuisse super pinnaculum templi, id non esse factum locali motu, sicut contigit Habacuc, qui de Iudæa in Babylonem delatus est; vel Philippo, cum occurrit Eunucho: sed quo modo, inquit, Ezechiel, cum
E super fluuium Cobar sederet, Hierosolymam raptus in spiritu ciuitatem ædificat & metitur, & muros & templum instaurat, hoc modo super culmen templi Christum in spiritu esse delatum.] Hæc cum dicat ille; nos libentius ceteris tam antiquis quàm recentioribus assentimur auctoribus, qui loco Christum motum affirmant.

Iam vero cum tot tantaq. de Ioanne in Iordane baptizante audirentur; Iudæi qui XXI.
erant Hierosolymis, sacerdotes & [h] Leuitas ad eum miserunt, vt interrogarent an ipse
[h] Ioan. 1. esset Christus: qui ingenue confessus est, se non esse Christum, neque Eliam, neque LEGATIO IV. DAEORVM.
Prophetam, illum scilicet a Deo per Moysen olim promissum. Existimamus hanc ipsam fuisse publicam legationem missam a Concilio seniorum, quod Synedrin appellabant, de quo ante mentionem fecimus: nam illorum muneris erat in primis de Propheta cognoscere. Post hæc vero, idem subdit Euangelista: Altera die vidit Ioannes Iesum

Universidad de Deusto
Biblioteca

sum venientem ad se,& ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic est,de A
quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. et ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Ioannes,dicens: Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.] hæc Ioannes.

XXII. Ecce quàm glorioſa coram legatis Ioannis de Chriſto confeſſio; quam illi Hieroſolymam redeuntes, ijs a quibus miſſi fuerant, retulerunt: ſed ab illis ſpretam eſſe, ea quæ poſtea contigerunt, facile demonſtrant. Sed quid poſt hæc? Non ſatis habuit Ioannes dicta atteſtatione facta de Chriſto omnes admonuiſſe Iudæos; ſed data ſibi ite- B
rum occaſione, eumdē eſſe Meſſiam, diſcipulis ſuis aperuit: qui eo audito, Ieſum ſequi
a Ioan. 1. cœperunt. rem peractam ſic deſcribit Euangeliſta [a]: Altera die iterum ſtabat Ioannes, & ex diſcipulis eius duo. Et reſpiciens Ieſum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum. Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) vbi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, &
ANDREAS ET PETRVS AD IESVM. viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo: hora autem erat quaſi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant a Ioanne, & ſecuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum Chriſtus. Et adduxit eum ad Ieſum. Intuitus autem eum Ieſus, dixit: Tu es Simon filius Ioanna: tu vocaberis Cephas: quod inter- C
pretatur Petrus.] hæc Ioannes Euangeliſta de primordijs Chriſti Eccleſiæ iam coalescere incipientis.

XXIII. De his agens Epiphanius [b], hæc ait: Neque vero de hoc quiſquam ambigens curio-
b Epiph. hæreſ. 51. ſius perſcrutetur, cum videat, quòd Andreas primus obuiam venit Ieſu, deinde Petrus, & per ipſum vocatus eſt: neque hoc ægre ferre incipiat. Occurſus enim Andreæ primus contigit, cum minor eſſet Petrus tempore ætatis: poſtea enim rurſus, quando perfecta renunciatio facta eſt, ipſe fratrem ſuum præceſſit. Inſuper autem & in hoc Deus eſt, qui nouit vocationes cordiū, & ſcit quis dignus ſit primo loco locari; & elegit Petrum, vt dux eſſet ſuorum diſcipulorum, velut omnino clare indicatum eſt.] hæc Epiphanius: qui de ætate Andreæ magis audiendus,quàm alij,qui poſtea dixerunt Petrum maiorē natu Andrea. Prælatus vero Andreæ Simon Petrus a Chriſto merito con- D
feſſionis: etenim non in renunciatione tantū,ſed & in ſummæ fidei profeſſione Simonē tum Andreæ,tum etiā ceteris Apoſtolis præſtitiſſe conſtat; vt merito ille eligeretur,qui
PETRI NOMEN. ceteris præeſſe deberet: tuncq. implendū,quod nunc tantummodo pollicetur, nempe vt Cephas, hoc eſt, Petrus, appellaretur: quod magis veritati conſentaneum videtur, quàm (quod nonnulli ſunt arbitrati) ex hoc tempore,habito reſpectu ad ea quæ de Petro Chriſtus futura præuiderat, Petrum eſſe nominatum. De ijſdem Andrea & Simo-
c Sophr. homil. de cert. SS. Petri & Pauli. ne hæc Sophronius [c] Hieroſolymitanus: Andreas cælibem vitam ducens, Præcurſoris Domini factus eſt diſcipulus. Petrus negotijs intendebat; qui vxori, & familiæ, & patris ſenio prouidebat.]

XXIV. Ex his apparet, quàm turpiter errent qui primatum putant Petro collatum, quòd
PETRVS PRÆLATVS CETERIS. ſenior ceteris eſſet. Nam quod ad hoc ſpectat, etſi non alij, certe Andreas maior ætate, E
prior in vocatione, & in perfectioris vitæ electione Petro præſtabat. ſed ſi diuini conſilij rationem humanæ menti conceſſum eſt aliquando perſcrutari; illa in Petro, quam diximus, cauſa præceſsiſſe videtur, vt princeps omnium conſtitueretur Apoſtolorum, quòd in profeſſione fidei ceteris antecelluit. Sed quod inſuper conſideratione dignum
d Paul. 1. ad Corinth. 3. & ad Epheſ. 2. exiſtimamus: hoc ipſo initio Eccleſiæ erigendæ (quæ ædificatio [d] Dei eſt) Chriſtus Dominus tantæ molis excitandæ ſapientiſſimus architectus, de primario lapide in fundamento locando ſtatim cogitans, Simoni mox dixit: Tu vocaberis Cephas.] Vox Sy-
e Hier. in Epiſt. ad Galat. c. 2. & alij. riaca [e] Latine interpretata, idem quod Petra, ſignificat; ex Græca autem lingua dicitur Petrus: nam apud illos ὁ πέτρος idem eſt quod ἡ πέτρα: ſicq. apud nos idem ſit Petrus quod Petra; nec a Petra Petrus,ſed ipſe Petra, quo nomine a Chriſto appellatus cognoſcitur; quod nūc pollicetur, cum ait: Tu vocaberis Cephas] ac ſi diceret: Tu vocaberis

Petra.

A Petra. Ex his quidem ſolida firmaq. veritate conſtantibus redarguuntur qui minus caute ſciteq. dixere, non dictum eſſe Petro, Tu es Petra: ſed, Tu es Petrus: quòd ſicet petra eſſet Chriſtus, quem confeſſus Simon, dictus ſit Petrus. Quod quamuis Auguſtinus [a] aliquando dixiſſet: tamen in retractationibus, an Petrus ipſe ſit petra, vel a petra Petrus ſit dictus, nihil definiens [b]: Quæ, inquit,duarum harum ſententiarum ſit probabilior, eligat lector.] ſed idcirco, quòd Syriacam vocem haud fuerit ipſe Africanus aſſecutus, quæ proprie petram ipſam ſignificat; quam Latinus interpres e Græco πέτρος, quod eſt petra, Petrum tranſtulit.

a Auguſt. tract. 7. in Ioan. & vlt. Item de verbis Domini ſermone 13.
b Aug. retract. lib. 1. c. 21.

XXV. PETRVS PETRA. Sed idem S. Auguſtinus in ſermone de Cathedra Petri, ipſum Petrum Petram dictum eſſe, manifeſte profitetur his verbis: Denique pro ſoliditate deuotionis Eccle-
B ſiarum, Petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meā. Petra enim dicitur, eo quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxū immobile totius operis Chriſtiani compagem molemq. contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus: Bibebant de ſpirituali, conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Recte conſortium meretur nominis, qui conſortiū meretur & operis. Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat: Dominus incrementum dat, Dominus irriguum ſubminiſtrat.] hæc Auguſtinus [c]. Ac iterum de Petro in eadem verba:
c Aug. ſerm. de ſanct. 10. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.] Dignus certe, inquit, qui ædificandis in domo Dei populis Petrus eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum [d].] Sed vt ad propoſita redeamus: nemo equidem ſibi conſtans affirmauerit,
d Aug. ſerm. de ſanct. 29.
C Chriſtum locutum eſſe Latine, vt dixerit, Petrus; ſed, quod habet Euangeliſta, Syriace, Cephas, quod eſt, Petra. at, Petrus, dixit interpres, mutans nomen femininū in maſculinum, quòd viro magis conueniens eſſet. Certe adhuc, ſi Petrus deriuatiue diceretur a petra, non Petrus, ſed Petreus potius fuiſſet Latine dicendus. Sed in re adeo perſpicua non amplius immorandum.

XXVI. SIMON CVR PETRVS DICTVS. Ceterum Cephas cum Syriace petram ſignificet; non tamen quamlibet petram, ſed quæ ſit omnium duriſſima [e], nempe cautem. Sed cur potius Dominus eum appellauit petram, quàm aliam quampiam materiam ſolidiſſimam, nempe æs, ferrum, vel
e Canſius in loc. nouis teſt. quid ſimile? id quidem non ob aliam cauſam factum eſſe apparet,niſi quia & ipſe Chriſtus petra [f] dictus eſt; vt quem ſui gregis relinqueret vicarium ſucceſſorem, eumdem
f 1. Cor. 10. ſuo nomine inſigniret. Vnde Tertullianus in hanc ſententiam [g]: Sed cur, inquit, de Si-
g Tertull. contra Mar. lib. 4. c. 13.
D mone Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ ſolidæ nomen de ſuo accommodarent. An quia & petra & lapis Chriſtus? ſiquidem & legimus eum poſitum in lapidem offendiculi, & petram ſcandali: omitto cetera. Itaque affectauit cariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto, proprius, quàm de non ſuis.] hæc Tertullianus: eadem fere Baſilius [h], atque Hieronymus [i]. et S. Leo [k] ex perſona Chriſti: Cum ego ſim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque
h Baſil. lib. 20. de pœn.
i Hieron. in Iſa. cap. 62.
k S. Leo ſerm. 3. in Anniuerſ. aſſumpt. ſuæ. vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, tua ſint mecum participatione communia. et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: ſuper hanc, inquit, fortitudinem æternum extruam templum, &c.] hæc Leo. Cum itaque Petrus petra, vt & Chriſtus petra, dicatur; hac ratione dici poteſt nomen Petri deriuatum a Chriſto, non tamen deriuatiuum nominis Chriſti. Sicq. accipe illud Hiero-
E nymi [l]: Nomen, inquit, nouum accipiet, quod ei Dominus impoſuerit, dicens ad Apoſtolum Petrum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. quod vocabulum a nomine Domini deriuauit, vt dicatur Dominicum.]
l Hieron. in Iſa. cap. 62.

XXVII. PETRVS CEPHAS. Nouerunt & hoc ipſum antiquiores Theologi, quorum nobiliſsimus Hippolytus martyr hæc ait: Princeps Petrus fidei petra,quem beatum iudicauit Chriſtus Deus noſter: ille doctor Eccleſiæ, ille primus diſcipulorum, ille qui regni claues habet, docuit nos, dicens, &c.] his nominibus exornat Petrum Hippolytus [m]. Porro ſunt ex noſtris ſcriptoribus complures, & primus omnium Optatus [n] Mileuitanus,qui nomen Cephas, non a Syra lingua, ſed a Græca ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, caput interpretantur; nec quidem reprehendendi: eiuſmodi enim interpretandi modum ab alijs nonnullis, quorum in Eccleſia Dei eſt memoria celebris, vſurpatum ſcimus, dum Hebraicam vocem in
m Hippol. de cōſum. mundi.
n Optat. lib. 2. contr. Parmen. & alij.

Græcam

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Gregor. Naz. orat. de Pascha 2.

Græcam significationem transire fecerunt. Gregorius enim Nazianzenus[a] Hebraicum A
nomen Phasę cum sciret in Pascha mutatum, aliam ex eo mysterio congruam reddidit interpretationem: vt quod in Hebræo significat transitum, apud Græcos πάσχειν interpretetur. Id ipsum cum plures alij præstiterint, hoc etiam & de nomine Christi Iu-

[b] Lact. orat. ad Gentes.

stinum[b] martyrem fecisse constat; quod & ante hos omnes sæpius factitatum a Septuaginta interpretibus, Origenes dum agit de prino & schino arboribus, scribens ad Africanum, testatur. Alia sunt de his exempla in diuina Scriptura; vt cum nomina si-

[c] Iob cap. 9. Amos c. 5.

derum non secundum voces Hebraicas, sed secundum Græcam[c] nomenclaturam sunt posita, idq. ob notiorem significationem. obseruat hoc ipsum ex Photio in quæstio-

[d] Turr. aduersus Magdeb. c. 3.

nibus ad Amphilochium Episcopum Cyzici Turrianus[d]. Vnde apposite, quod apud Syros petram solidam sonat nomen Cephæ, apud Græcos caput significat: ac sic diuina quadam dispensatione factum videtur, vt vna eademq. voce, duabus linguis, B
Petri principatus exprimeretur. Hæc iam de nomine Cephæ satis, nec quidem præter institutum: quandoquidem de obscuris vocibus interdum agere, in præfatione polliciti sumus.

XXVIII. Post hæc de vocatione Petri ab Euangelista[e] narrata, de Philippo a Christo vocato subinfertur historia: ad hunc vero Dominum hæc ipsa verba dixisse, Sequere me, &
dimitte mortuos sepelire mortuos suos] tamquam rem minime dubiam, testatur Cle-

[e] Ioan. 1.

[f] Clem. Alexan. Strom. lib. 3.

mens Alexandrinus[f]. Idem vero Philippus Nathanaelem de Christo, quòd venisset, admonuit, & ad Christum perduxit, qui & in ipsum credidit: negotium peractum

[g] Ioan. 1.

pluribus Ioannes[g] describit. Putarunt vero aliqui[h] Nathanaelem eumdem esse cum Bartholomæo, leuibus quibusdam coniecturis permoti: quibus minime assentimur, sed Augustino[i] tutius inhæremus, dum ait, idcirco Nathanaelem non fuisse a C
Domino electum inter Apostolos, quòd esset legis doctor. Post de Nathanaele recensitam historiam, quid subinde die tertia actum sit, idem Euangelista[k] eiusmodi instituit narrationem:

[h] Rupert. Abb. & Iansen.

[i] Aug. in tract. super Ioan. tract. 17. c. 1.

[k] Ioan. 2.

XXIX. Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Iesu ibi. Vocatus est
IESVS CVM MATRE AD NVPTIAS. autem & Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eũ: Vinum non habent. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcũque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, vel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factã, & non sciebat vnde esset, mi- D
nistri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit; & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.] hactenus de nuptijs: de quibus aliqua quæ ad historiæ veritatem pertinent, elucidanda proponimus. Ac primum illud occurrit: Cum eiusmodi nuptiæ, eo quòd inter edendum defecerit vinum, pauperis alicuius hominis fuisse credantur: quidnam est, quòd non secus ac si ditissimi cuiuspiam essent, ministris abundauerint, nec quicquam defuerit quod desideraretur in lautis conuiuijs, vt copia ministrorum, & qui triclinijs præesset architriclinus? Verum ad hæc intelligenda, quænam esset consuetudo Hebræorũ in parandis nuptijs, dicere opus est. S. Gaudentius[l] Brixianus Episcopus, æqualis Ambrosio, de his agens,

[l] Gaudentius tract. 9.

hæc ait: Nuptiæ apud Iudæos cum fierent, vnus (quantũ ex traditione comperimus) E
dabatur de sacerdotali ordine, qui morem disciplinæ legitimæ gubernaret, curamq. pudoris ageret coniugalis, simul & conuiuiorum apparatum, ministros, atque ordinem dispensaret, & hoc pro officio architriclinus, hoc est, triclinij præpositus diceretur.] hæc Gaudentius: vt non mireris, si rebus adeo bene dispositis, cum censor morum adesset, non Iesus tantum, qui etiam cum publicanis & peccatoribus aliquando discumberet, sed & ipsa sanctissima Virgo Dei genitrix interesset. Porro verisimili coniectura creditum est, eiusmodi nuptias fuisse alicuius qui Christo esset aliqua cognatione coniunctus.

XXX. Proditum est a nonnullis, has fuisse nuptias Ioannis Euangelistæ, qui cum duxisset vxorem, & nuptias celebrasset, tamen viso miraculo de aqua in vinum per Christũ mutata, coniugem dimiserit, ac Christum secutus fuerit. Sunt hæc omnia commenticia, ac

nuper

A nuper excogitata, cum penes antiquos Patres nulla prorsus mentio de his habeatur. Si hæc scissent veteres, quantum[a] putas negotij fecisset Hieronymo Iouinianus hæresiarcha, qui tam pertinaci animo Ioannem Apostolum & Euangelistam virginem fuisse negabat? Si hic, inquam, quoquo modo, vel per coniecturam saltem dicere potuisset, nuptias factas in Cana Galilææ fuisse Ioannis: quis thalami secreta scrutatus, Ioannem adhuc post nuptias virginẽ permansisse, confirmare valuisset? Quomodo[b] & Manichæi, qui & apocrypha quæcumque aduersus nuptias congerere soliti sunt, tam optata non sunt vsi occasione, vt ex dirempto Ioannis coniugio, Christum odisse nuptias affirmarent; non veriti & Paulum in exemplum adducere, quòd sua prædicatione Theclam, sponso oppigneratam, e nuptijs terrenis diuulserit? Certe tantũ abest vt hæc de Ioannis nuptijs illi vel saltem meditarentur, vel a Patribus qualibet alia occasione eadem

[a] Hieron. lib. 1. cont. Iouin.

[b] Aug. contra Faust. lib. 30. cap. 4.

B dicerentur; vt potius ex ijsdem nuptijs, quibus Saluator sui augustissimam præsentiam exhibuit, contrarium prorsus adstruerent atque firmarent: nimirum Christum probasse nuptiarum sacramentum, ac suamet præsentia consecrasse.

Ceterũ de cælibatu Ioannis, quòd numquã contraxerit nuptias, non Hieronymus[c] tantum aduersus Iouinianum agens, sed & Ignatius[d], non mediocris auctoritatis vir, grauissimus assertor est. Id ipsum vero non de Ioanne tantum, sed & de Iacobo quoque Epiphanius[e] testatur: quibus Augustinum[f] consentire, nemo sanæ mentis non viderit, dum ait, ea de causa Ioãnem a Christo plus ceteris amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Quòd si apocryphis interdum vti licet: apud Abdiam habetur, eumdem Ioannem Christi persuasione numquam coniu-

XXXI. IOANNES CAELEBS.

[c] Hier. contra Iouin. lib. 1.

[d] Ignat. epist. ad Philadel.

[e] Epiph. haeres. 58.

[f] Aug. in Ioan. tract. vlt. prope finem.

C gium appetijsse. Verum enim vero ne leuiter res graues attingere videamur, dicamus vnde commentũ illud de Ioannis nuptijs sit deductum, vt & intelligatur quàm parum iudicio valeant, qui talia fingunt. Augustinus in præfatione in Ioannem Euangelistam hæc habet: Iste siquidem est Ioannes, quem Dominus de fluctuaga nuptiarum tempestate vocauit, & cui matrem Virginem virgini commendauit.] hæc igitur Augustini verba in eũ sensum accipiunt isti & adducunt, quasi Ioãnes obligatus nuptijs, a Christo vocatus fuerit: non animaduertentes, sic Augustinum dixisse vocatum a nuptijs, non quòd cum vxorem duxisset, eam reliquerit, sed quòd eam prorsus non acceperit, prout idẽ ipse Augustinus in fine eiusdem operis aperte testatur, cũ his vtitur verbis: Plus amatum, quòd neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit.] nam (quod omnes sciunt) non est vxorem ducere, eam a domo parentum ad propria traducere, sed se coniugio obligare, iuxta illud[g] Comici: Pamphilus vxorem duxit.] Nec

[g] Terentius in And.

D aliud ab his de Ioanne Augustinum sensisse, exploratissimum est: nam dictum Euangelium de nuptijs explicans (quod in primis dicendum fuisset) nullam prorsus mentionem de Ioanne habuit. Sed hæc satis ad refellendam ridiculam de nuptijs Ioannis sententiam. Qua in re potius Nicephoro[h] assentiendum esset, affirmanti fuisse eiusmodi nuptias Simonis Cananæi, qui vnus ex duodenario Apostolorum numero, Zelotes est dictus. Cetèrum & Nathanael erat e Cana Galilææ, oppido (vt tradit Hieronymus[i]) posito in Galilæa Gentium.

CVIVS FVERINT NVPTIAE.

[h] Niceph. hist. lib. 8. cap. 10.

[i] Hier. in lib. de locis Hebraic.

In his nuptijs primum omnium ac perinsigne miraculum Christus Dominus operatus est, cum aquam mutauit in vinum: quod ob sui excellentiam, longe antequam fieret, Isaiæ Prophetæ fuit diuinitus demonstratum. Vnde ille Christi prædicationem,

XXXII. PRIMVM CHRISTI MIRACVLVM.

[k] Isaiæ 9. secundum interp. & Hier. ibidem.

E & aquam in vinum mutandam prophetico spiritu noscens, in hæc verba erupit[k]: Hoc primum bibe, velociter fac regio Zabulon, terra Nephtalim, & reliqui qui iuxta mare estis trans Iordanem, &c.] Epiphanius[l] id factum scribit vndecima mensis Tybi, quæ est apud nos sexta dies Ianuarij, qua die etiam Catholica Ecclesia recolit anniuersaria solemnitate tantæ rei celebritatem: quam annuis miraculis in pluribus Orbis locis illustrari consueuisse, idem auctor testatur, dum ait: Post annos triginta factum est primum miraculum in Cana Galilææ, quando aqua facta est vinum. Quapropter etiam in multis locis vsque in hunc diem hoc fit quod tunc factum est diuinum signum, in testimonium incredulis: velut testantur in multis locis fontes ac fluuij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, qua hora hauserunt ministri, & ipse dixit: Date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus de Cibyres fonte, fratres vero nostri de eo qui est in Gerasa in martyrum templo. Sed & multi in Ægypto de Nilo hoc testantur. Quare in vndecima Tybi apud Ægyptios,

[l] Epiph. har. 51.

AQVA IN VINVM MVTATVR PLVRIBVS IN LOCIS.

omnes

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnes hauriunt aquam & reponunt, tum in ipsa Ægypto, tum in multis regionibus, A &c.] hæc Epiphanius.

XXXIII. Enimvero & Plinius[a] similis rei alibi quoque fieri solitæ egregius videtur assertor, licet vnius tantum diei spatio discrepet, dum sic ait: In Andro insula, templo Liberi patris, fontem Nonis Ianuarij vini sapore fluere, Mutianus ter Consul tradit: Dioteucnosia vocatur.] hæc ille. Sed accolæ, causam quam diximus, ignorantes, Baccho hoc tribuerunt, ædificato ei templo. Apud Naxum quoque insulam fontem fuisse, ex quo nonnumquam vinum, & illud quidem suauissimum fluere consueuisset, auctor est Ctesias in suis Indicis. Vnde accidisse credimus insulam illam Dionysiada esse nominatam, siue, vt vult Plinius, a fertilitate vinearum. Sed hæc longe ante Christi tempora contigerunt, nempe quæ dicta sunt de Naxo ex Ctesia auctore; si tamen eũ fide dignum putauerimus: nã Lucianus[b], & alij complures auctores veteres commentarium eius de B rebus Indicis, vbi ea de Naxi fonte memoriæ tradidit, fabulosum existimant; mulraq. scripsisse aiunt, quæ nec ipse audierat, neque ab alio, qui vera narraret, acceperat. Quæ autem a Plinio ex Mutiano Consulari accepta, scripta sunt, satis firmiter testata videntur: claruit enim Mutianus temporibus Vespasiani, cui ad Imperiũ capessendum, cum esset Præses in Syria, maxime studuit: citat eum Plutarchus, sed frequenter ipse Plinius illi æqualis. Meminit insuper Tertullianus[c] de Lyncestis quoque in Macedonia vena vinosa, sed diuersa ab alijs nuper dictis, quippe quæ aceti potius quam vini saporem redderet; de qua Plinius[d]: Lyncestis aqua, quæ vocatur acidula, & vini modo temulentos facit.] de eadem item Seneca[e]. Ceterum de dictis fontibus, diuersis locis positis, vinum scaturientibus, nullum antiquorum, qui ante Christum vixerit, auctorem mentionem feciſſe, memini me legisse: vt plane intelligas, ea omnia virtute huiusce modi Christi miraculi facta esse. Videas ex his admirabilem quamdam capitis cũ ceteris corporis membris consensionem, nempe Christi cum Ecclesia: cum diem, quam in tantæ rei gestæ memoriam solemniter ipsa celebrat, ille his miraculis voluerit annis singulis illustrare. His similia erant illa olim fieri quolibet anno consueta miracula, dum plerisque in locis orbis Occidentalis (vt suo loco dicemus inferius) Paschali tempore, quo solemne baptisma in Ecclesia peragi consueuit, e sicco aridoq. fonte lapideo copiosæ ad baptismi vsum aquæ exundare consueuerunt: non quidem ad ipsam insinuandam diem qua baptizatus est Christus; sed quòd tunc temporis solemne baptisma in Ecclesia peragi consueuit.

XXXIV. DE TEMPORE MIRACVLI. At minime assentimur illis, qui dictum miraculum sequenti anno, ea ipsa die qua baptizatus est Dominus, factũ esse dixerunt: quòd etiam quasi auctoritate Ecclesiæ, quæ D vna cum Magorum aduentu, & Christi baptismo, idem quoque miraculum de aquã in vinum mutata recolit, firmare nituntur. Sane cũ eadem hæc tria ad ostensionem Christi virtutis facta dicãtur, non vna eademq. die singulis quibusque annis sunt peracta; sed ipsorum tantum memoriã eadem die ab Ecclesia recenseri solitam, testantur antiqui Patres; ac in primis S. Augustinus[f] his verbis: Licet de solemnitate huius diei veterum sit diuersa traditio, vna tamen sanctæ deuotionis est fides. Nam quamuis nonnulli Dominum nostrum stella duce a Magis existiment adoratum; alij asserant aquam in vinum mutasse; quidam vero baptizatum esse a Ioanne confirment: in omnibus tamen Dei filius creditur, in omnibus festiuitas est vera.] hæc Augustinus. et S. Maximus[g] in hunc modum: In hac, dilectissimi, celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici est festiuitate lætandum: ferunt enim, Christũ hodie vel stella duce a Gen- E tibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquã vertisse in vinum, vel suscepto a Ioanne baptismate, Iordanis fluenta consecrasse: sed quid potissimum præsenti hoc factum sit die, nouerit ipse qui fecit.] hactenus Maximus. Sed & hæc ipsa prius S. Paulinus[h] cecinit his versibus, agens de eadem solemnitate diei Epiphaniæ:

Qua puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi: seu qua magis illum
Iordanis trepidans lauit, tingente Ioanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus vndas.
Siue dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verso
Permutauit aquas prædulcis nectare vini.]

Auctor

[a] *Plin. nat. hist. lib. 2. c. 103. & lib. 4. c. 12.*

[b] *Lucian. in lib. quomodo histor. scrib. sit.*

[c] *Tertull. lib. de anima c. 32.*

[d] *Plin. nat. hist. lib. 2. c. 103.*

[e] *Seuec. natur. quæst. lib. 3. c. 20.*

[f] *S. Aug. serm. 27. de temp.*

[g] *S. Max. serm. de Epiph.*

[h] *Paulin. in nat. 9. S. Felic.*

A Auctor item ille, qui falso nomine Eusebij Emisseni circumfertur, re vera autem Eucherius Lugdunensis, hæc in eamdem sententiam habet: Hodie per documenta certissima Deus in homine declaratus, aquas ad salutẽ humani generis suo baptismate consecrauit: siue hæc eadem illius mirandi dies sit, qua primum in Cana Galilææ in nuptiali conuiuio aquas in vinum conuertit, &c.] Isidorus[a] etiam de Officijs ecclesiasticis sic ait: Tribus ergo ex causis hæc dies vocabulum sumpsit; siue quia baptismate Christus populis ostensus fuerit; siue quòd eo die sideris ortu Magis est proditus; siue quòd primo signo per aquam in vinum versam, multis est manifestatus.] hæc ille. Sicq. videas prædictos omnes antiquos auctores, quænam potissimum ex tribus his recẽsitis rebus insignibus acciderit, fuisse ambiguos. Quòd si certam habuissent de ijsdem Ecclesiæ auctoritatem, equidem rei veritatem certa assertione firmassent. Quod vero Dei Eccle- B sia in ea celebritate canit: Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias] idem est, ac si diceret vsitato more quodam: Hodie eius rei memoria agitur.] reperies enim Ecclesiæ phrasim eam esse, atque vsitatam dicendi consuetudinem.

[a] *Isid. de Offic. eccles. c. 20.*

Insuper irrefragabili plane id monstramus ratione firmatum, ex his quæ S. Augustinus scribit in sermone tertio feriæ sextæ Paschatis, qui est centesimus quinquagesimus quartus de Tempore: vbi hæc signa sic facta esse vno die testatur, non vt anniuersaria recurrente die miraculum de aqua facta vinum acciderit; sed quòd vno eodemq. die, nempe Dominico, a Domino editum fuerit: sic enim ait, dum admiranda Dei opera die Dominico perpetrata describit: Venerabilis est hic dies, qui Dominicus dies, & dies primus atque perfectus est, & dies clarus; in quo visa est prima lux; in quo transgressi sunt filij Israel mare rubrum siccis pedibus; & in quo pluit manna filijs in deser- C to; & quo Dominus baptizatus est in Iordane; quo vinum de aqua factum est in Cana Galilææ; quo benedixit Dominus quinque panes, & satiauit quinque millia hominum; in quo resurrexit Dominus a morte; quo intrauit Dominus in domos clausas, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum; in quo Spiritus sanctus descendit in Apostolos; & in quo speramus Dominum Iesum Christum ad iudicium venturum, &c.] hæc Augustinus.

XXXV.

Si igitur tam Christi baptismus, quàm ex aqua vinum factum miraculum, die Dominico contigit; manifeste probatur, ac in apertam deducitur consequentiam, ne- XXXVI. EODEM ANNO BAPTISMVS ET MIRACVLVM. quaquam illud eadem die post annum interlapsum accidisse, sed prorsus diuersa: nam si præsenti anno in diem Dominicum incidat festum Epiphaniæ, sequenti anno in alteram incurrat diem necesse est. Non igitur diuerso anno, sed vno eodemq. Chri- D sti baptismus, & dictum miraculum est celebratum: quod & alia multa demonstrant. Cum enim constet Dominum hoc anno post baptismum allegere cœpisse discipulos, Euangelijq. prædicationem auspicatum esse; nulla patitur ratio, vt per anni spatium nullum miraculum ediderit: nam primum illud constat coram discipulis factum esse signum, cum aquam mutauit in vinum. Rursus ex contextu Ioannis apparet, ea cuncta facta esse primo anno ab alijs Euangelistis prætermisso, quæ ipse magna adhibita diligentia, & quid diebus singulis vsque ad nuptias celebratas sit actum, ordinate digessit. Absurdum insuper sequeretur, vt nouum esset addendum Pascha: sicq. Euangelij prædicationem, contra omnium antiquorum sententiam, vltra quadriennium perdurasse, dicere oporteret. Certe Ignatij testimonio, qui eo vixit sæculo, constat Dominum in prædicatione Euangelij triennium tantum expleſſe. Sunt & mul- E ta quæ in hanc sententiam dicenda essent; sed quia hæc satis esse putamus, prætermittimus. Quod autem ad rei gestæ historiam spectat: non tacendum existimamus, locum illum Canæ Galilææ, qui tam celebri est illustratus miraculo, S. Helenam Constantini Imp. matrem nobili ecclesia ibi erecta nobilitasse, vt Nicephorus[b] auctor est: sed ea iam collapsa, excrescente aggere, locum illũ sic subtus remansisse, vt opus esset per scalã deorsum ad locum ferri, recentiores[c], qui de locis sanctis scripsere, memoriæ prodiderunt.

[b] *Niceph. hist. lib. 8. c. 30.*

[c] *Burchar. par. 1. c. 6. §. 1.*

Post nuptias celebratas, descendit Iesus (inquit Ioannes[d]) Capharnaũ ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: et ibi manserunt non multis diebus.] Post hæc au- XXXVII. tem sanctissimam Deiparam redisse Nazareth ad propria, & illic habitasse, certum est. S. MARIA NAZARETH HABITAT Nam Nazarenorum apud Matthæum[e] hic est sermo: Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria: & fratres eius, Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas: & sorores eius, nonne omnes apud nos sunt?]

[d] *Ioan. 2.*

[e] *Matth. 13.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXVIII. Interim vero, appropinquante Pascha, ascendit Iesus Hierosolymam, & facto quasi flagello de funiculis, eiecit ementes & vendentes in templo. Cumq. multa operaretur miracula, multi ea videntes crediderunt. Hæc sunt ex Ioanne summatim collecta, qui rei gestæ seriem fusius est prosecutus. At cum hæc vidissent, atque dixissent Iudæi: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?] respondit Iesus: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.] Tunc illi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?] Pari consensione omnes interpretes in eam abierunt sententiam, vt de templo quod sub Zerobabel est ædificatum, Iudæi intellexerint: quod licet aliquo interposito spatio, tamen tot annorum numero & paulo maiori constat ædificatum [a]. Sed his mirum in modum contradicere videntur quæ Iosephus [b] testatur, Herodem vetus illud templum sub Zerobabel erectum, fuisse demolitum a fundamentis, & nouum desuper ab eo ædificatum, idemq. octo annis esse absolutum: sunt hæc eius verba: Sublatis deinde veteribus fundamentis & nouis repositis, desuper templum extruebat, &c.] ostendit pluribus tam exteriores, quàm interiores templi porticus, & tam quod foris in atrio, quàm quod erat intrinsecus, ipsa penetralia, ac tandem (vt vno dicam verbo) integrum ipsum templum a fundamentis per Herodem esse excitatum. Quæ ergo causa vt Iudæi ab ædificatione sub Zerobabel facta deducere argumentum voluerint, cum illud amplius non extaret? Vel quonam modo de templo quod tunc extabat, dicere potuerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc] quod scilicet præ oculis erat: cum illud ipsum (vt idem Iosephus [c] testatur) annis octo & nonnihil supra extruxisset Herodes?

[a] Eusebius in Chronic. Ioseph. antiq. lib. 11. c. 4.
[b] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14.
[c] Ioseph. ibid.

XXXIX. Certe adeo res in angusto posita esse videtur, vt dicere alterum de duobus sit opus: vel Iosephum mentitum esse, vel Iudæos esse hallucinatos: quos quidem, cum de rebus omnibus notis agerent, & eo argumento Christi verba redarguere vellent, nulla potest esse suspicio, tam nota atque patentia esse locutos mendacia, adeo vt non a Christo tantū, vel a discipulis eius, sed a quouis e vulgo homine redargui erroris potuissent. In Iosepho ergo vacillat fides historica; atque eo magis, quòd sua ipsius sententia redarguitur: quippe qui [d] prius dixerit, cum de templo ab Herode extructo ageret, vetus templum integrum esse demolitum, & aliud nouiter constructum [e]: alibi autem, cum agit de rebus Iudæorum sub Nerone gestis, porticum Orientalem, Salomonis maximū opus, adhuc integram permansisse testetur: & certo quidem: habetur enim eiusdem mentio in Euangelio [f], & in Actis [g] Apostolorum. Sed non patitur ratio vt illi de templo Salomonis voluerint intelligere, quod longe minori annorum numero est ædificatum, scilicet annis septem, vt testatur diuina Scriptura [h]. Nos autem verius existimamus, Iudæos de templo ab Herode restituto esse locutos; fuisseq. veram eorum sententiam hoc sensu acceptam, vt cum dixerunt: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc] tempus respexerint a quo ab Herode cœptum est ædificari, ac inde vsque ad præsentem annum numerauerint annos quadragintasex. Nam quantumlibet Iosephus [i] affirmet ipsum templum octo annis fuisse ab Herode absolutum; tamē eiusdem [k] assertione certissimum est, perseueraſse ipsam templi structuram vsque ad tempus Neronis, operantibus in eo circiter octodecim millibus opificum. Sicq. illos dicere voluisse, concludendum est: Hoc opus, quod oculis cernitur, quadraginta & sex annis absolutum est, & tu in tribus diebus excitabis illud? Sed etsi hæc dicere voluerimus, nihilominus Iosephus in eo corrigendus est, quòd ait, Herodem anno decimooctauo sui regni auspicatum esse ædificationem templi: nam secundum dictum numerum quadragintasex annorum, dicere opus esset, templum cœptum esse ædificari anno decimoquinto eiusdem Regis, numerando scilicet ab Actiaca pugna, ex quo tempore annos eiusdem Herodis esse numerandos, superius diximus. Sed hæc hactenus.

IOSEPHVS SIBI INCONSTANS.
[d] Idem ibidem.
[e] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 8.
[f] Ioan. 10.
[g] Act. 3. 5.
[h] 3. Reg. 6.
[i] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14.
[k] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 8.

XL. Cum hæc Hierosolymis acta essent, Nicodemus [l] Iudæorum nobilissimus & inter illos facile princeps (nam eum Ioannes principem Iudæorum appellat) nocte venit ad Iesum, & habito cum eo sermone, ab eodem docetur mysteria fidei. Post hæc (inquit Ioannes [m]) venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudææ: et illic demorabatur cum eis, & baptizabat.] Quinam autem fuerint a Christo baptizati, ex his quæ scribit Euodius [n] Episcopus Antiochenus, facillime dignoscitur; ait enim: Christus manibus suis Petrū tantummodo baptizauit, Petrus porro Andream & filios Zebedæi, ij denique reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus, & Ioannes Theologus dictus, baptizarūt.] hæc ille.

[l] Ioan. 3.
[m] Ioan. 3.
[n] Apud Niceph. hist. lib. 2. c. 3.

BAPTIZATI A CHRISTO.

A hæc ille. Eadē de Petro a Christo baptizato testatur Clemens [a] Stromatæus; qui in quinto Hypotyposeon, Apostolicum illud exponens dictum: Gratias ago, quia neminem vestrum baptizaui] Christus, inquit, dicitur Petrū solum baptizasse; Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem; illi autem reliquos.] hæc Clemens. De baptismate Apostolorum pluribus agit Tertullianus [b], necnon Augustinus [c] aduersus eos qui negabant illos fuisse baptizatos, sed ipsos baptizasse alios tunc temporis, cum Christus baptizasse dicitur. Nam baptizandi opus a se inchoatum per suos eum perfeciſſe, omnes æque affirmant, ex Ioannis [d] sententia, qui ait, quòd Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.

[a] Apud Sophr. in Prato spirit. c. 76.
[b] Tertull. lib. de baptism.
[c] Aug. epist. 108.
[d] Ioan. 4.

XLI. Pergit post hæc Euangelista [e]: Erat autem & Ioannes baptizans in Ænnon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.] additurq. expostulatio discipulorum Ioannis de eo quòd omnes properarent ad baptismum Christi: qua
B occasione idem Ioannes egregiam iterum de Iesu, quòd ipse vere esset Christus, confessionem instituit, deq. illius exaltatione, sui vero humiliatione prædixit, multaq. alia in eius commendationem est locutus. Hæc autem cum in Ænnon iuxta Salim facta esse dicat Euangelista; de ipso loco disquirere ex instituto, operæpretium ducimus. Sanctus Hieronymus [f] ad Euagrium scribens, ac de his agens, idem esse ait Salim, quod Salem, eo quòd Hebræi vocalibus in medio perraro vtantur; putatq. Ænnon esse prope Salem iuxta Sichen, vbi olim regnabat Melchisedec: cui sententiæ & alij interpretes inhæsisse videntur.

[e] Ioan. 3.
[f] Hieron. epist. 126.

XLII. At vero quod me maxime ab hac sententia distrahit, illud in primis est, quòd Ænnon iuxta Salim ab Euangelista poni videtur in Iudæa: quo, inquit, Christus venit cū discipulis suis, & baptizabat. quod videntes discipuli Ioannis, conquesti sunt, dicentes:
C Ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.] sicq. Christum baptizasse haud longe ab Ænnon, vbi baptizabat Ioannes, aperte constare videtur; locumq. illum fuisse in Iudæa, quo venerat Iesus, Euangelista satis expressit. Porro Ænnon illud iuxta Sichen fuisse in tribu Ephraim, qui scripserunt de locis sanctis, testantur [g]. Certe fuisse in terra Samariæ locum illum, ex eodem Hieronymo [h], qui dicit Salem fuisse iuxta Sichen, satis manifestum est. Demum Samariam a Iudæa esse distinctam, & appellatione Iudææ duas tantum includi tribus quæ quondam Iudæ vocabantur, ad distinctionem Galilææ & Samariæ, aliarumq. in terra repromissionis regionum, idem auctor [i] testatur. Rursus in Sichen, alijsq. locis qui ei adiacent, nulla erant aquarum fluenta, quæ baptismo (nam his tradit Euangelista Ænnon abundasse) inseruire potuissent: puteis enim vtebātur homines regionis illius; eratq. & ibi puteus, qui & fons Iacob dictus est,
D vbi sedens Christus sermonem habuit cum muliere Samaritana. Vnde existimamus Ænnon idem esse quod Ænan (vtrumque enim nomen fontem interpretatur Hieronymus [k]) qui erat locus inter Æliam & Diospolim, vt idem Hieronymus asserit [l], qui & ait: Est & fons in supradicto Ænan loco: vnde & Ænan, id est, fontis nomen accepit.] hæc ille. Quod vero ad Salim siue Salem pertinet: non tantum idem [m] ait fuisse Salem in Sichen, vel secundum Iosephum, Salem dictam olim fuisse Hierusalem: sed eius nominis, inquit, alia villa ostenditur vsque in præsentem diem iuxta Æliam, contra Occidentalē plagam.] In eadem quoque plaga esse Diospolim ad Ægyptū vergentem, cuius nuper facta est mentio, eodē auctore liquet. Eo igitur in Iudææ loco, quòd (vt ait Euangelista [n]) aquæ multæ ibi essent, Christum atque Ioannem proxime baptizasse putamus: veniens enim Iesus in Iudæam, longe aberat a Iordane.

[g] Burchar. par. 1. c. 7. §. 25.
[h] Hieron. epist. 126. & de locis Hebr.
[i] Hieron. de loc. Hebr. sic in Act. Apost.
[k] Hieron. de loc. Hebr. & de nominib. Hebr.
[l] Idem eodem.
[m] Idem eodem.
[n] Ioan. 3.

E Si quis quærat quantum temporis manserit Iesus in Iudæa, cum dicat Ioannes quòd illic morabatur cum discipulis suis, & baptizabat: dicendum videtur, haud continuo recessisse: longiores enim illic traxisse moras, ea ratione necessario concludendū, quòd inde recedens, ac per Samariam transiens, allocutus suos discipulos, dixit [o]: Vos dicitis quòd adhuc quatuor menses sunt & messis venit.] Si ergo quatuor mensibus ante messem ex Iudæa recessit Dominus: manifestum est illic permansisse saltem vsque ad Nouembris mensem: nam certum est ex diuinæ Scripturæ auctoritate, quòd mense primo, altera die Paschæ [p], manipulum spicarum offerebat sacerdos. Vt autem inde recederet, & in Galilæam rediret, duæ ab Euangelistis causæ redduntur: quarum prior est, quòd audierat, Ioannem, qui redierat in Galilæam, ab Herode esse detrusum in carcerem: altera autem est, vt cederet inuidiæ Pharisæorum; qui cum magis Ioannem obseruarent quàm Christum, iniquo ferebant animo, quòd plures accederent ad Christi baptismū,

XLIII.

[o] Ioan. 4.
[p] Leuit. 23.

MORA CHRISTI IN IVDAEA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm Ioannis. Sed antequam de his quæ ad priorem causam spectant, agamus, monemus lectorem, nos sic res gestas Domini ab Euangelistis narratas ordine prosequi: non quòd hoc anno Domini trigesimoprimo cuncta quæ hic ponimus, facta esse affirmemus, quorum multa haud dubie in sequentem annum essent referenda. Sed hanc licet inuitos nos rationem inisse oportuit, quòd nullo alio charactere, quàm Paschatis festiuitate, annus ab anno distingui possit. Sic igitur quemque annum prædicationis Christi vsque ad eius passionem a Paschate auspicari, & in sequens Pascha producere, consultius visum est, quàm a Kalend. Ianuarij inchoantes, quid certo suo quoque anno sit factum, diuinare. Sed ad propositam narrationem redeamus.

XLIV. Postquam autem traditus est Ioannes (inquit Marcus [a]) venit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.] hæc Marcus. Sed de aduentu Iesu in Galilæam agemus inferius: nunc autem agendum de Ioanne; ac in primis quænam causa præcesserit, vt Ioannes ab Herode in vincula conijceretur: quæ sic describitur ab Euangelistis [b]: Herodes autem Tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes, adiecit & hoc super omnia: ipse enim misit, ac tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: et custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut Prophetam eum habebant.]

a Marc. 1.
b Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3. Concor. Euang. Iansen. c. 22.

XLV. De amoribus autem Herodis cum Herodiade agens Iosephus [c], in hunc modũ rem gestam describit: Herodes, inquit, Tetrarcha vxorem habebat Aretæ filiam, cum qua iam multo tempore conuixerat. Romam deinde iter faciens, diuertit ad Herodem fratrem, sed genitrice natum alia, Simonis Pontificis filia. Huius vxoris Herodiadis amore captus, quæ erat Aristobuli communis fratris filia, & Agrippæ maioris soror, ausus est de impetrando eius coniugio mentionem facere. Qua assentiente, conuenit inter eos, vt quamprimum ipse Roma reuerteretur in patriam, mulier migraret in eius domicilium. Intercessit autem & hoc pactum, vt Aretæ filiam ejciat. Post hæc Romam nauigat. Vbi postquam expediuit negotia propter quæ venerat, domum reuersum vxor, comperto quid pactus sit cum Herodiade, dissi mulanter rogat vt se mittat Macheruntem, castrum situm in confinijs regionis Aretæ subditæ, quantũ poterat celans suum propositũ. Morem gessit Herodes mulieri, putans eam nihil sensisse. Illa quæ iam ante curauerat apud Macheruntem patri suo tunc obnoxiã ad iter omnia parari, a Præfecto eius excepta, deducentibus Arabibus, magna celeritate peruenit ad ædes patris, eiq. indicauit Herodis animum, &c.] pergit agere de bello ea causa inter Herodem & Aretam conflato, deq. strage exercitus Herodis ab Areta illata: moxq. de carcere & nece Ioannis Baptistæ hæc subdit:

c Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
DE IOANNIS CARCERE ET HERODIADE

XLVI. Apud Iudæos autem fuit opinio, iusta vltione numinis deletum Herodis exercitum, propter Ioannem, qui Baptista cognominatus est. Hunc enim Tetrarcha necauit, virum optimum, Iudæos excitantem ad virtutum studia, & in primis pietatis ac iustitiæ, simulq. ad baptismi lauacrum; quod ita demum Deo gratum aiebat fore, si non ab vno tantum alterove peccato abstineant, sed animis prius per iustitiam mundatis, addant & puritatem corporis. Cumq. magni ad eum concursus essent, plebe talis doctrinæ auida: Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas defectionem aliquam pareret, quòd viderentur nihil non facturi ex eius consilio; iudicauit satius esse, priusquam aliquid noui oriretur, illum tollere, quàm rebus turbatis seram pœnitentiam agere. itaque vinctum missum in Macheruntem supradictam, illic occidi imperat: quod factum secuta est Iudæorum existimatio, ab irato Deo perditum esse Herodis exercitum.] hactenus de carceris & necis Ioannis causa Iosephus; quæ quidem non tantum quòd diuersa sit ab ea quam refert Euangelista, sed alia etiam ratione nobis non probatur. Nam si frequens populi ad Ioannem concursus inuidiam Herodis in eum concitauit: quanto magis ille solicitus fuisset post hæc, vt Christum ipsum in carcerem truderet, ad quem longe frequentior, & a remotioribus quoque

DE NECE IOANNIS.

quoque prouincijs erat accessus? Sed negligebat hæc ille, quòd sciebat hos longe esse diuersos, immo contrarios sectæ illi Galilæorum, de qua superius egimus, quæ prohibebat tributa Romanis solui.

Dum vero idem Iosephus dicit cladem illam ab Areta illatam contigisse sub Vitellio Præside; necesse est affirmare, eam post sex saltem annos a nece Ioannis accidisse, & non confestim. Nam cum L. Vitellius Consulatum gesserit vna cum Paulo Persico anno Domini trigesimosexto, ac idcirco Proconsulatum Syriæ nonnisi sequenti anno Domini trigesimoseptimo obtinuisse more maiorum potuerit, anno videlicet Tiberij vigesimoprimo; necesse est affirmare, quinquennium saltem intercessisse a Ioannis obitu vsque ad illatam ab Areta cladem sub Vitellio Syriæ Præside. Sed de Proconsulatu Vitellij suo loco agemus. XLVII.

Quod insuper idem Iosephus [a] subdit inferius de Herodiade, Herode, atque Philippo, non mediocri indiget animaduersione. Nam dum stemma Herodis recenset, ait Herodiadem filiam Aristobuli Herodis maioris filij nupsisse Herodi filio dicti Herodis maioris ex Mariãne filia Simonis summi sacerdotis, ex quo genuerit Salomen, quæ primo nupta sit Philippo Tetrarchæ, ac deinde post eius mortem Herodi filio Aristobuli, Herodis maioris filio, ex quo tres susceperit liberos, Herodem, Agrippam, & Aristobulum: ipsam vero Herodiadem, spreto primo viro, nempe Herode filio maioris Herodis ex Mariãne, ex quo genuerat Salomen, nupsisse Herodi Antipæ Galilææ Tetrarchæ. Videas hominem more suo (vt alias sæpe vidimus ac diximus) hallucinatum haudquaquam sibi ipsi constantia loqui: quippe qui, quod ad Herodiadem spectat, dicat [b] eam nuptui traditam, non Philippo Tetrarchæ (vt habet Euangelista) sed Herodi filio maioris Herodis ex alia Mariãne filia Simonis Pontificis. Mirum quidem videtur, vnde nouus iste Herodes emerserit: nam cum idem Iosephus [c] agit de testamento Herodis iterum instituto, additq. de regno Herodis maioris inter filios ipsius ex Senatusconsulto ab Augusto [d] diuiso, nulla huius Herodis facta est ab eo vmquam mentio, nec de eo habita aliqua ratio. Rursus cum dicit, filiam Herodiadis ex eodem incognito Herode genitam, nuptui traditam Philippo Tetrarchæ, insigniter errat: nulla siquidem alia legitur Herodiadis filia, nisi puella saltatrix. XLVIII.

a Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
DE HERODIS FILIIS.
DE HERODIADE
b Idem Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
c Ioseph. antiq. lib. 17. c. 3. et 10.
d Ioseph. antiq. lib. 17. c. 13.

Equidem Iosepho ceteri omnes historici contradicunt [e]; sed in primis triũ Euangelistarum scribentium res gestas suorum temporum testimonio manifesti erroris accusatur. Errare etiam videtur qui [f] dictam Herodiadem filiam fuisse Aretæ Regis Petreæ Arabiæ testatur, non Euangelistis tantum Iosepho contradicentibus, sed ceteris aduersantibus, aserentibusq. eam (quod diximus) filiam fuisse Aristobuli Herodis maioris filij. Quod vero pertinet ad Philippum virum Herodiadis, cuius Euangelistæ meminerunt; summopere ab eodem Iosepho [g] laudatur his verbis: Vir, inquit, perpetuo modestus, & amator quietis & otij. Degebat enim semper in sua ditione: quoties domo progrederetur, iter faciebat cum paucis selectis comitibus, subsequente sella, in qua sedens, solitus est iura reddere; & si quis ex occursu opem eius inuocaret, sine dilatione mox ibi sella posita residens, causam cognoscebat, aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium.] hæc Iosephus: qui & testatur eumdẽ sine liberis ex hac vita excessisse anno vigesimo Tiberij Imperatoris. Non prætermittimus dicere, locum istum Euangelistarum de Herode, quòd duxisset fratris sui vxorem, a Montanistis fuisse deprauatum: qui ad struendam hæresim de monogamia, non licere viduæ vlterius virũ ducere, vt ex Euangelio id ipsum probare possent, adiecerunt, vt perperam legerent, Herodem duxisse fratris sui defuncti vxorem, prout & Tertullianus [h], qui eamdem cum illis defendebat sententiam, legebat. Sed hæc ille, dum agit contra Marcionem Euangelium contemnentem: ceterum cum agit aduersus Catholicos, quos Psychicos nominat, in libro de Monogamia, a falsa eiusmodi citatione abstinet. XLIX.

e Hegesip. de excid. Hierosol. lib. 2. c. 4.
f Hier. in Mat. c. 14. Euseb. lib. 1. c. 13. vitiosa translatione Rufini restituta ex Christoser. lib. 1. c. 11.
PHILIPPVS LAVDATVR.
g Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.
h Tert. aduers. Marcionem lib. 4. c. 34.

Recedens autem Iesus a Iudæa, venturus in Galilæam, transiens per Samariam, peruenit ad fontem Iacob, ibiq. cum Samaritana muliere sermonem habuit: quam prius auersantem ipsius tamquam hominis Iudæi consuetudinem, paulatim instillans in aures eius verba salutis, ad veritatis cognitionem pedetentim, ac denique ad meliorem frugem perduxit. rem gestam fusius describit S. Ioannes [i] Euangelista. Cur autem tam infensi hostes inter se essent Iudæi ac Samaritani, causam breuiter recensebimus, quam tum Regum Iudæ sacræ historiæ, tum etiam Iosephus perpetuis mo- L.

SAMARITANORVM ET IVDAEORVM CONCERTATIONES.
i Ioan. 4. Concord. Euan. c. 23.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 4. Reg. 17. 18. Ioseph. antiq. lib. 9. in fine.

numentis testatam reliquerunt. Anno igitur [a] sexto Ezechiæ Regis, Salmanazar Rex Assyriorum expugnauit Samariam, transtulitq. filios Israel in Assyrios; numerant hūc annum ab origine mundi, secundum Hebraicam veritatem, ter millesimum ducentesimum vigesimum septimum, ab Vrbe condita annum duodecimum. Porro regionem illam Assyriorum colonis tradidit habitandam. Accidit autem prodigium, vt ijdem paulatim a leonibus absumerentur: et quando nullum ad eam cladem auertendam poterat inueniri remedium: ratus Rex id mali illis accidere, quòd alterius legis essent ab illis qui inde captiui ducti sunt; misit illuc vnum ex sacerdotibus Iudæorum, qui captiui in Assyria detinebantur, vt illos Dei legem edoceret, optimisq. institueret disciplinis. Coloni tamen sic leges Iudaicas didicerunt, vt nequaquam Gentiles ritus desererent, dedisceretq. superstitiones quibus hactenus vti consueuerant. Post hæc vero [b] Sanaballath a Dario Rege missus Samariam, in monte Garizim templum ædificauit, quod factum est ab origine mundi anno ter millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, ab Vrbe condita quadringentesimo decimo septimo, Olympiadis centesimæ vndecimæ anno secundo, qui & fuit Alexandri Magni annus secundus. Etenim occasione schismatis inter Iudæos oborti, quod hactenus intentatum fuerat, persuasione schismaticorum Iudæorum templum illud fuit nouiter excitatum. Nam Manasses frater Iaddi summi Pontificis, cum filiam Sanaballath, feminam alienigenam (quod Iudæis non licebat) vxorem duxisset, cogeturq. lege patria dimittere eam, defecit a Iudæis, adhærens Samaritis; augustissimumq. illud templum socero ædificandum persuasit, seq. ipsum in schismate summum Pontificem appellauit: qua occasione semper inter Samaritas & Iudæos agitata est de religione controuersia: adeo vt non tantum in Palæstina, vbi vtrique populi agerent, mutuo ea de causa digladiarentur quotidie; sed quibusuis in locis ijdem reperirentur, easdem inter se lites assidue exercerent. Quid autem inter Iudæos & Samaritas gestum sit, cum eius rei altercatio Alexandriæ penes Iudices ex partium consensu ad hoc delectos haberetur; vt rem memoria dignam a Iosepho [c] conscriptam, proprijs eius verbis referre, æquum duximus; ait enim:

b Ioseph. antiq. lib. 11. c. 7. 8. Euseb. in chron.

DISSIDIA IVDAEORVM CVM SAMARITIS.

c Ioseph. antiq. lib. 13. c. 6.

LI.

Apud Alexandriam inter Iudæos & Samaritas, qui sub Alexandro Magno Garizitani templi religionem induxerunt, seditio est orta de sacris ipsorum, ita vt res ad Regis cognitionem peruenirent: dum Iudæi contendunt iuxta Moysi præscripta, Hierosolymorum templum esse legitimum, Samaritæ vero Garizitanum: prouocatumq. est ad Regem & amicorum eius confessum, vt ab eis causa audiretur; & vtrius partis causidici succumberent, morte mulctarentur. Patrocinabatur Samaritis Sabbæus cū Theodosio, Hierosolymitanis Iudæis Andronicus Messalami filius: iuraueruntq. per Deum & Regem, quòd ex lege probationes allaturi essent: et rogauerunt Regem, vt necaret eum qui iusiurandū non seruasse deprehenderetur. Itaque Rex, multis amicis in consilium adhibitis, consedit causam auditurus. Iudæi vero, qui Alexandriam habitabāt, valde erant soliciti pro defensione iurium Hierosolymitani templi, ægre ferentes antiquissimi & nobilissimi templi auctoritatem in discrimen vocari. Sed cum Sabbæus & Theodosius concessissent Andronico, vt prior diceret: orsus ex lege approbare eius sanctitatem & religionem, ostendens per continuam Pontificum successionem sacerdotij vsque ad sua tempora propagationem, & ab omnibus Asiæ Regibus maiestatem eius loci honoratam donarijs; Garizitani vero, ac si omnino nullum esset, numquam ab eis habitam rationem: his & talibus rationibus persuasit Regi, vt decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moysis conditum, Sabbæum vero & Theodosium addiceret supplicio. Atque hæc sunt quæ Alexandrinis Iudæis acciderunt tempore Ptolemæi Philometoris.] hæc Iosephus.

ALTERCATIO DE TEMPLO.

LII.

Porro tantum abfuit, vt Samaritæ sapientissimi Regis sententiæ acquiescerent, ac primas templo Hierosolymorum deferrent, vt ea de causa maiori in Iudæos odio succensi fuerint, neque vllam occasionem prætermiserint Iudæorum templi violandi, Iudæosq. lædendi: quippe qui illis temporibus, quibus præfecturam Iudææ totiusq. Syriæ Quirinus, sub quo Christus Dominus noster natus est, ageret, Hierosolymorum templum in hunc modum profanarint: In festo etenim Azymorum (inquit Iosephus [d]) quod Pascha vocamus, mos est sacerdotibus per mediam noctem aperire templi ianuas. Tunc igitur quamprimum apertæ sunt, Samaritæ quidam clam ingressi Hierosolymam, sparserunt ossa humana per porticus, & per totum templum: quo factum est, vt

d Ioseph. antiq. lib. 19. c. 3.

PERTINACIA SAMARITANORVM.

est, vt posthac sacerdotes solito diligentiores custodias agerent.] hæc ille. Iusta itaque ratione, cum Christus, Iudæus homo, a Samaritana femina aquam ad bibendum postulasset, excipiens illa de inimicitijs inter Iudæos & Samaritas conflatis, dixit [a]: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.] sed de his hactenus. Quæ quidem referre non piguit, tum ad historiam Euangelicam elucidandam, tum etiam vt sapientissimi Regis ac optimatū de re tanta, solummodo ex legitima Pontificum successione tunc data sententia, atque ex ea ratione Iudæis causa adiudicata, aduersus schismaticos & hæreticos in exēplum perpetuo permaneret: cum ex cuiusuis hominis, qui compos sit rationis, sententia, certum exploratumq. habeatur, illic esse legitimum templum, ipsam inquam Catholicam Ecclesiam, apud qtiam successio Pontificum ab eius exordio est legitime conseruata ac custodita.

a Ioan. 4.

VIS MAGNA SVCCESSIONIS.

LIII.

Quod autem spectat ad ipsum puteum Iacob, qui & fons dictus est, præsentia Domini eiusq. sessione mirifice illustratum, egregijsq. a Christianis postea monumentis nobilitatum: hæc scribit Beda [b]: Prope ciuitatem, inquit, Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, ecclesia quadrifida est, hoc est, in modum crucis facta; in cuius medio fons Iacob habetur quadraginta cubitos altus, de quo Dominus aquas a Samaritana mulierem petere dignatus est.] hæc ille. Meminit eiusdem ecclesiæ ante Bedam Hieronymus [c], cum agit de locis Hebraicis, aitq. ad latus montis Garizim positam esse.

b Beda de locis sanctis c. 15. DE PVTEO IACOB.

c Hier. de locis Hebraicis in Act. Apost.

LIV.

Cum igitur Iesus [d] apud Samaritanos ipsum benigne habentes, duos peregisset dies, & complures ex eis credidissent in eum; inde recedens, abijt in Galilæam; diuertensq. a Nazareth, testimonium perhibuit quòd Propheta in sua patria honorem non habeat. A ceteris vero Galilæis humanissime exceptus est: quippe qui viderant quæ fecisset Hierosolymis, cum & ipsi ad diem festum se illuc contulissent. Venit ergo (inquit Ioannes [e]) iterum in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus aduenisset a Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum Regulus: Domine descende priusquam moriatur filius meus. Ditit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes quia filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit. Et credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudæa in Galilæam.] hactenus Ioannes.

d Ioan. 4.

e Ioan. 4.

LV.

DE REGVLO.

Quod ad præfatæ historiæ elucidationem pertinet: non arbitror esse deceptum interpretem (quod aliqui putant) vt βασιλικὸν Regulū reddiderit potius, quàm Regium, sed legisse βασιλίσκον, cum & sic legisse noscantur antiqui Patres, qui itidem Regulum dixerunt: nec adeo antiquā lectionem conuellendam esse existimo; quantumuis sanctus Hieronymus [f] legens βασιλικὸν, Palatinum pro Regulo interpretandum putarit. Magis itaque placet, vt hic fuerit loci alicuius dominus, & ob eam causam sit Regulus appellatus. Erat enim in eadem Galilæa posita prouincia, Decapoleos dicta, quòd in ea decem essent ciuitates, inter quas vna annumerabatur [g] Capharnaum. De illis agens Plinius [h], testatur in singulis decem illis ciuitatibus fuisse singulas tetrarchias, regnorum instar, & in regna solere conferri. Hæc cum ille dicat, in eam sententiam magis adducor, vt iste sic Regulus dicatur, quòd eius loci dominus esset; sic tamen vt Tetrarchæ Galilææ Herodi Antipæ subesset, vel saltem Romano Præsidi, cui & ceteri Tetrarchæ parebant, qua ratione & βασιλικὸς recte dici potuisset, nempe quòd alteri subesset Principi: quem puto Euangelistam Regulum potius, quàm iuxta Plinium, Tetrarcham nominasse, ne dictum existimaretur de Herode totius Galilææ Tetrarcha; nec etiam secundum eumdem dixisse Regem, quòd nullus eo titulo amplius in Palæstina regnaret.

f Hier. in Isa. c. 65. in princ.

g Burchar. de locis sanctis part. 1. c. 6. 5. 6.

h Plin. nat. hist. lib. 5. c. 22.

Cum vero aduentus Iesu in Galilæam, eam causam fuisse scribant Euangelistæ, quòd Ioannes Baptista ab Herode detrusus esset in carcerē: vt vbi cœperat prædicatio Euangelicæ veritatis, ibi etiam magis ac magis coalesceret: idem Iesus, quòd cessasset Ioannes, vbi

LVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nes, vbi ille desierat, inde sibi exordiendum putauit: nimirum pœnitentiam prædicare, idq. secundum propheticum vaticinium Isaiæ, prout Euangelistæ de eadem re in hæc verba texunt historiam: Relicta[a] ciuitate Nazareth, venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim: vt adimpleretur quod dictũ est per Isaiam[b] Prophetã: Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galilææ Gentium: populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: et sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit Iesus prædicare Euangelium regni Dei, & dicere: Quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei: pœnitemini, & credite Euangelio.] Quod ad incolatum Christi Capharnaum spectat: constat quidem ibidem adeo frequenter versatum esse, vt Matthæus appellet Capharnaum ciuitatem ipsius. Quòd autem illic potius, quàm in alijs Galilææ ciuitatibus Dominus diutius egerit, ea ratio afferri solet, quòd frequentior illuc esset accessus hominum, cum tam hi qui Transamnanam habitarent regionem, quàm ceteri e longinquo mercaturæ causa eo confluerent.

a *Matth.* 4. *Marc.* 1. *Luc.* 4. *Concor. Euang. c.* 25.
b *Isai.* 9.

LVII.

Quid vero post hæc secutum sit, in hunc modum narrant Euangelistæ[c]: Ambulans autem Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me: et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.] nouerat eum Andreas ante apud Ioannem, & per ipsum idem Iesus innotuerat (vt vidimus) Petro. Sed post hæc idem pergit Euangelista: Et procedens inde pusillum, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: et statim vocauit eos. Illi autem relictis retibus, & patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum[d]. Et circuibat Iesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo. Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos.] Cum igitur Matthæus Euangelista dicat, in omnem Syriã famam de his quæ facta essent a Iesu, fuisse vulgatam: inde accidit, vt ea superioris Syriæ fines attingeret, & ad Edessæ Syriæ ciuitatis Regem Abagarum penetraret: his ille permotus, ad Iesum fertur scripsisse epistolam, quam Eusebius[e] Pamphili e Syriaca lingua in Græcam transtulit, simul cum ea quam ad eumdem Dominus Iesus Christus eidem tabellario dedit. Eas ipsas Latino idiomate donatas nos hic describemus, ac subinde de earumdem fide agemus. sic vero se habent:

c *Matth.* 4. *Marc.* 1. *Luc.* 5. *Concor. Euang. c.* 26.
d *Matth.* 4.
IOANNES ET IACOBVS SEQVVNTVR IESVM.
e *Euseb. hist. lib. 1. c. 13.*

Abagarus * Princeps Edessæ, Saluatori propitio, qui in confinijs Hierusalem in carne apparuit, S.

* Augarus, vel Agabarus

LVIII.
ABAGARI EPISTOLA AD IESVM.

Insignes illas virtutes & curationes, quæ abs te sine medicamentis, & sine herbis factæ sunt, auditione accepi. Cæcos enim (vt fama est) videre efficis, claudos ambulare; & leprosos mundas; spiritus iracundos & dæmones ejcis; eos etiam, qui diutius morbis pressi sunt, sanas; mortuos denique ad vitam reuocas. Quæ quidem cum de te audiuissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: te aut Deum esse, & e cæli fastigio delapsum: aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc ad te scripsi, magnopere precatus vt laborem ad me accedendi suscipere, huncq. quo crucior morbum curare non graueris. Etenim audio Iudæos tibi obstrepere maleuole, & velle libenter aliquo magno malo afficere. Est mihi ciuitas perexigua quidem, sed ornata sane & illustris; quæ vtrique nostrum rerum necessariarũ suppeditabit satis.] hactenus epistola. sequitur Eusebius: Ista, diuino splendore ei tũ paululum elucente, ad Iesum hoc modo perscripsit. Operæpretium est porro, epistolam, licet breuem, plenam tamen virtutis & efficacitatis, audire; quæ per eumdem tabellarium a Iesu ad illum missa fuit, cuius quidem hæc erat sententia:

Rescripta Iesu ad Abagarum Principem, per Ananiam cursorem missa.

LIX.
EPIST. IESV AD ABAGARVM.

Abagare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti. De me enim scriptis proditum est; eos qui me viderunt, in me non credere; vt hi qui me non viderunt, credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle vt ad te veniam: eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire; quas cum plene perfecero, ad eum recipi qui me misit. Quo simulac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis

meis mittam ad te, qui morbo quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi tuisq. impertiat.] hactenus Iesu litteræ, de quarum fide hæc idem auctor paulo superius: Harum rerum insigne & locuples testimonium ex tabulario Edessæ ciuitatis, id temporis a Rege gubernatæ, depromptum habes. Nam in tabulis publicis, quæ nedum veteres, sed recentes etiam res nuper ab Abagaro gestas continebant, hæc eadem in hanc nostram ætatem reseruata reperiuntur. Quare nihil commodius esse putaui, quàm ipsas epistolas a veteribus illis annalibus petitas, atque adeo ad verbum ex lingua Syriaca hoc loco citare; quæ ita vt sunt positæ, se habent.] hæc Eusebius: cetera autem quæ ipse de eodem scribit, suo loco inferius dicemus: nos vero nunc hæc recitauimus ea occasione, quòd dicatur ab Euangelista, in omnem Syriam Christi famam fuisse peruulgatam; non tamen vt dicamus hoc anno epistolam scriptam; nam dictus Princeps multa in ea recensset a Christo & in Christum facta, quæ post præsentem annum contigisse certum est.

LX.

Quod pertinet ad dictarum epistolarum fidem: eo quòd non reperiantur ab Euangelistis conscriptæ, idcirco Gelasius[a] Papa recenset illas inter apocrypha, quasi non hagiographa: non tamen vt eas ab Ecclesia omnino proscribat, sicut nec complures alios libros quos proxime recensuit. Eas vero absque aliqua dubitatione ab antiquioribus fuisse receptas, euidenter testatur epistola Darij Comitis ad S. Augustinũ scripta, in qua earumdem argumentum recenset, & ex eis ad persuadendum Augustino[b] vt sua scripta ad se mittat, exemplum adducit. Sed & ante Augustini tempora ipse S. Ephræm diaconus eiusdem ciuitatis Edessæ, in eo opusculo quod nouissimum omnium scripsit, cuius est titulus, Testamentum Ephræm, de ijsdem epistolis egregiam habuit mentionem. De his etiam agit Theodorus Studita in epistola[c] ad Paschalem Papam in fine. Extitisse integram epistolam Iesu ad Abagarum missam, adhuc temporibus Michaelis Paphlagonis Imp. qui Imperium auspicatus est anno Domini millesimo trigesimo quinto, & in honore habitam, Cedrenus tradit in suo historiarum compendio. Hæc vero non sic a nobis sunt recitata, vt apocrypha in hagiographa transferri velimus; sed tum ne quid lectorem prætereat: tum etiam ne ea quis omnino contemnenda existimet, quæ maiores complures venerati esse noscuntur.

a *Gelasius in Concil. Rom. in decreto de lib. apocryph. script.* DE FIDE HARVM EPISTOLARVM.
b *Aug. epist. 263. edit. Louan.*
c *Extat inscript. in Cod. Vat. post epist. Hormisd. Papæ.*

LXI.

Quin & ab ipso Christo sui imaginem, non arte hominis elaboratam, sed ab ipsomet summo rerum architecto & opifice Domino nostro, ad Abagarum missam post datam epistolam, a compluribus grauissimis auctoribus scriptum reperimus. Euagrius Scholasticus id testatur[d]; at non fuit ipse eius rei primus auctor: sed quoniã miracula inde prodita recenset, occasione eius rei meminit: quæ vero ab ipso scripta recitata sunt in Concilio Nicæno[e] secundo, a Patribus, vt egregie testata, fideq. digna, comprobata habentur. Quomodo autem ea imago non manufacta dicatur, Ioannes[f] Damascenus sic scribit: Historiæ quoque proditum est: cum Abagarus Edessæ Rex eo nomine pictorem misisset, vt Domini imaginem exprimeret; neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset; Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginemq. suam ei impressisse: sicq. illud ad Abagarum, vt ipsius cupiditati satisfaceret, misisse.] hæc Damascenus; nec diuersa Nicephorus[g]. De eadem præterea luculenta oratio[h] Constantini Porphyrogeniti extat, & cumulata mentio habetur in[i] Actis sanctorum Samonis & Guriæ: Græci insuper de eadem celebrant anniuersariam solemnitatem decimoseptimo Kalendas Septembris, vt constat ex eorum Menologio. At quod ad Latinos pertinet: testimonio Hadriani Papæ[k] scribentis ad Carolum Magnum, testatum habetur, eamdem de imagine ad Abagarum missa historiam cognitam & receptam esse a Stephano Papa in Concilio Romano, cuius fidei adstipulator est grauissimus. Crebra certe & insignia miracula ex eadem imagine prodita eius rei veritatem abunde declarant & demonstrant, quæ & recenset Euagrius[l] de temporibus Chosroes, &[m] alij. Theophanes[n] etiam auctor est, ingentes Persarum copias præsidio huius sine manu factæ imaginis, quam secum in acie duxisset Philippicus dux sub Mauritio Imp. esse penitus profligatas. Sed de his opportunius suis locis agemus. Nunc ad institutam de Christi rebus gestis Euangelicã historiam reuertamur, a qua, occasione famæ de operibus Christi per omnem Syriam peruulgatis, paululum digressi sumus.

d *Euagr. histor. lib. 4. c. 26.*
e *Nicen. Cõc. 2.*
f *Io. Damasc. de fide Orthod. lib. 4. c. 17.*
g *Nicepb. hist. lib. 2. c. 7.*
h *Apud Metaph. die 20. Augusti.*
i *Apud eũd. 15. Nouẽb. in vita S. Alexij.*
k *Hadr. ad Carol. Magn. epist. extat tom. 3. Conc. nouæ edit.*
l *Euag. hist. lib. 4. c. 26.*
m *In Actis prædict. sanct. apud Metaph.*
n *Apud histor. Miscell. lib. 17.*

Cum ergo Dominus noster Iesus Christus (vt vidimus) prædicationem auspicans, LXII.

eam-

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Matth. 4. Marc. 3.
b Luc. 5.
Cæcor. Euang. Iansen. c. 20.
DE PISCATIONE PETRI.

eamdemq. signis ac miraculis pluribus illustrans, Galilæã peragraret, fama rerum vbique peruulgata : Secutæ sunt eum (inquit Matthæus[a]) turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Hierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem. Tunc[b] factum est, cum turbæ multæ irruerent in eum, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naues stantes secus stagnũ : piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum e terra reducere pusillum. Et sedens docebat de nauicula turbas. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam : rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens : Exi a me Domine, quia homo peccator sum. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus : Noli timere : ex hoc iam homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.]

LXIII. Considerationе quidem dignum esse videtur, quòd diuina Sapientia, quæ in terra apparuit, & cum hominibus in carne versata est, quæ & in sui dispositione non fallitur, singulari quadã prouidentia erga Petrum esse propensior visa est : quippe quæ ipso primo intuitu eumdem admirabili nomine illo, vt Cephas, hoc est, petra, diceretur, insigniuit. Post inde concionaturus ipse Iesus ad populum, non in alteram, cum duæ essent naues in littore, sed in eam quæ ipsius Simonis erat, ascendit, quam pro pulpito habuit ad docendas turbas : eamdemq. mox in altum iubet duci, & ingenti piscium multitudine onerari voluit : his scilicet tamquam quibusdam lineamentis adumbrans quæ postmodum in Ecclesia futura erant : nimirum stabiliendam primum fore Ecclesiam super petram, quæ Christo primario lapidi firmiter inhærens, nulla posset vmquam concussione conuelli. Sed alio signo eadem Ecclesia rursus naui comparatur, quòd turbinibus mundi huius esset exposita, ex qua Christus vniuersum populum docturus esset. Petro insuper, nec alij imperatum vt ducat in altum, & laxet retia in capturam : eiq. tantummodo datum, vt tantam multitudinem piscium rete concluderet ; quòd futurum esset, vt Catholicæ Ecclesiæ, quasi nauis, Petrus vti princeps clauum teneret, necnon calcaret altas huius sæculi vndas, & verbi Dei prædicatione omnes gentes per se, vel alios, in Ecclesiam adduceret : hæc enim symbolice facta esse, Dominus declarauit, cum dixit : Ex hoc iam homines eris capiens.]

LXIIII. DE LACV GENESARETH.
e Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 22.

At quoniam de Genesareth lacu frequens incidit mentio in Euangelio : operæpretiũ duximus, illum ex Iosepho descriptum ob oculos ponere ; sic enim ille ait[c] : Lacus Genesar a terra continente appellatur : quadraginta vero stadijs in latitudine patens, centumq. in longitudine, aquæ dulcis est, atque potabilis. Palustri enim crassitudine tenuiores habet latices ; & vndique in littora & arenas desinens, purus est, ac præter hoc temperatus ad hauriendum : et fluuio quidem siue fonte lenior est ; semper autem frigidior, quàm lacus diffusio patitur, manet : æstiuisq. noctibus eius aquæ sub diuo perflatæ nequaquam æstibus cedunt : id enim facere indigenis moris est. Varia autem sunt in eo piscium genera, ab alterius loci piscibus tam sapore, quàm specie discreta : mediusq. fluuio Iordane secatur.] hæc Iosephus de lacu. Quod autem spectat ad regionis vbertatem & pulchritudinem, hæc addit[d] : Ad Genesar vero lacum, eiusdem nominis terra prætenditur, natura simul & pulchritudine admirabilis : nullum enim ipsa proubertate sua negat arbustum, totamq. plantis consueere cultores. Cæli vero temperies etiam diuersis aptissima est : nuces enim, quæ arborum maxime frigoribus gaudent, infinitæ floreſcunt : vbi etiam palmæ, quas nutrit calor æstiuus : has iuxta ficus & oleæ, quibus aura mollior destinata est : vt naturæ magnificentiã hanc esse quis dixerit, vim adhibentis, vt in vnum conueniant inter se repugnantia, anniq. temporum contentionem bonam, velut singula peculiari studio terræ fauerent : non enim solũ nutrit præter opinionẽ poma varia, sed etiam seruat, egregia quidẽ, & quodammodo regnantia. Vuas sane & caricas sine intermissione decem mensibus suggerit, ceteros vero fructus anni spatio

d Idẽ ibidem.

A spatio seneſcentes. Nam præter aeris lenitatem, fonte quoque irrigatur vberrimo, qui Capernaum ab indigenis appellatur : eum nonnulli venam esse Nili fluminis opinantur, quòd similes coracino Alexandrino generat pisces. Longitudo autem regionis, secundum littora cognominis lacus, triginta stadijs extenditur, & latitudo viginti.] hactenus de ea regione Iosephus.

Porro non fons tantum, sed & ab eo denominatum erat oppidum Capharnaum ; eiq. proxima ad secundum lapidem erat Corozain, vt tradit Hieronymus[a]. Erat & in eius lacus ripa Tiberias, sic dicta (vt superius meminimus) a Tiberio, in cuius honorem ab Herode Tetrarcha est ædificata ; vbi primo fuisse vicum nomine Chephira, idem testatur[b]. Denique ab eodem oppido Tiberiadis, factum est, vt & ipse lacus appellatus sit Tiberiadis. Erat ibidem ad ripam ipsius Bethsaida oppidum, quod Herodes nomine Iuliæ, Cæsaris filiæ, Iuliam nuncupauit. Sed de his supra. LXV.

a Hieron. de locis Hebraicis.
b Idem de locis sanctis.

B Sub idem tempus ingressus Iesus Capharnaum[c], diebus sabbati in synagoga docebat populum, ibiq. dæmoniacum curauit, inde socrum[d] Simonis Petri, & multos alios ægrotos ac dæmoniacos. exibantq. dæmonia a multis, clamantia, & dicentia : Quia tu es filius Dei. sed ipse increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Inde exeuntem comitatus est Simon, & alij qui cum eo erant. At requirens eum turba cum inuenissẽt, non sinebat inde recedere. Sed ille alijs se oportere regnum Dei prædicare testatus, Galilæam peragrans, docebat in synagogis, & eijciebat dæmonia. Vniq.[e] ex Scribis, cum se sub eius disciplina professurum iactaret, dixit : Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos : filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Alteri autem, vt se sequeretur, imperauit, nec sepultura patris voluit retardari. LXVI.

c Marc. 1. Luc. 4. Iansen. Cæcor. Euang. c. 29.
d Marc. 1. Luc. 4.
RES GESTAE IN GALILAEA.
e Matth. 8. Luc. 9.

C Alteri insuper nec domum reuerti permisit. Ascendens[f] inde in nauiculam vna cum discipulis suis, cum sero esset, somno se dedit : magna vero tempestate agitante nauiculam, excitatus ab illis, imperauit vento & mari, factaq. est tranquillitas magna. Appulit inde ad regionem Gerasenorum, liberauitq. duos dæmoniacos de monumentis exeuntes, sæuos nimis : dæmones vero permissu ipsius in porcos se immittentes, dederunt eos in mare præcipites. quam ob causam timore perculsæ gentes regionis illius, ipsum rogauerunt vt inde recederet : qui rursus mare transfretauit, & redijt in Galilæam.

f Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

Quæ a Matthæo dicta sunt de dæmonibus atque porcis facta esse in terra Gerasenorum, apud Marcum & Lucam leguntur contigisse in terra Gadarenorum ; licet apud Matthæi Græce redditum Euangelium γεργεσηνῶν, id est, Gergesinorum, sit scriptum. Neque vero, vt putant multi, vna ciuitas tribus his nominibus dicta erat ; sed Gergesæi D dicti, sicut Euæi, Cetthæi, & Iebusæi, erant populi trans lacum Genesareth positi, quorum ciuitates ab Hebræis sunt excisæ, vt Iosephus[g] testatur, harumq. nomen tantum remansit : licet S. Hieronymus, de locis Hebraicis agens, dicat supereſſe viculum super montem, iuxta stagnum Tiberiadis, qui Gergesa dictus sit, ibiq. factum miraculum de porcis. Porro in ea Gergesæorum regione inter alias duæ erant ciuitates trans lacum Genesareth positæ : quarum altera Gadara dicta erat a tribu Gad, cui ea in sortem venit ; quæ cum a Iudæis destructa esset, Pompeius[h] in gratiam liberti sui Demetrij Gadarensis eam restaurauit : Altera diuersa prorsus ab ea erat Gerasa dicta, seu Gerasis, vt ex Iosepho[i] colligitur : nam a Gadara Gadarenses[k], & a Gerasa Geraseni dicti sunt populi. LXVII. DAEMONES IN PORCOS.

g Ioseph. Antiq. lib. 1. c. 6.
h Ioseph. de bello Iud. lib. 1. c. 5.
i Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 2.
k Ioseph. de bello Iud. lib. 5. c. 3.

At quod pertinet ad dæmoniacos qui dicuntur exijsse de monumentis, sic accipe. E S. Epiphanius[l] cum agit contra Ebionæos, de Gadara ciuitate, dicit fuisse prope ipsam tumbas, sepulchra scilicet, in speluncis quæ erant in petris excisæ, ac desuper structæ : illicq. præstigiatores dæmonũ inuocationes exercuisse tradit. Idem auctor agit de balneis, aquis calidis scilicet, quæ erant in Gadareno agro, ad quas erat frequens accessus. Ad eas potius quàm ad lacum Genesareth porcos esse mersos, conijci potest, eo quòd locus ille impudicitijs & illusionibus dæmonum esset expositus : sic enim idem Epiphanius ait : Proficiscuntur ad Gadara, ad aquas calidas, quo loco singulis annis conuentus celebratur. Accedunt enim vndiquaque qui lauare volunt ad dies aliquot, morborum videlicet deponendorum gratia : id quod diabolicum est stratagema. Vbi enim miracula a Deo facta sunt, ibi aduersarius pernicioſa sua retia ponere anticipauit : nam viri & feminæ illic lauantur, &c.] Subdit de muliere Christiana perpulchrum exemplum, quòd signi Crucis virtute liberata sit a lasciuo iuuene sibi arte dæmonum illudente. LXVIII. DE GADARA.

l Epiph. cont. Ebion. hæres. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dente. Meminit & Strabo [a] de aquis Gadarenis in hunc modum: In agro etiam Gadareno est aqua quædam pessima ex lacu: qua degustata, pecora pilos, vngues, & cornua amittunt.] A

[a] Strabo lib. 16.

LXIX. Fuisse autem dictas aquas calidas ad radicem montis, super quem erat Gadara ciuitas ædificata trans Iordanem, contra Scythopolim & Tiberiadem ad Orientalem plagam, tradit S. Hieronymus: licet [b] ipse dicat porcos in stagnum Genesareth esse præcipitatos. Quòd si prior sententia magis placeat, nulli faciat dubium quòd dicat Euangelista eos esse in mare præcipitatos: quandoquidem penes Hebræos, quantumlibet parua aquarum congregatio, mare dici consueuit; vnde & in diuina Scriptura habes mare æneum, vas in templo ad sacerdotum vsum aquam continens. Nunc vero quod ad suariam artem pertinet: cum populi illi essent Iudæi, illicite illam exercuisse putantur: adeo enim sues apud Iudæos in abominatione erant, vt nec eos suo nomine Iudæi nuncupare dignarentur: Iosephus [c] enim cum nefanda dicit animalia, porcos intelligit. Porro ad suppeditandam annonam Romanis militibus, certum est, sicut & in alijs prouincijs, in Palæstina sues ali consueuisse: ea de causa & multa suarijs concessa priuilegia [d] leguntur. B

[b] Hier. de locis Hebraicis.
[c] Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 1.
[d] Cod. Theod. de suar.

LXX. Rediens Iesus in Galilæam inferiorem, Galilæam inquam Minorem dictam (nam alia Gentium nominata est Superior [e], seu Maior, & regio Transamnana) [f] iterum venit Capharnaum: Quo cum venissent Pharisæi & legis doctores ex Galilæa, Iudæa, & e ciuitate Hierusalem, essentq. in domo sedentes, & turba foris vndique circumsusa, desuper per tegulas paralyticum demittunt ante illum: qui eum sanauit, reprehensis prius Pharisæis de his quæ in ipsum corde meditabantur. Humilem plane fuisse domum illam, in quam ascendentes vectores paralytici, aperto tecto, per tegulas eum deorsum intulerunt, satis est etiam argumento, quòd Iudæorum sublimiores domus non essent imbricibus tegulisq. contectæ, sed solaria haberent desuper pauimento constrata; in quibus manere ac deambulare liberum esset, cum haberent circumcirca repagula ex legis præscripto hæc iubentis [g]: Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente illo, & in præceps ruente.] Sic & Dauid, refert diuina Scriptura [h], deambulasse in solario domus suæ, & Bethsabeā lauasse itidem se in suæ domus solario. Ex his etiam facile rem accipias, quid sit quod Dominus dixit [i]: Qui fuerit in tecto, ne descendat.] Quòd autem per tegulas paralyticus demitteretur, fidei ardore factum commendatur, cum alioqui maximo vitio verteretur in domum alienam submitti per tegulas: quod Antonio obiecit Cicero in secunda Philippica. Sed prosequamur cetera. C

[e] Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 2.
[f] Matth. 9. Marc. 2. Concord. Euäg. cap. 39.
DOMVS IVDAEORVM QVALES.
[g] Deut. 22.
[h] 2. Reg. 11.
[i] Luc. 17.

LXXI. Post hæc autem idem Dominus Matthæum Publicanum sedentem ad telonium vocans, se sequi iussit: qui & sumptuosum illi conuiuium, in quo discubuit ipse Iesus cum discipulis suis, simulq. multi Publicani & peccatores, parauit. Cumq. Pharisæi redarguerent Dominum, ac discipulos eius, quòd manducarent cum Publicanis & peccatoribus: breui responsione ipse Iesus instituit apologiam, dicens non esse opus sanis ac bene valentibus medico, sed his qui male se habent. Sane quidem tam ex his quæ hic habentur, quàm etiam ex plerisque alijs locis Euangelij constat, penes Iudæos, Publicanos fuisse malæ existimationis homines. Vnde & cum alias a Zachæo [k] Publicanorum principe exceptus esset Dominus, de eo murmurabant Pharisæi, quòd apud hominem peccatorem diuertisset. et ipse Iesus, de incorrigibili peccatore dum loquitur, ait: Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.] Rursumq. parabolā dicens [l] de Pharisæo & Publicano in templo orantibus, illum in his quæ foris sunt, iustum hominem, hunc autem peccatorem repræsentare demonstrat. Tertullianus [m] existimauit Publicanos omnes fuisse Gentiles: quem S. Hieronymus [n] redarguens, ait: Vehementer admiror Tertullianum in eo libro quem de Pudicitia aduersus pœnitentiam scripsit, & sententiam veterem noua opinione dissoluit, hoc voluisse sentire, quòd Publicani & peccatores, qui cum Domino vescebantur, Ethnici fuerint, dicente Scriptura: Non erit vectigal pendens ex filijs Israel. quasi vero & Matthæus non ex circumcisione fuerit Publicanus; & ille, qui cum Pharisæo in templo orans, oculos ad cælum non audebat erigere, non ex Israel fuerit Publicanus, &c.] hæc Hieronymus. D E

DE PVBLICANIS.
[k] Luc. 19.
[l] Luc. 18.
[m] Tertul. lib. de pudicitia.
[n] Hieron. epist. 146.

LXXII. Sed quinam fuerint Publicani; e loco vnde sumpserunt originem, interpretatio sumenda est. Iurisconsulti, qui Romanorum leges sunt interpretati, illos dixere esse Publicanos,

A blicanos, qui vectigalia a fisco conducunt: id Vlpianus [a] & Caius [b] affirmauerunt; addit Marcianus [c], non tantum horum fuisse munus, vectigalia a subditis, verum etiam professionem ab illis exigere: Huius quidem muneris functio apud Romanos honestissima erat, vt quæ nonnisi equestris ordinis nobilibus Romanis conferri soleret. quod ex his accipies. Scribit Cicero [d] ad M. Brutum de Terentio Varrone, quòd se in Publicanorum societatem contulerit: quod, inquit, homo versatus in vtrisque subsellijs existimauit honorem honestissimū.] Idem in oratione pro Plancio, cum agit de Publicanorum ordine, hæc ait: Qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continetur, &c.] Rursus etiam idē scribens ad Q. fratrem de regimine præfecturæ Asianæ, plura habet de dignitate Publicanorum, & quantū prosint Romanæ Reipubl. pluribus differit, additq. nomen Publicanorum non tantum Iudæis, sed & Græcis fuisse infensissimum ac plane inuidiosum.

[a] l. 1. ff. de Publican.
[b] l. 16. ff. de verb. sign.
[c] l. vlt. ff. de Publican.
[d] Cic. epist. famil. lib. 13.

QVI FVERINT PVBLICANI.

B

Mittebantur hi in prouincias ad vectigalia exigenda; qui ex ijsdem prouincijs homines, quos eidem muneri adscriberent, sibi eligebant [e], qui item Publicani dicebantur; cuius ordinis Matthæus erat, & Zachæus dictus princeps Publicanorum, qui dicebatur Hebraice Gabbe, ceteri vero Publicani [f] Gabbain, vnde fortasse deductum nomen Gabella. Verum in Hebraico textu Euangelij S. Matthæi, quod peruetustum habetur, Publicanos Parisim inuenimus appellatos, quod est proprium nomen illorū latronum qui maceriam vel sepes dissipant, vt ad furandum atque prædandum pateat aditus. Eo etiam nomine vtitur Hieremias [g], dum ait: Numquid ergo spelunca latronum facta est domus ista?] quod Hebraice, loco Latronum, habet, Parisim. Latronum ergo nomine Publicanos Iudæi appellabant, quòd libertatis asylum viderentur effringere, atque ad seruitutem aditum aperire. Hac ergo de causa ab illis ijdem habebantur infames, atque vna cum ceteris turpibus personis a magistratibus publicis arcebantur: nam apud Thalmudistas [h], vbi agitur de Iudicum reiectione, inter alios infames, quos ab ea functione excludebant, Publicani nominati erant. Cur autem eo nomine notati essent, nulla alia subest causa, nisi quòd Iudæi, genus Abraham ex libera, liberos se esse profiterentur, nec quicquam alijs debere, nisi decimas Deo; legeq. statutum esse, ne esset vectigal pendens ex filijs Israel. Vnde quantumlibet inuiti ad vectigal & tributū pendendum adigerentur, nefas tamen execrandumq. existimabant Iudæos a contribulibus suis ad id Romanis præstandum compelli, cum illud nomine Imperatoris ab illis exigerent. His accedit, quòd (vt Suidas scribit ex Iamblicho) ob duras acerbasq. exactiones, nomen Publicanorum erat inuisum; additque: Vita Publicanorum aperta est violentia, impunita rapina, negotiatio nulla ratione constans, inuerecunda mercatura.] hæc de Publicanis apud Suidam.

[e] l. 1. §. qui. ff. de Publican.
[f] Canin. de locis noui testam.

PVBLICANI PROVINCIALES.

[g] Hier. 7.

C

[h] Canin. de locis noui testam.

D

LXXIII.

Sed iam ad Euangelicam historiam redeamus. Post hæc vero [i] rogatus Iesus ab Archisynagogo vt filiæ suæ in extremis laboranti succurreret, abiens obuiam habuit mulierem, quæ annis duodecim sanguinis fluxum passa, tactu fimbriarum vestimenti eius curata est; quæ quod fecerat, & quod a Christo acceperat, palam confessa est. hæc pluribus Euangelistæ; nos historiam cunctis notam summatim collegimus. Ambrosius hanc mulierem fuisse Martham Mariæ sororem, in libro quem de Salomone scripsit, sentire videtur, cum hæc ait [k]: Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha, dum dæmones pellit ex Maria, dū corpus rediuiui spiritus calore constringit; & quod mors sibi vindicauerat ad pœnam, lux denuo recepit ad vitam, &c.] At vero quæcumque illa fuerit mulier nobilissima æque ac ditissima, tanti non immemor beneficij, ne illud aliquando memoria hominum excideret, egregio monumento testatū posteris omnibus cupiens, æneis simulacris tam Iesu quàm sui effigiem referentibus, rei gestæ memoriam futuris sæculis in perpetuū commendandam voluit. Quamobrē non est quod dici possit, eam fuisse Martham Mariæ & Lazari sororem Iudæam feminam: cum non liceret vllo pacto Iudæis simulacrum cuiusuis quauis occasione formare.

[i] Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. Concord. Euäg. c. 34.
[k] Ambros. in lib. de Salom. c. 5.

DE MVLIERE CVRATA A FLVXV SANGVINIS.

E

Quod vero spectat ad statuas ab hac fieri iussas; rem credo nemini ignotam sic breuiter describit Eusebius [l], dum de Cæsarea Philippi, quam Phœnices Paneada vocabant, agit his verbis: Sed quoniam in huius ciuitatis mentionem incido, operæpretium arbitror historiam hoc loco citare, quæ digna plane videtur, quam memoriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem illam sanguinis profluuio afflictatā, quam

LXXV.

[l] Eusebius hist. lib. 7. c. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE STATVA AENEA CHRISTO ERECTA.

sanctorum Euangeliorum testimonio a Saluatore nostro morbi remedium inuenisse A
cognouimus, ex ea ciuitate oriundam, illiusq. domum ibi ostendi, & admirabilia quæ-
dam Saluatoris in eam beneficij monumenta & quasi trophæa ad hoc tempus durare
memorant. Pro foribus enim domus illius æneam mulieris effigiem genibus flexis, &
manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis, super editum lapidem col-
locatam: huic e regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vesti-
tu ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem: ad cuius pe-
des in ipsa basi peregrinam quamdam & inusitatam herbæ speciem enasci: quam qui-
dem, vbi ad æneci vestitus fimbriam excreuerit, morbi cuiusque generis medicandi
vim & facultatem habere. Hanc statuam effigiem Iesu exprimere dicunt: quam ad
nostram vsque ætatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec plane mirum, eos qui ex Gentilibus prognati, a Saluatore, dum inter ho- B
mines viuebat, beneficijs affecti fuissent, ita fecisse: cum & nos Petri & Pauli Apo-
stolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conser-
uatasq. aspexerimus; idq. propterea, sicut verisimile est, quòd maiores nostri ad Genti-
lis consuetudinis similitudinem quàm proxime accedentes, eos qui tamquam Saluato-
res illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidij attulissent, apud se honore
ad hunc modum afficere consueuerant.] hactenus de his Eusebius. Porro recenset
[a] Ioan. Damasc. de imag. orat. 3. Ioannes Damascenus [a] ex Chronico Ioannis Antiochiæ Episcopi cognomento Malalæ,
supplicem libellum oblatum Philippo Tetrarchæ Trachonitidis regionis, vt de bene-
ficio quod acceperat, liceret in perpetuum eius rei monumentum erigere statuas. Sed
cum in multis eius scripti fides vacillet, & compluribus scatere mendacijs cognosca-
tur; indignum putauimus his nostris chartis intexere. Qui locum cupit, habet nume- C
rum citatum in margine, qui facile indicet.

LXXVI. Itaque iam Euangelicam narrationem pro instituto prosequamur. Curata a sangui-
[b] Matth. 9. Marc. 5. nis fluxu muliere, mox de morte filiæ Archisynagogi nuncij venerunt [b]: at nihilomi-
nus Christus in domum eius se contulit: vbi ingentem de puellæ morte luctum excita-
tum, ipsosq. tibicines ad hoc vocatos, vt lugubre canerent, reperit. Morem quidem
[c] Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 15. fuisse Iudæorum ad luctum tibicines adhibere, ex Iosepho [c] etiã facile cognosci potest,
dum ait: Luctus ducis publicus erat: et hi quidem hospites, alij propinquos, amicos
alij, nonnulli etiam fratres flebant, Iosephum autem vniuersi, adeo vt per dies triginta
numquã lamenta in ciuitate cessarent, magnaq. mercede conducerentur tibicines næ-
TIBICINES EX IVDAEORVM MORE. niarum.] hæc Iosephus. Verum id equidem non ex diuinæ legis præscripto, sed potius
more Gentilium, tam Latinorum, quàm Græcorum: nam in funere nobilium æneato- D
res & tibicines adhiberi solitos, docet Seneca in Ludo Claudij, Plutarchus de consola-
tione ad vxorem, & alij complures. Erat eorum Romæ frequentior vsus, vbi (vt do-
[d] Valer. lib. 2. c. 5. nu. 4. [e] Gell. lib. 5. c. 7. cet Valerius [d]) tibicines tecto capite, nempe personati, sonare consueuerant; nam &
personam a personando Gellius [e] dictam tradit. Hinc est, puto, quòd in compluribus
antiquis sepulchris marmoreis personæ patentibus buccis habentur insculptæ. Nisi po-
tius dignius est existimare, eiusmodi imagines sic ab illis in sepulchris effigiari solitas,
quòd essent hieroglyphicũ animarum, quæ absque lumine apud inferos detinentur: sic
enim defunctorũ animas eiusmodi facie, instar personæ, effingi solitas, auctor est Orus
Apollo antiquissimus scriptor in Hieroglyphicis. Ceterum non tantũ funebre carmen,
[f] Lucian. lib. de luct. quod dicebatur nænia (vt auctor est Festus) canebatur ad tibiam: sed (vt docet Lucia-
nus [f]) ipsæ in luctu iterari solitæ pectoris tunsiones attemperabantur ad modos tibiæ. E

LXXVII. Quòd igitur in Iudæa etiam frequens esset eius rei vsus, inde erat quòd prouerbium
[g] Luc. 7. vertebatur illud apud Lucam [g]: Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentaui-
mus (*ijsdem nempe tibijs*) & non ploraſtis.] Porro cum Paulus moneat ne contriste-
mur de dormientibus, sicut ceteri qui spem non habent; tibicines nequaquam adhiberi
[h] Tertull. de coron. milit. cap. 11. soliti sunt in funeribus Christianorum: vnde Tertullianus [h]: Mortuus etiam tuba in-
quietabitur æneatoris, qui excitari a tuba Angeli expectat?] Sed historiam prosequa-
PVELLA RESVSCITATA. mur. Ingressus igitur Iesus vna cum patre & matre vbi puella mortua iacebat, appre-
[i] Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8. hensa manu eis, imperansq. puellæ, iussit surgere: quæ surgens continuo ambulauit;
cibumq. iubente Domino, ei dederunt. Cum vero Iesus, ne cui hæc dicerent, monuis-
set eos; fama tamen rei gestæ in vniuersam regionem illam effusa est. Sed hæc pluribus
[i] Euangelistæ.

Subdit

A Subdit Matthæus [a] de duobus cæcis & dæmoniaco muto curatis a Domino per- LXXVIII.
breuem historiam: quando cœperunt Pharisæi ipsum calumniari, quòd malis artibus [a] Matth. 9.
dæmones eijceret, nimirum non virtute Dei, sed principis dæmoniorum. Hic incipiũt
calumniæ Pharisæorum aduersus Christum: hicq. merito finem imponimus præsenti
anno primo prædicationis Christi, neque illum Consulibus (vt diximus) modo meti-
mur; quippe qui certo sciamus, maiorem partem rerum gestarũ in Galilæa, quas nar-
rauimus, contigisse ipso initio anni sequentis trigesimisecundi Christi Domini: nam
(quod diximus) vsque ad mensem Nouembris saltem mansit Dominus hoc anno in Iu-
dæa. Sed cum non sit certum quid quo die vel mense factum. [illegible] rationem eam
in annis Christi prædicationis recensendis, vt primum annum, quem propterea acce- ANNVS ACCEPTABILIS QVI.
B ptabilem prædixit Isaias, quòd prædicatio tempore illo facta, ab omnibus acciperetur,
his Christi rebus gestis concludamus more maiorum termino Paschatis, & pacifico sta-
tu Euangelicæ prædicationis. De eodẽ enim anno scribit hæc Epiphanius [b]: A baptis- [b] Epiph. in Panar. lib. 1. tit. 2. prope fin. & hær. 51.
mo Ioannis Iesus prædicabat annum acceptabilem, ita vt nemo ipsi contradiceret, ne-
que Iudæi, neque Græci, neque Samaritæ, neque quisquam alius: deinde vero con-
tradictionem sustinens, prædicauit annum secundum, & facti sunt anni decem & no-
uem eiusdem Herodis, Saluatoris vero trigesimussecundus.] hæc ille. Sane quidem
etsi aliqua leuis interfuit contentio Pharisæorum cum Christo hoc primo anno prædi-
cationis eius, non fuit tamen eius generis, vt inimicitiæ graues oborirentur, & quære-
rent eum perdere, quod sequenti anno fecerunt: cuius iam aggredimur ex Euangelistis
acceptam atque in breue compendium perstrictam narrationem, incipientes a Pascha-
te sequentis anni: nulla enim alia aliqua ratione quis primus, quisve secundus, vel ter-
C tius sit annus prædicationis Christi, nisi distinctione diuersorum Paschatum, posse di-
scriminari, certum est.

IESV CHRISTI ANNVS 32. TIBERII IMP. ANNVS 16.

ANno igitur Domini trigesimosecundo, Longino & Quartino Consulibus [c], cum I.
adesset dies [d] festus Iudæorum, Pascha scilicet; venit Iesus Hierosolymã, & lan- [c] Suet. in Tib. c. 65.
guentem hominem annis triginta octo excubantem in probatica piscina, Bethsaida * [d] Ioan. 5.
dicta, sanauit: quod quidem quomodo peractum sit, enarrat Ioannes; qui idcirco acta * Bethasda
D superioris anni maiori ex parte prætermisisse visus est, quòd cum nouissimus omnium SECVNDVM PASCHA.
scriberet Euangelium, quæ ab alijs tribus Euangelistis essent abunde narrata, repetere
non curauit; quæ vero prætermissa vidisset, ipse suppleuit; eo enim consilio in scriben- [e] Hier. de script. Eccles. c. 9.
do Euangelio vsum fuisse, testatur S. Hieronymus [e]. Sed iam quòd multi [f] dictũ diem [f] Ioan. Chrysost. & Cyril. Alex. & alij eos secuti.
festum fuisse Pentecosten sunt interpretati; nulla sane ratione id posse dici cognoscet,
qui exactam temporis rationem habuerit. Si enim ad superioris anni Pascha Dominus
veniens, Hierosolymis non ante mensem Decembris comperitur recessisse (id enim pa-
tens est ex verbis Domini inde recedentis, & per Samariam transeuntis, dicentisque:
Vos dicitis: Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit] quæ Paschali tempore, quo
offerebatur spicarum manipulus, adesse consueuerat) certe cum Hierosolymam ad
diem festum iterum redijsset, plane perspicuum est, id minime contingere potuisse nec
E Pentecoste, nec etiam festo Tabernaculorum illius anni, quæ iam elapsa essent. Porro
de festo Paschatis Ioannem intellexisse, Irenæus [g] egregie testatur his verbis: Post hæc, [g] Iren. lib. 2. c. 40.
inquit, iterum secunda vice ascendit in diem festum Paschæ in Hierusalem, quando pa-
ralyticum, qui iuxta Natatoriam iacebat triginta octo annos, curauit, iubens vt surge-
ret, & tolleret grabatum suum.] hæc ille.

Curato ægroto, excitantur turbæ in Iesum a Pharisæis, ea nimirum ex causa (dicit II.
Euangelista [h]) quòd sabbato, quo illum curasset, grabatum tollere iussisset, & præ- [h] Ioan. 5.
terea suum Deum dixisset: quamobrem de eo interficiendo cogitare cœperunt, quantumuis [i] Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6. Concord. c. 3.
Iesus apud ipsos de rebus a se bene gestis insignem apologiã instituisset. Quod quidem
odium noua ex causa iterum refricatur, magisq. ac magis exasperatur: nimirum quòd DE SABBATO VIOLATO QVERELA PHARISAEORVM.
sabbato [i] secundo-primo, Iesu transeunte per sata, esurientes eius discipuli spicas vel-
lentes, ac manibus confricãtes, triticũ ex illis purgatũ comederent: quamobrẽ indignati

Universidad de Deusto
Biblioteca

sunt Pharisæi, quòd id illi facerent in sabbatis. Cum enim tunc segetes fuisse maturas insinuet Euangelista, fuisse etiam tempus Paschæ interpretes omnes affirmant; immo id contigisse septima Paschatis, quæ & sabbatum dicebatum, multi [a] existimarunt: verũ cum in his diebus parare quæ ad cibum pertinent, lex [b] diuina minime prohiberet; non potuit ea de causa negotium factum esse discipulis, quòd spicas vellentes, inde sibi cibum captassent. Vt igitur Pharisæi aliquo prætextu iustitiæ, eo nomine illos reprehendere potuissent: vel oportuit eos id fecisse, antequam manipulus spicarum offerretur in templo, lege [c] prohibente ex segete aliquid edi ante oblationem manipuli (fiebat idem altera die sabbati, nempe secunda azymorũ) vel ipsos id egisse die sabbati, nim irũ septima hebdomadis die, qua nec quæ spectarent ad victum, parare [d] liceret. Qu amobrem cum eam diem sabbatum appellet ex sabbato, vel sabbatũ Μυεσοσαββατον, secundo primum, seu sabbatum sabbatorum: magis placet quod Isidorus Peluſiota [e] de hac re consultus scribit ad Isidorum diaconum: nimirum illam fuisse diem, quæ post primã azymorum mox sequitur, sicq. dictũ sabbatum secundo primum, seu sabbatum ex sabbato: adhuc insuper, quòd eadem dies incidisset in sabbatum hebdomadariũ, duorum festorum coniunctione dictum esse sabbatum sabbatorum. Huic igitur Isidori sententiæ, ac diuersas causas afferentiũ; cum id ipsum sensisse videatur Epiphanius, dicens [f]: Post factam azymorum diem, & definitam sabbati diem, in sabbato ex natura, quod post azymorum diem in sabbatum computatum fuit, inuenti sunt transeuntes per sata, & euellentes spicas, &c.] hæcq. ipsa aliqua saltem ex parte affirmasse visus sit Ioannes Chrysostomus [g], qui tradit sabbatum ex sabbato festum fuisse duplex, nimirum quòd vna cum sabbato hebdomadario aliqua alia festiuitas iuncta esset; hacq. de causa reprehensos a Pharisæis, quòd id egissent (vt Euangelistæ dicũt) in sabbatis. Consentit his & Suidas [h], dum ait fuisse eam diem secundam Paschatis, quam tamen nominat primam azymorum. At hæc de his satis. Vetus hæc est quæstio, de qua obiter Hieronymus [i] rogans Gregorium Nazianzenum, lepida ab eo tergiuersatione elusus est.

SABBATVM EX SABBATO.

a Epiph. haref. 31. & alij.
b Exod. 35.
c Leuit. 23.
d Exod. 12.
e Isid. lib. 3. epist. 210.
f Epiph. haref. 30.
g Chrysost. in Matth. hom. 40.
h Suidas verb. σαββατον.
i Hieron. epist. ad Nepotian.

A
B
C

III. Quòd igitur facta hæc esse Paschali tempore, quo segetes in Iudæa matureſcere incipiunt ad messem, certum habeatur: putarunt aliqui [k] hac auctoritate, quasi nouo Paschate adinuento, quinque esse Paschata numeranda ab illo primo post nuptias celebrato: eaq. ratione affirmare sunt ausi, Christum crucifixum esse anno trigesimoquinto per tres menses inchoato. Sed hæc repugnare multis, suo loco, cum agemus de passionis Christi tempore, pluribus demonstrabimus: interea cetera prosequamur.

k Epiph. in Panar. haref. 30. contra Ebion. & haref. 51. Chrysost. homil. 40. in Matth.

IV. Reuersus [l] post hæc Iesus e Hierusalem in Galilæam, alia die sabbati est ingressus in synagogam: cumq. Scribæ & Pharisæi iunctis animis obseruarent an in sabbato curaret, ipse inuentum ibi hominem habentem manum aridam reddidit sanitati. Huius rei gestæ historia paulo fusius recitatur in Euangelio Nazarenorum, quod S. Hieronymus de Hebræo sermone in Græcum transtulit: vbi homo iste aridam habens manũ cæmentarius fuisse scribitur, atque istiusmodi vocibus auxilium precatus: Cæmentarius erã, manibus victũ quæritans: precor te Iesu, vt mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.] hæc ex eo Hieronymus [m]. Domino vero, quòd sabbatum esset, facta est calumnia ab ijsdẽ, quòd ea die, qua operari non liceret, hominẽ curasset: idcirco exeuntes statim cum Herodianis inierunt aduersus eum consilium, quomodo eũ perderent. Quinam fuerint Herodiani, qui aduersus Christum Dominũ vna cum Pharisæis sæpe conspirasse inueniuntur, iam supra, cum de sectis Iudæorũ locuti sumus, cumulate disseruimus; vt non sit opus de ijsdem hic agere. Cũ vero in dies frequentior esset ad Christum concursus venientium non a Galilæa tantũ atque Iudæa, sed ab Idumæa Transamnana regione, & illorũ etiam qui apud Tyrum & Sidonem habitarent (Hierosolymis enim in Galilæam redierat) ne comprimeretur a turba, nauiculam parari iussit: omnes etenim vel saltem tangere eum optabant, quo ab ægritudinibus, quibus afflictabantur, sanarentur: cumq. arreptitij prociderent ad pedes eius, ac palam confiterentur quòd Christus filius Dei esset, habitantes in eis dæmones eaq. clamantes ab eo arguebantur.

l Marc. 3. Matth. 12. Luc. 6. Concor. Euang. c. 38.
DE CAEMENTARIO.
m Hieron. in Matth. c. 12.

D
E

V. Ascendens [n] deinde in montem vt oraret, elegit mox duodecim ex discipulis, vt mitteret eos ad prædicandũ; quibus & dedit potestatem curandi morbos, & eijciendi dæmonia; eosq. Apostolos nominauit. Vsitatum nomen fuit apud Hebræos, vt Apostolos illos nominarent, qui assidue versarentur cum summo sacerdote consulendi gratia, qui &

n Matth. 5. Marc. 3. Luc. 6. Concor. Euang. c. 38. 39.

A qui & ad ipsum referrent ea quæ sunt in lege; quos etiam ipse sibi legare consueuisset ad componendos optimos mores sacerdotũ, ipsas synagogas inspiciendas, prauos mores corrigendos, atque ipsos denique ministros, qui non secundũ legem vixissent, in ordinem redigendos; vt ex his colligitur quæ Epiphanius [a] de Iosepho apud Iudæos Apostolo, agens contra Ebionæos, conscribit. Perseuerauit eadẽ functio ordinis apud eosdem etiam ad tempora Arcadij & Honorij Impp. in quorum rescripto [b] de ijsdem habetur mentio, quòd mitterentur ab eorum Patriarcha certo tempore ad exigendum aurum & argentum a singulis synagogis, exactamq. summam ad eumdem reportarent. Iam vero quod ad Christi Apostolos spectat, ea de causa illos elegit Christus, vt verbi prædicatione Orbi caligine offuso lumen veritatis impartirent. Quinam vero hi fuerint, ab Euangelistis hoc ordine recensentur:

APOSTOLI ELIGVNTVR.
a Epiph. in Panar. haref. 30.
b l. 14. de Iudais. C. Theod.

B Elegit [c] Simonem, quem cognominauit Petrũ, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est Filij tonitrui: Philippum, & Bartholomæum, Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes, Iudam Iacobi, & Iudam Iscariothẽ, qui fuit proditor.] Ordinem fuisse inter Apostolos, vt scilicet ex his aliquis tamquam caput inter eos præstaret, apud omnes antiquos Patres & ceteros in confesso fuit; illumq. ipsum fuisse Petrũ, pro comperto semper ab omnibus est habitum: vnde Gregorius Nazianzenus hæc ait [d]: Vis aliud quoque ordinis ac disciplinæ exemplum in medium proferam, idq. præclarum ac laudabile, atque præsenti commemoratione atque admonitione in primis dignum? Vides quemadmodum ex Christi discipulis, magnis vtique omnibus & excellentibus & electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat? &c.] hæc ille: quibus haud discrepantia (ne singulos commemorando, tædium afferam) quotquot ab exordio nascentis Ecclesiæ Orthodoxi fuere scriptores, absque aliqua sunt ambiguitate professi. Si enim ex ordine temporis, quo quisque a Domino vocatus est, recensendus fuisset numerus Apostolorum; Andreas certe primo loco nominandus fuisset. Si etiam ætatis ea in re ratio fuisset habenda, eidem primæ fuissent deferendæ; quandoquidem (vt dictum est) Epiphanius testatur [e], Andream Petro ætate præstasse. Si denique ille primo loco ponendus fuisset, quem Iesus præ cunctis amasset: Ioannes in hoc ceteros antecellens, fuisset primus omnium numerandus. Cur itaque Petro, & non Ioanni inter Apostolos primatus delatus est? S. Hieronymus [f] agens aduersus Iouinianum, hæc ait: Propterea inter duodecim Apostolos vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio. Sed cur non Ioannes electus est virgo? ætati delatum, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens & pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur.] hæc ille. Sed de causa plenius alibi.

VI.
c Luc. 6. Marc. 3.
d Gregor. Naz. in orat. de moder. seruanda.
PETRVS PRINCEPS APOSTOLORVM.
e Epiph. haref. 51.
f Hier. contra Iouin. lib. 1.

D

Quod autem ad genus Apostolorum omnium spectat: omnes fuisse Galilæos, Angelorũ hominũq. testimonia suffragantur: illos enim simul Angeli allocuti sic dixerunt [g]: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? &c.] eadem de ipsis etiam Iudæi palam testati sunt, cum dixerunt [h]: Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt?] Ceterum Galilæis insitam a natura, Iosephus [i] testatur, animositatem quamdam, qua intrepidi semper ingentem animi vim roburq. corporis in omnibus præseferrent: Nã, inquit, & pugnaces sunt ab infantia Galilæi, & omni tempore plurimi, neque aut formido vmquam viros, aut eorũ regiones penuria occupauit, &c.] Hinc videas Petrum ingentes sumentem spiritus, solum aduersus cohortem militum intrepide gladium euaginasse, seruum Principis sacerdotum vulnerasse, longeq. his audaciora experturum, nisi verbis Domini cohibitus esset. Quod vero ad stirpem pertinet: ipsorum aliqui ex tribu Iuda, ceteri autem ex tribubus Zabulon & Nephtalim fuisse putantur, secundũ quod prædictum habetur in Psalmo [k]: Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon, principes Nephtalim.] Putantur enim, qui dicti sunt fratres Domini, ex tribu Iuda fuisse, vnde & ipse Dominus secundum carnem ducebat originem; ceteri vero, quòd in terra Zabulon & Nephtalim habitarent, ex ijsdem tribubus fuisse prognati: id S. Hieronymus [l], Theodoretus [m], atque alij complures affirmant.

VII.
APOSTOLORVM GENVS.
g Act. c. 1.
h Act. c. 2.
i Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 2.

E

k Psal. 67.
l Hieron. in Isa. c. 9.
m Theodoret. in Psal. 67.

Nec quis obijciat de duabus dictis tribubus, quòd ante [n] alias octo fuerint ductæ captiuæ [o], nec amplius postliminio sint reuersæ. Nam quantumlibet Israeliticus populus totus abactus fuerit captiuus e Palæstina; nihilominus maior fortasse numerus illorum erat, qui tunc extra eam regionẽ in diuersis mundi partibus agerent; quos libe-

VIII.
n Hier. in Isai. c. 9.
o 4. Reg. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IVDÆI PER ORBEM SPARSI.

[a] Philo de leg. ad Caium.

ros remansisse, nec captiuos adductos esse, certissimum est. Philo [a] & ipse Iudæus in A
sua legatione ad Caiũ Augustum de populo Iudæo longe lateq. per Orbem sparso hæc
ait: Hierosolymam esse metropolim non vnius regionis Iudææ, sed & multarum, pro-
pter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Ægyptum, Phœnicem, Sy-
riam tum citeriorem, tum eam quæ Cœle cognominatur, vel longius in Pamphiliam,
Ciliciam, pleraſque Asiæ partes vsque Bithyniam & Ponti sinus intimos: pari modo
Europæ Thessaliam, Bœotiam, Macedoniã, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthumq.
Peloponnesi partes præcipuas: nec tantum continentes prouinciæ plenæ sunt colonijs
Iudaicis, sed & insularum celeberrimæ, Euboea, Cyprus, Creta, ne quid dicam de
trans-Euphratensibus: excepta enim parua parte Babylonis & aliarum præfectura-
rum, omnes vrbes quæ bonum agrum habent, a Iudæis incoluntur. Itaque si exorat
mea patria tuam clementiam, præter ipsam alias ciuitates demereberis plurimas, si- B
tas in diuersis Orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterra-
neas.] hæc Philo. Sic itaque de vnaquaque tribu aliquos remansisse, nullus iure po-
terit dubitare.

IX.

[b] Hieronym. in Isa. c. 28. & in Matth. c. 10. IVDAS ISCARIOTH.

[c] Idem de nominibus Hebraicis.

[d] Angel. Can. de locis noui testamenti.

[e] Iosue 15. Hierem. 48. Amos 2.

Cum dictum sit, Apostolos omnes ex tribu Iuda, Zabulon, & Nephtalim fuisse:
existimauit tamen aliquando S. Hieronymus [b], Iudam Iscariothem fuisse ex tribu
Ephraim, esseq. Iscarioth vicum eiusdem tribus: aliquando vero putauit fuisse sic dic-
tum a tribu Issachar, quod interpretatur merces; sed tunc legendum esse Issacharioth,
idem testatur [c]. Verum magis placet, dictum [d] fuisse Iudam Iscariothem ex duobus
verbis, Is, quod interpretatur, vir, & Carioth, quod est oppidũ in tribu Iuda, de quo est
mentio in diuinis [e] Scripturis; sieq. Iudas Iscarioth, idem sit quod vir Cariothensis: a
patria enim complures reperiri denominatos viros, qui sacris litteris vel mediocriter C
imbutus est, non ignorat. Quòd vero & aliqui ex Apostolis dicantur fuisse ex tribu Iu-
da, vt fratres Domini; non impedit quin ijdem nominari potuissent Galilæi: nam &
Dominus noster, licet esset ex tribu Iuda, & natus in terra Iuda, nihilominus quòd
habitauit Nazareth, Nazarenus, idemq. Galilæus appellatus est.

X.

[f] Matth. 5. Marc. 3. Luc. 6. Concor. c. 39. PRAEDICAT IESVS ET CVRAT INFIRMOS.

Descendens [f] post hæc Dominus cum illis de monte, stetit in loco campestri: vbi co-
ram discipulis suis ac turba copiosa eorum qui conuenerant ex Iudæa, Hierusalem, ac
locis maritimis Tyri & Sidonis, vt audirent eum, & sanarentur a languoribus suis, qui
& simulac tetigerunt eum, sanati sunt; docens discipulos suos, habuit sermonem de
beatitudine; & vbinam illa esset sita, pluribus demonstrauit; in quibus item infelici-
tas versaretur, edocuit. Suos etiam discipulos dixit esse salem terræ, & lucem mundi;
his nimirum symbolicis verbis, quales esse deberent, insinuans: longioremq. adhuc D
producens sermonem, hæc admonuit, dicens: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam
Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audistis quia dictum
est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vo-
bis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fatri suo,
racha: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.]

XI.

IVDICIA HEBRAEORVM.

Hæc quidem constat Dominũ esse locutum more Hebræorum, secundũ institutam
ipsorum Rempublicam, alludentem nimirum ad diuersa iudiciorum tribunalia, quæ ibi
essent constituta. Duo enim iudiciorum genera erant apud illos; nimirum alterũ pecu-
niarũ, quod Hebraice dicebatur Mammonoth (nam & Mammona, quicquid ad pecu-
niam pertinet, dictum est) alterum Nephasoth, id est, animarum iudicium, nominaba-
tur: quæ quidem iudicia eadem erant apud eos, quæ apud nos dicuntur pecuniarum, E
& capitalium quæstionum. Porro horum iudicũ tribunalia tria erant apud Hebræos:
primum, quod dicebatur domus iudicij trium virorum, qui minores iudicabant cau-
sas: secundum, domus iudicij vigintitrium virorum, vel συνέδριον paruum, in quo ma-
iores causæ, nempe capitales, cognoscebantur: tertium vero erat septuagintaduorum
virorum, quod συνέδριον magnũ dicebatur, in quo grauissimæ agebantur causæ, illæ ni-
mirũ quæ ad summã Reipublicæ pertinerent, vt de tribu, lege, Rege, Propheta, ac sum-
mo denique sacerdote: hæc quidẽ curia tantũmodo erat Hierosolymis, ceteræ autẽ spar-
sæ in singulis tribubus. Magnũ vero conciliũ septuagintaduorũ, illud erat quod Deus
olim Moysi instituendũ mandarat, de quo & superius sermonẽ habuimus, dũ de Hero-
de egimus; qui, quòd horũ iudicio postulatus esset aliquando, excepto vno [g] Samæa,
omnes neci tradidit; sublatisq. de medio quotquot erãt ex tribu Iuda, proselytos suffecit.

[g] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17. & lib. 15. c. 1.

Ad hos

A Ad hos itaque tres iudiciorum ordines respectum Dominus habuisse videtur, dum XII.
ait: Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iu-
dicio] illo scilicet quod dicebatur paruum συνέδριον vigintitrium virorum, a quibus ca-
pitales causæ iudicabãtur. At Dominus longe sublimiorem esse suæ legis perfectionem
significans, ait: Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio] scilicet vigintitrium
virorum: adeoq. esse graue facinus fratri suo succensere, vt eiusmodi reus ad tribunal
causarum capitalium protrudi deberet, ostendit. Quòd si quid adhuc spirans contume-
liosum, dixerit fratri suo, racha; huiusmodi hominis esse adeo graue delictum, vt sit
reus concilij; videlicet a magno septuagintaduorũ virorum concilio iudicandus. Quòd
si quis adhuc addiderit scelus, vt dixerit fratri suo, fatue; tale esse delictum, quod cu-
iusuis tribunalis sententia non possit digne puniri; sed pœnis gehennæ æternis delin-
B quentem fore mancipandum denotat. Hæc de tribus iudiciorum ordinibus apud He-
bræos existentibus ex Thalmudicis a Caninio [a] sunt deprompta.

[a] Ang. Canin. de locis noui testamenti.

XIII. TRIPLEX LEGIS INTERPRETATIO.

Ex eodem etiam fonte & illud addit, fuisse apud Hebræos triplicem legis interpreta-
tionem; quarum prima diceretur auditio, secunda extensio, tertia vero parabolica. Pri-
ma vtebantur Rabbini, cum tantummodo populo explicarent historiam; cui alludens
Dominus, ait ad suos: Audistis quia dictum est antiquis, &c.] secunda, quando ipsa
historia mystice soleret interpretari vel extendi, vt & hic Dominus fecisse visus est: ter-
tia vero, cum quæ essent dicenda, parabolis inuoluerentur: quod genus non tantum
Dominum attigisse, sed eo sæpe sæpius vsum esse constat. Non prætermittimus de ra-
cha, quod ex ijsdem ille prodit; esse nimirum genus contumeliæ familiaris, cum supe-
rior quispiam inferiorem corrigere verbis solet: vt quod ibidem in exemplum duci-
C tur de Rabbino; qui cum hominem minus deuote & attente orare conspiceret, eum-
dem increpando dixit, Richa; ita enim Hebraice dicitur pro racha, quod Syriace pro-
latum est: Syros enim vti solere, a, pro, i, vt Mariam pro Miriam, Magdal pro Migdal,
idem tradit. At vero richa, seu racha, idem esse quod contemptus causa alicui paupe-
rem dicere, ex Hebraica voce egregie deducit Cornelius [b] Iansenius. In Thalmud au-
tem parte illa quæ dicitur Camma, de lege ciuili sexto capite hæc leguntur dicta a Rab-
bino quodam: Racha, quare locum tuum alteri cedis?] ac si dixisset, Vir stulte, seu igna-
ue, vel iners, aut quid huiusmodi. Sed missis his quæ magis interpretum esse solent,
reliqua prosequamur.

[b] Cornel. Iansf. Concord. Euãg. cap. 40.

XIV.

Multa cum inculcasset [c] Dominus de absolutissima Christianæ legis perfectione,
D quòd suos quammaxime a fastu Pharisæorum cuperet esse alienos, ne quid facerent
quo videantur ab hominibus, admonuit [d]: neve Ethnicis assimilarentur, qui in multi-
loquio se exaudiri putarent, compendiosam eosdem precum formulam docuit. Non
tamen ex eo inferendum vel existimandum quòd reprehenderit Dominus prolixum
psalmorum cantum: nam & in templo frequens multiplexq. erat vsus psalmorum. sed
dum ait: Quod Ethnici faciunt] ad superstitiosam illorum obseruationem alludit. vn-
de textus Euangelistæ non habet πολυλογίαν, sed βαττολογίαν, quod non simpliciter mul-
tiloquium, sed inanem sermonem demonstrat. Quam vocem interpretans Gregorius
Nyssenus [e]: Est, inquit, βαττολογία quasi linguæ volubilitas, & varius sermo, vt aliquis
Græce melius explicans dixerit τὸ νευ φλυαρία, quasi dicas, mentis efferuescentia, atque
effutitio, λήρος καὶ φλυαρία, hoc est, deliramenta & nugæ, &c.] hæc Nyssenus. Puta-
mus insuper Dominum alludere voluisse ad eam, quæ in Syria erat, idololatriam, cum
E videlicet deam Syriam circumferentes, quasi diuino quodam perciti spiritu essent, pha-
natice multa iactabant; cuius ritus meminit Apuleius [f]. Ceterum quàm pic, quàmq.
salubriter traditione Apostolorum instituta sit in Ecclesia psalmodia, opportunius suo
loco dicemus inferius.

[c] Matth. 5. Luc. 6.

[d] Matth. 6. Luc. 6. IESVS SVOS DOCET ORARE.

[e] Greg. Nyss. lib. de oratione.

[f] Apul. lib. 8. de asin. aur. prope fin. & Lucret. rer. natur. lib. 2.

XV.

Longiorem deinceps protrahens Dominus orationem, ab auaritia eosdem liberos es-
se, nec nimia solicitudine rerum temporalium detineri cupiens, multa in eam senten-
tiam coram eis disseruit; itemq. ne quemquam temere iudicarent, multas alias saluta-
res monitiones illis impartiens, admonuit: quæ singula Matthæus recenset. Inde [h] de-
scendens, leprosum curauit, eumdemq. ad sacerdotem abire iussit, vt quod deberet
ex lege, pro incolumitate munus offerret. Rediens [i] rursus Capharnaum, Centurionis
seruum paralysi laborantem restituit sanitati. Quod ad Centurionem spectat: cum
complures legiones a Romanis in diuersis prouincijs alerentur; legio sexta, quæ Ferrea

[g] Matth. 7.

[h] Matth. 8. Luc. 5.

[i] Matth. 8. Luc. 7.

cogno-

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Dio hist. Rom. lib. 55.

cognomine dicta erat, in Iudæa degere consuëuit, vt auctor est Dio[a]: cuius legionis A vnum ex Centurionibus eum fuisse existimamus, qui post hæc pro seruo suo solicitus Dominum interpellauit, cuius fides adeo insigni Domini elogio commendatur. Postmodum vero progrediens Iesus in ciuitatem Naim, filium viduæ defunctum, qui ad sepulchrum efferebatur, e mortuis reuocatum, vitæ restituit.

XVI. IOANNES MITTIT AD CHRISTVM.

[b] Matth. 11. Luc. 7. Concord. c. 47.

[c] Arnob. contr. Gent. lib. 1.

Interim Ioannes[b], qui detinebatur in vinculis, cum tam insignia ac tam præclara audisset opera Christi, duos ex discipulis suis legauit ad Iesum, vt ab eo percunctarentur & interrogarent, an ipse Christus esset: qui nullam aliam dedit responsionem, nisi vt de signis, quæ audierant ac viderant a se facta, Ioannem redderent certiorem. De frequenti miraculorũ Christi operatione hæc Arnobius[c] aduersus Gentes: Vnus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus varijs morbisq. vexatos centum, aut hoc amplius, semel vna intercessione sanabat.] Illis vero ad Ioannem redeuntibus, Iesus de eo ad populum B qui aderat, magna ac mirifica tantoq. viro dignissima prædicauit: multaq. in Pharisæos locutus, quòd spreuissent Ioannis baptismum; simulq. aduersus Capharnaum & Corozaim ciuitates, apud quas egregia esset operatus miracula, immensa mala ventura prædixit. Hæc autem omnia hic compendio descripta, pluribus narrant Euangelistæ; additq. Matthæus, post hæc Iesum laudasse Deum Patrem, quòd ea mysteria abscondisset sapientibus & prudentibus, & reuelasset paruulis.

XVII. MAGDALENA ADIT CHRISTVM.

[d] Luc. 7. Concord. Euang. cap. 48.

Subdit Lucas[d] post hæc de Simone, qui Dominum Iesum conuiuio excepit, sic dicens: Rogabat autem illum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti: et stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & C osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.] Haud facile quis ex integro rem tunc gestam assequi poterit, nisi complura quæ ad historiam pertinent, exactiori diligentia expendantur. Ex quo enim semel polliciti sumus non Ecclesiasticam tantum historiam Annalibus nostris intexere, sed & omnes quæ in eis reperiuntur difficultates pro viribus enodare: ex instituto cogimur de antiqua quæstione disserere, Nũ vna vel plures fuerint Magdalenæ: immo, An vna eademq. sit mulier, quæ hic peccatrix dicta vnxit pedes Iesu, cum illa quæ soror Lazari, Magdalena ab Euangelistis nuncupata, eiusdem Domini alias vnxit pedes & caput. Quæstionem satis prolixam, multisq. inter diserendum perplexitatibus auctam aggredimur: in qua breuitati studentes, quid veriti consentaneum sit, multipliciterq. testatum, summatim tractabimus. Scimus quidem in his peruestigandis tam antiquorum quàm etiam recentiorum scriptorum magnum D studium magnumq. laborem collocatum: vt iam non mediocris laboris sit, singula ab ijs scripta pensare, & quid certius ac quid verius dictum sit, dijudicare. At nos non tanti sumus, nec nobis tantum sumimus, vt de his supremam ferre sententiam præsumamus, vel proponamus: sed potius nostrum esse munus existimamus, vt Catholicæ sectantes Ecclesiæ vestigia, quod ipsa de ea re sensisse videatur, id ipsum vere probatum firmiterq. stabilitum relinquere studeamus. Qua in re certe non esset nobis laborandum, si quæ post tot ea de re antiquitus agitatas controuersias, ipsa Ecclesia vsu probasse videtur, Sexti & Pyrrhones (sic dixerimus eos qui de omni re dubitandi & semper contradicendi libidine quadam exagitantur) iterum in dubium reuocantes, eadem conuellere editis commentarijs non statuissent; hi scilicet[e], qui de tribus Magdalenis sententiam firmare conati sunt. Si enim (quod pluribus monstrat Tertullianus[f]) tanta est Ecclesiæ auctoritas, vt quod longioris temporis spatio dixisse vel fecisse videtur, id ipsum vt diuinitus institutum haberi debeat, satisq. sit ad conuincendos omnes hæreticos: quanto magis hæc immunitas a Catholicis probanda est, & inuiolabiliter custodienda? Sed esto: aduersus veritatem mendacium numquam præscribit. Equidem hac in re veritatem ipsam traditam non leuis vna vel alia coniectura, sed manifestissima ostendit demonstratio. Ceterum cum hæc deest, & leuibus quibusdam argumentis res agitur; aliter sentire, quàm quod probasse videtur Ecclesia, temerarium esse censemus. Sed age, rem ipsam aggrediamur.

RECEPTAM A B ECCLESIA OPINIONI INHAERENDVM.

[e] Clictoueus & Faber de trib. Magdalenis.

[f] Tertul. de præscript. aduersus haret.

XVIII. VNA AN PLVRES MAGDALENAE.

[g] Ioan. 12.

Dubitatio vetus illa fuit, An mulier, cuius hic Lucas meminit, illa ipsa sit quæ soror Lazari & Marthæ fuit, de qua scribit Ioannes[g], quòd in Bethania vnxit pedes Iesu. Rursumq. an vna eademq. sit cum illa, quæ in domo Simonis leprosi fracto alabastro effudit vn-

A dit vnguentum super caput ipsius; cuius rei gestæ historiam Matthæus[a] & Marcus[b] conscripserunt: Insuper num & ipsa sit, quæ Maria Magdalene dicta, Christi passioni præsens fuit, & vna cum ceteris ad Domini sepulchrum vnguentum attulit, cuius omnes Euangelistæ[c] meminerunt. In primis igitur, quid de his veteres scriptores senserint, opus est diligenter peruestigare, necnon quæ a recentioribus sunt appositа, examinare. Clementis Romani nomine, in libro qui inscribitur[d] Constitutiones Apostolorum, hæc verba scripta habentur: Erant nobiscum mater Domini, & sorores eius, præterea Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria soror Lazari, & Salome, & quædam aliæ.] hæc ibi: quibus distinguitur Maria Magdalene a Maria sorore Lazari & Marthæ; vt secundum hanc sententiam dicendum esset, duas fuisse Marias inter se diuersas, quæ vnxerunt Dominum. Sed vno verbo his liberari possemus, si apocry-
B phum esse librum, exciperemus. Sane quidem, si hæc dicta sunt a Clemente, quomodo ea latere potuerunt tot antiquos Patres, qui de ea re scripserunt? cum præsertim tanti auctoris præcipua fuerit auctoritas in Ecclesia: adeo vt licet eius epistola ad Corinthios scripta penitus exciderit; tamen quòd sæpius citata reperiatur, pene reuiuiscat integra in fragmentis. Certe cuilibet adiudicata causa fuisset, qui auctoritate Clementis id demonstrare potuisset.

[a] Matth. 26.
[b] Marc. 14.
[c] Matth. 27. 28. Marc. 15. 16. Luc. 24. Ioan. 19. 20.
[d] Const. Apost. lib. 3. c. 6.

XIX. NON DVAE, SED VNA MARIA.

[e] Ioan. 12.

Sed prætermisso hoc quantumuis honesto de apocryphi exceptione confugio; in primis dicimus, attestatione Ioannis[e] Euangelistæ, immo Christi, apertissime constare, vnam eamdemq. personam fuisse Mariam Lazari & Marthæ sororem cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem soror Lazari vnxisset pedes Iesu, ac Iudas ob eam causam ei esset infensus: ipse Iesus furentis discipuli audaciam reprimens, dixit: Sinite
C illam vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.] Ceterum eamdem ipsam, quæ ad vngendum corpus Iesu paratum vnguentum ad sepulchrum attulit, Marcus[f] Euangelista fuisse Mariam Magdalenam affirmat, quæ cum Maria Iacobi & Salome id officij exhibuerit: cumq. nec aliqua apud eum vel alios Euangelistas habeatur mentio de Maria sorore Lazari ad illud munus præstandum a Domino præmonstrata; cognosci perfacile potest, vnam eamdemq. fuisse Mariam, quæ vtramque obierit functionem. Quod vero spectat ad refellendam Clementis nomine suppositam auctoritatem; dicimus ab aliquo alio ea verba esse addita longe post Clementis tempora: idq. euidenti coniectura. Origenes[g] enim testatur, complures, qui ante se vixerunt, scriptores Ecclesiasticos, vnam tantum, eamdemq. fuisse mulierem, quæ sæpius Iesum vnxerit, esse professos: nec aliquem dicit extitisse, qui de pluribus sententiam adstruere ausus sit: nouit
D quippe ipse non tantum authentica scripta Clementis, sed etiam apocrypha; nam eodem ipso tractatu, alia tamen occasione, ex eiusdem Clementis Itinerario citat quamdam Petri sententiam.

[f] Marc. 16.
[g] Orig. in Matt. tract. 35.

XX. ORIGENIS POSTERIOR SENTENTIA.

[h] Theophylact. in Marc. 14.
[i] Euthym. in Matth. 26.

Primus autem auctor, qui plures, scilicet tres vel quatuor inter se distinctas feminas quæ Iesum vnxerint, ponat, fuit aliquando idem ipse Origenes, quem ex Græcis secuti sunt Theophylactus[h] atque Euthymius[i]. Verũ idem Origenes sanioris iudicij effectus, longe diuersam firmat sententiam: nimirũ vnam eamdemq. fuisse mulierẽ, quæ in domo Simonis vnxit pedes Iesu, cum Maria sorore Marthæ, ac Magdalena, quæ ad sepulchrum cum vnguento accessit. Id quippe ipse profitetur in insigni illa ac tam celebri homilia de Magdalena, in qua totius Atticæ eloquentiæ vela pandit. Reddam ipsius verba, quo hæc certius cognoscantur; sic enim ait in apostrophe ad Magda-
E lenam: Fortasse nescis an diligat te. Olim te diligebat; a Pharisæo te defendebat; a sorore tua diligenter excusabat: olim laudabat te, quando vnguento pedes eius vngebas, lacrymis rigabas, capillis tergebas: dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat, &c.] rursum in fine hæc habet: Ploret vnusquisque ad Iesum, quærat fideliter Iesum, quia non celauit quærenti se peccatrici. Discе peccator homo a peccatrice muliere, cui tamen dimissa sunt peccata sua, &c.] Ex his plane perspicue intelligitur, eumdem Origenem profiteri vnam eamdemq. esse Magdalenam, quæ vnxit olim pedes in domo Simonis, cum sorore Marthæ, atque illa quæ dicta Maria Magdalene ad sepulchrum cum vnguento accessit.

[k] Euseb. Pamphil. ad Marin.

XXI.

Post Origenem Eusebius[k] Pamphili de duabus Magdalenis ponit opinionem; cum ipse tamen nihil prohibere dicat, quin vna eademq. dicatur. Ioannes[l] Chrysostomus de his differens, duas inter se diuersas dicit fuisse mulieres quæ Christũ vnxerunt; alteram innomi-

[l] Chrysost. in Matthæum homil. 84.

Universidad de Deusto
Biblioteca

innominatam, cuius tum Lucas [a], tum alij meminerunt; alteram vero Mariam sororem Lazari atque Marthæ: confirmãs & hæc ipsa alibi distinguit [b] peccatricem a sorore Lazari, sicq. vnam eamdemq. fuisse testari videtur, quæ vnxit pedes in domo Simonis, & quæ postea vnguentũ super caput Iesu recumbentis effudit. Hieronymus [c] & ipse duas fuisse affirmare videtur, sed non eo modo quo Chrysostomus: nam cum vnam eamdemq. putat, quæ vnxit pedes, ac inde caput in Bethania; ab ea tamen esse diuersam dicit, quæ apud Lucam ponitur in ciuitate peccatrix. at dum hæc subdit verba: Nec enim poterat statim capite digna fieri meretrix] plane insinuat, se nec negare, quin & illa quæ effudit vnguentum super caput, ipsa peccatrix fuerit. Idem [d] vero ad Marcellam scribens, Mariam Magdalenam & mulierem illam peccatricem vnam eamdemq. fuisse, affirmat his verbis: Maria Magdalene ipsa est a qua septem dæmonia expulerat, vt vbi abundauerat peccatum, superabundaret gratia.] hæc ille: qui & alibi dum numerat Marias, nec recensет inter eas Mariã sororem Lazari, plane eamdem & vnam esse cum Maria Magdalene, quam quartam ponit, aperte significat. Ambrosius [e] autem non dubitat, quin eadem sit, quæ vnxit pedes & caput in Bethania: an vero eadem fuerit illa peccatrix, affirmare non audet, sed sic ait: Potest autem non eadem esse, ne sibi contrarium Euangelistæ dixisse videantur: potest autem quæstio metiri, & ex temporis diuersitate dissolui, vt adhuc illa peccatrix, ista perfectior: etsi non personam mutat Ecclesia, tamen mutat profectum.] hæc Ambrosius: qui in sua præfatione dici solita in Ecclesia, celebritatis die S. Mariæ Magdalenæ, eamdem ipsam vnamq. cum peccatrice fuisse confirmat: quod etiam demonstrat, dum recensет [f] miracula in tribus illis Martha, Maria, & Lazaro facta, dicens: Dum largum sanguinis fluxum siccat in Martha: dum dæmones pellit ex Maria: dum corpus rediuiui spiritus calore constringit.] Augustinus [g] aliquando de ea re anceps, quid certi affirmare non audet, dum sic ait: Ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est quæ pedes Domini vnxit vnguento, & tersit capillis suis, quos lauauerat lacrymis) melius suscitata est, quàm frater eius.] Idem [h] tamen dum hæc accuratius expendit, ac subtilius disputat, veram confirmat esse sententiam, vnam eamdemq. fuisse sororem Lazari cum peccatrice. Gregorius [i] istud ipsum sæpius profitetur, Beda [k] etiam, & ceteri.

[a] *Luc. 7.*
PATRVM SENTENTIAE.
[b] *Chrysost. in Ioan. homil. 61.*
[c] *Hieronym. in Matth. 26.*
[d] *Hieron. epist. 148.*
[e] *Ambros. in Luc. 7.*
[f] *Idem in lib. de Salom. c. 5.*
[g] *Aug. in Ioan. tract. 49.*
[h] *Aug. de consensu Euang. lib. 2. c. 79.*
[i] *Greg. hom. 25. 33. & in regist. epist. 186.*
[k] *Beda in Luc. 5.*

XXII.
SENTENTIA ANONYMI REFELLITVR.

At quoniam incidimus in scriptum quoddam nostri temporis hominis, cuius idcirco nomen subticemus, quòd illud nondum edidit, nec ab eo edendum putamus, qui distinguit Mariam Magdalenam ab ea quæ erat in ciuitate peccatrix; eas quibus ille nititur, rationes in medium afferre ac confutare, operæ pretium ducimus. Ad stabiliendam enim suam sententiam illud in primis conatur ostendere; peccatricem illam, cuius Lucas meminit, non fuisse Iudæam, sed Gentilem feminam: cum e contra de Magdalena exploratum habeatur fuisse Iudæam: Lex, inquit, [l] diuina præcipit, vt non sit meretrix ex filiabus Israel. porro Pharisæi legis diuinæ obseruantissimi cũ essent, haud passi fuissent filiam Israel esse quæstuariam.] Studet & id ipsum ex verbis Euangelistæ extorquere, quòd apud illum Simon dicat: Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum] quasi illud, quæ, patriam significet, & quòd esset Gentilis insinuet. Sed inania prorsus hæc sunt. Quid enim? licet lex diuina prohiberet esse meretricem in Israel; nonne eadem lex omnia peccata vetuit, & tamen nedum vulgares homines, sed nec ipsi legis custodes Pharisæi eam obseruabant; exprobrante illis Domino, ac dicente: Nemo ex vobis facit legem?] Ceterum cum nulla pœna statuta a lege aduersus Israelitas meretrices, sicut contra adulteras, reperiatur; non esse id generis crimen, quod per iudices puniretur, sed quod haberet tantummodo Deum vltorem, satis apparet: nisi dixerimus ea tantum pœna meretrices affectas videri, quòd earũ oblatio non reciperetur a sacerdotibus, prohibente hoc diuina Scriptura: quæ & mox vt prohibuit, ne sit meretrix ex filiabus Israel, subdit: Non offeres mercedem prostibuli.] Sed an non meretrices Israelitæ illæ erant, quarum causam adeo sapienter Salomon [m] iudicauit, nec vllum illis, quòd meretrices essent, negotium fecit? Certe quod ad legem diuinam spectat, facilius Iudæi passuri essent esse meretrices Israelitas, quàm alienigenas atque Gentiles: cũ ad alienigenam accedentem hominem Iudæum ab omnibus occidi posse, licitum esse videretur: nam ea de causa tantopere laudatus est Phinees, quòd Israelitam [n] cum Madianitide in lupanari cubantem aggressus, ambos confodit gladio. Rursum si non essent permissæ Israelitæ meretrices in Iudæa, inanis ea esset

[l] *Deut. 23.*
[m] *3. Reg. 3.*
MVLIER PECCATRIX EADEM IVDAEA.
[n] *Num. 25.*

legis

legis diuinæ præceptio, qua [a] prohibebatur ne sacerdos duceret vxorem meretricem, haud dubie ex feminis Israelitis: nam alienigenam ne virginem quidem fas erat habere coniugem. Ex his itaque satis constare videtur, peccatricem illã quæ vnxit pedes Iesu in domo Simonis, fuisse Iudæam mulierem; nec quicquam esse impedimento, quo minus vna sit cum Magdalena. Equidem liquido constat, quòd si Gentilis fuisset femina, Euangelistæ, quemadmodum de Chananæa, vel Syrophœnissa, vt de re inusitata loquentes, nequaquam silentio prætermisissent.

[a] *Leuit. 21.*

Adhuc obijcit, quod & alij eamdem sectantes sententiam obiecerunt: peccatricem hanc feminam, cuius meminit Lucas, habitasse in Galilæa, & quod a multis creditur, in ciuitate Naim; illam autem sororem Lazari atque Marthæ in Bethania prope Hierosolymam egisse cum suis, constare [b]. At quid volunt meretricem feminam vno loco consistere, nec in aliam regionem commigrasse: cum de his loquens diuina Scriptura [c], meretricem dicat garrulam, vagam, & quietis impatientem, nec valentem domi consistere? certe eiusmodi feminas suam patriam auersari, & alienas quærere ciuitates, quo liberius pudoris laxent habenas, nec a cognatis vel optimis amicis commoneantur, plus satis docet experimentum. Sic vt de hac, cuius maxime meminit Lucas, iure dicere possimus, a suis secessisse, atque in Galilæã commigrasse, inde vero meliorem factam ad propria redijsse: licet alia honestior causa afferri posset, vel quòd ibi nupsisset, vel quòd quippiam aliud actura in Galilæam profecta esset. Verum non indigenam, sed natam esse in Galilæa testantur; eo quòd in Galilæa sit oppidũ in tribu Nephtalim [d], Magdalel dictum, vnde Magdalenam volunt esse cognominatam. Dicere ad hæc possemus, Magdalenam dictam a Magdal [e] oppido in tribu Iuda posito, vel a Magdalo apud Ægyptum [f]. Sed concedamus ita esse denominatam a Magdalel Galilææ ciuitate: numquid eam ob causam fateri cogimur illic esse natam? cum certum sit, morem fuisse Hebræorum, a loco vbi quis habitat, nomen accipere; vt Euangelista de Domino ait, quòd Nazarenus sit appellatus, quia Nazareth habitauit.

[b] *Ioan. 11. 12.*
[c] *Prouer. 7.*
MERETRICES VAGAE.
[d] *Iosue 19.*
[e] *Iosue 15.*
[f] *Exod. 14. Hier. 44. Num. 33. & Hieron. de locis Hebraicis.*

XXIII.

Porro cum peccatrix mulier, quæ in Galilæa pedes Christi vnxit, eadem Magdalena fuisse dicatur (quòd tradant Euangelistæ [g] Magdalenam vnam ex illis mulieribus esse, quæ e Galilæa secutæ sunt Dominum, ministrantes ei) cumq. superius ostenderimus ex ipsius Domini verbis vnam eamdemq. esse sororem Marthæ & Lazari cum Magdalena quæ ad sepulchrum vnguentum attulit: iam satis constare videtur, peccatricem feminã, Mariam Magdalenam, atque sororem Marthæ, vnam eamdemq. esse personam, sicq. iam peroratam esse causam, nisi adhuc leuibus quibusdam obiectionibus satisfaciendum esset: vt cum dicitur: Si Magdalena, a qua Dominum septem dæmonia eiecisse testantur Euangelistæ [h], ipsa vna eademq. est cum illa peccatrice: tunc aut septem illa ab ea dæmonia eiecit ante vnctionem pedum, vel postea. Si antea; quomodo non tunc, sicut libera a dæmonijs, ita etiam deserit esse meretrix? quòd si deijsset, cur apud Lucam peccatrix dicitur, & mox ea de causa quòd magno animi amantis ardore pium illud officium exhibuerit, fuisse illi peccata dimissa, quod Christi testimonio comprobatur dicentis: Remittuntur ei peccata multa?] Si vero postea a septem illis dæmonijs est liberata; cur post dimissa illi peccata a dæmonijs est obsessa? Hoc dilemmate nitebatur scriptor ille, de quo antea, dum Magdalenam a peccatrice muliere esse diuersam statuere & affirmare conaretur. Sed quæ necessitas vrget, vt ante vel post vnctionem curata fuerit peccatrix illa; cum eodem ipso tempore, quo illa pietatis præstabat officia, septem illi dæmones ab ea exire potuissent? quòd si nihil eiusmodi scribat Lucas Euangelista; nec idem [i], cum paulo post de Maria Magdalena habet mentionem, dicens ab ea exijsse septem dæmonia, quando id factum sit narrat; adeo vt multa de ea ab ipso esse prætermissa, necesse sit affirmare. Adhæc quid impedit quo minus hæc ante vnctionem contingere potuissent: nimirum vt liberata a septem illis eam obsidentibus immundis spiritibus, mox in se reuersa, delictorum pœnitens, illud grati animi obsequium præstiterit? Nec est etiam quòd aliquod sequatur absurdum, si postea eam obsessam ab illis nequam spiritibus dixerimus: cum, magna Dei prouidentia, etiam pios ac iustos viros his aliquando cruciari sit permissũ, vt pluribus monstrat Ioannes [k] Chrysostomus, & Hieronymus ad Paulam [l] sic scribens: Quæ causa est, inquit, vt sæpe bimuli, trimuliq. & vbera materna lactentes, a dæmonio corripiantur? Inscrutabilia hæc inscrutabili altissimi Dei iudicio sunt referenda.] Certe quidem eiusmodi facinorosas

[g] *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 8. & 23.*
[h] *Luc. 8. Marc. 16.*
DILEMMA SOLVITVR.
[i] *Luc. 8.*
[k] *Ioan. Chrys. lib. de prouid. Dei.*
[l] *Hieronymus epist. 22.*

mulie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

mulieres, quantumuis pœnitentes ac Deo per omnia placentes assecutæ fuerint suorum A
indulgentiam delictorum, nihilominus acerbioribus solere infestationibus dæmonum
exagitari, qui res gestas Pelagiæ pœnitentis, & Mariæ Ægyptiacæ, & aliarum legerit,
plane intelliget.

XXV. Hæc cum ita se habeant, non tamen sic dicimus, vt affirmemus illam post vnctio-
nem pedum id passam esse: cum enim non scribat Euangelista quando id acciderit, nec
nos præsumimus definire. Bene quidem demonstrasse voluimus quolibet id tempore
accidere potuisse, nihilq. omnino veritati repugnare, si vnā eamdemq. & peccatricem
illam dictam mulierem, & Magdalenam existimandam esse affirmemus. At vero cum
a Ioan. 11. tam insigniter testetur Ioannes Euangelista [a], Mariam sororem Lazari & Marthæ eam-
EX EVANGELISTA CERTA VERITAS. dem esse cum illa, quæ vnxit Dominum vnguento, & pedes capillis extersit; nulla vi-
detur relicta dubitatio, quin vna eademq. sit, quæ in primis peccatrix, inde Maria so- B
ror Lazari & Marthæ, & Magdalena demum est appellata: cum præsertim superius
ostenderimus ex ministerio exhibito sepulturæ, eamdem Lazari sororem esse cū Mag-
dalena: licet verba illa Ioannis, quibus loquens de Maria sorore Lazari & Marthæ, in
hunc modum: Maria erat, quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius ca-
pillis suis: cuius frater Lazarus, &c.] dicta esse velint ab Euangelista per recapitulatio-
nem, alludente non ad illam pedum vnctionem factam in Galilæa, sed eam potius, quæ
facta est in Bethania, cuius idem Ioannes meminit sequenti capitulo; sicq. distorquent
cauillanturq. germanum sensum Euangelistæ; cum aperte constet ex eo ministerio,
quænam esset illa Maria Marthæ soror, voluisse nostrum Euangelistam monstrare ac
patefacere: qui quidem si non de illa quæ vnxit in Galilæa intellexisset, non tantum eo
signo quænam esset, non significasset, sed potius obscurasset, ac confudisset; nimirum C
quia illa prima, quæ vnxerat in Galilæa, videretur esse descripta. At quoniam de illa
loquebatur, non alio ad eam demonstrandam opus erat signo; quod quidem non suf-
feciisset, sed aliud necessario addendum fuisset, vt hanc ab illa distingueret, si de alia ab
ea diuersa intelligere voluisset.

XXVI. His in hunc modum solutis obiectionibus, & de vna Magdalena stabilita sententia:
de iterato ab eadem sæpius vnctionis officio paucis adhuc agendum putamus. Post pri-
b Luc. 7. mam vnctionem factam in Galilæa in domo Simonis a Luca [b] descriptam, secundo [c] in
c Ioan. 12. Bethania ante sex dies Paschæ eadem quoque vnxit pedes Iesu, & capillis tersit, vt prius
DE VNCTIONE TERTIVM ITERATA. egerat. Res plane erat inusitata vt pedes vnguento vngerentur, præsertim nardi pisti-
d Plin. Nat. hist. lib. 13. c. 1. ci, hoc est, non adulterati, cuius excellentiæ meminit Plinius [d]: non enim nisi Athe-
e Apud Athen. in Dipnosoph. lib. 12. cap. 30. nis apud aliquos qui delicijs dediti essent, fuisse in vsu pedes vnguento perungi, & a D
virginibus, reperitur apud Athenæum [e]; sed de Iudæis nullum exemplum extat;
immo nec Romæ quidem, vbi omne genus deliciarum affluere potissimum illis tem-
f Plin. Nat. hist. lib. 13. cap. 3. poribus consueuerat, nec de Imperatoribus ipsis, pedes eorum vnguento vngi solitos
legimus. Nam quasi pro miraculo recitat Plinius [f] de Othone, qui hoc primum Nero-
nem docuit, dum ait: Vidimus etiā vestigia pedum tingi, *vnguentis scilicet*: quod Mar-
cum Othonem monstrasse Neroni Principi ferebant. Quæso, vt qualiter sentiretur iuua-
retq. ab ea parte corporis?] hæc ille. Quin & Xenophon in Symposio plane demon-
strat, fuisse mulierum, & non virorum, vnguento vngi: vt ex his etiam conijcere pos-
sis, inusitatum opus non fuisse nisi ab vna tentatum ac iteratum muliere: quæ & tertio
g Marc. 14. Matth. 26. vnxit, quando biduo ante Paschа, vt tradit Marcus [g], itidem Bethaniæ in domo Simo-
nis leprosi, fracto alabastro, effudit id genus vnguenti super caput Iesu recumbentis. E
Hæc autem cum Euangelica veritate liquido constent: nihilominus qui de pluribus
Magdalenis sententiam stabilire conati sunt, non veriti germanum sensum cauillatio-
nibus obscurare, dixerunt vnam eamdemq. esse cœnam factā in Bethania ante sex dies
Paschæ, cum ea quam dicit Marcus factam biduo ante Paschа: quasi illud biduum non
ad conuiuium, sed concilium sit referendum, nec possit dici eo tempore conuiuium fa-
ctum esse, quòd scilicet eo ipso die sit factum concilium Hierosolymis sacerdotum, ad
quos Iudas proditurus Iesum accesit; quasi minime esse potuerit in Bethania in conui-
uio, cui interfuisse perhibetur, qui Hierosolymis ageret, proditionem contra Dominum
moliturus: atque ex his inferunt, vnum idemq. conuiuium a Ioanne, Marco, & Mat-
thæo descriptum; diuersasq. inter se mulieres dicunt, quæ ab ijsdem Euangelistis recen-
sentur, quarum altera pedes, altera vero caput vnxisset.

Sed pla-

A Sed plane contrarium, duoq. distincta fuisse conuiuia, vnam eamdemq. mulierem, XXVII.
& in priori pedes, in posteriori caput vnxisse, facile demonstrabimus. Si enim vnum
idemq. fuit conuiuium cum alio, illudq. ante sex dies Paschæ peractum; cum constet DVO CONVIVIA
Matthæi testimonio, tunc abijsse Iudam ad Principes sacerdotū, & de proditione Chri-
sti conuenisse; necesse esset nos dicere, ante sex dies Paschæ eiusmodi de prodendo Chri-
sto pactum esse conuentum: quod nemo sane iure dicere poterit, cum Marcus expresse
testetur, id factum biduo ante Pascha. Sed ad ea quæ dicunt, non potuisse Iudam in-
teresse concilio Hierosolymis, qui aderat Bethaniæ in conuiuio: nullus certe Euangeli-
starum [a] de Iuda scribit, quòd concilio interfuerit: sed conueniisse quidem dicunt Prin- *a Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.*
cipes sacerdotum eo tempore, quo nimirum Iudas in Bethania e mensa recedens, Hie-
rosolymam petijt, ad perficiendum quod animo conceperat facinus. Nam si erat Be-
B thania sita in latere montis Oliueti (vt tradit Hieronymus [b]) nec amplius quàm duo- *b Hieronymus de loc. Hebraic.*
bus milliaribus ab Hierosolymis distans; immo cum dicat Euangelista [c]: Erat Bethania *c Ioan. 11.*
iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim] stadio vno minus duobus milliaribus
aberat: potest a quocumque intelligi, nihil esse impedimento, quo minus eadem die
Iudas e conuiuio recedens, adiuerit Principes sacerdotum: potissimum vero ex hoc
quòd excesserit, nulla interposita mora, post defensionem ab Iesu factam de vnguenti
effusione, vt aperte sic docet Matthæus [d]: Abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iu- *d Matth. 26.*
das Iscariothes, ad Principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego
vobis eum tradam? &c.]

Ex his itaque iam satis liquido declaratum videtur, duo diuersa diuersisq. diebus ex- XXVIII.
hibita fuisse Iesu conuiuia: quorum primum factum dicitur in domo Lazari [e] a mor- *e Ioan. 12.*
C tuis excitati, in quo & Lazarus ipse vnus ex discumbentibus fuit, Martha ministrauit,
Maria eius soror pedes vnxit, & Iudas ei detraxit [f]: alterum vero apud Simonem co- *f Matth. 26.*
gnomento Leprosum, quo accedens mulier habens alabastrum (vas scilicet ex alabastro
factum) effudit super caput recumbentis; quando non vnus Iudas, sed & ceteri disci- CONCLVSIO DE
puli indignati sunt, ac tunc Dominus secundam pro illa habuit defensionem a prima VNA MAGDALE-
diuersam, & addidit dicens [g]: Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euan- NA. *g Marc. 14. Matth. 26.*
gelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.]
Certe quidem etsi nulla alia subesset ratio, qua hæc ipsa mulier, & peccatrix, eademq.
Maria soror Lazari, Magdalena cognominata, dici posset; tamen vt iustificetur Iesus
in sermonibus suis, ne falsi vaticinij (quod nefas est dictu) arguatur, affirmare necesse
est, vnam eamdemq. esse Magdalenam, nec diuersas seu plures, dum vnam tantum
D longe lateq. per Orbem diffusa Ecclesia prædicat Magdalenam. Hæc hactenus. Accepimus eodem argumento a Roffensi perilluſtri nostrorum temporum martyre aduersus Nouatores egregium esse editum commentarium, a quo abundantius forte hæc haurire possis: nos tamen nondum in eum incidimus, sed citatum ab alijs tantum auctoribus nouimus.

Quod vero ad alabastrum vnguenti pertinet, ne quid de hoc dicere prætermitta- XXIX.
mus: magni pretij munus fuisse alabastrum vnguenti, ex eo facile possumus intel- DE ALABASTRO VNGVENTI.
ligere, dum scribit Herodotus in Thalia, Cambysem Regū Persarum omnium poten-
tissimum dono misisse ad Regem Æthiopum inter alia munera alabastrum vnguenti.
At cur alabastrum? Docet Plinius [h] alabastritem lapidem ad vasa vnguentaria excaua- *h Plin. lib. 36. c. 8.*
ri solere, quòd quæ intus ponuntur, incorrupta conseruari soleant. Licet Epiphanius in
E libro de mensuris, de alabastro vnguenti aliam afferat rationem, dicens: Alabastrum
vnguenti, vasculum est vitreum, capiens libram olei, mensura vero est sextarij dimi-
dij: Alabastrum autem appellatū est propter fragilitatem.] sed magis in his Plinio as-
sentimur. De diuersis vnguentorum generibus quæ in delicijs essent cū agit Clemens *i Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. c. 8*
Alexandrinus, illud quod dicitur Nardus, maximi fuisse pretij testatur. Ex quibus om-
nibus facile intelligere quisque possit, dictam mulierem opulentissimam fuisse, quæ sæ-
pe tanti pretij ad vnctionem Domini vnguentum pie liberaliterq. profuderit. At nec il-
lud præterijsse volumus, testari Suidam [k], vrceum vnguenti, quo Christus inunctus *k Suid. ver. ἀλάβαστος.*
fuit, depositum fuisse vna cum multis alijs sacris reliquijs a Constantino Magno in fo-
ro Constantinopolitano, sed a Theodosio Magno inde sublatum, & honestiori loco es-
se reconditum.

Nunc autem Euangelicam, a qua digressi sumus, historiā persequamur, & compen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dioſe, quantum fas eſt, repetamus. Conuenit [a] Chriſtum turba multa, adeoq. importune detinebat eum, vt nec aliquantulum quieſcere, vel cibum ſumere diſcipulos permitteret: cumq. ſibi oblatum dæmoniacum cæcum & mutum curaſſet, rurſum Phariſæi calumniati ſunt eum, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eijceret dæmonia: aduerſus quos egregiam ſuo more diuinamq. inſtituit defenſionem, peccataq. ipſorum redarguit, ac denique acrius in eos inuehitur, quòd ſignum peterent, qui facta mira- A
cula contempſiſſent. Ea [b] vero dum loqueretur, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quin immo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.] Accurrerunt inde ſui, vt tenerent eum, falſa quadam fama decepti, quòd in furorem verſus eſſet: et adhuc eo loquente, qui aderant, interpellabant eum de matre ſua, & fratribus qui foris ſtarent quærentes illū alloqui. Tunc ille: Quæ eſt, inquit, mater mea, & qui ſunt fratres mei? B
Et extendens manū in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt; ipſe frater meus, & ſoror mea, & mater eſt.] Aderat mater ſanctiſſima cum ceteris, ſed non eo affectu quo alij, vt exiſtimaret filium in furorem eſſe conuerſum, ac teneret eum: ſed maternis viſceribus filio hæc patienti compatiens præſto erat, ſicut & paſſionis tempore nouimus accurriſſe. et quemadmodum tunc cum operaretur ſalutem in medio terræ, eam non proprio nomine, ſed communi, mulierem appellauit: ſic & in præſentiarum verbo prædicationis intentus, quaſi nullo moueretur carnis affectu, in eum modum voluit reſpondiſſe.

a Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11. Concord. c. 49.

b Matth. 12. Marc. 3. Luc. 11. & 8. Concord. c. 50.

QVAE A SVIS CHRISTVS PATITVR.

XXX.

Exiens [c] inde domo, accedensq. ad Tiberiadis mare, cum vndique frequens turba conflueret: conſcendens nauiculam, ex ea concionabatur ad populum; ſermonemq. parabolis texens, de ſeminante ſimilitudinē primo loco recenſuit, addiditq. alias [d], nempe C
de ſuperſeminatis zizanijs, de grano ſinapis, & de fermento, de theſauro [e], margarita, & ſagena [f]. His abſolutis, inde recedens, venit Nazareth, & ingreſſus ſynagogam, ex Iſaia [g] Propheta ea legit verba: Spiritus Domini ſuper me, &c.] oſtenditq. eo tempore prophetiam illam eſſe impletam. Qui aderant, audientes doctrinam eius non vulgarem, ſed quæ magnam præſeferret ſcientiam & ſapientiam, mirum in modum mirabantur, quòd putarent filium eſſe fabri, ipſumq. olim fabrum, cuius nouerant matrem, fratres, & ſorores, quorum cauſa eum contemſerant, nec, vt par erat, in honore habuerant. Vnde cum apte illos Dominus admonuiſſet, Prophetas vbique gentium præterquam in patria in exiſtimatione eſſe; illi indignati, eijcientes eum extra ciuitatem, & vſque ad montis ſupercilium perducentes, inde ipſum præcipitare parabant: ſed Ieſus tranſiens illæſus, per medium illorum abiens receſſit, cum nonniſi D
paucos illic infirmos curaſſet propter incredulitatem ipſorum. Addunt [h] aliqui, auctore Beda, eiuſmodi hiſtoriam: Dominum manus prædictorum violentas euadere volentem, cum ad radicem montis deſcenderet, ſub rupe latuiſſe, ſaxumq. tunc eidem ceſſiſſe, ac latebris locum præbuiſſe, in quo corporis Domini remanſerint impreſſa ſigna, pedumq. veſtigia: ſed nihil huiuſmodi apud Bedam.

c Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Concord. c. 51.

d Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8. Concord. c. 52.

e Matth. 13. Marc. 4. Concord. c. 52.

EX PROPHETIA SE CHRISTVM ESSE DOCET.

f Matth. 13. Marc. 6. Luc. 4. Concor. Euang. c. 54.

g Iſai. 61.

h Nicol. Lyr. & Dionyſ. Carth.

XXXI.

Inde recedens Dominus (Matthæus [i] ait) circuibat omnes ciuitates ac caſtella Galilææ, prædicans Euangelium, & curans omnem languorem; erantq. cum eo duodecim Apoſtoli, & mulieres aliquæ, quæ curatæ erant a ſpiritibus malignis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalena, de qua ſeptem dæmonia exierant, & Ioanna vxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Videns autem tunc turbas tamquam oues ſine paſtore, miſertus ea- E
rum, ſtatuit mittere Apoſtolos ad prædicandum Euangelium: quibus ad ſe vocatis, dedit illis poteſtatem ſuper dæmones, vt eijcerent eos, & curarent omnem ægritudinē, miſitq. illos binos: quorum nomina, eo ordine quo ſunt miſſi, recenſet [k] Euangeliſta ſic dicens: Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Primus: Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iſcariothes.] ſic mittens ipſos nulla rerum temporalium voluit ſolicitudine prægrauari, multaq. admonuit, quæ ſeruare deberent; atque nonnulla quæ ipſis eſſent obuentura, prædixit; & vt inſignis belli dux, ad fortitudinem excitauit. Ea omnia quidē non ſecus magnanimi ac generoſi illi abeuntes præſtiterunt, ac Euangelium prædicarunt, ſed & dæmonia eiecerunt; vngenteſq. oleo multos ægrotos, ma-

i Matth. 9. 10. Marc. 6. Luc. 8. Concord. c. 55.

CHRISTVS MITTIT APOSTOLOS.

k Matth. 10.

A ros maxima cum omnium admiratione curarunt. quod autem ſpectat ad eiuſmodi ægrotantiū vnctionem, inferius opportuniori loco agemus. His de ſecundo anno prædicationis Chriſti ex Euangelica hiſtoria recitatis: quoniam quæ ſequuntur, ſequenti anno prope Paſchale tempus facta eſſe noſcuntur; præſenti anno finem imponimus. Cum enim (quod alias diximus) annos prædicationis Chriſti nonniſi a Paſchali tempore metiri poſſimus: ſecundum cuiuſque anni Paſcha, annum Domini conſignare neceſſe eſt.

IESV CHRISTI ANNVS 33. TIBERII IMP. ANNVS 17.

B ANno Domini trigeſimotertio [a], Auguſto quintum & Ælio Seiano Coſſ. prope Paſchalem [b] celebritatem S. Ioannes Baptiſta ab Herode Antipa Tetrarcha Galilææ iuſſus eſt capite truncari: id autem quomodo ſe habuerit, rem geſtam in hunc modum recenſent Euangeliſtæ [c]: Cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumq. introiſſet filia ipſius Herodiadis, ſaltauit in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. Et cum ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi, ſimulq. recumbentibus: Rex ait puellæ: Pete a me quod vis, & dabo tibi: et iurauit illi: Quia quicquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ. At illa præmonita a ma- C
tre ſua, cum introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex: propter ſuſiurandum autem, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare: et miſſo ſpiculatore præcepit afferri & dari caput eius in diſco. Miſitq. & decollauit Ioannem in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ. Quo audito, diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento: & venientes nunciauerunt Ieſu.] hactenus Euangeliſtæ de nece Ioannis.

I.

a Tacit. lib. 5. Dio lib. 58. b Bed. in Marc. c. 6. c Matth. 14. Marc. 6. Concord. Euāg. cap. 56.

DE NECE IOANNIS.

De feſto die natalis Herodis Regis a Iudæis Romæ ſolemniter celebrari ſolito putamus Perſium eſſe locutum, cum ait: II.

At cum Herodis venere dies, vnctaq. feneſtræ
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
D *Portantes violas.*]

Non tamen de Herodis Regis, de quo eſt ſermo, natali die hæc ſunt intelligenda, ſed potius Herodis Agrippæ vltimi Iudæorum Regis; quo tempore Perſius claruit, natus (vt ait Euſebius in Chronico) anno vigeſimoprimo Tiberij, mortuus vero nono anno Neronis. In regijs vero conuiuijs eiuſmodi ſaltatrices adhiberi conſueuiſſe, Ioſephus alio demonſtrat exemplo, dum de Ioſepho Tobiæ filio hæc ait [d]: Cum aliquando veniſſet Alexandriam cum patre ducente ſecum filiam nubilem, vt eam alicui nobili Iudæo nuptui traderet: cœnans cum Rege, ingreſſam in conuiuium formoſam ſaltatricu- E
lam adamauit.] idq. a Græcis etiam in conuiuijs factitari ſolitum declarat Xenophon in Sympoſio. Ceterum nihil eſſe tam vehemens ad animum quamuis duriſſimum inflectendum emolliendumq. perinde ac ipſa ad modos muſicos accommodata ſaltatio; Lucianus [e], ſcripto de hac re commentario, complurium antiquorum philoſophorum docet ſententijs, ac multis probat exemplis, & eorum quæ ſub Nerone ſuo tēpore acciderunt experimentis. Vnde illa iure facta eſt admonitio in Eccleſiaſtico [f]: Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.] Hoc igitur omnium potiſſimo telo vſus eſt diabolus, vt Herodis animum ad tam immane facinus perpetrandum, ad inferendam ſcilicet Ioanni necem, induceret.

d Ioſeph. antiq. lib. 12. c. 4.

e Lucian. de ſalt.

f Eccl. 9.

Non tamen aliquod apud Iudæos, vel Gentes quantumuis Deum ignorantes reperitur exemplum, vt in conuiuium eiuſmodi apophoretum, præciſum nempe caput hominis præſentaretur in diſco: niſi (quod pro monſtro atque portento apud Romanos habitum fuit) cum [g] Q. Flaminius, Placentiæ dum eſſet cum faſcibus proconſularibus, vt diſcumbenti ſecum meretriculæ talis ſpectaculi auidæ morem gereret, non quempiam iuſtum hominem, ſed vnum ex damnatis ante triclinium capite cædi præcepit; III.

CRVDELITAS HERODIS.

g Seneca contro. uerſ. lib. 5. Liuius lib. 39. & Hieron. in Mat. c. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod facinus adeo Romani sunt detestati, vt in eumdem reum maiestatis ea de causa factum omnes rhetores nobiles declamarint. Sed & rabies belli ciuilis eo furoris adegit Marium, vt exectum caput Antonij Consularis inter epulas summa animi insolentia lætis manibus attrectaret [a]. A

a Plutarch. in Mario. Val. Maxim. lib. 9. c. 2. Luc. Flor. lib. 3. c. 21.

IV. HERODIADIS IMMANE FACINVS.

Agit & Iosephus [b] de nece Ioannis, quem mirifice laudat: eiusq. facinoris causa Herodem pœnas dedisse ait, vt exercitus eius funditus profligaretur a Parthis: cumq. idē auctor aliam causam afferat carceris ac necis Ioannis, refellimus eam superius, cum de eodem Ioanne in carcerem detruso egimus. Insultasse Herodiadem præciso capiti, atque acu discriminali sanctissimam illam linguam perforasse, Hieronymus [c] in Ruffinum agens tradit, sic dicens: Nec magnopere glorieris, si facias quod faciunt scorpiones, atque cantharides. Fecerunt hoc & Fuluia in Ciceronem, & Herodias in Ioannem: quia veritatem non poterant audire, linguam veriloquam discriminali acu confoderunt.] hæc ille. Idem ait [d] corpus Ioannis sublatum a discipulis eius sepultum fuisse Sebaste, quæ est Samaria, longe a Macherunte, vbi [e] in carcerem actus atque necatus fuit: caput vero nequaquam cum corpore concessum ad sepeliendum fuisse, id prohibente Herodiade, de qua hæc Nicephorus [f]: B

b Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
c Hier. in Ruffin. Apolog.
d Hier. epist. 27.
e Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
f Niceph. hist. lib. 1. c. 9.

V. SEPVLTVRA IOANNIS.

At ipsa Ioannis reprehensionē verita, coniungere id rursus reliquo corpori timens, apud se, remotis arbitris, in abstrusiore regiæ loco sepeliendum duxit: truncum autem abijcere quopiam iussit: eum porro solum discipuli eius furtim sublatum cum solemni veneratione in celebri quodam sepeliere loco.] hæc Nicephorus. Quòd vero Ioannis corpus Samariam vsque discipuli detulerint, ea ratio afferri posse videtur, quòd ea prouincia non esset sub Herodis Antipæ ditione: sed quoniam coniuncta Iudææ concessa fuerat ab Augusto [g] Archelao Regi, illo semel in ordinem redacto, tā Samaria, quàm Iudæa & Idumæa, quæ erant Archelao subiectæ, redactæ [h] sunt per Tiberium in prouinciam, quæ & per Romanos Præsides administrari solebant: sicq. ne Herodias rursus de trunco negotium exhiberet, illum Samariam detulerunt: sed eo potius, quàm alio extra ditionem Herodis, quòd Samaritæ hostes essent (vt prius cumulate diximus) Iudæorum, ac pro patrijs rebus pugnacissimi. Quis autem exitus tandem saltatricis fœminæ sceleratissimæ fuerit, & quod supplicium acceperit feralis impietas, Nicephorus rem gestam his verbis conscribit [i]: C

g Ioseph. antiq. lib. 17. c. 13.
h Ioseph. antiq. lib. 17. c. 15.
i Niceph. hist. lib. 1. c. 20.

VI. OBITVS HERODIADIS ET FILIAE.

Furibunda sedenim & adultera incestaq. adeo illa, quæ quidem Herodis habebatur, re vera autem Philippi erat coniux, vita longius acta, cum prius filiam saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit, futuri sæculi iudicio & supplicio reseruata, meras ibi quamcitissime diuinæ iræ fæces, intolerabilisq. indignationis Domini calicem haustura. Filiæ autem eius (dignus est enim qui memoriæ commendetur) talis fuit obitus. Eundum ei quodam brumali tempore erat, & fluuius traijciendus: qui cum glacie constrictus coagmentatusq. esset, pedes eum transibat: glacie autem rupta, idq. non sine Dei numine, demergitur illa statim capite tenus, & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusq. se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput vero scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & a reliquo corpore non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem letalem exhibet; spectaculoq. eius omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat, spectantibus reuocat.] hæc Nicephorus. At quoniam huiusmodi historiæ haud constans habetur veritas, esto fides apud auctorem. D

VII. OPINIO HERODIS DE CHRISTO.

Porro quantumuis necatus esset Ioannes Baptista, tamen tantæ erat existimationis, vt putaretur a quibusdam resurrexisse, & ipse Christus esse Ioannes: existimabat hoc inter alios Herodes, de quo hæc Marcus [k]: Et audiuit Rex Herodes, *opera scilicet quæ faciebat Christus:* & dicebat: Quia Ioannes Baptista resurrexit a mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: Quia Elias est. Alij vero dicebant: Quia Propheta est, quasi vnus ex Prophetis. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic a mortuis [l] resurrexit.] hæc Marcus, eadem fere Matthæus & Lucas. Itaque patet, aliqua miracula mox post obitum Ioannis facta esse a Christo, quæ non videntur esse ab Euangelistis recensita: multa enim ab illis esse prætermissa, Ioannes [m] quoque testatur. His permotus Herodes existimauit Ioannem resurrexisse a mortuis. Videas hominem stimulis conscientiæ exagitatum, timere Ioannem, licet occisum: et quantumlibet alij aliter sentirent de Christo, ipse tamen in ea erat sententia, ter- E

k Marc. 6.
l Matth. 14. Luc. 9.
m Ioan. vlt.

rore quo-

rore quodam affectus, ipsum esse Ioannem, qui surrexisset a mortuis. Res quidem magna, planeq. admiratione digna, quomodo hæc Herodes de Christo existimare potuisset, qui iam biennio, vbi ipse regnabat, prædicasset in Galilæa, famaq. miraculorum eius non Galilæam tantū, Iudæam, atque alia propinquiora loca, sed (quod diximus) omnem Syriam peruasisset. Quod igitur omnes scirent, vnum latuisse Herodem, quasi prodigium videtur: cum præsertim Iesus sæpius circuisset Galilæam, & frequens vndique populus in dies ad eum confluxisset. [A

Putamus nihilominus fuisse in causa quo minus Herodes ea sciuerit, quòd dictis temporibus absens esset in expeditione Arabica bellum agens aduersus Aretā Regem; quod multis annis durasse oportuit, nimirum vsque ad Vitellium Præsidem, successorem Pilati, vt Iosephus [a] testatur. Ceterum ante detrusum Ioannem in carcerem, Herodem Romam venisse, idem auctor affirmat: post reditum autem mox abductam fuisse Herodiadem, & inchoatum fuisse aduersus Aretam bellum Arabicum, idem Iosephus enarrat. Vt ex his videas, Herode absente, & bellicis negotijs occupato, non adeo mirum videri debere, vel impossibile, si hæc de Christo ipsum præteriere. His adde & incredibilem fuisse in homine de Christo cognoscendo socordiā atque desidiā: nam cum dicat hic Marcus, quòd Herodes ex hoc tempore quærebat Christum videre; tamen neglexit, nec per annum integrum, quo Christus egit in Galilæa, vnquam vidit, sed Hierosolymis tantummodo tempore passionis, quando ad ipsum missus est a Pilato, & gauisus est valde, quòd (vt ait Lucas [b]) ex multo tempore erat cupiens eum videre, eo quòd audierat multa de eo. Sed hæc quasi nihil amplius ad rem nostram facientia deseramus, atque cetera prosequamur. B C

VIII. CVR HERODES CHRISTVM NESCIERIT.

a Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.
b Luc. 23.

Post necem Ioannis, Apostoli, qui missi fuerant ad prædicandum Euangelium, redierunt, & quæ fecissent narrarunt. Interim Iesus, quòd nuncium accepisset de nece Ioannis, inde secessit; ac conscendens nauiculā, sese recepit in locum desertum. Cumq. turba nihilominus sequeretur eum; ipse Dominus eos omnes [c] primum prædicationis verbo, deinde vero quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus admirando quodam modo multiplicatis, abunde pauit; adeo vt quinque millibus virorum, exceptis mulieribus & paruulis, saturatis, superfuerint duodecim cophini fragmentorum. Hæc autem facta sunt (vt auctor est Ioannes Euangelista) cum proximum esset Pascha, dies festus Iudæorum: quod & tertium numeratur a tempore quo Redemptor noster Euangelij prædicationem est auspicatus.

IX. ACTA IESV A NECE IOANNIS.

c Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9. Ioan. 6. Concord. c. 57.

Quòd autem numerus discumbentium quinque millium hominum fuisse dicatur, exceptis feminis atque paruulis; plane innuit Euangelista seruasse Dominū antiquam Iudæorum consuetudinem, qui tam in templo, quàm in synagoga, alijsq. conuentibus publicis, seorsum viros, seorsum vero collocare feminas (quod & superius nos dixisse meminimus, & postmodū dicturi sumus) consueuerunt; paruulosq. infantes apud matres esse, grandioris autem ætatis intra pubertatem vbi magis vellent. Vnde quod Marcus ait: Præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundum contubernia] non sic accipiendum, vt omnes per familias singulas promiscue recumberent: nā proprius explicat Græca dictio συμπόσια συμπόσια, hoc est, conuiuia, conuiuia: nam idem mox subdit Euangelista: Et discubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.] Hæc illa erant conuiuia, seu contubernia, quæ magis proprie dicimus mensas. In conuiuijs seorsum viros dextrum latus tenentes, seorsum feminas sinistrum occupantes accumbere consueuisse, & non sine lectisternio, vel stramento aliquo, Philo de Essenis [d] testatur: qua de causa & in hoc conuiuio Domini, loco strati, fuit fœnum. D E

X. ORDO IN CONVIVIIS IVDAICIS.

d Philo de vita contempl.

Magna itaque [e] creuit ex his opinio apud Iudæos, quòd Iesus vere ille esset Propheta magnus, qui prædictus erat in mundū venturus; adeo vt cogitarent facere eū Regem. Quare cū Iesus cognouisset, quòd venturi essent vt raperent eū, ac Regem crearent, compulit discipulos suos ascendere in nauiculā, & præcedere trans fretum Bethsaidā, donec ipse dimitteret turbas: interim vero ascendit solus in montem orare. Porro discipuli, qui vespere conscenderant nauim, orta subinde tempestate, cum ea magis magisq. vrgerentur, & vsque ad quartā noctis vigiliā iactarentur fluctibus, resq. in vltimo discrimine versaretur: adfuit continuo Iesus ambulans supra mare. quem videntes discipuli, putantes esse phantasma, amplius conterriti atque turbati sunt; donec se aperiens dixit illis: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Tunc Petrus ad illū: Domine si tu

XI. FVGIT IESVS, NE REX FIERET.

e Matth. 14. Marc. 6. Ioan. 6. Concord. c. 58.

 es, iubo

Universidad de Deusto
Biblioteca

es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de naui- A
cula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns vero ventum validum, ti-
muit: et cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac. Et continuo
Iesus extendens manum, apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?
Post hæc acceperunt eum in nauim, & adorauerunt eum: et cum appulissent in ter-
ram Genesareth, omnes qui in illa erant regione, vt cognouerunt de aduentu eius,
obtulerunt infirmos, & male se habentes, cupientes vel saltem tangere fimbriam ve-
stimenti: quotquot vero retigerunt eum, sanati sunt.] hæc pluribus Euangelistæ.

XII. Altera[a] die cum turba quæreret Iesum, nec inuenirent, conscendentes nauiculas, nauigarunt Capharnaum: vbi Dominus eos docturus, in primis illorum impetum retun-
a Ioan. 6. Concord. c. 19. dens, & ad celsiora eos perducere cupiens, sic est eos affatus: Amen, amen dico vobis:
IESVS DE EV- quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. B
CHARISTIA Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, &c.] Hac ita-
DISSERIT. que occasione, longiori sermone multa de manducando pane cælesti disserit; carnemq.
suam vere esse cibum, quem sumpturi essent, qui vellent vitam habere æternam, dicit.
Cumq. hæc audientes Iudæi, minime caperent, neque assequerentur quid sibi vellet,
inuicem disserebant: offensionemq. ex ijsdem verbis passi sunt etiam complures disci-
pulorum, vt iam ab illo recederent, nec vlterius sequerentur. Quod videns Iesus, con-
uersus ad duodecim Apostolos dixit: Numquid & vos vultis abire? Tunc Petrus ex
persona omnium (quod esset ipsorum caput) profitetur dicens: Domine, ad quem
ibimus? Verba vitæ æternæ habes. et nos credimus, & cognouimus quia tu es Chri-
stus filius Dei.]

XIII. Huius equidem singularis, ac quæ aureis scribi & commendari debeat in perpetuũ C
PETRI CONFES- litteris, opportunæ veræq. Petri confessionis sensum altiorem, quo cumulatissime re-
SIO. *b Cypr. ad Flor. epistol. 69. edit. Pamel.* ferta est, perscrutatus Cyprianus[b], hæc ait: Loquitur illic Petrus, super quem ædifi-
cata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine, docens & ostendens, quia etsi contumax & su-
perba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen a Christo non recedit: et
illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Vnde scire
debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.] hæc Cyprianus. Non
prætermittimus dicere, vnum ex his, qui a Christo Domino recesserunt, tradi fuisse
Marcum, qui postea Euangelium scripsit, sed per Petrum ad Dominum reuocatum:
c Epiph. hær. 51. id enim Epiphanius[c] his verbis testatur: Hic, *Marcus scilicet*, vnus erat de septuagin-
MARCI LAPSVS. taduobus, dispersis ob verbum quod dixerat Dominus: Nisi manducaueritis carnem
filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis; velut Euange- D
lij verba legentibus clare indicant. tamen per Petrum reuocatus, dignus efficitur re-
pleri Spiritu sancto, & Euangelium scribere.] hucusque Epiphanius. Monuit inte-
rim Iesus duodecim Apostolos, quantumlibet ipse eos elegisset, nihilominus vnum
ex ipsis esse diabolum, intelligens nimirum Iudam Iscariothen, qui eum traditu-
rus erat.

XIIII. Sub idem tempus peragrabat[d] Iesus Galilæam, a Iudæa declinans, quòd iam Iudæi
d Matth. 15. Marc. 7. Concord. c. 60. quærerent illum interficere. Accedentes autem ad eum Pharisæi, de discipulis Domi-
no, quòd non lauarent manus cum manducarent, negotium faciunt. sed redarguit
eos Iesus, quòd quæ sunt foris tantum, emundent; quæ autem sunt intrinsecus, cordis
nempe immunditias, negligant; & quod maximum omnium est, Dei mandata pes-
sumdent, & suas seruandas constituant traditiones, nimirum baptismata vrceorum & E
calicum, & his similia; quod addit Euangelista: Pharisæi, & omnes Iudæi, nisi crebro
lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum: et a foro venientes,
nisi baptizentur, non comedunt: et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare.] Addit
e Epiph. in Pa- nar. hæres. 17. Epiphanius[e], fuisse quoddam genus Scribarũ & Pharisæorum, qui singulis anni diebus
baptizarentur, eaq. de causa appellatos esse Hemerobaptistas, statuentes hominẽ non
posse viuere, nisi singulis diebus in aquam mergeretur, ac ita ablueretur, & sanctificare-
tur ab omni culpa. At de his iam supra nonnihil attigimus. Exprobrabat insuper Do-
minus, quòd & in eo illi irritum facerent mandatum Dei propter traditionem hominũ,
dum contra legem Dei parentes negligerent, quodq. illis debebatur, tribuerent sacer-
dotibus. Demum docet quæ sint quæ hominem possint inquinare, nimirum non quæ
intrant in os hominum, sed quæ progrediuntur ex ore; & quæ illa sint, numerat.

Secessit

A Secessit[a] post hæc Dominus in partes Tyri & Sidonis: quando Gentilis femina Sy- XV.
rophœnissa, ex stirpe Chanaan, indeq. Chananæa nominata, habitans in Phœnicia *a Matth. 15.* maritima regione Syriæ, egressa e finibus suis, conueniens Dominum pro filia sua, quòd *Marc. 7.* male a dæmonio torqueretur, plurimum interpellat: quam cum aliquandiu quasi auer- CHANANÆAE
satus fuisset, quòd Gentilis esset femina; tandem illa instantius & importunius magnis FILIA SANATVR
precibus contendens, ab eo postulatum accepit. Inde vero recedens, reuersus est ad
mare Galilææ per medios fines Decapoleos: cuius prouinciæ ciuitas erat omnium ma-
xima (vt auctor est Iosephus[b]) Scythopolis, Tiberiadi vicina. at eam prouinciam Pli- *b Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 16.*
nius[c] & recentiores auctores[d] describunt. Cum autem eo accessisset Dominus, addu- *c Plin. lib. 5. c.*
cunt ad eum surdum & mutum; cuius liniens linguam sputo, mirifice curauit[e]. Ascen- *e. 12.*
dentẽ deinde in montem, turbæ multæ secutæ sunt eum, offerentes mutos, cæcos, clau- *d Burchard. de*
B dos, ac debiles; quos omnes curauit. Cumq. iam turba triduo apud Iesum perseueras- *loc. sanct. par. 1.*
set, nec haberet quid manducaret; septem panes & paucos piscículos quos habebant *c. 4.*
discipuli, benedicens, iussit illis apponi: quibus cibo expletis, superfuerunt adhuc se- *e Matth. 15.*
ptem sportæ fragmentorum, cum hi qui comedissent, ad quatuor millia fuissent, excep- *Marc. 8.*
tis mulieribus atque paruulis. Post hæc vero ascendens nauiculam, venit in fines Ma- *Concord. c. 64.*
geddon & Dalmanutha, loca (vt tradit Hieronymus[f]) trans mare Galilææ circa Gera- *f Hieron. de loc.*
zan. Accesserunt[g] interim ad eum Pharisæi & Sadducæi, quærentes ab eo signum de *Hebr.*
cælo: sed reiecit eos Dominus, quòd prauo animo id exquirerent; eosq. reprehensos *g Matth. 16.*
dimittens, conscendens nauim transfretauit. Inde discipulos de pane solicitos redarguit, *Marc. 8.*
monuitq. cauere fermentum Pharisæorum, Sadducæorum, necnon Herodis; ipsorum *Concord. c. 64.*
C hæreses signans, quarum antea meminimus. Peruenerunt simul Bethsaidam, vbi Chri-
stus cæcum curauit, sputo eius oculos tangens.

Venit post hæc in partes[h] Cæsareæ Philippi: et cum solus esset orans, cum disci- XVI.
pulis suis, interrogabat eos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi *h Matth. 16.*
dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij Hieremiam, alij vero qua- *Marc. 8.*
si vnum de Prophetis, & quia vnus Propheta de prioribus surrexit. Tunc dicit illis Ie- *Luc. 9.*
sus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit ei: Tu es Chri- *Concord. c. 66.*
stus, filius Dei viui. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bariona: quia PETRI CONFES-
caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, SIO.
quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferi
prævalebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorũ. Et quodcumque ligaueris
super terram, erit ligatum & in cælis: et quodcumque solueris super terram, erit solu-
D tum & in cælis.] hæc cum dixisset, comminatus est eis, ne cui dicerent quia ipse esset
Christus; adijciens eundum sibi Hierosolymam, in qua multa pateretur, nouissime ve-
ro dirum mortis supplicium, tertiaq. die gloriose virtute sua resurgeret. Verum, quòd
monuisset cauendum a fermento Herodis, quem aliquando vulpem nominauit; ab
eius tetrarchia cum iã recessisset, ad Philippi Tetrarchæ ditionem commigrare voluit,
profectus[i] Cæsaream Philippi, sic dictam ex Panneade, ac postea Neroniam ab Agrip- *i Ioseph. antiq. lib. 18. c. 3.*
pa in Neronis[k] gratiam nuncupatam, de qua & antea verba fecimus. Admirandum est *k Ioseph. antiq.*
quàm maxime in Galilæa fuerit illa Pharisæorum hæresis propagata, qua (quod dixi- *lib. 20. c. 16.*
mus superius, dum de sectis Iudæorum egimus) defunctorum animas in alia corpora
pro meritis cuiusque personæ commigrare dicebant; dum post tot signa a Domino in
Galilæa edita, ea de Christo inualuisset opinio, ipsum esse Ioannem Baptistam, vel
E Hieremiam, aut quempiam alium ex prioribus Prophetis illis: quos quidem omnes
cum constet fuisse defunctos; sic intellexisse certum est, quòd anima alicuius ex his in
Christum migrasset.

Hic pedem sistat, atque paulum attendat diligens lector rem animaduersione di- XVII.
gnissimam. Eiusmodi namque tanti ponderis & auctoritatis actio Christi, typum CONCILII CE-
quemdam exprimit celebrandi Concilij: Cum missis ceteris, solus cum discipulis, post LEBRANDI TY-
preces Deo oblatas, de summa rerum quæstionem proponit: et admirabili quodam PVS.
ordine, vt prius destruantur errores, ac subinde solida firmitate veritas stabilita loce-
tur; in primis interrogat, quæ sit illorum qui foris sunt, opinio de filio hominis: sed
cum deliramenta potius & insana ab illis dicta ferrentur, quid demum ipsi de ea re sen-
tirent, rogat sententias omnium. Petrus primus omnium, licet non ætate, vt sæpius
diximus, sed dignitate, talem fert sententiam, vt causam ipse definiat, & quid ab om-

nibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nibus sentiendum esset, erudiat atque decernat, ac fidei canonem perpetuo permansurum constituat: vt nihil ferme iam esset opus consulere ceteros tunc Apostolos, ac rogare quænam essent aliorum de ea re sententiæ ac opiniones. Idcirco etiam satis fuit Christo, Petrum fuisse locutum, ac quid de fide sentiendum esset, clauum fixisse. Quin & laudauit sententiam eius; eamq. non esse habendam vt communem vel vulgarem, aut ex sensibus humanis depromptam, sed diuinitus a Deo Patre illi per Spiritum sanctum infusam, ceteris audientibus, patefecit. A

XVIII. DE SVMMO SACERDOTIO.

Hinc etiam, quoniam diuina illa Sapientia præuidebat fore, vt in Ecclesia sæpius eiusmodi quæ ad fidem pertinent, orirentur controuersiæ ac disceptationes, iure consuluit, vt a quo quid quolibet tempore decernendum foret, in comperto esset: et ne ex cuiusque animi sententia fide in diuersa distracta, diuina in Ecclesiã collata sacramenta vilescerent, vnum idemq. visibile omnibus caput statuendum putauit, cui ceteri subesent ac parerent. Quod quidem iure diuino humanoq. semper vbique gentiũ factitatum esse, compertissimum est. Apud Hebræos enim summum Pontificem, qui ceteris præesset sacerdotibus, a Deo institutum esse, non est qui nesciat: de quo præter illa quæ leguntur in diuinis Scripturis, hæc Iosephus [a] aduersus Apionem agens habet his verbis: Quæ poterit lex esse melior, aut iustior, quàm ea quæ Deum Principem omnium esse confirmat, sacerdotibus in communi quidem res præcipuas dispensare permittit, summo vero Pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter iniungit?] hæc Iosephus. Sed & quænam apud Gentes optimis legibus reperitur instituta Respublica, in qua non vnus esset summus sacerdos, qui iure & auctoritate ceteros antecelleret sacerdotes? Non morabimur hæc in singulis demonstrare: satis ad exemplum ipsa in primis Romana Respub. in qua Pontifex maximus maximum omnium tum in ceteros sacerdotes, tum in alios magistratus sibi vendicabat imperium. In Atheniensium quoque Republica summus etiam sacerdos erat, qui in Areopago rogabat singulorum sententias ac colligebat. est de his exemplum in decreto, quod Iosephus [b] recitat facto sub Principe Agathocle. B C

[a] Ioseph. contra Apion. lib. 2.

[b] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 16.

XIX. PETRI PRINCIPATVS.

Quod igitur diuino humanoq. iure, hac optima rationiq. in omnibus consentanea institutione, sancte pieq. ab omnibus, nonnisi numine impellente, vel naturæ iure id exigente, mutua velut quadam consensione factum esse reperiretur: Iesus, qui non legem scriptam venisset abrogare, iusve naturale a Deo menti cuiusque insitum labefactare, sed numeris omnibus omnia absolutissima reddere, instituto iam in Ecclesia collegio Apostolorum, ex illis vnum omnium maximum ac principem, qui ceteris præesset, elegit. Fuit hic Simon Ioannis, siue dixerimus Ionæ (est idem Ioannes quod Ionas abbreuiate apud Hebræos) hic inquam, qui (vt vidimus) tam prompto & alacri animo, quæ diuinitus acceperat de Christi diuinitate, palam confessus fuit; & ab eo gratiam rependente, sponsionem illam omnium maximam, quòd Cephas vocandus esset, acceperat; in præsentiarũ est id feliciter consecutus, dicente ei Domino: Tu es Cephas (sic enim vocem hanc, vt a Domino Syriace est prolata, describimus) & super hanc Cephan (quod significat durissimam petram) ædificabo Ecclesiam meam: Latine sic dicenda sententia: Tu es Petra, & super hanc Petram, &c.] sed vsitatius loco Petræ, Petrus, quòd magis conueniat viro vox masculina, dici consueuit. At de nomine Petri, quòd idem sit ac Petra, & non deriuatiuum ab ea, satis superius ostensum est, cum de Cephæ nomine diseruimus; eosq. insigniter decipi ignorantia vocis Syriacæ demonstrauimus, qui Petrum non esse petram, sed a petra deductum esse, existimarunt. D E

XX.

Quoniam vero hoc sacro Apostolorum conuentu Dominus noster Iesus Christus Ecclesiæ suæ sanctæ iacturus fundamentum, primarium lapidem ponit, dicens: Tu es Petrus, &c.] quod instituti ratio postulat, de ipso Ecclesiæ fundamento paulo fusius agamus. Nemo quid abiectum vel humile cogitet, dum audit super Petrum a Christo esse superædificatam Ecclesiam, quasi tanta structura super hominem quempiam innitatur: nam sic eam dicimus supra Petrum esse a Christo fundatam, vt idem ipse Christus basis quædam sit, ac potius structuræ fundamentum, de quo Paulus [c] ait: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.] Et quoniam sicut caput est Ecclesiæ Christus, ita & caput Christi (vt idem ait Apostolus [d]) Deus est: merito affirmandum sit, tantam molem ædificij potissimum

[c] 1. Cor. 3.

[d] 1. Cor. 11.

supra

A supra Deum inniti, in quo omnis [a] ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. Verum quantumlibet Deus omnipotens totum hoc quod oculis cernitur, admirabili quadam sapientia ac prouidentia moderetur: nihilominus tã in cælo quàm in terra statuit principatus, quibus qui sunt subditi pareant. quamobrem licet ipse sit auctor Ecclesiæ, protector, ac moderator; tamen principatum quemdam in ea esse voluit, ac monarchiam, quam Petro contulit, ac in eius successores propagauit. Sicut ergo (quod certum est) nemo potest aliud ponere fundamentum, præter id quod positum est, quod est Christus; ita etiam nec aliud quispiam ponet, quàm quod posuit Christus, neque conuellet, quod ipse firmauit, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.] [a] Ephes. 2.

ECCLESIAE FVNDAMENTA.

B Hanc nihilominus sententiam, quantumuis apertam ac perspicuam; Nouatores destruere volentes cauillationibus, eo amentiæ proiecti sunt, vt dicere non erubescentes eam non esse intelligendam de Petro, sed de Christo, in alienum prorsus sensum & longe a vero diuersum distrahere hæc verba non veriti sint; adeo vt non magis Petri, quàm aliorum Christianorum hominum, de quibus Apostolus dicit: Et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto] velint habitam esse rationem. Verum quàm germane, quàm pie ac sancte ea Christi verba sancti Patres semper acceperint; instar omnium vnus satis idoneus posset esse testis Cyprianus, qui temporis antiquitate, doctrinæ præstantia, martyrij denique dignitate & amplitudine ceteros facile antecellere videatur: quem, quid in eam sententiam dixerit, audiamus: in primis enim ad Cornelium scribens hæc ait [b]: Petrus tamen, super quem ædificata a Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ respondens voce, ait: Domine, ad C quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, &c.] hæc eadem scribens ad [c] Florentium Pupianum, cuius verba superius recitauimus. Idem de habitu virginum sic: Petrus etiam, cui oues suas Dominus pascendas tuendasq. commendat, super quem posuit & fundauit Ecclesiam, aurum quidem sibi esse & argentum negat.] Idem de vnitate Ecclesiæ: Super illum vnum (*Petrum scilicet*) ædificat Ecclesiam suam.] & infra hæc etiam verba, post multa de primatu Petri: Hoc erant vtique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur; & pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur.] alia id genus multa ibi habet, quæ breuitatis causa prætermittimus. Rursum de bono patientiæ: Item, inquit, Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, &c.] hæc Cyprianus, qui de Petro sæpe eadem inculcat. Antiquior ipso quidem Tertullianus [d], licet alioqui in Romanam Ecclesiam parum æquus, hæc de Petro nihilominus: Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum?] Idem in libro de monogamia: Petrum solum inuenio maritum per socrum: monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura.] & in libro de pudicitia: Qualis es, inquit, euertens atque commutans manifestam Domini intentionem, personaliter hoc Petro conferentem: Super te, inquit, ædificabo Ecclesiam meam.] [b] Cypr. epist. 55. [c] Cypr. epist. 59. [d] Tertull. lib. de præscript. c. 22.

D

XXI. SVPER PETRVM QVOMODO ECCLESIA SIT.

XXII. PATRVM OMNIVM VNA SENTENTIA.

Origenes [e] item in hunc modum: Petro summa rerum de pascendis ouibus cum traderetur, & super ipsum velut super petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur.] idem [f] ipse alibi: Petrus, super quem Christus E fundauit Ecclesiam, duas tantummodo epistolas scripsit.] Epiphanius [g] vero non minus eleganter profitetur eadem; cuius idcirco verba audiamus: Ipse Dominus, inquit, constituit eum primum Apostolorum, petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est, & portæ inferorum non valebunt aduersus illam: portæ enim inferorum sunt hæreses & hæresiarchæ, &c.] At quid Hilarius [h] de Petro? O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaq. ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clausura dissolueret: O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo.] hæc ille. Hieronymus [i] insuper scribens ad Damasum, egregius ceterorum veritati adstipulantium socius inuenitur, sic dicens: Beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatã Ecclesiam scio: Quicumque extra domum hanc agnum comederit, profanus est.] idem alibi: Si-

[e] Orig. in epist. ad Rom. cap. 6. lib. 5.

[f] Orig. in Mat. de can. noui testamenti.

[g] Epiph. in Anacorat.

[h] Hilar. in Mat. c. 16.

[i] Hier. epist. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Hier. aduerſ. Pelagian.
b Hier. in Iſai. c. 2.
c Hier. in Mat. c. 16. contra Iouinian. lib. 1. ad Marcell. epiſt. 54.

bi [a]: Sicut ille princeps philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccle- A
ſia Domini ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tẽpeſtate con-
cutitur.] ac iterum [b]: Super vnum montium Chriſtus fundat Eccleſiam, & loquitur
ad eum: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.] atque hæc
eadem alibi ſæpius [c].

XXIII. Ambroſius etiam id ipſum multoties teſtatum reliquit, vt cum ait [d]: Vos autem
quem me eſſe dicitis? Petrus ſtatim, loci non immemor ſui, primatum egit, prima-
tum confeſſionis vtique, non honoris, primatum fidei, non ordinis.] hæc de Petro
Ambroſius, cum nondum caput Eccleſiæ fuerat a Domino conſtitutus. ſed quid ſub-
dit? Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit pro ceteris Apoſtolis, immo pro ceteris, & ideo
fundamentum dicitur.] & poſt pauca: Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum: non
de carne Petri, ſed de fide dictum eſt: quia portæ inferi non præualebunt, ſed confeſſio B
fidei vicit infernum.] hanc idcirco Ambroſius de carne Petri & fide Petri habet diſtin-
ctionem, ne videretur cum Petro etiam interijſſe Eccleſia: ceterum nonniſi ex fidei
confeſſione eam Petrus prærogatiuam promeruit. vnde idem Ambroſius [e] hæc alibi:
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: petra enim dicitur, eo
quòd primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tamquam ſaxum immobile
totius operis Chriſtiani compagem molemq. contineat, &c.] Certe ipſum Ambro-
ſium non aliud quàm hoc ipſum ſenſiſſe, quòd Petrus ſit petra, ſuper quam Eccleſia ſit
fundata, Auguſtinus teſtatur [f].

d Ambroſ. de incar. c. 4. in fin. et c. 5.
AMBROSII DISTINCTIO.
e Ambroſ. ſerm. de fide Petri.
f Aug. Retract. lib. 1. c. 21.

XXIV. Sic etiam eodem ſenſu ſuper fidem Petri & aliqui alij dixerunt fundatam eſſe Eccle-
ſiam; non quòd illam ſepararent a perſona Petri, ſed ne vno extincto Petro, etiam fi-
des Chriſti, ipſaq. Eccleſia corruiſſe videretur; cum & Dominus ſit Petro pollicitus, fi- C
dem ipſius nullo vmquam tempore deſituram. Nam & Cyrillus [g], qui iſtud ipſum
dixerat in libris de Trinitate, quid alibi [h] profiteatur, attendamus: Non Simon, in-
quit, fore iam nomen ſibi, ſed, Petrus, prædicit: vocabulo ipſo commode ſignificans,
quòd in eo tamquam in petra lapideq. firmiſsimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.]
In eodem ſenſu Baſilius [i] etiam hæc de Petro: Quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ in ſe
ædificationem ſuſcepit.] & alibi [k]: Etſi, inquit, Petrus petra eſt, non vt Chriſtus pe-
tra eſt, ſed vt Petrus petra eſt. Chriſtus enim re vera petra eſt immobilis & inconcuſſa,
Petrus vero propter hanc petram: largitur enim Deus ſuas dignitates, non euacuans
ſe, ſed habens dat. Lux eſt: Vos eſtis, inquit, lux mundi. Sacerdos eſt: ſacerdotem
facit. Petra eſt: petram facit, &c.] Rurſus etiam Gregorius [l] Nazianzenus hæc ha-
bet verba, dum agit de Petro: Vides quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis D
vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccle-
ſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat?] hæc Gregorius. Chryſoſtomus item, qui
in eamdem ſententiam locutus videbatur, hæc, locum illum Matthæi explicans [m],
ait: Pater ad Hieremiam dicebat [n]: Sicut columnam ferream, & ſicut murum æneum
poſui te. ſed ipſum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chri-
ſtus præpoſuit.] & paulo poſt ſic: Ego tibi dico, inquit, tu es Petrus, & ego ſu-
per te ædificabo Eccleſiam meam.] & alibi: Princeps Apoſtolorum Petrus, ſuper
quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, vere immobilis petra, & firma confeſsio, nonne
pauper erat? &c.]

g Cyril. de Trinit. lib. 4.
h Cyril. in Ioan. c. 12. lib. 2.
i Baſil. aduerſ. Eunom. lib. 2.
k Baſil. hom. 29. de pœnit.
l Greg. Nazian. orat. de moder.
m Chryſoſt. in Matth. hom. 55.
n Hierem. 1.

XXV. Non prætereamus Auguſtinum, qui & iſtæc de Petro in Eccleſia aduerſus Donati-
ſtas cani voluit his verſibus [o]: E

Numerate ſacerdotes vel ab ipſa Petri ſede,
Et in ordine illa Patrum quis cui ſucceſſit, videte.
Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.]

Hæc cum dicat, atque occini in Africana Eccleſia ipſe velit: cur Nouatores de eodem
Patre quæſtionem mouent, quaſi hæc verba, Et ſuper hanc petram] intelligenda dixiſ-
ſet de Chriſto? Sed ad hæc & alia quæ ſuperius ex eodem auctore citauimus, dum de
Cephæ nomine egimus, prouoco illos. Quòd ſi idem ipſe in Retractationibus ſuis le-
gentium arbitrio relinquat, quam velint ex duabus ſententijs alterã ſequi; hæc idcir-
co tunc ipſe (quod alias diximus) quòd vim vocis Syriacæ minus fuerit aſſecutus, dum
putauit (quod ait) nomen Petri non eſſe idem quod petra, ſed deriuatum ab ea. At ne
eadem ſæpe repetere cogamur, conſule quæ ſuperius dicta ſunt de nomine Cephæ.

o Aug. in Pſal. contra partem Donatiſt. Habetur tom. 7. in priuc.
AVGVSTINI SENTENTIA.

Porro

A Porro nullum eſt dubiũ, quin idem Pater ſit fidiſſimus aſſertor primatus Petri, vt cum
ait [a]: Quis enim neſciat Apoſtolorum principem beatiſſimum eſſe Petrum? &c.]
In hanc ſententiam hæc S. Leo [b]: De toto mundo vnus ſanctus Petrus eligitur, qui &
vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſq. Eccleſiæ Patribus
præponatur: vt quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multiq. paſtores, omnes
tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus, &c.] hæc ille, qui
plura habet id genus. Iſtæc ipſa omnia etiam in ſacroſancto Concilio Oecumenico
Epheſino [c] coram Patribus, Apoſtolicæ ſedis Legatus Philippus his profeſſus eſt verbis:
Non ignara eſt veſtra beatitudo, totius fidei, ceterorumq. omnium Apoſtolorum ca-
put beatum Apoſtolum Petrum extitiſſe.] idemq. inferius hæc verba [d]: Nulli dubium,
immo ſæculis omnibus notum eſt, ſanctum beatiſſimumq. Petrum Apoſtolorum prin- B
cipem, & caput, fideiq. columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentũ, a Domino no-
ſtro Ieſu Chriſto, Saluatore noſtro, humaniq. generis Redemptore, cæleſtis regni cla-
ues accepiſſe; ſoluendi atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe; necnon
per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſas decernere, ſemperq. victurum eſ-
ſe.] hæc ille in frequenti ac plena Synodo.

a Aug. in Ioan. tract 5.
XXVI.
b Leo ſerm 3. in Anniuerſ. die ſuæ aſſumpt.
c Act. Epheſ. Concil. to. 2. c. 5. edit. Peltana.
d Idem ibid. c. 16.

Denique ne vlterius longiori digreſſione vagemur, ſed vno verbo dicamus: quot- XXVII.
quot poſt recitatos fuerunt ſcriptores Eccleſiaſtici Orthodoxi, quotquot etiã fuerunt FVNDAMEN-
Synodi in Spiritu ſancto legitime congregatæ, id ipſum omnes æque conſtanter inge- TVM IMMO-
nuecq. profeſſæ ſunt, Petrum ſcilicet a Chriſto Domino fundamentũ Eccleſiæ eſſe con- BILE.
ſtitutũ: atque adeo, vt ſicut (quod diximus) nemo poteſt fundamentum aliud ponere,
præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus; ita nemo reuellere aut diſſoluere vmquam
C valeat Eccleſiæ fundamentum, quod poſuit Chriſtus, compaginatũ Chriſto, ac ſtabi-
litũ verbo Chriſti. Hæc itaque adeo ſolida atque conſtantia, verbo Domini ac totius Ca-
tholicæ Eccleſiæ conſenſione recepta atque probata, velle iterum in dubium reuocare,
nonniſi emotæ mentis, perfrictæ frontis, infrenis linguæ, ac denique vecordis homi-
nis eſſe poteſt. Sed inſaniant licet: firmata tamen ſemel verbo Domini ſupra firmam
petram Eccleſia, portæ inferi non præualebunt, ſicut nec præualuerunt, aduerſus eam.
Verum ſtabit & in hoc verax ſententia Domini, qua dicit [e]: Qui ceciderit ſuper lapi- e Matth. 21.
dem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.] Ceterum quod
pertinet ad primatum Petri iam verbis Domini ſtabilitum: quomodo alias in futurum
frequentius fuerit demonſtratus, & certis quibuſdam ſignis euidentiſſime declaratus,
ac ſubinde in poſteros propagatus, ſuis locis opportunius dicemus; nec ſuo etiam loco
D tacebimus, quomodo Dominus pollicitus ſit ſe daturum claues Petro, & quando id im-
pleuerit. Nunc vero ad ipſam Euangelicam hiſtoriam redeamus.

In hunc modũ ſtabilito Eccleſiæ Catholicæ fundamento; Dominus comminatus f XXVIII.
ne cui diceret quòd ipſe Chriſtus eſſet, docens eos quid paſſurus Hieroſolymis, & f Matth. 16.
quomodo poſtea tertia die reſurrecturus eſſet, palam prædixit. Tunc Petrus appre- Marc. 8.
hendens eum, cœpit increpare illum, dicens: Abſit a te Domine, non erit tibi hoc. Ad Luc. 9.
quem conuerſus Ieſus, redarguens eum dixit: Vade poſt me ſatana, ſcandalum es mi- Concord. c. 66.
hi: quia non ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.] Hinc certe videmus (inquit CHRISTVS PRÆ-
Ioannes Chryſoſtomus [g]) non a ſe ipſo, ſed ex reuelatione priora illa dixiſſe: quia in his DICIT DE SVA
quæ reuelata non ſunt, turbatur, & percellitur, & centies audiendo non ſentit quod di- PASSIONE.
citur. Didicerat quæ profeſſus fuerat rudimenta fidei, quòd Chriſtus eſſet filius Dei: g Ioan. Chryſoſt. in Matthæum hom. 55.
E ſed nondum didicerat myſterium Crucis: non enim adhuc, ſicut illud, fuerat ei reuela-
tum a Patre: vt merito dicatur ſapere quæ ſunt hominum, & non quæ ſunt Dei, appa-
reatq. humano ſpiritu ea dixiſſe; & quia immenſo quodam [h] amore illius tenebatur, h Hieronym. in Matth. c. 16.
nonniſi quæ pacifica ac iucunda eſſent, cupiebat illi: vt cum in monte Tabor dixit:
Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c.] Sicq. quantumlibet appellet eum ſata-
nam, non tamen [i] afflatum dicit ſpiritu ſatanæ, ſed humano potius, quippe quòd ſa- i Chryſoſt. in Matth. hom. 55.
piat quæ ſunt hominum. Porro ſic appellat eum ſatanam, non quòd ſit ſpiritus ille ne-
quam (quomodo enim vel eſſe, vel agi poterat diabolico ſpiritu, cum Dominus illum,
quòd quæ ſunt hominum & non Dei ſapiat, tantum accuſet?) ſed ſatanam appellat,
hoc eſt, aduerſarium (id enim proprie hæc vox σατανᾶς ſignificat) vt qui Cruci ipſius
aduerſaretur: ſic & eumdem ſibi eſſe ſcandalo dicit, quaſi impedimento ſiue offendi-
culo in via, dum obſiſtit Domino, ne pateretur. Eo vero velut terræmotu etſi concuſ-

ſus eſt

sus est Petrus, non tamen conuulsa est ipsa petra, verbis Domini compaginata & stabilita, quam immobilem fore permansuram promisit. A

XXIX.

Post hæc [a] conuocata turba, de tollendo ab vnoquoque crucē suam, & vt sequerentur se, tradidit disciplinam; & quæ foret pœna non confitentis, sed erubescentis, admonuit, prædixitq. de suo aduentu cum gloria. Inde [b] post dies ferme octo assumens secum Petrum, Iacobum, & Ioannem, ducit eos in montem excelsum seorsum; & dum oraret, transfiguratus est ante eos, adeo vt sicut Sol facies eius resplenderet. Visi sunt Moyses & Elias loquentes cum eo de excessu quem Hierosolymis impleturus erat: quid tunc Petrus dixerit, ac cetera quæ sunt secuta, Euangelistæ fusius prosequuntur. Montem illum excelsum, fuisse Tabor in Scripturis diuinis celeberrimum, apud omnes est in confesso. Hunc Iosephus [c] Itabyrion nominans, situm scribit inter Scythopolim & Campū magnum protensum in altitudinem triginta stadijs, ex Septentrionali parte esse inaccessum, in vertice habentem planiciem viginti stadiorū. De eo item Hieronymus [d] hæc habet: Tabor terminus Zabulon: est autem mons in medio Galilææ campo, mira rotunditate sublimis, distans a Diocæsarea decem millibus contra Orientalem plagam: qui confinium quoque inter tribum Issachar & Nephtalim fuit.] hæc ille. Idemq. superius, distare ait ab eo Naim duobus milliarijs contra Meridiem, Nazareth vero contra Orientalem plagam ab eo distare quindecim milliarijs. Auctor est Beda [e], in memoriam tam glorioſi mysterij, tres illic in montis vertice esse ædificatas ecclesias, secundum quod dixerat Petrus: Faciamus hic tria tabernacula] grande insuper apud eas monasterium esse constructum. Fuisse totam planiciem montis verticis muro cinctam, atque munitam aduersus Romanos, idem qui supra Iosephus testatur. Christianos illo accedere consueuisse religionis causa, affirmat S. Hieronymus [f], qui de Paula hæc scribit: Scandebat montem Tabor, in quo transfiguratus est Dominus: aspiciebat procul montes Hermon & Hermonium, & campos latissimos Galilææ, in quibus Sisara, & omnis exercitus eius, Barach vincente, prostratus est: Torrens Cisson, qui mediam planiciem diuidebat; & oppidum iuxta Naim, in quo viduæ suscitatus est filius, monstrabatur.] hæc ille. Sed iam ceteras res a Domino gestas prosequamur cœpto ordine.

XXX.

Sequenti [g] vero die cum iam descendisset de monte, dæmoniacum curat, quem discipuli eius curare non potuerant, quos incredulitatis redarguit, & quanta tribuenda essent habenti fidem, adiunxit. Post hæc Galilæam [h] peragrans, rursus de futura sua passione sermonem ingessit: quo contristati sunt discipuli eius, ac timentes non ausi sunt quicquam eum rogare. Cū vero aduenisset Capharnaum, exactor tributi de didrachmate persoluendo a Domino, Petrum interpellat. Iesus quamuis se ab eo tributo esse liberum demonstraret, tamen ne offenderentur homines, iussit Petrum piscari, & de stratere inuento in ore piscis persolui tributum. Quod cum didrachma sit dictum, non aliud esse videtur, quam illud [i] quod a Domino est imperatum filijs Israel: nimirum vt viri omnes a vigesimo anno & supra pro redēptione & propitiatione sua darent in vsum tabernaculi dimidium sicli, quod est didrachma: duo autem didrachmata vnum faciunt stateram, duo autem stateres vnam vnciam, prout Epiphanius [k] docet his verbis: Libra habet duodecim vncias: vncia habet stateres duos: stater quidem est dimidium vnciæ, habet autem duo didrachmata. Siclus, qui & quadrans dicitur, quarta pars est vnciæ, dimidium stateris, habens duas drachmas: vnciæ enim erant octo drachmæ.] hæc Epiphanius, quibus consentientia scribit Hieronymus [l], & alij. B C D

XXXI.

Vsque autem ad Vespasiani tempora perseuerasse eiusmodi tributi solutionem, vt singuli duas drachmas offerrent in templo, Iosephus [m] auctor est: qui addit, templo destructo, ac subactis Iudæis, illud ipsum didrachma ab omnibus Iudæis vbique gentium habitantibus in Capitolium ferri iussū. sunt hæc verba ipsius: Stipendiū vero, vbicūque degerent, Iudæis indixit, binasq. drachmas singulis annis deferre in Capitoliū iussit, ita vt antehac Hierosolymorū templo pendebant.] sic namque vbicūque gentiū agere solerent Iudæi, singulos eorum eiusmodi didrachma pendere solitos, idem [n] auctor affirmat. Putarunt nonnulli, eo quòd dixerit Dominus, interrogans Petrum: Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filijs suis, an ab alienis?] dictum didrachma, tributum esse, quod tunc Iudæi Romanis persoluerent. Sed hæc minime nobis probantur: quandoquidem id quod in exemplum deducitur, non est id ipsum de quo agitur. Porro ea de Regibus gentium exempli causa a Domino fuisse inducta, nulli dubiū est; E

nam

i Matth. 16. Marc. 8. Luc. 9. Concord. Euāg. c. 66.

b Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. Concor. c. 67.

TRANSFIGVRATIO DOMINI.

c Ioseph. de bel. Iud. lib. 4. c. 2.

d Hier. de locis Hebraic.

e Beda de locis sanct. c. 17.

f Hier. epist. 27.

g Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. Concord. c. 68.

h Concord. c. 69.

DE PERSOLVENDO DIDRACHMATE.

i Exod. 30.

k Epiphan. lib. de mens. & pōd.

l Hier. in Ezech. c. 4. & Ioseph. antiq. lib. 3. c. 9.

m Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 20. in fin.

n Idem antiq. lib. 18. c. 12.

IVDAEI ROMANIS DIDRACHMA SOLVERVNT.

nam quo modo veritate consistere potest, & ad Christum inferri quod dicitur de Regibus gentium, qui non exigunt tributum a filijs? num ex Regibus gentium erat progenitus Christus, vt immunis esset a pensione tributi? Sed optime illud infertur: sicut Reges gentium a filijs tributum non exigunt, eadem ratione Dei filiū esse immunem a tributo, quod Deo penditur ad vsum templi. Verum enimvero diuersi generis fuisse tributum, quod Iudæi persoluebant Romanis, opportunius suo loco agemus, cum de numismate census, quod ostensum est Christo, fusius disseremus. Qui ergo venit in omnibus legem implere, didrachma etiam, ne quisquam ex Iudæis offenderetur, persoluere non recusauit.

XXXII.

A TRIBVTO QVI SINT LIBERI.

Sed quòd præ ceteris Petrus interpellatur pro Domini tributo, eidemq. de eo soluendo præ ceteris mandatur cura, ac ad piscandum mittitur; & inuento stratere, pro Domino ac pro se exactori soluere iubetur: quid aliud nisi Petri primatum insinuat? Verum cum Reges non a filijs tributum exigere solere, Dominus monstrasset: inde nec se neć suos tributi lege teneri, perspicue inferre voluit. vt & hinc videas quàm perperā ex his Nouatores nouam inferant sententiam, sacerdotes ac clericos non esse immunes a Principum vectigalibus. Quid de his dicam, cum Reges gentium tantum detulerint sacerdotibus suis, vt absque tributo eos liberos agere voluerint, hisq. maiora præstiterit Pharao [a] Rex Ægyptiorum sacerdotibus suis? Apud Romanos tantum abfuit vt ipsi tributa persoluerent, vt potius sumptus acciperent ex ærario, vt Dionysius [b] Halicarnassensis testatur. Ceterum non subest amplius aliqua ratio vitandi scandali, qua pro se & Petro voluit Iesus stalerem pendi: nam tunc venerat implere legem, & necdum a Patre acceperat gentes hereditatem suam. At cum ille Rex Regum mundo innotuit, & regale instituit sacerdotium: quænam subest ratio vitandi scandali, si tributum a suis sacerdotibus non soluatur? Vnde & Hieronymus [c] optime hoc in loco: Nos, inquit, pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis a vectigalibus immunes sumus.] quòd scilicet immunes essent sacerdotes, ac omnis Ecclesiasticus ordo a pensione tributi, Christi causa, cuius respectu Principes Christiani nullum illis de ea re negotium exhiberent. atque hæc obiter, sed alias locupletius. Et vt redeamus vnde digressi sumus: hæc declarauit Christus de primatu Petri: nam quantumlibet antea id sæpius demonstrasset, tamen quòd [d] suborta fuisset in itinere contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, Iesus factis potius, quàm verbis, voluit eos admonuisse. Ceterum non prætermisit admonere eos: nam cum essent domi, ac de his quæ tractassent in via, rogaret eos; ea occasione de humilitate sectanda egregiam instituit orationem: et ne inuidiæ stimulis exagitarentur, aperte monstrauit, eo maiores fore homines in regno cælorum, quo hic humiliores animo extiterint, nec nisi humiles illuc ingressuros.

a Genes. 47.

b Dionys. hist. Rom. lib. 2.

c Hier. in Mat. c. 17.

PETRI PRIMATVS ITERVM DECLARATVS.

d Matth. 19. Marc. 9. Luc. 9. Concord. c. 70.

XXXIII.

Inter hæc Ioannes Iesum interpellat de homine, qui in eius nomine dæmonia eijceret. At ille nullum ea de causa negotium ei faciendum dixit, quòd non esset aduersarius, qui suo nomine aduersus dæmones vteretur. Rursus institutam semel persequens orationem; sicut præmium illi qui paruulū quempiam nomine suo reciperet, vel quid minimum eidem impartiretur eodem nomine, fore prædixit; ita [e] etiam grauissimis pœnis esse subijciendum præmonet, si quis aliquem ex pusillis qui in ipsum crederent, quoquo modo offenderet; habereq. illos Angelos defensores ac testes, qui semper videant faciem Dei Patris: omniaq. insuper hic a nobis sufferenda, quantumlibet grauia, quàm pati extorres esse a regno cælorum, admonuit: seq. venisse in hunc mundū saluatorem, perinde ac pastor solet, relictis ceteris, ouem perditam quærere in diserto. Postmodum peccantes [f] admonendos esse docuit, & quo ordine id faciendū esset, commonuit Apostolos: in eorumq. esse arbitrio eosdē soluere atque ligare: et quod ipsi statuissent in terris, haberi ratum in cælo. Roganti tum Petro, quoties peccanti homini deberet ignoscere, num septies? respondit: Non tantum septies, sed etiam septuagies septies. Post hæc vero exemplo duorum conseruorum debitorum, eosdem ad remittenda aliorum errata eleganter instituit: quorum alterum a domino suo debiti remissionem consecutum, quòd conserui sibi pauca debentis non misertus fuisset, dominus iratus tradidisset cruciandum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.

e Matth. 18. Marc. 9. Concord. c. 71.

f Matth. 18. Concord. c. 72.

XXXIV.

Tortoribus quidem iure antiquo Romanorum tradi olim debitores, nulla est dubitatio: habes apud Liuiū [g] id sæpe testatum, nimirū debitores, qui soluendo non essent,

g Liu. decad. 1. lib. 1. & 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DEBITORVM ANTIQVAE POENAE.

dari in seruitium creditoribus, ab illis in ergastulum trudi, ac verberibus flagellari. A
Dionysius[a] quoque idem testatur, additq. non debitores tantum, sed & eorum filios
creditoribus tradi solitos. Certe longe his immitior erat ac inhumanior lex duodecim
tabularum, quæ his verbis conscripta recitatur a Gellio[b]: Æris confessi, rebusq. iure
iudicatis, triginta dies iusti sunto: post deinde manus iniectio esto, in ius ducito: ni iu-
dicatum facit, aut quis endo eo in iure vindicit, secum ducito, vincito, aut neruo, aut
compedibus quindecim pondo, non minore, aut si volet maiore vincito. si volet, suo
viuito. ni suo viuit; qui eum vinctum habebit, libram farris endo dies dato. Si volet,
plus dato.] Erat, subdit auctor, ius interea paciscendi: ac nisi pacti forent, habeban-
tur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in
comitium producebantur, quantæq. pecuniæ iudicati essent prædicabatur: tertijs au-
tem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant: sed eam B
capitis pœnã, sanciendæ, sicuti dixi, fidei gratia, horrificã atrocitatis ostentu, no uisq.
terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus,
secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis, permiserunt. Et quidem ver-
ba ipsa legis dicam, ne existimes me inuidiam istam forte formidare: Tertijs, inquit,
nundinis partes secanto. si plus minusve secuerunt, sine fraude esto.] hæc apud Gelliũ
lex duodecim tabularum. Porro quantumlibet mitiores Romani redditi, a nece debi-
torum & sectione abstinuisse visi sint: tamen vsque ad Constantini tempora, debito-
res, eorum legibus, plumbatis cædi consueuisse constat: siquidem idem Imperator[c]
Christiana mansuetudine imbutus, a plumbatarum ictibus primus exemit debitores.
Apud Iudæos legibus Romanorum adstrictos, ijsdem pœnis affici debitores consueuis-
se, a Domino recitata parabola non obscure indicat. C

[a] Dionys. Halic. hist. Rom. lib. 6.
[b] Gell. lib. 20. c. 1.
[c] l. 1. & 7. de exact. C. Theod.

XXXV. CHRISTI MIRACVLA.

Post hæc autem[d] ea oratione absoluta, Dominus noster inde recessit, atque e Gali-
læa migrauit: cumq. Hierosolymam ad festum diem, qui Scenopegia dicebatur, itu-
rus, a Samaritanis prohiberetur hospitio; discipulos paratos vlcisci, redarguit. In iti-
nere[e] adhuc posito, apud quoddam castellum, occurrunt decem viri leprosi a longe
stantes, ac clamantes implorabant eius opem: quos Dominus abire iussit ad sacerdotes:
cũq. illi obtemperantes irent, mundati sunt: at ex illis vnus tantum rediens, gratias illi
egit. Peruenienst inde Hierusalẽ, ipso die festo ascendit in templũ, ac docuit populum,
laudantibus alijs, alijs mirantibus, & alijs aduersantibus ac apprehendere conantibus,
quos Dominus sermone repressit. Perrexit[g] inde ad montem Oliueti, qui adiacet Hie-
rosolymis a plaga Orientali: vnde in templum rediens, sedens docebat populum:
tunc oblatam sibi mulierem deprehensam in adulterio, deficientibus accusatoribus, D
absoluit, perseuerans docere populum: at contradicentibus Pharisæis, & lapidare eum
quærentibus, se ab illorum subduxit aspectu, & exiuit de templo. Præteriens[h] autem,
videns hominem cæcum a natiuitate, facienq. lutum ex sputo, liniuit ex eo oculos
eius, præcepitq. abire ad Natatoriam Siloæ, illicq. oculos lauare: quod vt ille fecit, vi-
sum recepit.

[d] Matth. 19. Marc. 10. Luc. 9. Ioan. 7. Concord. c. 73.
[e] Luc. 17. Concord. c. 74.
[f] Ioan. 7. Concord. c. 75.
[g] Ioan. c. 8. & 9. Concord. c. 76. & 77.
[h] Ioan. 9. Concor. c. 78.

XXXVI. DE FONTE SILOE.

Quod spectat ad aquas Siloæ, hæc de ijs tradit Hieronymus[i]: Siloam autem fontem
esse ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed in certis horis diei ebulliat,
& per terrarum concaua ad antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare
non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus prouincia.] hæc Hieronymus.
Quomodo vero fons ille primum eruperit precibus Isaiæ, & vnde nomen acceperit,
Epiphanius[k] his verbis eiusmodi recensет historiam: Fontem quippe Deus Siloam E
causa Prophetæ effecit: quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus est, vti
vndas illinc emittere dignaretur: et confestim dimisit illi cælitus aquam viuentem,
vnde sortitus est locus ille appellationem Siloam, quod si quis interpretetur, sonat de-
missum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam stagnum piscinasq. fabricasset, pre-
cibus Isaiæ effectum vt exigua lympha scaturiret, quod populus in obsidione hostium
teneretur; ne ipsa periret vndis destituta ciuitas. Milites igitur perscrutabantur vndi-
que vbinã sedare sitim daretur, ignorabant enim. Vrbe quippe iam potiti, obsidebant
Siloam. Quandocumque itaque indigentes Iudæi aquatũ venerant, scaturiebat eis vn-
da, & aquabant: exterarum vero nationũ homines reperire nesciebant; latex namque
ausugiebat. Eoq. vsque ad hodiernum diem eructatur clanculum, quo significetur my-
sterium. Ceterum quandoquidem Isaiæ Prophetæ istud acceptũ referunt, in perennem

[i] Hier. in Isai. c. 8.
[k] Epiph. de vita & interitu Proph. c. 7.

A eius rei memoriam, populus accurate Prophetam isti solo cum gloria & honore reddi-
dit; vt per eius intercessionem, in consummationem vsque sæculi, aquæ huiusmodi fru-
ctus impetretur, cui scilicet vsum referebant acceptum.] hæc Epiphanius, cum agit de
sepulchro Isaiæ apud Siloam posito. Huius quoque fontis meminit & Iosephus.

XXXVII. DE SABBATICO FLVMINE.

At huic fonti Siloæ haud valde dissimilis videtur fons ille seu fluuius item in Palæsti-
na, Sabbaticus dictus, quòd die tantum sabbati flueret, ceteris diebus alueo sicco, non
apparens, de quo his verbis mentionem facit Iosephus[a], dum agit de Vespasiano Im-
peratore, qui illum vidit: Conspicit in itinere fluuium cognitione dignissimũ: is fluit
medius inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni ciuitates: habet autem quoddam
peculiare miraculum: nam cum sit, quando fluit, plurimus, neque meatu segnis; ta-
men interpositis sex diebus, a fontibus deficiens, siccum exhibet locum: deinde quasi
B nulla mutatione facta, septimo die similis exoritur: atque hunc ordinem eum semper
seruare, pro certo compertũ est: vnde etiam Sabbaticus appellatus est, a sacro Iudæo-
rum septimo die sic denominatus.] hæc Iosephus: ex quo erroris arguitur Plinius[b], qui
de eodem amne agens, semper fluere, sed sabbatis omnibus siccari testatur. Sed de his
hactenus. Post reprehensos qui miraculum de cæco illuminato obscurare conabantur,
idem Dominus[c] de bono pastore subintulit orationem; qua etiam, mercenarius quis
sit, egregie demonstrauit. Quibus traditis, calumniabantur alij ipsum esse arreptum a
dæmone, alij contra excusabant atque laudabant.

[a] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 24.
[b] Plin. hist. nat. lib. 31. c. 2.
[c] Ioan. 10. Concord. c. 79.

XXXVIII. DE LXXII. DISCIPVLIS.

Post[d] inde vero designauit Dominus & alios septuagintaduos, & misit illos binos
ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus: quos etiam
de his quæ agere deberent, admonuit. Quòd vero de numero discipulorũ textus Euan-
C gelij reperiantur diuersi, dum alij codices habent, septuagintaduos, alij vero septua-
ginta tantummodo: inde in ore omnium versatur disputatio, Num septuaginta tan-
tum, vel septuagintaduo rei veritate discipuli fuerint. Si auctoritate antiquorum res
agitur, septuagintaduo reperiuntur. Tatianus enim in sua Euangelica harmonia legit
septuagintaduos, Ammonius[e] itidem, Epiphanius[f], Hieronymus[g], Augustinus[h], Be-
da, & alij recentiores quamplurimi: nec prætermittimus testimonium ex constitutio-
nibus Clementis[i], apud quem septuagintaduo discipuli leguntur. Sed obijcitur Hiero-
nymum septuaginta discipulos numerare: cum enim[k] agit de quadraginta duabus
mansionibus ad Fabiolam, sic ait: Nec dubium quin de duodecim Apostolis sermo sit,
de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas
septuaginta creuerunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores,
D Luca Euangelista testante duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos mino-
ris gradus.] Verum cum idem ipse perpurgatũ omniq. labe emaculatum eiusdem Lu-
cæ Euangelium vna cum alijs tribus ad Damasum mittit, ex emendatioribus codicibus
restituit[l] numerum septuagintaduorum. Porro de egregia a se nauata opera in emen-
dandis codicibus deprauatis quatuor Euangeliorum, idem ad Damasum scribens hæc
ait[m]: Igitur præsens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum or-
do hic est, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum Græcorum emendata colla-
tione, sed veterum; quæ ne multum a lectionis Latinæ consuetudine discreparent, ita
calamo temperauimus, vt ijs tantum quæ sensum videbantur mutare correctis, reliqua
manere pateremur, vt fuerant.] hæc ille, ac plura id genus de labore a se susceptο in
tanto negotio obeundo.

[d] Luc. 10. Concord. c. 8.
[e] Ammon. in Concord. Euäg.
[f] Epiph. in Panar. lib. 1. c. 1. & 2.
[g] Hieron. in can. Luc. Euäg. c. 10.
[h] Aug. quæst. Euang. lib. 2. c. 14. & alijs locis.
[i] Clem. const. lib. 2. c. 59.
[k] Hieron. epist. 127. manss. 6.
[l] Hier. in can. Euäg. Luc. c. 10.
[m] Hier. in præfat. in 4. Euang. ad Damas.

XXXIX. DE VSV ABBREVIANDI NVMERVM.

E Ceterum haud mirandum, si penes aliquos septuaginta tantum nominatos discipu-
los quis inueniat: id enim perinde accidit, ac cum citati reperiuntur Septuaginta inter-
pretes, quos absque vlla dubitatione constat fuisse septuagintaduos, sex e singulis tri-
bubus; tamen breuitatis causa apud nonnullos vsu receptum esse videtur, vt cum illos
allegant, Septuaginta tantũ dicant interpretes. Sicut & olim apud Romanos collegium
Centumvirum dicebatur, cum tamen re vera constaret fuisse centum & quinque Iudi-
ces, qui lites iudicarent; nam tres eligebantur ex singulis tribubus, quæ erant triginta-
quinque. Porro si dicere voluerimus, eo numero alludere voluisse Dominũ ad illos se-
niores, quos Deus præcepit[n] Moysi vt eligeret, qui in administranda tanti populi cura
essent illi adiumento: plane constat eos fuisse septuagintaduos, additis nimirũ Eldad &
Medad, qui in castris remanserant: nã & ipsi (inquit diuina Scriptura) descripti fuerant.
quo exemplo perseuerauit apud Iudæos concilium seniorum septuagintaduorũ, quod

[n] Num. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

* Sanedrin

Synedrin * appellabāt, totidemq. fuerunt interpretes magna cura ab Eleazaro Pontifice ad Ptolemæum Regem missi, qui sacros codices in Græcam linguam verterent. A

XL. DE NOMINIBVS DISCIPVLORVM

Nomina autem discipulorum, qui a Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui: omnes fere, quorum inuenerunt in epistolis Pauli fieri mentionem, quos eiusdē Apostoli constat fuisse discipulos, simul confarcinantes, nulla prorsus habita ratione veritatis, inter discipulos Domini adnumerarunt: et quod deterius est, eos admiscuerunt, qui nec Apostolorū discipuli fuisse noscuntur. Primus post Hippolytum (quod inuenerimus) eius rei auctor fuit Dorotheus, qui falso cognomine, Tyri Episcopus inscribitur, immo & ab aliquibus martyris, titulus eidem adijcitur: sed quàm diuersus sit ab illo Dorotheo Tyrio, qui multa passus est tēporibus Iuliani Apostatæ, dicemus suo loco: tu consule quæ notauimus in Martyrologio Romano, dum de Dorotheo Tyrio egimus. Hic inquam Dorotheus Cæsarem quemdam vnum fuisse B
a Paul. ad Philip. c.4. dicit ex discipulis Domini: Et huius, inquit, meminit Paulus [a], cum scribens ad Philippenses dicat: Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt.] perinde ac si de priuato aliquo homine,& non de Imperatore Paulus loquatur. Sed hæc potius risu sunt digna, quàm confutatione, cum nullum illis temporibus Cæsarem dici potuisse certum sit, nisi qui Imperator futurus eligeretur.

XLI. ANTIQVI DISCIPVLI.

At vero magna certe cautela adhibita, Lucas in Actis [b], dum de Iasone Domini discipulo mentionem facit, quo a recentioribus Apostolorum discipulis distinguat, antiquum discipulum nominat. Ex illis aliquot recenset Epiphanius [c], dum ait: Misit & alios septuagintaduos ad prædicandum, ex quorum numero fuerunt septem viduis præfecti, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, & Nicolaus; & Matthiam ante ipsos, Marcum, Lucam, Iustum, Barnabam, Appellem, Rufum, Ni- C
b Act. c. 21. *c Epiph. in Panar lib. 1. to. 1. in fine.* grum, & reliquos septuagintaduos.] hæc Epiphanius. Sed quod de Luca ait, res est accuratius inferius examinanda. At Eusebius [d], qui in his perquirendis haud parum laboris videtur insumpsisse, aperte fatetur, nusquam inueniri catalogum eiusmodi septuagintaduorum discipulorum: recenset tamen aliquos, quos ipse hinc inde expiscatus est, videlicet Barnabam, Sosthenem, Cephan, diuersum a Petro, Matthiam, &
d Eusch. histor. lib. 1. c. 12. *e Apud Eusch. lib. 3. c. 33.* Thaddæum: putarem & Ananiam inter eos adnumerandum. Papias [e] antiquus Theologus, auditor Ioannis Euangelistæ, recenset inter eosdem Domini discipulos Aristionem, & Ioannem alium, ab Euangelista quoque diuersum. Hactenus de nominibus
f Luc. 10. discipulorū Domini [f]: qui a prædicatione reuersi, gloriantes quòd dæmones etiam suo subijcerentur imperio, a Domino repressi sunt.

XLII.

Interim [g] interpellatus Iesus a quodam legis perito de salute consequenda, cum do- D
g Luc. 10. Concord. c. 81. cuisset quid agere deberet, parabolam de homine qui incidit in latrones, & de Samaritano subiunxit. Inde [h] Hierosolymis discedens, Bethaniam veniens, apud Martham diuertit; vbi Maria soror eius, ad pedes Domini sedens, audiebat verba illius. Alio
h Luc. 10. Concord. c. 82. ALIA CHRISTI OPERA. post hæc in loco constitutus, multa de orando Deum discipulos suos admonuit. Deinde [i] inuitatus a Pharisæo, aduersus iustitiam Pharisaicam multa disseruit; suosq. discipulos, ne illis essent similes, rursumq. ne corporis mortem timerent, & alia id genus
i Luc. 11. & 12. Concord. c. 84. & 85. plura ad virtutes capessendas instituit. Rogatus postea ab altero duorum fratrum, vt communem inter eos diuideret hereditatem, facere recusauit; deq. abijcienda diuitiarum solicitudine & cura, vt alias sæpius, multa disseruit: paratosq. esse debere ad diem nouissimum, atque ad pœnitentiam de admissis iniquitatibus agendā, recenti exem-
k Luc. 13. Concord. c. 88. plo vehementius inculcauit. His ita [k] intento Domino, de Galilæis occisis a Pilato, cum E
DE GALILAEIS A PILATO OCCISIS. seorsum sacrificarent, nuncium est delatū, deq. turri illa in Siloe collapsa, cuius ruina decem & octo homines oppressi fuerunt. Constat quidem hos proculdubio fuisse, qui non sacrificarent cum ceteris, sed seorsum, quippe qui sectæ Galilæorum gregales erant, quorum superius meminimus. Hi quòd negarent tributum pendendum Romanis, vel pro eis victimas cædendas, cum hæc omnia Iudæi facerent, templo abstinebant, seorsumq. conuentus agebant, ac sacrificia offerebant: quos cum sacrificantes nactus esset Pilatus, immissis in eos militibus, immaniter trucidauit. Sed magnopere considerandum est, quales essent ceteri Iudæorum, si comparatione horum, quos constat fuisse hæreticos, nihilo meliores istis fuisse testetur Dominus.

XLIII.

Interim [l] vero cum sabbati die doceret in synagoga, oblatamq. sibi contractam mu-
l Luc. 13. Concor. c. 89. lierem sanasset: mox ab Archisynagogo de die sabbati, quo curasset, mora est controuersia:

A uersia: quem Dominus multis redarguit, adeo vt aduersantes iam erubescerent: cumq. multa in eam dixisset sententiam, regnum cælorū grano sinapis, ac fermento, accommodatis ad eam rem collationibus, comparauit. Peragrans [a] postmodum Galilææ
a Luc. 13. Concord. c. 90. ciuitates ac castella, docebat omnes: tumq. de multitudine pereuntiū, & paucitate eorum qui saluandi essent, admonuit; ob eamq. causam contendendum sedulo, ac studendum, non secus ac si per angustissimam portam intrandum esset, persuasit. Hæc cum diceret, de Herode, quòd quæreret eum occidere, Pharisæi ipsum monuerunt, illincq. recedere suaserunt: quibus ipse respondit, sibi non alibi præterquam Hierosolymis fore moriendum: insuper mala, quibus illi perdendi essent, prædixit. Inuitatus [b] post hæc, die sabbati apud Pharisæum quemdam discubuit, vbi sanauit hydropi-
b Luc. 14. Concord. c. 101. B cum, nihilq. ea opera præiudicij allatum esse festo diei, pluribus docuit, eosdemq. accommodatis exemplis ad meliorem vitā peragendam instituit. Inde vero turbis astantibus, de abnegatione rerum temporalium multa disseruit. Hieme [c] vero aduenient,
c Ioan. 10. Concord. c. 93. IESVS AD ENCAENIA. Hierosolymam contendit ad festum diem Encæniorum, qui agebatur vigesimaquinta die mensis Casseu [d] (hic est nonus mensis) vsque ad diem octauam: et ad templum ve-
d 1. Mach. 4. niens, deambulat in porticu Salomonis (eam enim integram remansisse post tot templi ruinas, Iosepho auctore inferius dicemus) vbi cum doceret populum, rursus obortæ
e Luc. 15. 16. Concord. c. 94. & 95. sunt contentiones, & quærebant eum Iudæi lapidare. Inde vero recedens, abijt trans Iordanem, vbi turbam sequentem multa docuit [e], ac de oue & drachma perditis, filio
f Matth. 19. Marc. 10. Luc. 16. Concord. c. 96. 97. prodigo, ac de villico iniquo subintulit parabolas, elegantes quidem, & ad persuadendum magnam vim habentes. Inde [f] autem Pharisæis rogantibus, de matrimonij con-
C iunctione seruanda multa locutus est.

Postea vero de diuite epulone, & mendico Lazaro narrationem intexuit. Quæ quidem parabola ne esset, an rei gestæ vera historia, plurium fuit dubitatio. Nos vero illis potius adstipulamur, qui putarunt eā esse historiam. eam certe antiquiores tamquam veram historiam de pœnis damnatorum apud inferos, citare consueuerunt; vnde Ter-
g Tertull. de resurrect. carnis c. 17. tullianus [g]: Animas torqueri foueriq. penes inferos, licet nudas, licet adhuc exules car-
h Euthym. in Luc. c. 16. nis, probauit Lazari exemplum.] hæcille. Euthymius [h] ex traditione quadā Hebræorum, rem vere gestam fuisse tradit, diuitemq. illum Nynensem nominatum esse affirmat. Quæ quidem sententia iam rata firmaq. haberi debet, quòd multis in locis in memoriam eiusdem Lazari ecclesiæ erectæ habeantur, deq. eo in eisdem anniuersaria celebritas peragi consueuerit. Nec quemquam mouere debet, quòd in eadem recensita per Lucam historia, quædam dicantur, quæ re vera consistere non possunt, vt de lingua,
D de digito, de sinu Abrahæ; cum animæ solutæ corporibus, his membris careant, necesse sit. Nam vsitatum est in diuinis Scripturis, ad faciliorem intelligentiam, vt corporea membra, quibus carent, non tantum animabus & Angelis, sed etiam ipsi Deo optimo maximo adscribantur.

XLV.

Hæc locutus [i] Dominus, de non inferendo scandalo, & alia plura suos admonuit. De Pharisæo insuper & Publicano exemplum proposuit. Inde vero paruulis ad se per-
i Luc. 17. Concord. c. 98. ductis manus imposuit: adolescentem [k] denique ad perfectiora sectanda instituit: quibus tamen auditis cum ille tristis abiret, quàm difficile esset diuitem intrare in regnum
k Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18. Concord. c. 100. Dei, exemplo cameli per foramen acus deducendi, Dominus monstrauit. De hac quidem similitudine placet quod Caninius [l] de Hebraicis deducens fontibus scribit: fuis-
l Canin. de locis noui Testamenti. se nimirum inter cetera Iudæorum adagia, illis adeo peculiaria ad designandam rem
E quamlibet factu impossibilem, apud eos illud frequenti vsu, quo dicerent: Elephantem per foramen acus. Sed pro elephante camelum dixisse Dominum, quòd magis notum esset animal audientibus. Idemq. auctor tam de rudente, quem volunt κάμηλον dictum esse a Græcis, quàm & de acus foramine, quo nomine quòd dictam aliqui velint portam Hierosolymarum paruam, commentum scite refellit. Cum autem hæc adeo admiranda discipuli eius audissent: Et quis, dixerunt, potest saluus fieri? Dominus vero, possibilia esse apud Deum, quæ hominibus impossibilia viderentur, edocuit.

DE CAMELO ET ACV.

XLVI.

Tunc Petrus, vt caput omnium, exq. persona omnium subdit: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cū sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domū, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrē, aut vxorem,

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã pos- A
sidebit.] Ac subdit: Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut
sorores, at patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter regnũ Dei,
& Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc, & in sæculo futuro vitam æter-
nam.] Ex his sane verbis S. Hieronymus [a], cum ad Iulianum scribit, & cum agit ad-
uersus Iouinianũ, optime infert: Apostolos, ex quo a Domino electi ipsum secuti sunt,
vxoribus relictis, qui coniugati erant, a carnali copula abstinuisse: sicq. reliquisse vxo-
res, vt quod pertinet ad illum actum, desierint esse viri. Cum demum Dominus sen-
tentiam illam protulisset, quod videretur paradoxum, qua dixit: Multi autem erunt
primi nouissimi, & nouissimi primi] quo eius rei facilior sensus esset, mox de operarijs
in vineam conductis parabolam [b] proposuit. Quæ vero post hæc secuta sunt, quoniam
ad sequentem annum pertinere certum est, ordine temporum ex instituto de ijs suo B
loco agemus. Non enim secundum tempus ineuntis anni ab ipsis Kal. Ianuarijs, quòd
nulla eius ratio certa haberi possit, sed ex Paschalibus festis, quæ habentur expressa in
Euangelio, nos annos Domini distinguere ac numerare oportere, alias sæpius diximus.

APOSTOLI CATHOLICVM AMPLEXI.
[a] Hieron. epist. 28. & aduers. Iouin. lib. 1.
[b] Matth. 20. Concord. c. 102.

XLVII. Quod pertinet ad res Romanas: hoc eodem anno perijt Seianus, qui cum Tiberio
inijt Consulatum: fuit hic ille toto Orbe celeberrimus, qui non solum, vt ceteri, amplis-
simas occupauit & assecutus est dignitates & administrationes, sed diutius absente Ti-
berio, & apud Capream insulam multo tempore otiante, se ipsum pro Imperatore, Ti-
berium vero pro insulæ rectore habuit; eoq. existimationis prouectus est, vt ipsi tam-
quam deorum alicui res sacra fieri soleret, essetq. hoc anno delatus Consulatus cũ pro-
rogatione quinquennij: insuper & in litteris publicis a Senatu, sicut Tiberij, ita & Seia-
ni nomen inscriberetur, & sicut Imperator, aureo curru in theatrum aduueheretur, iu- C
SEIANI CASVS. rarentq. omnes per fortunam eius: Hic, inquam (audi rerum humanarum incon-
stantiæ admirandum exemplum) conuocato Senatu, vt recitarentur litteræ Imperato-
ris, quibus collata sibi potestas Tribunitia credebatur: mox inuersa alea, quas sibi ipse
lætas atque iucundas sperabat, contrarias omnino, ac ipsimet pernicioſas, omnibus au-
dientibus, contra opinionem & expectationem percepit. Vnde statim infelix ipse de-
positus, iussu Reguli Consulis suffecti, consentiente Senatu, in vincula ducitur, atque
ibidem capite mulctatus, deinceps in Gemonias vnco trahitur: sicq. demũ per triduum
a populo maximo ludibrio habitus, in Tiberim tandem immittitur. Liberi quoque
ex S. C. necati sunt, ante vero filia, quam pater pactus fuerat Claudij filio, prius (o
[c] Dio hist. Rom. lib. 58. inauditam rem) a carnifice constuprata. hæc pluribus Dio Cassius [c], quæ nobis exem-
plo sane egregio rerum humanarum inconstantiæ & mobilitatis esse debent, ne quis si- D
bi arridenti & blandienti felicitati admodum credat, sed in rebus prosperis modeste, &
non superbe sese gerat. Sed ad rem redeamus.

XLVIII. Hæc cum hoc anno facta esse asserat idem auctor, ac etiam Tacitus [d]: vides errasse
[d] Tacit. Annal. lib. 5. Eusebium in Chronico, dum post annos tres Seianũ adhuc vixisse vult: itemq. Paulum
[e] Oros. lib. 7. c. 4. Orosium [e], dum ait rogatum esse a Tiberio Senatum, vt Christus, quem constaret tot
insignia miracula edidisse, ac e mortuis resurrexisse, Deus haberetur: verum quo mi-
nus id fieret, Seianum interceſisse, atque pertinaciter contradixisse. nam iam ante
Christi mortem, ex dictis satis liquet, Seianum vitam cũ morte commutasse. Sed de-
[f] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 8. cepti sunt ipsi, quòd Iosephus [f] de Seiani interitu agat vltimo tempore Tiberij Imp. pu-
tantes nimirum tunc eum esse necatum: verum quòd ibi Iosephus de Seiani agat occu-
bitu, non temporis ratio, sed quòd complures res gestas Tiberij, diuersis temporibus E
factas, vna eademq. narratione perstrinxit, fuit in causa. Constat tamen, auctore Philo-
[g] Philo in leg. ad Caium. SEIANVS INFENSVS IVDAEIS. ne [g], Seianum fuisse animo infensissimo in Iudæos, quippe qui vt illam gentem e me-
dio tolleret, confinxerit quædam crimina aduersus eos, qui tunc Romæ agerent, Iu-
dæos, cognoscens quidem eam solam præcipue gentem repugnaturam conatibus suis:
sed per mortem eius detectas fuisse calumnias dicit. Putamus causam odij Seiani ad-
uersus Iudæos ea occasione conflatam esse, quòd non sicut ceteri, ipsi statuas (prohiben-
tibus hoc eorum legibus) erexissent, nec erectas venerati essent: nam & ad id spectare
videtur, quod ait Suetonius, solas Syriacas legiones nullam Seiani imaginem in-
terſigna coluisse: Hebræi enim ægre ferebant, Romanos militaria insignia imagi-
[h] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7. nibus picta, per eorumdem ditionem circumferre, vt Iosephus [h] testatur, cum de Vi-
tellio agit,

A

IESV CHRISTI ANNVS 34. TIBERII IMP. ANNVS 18.

ABsoluto trigesimotertio anno Domini, & trigesimoquarto inchoato, Cn. Domi- I.
tio Aenobarbo, & Vitellio Nepote, vel (vt a Cornelio Tacito ponitur) Camillo ANNVS CHRISTI PASSIONIS.
Scriboniano Consulibus, Paschatis ipsa die, idem Dominus noster Iesus Christus hu-
mani generis Redemptor, pro salute omnium, volens libensq. crucis supplicium subijt.
Quæ autem hæc præcesserint, eo ordine quo sunt gesta, summatim recensentes, exactam
subinde temporis rationem (quod sumus polliciti) afferemus.

B Iam proxime aduentante Paschali tempore, cum Iesus [a] Dominus noster in Galilæa II.
ageret, Marthæ & Mariæ sororum nuncio accersitur, vt Lazaro fratri Bethaniæ morbo [a] Ioan. 11. Concord. c. 102.
languenti opem ferret: sed consulto moras nectens, cum eo tandem accessisset, iam
quatriduo illum esse defunctum inuenit; quem a mortuis excitauit. Auctor est Hiero-
nymus [b], ob tam insigne miraculum, quo non tantum rei gestæ Ioannis Euangelio te- [b] Hieron. de locis Hebraicis. LAZARI RESVSCITATIO.
statæ, sed & loci illius in quo erat Lazari sepulchrum, perpetuum esset posteris monu-
mentum, erectam fuisse nobilem ecclesiam Bethaniæ super ipsam Lazari tumbam.
Quod castellum quindecim stadijs Hierosolymis distans, non sic dicitur (vt multi deci-
piuntur) Marthæ & Mariæ sororum, quasi dominæ loci illius essent, sed vsu loquendi:
sicut & alibi Euangelista Matthæus de Capharnaũ & de Domino illuc accedente cum
meminit, suam [c] ipsius dixit ciuitatem: sicut & Nazareth Domini ciuitatem Lucas [c] Matth. 6. Luc. 2.
C appellat, nimirum quòd Dominus in illis habitaret: quo modo & Ioannes [d] Bethsaidam [d] Ioan. 1.
dicit ciuitatem Andreæ & Petri. Nam redacta semel ea parte Iudææ in prouinciã, non
tantum nulli ex Iudæis quantumlibet illustribus, sed nec ipsi Tetrarchæ, Herodes &
Philippus, castellum sibi aliquod vendicasse putantur.

Peruulgato tam admirando de Lazari resurrectione miraculo: tanta re Iudæi perculsi, III.
coegerunt [e] concilium, vt quid de Iesu statuendum esset, consultarent. Erat illud [e] Ioan. 11. Concord. c. 103.
magnum Sanedrin dictum, septuagintaduorum seniorum, de cuius institutione supe- DE CONCILIO
rius actum est: horum erat officium grauiores iudicare causas, vtpote cum de Propheta ADVERSVS CHRISTVM COACTO.
ageretur, de lege sacra, vel Rege. Huic præsidens summus sacerdos Caiphas, Chri-
stum morti addicendum esse, sententiam tulit in hæc verba: Vos nescitis quicquam,
nec cogitatis quia expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens
D pereat. Hoc autem (inquit Euangelista) a semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex
anni illius, prophetauit.] Porro quod dicit, anni illius fuisse Pontificem, idem est ac
si diceret, eo anno, eo scilicet tempore, ille Pontificatum gerebat, & non (vt quidam
putant) ipsum vna cum Anna anniuersarijs vicibus summi sacerdotij functionem ad-
ministrasse, prout superius anno Christi trigesimoprimo pluribus demonstrauimus. La-
ta itaque de occidendo Christo sententia, ipse se subtraxit, indeq. recedens abijt Ephren
ciuitatem iuxta desertum positam in tribu [f] Iuda; illic tantisper moratus, donec tem- [f] Hieron. de locis Hebraicis.
pus Paschatis propius esset. Tunc assumens secum [g] duodecim Apostolos, iter aggres- [g] Matth. 20. Marc. 10. Luc. 19. Concord. c. 104.
sus Hierosolymam versus, omnia quæ obuentura essent de sua passione ac resurrectio-
ne, prædixit. Tunc mater filiorum Zebedæi interpellans eum, pro filijs rogauit, vt se-
deret alter ad dexterã sedem, ad sinistram alter in regno suo. Cum vero in itinere consti-
E tutus, appropinquaret [h] Hiericho, quæ haud longe distabat ab Ephren, cæcum secus [h] Luc. 18. 19. Concord. c. 105. 106. 107.
viam mendicantem illuminat. Ingressus Hiericho, apud Zachæũ Publicanorum prin- [i] Matth. 20. Marc. 10. Concord. c. 108.
cipem diuertit: vbi eos qui aderant docens, apposite de patrefamilias, qui seruis pecu-
niam ad negotiandum tribuisset, parabolam dixit. Hiericho egrediens [i], duos item cæ-
cos in via repertos curauit.

Ante sex [k] dies Paschæ peruenit Iesus Bethaniam, vbi dum cœnaret, Lazarus fuit IV.
vnus ex discumbentibus, Martha ministrauit, & Maria soror eius vnguento nardi pi- [k] Ioan. 12. DE COENA IN BETHANIA FACTA.
stici (de quo superius) vnxit pedes Iesu. Diuertisse apud Lazarum, & apud ipsum cœ-
nasse, etsi Euangelista id taceat, par est credere: nam & alias illac transeuntem apud [l] Luc. 10.
eosdem mansisse, & Martham id ipsum ministerium exhibuisse, auctor est Lucas [l] Euan-
gelista. haud enim assentimur ijs qui hanc cœnam confundunt cum ea quæ ibidem Be-
thaniæ facta est in domo Simonis Leprosi: diuersas enim, diuersisq. diebus factas esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

has cœnas, superius etiam demonstrauimus, cum de tribus Magdalenis errorem confutauimus, vnamq. tantummodo fuisse disseruimus. Ne autem hic eadem, quæ dicta sunt superius, repetamus, eo amandamus lectorem: nos interim rerũ gestarum seriem prosequemur. De eo ministerio effusionis vnguenti tunc oblatrante Iuda, Iesus pro Maria defensionem habuit. Cum vero frequens populus Bethaniam conflueret, non tantum Iesu causa, sed vt Lazarum a mortuis rediuiuum videret: eo furoris acti sunt Principes sacerdotum, vt Lazarum cogitarent interficere, quòd eius causa multi Iudæorum in Christum crederent. Sed quid? mira res: voluit Dominus Lazarum, quem suscitauit, diutius viuere, vt tantæ rei miraculum cunctis innotesceret, totiq. perspicuum fieret Orbi: Epiphanius enim agens contra Manichæos, testatur Lazarum post resurrectionem annos vixisse triginta: nam ait: Sed & in traditionibus inuenimus, quòd triginta annorum tunc erat Lazarus, quando est suscitatus: postquam vero suscitatus est, annos triginta vixit.] A B

V.

a Ioan. 12.

Quid autem actum sit sequenti die, qui numeratur quintus ante diem festum Paschæ, his verbis idem Ioannes[a] Euangelista recensет: In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit Iesus Hierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamantes: Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini.] narrantur hæc fusius a ceteris tribus Euangelistis[b]. Scimus de voce Hosanna complures esse veterum sententias, quas prætermittimus recensere. conueniunt[c] plures, vt sit idem, quod Latine dicimus: Salua quæso. Vox vsitata in festo Tabernaculorum, quando Deum deprecantibus sacerdotibus populus respondere consueuerat (vt nos in Litanijs facimus) Hosanh Na: Libera, seu, Salua quæso. Hæc autem quantumlibet vera esse dixerimus; minime tamen conuenire videtur, quòd turbæ clamantes, Hosanna, adderent, Filio Dauid. Nam, Salua quæso filio Dauid, vitiosa esset locutio, quæ nullum congruentem refert sensum orationis. Nisi dicere velimus esse Hebraismum, idemq. sonare, ac si diceretur, Salus nostra a filio Dauid, vt notat Ioannes Drusus[d]. Sed magis placent cum quæ ipse ex Helia narrat, tum etiam quod Caninius[e] rerum Hebraicarum peritissimus, ea refellens, ex Hebraicis fontibus tradit, Hosanna, non duas, sed vnam tantum esse dictionem, eamdemq. significare proprie ramos salicum; verum vsurpari consueuisse pro ramis etiam aliarum arborum: atque adeo in Scenophegia moris fuisse portare Hosanna, ac circuire cum Hosanna, hoc est, cum arboris ramo. Sicq. optime conuenire quod hic dicitur ab Euangelistis, turbam conclamasse: Hosanna filio Dauid, hoc est, Rami filio Dauid. Quod quidem honoris genus nonnisi Deo impartiri consueuisse, inde facile est cognoscere, quòd ea sa- D
f Matth. 21. cerdotum & Scribarum obiecto[f] Christo tunc temporis facta est in hunc modum: Audis quid isti dicunt?] quasi ipsum arguerent, quòd honor Deo exhiberi solitus, ipsi videretur attributus. Sed hæc pluribus auctor, cui non inuiti adstipulamur. Certe quidem neque in diuinis Scripturis, neque apud profanos auctores, qui res Iudæorum sunt prosecuti (quantum legere potuimus) vllum plane huic simile exemplum inuenimus, vt ingredientibus Regibus Hierosolymam, quis occurrerit cum ramis arborum. Vnde diuinum quodpiam ac plane insolitum Christo Domino exhibitum fuisse ministerium, nulla est dubitatio.

a Ioan. 12.
b Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.
Concord. c. 110.
c Corn. Ianſen. Concor. Euang. cap. 110.
d De voc. Hebr. noui Teſt. c. 19.
e Canin. de locis noui Teſtam.

VI. HOSANNA RAMI ARBORVM.

His insuper vt acquiescamus, magnopere persuadet, quòd in Paraphrasi Chaldaica in Hester hæc leguntur:

בחמשה עשר כיה מטללין מטללין אינר ביתיהון לכוסהתננא ושמטין E
לולבנא וקטפין אתרוגננא ומפשחין חילפנא ועבדין להון הושענא וקרין
בספריה ן ומצלין וחדיין וחדדין בהושענא ושרורין ומרקדין היך ג יין

Quod idem est, ac si diceret: Die decimoquinto eiusdem (*nempe mensis Tisri*) inumbrabant opaca tectorum domorum suarum in hortis, & præcidebant ramos dactylorum, & sumebant cedros, & incidebant chilsana (*quam alij dicunt esse salicem, rosmarinum alij, alij vero carices*) & faciebant sibi ipsis Hosciahnna, & legebant in libris suis, & orabant, & gaudentes gaudebant cum Hosciahanna, & cantabant, & exultabant sicut hædi.] ex quibus plane apparet, ramos arborum, quos in ea solemnitate gestabant, dicere consueuisse Hosciahnna. Et obtinuit quidem vsus vsque hodie ex eiusmodi veterrima consuetudine, vt si quis salicis ramum Iudæo ostendat, eiusq. nomen ab eo requirat; mox dicat, Hosciahnna vocari. Sed vnde accidit, vt arborum rami in ea solemnitate adhi-

A te adhiberi soliti, Hosciahnna dicti sint? non aliunde puto, nisi quòd sic illi circũeuntes altare & exultantes canerent illud psalmi centesimi decimiseptimi: O Domine saluum me fac: O Domine bene prosperare] vt aperte testantur libri Rituales Hebræorum, qui extant: inter quæ verba, Hosciahnna, vox הושענא expressa habetur, quæ repetitur in singulis versibus septem hymnorum, qui septimo die canuntur: quam quoties illi concinerent, ramum illum extollebant, dicentes, Hosciahnna: vnde illi nomen est inditum, vt & ipse diceretur Hosciahnna.

VII. OBSEQVIVM TANTVM DEO EXHIBITVM.

Porro non tantum in Scenophegia in honorem Dei præcidebantur ac circumferebantur rami arborum, sed etiam id factum reperies alias, cum Simon, recuperata Hierusalem, ac potitus arce, expurgata ea ab immunditijs, ingressus est in eam, laudans
B Deum cum ramis palmarum & canticis: cuius rei causa instituta est annua celebritas, vt vigesima mensis secundi diem festum omnes agerent. Est & eiusdem rei aliud exemplum; vt cum Iudas Machabæus, expurgato templo, diem solemnem[a] constituit: vt *a 2. Mach. 10.*
satis appareat ea Iudæos facere solitos tantummodo in honorem Dei. Ceterum morem fuisse Græcorum, vt in triumphis milites ferrent ramos palmarum, eamdemq. consuetudinem postea ad Romanos dilapsam, auctor est Liuius[b]. Haud iniucundum erit mo- *b Liu. dec. 2. lib. 10. in fin.*
do, quoniam huiusmodi diuinum honorem Deo exhibitum constat, scire palmã illam, ex qua Iudæi ramos acceperunt, vt obuiarent Iesu, quasi egregium Christi triumphi monumentum, quantumlibet arbores omnes tempore obsidionis sub Tito excisæ fuissent, diuina quadam prouidentia intactam ad multa sæcula perduraſſe: adducit eam in testimonium post Crucem Cyrillus[c] Hierosolymitanus, sic dicens: Palma quæ est in *c Cyrill. Alex. catech. 10.*
Pharinge testatur, ramos exhibens his qui tunc benedicebant.] sed cetera prosequamur.

VIII. DE MONTE OLIVETI.

C Cum e monte Olueti Iesus Hierosolymã spectaret, flens super illam, quæ illi obuentura essent, prædixit. Est res obseruatione certe ac stupore digna, in eodem monte Olueti, vbi Christus aspiciens Hierosolymam, fudit lacrymas, Romanos cum essent obsessuri eamdem ciuitatem, ac funditus vastaturi & euersuri, primum castra posuisse; quod his verbis testatur Iosephus[d]: His, inquit, præceptum erat sexto ab Hierosoly- *d Ioseph. de bello Iud. lib. 6. c. 3.*
mis stadio castra ponere, qua in parte mons, qui appellatur Ἐλαιῶν, id est oliuarum, contra ciuitatem ab Oriente situs est, altaq. interiacente valle discernitur, cui nomen est Cedron.] hæc ille. Ingressus igitur ciuitatem Dominus cum esset, nouo spectaculo vniuersus commotus est populus: cumq. omnes abirent post eum, discruciabantur Pharisæi, dicentes intra semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abijt. Venit deinde[e] in templum, vbi cæci & claudi, qui ad eum venerant, ab eo *e Matth. 21. Ioan. 12. Concord. c. 111.*
D curati sunt. Dũq. Hierosolymis moraretur, Gentiles homines, qui ad diem festum conuenerant vt orarent, apud Philippum agunt vt viderent Iesum. Hæc cum ab Andrea illi renunciata essent, de fructu passionis suæ multa locutus est, & rogans Patrem vt clarificaret Filium suum, facta est vox de cælo dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Cumq. alia de passione sua Iesus prædixisset; inde recedens, reuersus est in Bethaniam, vbi vsque ad diem sequentem mansit.

IX. DE FICV ARESFACTA.

Mane[f] autem facto (hic est dies quartus ante festum Paschæ) dum reuerteretur Hierosolymam, arborem fici in via positam, quòd fructus non inuenisset in ea, arefecit.] *f Matth. 21. Ioan. 12. Concord. c. 111.*
Non prætermittimus hic dicere, vt inde magis possis rei gestæ mysterium assequi; maiorum traditione perlatum, ficum fuisse illam arborem, ex qua primi parentes post peccatum legentes folia, pudenda texerunt. Inter alios enim qui hæc testantur, Ilido-
E rus[g] Peluſiota, scribens ad Theopompum Tribunum, hæc ait: Exaruit igitur arbor, vt *g Isid. ad Theopompum lib. 1. epist. 51.*
hominibus terrorem inijciat: quin in hac quoque re arcanus quidam sermo adnexus est, a senibus sapientibus ad nos grassatus, nempe hanc transgressionis arborem esse, cuius etiam foliis ad corpus tegendum, hi qui mandatum violarunt, vsi sunt.] hucusque Isidorus. sed prosequamur cetera. Regrediens in ciuitatem, est ingressus templum, vbi quotidie docebat. Tum circumstantes Principes sacerdotum, ac seniores, in qua potestate id faceret, eum rogant: cumq. multa aduersus eos dicta essent ab illo, parabolis de patrefamilias qui plantauit vineam, atque de Rege qui fecit nuptias filio suo, eosdem magis magisq. perstrinxit.

X. EX TRIBVTI PENSIONE PARANT IVDAEI CHRISTO INSIDIAS.

His in hunc modum oratione Domini debellatis, ac profligatis, nouam artem excogitant Pharisæi coniuncti cum Herodianis; cum vt eum caperent sermone suo, rogant, an liceret tributum dari Cæsari, nec ne? id nimirum conantes, vt vel si negaret, hostem

Universidad de Deusto
Biblioteca

hostem Cæsari, reumq. maiestatis accusarent; vel si affirmaret, populi offensam incurreret. At ille comperta illorũ fraude, ostendi sibi præcepit numisma census, in quo erat Cæsaris imago ac superscriptio: responditq. reddenda esse Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ essent Dei. qua illi responsione elusi, abierunt. Apposite sane Dominus noster, inspecto eiusmodi numismate census, atque cognita imagine ac superscriptione ipsius, reddenda ait quæ sunt Cæsaris Cæsari: vt quæ essent a Cæsare profecta numismata, ad ipsum redirent. Moris enim fuit apud Romanos, vt numismata pro ratione tributi vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec vno semper modo eadem permanerent; sed numismata tributorum a ceteris vsualis pecuniæ nummis in eo differrent, quòd istorum pretium semper idem esset; numismata vero census vel tributi, cum mutaretur tributi qualitas, eadem ad rationẽ tributi recens formarentur. Est eius rei locuples testis Ælius Lampridius in Alexandro Imp. dum ait: Vectigalia publica ita contraxit, vt qui decem aureos sub Heliogabalo præstiterant, tertiam partem aurei præstarent, hoc est, triceſimam partem: tuncq. primum semisses aureorum formati sunt: tunc etiam cum ad tertiam partem aurei vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro etiam quartarios futuros, quòd minus non posset: quos etiam formatos in moneta detinuit, expectans, vt si vectigal contrahere potuisset, eosdem ederet. Sed cum non potuisset propter publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantum, solidosq. formari, &c.] hæc Lampridius: ex quibus colligere possis, quale esse soleret numisma tributi, quod subditi Cæsari penderent. Quanti esset pretij dictum numisma, dicere aliud non possumus, nisi quòd Marcus & Lucas pro numismate dixerunt denarium, modestum plane tributum. Sane quidem cum nonnisi post debellatos Iudæos a Tito, ipsos didrachma Imperatori soluere cœpisse, superius sit demonstratum: æquum est existimare hoc tempore nonnisi denarium ratione tributi soluisse. Laudat Dio [a] Cassius Augustum, quòd pro restituendo Palatio, quod incendio conflagrarat, a priuatis denarium, a singulis vero conuentibus aureum tantummodo accepisset, quod constabat ex denarijs vigintiquinque.

a Dio hist. Rom. lib. 55.

XI. QVAESTIO DE RESVRRECTIONE.

Iam vero Principibus sacerdotũ primum, inde Pharisæis Domini sermone superatis; Sadducæi [b] nouum certamen ineunt, & de resurrectione mortuorum, quam impugnabant, quæstionem proponunt. Sed & his etiam deuictis, Pharisæi iterum pugnam repetunt, ac rogant quod esset magnum mandatum legis. quibus cum Dominus satisfecisset, ipse illos de Christo, cuius filius esset, interrogat: et cum ea occasione de diuinitate Filij Dei disseruisset; ad populum conuersus, multa aduersus hypocrisim Pharisæorum locutus est: quæ cum peroraſſet, & contra [c] Gazophylacium sedens, offerentes pecuniam inspiceret, laudauit præ ceteris pauperem viduam, quæ duo æra minuta obtulisset. Hæc Dominum esse locutum in templo, cum omnes Euangelistæ confirment; non existimet quis, in parte interiori templi, vbi Iudæi Deum precari consueuissent, sed vel in porticu, vt alias fecisse legitur, vel in atrio populum docuisse; sicut olim Hieremiæ [d] Dominus præceperat dicens: Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in domo Domini.] Egressus est [e] post hæc Dominus de templo, & in nobilem ædificij structuram discipulis oculos conuertentibus, vnus ex illis ad Iesum ait: Magister aspice quales lapides, & quales structuræ.] qua occasione ille permotus, eiusdem templi ruinam prædixit.

b Matth. 21. 22. Marc. 12. 13. Luc. 20. Concord. c. 117. 118. 119.

c Marc. 12. Luc. 21. Concord. c. 121.

d Hier. 26.

e Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Concord. c. 122.

XII.

Erat plane templi structura ab Herode recens excitata eiusmodi, vt merito omnium oculos in se conuerteret, & intuentium animos admiratione afficeret: nam quod ad lapides ibi positos spectat, ad quos aspiciendos ille discipulus Dominum inuitauit, dicens: Aspice quales lapides] Iosephus [f] de his agens, hæc scribit: Constabat autem structura e lapidibus candidis firmissimis, magnitudine viginti cubitorum in longum, octo in altum, latitudine vero cubitorum duodecim.] & paulo post: Saxorum enim magnitudo a fronte est conspicua, interiora ferro vincta, iuncturas continent contra omniũ temporũ iniurias firmissimas.] hæc ille de lapidibus templi. Idem de magnitudine columnarum, quæ porticus suffulciebant, hæc habet: In eius porticibus stabant paribus interualis quatuor columnarum ordines, quorum quartus intextum habebat lapideum parietem: crassitudo autem cuiusque columnæ, quantum possent tres homines consertis inter se complecti brachijs, longitudo vigintiseptem pedum: numerus vniuersarum fuit centum sexagintaduo, capitellis sculptis opere Corinthio, pulchris vsque ad miraculum.] hæc ipse. Cetera admiranda de eiusdem templi ædificio recensere prætermittimus, cum

f Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14. DE STRVCTVRA TEMPLI.

mus, cum idem auctor cuncta accurate sit prosecutus, quæ præ manibus cunctis esse solent. Hierosolymis vero egressus Dominus, cum peruenisset ad montem Oliueti, ibiq. e regione templi sederet: interrogantibus eum secreto Petro, Iacobo, Ioanne, & Andrea de ijs quæ de templo prædixerat, deq. aduentu [a] ipsius, & consummatione sæculi; multa signa futura significauit, & quid ipsi agere deberent admonuit. adiecit in eam sententiam parabolam de decem virginibus: aliam insuper addidit de distributis talentis: modum [b] denique aperuit futuri iudicij.

a Matth. 24. Marc. 13. Luc. 17. 18. & 21. Concord. c. 121.

b Matth. 25. Concord. c. 127.

XIII. DE COENA FACTA IN DOMO SIMONIS.

Hos [c] cum consummasset Iesus sermones, dixit discipulis suis: Scitis quia post biduũ Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Hæc cum dixisset, e monte Oliueti venit Bethaniam, vbi cum esset in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autẽ discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.] hæc Euangelistæ. Vnam eamdemq. fuisse mulierem, eamq. Mariam sororem Lazari, quæ ante sex dies Paschæ item Bethaniæ vnxit pedes Iesu, cum hac quæ biduo ante Pascha in domo Simonis vnguentum super caput effudit, iam superius demonstrauimus, dũ aduersus eos qui plures Magdalenas inducunt, pluribus disseruimus. Cur autem quæ prius semel atque iterum vnxerat pedes, iam tertio vnctura Dominum, caput illius vnguento aspergat: mihi certe (vt interim de mysterio agere prætermittamus) nulla magis probatur ratio, quàm illa, quòd Iudam indignantem & oblatrantem audierat: rata enim inde offensum esse Iudam, quòd pedes vnxisset (quod a nullo vnquam hactenus factum esse, nec Romæ quidem vsque ad Neronis tempora, superius ex Plinio satis demonstrauimus) ne vlterius offensionis eamdem occasionem præberet; quod & ceteri frequentius in conuiuijs factitare consueuissent, ipsa sibi absque aliquo scandalo caput Domini vnguento vngere concessum putauit. At nihilominus non vnus Iudas, sed omnes qui aderant discipuli indignati sunt: quos Dominus compescuit, nec tantum mulieris opus laudauit, verum in posterum in vniuerso mundo opus ipsum celebrandum fore prædixit.

c Matth. 26. Marc. 14.

XIV. IVDAS PRODITIONEM PARAT

Tunc (inquit Matthæus [d]) abijt vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariothes, ad Principes sacerdotum: et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet.] Eadem [e] etenim die congregati erant Principes sacerdotum, & seniores populi in atrium Principis sacerdotum, qui dicebatur Caphas: et consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Non interfuit tum Iudas; nullus enim Euangelistarum illum concilio interfuisse scribit, sed tantum conuenisse Principes sacerdotum, & de prodendo Christo cum illis conuenisse. Neque repugnat, quo minus Iudas, qui reperitur in Bethania in domo Simonis cum ceteris accubuisse Apostolis, idem ipse eadem die Hierosolymis esse potuerit, & de Christi proditione cum Principibus sacerdotum pactum inijsse: nam cum (vt ante docuimus ex Euangelista [f]) Bethania distaret Hierosolymis duobus milliaribus, stadio vno minus; furenti animo & diabolico spiritu agitato perbreue iter illud videri poterat: quippe qui etiamsi de concilio ea die agendo ignorasset, tamen puto sciebat iam ante fuisse aliud concilium [g] celebratum, & de perdendo Christo sententiam Caiphæ esse prolatam, atque ex ea die Iesum interficere statutum esse; quando Dominus inde se subducens, migrauit in Ephren. Hæc itaque de vnctione capitis, & concilio seniorum atque proditione Iudæ facta cum constet biduo ante Pascha; feria quarta hebdomadis habita esse, certum est.

d Matth. 26. Marc. 14.

e Matth. 26.

f Ioan. 11.

g Ioan. 11.

XV. DE ARGENTEIS DATIS IVDAE.

Sed antequã cetera, quæ post hæc sunt subsecuta, narremus; prætermisisse penitus nolumus de pecunia dicere, quam Iudas cum Principibus sacerdotum pactus est sibi dari, vt Christum proderet. Cum ipse (quod diximus) ait ad illos: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.] Lucas eamdem texens historiam, ait de ijsdem Principibus sacerdotum [h]: Gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.] vt appareat non fuisse datam tunc pecuniam, sed tantummodo stipulatam. Quanti autem fuerit pretij istiusmodi summa argenteorum triginta, quam illi Iudæ se daturos polliciti sunt, diuersæ quidem reperiuntur sententiæ: nempe illorum qui putarunt quemlibet argenteum fuisse pretij decem denariorum, ac proinde triginta argentei implerent summam trecentorum denariorum, quorum doluisset in vnguenti effusione factam esse iacturam. Recitat hanc, aliasq. diuersas opiniones, easq. diserte Cornelius

h Luc. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Iansen. com. in Cicor. Ehāg. cap. 128.

nelius Iansenius [a] confutat; illi tamen ipse innitens, vt idem fuerit argenteus ille nummus, qui & siclus in diuina Scriptura nominatus sæpius reperitur; quòd & sicli nummi argentei essent: colligitq. summam illorum triginta argenteorum fuisse florenorum argenteorum quindecim: hæcq. ipse multis. Ceterum (quod addit) si triginta argentei illi eius generis fuerunt, cuius nunc sunt qui visuntur argentei nummi tum Romæ, tum Parisijs asseruati, qui ex illis ipsis esse dicuntur, impressiq. hominis facie, a tergo habentes flosculũ; dicta summa argenteorũ triginta dimidio minor erit, nempe septem & semis florenorum argenteorũ, quòd singuli eorũ didrachmi ponderis esse videantur, quòd in diuina Scriptura itidem argenteus nominatus inuenitur didrachmũ. hæc ille pluribus.

XVI. DE SVMMA ARGENTEORVM.

At nos sic affirmamus, nummos illos argenteos eo modo signatos, qui Romæ atque Parisijs, vel alio loco habentur, ex illis esse qui a Principibus sacerdotum numerati sunt Iudæ; vt tamen non triginta tantum ex illis fuerint numerati; sed quòd illius monetæ argenti signati certam summam, quam dicemus, Iudas acceperit. In reliquis vero, vt diuersam ab his de appensi argenti quantitate ineamus rationem, multa sunt quæ nobis non tantum persuadent, sed propemodum cogunt: ac in primis illa consideratio, quòd tradit Matthæus [b], cum Iudas retulisset triginta argenteos Principibus sacerdotum, eos consilio inito, emisse ex eis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, ex quo & ager nomen acceperit, vt sit dictus Acheldema, hoc est, Ager sanguinis. Sed & Lucas in [c] Actis plane insinuat, nonnisi ex ea pecunia illum esse emptum agrum, dum ait: Possedit agrum de mercede iniquitatis.] plane significans, nullam aliam pecuniam ad agri pretium esse additam.

[b] Matth. 27.

[c] Act. 1.

XVII. AGER FIGVLI QVALIS.

His sic se habentibus, considerandus est ipse ager, cuius pretij esse potuerit, vt ex eo triginta argenteorum summam, qua emptus est, æstimare possimus. Erat hic ager non tantum in suburbijs (quæ, auctore [d] Iosepho, speciosissima ac pretiosissima erant) sed & ceteris suburbanis propinquior Hierosolymis, vt qui inhæreret monti Sion; nam hæc de eo leguntur apud Hieronymum: [e] Acheldema, qui hodie quoque demonstratur in Ælia ad Australem plagã montis Sion: et hactenus iuxta Iudæorũ consilium mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub diuo putrefacit.] His accedit, quòd ille dictus habetur Ager figuli, nempe nominatus ager, ac proinde non ignobilis; quem si velimus dictum esse Agrum figuli, quòd ibi figlina esset, indeq. suppeditaretur argilla ad vasa fingenda, maioris fuisse pretij certum est. Rursum etiam in agrorum emptionibus apud Hebræos fieri solitis illud est obseruandum, omnes possessiones vendi solitas vsque ad annum Iubilei, sic statuente diuina lege [f], vt anno Iubilei omnes possessiones redirent ad dominos suos: quanto autem plures anni remanerent post Iubileum, tanto (inquit diuina lex) crescceret & pretium. Hac igitur habita ratione, quòd venditus sit ager figuli non vsque ad annum Iubilæi, vel vltra, sed penitus & in perpetuum fuerit eius directum translatum dominium, numquam amplius ad venditorem reuersurus; quippe qui vsui sepulturæ peregrinorum semel adscriptus, sic semper esset permansurus: cariori eum venditum esse pretio, quemque prudentem facile existimare debere, certum est. Quæ cum ita sint; quis, rogo, mente concipere poterit, vt ager suburbanus, Hierosolymis propinquior, nominatus figuli, perpetua dominij translatione venderetur (vt ipse tradit) septem vel quindecim florenis argenteis, vel trecentis (vt alij dixerunt) denarijs? cum præsertim latiorem illum campum fuisse, existimare liceat, vbi omnium peregrinorum cadauera infoderentur: nam eam ciuitatem peregrinis fuisse refertam, vt metropolim omnium Iudæorum toto Orbe agentium, Iosephus sæpe testatur.

[d] Ioseph. de bello Iudaico lib. 7. cap. 1.

[e] Hieron. de locis Hebraicis in Act. Apostolorũ.

[f] Leuit. 25.

XVIII. AVCTORIS SENTENTIA DE ARGENTEIS.

Aliam ergo putamus habendam esse rationem illorum triginta argenteorum; illam nempe, quam Elias Leuita Iudæus in libro cuius est titulus, Tisebi, ex maiorum diligenti obseruatione describit: nimirum hanc vocem, argenteus, si posita reperiatur in Pentateucho, selagh, hoc est, siclum vnum significare: si vero reperiatur in Prophetis, litrin, nempe libram intelligi debere: si autem in Hagiographis, eadem voce exprimi canterim, quod dicimus talentum, aliter cantarum. Eamdem distinctionem ex Rabbinis alijs recitat ac probat Arias Montanus in dictionario Syrochaldaico in verbo Cheseph. Cum ergo Matthæus Euangelista de triginta argenteis agens, propheticam de ea re prædictionem afferat, dicens [g]: Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Propheram, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt a filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli] plane necessario dicendum est, Mat-

[g] Matth. 27.

est, Matthæum eius pretij triginta argenteos expressisse, quod a Prophetis accipi consueuit, nimirum pro triginta libris argenti; quarum auiditate Iudas illectus, proditionem sit pollicitus, atque molitus: quibus ab eo redditis, vt de summa non exigua Principes sacerdotum coegerunt concilium; & quid de ea agerent, rogauerunt singulorum sententiam: decretumq. fuit, pecuniam illam debere conuerti in pretium agri figuli emendi ad sepulturam peregrinorum.

XIX. ARGENTEVS LIBRA ARGENTI.

At non Elias tantum nuper citatus, alijq. Rabbini, per argenteum, libram interdum intelligi tradiderunt; sed & Epiphanius in libro de Mensuris atque ponderibus, prope finem, dum ait argenteorum nummorum diuersam esse rationem; addit tamen, hoc nomen, argenteum, idem significare quod apud Romanos Miliaresium, quod est donatiuum militare. et cum inferius agit de Phole: Pholes, inquit, quod & talentũ vocatur, duplex est, ex duobus argenteis compositum, & fiunt ducenti & octo denarij] qua ratione quemlibet argenteum centũ & quatuor docet denarios continere. Sic igitur (vt dictum est) accepit Iudas in proditionis præmium triginta libras: quas cum facti pœnitens proiecisset in templum, suburbanus ager figuli emptus est in sepulturam peregrinorum; cuius quidem rei gestæ typum iam Dominus expresserat in Zacharia, cum ait [a]: Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad statuarium decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium.] his velut lineamentis quibusdam exprimitur Iudæ facinus, & Iudæorum: nempe quod hi putarunt esse decorum pretium, nempe magnum, datum Iudæ proditionem spondenti: quod ille, facti pœnitens (vt ait Euangelista) proiecit in templum, & a Iudæis est collatum ad statuarium, nempe, quod Hieronymus interpretatur, ad figulum in pretium agri. Quòd vero non Zacharias, sed Hieremias citatus habeatur apud Matthæum: cum de antiqua quæstione diuersæ diuersorum habeantur opiniones; illa tamen nobis sententia magis placet, vt nomen Hieremiæ aliunde in textum illapsum sit: tum quòd temporibus Augustini, vt ipse testatur, Hieremiæ nomen non haberent codices omnes, nec omnino Syriacum: tum etiam, quòd Matthæus [b] sæpe alias Prophetam citans, quem intelligat, numquam exprimere consueuit.

[a] Zach. 11.

[b] Matth. 12. 13. 21. 27. Iansen. Concord. c. 142.

XX. DE PRETIO AGRI HIEREMIAE

His de agri figuli pretio elucidatis: non tam qui dixerunt agrum figuli emptum triginta siclis, erroris arguuntur; quàm qui etiam agentes de agro vendito Hieremiæ [c] (vt habet Vulgata) stateris septem & decem argenteis, dixerunt emptum tantummodo siclis decem & septem: nam in primis paraphrasis Chaldaica, quod habetur Hebraice, Sciechalim, minas intelligit, nẽpe minas septem argentis; id ipsum Rabbi Dauid Chimchi. Sic igitur, cum constet Iosephi [d] auctoritate, Iudaicã minam continere libras duas & semis; septem minæ erunt decem & septem libræ cum dimidia: quibus si addas decem Cheseph, hoc est, decem argenteos, nempe secundum citatam superius Rabbinorum auctoritatem, totidem argenti libras; fiet Hieremiæ agri pretium, vigintiseptem & semis libræ argenti: nec certe putandum minoris fuisse pretij agrum illum hereditarium, qui semel in diuisione regionis in sortem acceptus, nonnisi in eiusdem familiæ propinquiores distrahi consueuit. Agros namque Iudæorum prouinciæ magni fuisse pretij, ex eo quis facile conijcere potest, si immensam populi multitudinem in angusta Syriæ parte habitasse consideret; nam totius Palæstinæ fines a Plinio [e] ponuntur centũ octoginta millia passuum a confinio Arabiæ vsque ad Phœnicem: adeo vt nulla in orbe terrarum reperiatur esse regio, quæ tantam caperet hominũ multitudinem. Quamobrem nulla ratio persuadet, vt ille figuli ager suburbanus, triginta tantum siclis, nempe dimidia vnius minæ parte, & Hieremiæ campus tertia parte minæ vnius, minus siclis tribus, fuerit emptus. Sic igitur de triginta argenteis a Pontificibus Iudæ traditis, & in agri pretium collatis sententiam antiquorum Rabbinorum auctoritate probatã, alijsq. rationibus stabilitam, veriorem certioremq. putamus. At de his satis: iam reliqua historiæ Euangelicæ prosequamur.

[c] Hier. 32.

[d] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 22.

[e] Plin. lib. 5. c. 13.

XXI.

Illuxit in crastinum prima dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, quando misit Iesus Petrum [f], & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.] Totam rei gestæ seriem fusius explicant Euangelistæ. Hæc facta sunt feria quinta hebdomadis (vt ait [g] Ioannes) ante diem Paschæ. Quod ad domum spectat, vbi Iesus Pascha sibi parari mandauit: Nicephorus [h] & alij tradiderunt fuisse domum

[f] Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14. Concord. c. 128.

[g] Ioan. 12.

[h] Niceph. hist. lib. 1. c. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ioannis Euangeliſtæ: ſic enim ille ait: Hæc cœna paratur in domo, vt aiunt, Ioannis A
Euangeliſtæ: quam ille poſſeſſione ſua (non exigua autem ea fuit) in Galilæa, Caiphæ
eius temporis Iudææ Pontifici vendita (cuius gratia etiam illi notus extitit, ſicuti ipſe
alicubi ſacro ſuo teſtimonio aſtruit) in locis circum Sion montem ſitis comparauerat.]
a Cedrenus in Annal. hæc ille: eadem & Cedrenus [a], & alij. Hieronymus item [b] de Ioanne teſtatur, ipſum
b Hier. epiſt. 16. propter nobilitatem generis notum fuiſſe Pontifici. Quicquid ſit, Euangeliſtæ [c] teſti-
c Matth. 4. monio ipſum fuiſſe piſcatorem, & retia conſarcinaſſe conſtat; ditiorem tamen ceteris
Apoſtolis piſcatoribus fuiſſe, ea eſt coniectura, quòd mercenarios ad piſcationem con-
d Marc. 1. ductos habebat: nam Marcus [d] de ipſo, & Iacobo fratre ipſius ait, quòd relicto patre
ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſecuti ſunt Ieſum: habuiſſeq. Hieroſolymis do-
mum, in quam poſt Chriſti paſſionem, Dei genitricem recepit, æque aſſentimur.

XXII. An vero apud ipſum Dominus noſter hoc anno celebrauerit Paſcha, dubium valde B
redditur, quòd Lucas ſcribat ipſum Ioannem cum Petro miſſum ad perquirendum vbi
Paſcha parandum foret; nec vt in domo ſua pararet, Dominum præcepiſſe, nec illos
id compertum habuiſſe; ſed rogantes apud quem parandum eſſet, iuſſos eſſe ſequi ho-
e Habes eum apud Metaphr. die 11. Iunij. minem lagenam aquæ portantem. Quapropter Alexander Monachus [e], qui res ge-
LOCVS VBI PASCHA PERACTVM EST. ſtas ſancti Barnabæ proſecutus eſt, affirmat celebratum eſſe ſacrum Paſcha a Domino
in domo alterius Ioannis, illius ſcilicet filij Mariæ, qui cognominatus eſt Marcus, cu-
f Act. 12. ius meminit Lucas [f], & Paulus [g]; nam eius domum Hieroſolymis fuiſſe, atque Apo-
g Coloſſ. 4. ſtolis patuiſſe, eiuſdem Lucæ [h] teſtimonio ſatis perſpicuum exploratumq. habetur. De
h Act. 12. vtraque domo, tam Ioannis filij Zebedæi, quàm illius qui cognominatus Marcus,
Mariæ filius fuit, mentio habetur in Tragœdia de Chriſto patiente apud Gregorium
Nazianzenum (quamuis credatur fuiſſe potius Apollinaris opus illud) his verſibus: C

Eamus hinc citis ſilentes greſſibus,
Aedes petendo, feminæ in quibus manent
Vt hoſpites cum matre Marci Maria.
Quo & conuolabit, vt reor, ſacer chorus:
Ibiq. dulcem præſtolabimur diem.
Potiuſve eamus in noui gnati domum,
Quem filius mihi arrogauit vnicus.]

hactenus ille ex perſona Deiparæ. ſatisq. de domo vbi Dominus noſter vna cum ſuis
exoptatum Paſcha peregit.

XXIII. At quoniam in hiſtoria Eccleſiaſtica enarranda, & ijs quæ ſpectant ad exactam tem- D
DE TEMPORE PASCHATIS. porum rationem, perueſtigandis, omne noſtrum ſtudium polliciti ſumus: antequā ad
ceteras res geſtas recenſendas vlterius progrediatur oratio, de ipſo die quo Dominus
noſter Paſcha celebrauit, primum omnium ex inſtituto nobis agendum proponimus.
Ac in primis, quid de ea re teſtatum reliquerint Euangeliſtæ, ipſo narrationis exordio
i Exod. 12. adducamus in medium. Statuto igitur a [i] lege die, ipſa decimaquarta luna primi men-
Leuit. 23. *Num. 28.* ſis ad veſperum, Dominum noſtrum commune Iudæis omnibus Paſcha cum ſuis cele-
k Matth. 26. braſſe ipſa feria quinta ad veſperam, Matthæus, Marcus, ac Lucas abſque vlla contro-
uerſia affirmare videntur: Matthæus [k] enim ait: Prima die Azymorum acceſſerunt diſ-
cipuli ad Ieſum, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? At Ieſus dixit: Ite in
ciuitatem ad quemdam, & dicite ei: Magiſter dicit: tempus meum prope eſt, apud te
facio Paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & pa- E
l Marc. 14. rauerunt Paſcha. Veſpere autem facto, diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis, &c.]
m Luc. 22. Marcus [l] id ipſum his verbis: Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant, di-
cunt ei diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Paſcha? &c.] Lucas [m]
etiam in hanc eamdem ſententiam: Appropinquabat dies feſtus Azymorum, qui dici-
tur Paſcha.] & paulo inferius: Venit dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſ-
cha. Et miſit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Paſcha vt manduce-
mus, &c.] Niſi enim commune cum ceteris Iudæis Dominus Paſcha egiſſet, non vtique
ex improuiſo hoſpitem adeo paratum offendiſſet: nec enim erat eiuſmodi miniſterium
quod continuo exhiberi potuiſſet: lege enim cautū erat, vt qui immolandus eſſet agnus
n Exod. 12. decimaquarta luna ad veſperam, luna [n] decima domum introduceretur.

XXIV. Cum itaque horum auctoritate ſatis perſpecta res habeatur, Dominum noſtrum
celebraſſe

A celebraſſe Paſcha decimaquarta luna ad veſperam, quando & Iudæi ceteri illud ipſum
agebant: de Ioanne Euangeliſta, quòd a ceteris diſcrepare videatur, ſuboritur contro-
uerſia. Ille enim in primis agens de lotione pedum, quam peractam conſtat in cœna
Domini, ſic ait [a]: Ante diem feſtum Paſchæ, ſciens Ieſus, &c.] Rurſus idem de Iudæis *a Ioan. 13.*
agens: Erat, inquit [b], mane: & ipſi non introierunt in prætorium, vt non contamina- *b Ioan. 18.*
rentur, ſed vt manducarent Paſcha.] hæc ille, quaſi dicere vellet, Iudæos non egiſſe
Paſcha præterito veſpere diei quintæ, ſed quòd ſequenti diei ſextæ veſpere Paſcha co-
meſturi eſſent. Idemq. inferius appellat eam diem paraſceue Paſchæ, quaſi in craſtinū
Paſcha fuiſſet celebrandum. Rurſum cum abſoluta cœna, dixiſſet Ieſus Iudæ: Quod
facis, fac citius] ſubdit idem Ioannes [c], exiſtimaſſe aliquos diſcipulorum, dictum il- *c Ioan. 13.*
li vt emeret quæ opus erant ad diem feſtum. Idemq. [d] dum illud ſabbatum, magnum ap- *d Idem 19.*
B pellat, Paſcha in illud fuiſſe translatum videtur annuere.

Hæc autem omnia tanti momenti exiſtimarunt nonnulli, vt cum minime aſſecuti XXV.
fuerint Euangeliſtæ verborum ſenſum, nouas diuerſaſq. ſententias excogitarint. Et inter
alios eo dementiæ progreſſi ſunt nouantes quidam Græculi, vt non erubuerint affirma-
re, Ioannem Euangeliſtam, qui vltimus omnium Euangelium ſcripſit, ceteros Euange-
liſtas temporis errore lapſos voluiſſe corrigere. At faceſſant hæc, vt hæretica, ab auri-
bus ac mente cuiuſque Fidelis. Fuit aliorum Græcorum, ſed plane antiquorum, ea opi-
nio, vt Dominus in celebrando Paſchate, non ſicut Iudæi ceteri, decimaquarta luna ad
veſperam, ſed diem anticipando, luna decimatertia illud egerit; ſicq. appoſite Ioannem
volunt dixiſſe: Ante diem Paſchæ, &c.] Fuit eius ſententiæ Epiphanius [e], Euthymius [f], *e Epiph. hær. 51.*
& alij hos ſecuti. Rurſus vero quorumdam Latinorum ea fuit aſſertio, Dominum non *f Euthym. in Matth. c. 16.*
C anticipaſſe Paſcha, ſed legitimum celebraſſe, nimirum luna decimaquarta ad veſperā, DIVERSAE SENTENTIAE.
Iudæos vero mutaſſe illud, ac diſtuliſſe in diem ſabbati: cuius quidem dilationis qui-
dam ipſorum eam afferunt cauſam, vt quamcitiſſime Chriſtum crucifigere poſſent,
nec expectare cogerentur donec præterijſſent omnes illi dies ſeptem Azymorum; quos
Herodem Agrippam his religioſiorem expectaſſe conſtat [g], vt Petrum, quem vinxerat, *g Act. 12.*
neci traderet. Alij [h] vero illam ex lacunis recentiorum Hebræorum de dilato in ſabba- *h Paul. Bur. Lucid. & alij eum ſecuti.*
tum Paſchate cauſam adducunt; quòd dicant, poſt reſtitutionem templi, diuina qua-
dam præuia reuelatione, ex decreto magni ipſorum concilij comprobata, ſtatutum eſ-
ſe, ne ſexta die Paſcha vllo tempore celebrari deberet; ea ſcilicet ratione, ne duo ſimul
feſta coniungerentur, quòd perdifficile eſſet in biduum parare cibum. Dixerunt [i] ad- *i Ruper. Abb. in Leuit. lib. 2. c. 36. et alij ipſum ſecuti.*
huc alij, ea ex parte tantum, quæ ad feriationem ſpectat, Paſcha fuiſſe dilatum: ceterū
D quod ad eſum agni pertinet, legitime celebratum. Hæc ſunt, quæ occaſione Ioannis
Euangeliſtæ, quod viſus ſit ceteris aduerſari, ſunt a diuerſis excogitata. Verum non pa-
titur ratio, Euangelicam veritatem per tot diuerſos ac varios anfractus circumduci.
Dicimus itaque, ea quæ ſcripta ſunt a Ioanne, eſſe in omnibus conſentientia ijs quæ a
tribus ceteris Euangeliſtis ſunt tradita; ac proinde vnum idemq. Paſcha vno eodemq.
die a Domino noſtro atque Iudæis eſſe celebratum.

Ante autem quàm hæc demonſtremus; de antiquo vſu Iudæorum in die Paſchatis XXVI.
celebrando, tam ex diuinis Scripturis, quàm etiam ex antiquis auctoribus, quo cun-
cta planiora fiant, narrationem perbreuem inſtituendam putamus. Ac primum illud
monendum, ex diuinæ legis inſtitutione ſolemnitatem Paſchalem eſſe diuerſam ab ea
quæ dicitur Azymorum, ſicut in Leuitico [k] his verbis notatum habetur: Menſe primo, *k Leuit. 23. Exod. 12. Num. 28.*
E quartadecima die menſis ad veſperum Phaſe Domini eſt: et quintadecima die menſis
huius ſolemnitas Azymorum Domini eſt. Septem diebus Azyma comedetis. dies
primus erit vobis celeberrimus, &c.] Habentur eadem in Exodo, & libro Numeri.
quæ quidem duplex ſolemnitas ex diuerſis rebus geſtis, ac duplici beneficio a Deo acce-
pto, originem duxit: nimirum quia Dominus tranſiliens domos filiorum Iſrael, Ægy-
pti primogenita interfecit: & quòd populus Iſrael ex Ægypto liber egreſſus, comedit
Azyma. Verum celebrabantur Paſcha & Azyma non diuerſis diebus, ſed vna eademq.
die. nam licet dicat diuina Scriptura: Decimaquarta die primi menſis ad veſperum Pha-
ſe Domini eſt, & quintadecima die ſolemnitas Azymorum] tamen veſpere decimæ-
quartæ diei reputatur initium diei ſequentis: ante veſperum enim auſpicari conſue-
uiſſe dies feſtos Iudæos, ſuo loco dicemus; quod ex ea re manifeſtius redditur, dum
eo veſpere Azyma comedebant, nimirum quòd eſſet initium quintædecimæ lunæ:

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex qua die, non autem ex præcedenti, septem dies Azymorum numerare necesse erat, A
a Exod. 12. cum terminus septem dierum sit dies vigesimaprima[a] ad vesperam. Rursum vero quod ad feriandos eos dies pertinet, hæc erat institutio legis diuinæ: Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.]

XXVII. RITVS CELEBRANDI PASCHATIS.

His ex diuinis Scripturis depromptis, reliquum est, vt quæ Iudæi in celebrando Paschali festo circa hæc Christi tempora obseruare solerent, ex antiquis auctoribus proponamus. Anatolius[b] Episcopus Laodicenus ex Philone, Iosepho, & alijs antiquioribus Iudæis, monstrat tempore celebrandi Paschatis ab illis obseruatum fuisse æquinoctium, videlicet vt Pascha & Azyma post æquinoctium agerentur. Philo[c], qui his Tiberij temporibus viuebat, hæc de ritu seruari solito in Paschate celebrando: Eius mensis, inquit, die quartadecima, sub ipsum tempus quo Luna suum orbem solet implere lumine, celebratur migrationis publica festiuitas, quam Chaldaice Pascha nominant: quo tem- B
b Apud Euseb. hist. lib. 7. c. 26.
c Philo in vita Moysi.
pore non, vt alias, plebeij homines victimas adducunt ad altare mactandas a sacerdotibus: sed iubente lege, tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus: tunc vniuerso populo celebrãte lætas epulas, quisque se gerit pro sacerdote, &c.] Idem alibi, hæc ipsa vna eadem die ab omnibus fieri solita, testatur[d]. De tempore autem quo cædi victimæ inciperent, Iosephus[e] hæc ait: Cum dies festus adesset, qui Pascha vocatur, quando a nona hora quidem vsque ad vndecimam hostias cædunt, per
d Philo in decalog.
e Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 12.
singulas vero hostias contubernia non pauciorum quàm decem fiunt; solum enim epulari non licet; multi autem etiam vicini conueniunt: hostiarum quidem ducenta & quinquagintasex millia & quingentas numerauere. Fiunt autem (vt denos epulatores per singulas imputemus vices) centena & septingenta millia, sancti omnes, & puri.]
f Ioseph. de bell. Iud. lib. 5. c. 9.
hæc ille. Idemq. de vsu indicendi tempus, quo auspicandus esset dies festus, hæc ait[f]: C
Quarta turris supra verticem Pastophoriorum condita erat, vbi moris est, vnum de sacerdotibus astantem post meridiem, quòd septimus quisque dies inciperet, tuba significare: rursumq. vesperi, quòd desineret: nunc ferias populo, nunc vt opus faciat, denunciantem.] hæc Iosephus. Probatur[g] istud ipsum ex rescripto Augusti Imperatoris
g Apud Ioseph. antiq. lib. 16. c. 2.
pro Iudæis ad prouinciæ Præsides, in quo hæc post alia scripta habentur: Neque Iudæos cogi ad præstanda vadimonia sabbatis, aut pridie sabbatorum post horam nonam in parasceue.] hæc ibi. Ex his itaque duobus locis citatis, de tempore quo Paschatis festum, quove diem sabbati auspicari illi solerent, plus certo testatum habetur.

XXVIII. SOLVVNTVR OBIECTA.

His visis, iam reliquum est, vt his quæ ex Euangelio Ioannis de translato in sabbatum Paschali festo obijciunt, respondeamus: ac primum, cum ipse pedum lotionem fa- D
ctam in cœna Domini, dicat ante diem festum Paschæ contigisse; haud repugnat ceteris Euangelistis, qui cœnam Dominicam factam dicunt ipsa Paschatis & Azymorum die: constat enim communi loquendi vsu Ioannem esse locutum: nam crastinum diem cum dicimus, non de legali accipimus, qui a vespere diei præcedentis incipit numerari, sed cum nocte transacta Sol oriens nouum adducit diem. Nec vero est ista vulgaris tantum loquendi consuetudo, sed quæ reperitur etiam in diuinis Scripturis sæpius vsurpata, at-
h Luc. 23.
que etiam ab ipsis Euangelistis. Lucas[h] enim sic ait: Dies erat parasceues, & sabbatũ illucescebat, &c.] cum tamen ex legali institutione parasceue desijsset præcedenti die
i Matth. 28.
hora nona, & tunc dies sabbati incepisset. Eodem modo & Matthæus[i], cum dicit: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati.] cum tamen vespera præcedentis diei non esset re vera sabbati, sed primæ sabbati, quam ipse ab illucescente die denomi- E
k Marc. 15.
nat. Marcus[k] etiam in hunc modum: Et cum iam sero esset factum (quia erat parasceue, quod est ante sabbatum) venit Ioseph, &c.] certe proprie loquendo, illud sero non erat parasceue, sed principium sabbati. Sic itaque eodem modo Ioannes vespere illud decimæquartæ lunæ, quando facta est cœna, nominat ante diem festum Paschæ, cum tamen esset principium Paschæ.

XXIX. QVID MANDVCARE PASCHA.

Rursus vero ad illud Ioannis[l] quo ait: Erat autem mane: & ipsi non introierunt in
l Ioan. 18.
prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha] non sic accipiendum est, vt ad vesperam eius diei, qua sabbatum auspicabantur, comesturi essent Iudæi Paschalem agnum; sicq. in ipsum sabbatum, quod dicunt, Pascha translatum
m Abul. 2. part. def. c. 8.
esset: sed quod tradit ex diuinæ Scripturæ testimonijs Abulensis[m], manducare Pascha, non tantum de agno Paschali dici solitum, sed etiam de quocũque sacrificio, quod illis septem

A septem diebus festis[a] offerri soleret, quibus agni, vituli, arietes, hirci, boues, & tauri a Num. 28. Paralip. 30. et immolarentur diebus singulis, eorumq. pars vna consumebatur in holocaustum, alia 38.
vero cedebat sacerdotibus, tertia demum a populo comedebatur: quæ quidem sacrificia & ipsa, sicut & agni, Pascha dicebantur. Sunt de his complures diuinæ Scripturæ auctoritates, vt cum ait Dominus in Deuteronomio[b]: Obserua mensem nouarum fru- b Deut. 16.
gum, & verni primum temporis, vt facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisq. Phase Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus, &c.] Eadem in Paralipomenon[c], vbi habetur, quòd c Paralip. 30.
septem diebus agebatur Phase, & comedebatur Phase (quod idem est quod Pascha) quo & 35.
cum nonnisi qui sanctificati essent ac mundi, vesci solerent; merito Pharisæi noluerũt mane ingredi prætorium, ne contaminarentur, vt possent manducare Pascha, quod eo
B ipso die ac sequentibus soleret offerri.

Quòd insuper idem Ioannes[d] ipsam sextam diem, qua crucifixus est Dominus, ap- XXX.
pellet parasceuen Paschæ: Erat, autem, inquit, parasceue Paschæ, hora quasi sexta, &c.] d Ioan. 19.
haud dubium de sabbati parasceue est intelligendũ; nam & singuli illi septem dies Paschа dicebantur. Sic etiam habes apud Lucam[e], dum ait de Herode, quòd post Pascha, e Act. 12.
expletis scilicet diebus Azymorum, Petrũ occisurus esset: Paschatis enim festi nullum DE PARASCEVE.
legitur in diuinis Scripturis parasceue fuisse, quòd non essent Iudæi diuina lege prohibiti eo die ac ceteris sequentibus parare ea quæ ad cibum pertinent, cuius rei causa parasceue tantum sabbati legitur institutum, quòd ea die nec quæ ad cibum spectarent, curare liceret, secus vero in Paschatis diebus, sic dicente diuina Scriptura[f]: Dies prima f Exod. 12.
erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil operis fa-
C cietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.] sic nihil impedit, immo maxime congruit, vt vna eademq. dies & Paschа sit dicta, & parasceue Paschæ, quod erat sabbatum. Porro etsi superius dixerat, parasceue Paschæ, inferius perspicue significat fuisse sabbati parasceuen, dum ait[g]: Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non rema- g Ioan. 19.
nerent in cruce corpora sabbato, &c.] Eadem quoque ratione satisfactum constat ijs, quæ ex eodem Ioanne adducunt, existimasse aliquos Apostolos, Dominum in cœna dicere voluisse Iudæ vt emeret quæ opus essent ad diem festum, quasi illa die non fuerit Paschа, sed sequenti. Nam (vt dictum est) ipso die Paschatis emere licebat, immo necesse erat, ea quæ spectarent ad cibum, non tantum diei illius, sed sequentis sabbati, quòd eadem dies & Paschа esset, & parasceue sabbati.

Ad postremum vero, quod ex eodem ipso Euangelista obijciunt in sabbatum transD latũ fuisse Paschа, ea videlicet ratione, quòd ipse dicat[h] de eodem sabbato: Erat enim XXXI.
magnus dies ille sabbati] quod ea de causa dictum putant, quasi in eam diem Paschа translatum esset. Respondeant velim, qua ratione idem Euangelista vltimum diem Scenophegiæ æque magnum appellet, dicens[i]: In nouissimo autem die magno festiuitatis i Ioan. 7.
stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, &c.] nihil est quod dicant: nisi forte, quòd sicut prima dies, ita & nouissima a lege æque sanctificari iuberetur[k]. Qua ratione & k Leuit. 23.
nos etiam dicere possumus, dictum esse magnum diem sabbati, quòd non tantum sabbatum esset, sed etiam secunda Paschæ diceretur; sicq. vnam eamdemq. diem duplici auctam celebritate, magnam esse merito nuncupatam. Reperies eiusmodi nomenclaturam apud Isaiam[l], secundum Septuaginta interpretes, sicut citauit Tertullianus l Isaiæ 1.
his verbis[m]: Neomenias vestras, & sabbata, & diem magnum non sustinebo.] Idemq. m Tert. aduerf. Marcion. lib. 5.
E Tertullianus in illa verba Pauli ad Galatas: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & c. 4.
annos] & sabbata, vt opinor, & cœnas puras, & ieiunia, & dies magnos.] Hæc satis de his quæ ex Ioanne Euangelista erant obiecta: quibus exploratum habetur, ipsum nihil a ceteris dissentire, immo illis esse in omnibus consentientem, quippe qui expresse testetur[n] eadem ipsa sexta die fuisse Paschа, dum verba Pilati reddens, hæc ait: Est au- n Ioan. 18.
tem consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Paschа.]

Hæc cum expresse quatuor Euangelistæ testentur; alia rursus obijciunt, qui dicunt XXXII.
Paschа in sabbatum esse translatum; nimirum quòd in concilio seniorum[o] fuerit illa o Matth. 26.
omnium sententia, ne in die festo Iesus esset tenendus & occidendus, scilicet ne tumultus fieret in populo: quod illi non religionis causa, sed vt commodius fieret, istud ipsum visi sunt consultasse. Verum postquam Iudas (vt dictum est) accessit ad Principes sacerdotum, & suum officium pollicitus est: nihil melius nec opportunius rati, quàm

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Iudas spopondisset, ab ea sententia discesserunt. Ille vero [a] quærebat opportunitatem, quomodo eum traderet: et quo minus tumultus fieret in populo, noctu & extra ciuitatem id faciendum putauit, vt sic Iudæis omnibus satisfaceret, nimirum vt sine tumultu populi, Dominus Iesus teneretur ac duceretur. Instant rursum, non licuisse Iudæis Paschatis festo Christum crucifigere. Sed satis redarguuntur ex ipsa Iudæorũ consultatione, qui meditantes necem Christi, nullam habuisse rationem diei festi visi sunt, cum dicerent abstinendum esse ne id fieret in die festo, non pietatis ergo, sed ne tumultus fieret in populo. Ceterum Pilati ministerio id eos fecisse constat: nam a Pilati militibus tentus, & perductus, ab ijsdem flagellatus, ac denique cruci affixus est. Nec etiam id alicuius momenti est quod obijciunt ex Matthæo, quòd dicat: Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli.] quasi id minime licuisset, si festa dies fuisset. Verum Euangelista nequaquam id eo die factum dicit, sed quod postea factum fuit insinuat. Porro quod ad concilium spectat, non videtur fuisse lege vetitum, quo minus festo die simul coirent, & comitia agerent; nam ipso sabbato, quo duplex erat solemnitas, simul conueniisse, ac Pilatum adijsse, atque apud eum de custodiendo sepulchro egisse, Matthæus [b] testatur.

[a] *Matth.* 26.

ALIAE SOLVVNTVR OBIECTIONES.

[b] *Matth.* 27.

XXXIII.

Vrgent adhuc ea ratione: Quomodo, inquiunt, si festum Paschatis fuisset, licuisset ad sepulturam Domini sindonem emere [c], & myrrhæ & aloes quasi libras centum parare [d]? Sed cum dicant Euangelistæ [e] hæc facta esse a Ioseph ab Arimathia, cum sero iam factum esset; nihil est quod pertineat ad diem Paschæ, qui iam (vt diximus) Iudæorum more, ab ipsa hora nona elapsus esset, & iam sabbatum incepisset. Et quamuis Marcus sero illud, non sabbatum, sed parasceue, quæ erat ante sabbatum, nominet; tamen id factum constat solito more: nã quantumlibet festa dies inciperet ab hora nona, tamen reliqua pars eius diei vsque ad occasum Solis non denominabatur a die sequenti, sed præcedenti: sicut videmus toties esse repetitum in diuinis Scripturis, agnum occidendum esse decimaquarta luna ad vesperam; cum tamen illa vespera non ad quartamdecimam lunam spectaret, sed ad diem sequentem, quam (vt dictum est) post horam nonam auspicari Iudæi horum temporum consueuerunt. At cũ dicant Euangelistæ sindonis emptionem & aromatum mixturam vespere factam esse, ac sic sabbati die: non tamen putamus hominem maxime pium Moysi legem transgressum esse: nam ministerium sepulturæ non videtur fuisse lege prohibitum festo die, cum Tobiam [f] constet id ipsum fecisse. Nec aliquem puto dicere iure posse, opera legis festo die esse vetita; vt cum lex mandat infantulum circumcidendum esse octaua die; nam si in sabbatum ea dies incidisset, nihil erat impedimento quo minus infans circumcideretur. Lege [g] etenim etiam sancitum erat, vt qui in patibulo appensus esset, eadem die sepeliretur: de qua lege agens Philo [h], id consueuisse fieri ante Solis occasum testatur. Si licebat igitur die festo sepeliri defunctum; vtique & cetera concessa erant quæ ad illud opus conducere videbantur: porro testatur Euangelista [i], eo modo quo sepultus est Dominus, consueuisse Iudæos suos mortuos sepelire; sicq. nihil in sepultura Domini factum esse constat contra legem & morem.

[c] *Marc.* 15.
[d] *Ioan.* 19.
[e] *Matth.* 27. *Marc.* 15.

DE EMPTIONE OBIECTIO.

[f] *Tob.* 2.
[g] *Deut.* 21.
[h] *Philo de spec. leg.*
[i] *Ioan.* 19.

XXXIV.

His ergo in hunc modum de efficto commento translati Paschatis ex Iudaicis fabulis confutatis: iam videamus quàm firmiter atque constanter mandauerit Deus [k] seruari, ne alia die quàm quartadecima luna ad vesperam sacrum Pascha celebraretur. Vsque adeo id ratum atque inuiolabile esse voluit: vt si qui, eo quòd essent immundi, ea illud celebrare non possent, non in sequentem, tertium, quartumve diem id illis facere permiserit, sed expectare eos eamdem quartamdecimam lunam mensis secundi præceperit. Sic videmus tempore [l] Ezechiæ Regis, cum legitima ex causa, ob raritatem scilicet sacerdotum, Pascha in aliam diem transferendum esset, nonnisi ex legis instituto in decimamquartam lunam secundi mensis esse dilatum. Facessant igitur qui ex reuelationibus quibusdam inanibus, & commenticijs scriptis nomine Gamalielis vel aliorum, ac denique ex simulato Iudæorum concilio, de translato Paschate nouã in Ecclesiam Dei inuexerunt opinionem: quam quidem permultis ac grauibus disertisq. rationibus & Patrum testimonijs confutat ac reijcit noster Marcellus, litteris Ecclesiasticis exultissimus, in commentario quem diserte admodum scripsit de Horis canonicis, vbi hanc pertractantem quæstionem eodem tempore quo nos istæc scriberemus, in omnibus nobis consentientem inuenisse, gauisi sumus, atque grato accepimus animo.

[k] *Num.* 9.
[l] 2. *Paral.* 30.

Quòd

Quòd si quis hæc vberius tractata cupit, ipsum consulat: nostri enim instituti ratio non patitur his diutius immorari.

His igitur firmiter stabilitis, sileant & ij qui Pascha interciſum fuisse tradunt, dicuntq. alia die agni comestionem, alia vero festum ipsum esse celebratum: taceantq. qui dixerunt non commune cum ceteris Dominum Pascha celebrasse, sed priuatum, illudq. anticipatum egisse. Stet vero firma sententia, quatuor Euangelistarum & totius diuinæ Scripturæ attestatione suffulta: Dominum nostrum Iesum Christum luna decimaquarta ad vesperam commune Iudæis omnibus egisse Pascha, illud ipsum etiam Iudæis ceteris celebrantibus; nullamq. causam vel ipsius anticipandi, vel intercidendi, aut denique transferendi interceſſisse. Congruit & historiæ veritas sacro mysterio; vt ille ipse Agnus, qui venit peccata omnium & culpas, licet integerrimus & innocentissimus, sibi assumere, ipso Paschatis die pro salute omnium immolaretur in cruce. Sed hæc quantumlibet longiora, maiori qua licuit breuitate contraximus. Nunc iam cetera, quæ ad historiam pertinent, enarremus.

XXXV. SENTENTIA DE PASCHATE.

Vespere [a] autem facto, Pascha celebraturus Dominus, domum venit, discubuit cum duodecim, agnum comedit, lauitq. pedes illorum, & de humilitate seruanda eosdem admonuit, ac denique sacramentum augustissimum Eucharistiæ instituit. hæc pluribus Euangelistæ. Factam esse ablutionem pedum ante sacræ Eucharistiæ institutionem, sed post esum agni, facile persuademur ex multis, quæ inferius explicabimus. Scimus tamen aliquos existimasse, Dominum nostrum, primum omnium, antequam etiam comederit agnum, lauisse pedes Apostolorum: quod etiam probari posse videtur ex multis, & ex eo in primis, quod apud Lucam [b] olim exprobrans Dominus Simoni dixit: Intraui domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.] hoc idcirco, quòd statim post ingressum conuiuarum pedes lauari esset in vsu: hospitibus enim ingredientibus eiusmodi officium exhiberi solitum esse, de Abraham & Lot testatur diuina [c] Scriptura: inde vero sic lotis mensa apponebatur: vnde & illud libri Iudicum [d]: Postquam lauerunt pedes suos, recepit eos in conuiuium.] De Romanis nulli est dubium, lotos prius in balneo accumbere consueuisse; quòd si loti non essent, pedes saltem lauabant: vnde illud Plauti [e]: Locus hic tuus est, hic accumbe: ferte aquam pedibus, præbe tu puer.]

XXXVI. DE LOTIONE PEDVM.

[a] *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioan.* 13. *Concord. c.* 129. & 130.
[b] *Luc.* 7.
[c] *Genes.* 18. 19. & 43.
[d] *Iudic.* 19.
[e] *Plaut. in Perſa.*

Sane quidem ex quo Iudæi a Romanis subiugati sunt, more Romano cœnare didicisse, eruditus vir meiq. amantissimus Petrus Ciacconus dignæ memoriæ, in breui illa, sed non breuis eruditionis tractatione, quam scripsit de modo conuiuandi apud priscos Romanos, pluribus docet: nimirum, quòd sicut illi, Iudæi quoque in conuiuijs lauarentur, vngerentur, veste cœnatoria vterentur, itemq. accumberent, & non sederent, & alia id genus. Verum quòd hæc illi a Romanis acceperint, affirmare non auderem: nam eumdem fere epulandi vsum apud Indos seruatum esse, apud quos numquam Romani suo Imperio peruenerunt, Philostratus [f] auctor est. Testimonio insuper diuinæ Scripturæ [g] describentis conuiuium Assueri Regis, exploratum habetur, conuiuas illos super lectulos accubuisse, qui erant aurei & argentei, super pauimentum smaragdino & pario lapide stratum dispositi. Vetus esse triclinij nomen & vsum apud Hebræos, de Samuele eadem agens diuina Scriptura testatur, dum ait [h]: Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum eius, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite.] Accumbentes item consueuisse conuiuari Iudæos, multa sunt exempla, vt cum dicitur de Tobia [i], quòd cum fecisset conuiuium contribulibus suis, cum accubuisset, & de Iudæo quòd occisus in platea iaceret, nuncium accepisset: statim exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus.] & infra iterum de discubitu.

XXXVII. DE ACCVBITV IN MENSA.

[f] *Philoſt. in vita Apoll. lib.* 3.
[g] *Eſther.* 1.
[h] 1. *Reg.* 9.
[i] *Tob.* 2.

Ceterum quod spectat ad ipsam pedum lotionem, de qua agimus: factam tunc esse post cœnam agni existimamus, multis ijsdemq. efficacibus rationibus persuasi: atque in primis, quòd Ioannes expresse dicat, id contigisse cœna facta, ac rursum Dominum e cœna surrexisse, accepisse linteum, & lauisse pedes Apostolorum: quantumlibet illud, cœna facta, hoc est, cœna parata, aliqui sint interpretati. Quod vero dictum est, ipso ingressu domus, solitos esse conuiuarum pedes lauari: id quidem verum esse dicimus, cum qui accubituri erant, non essent loti, vt idem qui supra auctor exacte demonstrat: verum cum conuiuæ loti essent, absque alia mora recumbere consueuisse, idem docet.

XXXVIII. LOTIO PEDVM QVANDO FACTA.

Lotos

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Ioan. 13. Lotos vero fuisse discipulos Domini, satis expressisse videtur Iesus, cum dixit Petro[a]: A
Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, & est mundus totus.] Sane quidem solitos fuisse Iudæos in Paschali conuiuio iterum lauare pedes ac manus, ex libro Rituali Hebræorum constat; cuius rei illa habetur expressa ratio, quòd eius conuiuij duplex esset cœna coniuncta, vel, si dicere velimus, vnius cœnæ duplex mensa; in cuius priori esus agni, in posteriori vero cærimonia agebatur Azymorum. Porro non tantum in Paschate, sed & in alijs maximis Iudæorum solemnibus diebus, vt Pentecoste, & Scenophegia, eiusmodi duplices cœnas exhiberi consueuisse, ex canone Ritualis eorumdem apparet. Sed ea erat inter eas differentia, quòd in alijs semel tantum pedes lauarent, in Paschatis cœna iterum, primum scilicet ante esum agni, postea vero ante secundam mensam & cærimoniam Azymorum. His igitur in hunc modum se habentibus, cum ritus Paschalis, qui tunc penes illos in vsu erat, bis lauari pedes exposceret: primam pe- B
dum lotionem ante esum agni factam esse, dicere opus est; secundam vero a Domino ante secundam mensam. Verum ex verbis Domini, qui dixit Petro: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet] in omnibus lotos accubuisse in prima mensa discipulos (vt dictum est) nisi ea verba ad baptismi mysteriũ referamus, opus est affirmare. Primam igitur illam agni cœnam iam fuisse consumptam, cum inde consurgens Dominus lauit
b Ioan. 13. pedes discipulorum, illud etiam certo persuadet, quod idem Ioannes[b] scribit his verbis: Surgit a cœna, & ponit vestimenta sua: et cum accepisset linteum, præcinxit se, &c.]

XXXIX. Quòd vero dicatur Dominus posuisse non vestimentum, sed vestimenta sua, cum pedes discipulorum lauit; par est credere, eum in veste cœnatoria remansisse; absque
c Matth. 22. DE COENATORIA VESTE. eiusmodi enim veste Iudæos accumbere, religio erat: quod plane idem Dominus[c] de- C
monstrat in parabola illa de nuptijs filij Regis, in qua male mulctatus legitur ille, qui sine veste cœnatoria, quam ob nuptias nuptialem appellat, discumbere præsumpsisset. Sed non cœnatoria tantum indutum veste, sed maioris decoris gratia proprijs superindutũ vestimentis Dominum cœnasse, putandum: nam & palliatos atque togatos conuiuas interdum accumbere solitos, diserto viro Fuluio Vrsino, quibus id monstret, non
d Fulu. Vrsi. in Append. ad opus de Triclin. Petr. Crucc. desunt exempla[d]. Apostolos etiam eadem indutos veste in cœna accubuisse credendũ. Sindon enim esse solebat, eademq. prolixa, vt merito fugam arripiens, abiecerit eam
e Ambr. in Psal. 30. Greg. in Moral. & alij. adolescens ille existimatus[e] Ioannes Euangelista, qui quòd (vt creditur) mærore oppressus, non recepisset vestimenta sua, vt erat in mensa, remansit amictus sindone super nudo. Eiusdem plane generis fuisse vestes illas cœnatorias, non tantum pluribus antiquorũ auctoritatibus, sed ex ipsis tricliniaribus mensis marmoribusq. sculptis idem D
auctor facile monstrat. Sic igitur cum dicat Euangelista, post ablutionem pedum Iesum recepisse vestimenta sua; satis significat, absoluta iam cœna, lotisq. pedibus discipulorũ, cœnatoriam vestẽ exuisse, ac propriam induisse. Aliud enim longeq. a priori diuersum cum ipse suis esset exhibiturus conuiuium, diuerso etiam a solito cœnandi habitu, decentiori cultu (vt tantum mysterium exposcere videbatur) illud sibi instituendum putauit. Nouum ergo Dominus paraturus conuiuium (quod conuiuatoris videbatur esse munus) primum omnium conuiuarum voluit lauare pedes, ac subinde diuinum illud ferculum propinare. Sed antequam de hac secunda agamus mensa; de prima, quæ imago quædam videbatur esse secundæ, ac de ipso in cœna accubitu, quid idem auctor scripserit, referamus.

XL. Constat Ioannis[f] Euangelistæ assertione, ipsum dilectum præ ceteris a Christo disci- E
f Ioan. 13. pulum, in sinu Domini in eadem cœna recubuisse. Quid autem sit in mensa in sinu recumbere, cum idem qui supra auctor pluribus demonstrasset, ac prius ostendisset Iudæos in mensa more Romano accumbere consueuisse, hæc ait: Romani liberos suos, aut quos caros habebant, in conuiuijs infra se, hoc est, in sinu suo, collocabant: nam id esse in sinu recumbere, superius ostendi. Et Ioannes Christo maxime carus, in ipsius sinu recubuit, & in eius pectore se quàm familiariter composuit, dum ex eo quærit
g Ambr. in c. 13. Luc. DISCVBITVS IN MENSA. quis illum esset traditurus. Ambrosius[g] ad illud: Cecidit in collum eius: Nonne, inquit, tibi videtur Christum cecidisse in collum Ioannis, quando erat Ioannes in sinu Iesu ceruice recumbens reflexa? & ideo Verbum apud Deum vidit, qui erectus est ad superna.] Addit ille: Regem sacrorum, qui apud Romanos maximæ dignationis erat inter Pontifices, summum locum in pontificalibus cœnis occupare solitum, neminemq.

supra

A supra eum accubare diximus. Et in his pontificalibus cœnis, Christus vere Rex & sacerdos secundum ordinem Melchisedech, eumdem locum occupat, nec quisquam super eum accubat: alioquin non potuisset olim Maria Magdalena in domo Simonis alabastrum vnguenti effundere super caput ipsius recumbentis, si in medio loco accubuisset; aut ipse Ioannem in sinu habere, si in imo. Romani non raro quini in lectis discumbebant, quod idem auctor pluribus monstrat. Et Christi discipuli (vt verisimile est) quini in singulis lectis discubuere, in reliquo autem tres tantum, ipse nempe, & Ioannes[a], a Ioan. 13.
& Petrus: is enim veluti proximus Ioanni innuit, vt ex Domino auctorem tanti facinoris quæreret. In commune illi vescebantur, vt ex Plutarcho retuli; & hi in commune vescuntur, omnesq. in eamdem patinam manus porrigunt: Qui intingit, inquit
Dominus[b], mecum manum in paropside, hic me tradet.] et post multa: Denique vt b Matth. 26.
B omnia, quemadmodũ dixi, semel ostendam ex Romanorum moribus tracta, qui conuiuis abeuntibus grata & pretiosa. solebant apophoreta conferre: liberalissimus ac sui nimium profusus Dominus, ex hoc mundo ipse discedens, pretiosissimũ corpus suum & sanguinem conuiuis in apophoretis dedit, vt sibi haberent, & secum domum deducerent, & iter ingredientibus etiam pro viatico foret.] hæc de his ille. Sed qui vberius hæc scire cupit, libellum de ea re ab ipso accurate conscriptum petat.

XLI. Verum quod ad hanc agni cœnam spectat: his admodũ aduersari ea videntur quæ lege statuta essent, cum agnum ipsum Paschalem a stantibus, non vero recumbentibus VETVS VSVS INTERMISSVS. esse comedendum iubetur. Sed qui antiquum illum commentarium Hebræorum legerint, quem Ritualem librum seu Cærimonialem appellant; plane intelligent, fuisse
C vsum illum intermissum & antiquatum a tempore exilij Babylonici. Et ne recedamus a superius dictis; ratione accubitus Ioannis, qui in ea cœna primum locum post Christum obtinuit, suborta esse videtur in eadem cœna illa inter Apostolos contentionis occasio, quis eorum[c] videretur esse maior; dum viderent ceteri, in cœnæ illius accubitu c Luc. 22.
omnibus prælatum esse Ioannem.

XLII. Est obseruatione dignum, numquam Apostolos de primatu quæstionem mouisse, nec indigne tulisse Petrum præpositum ceteris esse: verum haud æquanimiter tolerare CONTENTIO DE PRIMATV QVANDO. potuisse, Ioannem vel Iacobum fratres apud Christum primos haberi. Hinc videas eosdem Apostolos eadem indignatione percitos, cum mater ipsorum pro duobus filijs suis
dextram & sinistram in regno petijt; de quibus hæc Marcus[d]: Et audientes decem in- d Marc. 10.
dignati sunt de Iacobo & Ioanne.] Rursus etiam, cum ijdem selecti a ceteris ducti essent a Domino vna cum Petro in montem Tabor: Intrauit, inquit Lucas[e], cogitatio e Luc. 9.
D in eos, quis eorum maior esset.] Immo, vt ait Marcus[f], & in via inter se disputauerunt, quis eorum maior esset. Ceterum quantumlibet vidissent Petrum omnibus a Domino prælatum, ac prærogatiuis quamplurimis auctum; numquam tamen id infenso animo tulisse sunt visi. Porro quantumlibet Ioannes primum locum post Christum accepisset in mensa: tamen in pedum ablutione ceteris Petrum esse præpositum, pri- f Marc. 9.
mumq. omnium Iesum pedes Petri lauisse, S. Augustinus[g] testatur; quod & multis g Aug. in Ioan. c. 13.
etiam rationibus demonstratur[h]. Sed de his hactenus. h Ianſ. Concor. c. 130.

XLIII. Ceterum, vt quæ scripta sunt ab Euangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione, facilius intelligantur; operæpretium existimaui hic intexere quæ in antiquo He- RITVS INSTIT. EVCHARISTIAE. bræorum libro Rituali habentur. In canone enim eorum hæc continentur: In Paschali
E conuiuio, posterior quæ esset mensa, non vt in alijs dierum festorum secundis cœnarum mensis bellaria apponebantur, sed tantum a lege statutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, alijsq. rebus conditum: inq. eum primum paterfamilias intingebat offam azymam, mox ceteri, sicq. consumebatur. Deinde idem paterfamilias tortam azymam (seu, vt alij textus habent, dimidiam) sub mappa hactenus seruatam, in frusta frangebat, in tot particulas illam diuidens, quot essent in cœna discumbentes, sicq. diuisam singulis porrigebat: quo facto, ipse poculum degustatum tradebat proximo, ille secundo, donec poculum per totũ conuiuium circumferretur. Insuper quoniam secundæ illæ mensæ Iudæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimum comparatæ: cum in ceteris secundis mensis esset vsitata quædam communis benedictionis formula, in Paschali secunda mensa post illam benedictam, cum distribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamilias dicebat: Iste est panis ærumnæ, quem comederũt patres nostri in terra Ægypti: quis-

quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis esurit, accedat & peragat Pascha.] Post hæc idem accepto poculo benedicebat his verbis: Benedictus es Domine, qui fructum vitis creasti, &c.] sicq. delibatum (vt dictum est) poculum tradebat proximo, ille secundo, & sic deinceps: hæc ex libro Rituali Hebræorum. Ceterum (quod est notatu dignissimum) non tantum apud Iudæos vetus illa erat consuetudo, vt in secundis mensis sic libantes, gratias Deo agerent, sed & Gentiles ipsi in ijsdem secundis mensis merum libarent dijs, & alia sacra facerent, vt [a] Athenæus tradit, & alij: sed in his non immoramur. Hæc igitur ex Rituali veteri Hebræorum libro accepta, quantum conferant ad ipsam Euangelicam historiam de cœna Domini intelligendam, facile perspici potest. Dominus enim, seruato eo ipso antiquo Iudæorum ritu, illud effecit, vt nouis benedictionibus additis, nouum institueret sacramentum; & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerant instituta, in commemorationem omnium præstantissimi nouiter accepti beneficij mutarentur.

[a] Athenæus l.b. 2. c.9.

XLIV. SOLVTIO OBIECTORVM.

Quod vero (ne longius digredi videamur, quàm res postulet) nonnulli dicunt, post ablutos discipulorum pedes, iterum recumbentem Iesum cum suis, quod reliquum erat cœnæ agni absumpsisse (volunt enim Dominum inter cœnandum a mensa recessisse) ex superius dictis arguuntur satis; atque ex eo etiam, quòd lege diuina statutum erat, agnum Paschalem comedendum esse festinanter [b]: qua ex parte certe Dominus legem minus implesset, si agno ex parte comesto, e mensa recessisset, pedesq. discipulorum lauisset, ac post longam moram [c] ad esum agni iterum redijsset. Vnde quod dicit Matthæus [d]: Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit] & quod Marcus [e] ait: Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit] idem est ac si dixisset, Recumbentibus illis: hæc etenim in hunc modum esse intelligenda, Lucas aperit, dum testatur Eucharistiam esse institutam post cœnam, dicens [f]: Similiter, & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix, &c.] quod & ipse testatur Paulus [g] scribens ad Corinthios.

[b] Exod. 12.
[c] Iansf. Concord. c. 130. 131.
[d] Matth. 26.
[e] Marc. 14.
[f] Luc. 22.
[g] 1. Cor. 11.

XLV.

Quòd vero ablutione pedum facta (vt tradit Ioannes [h]) immo (vt testatur Lucas [i]) post institutam Eucharistiam de discipulo proditore Dominus sermonem habuisse dicatur, Matthæus [k] vero & Marcus [l] ante mysticam illam mensam id contigisse tradant: nihil prorsus est absurdi, de ea re bis in priori, ac inde posteriori mensa (hoc discrimine cœnam ab esu Eucharistiæ placet distinguere) Dominum esse locutum, cum præsertim de perditione illius adeo solicitus esset; dicente de se Apostolo [m]: Eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem.] Constat ex his itaque, cœnam Domini (sic enim Patres [n] appellare consueuere institutionem sacratissimæ Eucharistiæ; idemq. esse mandu- D care cœnam Dominicam, quod Eucharistiam sumere, Augustinus [o] demonstrat: licet ea voce, vt alijs, abuti soleant Nouatores) fuisse distinctam a cœna agni Paschalis, ac post illam fuisse administratam. In qua primum illud sacramentum ineffabile est institutum, quo transubstantiatio fit panis & vini in carnem & sanguinem Christi, in ipsum Christi corpus sub vtraque specie integrum. Tunc & Apostoli, cum ipsis Dominus præcepit id ipsum facere in sui memoriam, sacerdotes sunt facti, atque ipsum sacrificiū quod offerrent, est ordinatum. Id Apostoli ipsi, id Patres omnes, id traditio Ecclesiastica, atque ipsa Catholica fides ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ prædicauit, & hactenus profiteri non desinit.

[h] Ioan. 13.
[i] Luc. 22.
[k] Matth. 26.
[l] Marc. 14.
[m] Philip. 3.
[n] Omnes qui interpretati sunt locū 1. Corinth. 11.
[o] Aug. de serm. Dom. in mont. lib. 2. c. 7.

S. EVCHARISTIAE INSTITVTIO.

XLVI. EVCHARISTIA IN AZYMIS.

Atque vt de his singulis (quod instituti ratio postulat) breuiter interea agamus: in huius sacramenti institutione in primis considerandum est ipsum tempus. Cum enim E ipsa prima die Azymorum, decimaquarta luna ad vesperam, cū Pascha secundum legis Moysi ritum ageretur, post esum agni sacra Eucharistia fuerit institutа; nulla est dubitatio, esse confectam in azymis, & non in fermentato: quem etiam ritum seruatum esse ab Apostolis, ac eorum successoribus, Epiphanius [p], quantumlibet (vt dictum est superius) ipse dicat legitimum Pascha esse a Domino anticipatum, agens contra Ebionæos hæreticos, qui primi fuerunt Apostolorum temporibus (Ebion enim primus post Simonem magum ab Ignatio [q] recensetur hæresiarcha) testatur, sic dicens: Mysteria autem faciunt ad imitationem sanctorum in Ecclesia, ab anno in annum, per azymos, hoc est, non fermentatos panes.] hæc ille. Si igitur illi ad imitationem sanctorum in Ecclesia in azymis Mysteria conficiebant (hoc enim nomine antiqui Eucharistiam nominabant) nulla est dubitatio, maiores omnes eumdem seruasse ritum, vt in azymis eadem

[p] Epiph. hær. 30.
[q] Ignat. in epistol. ad Philadelph.

A eadem Mysteria sacrosancta confecerint. At vnde hoc illi, nisi a suis ipsorum Patribus, Apostolis Domini, & illi a Christo id facere didicissent? Sed in his non immoramur.

Agedum, antequam de re ipsa agamus: quibus nominibus maiores nostri consueuerint sacram Eucharistiam nuncupare, quo ex ipsis nominibus tanta res facilius cognoscatur, adducamus in medium. In primis, habito respectu ad Fideles, qui eam accipientes Christo per omnia maxime vniuntur, eodem nomine quo nos in præsentiarum vtimur, Communionem seu Communicationem ab Apostolis illam esse dictam, fidem facit Paulus Apostolus, dum ad Corinthios scribens, hæc ait [a]: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?] Lucas [b] item in Actis: Erāt, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis.] Insuper ob admirabilem ac ineffabilem rerum diuinarum secretam quamdam coniun-

XLVII. NOMINA EVCHARISTIAE.

[a] 1. Cor. 10.
[b] Act. 2.

B ctionem, a Græcis μυστήριον, a Latinis vero Sacramentum inuenies nominatam. Tertullianus [c] plane Eucharistiæ Sacramentum appellat, & alij [d] post eum. Nomen vero Eucharistiæ a gratiarum actione deductum, commune esse reperitur ex æquo Græcis pariter ac Latinis. Rursus etiam quoniam Dominus [e] dixit: Pater meus dat vobis panem de cælo verum: Panis enim verus est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo] ea ratione Ignatius [f] Apostolorum discipulus ipsam Eucharistiam, Panem Dei, Panem cælestem frequenter appellat; & ad Romanos scribens hæc ait: Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus huius vitæ: Panem Dei volo, Panem cælestem, quæ est caro Christi filij Dei.]

[c] Tertull. de corona militis.
[d] Ambros. in lib. de Sacram. Aug. lib. de pec. merit. & remit. contra Pelag. lib. 1. c. 24. & alibi sæpius.
[e] Ioan. 6.
[f] Ignatius epist. 15.

XLVIII. CORPVS CHRISTI.

Eadem igitur ratione, quatenus continet ipsum Christi corpus, maiores idem Sacra- C mentum appellare consueuerunt Corpus Christi. Eiusmodi nuncupationem sæpius a Tertulliano vsurpatam inuenies, vt cum ait [g] in libro de Oratione: Quòd oratio soluenda sit, Corpore Domini accepto.] & paulo post: Accepto Corpore Domini & reseruato.] & [h] in libro de Idololatria: Eas manus admouere Corpori Domini.] & alibi [i]: Caro Corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima Deo saginetur.] & de [k] Pudicitia sic: Opimitate Domini Corporis vescitur.] Sunt de his alia innumera aliorum testimonia, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum, quæ præterimus. Istud ipsum Sacramentum, quòd non esset cibus omnibus communis, sed caro Christi oblata pro sæculi vita, ea ratione Africani Fideles Vitam proprio nomine dicere consueuerunt: vnde Augustinus [l]: Optime, inquit, Punici Christiani baptismum ipsum, nihil aliud quàm Salutem; & sacramentum Corporis Christi, nihil aliud quàm Vitam vocant.] Demum habito respectu, quòd pro peccatis hostia offertur, D Oblatio, Sacrificium, Liturgia, ac Missa dicta antiquitus reperitur. Sed de his suo loco paulo inferius.

[g] Tertull. de orat. c. vlt.
[h] Tertull. de Idol. cap. 7.
[i] Idem de resur. carn. c. 8.
[k] Idem de pud.
[l] Aug. de pecc. merit. contra Pelag. lib. 1. cap. 24.

XLIX. VERE CORPVS CHRISTI.

Quòd autem rei veritate, non per figuram, vel similitudinem, allusionemve, vel quouis alio modo fictitio, ipsa Eucharistia sit illud ipsum viuificū corpus Christi, quod natum de sanctissima Virgine, in ara Crucis oblatum est, & ineffabili quodam modo manentibus specierum panis & vini accidentibus in ipsum transubstantiatum, quod semper Catholica veritas est professa, ex innumeris sanctorum Patrum locis, alijsq. firmissimis rationibus esset facile demonstrare. Ceterum cum sciamus complures disertissimos ac integerrimos, atque de fide Catholica optime meritos viros, eo argumento commentarios fere innumeros omni prudentia, doctrina, ac fide sincera cumulate refertos, facilitate illustratos, ac denique (vt multa paucis complectar) plane diuinos, E suggerente id ijs Spiritu sancto, conscripsisse: superuacaneum existimamus, ac lectori onerosum, eadem hic repetere, vel aliqua ijs velle addere: illos igitur consulant omnes quicumque earum rerum cupidi sunt, eo se conferant, ac tamquam ad sacram quamdam anchoram confugiant, aduersus prauorum dogmatum in nostram fidem adeo certam atque firmiter stabilitam vibrata venenosa tela.

L.

Nos interim ne lectorem fruſtremur, cum præfando polliciti simus in nostris Annalibus, more maiorum, Christianæ religionis institutorum originem ac firmitatem repetere & intexere, hæc libando potius, atque summis labris (vt dicitur) degustando, quàm fusius tractando (ne ieiunum penitus lectorem abire finamus) illud vnum modo dicemus de Eucharistia, quatenus est sacrificium a Domino institutum, ac sacerdotibus nouæ legis traditum offerendum. Tam ampli sacerdotij ac sacrificij symbola cum mille fere modis fuerint olim per veterem legem diuinitus præmonstrata atque prædicta,

satis sit

Universidad de Deusto
Biblioteca

satis sit in præsentiarum illa paucis commemorasse, quæ in Rege & sacerdote Melchisedech sunt quibusdam non obscuris certe figuris expressa, atque oraculo prophetico consignata; dicente de Christo Dauid, & quid dico Dauid? immo ipso Deo Patre: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.] Vnde in hanc sententiam Cyprianus [a]: Item, inquit, in sacerdote Melchisedech sacrificij Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod diuina Scriptura testatur, & dicit [b]: Et Melchisedech Rex Salem, protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos altissimi, & benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus sanctus in Psalmis, ex persona Patris ad Filium dicentis [c]: Ante Luciferum genui te: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo vtique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens, quòd Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?] hæc Cyprianus.

a Cypr. ad Cecil. epist. 63. edit. Pamel.
b Genes. 14.
c Psal. 109.

LI. Dum vero idem Dominus istud ipsum Apostolis suis faciendum præcepit: satis expressit, suum sacerdotium & cum eo sacrificium voluisse ad posteros propagari. Vnde ipse est summus sacerdos Dei Patris, & sacrificium Patri se ipsum primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit: vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur; & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.] & inferius: Et quia passionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus (passio enim Domini, sacrificium est quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus.]

d Cypr. ad Cecil. epist. 63.

SACERDOTIVM CVM SACRIFICIO PROPAGATVM.

LII. Id ipsum fecisse Apostolos, & vniuersam Ecclesiam ab illis edoctã in vniuerso mundo facere perseuerasse, Irenæus [e] Polycarpi Ioannis Apostoli discipuli auditor testatur sic dicens: Suis discipulis Dominus dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis non quasi indigenti, sed vt ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. et calicem similiter, qui est ex ea creatura quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est; & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo.] & inferius [f]: Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in vniuerso mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, & acceptum est ei.] & post multa, dum in hæreticos inuehitur: Quomodo, inquit, constabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, & calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est, Verbum eius? Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitã, quæ a corpore Domini & sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus ei, quæ sunt eius, congruenter communicationem & vnitatẽ prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodũ enim qui est e terra panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationis eius, & sanctificantes creaturam.] Itemq. alibi hæc in eamdem sententiam, agens aduersus eosdem hæreticos carnis resurrectionem negantes: Quando ergo, inquit [g], & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi, ex quibus augetur & consistit carnis nostræ substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita æterna, quæ sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius?] hæc Irenæus [h] martyr, Apostolorum temporibus proximus, & discipuli Apostolorum auditor.

e Iren. lib. 4. c. 32.

APOSTOLI SACRIFICARVNT.

f Idem eod. lib. c. 34.

g Iren. lib. 5. c. 1.

h Hier. de Script. Eccles. in fast.

LIII. Ignatius [i] ipso antiquior, Apostolorum discipulus, sacerdotes nouæ legis consueuisse sacrificium offerre, sæpe testatur, & de ipsa Eucharistia ad Philadelphios in hunc modum scribit: Obsecro vos, vt vna fide, vna prædicatione, vna Eucharistia vtamini: vna est enim caro Domini nostri Iesu Christi, & vnus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, &

i Ignat. epist. 9.

A est, & vnus calix, qui pro omnibus nobis distributus est; vnus panis, qui omnibus fractus est; vnum altare omni Ecclesiæ, & vnus Episcopus cum presbyterorum collegio & diaconis conseruis meis.] et ad Smyrnenses [a]: Rata Eucharistia habeatur, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Non liceat sine Episcopo baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare.] hoc ipsum aliud non esse, quàm sacram Eucharistiam conficere, eamdemq. panem esse cælestem, ac ipsam denique carnem & sanguinem Christi, ad diuersos scribens inculcat. Quinetiam locum eiusdem Ignatij in dicta epistola ad Smyrnenses Theodoretus in Impatibili, tertio dialogo, ex verbis ipsius sic recitat: Eucharistias & oblationes non admittunt; quòd non confiteantur Eucharistiã esse carnem Saluatoris nostri Iesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitauit.] hæc Ignatius apud Theodoretum; quæ miramur, siue

a Ignat. epist. 4.

DE SACRIFICIO EVCHARISTIAE EX IGNATIO.

B librariorum, siue interpretum vitio, excidisse. Rursus idem ad Ephesios ait [b]: Date itaque operam vt sæpius cogregemini ad Eucharistiam.] et in fine: Obedientes Episcopo & presbytero, frangentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitam quoque Deo concilians per Iesum Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.] Quid ergo is panis sit, planius ad Romanos his verbis explicat [c]: Panem Dei volo, panem cælestem, quæ est caro Filij Dei.]

b Ignat. epist. 14.

c Idem epist. 15.

LIV. Iustinus Martyr [d], & ipse etiam Apostolorum temporibus vicinus, de eiusmodi Eucharistiæ sacrificio satis explicite in ea oratione, quam ad Antoninum Pium Augustum scripsit, loquitur in hæc verba: Precibus finitis, mutuis nos inuicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini: quibus ille ac-

C ceptis, laudem & gloriam rerum vniuersarum Patri, per nomen Filij & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam siue gratiarum actionem, pro eo quòd nos donis hisce dignatus sit, prolixe exequitur. Atque vbi ille preces & gratiarum actionem absoluit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens, Amen. Amen autem voce Hebræa, Fiat, significat. Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, & populus vniuersus approbatione læta eam comprobauit; qui apud nos vocantur diaconi atque ministri, distribuunt vnicuique præsentium, vt participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, Eucharistiam, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia: quod nulli alij participare licitum est, quàm veram esse nostram doctrinam credenti, lauacro propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita vt Christus tradidit, viuenti. Non enim vt communem panem, neque communem potum, ista sumimus: sed quemadmodum

d Iust. martyr orat. ad Anton. prope finem. EX IVSTINO MARTYRE.

D per verbum Dei caro factus Iesus Christus Saluator noster, & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eumdem modum etiam eam alimoniam, in qua per preces verbi eius ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, vnde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse, edocti sumus. Nam Apostoli in commentarijs a se scriptis, quæ Euangelia vocantur, ita tradiderunt præcepisse sibi Iesum: Eum enim, pane accepto, cum gratias egisset, dixisse: Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum. Et poculo similiter accepto, & gratijs actis, dixisse: Hic est sanguis meus: ac solis ipsis ea tradidisse.] hæc Iustinus, de cuius excellenti doctrina, & rerum Ecclesiasticarum peritia, integritate, sanctitate, & fide suo loco vberius dicturi sumus.

LV. Plura hic essent intexenda ex Tertulliano & Cypriano loca, nisi nos nimia prolixi-

E tas ab hac re auocaret. Sane quidem siue Cypriani sit, siue alterius, certe tamen eiusdem ferme ætatis auctoris & probatæ fidei est commentarius ille de Operibus cardinalibus: vbi cum agitur de cœna Domini, de vero & viuifico sacrificio Eucharistiæ, deq. vera certaq. panis & vini in corpus Christi verũ transsubstantiatione est verax atque fidelis assertio. Sed non est præsentis negotij, singulos Orthodoxos scriptores commemorare, qui a tẽporibus Apostolorum vsque in præsens in Ecclesia floruere: satis sit prædictorũ antiquorum Patrum testimonijs recensitis, pauca addere, quæ postea celebriores in Ecclesia doctores in eamdem sententiam sunt locuti; ac potissimum doctrina & pietate celeberrimus Hieronymus, sic dicens [e]: Recurre ad Genesim, & Melchisedech Regem Salem huius principem inuenies ciuitatis, qui iam tunc in typo Christi panem & vinum obtulit, & mysterium Christianum in Saluatoris sanguine & corpore dedicauit.] et rursum de ipsis Christianis sacerdotibus [f]: Absit, inquit, vt de ipsis quicquam

e Hier. epist. 27. EX HIERONYMO.

f Hier. epist. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

siniſtrum loquar,qui Apoſtolico gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiũt, & per quos nos Chriſtiani ſumus ; qui claues regni cælorum habentes , quodammodo ante Iudicij diem iudicant ; qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant.] Idemq. rurſus alibi in hæc verba [a] : Ad Epiſcoporum & presbyterorum preces, Chriſti corpus ſanguiſq. conficitur.] Idem ad Damaſum de filio prodigo : Chriſtus , inquit, quotidie Fidelibus immolatur.] et alibi [b] : Nec Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus ; ipſe conuiua , & conuiuium ; ipſe comedens , & qui comeditur : illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus : et quotidie de ſacrificijs eius , de genimine vitis eius veræ & vineæ Sorec , quæ interpretatur electa , rubentia muſta calcamus.]

a Hier. epiſt. 85. ad Euagr.

b Hier. epiſt. ad Hedib. 150. q. 2.

LVI. EX AMBROSIO.

Non poſſum tacere Ambroſium [c], cum de eodem ſacrificio his vſus eſt verbis : Ego , Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ,accedo ad altare tuũ, licet peccator , vt offeram tibi ſacrificiũ,quod tu inſtituiſti,& offerri præcepiſti in commemorationem tui pro ſalute noſtra .] id quomodo conficiatur, alibi ſic explicat [d] : Tu forte dicis : Meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte , panis eſt ante verba ſacramentorum : vbi acceſſerit conſecratio , de pane fit caro Chriſti . Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt , qui panis eſt , corpus eſſe Chriſti ? conſecratione . Conſecratio igitur quibus verbis eſt , & cuius ſermonibus ? Domini Ieſu . Nam reliqua omnia quæ dicuntur , laudem Deo deferunt : oratio præmittitur pro populo , pro Regibus , pro ceteris . Vbi venitur vt conficiatur venerabile ſacramentum , iam non ſuis ſermonibus ſacerdos , ſed vtitur ſermonibus Chriſti . Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum . Quis ſermo Chriſti ? nempe is quo facta ſunt omnia.] et paulo poſt : Ego tibi vt reſpondeam , non erat corpus Chriſti ante conſecrationem , ſed poſt conſecrationem dico tibi quòd iam corpus eſt Chriſti : Ipſe dixit , & factum eſt : ipſe mandauit , & creatum eſt.]

c Ambroſ. orat. prap. ad miſſ. t. 4. d Ambr. de Sacram. lib. 4. c. 4.

LVII. EX AVGVSTINO

Auguſtinus itidem de eodem ipſo ſacrificio hæc ait [e] : Id enim ſacrificium ſucceſsit omnibus illis ſacrificijs veteris teſtamenti,quæ immolabantur in vmbra futuri : propter quod etiam vocem illam in Pſalmo decimonono eiuſdem mediatoris per prophetiam loquentis agnoſcimus : Sacrificium & oblationem noluiſti , corpus autem perfeciſti mihi : quia pro illis omnibus ſacrificijs & oblationibus corpus eius offertur , & participantibus miniſtratur.] et alibi [f] de oblato eodem ſacrificio ad pellendos dæmones hæc ait : Rogauit noſtros , me abſente , presbyteros , vt aliquis eorũ illo pergeret, cuius orationibus cederent . Perrexit vnus , obtulit ibi ſacrificium corporis Chriſti,rogans quantum potuit , vt ceſſaret illa vexatio : Deo protinus miſerante,ceſſauit.] itemq. alibi [g]: Iam Chriſtiani peracti eiuſdẽ ſacrificij memoriã celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.] ſed quomodo id fiat, alibi ſic declarat [h] , agẽs contra Fauſtum Manichæum : Noſter autem panis & calix, non quilibet (quaſi propter Chriſtum in ſpicis & in ſarmentis ligatum , ſicut illi deſipiunt) ſed certa conſecratione myſticus fit nobis , non naſcitur . Proinde quod non ita fit , quamuis ſit panis & calix , alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis,&c.] Nonne eadem & Græci ?

e Aug. de Ciu. Dei lib. 17. c. 20.

f Aug. de Ciu. Dei lib. 22. c. 8.

g Aug. contra Fauſtum lib. 20. c. 18.

h Aug. contra Fauſt. lib. 20. c. 13.

LVIII. EX CYRILLO.

Cyrillus Hieroſolymitanus de eodem ſacrificio Cateheſim myſtagogicã [i] conſcripſit, idemq. de eiuſdem veritate ac certitudine hæc ait [k] : Non ergo conſlideres tamquam panem nudum, & vinum nudum : corpus enim eſt & ſanguis Chriſti, ſecundum ipſius Domini verba . quamuis enim ſenſus tibi hoc non ſuggerit, tamen fides te confirmet, quin potius habeas ex fide pro certiſsimo , ita vt nulla ſubeat dubitatio.] et paulo poſt: Hoc ſciens, proq. certiſsimo habens , panem hunc, qui videtur a nobis, non eſſe panem, etiam ſi guſtus panem eſſe ſentiat ; ſed eſſe corpus Chriſti .] hæc ille . et Chryſoſtomus in eamdem ſententiam [l] : Non enim homo eſt , qui propoſita de conſecratione menſæ Domini , corpus Chriſti facit & ſanguinem ; ſed ille , qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur , & Dei virtute conſecrantur & gratia : Hoc eſt , ait, corpus meum : hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox, quæ dicit ; Creſcite & multiplicamini , & replete terram ; ſemel quidem dicta eſt , ſed omni tempore ſenſit effectum, ad generationem operante natura : ita vox illa ſemel quidem dicta eſt , ſed per omnes menſas Eccleſiæ vſque ad hodiernum diem & vſque ad eius aduentum præſtat ſacrificio firmitatem .]

i Cyrillus Catech. myſtag. 5. k Cyril. Catech. myſt. 4.

l Chryſoſt. hom. de prod. Iud.

LIX. Multa his eſſent addẽda,ſed hæc nos curſim ad alia feſtinantes. Neque tamen prætermittẽdũ,quòd cũ multa ſint huius ſacrificij nomina,illud eſt antiquiſsimũ, & apud Latinos vſitatius atque frequentius,Miſſa; quod quidẽ(ſicut & Chriſtiana fides profitetur) ex He-

ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum eſſe videtur. Quod enim in noſtra Vulgata legitur,Spontanea [a] oblatio, Hebraice & Chaldaice dicitur, Miſſah, quam offerebant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ,qua & veſcebantur in templo cum recordatione præteritæ ſeruitutis , & ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia cum optime conueniant prædicto a Chriſto inſtituto ſacrificio ; eo potius maiores noſtri vſi ſunt nomine , quàm cuiuſpiam alterius ſacrificij : nam & ea potiſſimum ratione ab illis id factum eſſe videtur, quòd ſpontanea recolatur prima illa ſui ipſius a Domino noſtro Ieſu Chriſto facta oblatio,de qua Iſaias [b]: Oblatus eſt quia ipſe voluit] et Dominus de ſe ipſo [c] : Poteſtatem habeo ponendi animam meam , & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.] et quod ſcriptum eſt in Pſalmo [d] : Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti : tunc dixi : Ecce venio.] Sane quidem creditur eiuſmodi nomen ab ipſis Apoſtolis Petro & Paulo, ex Hebraicis fontibus, traditum eſſe Romanis: quod & Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus , idemq. Apoſtolus & frater Domini tradidit ſuis ; nam eadem vſus eſt voce in ſua , quam poſteris reliquit , Miſſa : de cuius certa fide ac veritate ſuo loco pluribus agemus .

a Deut. 16. MISSAE NOMEN.

b Iſaiæ 35.

c Ioan. 10.

d Pſal. 39.

Ea voce vſa videtur ſuo ipſius exordio Romana Eccleſia : nam Pius Papa proximus Apoſtolorum temporibus, ſcribens ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem , idem ſacrificium Miſſam vocans, ſic dicit [e]: Soror noſtra Euprepia, ſicut bene recordaris, titulum domus ſuæ pauperibus aſsignauit : vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes , Miſſas agimus.] hæc ille. Item Cornelius Papa epiſtola ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopum his vtitur verbis : Publice, neque cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet.] Eodem vſi ſunt nomine ceteri Romani Pontifices , quos longum eſſet ſingulatim recenſere . In Concilio Romano [f] ſub Silueſtro, in Concilio Carthaginenſi [g] ſecundo , in Concilio Agathenſi [h], & alijs, Patres qui interfuerunt , eodem quoque Miſſæ nomine ipſum incruentum ſacrificium nominarunt , ſicut & Ambroſius [i] , Auguſtinus [k] , Victor Vticenſis [l] , ac denique ceteri , & poſt ipſos recentiores omnes . Ceterum quod ad ipſum ſacrificij ritum ſpectat , opportuniori loco agemus .

LX. VSVS VOCIS EIVS IN ROM. ECCLESIA.

e Habetur 10. t. bibliothec. ſanctorũ Patrum.

f Conc. Rom. ſub Silueſtro in fine.

g Concil. Carthag. 2. can. 3.

h Cone. Agath. c. 47.

i Ambroſ. ad Marc. epiſt. 33.

k Aug. ſerm. de tempore 251.

Vt autem ad ipſam Dominicam cœnam redeamus , quam cęptam eſſe a Domino eius diei hora veſpertina conſtat : remanſit ea conſuetudo apud nonnullas Eccleſias , vt etiam veſpere, ſed a ieiunis, idem ſacrificium offerretur . Viguiſſe eumdem vſum in Eccleſia Africana olim , auctor eſt Cyprianus [m] . Id ipſum , ſed poſt ſumptum cibũ, de Eccleſia Alexandrina teſtatur Sozomenus [n] . Auguſtinus [o] autem ad Ianuarium ſcribens, id ſemel in anno in Cœna Domini , & nonniſi a ieiunis fieri ſolitum aſſerit , dum ait: Quæris enim his verbis , quid per quintam feriam vltimæ hebdomadis Quadrageſimæ fieri debeat: an offerendum ſit mane, & rurſus poſt cœnam, propter illud quod dictum ſit : Similiter poſtquam cœnatum eſt : An ieiunandum , & poſt cœnam tantummodo offerendum : an etiam ieiunandum , & poſt oblationem , ſicut facere ſolemus, cœnandum ? &c.] Veſpertinarum etiam Miſſarum mentio habetur in Concilio [p] Agathenſi .

LXI. VSVS COENAE DOMINICAE.

l Vict. de perſ. Vuan. lib. 2.

m Cyprian. epiſt. ad Cæcil. 63.

n Sozom. hiſt. lib. 7. c. 19.

o Aug. ad Ian. epiſt. 118.

p Cõc. Agath. apud Gratian. de conſecr. diſt. 5. c. cuncta.

Ceterum quoniam diuerſa erat aliquarum Eccleſiarum conſuetudo, paſsimq. poſt cœnam ſacrificium offerebatur , eam ſuſtulit in Africa Concilium Carthaginenſe [q] tertium , ſtatuens vt a ieiunis ſemper , excepta ipſa die anniuerſaria Cœnæ Domini , offerretur . Sed hæc etiam fuerunt contrarijs legibus abrogata [r] ac penitus antiquata , ob eam potiſsimum cauſam , quòd vniuerſalis Eccleſiæ vetus conſuetudo contraria eſſet ; cum vt nonniſi a ieiunis ſacra Euchariſtia ſumeretur, antiquitus obſeruatum eſſe videretur . id affirmat Tertullianus [s] , dum ad vxorem ſcribens ait : Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes.] Cyprianus [t] (vt vidimus) id ipſum confirmat, & quòd in melius mutatum ſit , rationem reddit . Itemq. Auguſtinus de his agens,ait: Liquido apparet, quando primum acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini , non eos accepiſſe ieiunos . Numquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ , quòd a ieiunis ſemper accipitur ? Et hoc placuit Spiritui ſancto , vt in honorem tanti ſacramenti , in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intret , quàm ceteri cibi . Nam ideo per vniuerſum Orbem mos iſte ſeruatur . Neque enim quia poſt cibos dedit Dominus,propterea pranſi vel cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum conuenire debent , aut ſicut faciebant quos Apoſtolus arguit & emendat , menſis ſuis iſta miſcere.] hæc & alia de his Auguſtinus , reddens rationẽ qua de cauſa id Dominus voluerit veſpere inſtituiſſe. Græcos etiam conficere ac ſumere conſueuiſſe ſemper ieiunos .

LXII. IEIVNI COMMVNICANT.

q Cone. Carth. 3. can. 29.

r Concil. Laod. can. 5. & Sext. Synod. c. 29.

s Tertull. ad vxor. lib. 2. c. 5.

t Cyprian. epiſt. 63.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ante cœnam, teſtatur Gregorius Nazianzenus [a]; qui & multis diſputat, Eccleſiam Dei non omnia quæ a Chriſto facta ſunt, eodem tempore quo ille, facienda, maiorum traditione ſuſcepiſſe: idemq. aduerſus illos inuehitur, qui eo prætextu differebant ſanctum baptiſma in annum ſuæ ætatis trigeſimum, quòd eumdem annum agens Chriſtus voluerit baptizari. A

a Gregor. Naz. erat in ſanct. baptiſ.

LXII. Confecta igitur a Domino Ieſu Chriſto ſacratiſſima Euchariſtia, diſtribuit ipſam Apoſtolis. An autem eamdem Iudæ impartierit, cum tradidit eidem buccellam [b] intinctam, & poſt buccellam introiuit in eum ſatanas, atque ad accelerandā proditionem inde receſſit? Scimus S. Auguſtinū [c] eius fuiſſe ſententiæ, ac firmiter affirmaſſe, Iudam nequaquam tunc ſacram Euchariſtiam cum ceteris participaſſe; ſicq. dicit: Non, vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Chriſti corpus accepit: intelligendū eſt enim, quòd iam his omnibus diſtribuerat Dominus ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, vbi & Iudas erat, ſicut S. Lucas euidentiſſime narrat. et deinde ad hoc ventum eſt, vt ſecundum narrationem Ioannis apertiſsime Dominus per buccellam intinctam atque porrectam, ſuum exprimat traditorem: fortaſſe per panis tinctionem, illius ſignificans fictionem.] hæc ille, qui tamen ſicut ibi, ita & alijs in locis, Euchariſtiā eum accepiſſe tradit, dū ait [d]: Chriſtus quid nobis fecit, qui traditorem ſuum tanta patientia pertulit, vt ei primam Euchariſtiam, confectam manibus ſuis, & ore ſuo commendatam, ſicut ceteris Apoſtolis, tradiderit.] et alibi [e]: Traditorem enim ſuum, qui iam pretium eius acceperat, vſque ad vltimum pacis oſculum, inter innocentes ſecum eſſe perpeſſus eſt: quibus non tacuit, eſſe inter illos tanti ſceleris hominem: et tamen primū ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, nondū illo excluſo, communiter omnibus dedit.] hæc Auguſtinus. Affirmat hoc ipſum S. Ioannes Chryſoſtomus [f], dū ait: Adfuit Iudas, & illius ſacrificij communicationem meruit.] et paulo poſt: In illum poſt communicationē diabolus intrauit, non quia contemſerat Dominicū corpus: ſed quia impudentia Iudæ, & malignitas mentis, vt aduerſarius in eo habitaret, effecit: vt diſcas quòd indigna & fucata mente myſteriorum ſecreta celebrantibus a diabolo præparantur inſidiæ.] hæc eadem Cyrillus [g], & alij complures, quos omittimus numerare. B C

b Ioan. 13.

c Aug. in Ioan. 13. tract. 62.

AN IVDAS ACCEPERIT EVCHARISTIAM.

d Aug. in Pſal. 10.

e Auguſt. epiſt. 105.

f Chryſoſt. hom. de prod. Iuda.

g Cyrill. in Ioan. c. 13. Cyrill. Hieroſol. catech. 13.

LXIII. Ceterum & nos his aſſentientes, ſic dicimus Iudam vna cum ceteris ſacratiſsimam Euchariſtiam participaſſe, vt tamen nequaquam illis aſſentiamur qui putarunt buccellam illam intinctam fuiſſe Euchariſtiam; ſed potius exiſtimamus panem illū, quem (vt dictum eſt) initio ſecundæ menſæ intingebant in pultem, ſeu embamma ex lactucis agreſtibus confectum, vt ex Rituali libro antiquo Iudæorum ſuperius eſt demonſtratum: ſicq. intinctio illa, ex more, Euchariſtiam præceſſerit. Secundum igitur dictum Iudæorum ritum, dicere opus eſt, rem geſtam eo eſſe ordine, quo a Ioanne recenſetur; nimirum poſt pedum ablutionem de ſua proditione Ieſum ſermonem habuiſſe, tunc & Ioanni de proditore roganti ſignum illud per intinctam buccellam dediſſe. Sed quod dicit, accepta buccella, continuo exiſſe; id quidem non ita accipiendum putamus, vt tunc temporis ſtatim, & nulla interpoſita mora, abierit: ſed quòd velut furore quodā percitus, non expectauerit prolixam illam mirificam poſt cœnam habitam a Domino orationem: nam S. Lucas aperte teſtatur, Iudam cum ceteris permanſiſſe vſque ad finem communicationis Euchariſtiæ, poſtquam nihil iam videbatur eſſe reliquum in menſa (ſecundum prædictum Iudæorū ritum) quo potuerit panis intingi. ſicq. nec dici poſſe videtur, illum panem intinctum, fuiſſe Euchariſtiam: nam Euangeliſtarū teſtimonio conſtat, non ſimul vtrumque, ſed ſeorſum, primoq. panem, inde vero vinū ſuis verbis ſacraſſe, ac propinaſſe. Sed hæc ſatis. Non præterimus tamen dicere, quòd calix ille, in quo Redemptor noſter Ieſus Chriſtus ſacratiſsimā Euchariſtiam conſecrauit, vt egregium tantæ rei monumentum, a communi vſu ſelectus, ac ſumma induſtria aſſeruatus, adhuc Bedæ temporibus Hieroſolymis viſebatur, de quo hæc ipſe [h]: In platea, quæ Martyrium & Golgotha continuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus; per operculi foramen tangi ſolet, & oſculari: qui argenteus calix, hinc inde duas habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit, in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra.] hactenus Beda. D E

IVDAS QVANDO DISCESSIT.

h Beda de locis ſanctis c. 2.

LXIIII. Nox [i] aduenerat, cum Iudas, peracta cœna, e menſa exijt, & ad perficiendum quod in animo habebat, feſtinauit. Cum ſic ille receſſiſſet, obortam interim contentionem inter diſcipulos de primatu Dominus ſedauit: et eos conſolatus, quòd eos cito relicturus eſſet,

i Ioan. 13.

rus eſſet, admonuit. Petrus, tacentibus reliquis, vt princeps omnium, quonam iturus eſſet, rogauit; ſecuturumq. non ſegniter promittit; &, ſi opus ſit, pro eius vita atque dignitate tuenda, vitam ipſam profundere, ardenter pollicetur: denique cum Dominus ei perfidiam futuram ac ſui ipſius negationem prædiceret, obniritur, ſeq. id numquam eſſe facturum multoties conteſtatur. hæc Euangeliſtæ [a] pluribus verbis proſequuntur. His abſolutis, nouiſſimum illum admirabilem ſermonem habuit, quem Ioannes [b] diligentiori cura conſcripſit. Eo [c] poſtmodum dicto, ſimul & hymno abſoluto, inde egreſſus cum ſuis, ſecundum conſuetudinem, abijt in montem Oliuarum. PETRI ANIMOSA PROMISSIO.

a Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 13. Concord. c. 133.

LXV. Quiſnam vero fuerit hymnus ille, quem Dominus poſt cœnā dixit, haud certo compertum habetur. Scimus auctore Auguſtino [d] ad Ceretium Epiſcopum ſcribente, olim circumferri ſolitum hymnum quemdam hac inſcriptione notatum: Hymnus Domini, quem dixit ſecrete ſanctis Apoſtolis diſcipulis ſuis: quia ſcriptum eſt in Euangelio: Hymno dicto, aſcendit in montem.] ſed in ſcripturis apocryphis illum reperiri, quibus Priſcillianiſtæ hæretici potiſſimum vterentur, idem teſtatur: qui & ex eo nonnulla verba recitans, illorum impoſturam detegit. Verum quiſnam hymnus ille fuerit, quem Iudæi poſt eſum Paſchæ dicere conſueuerint, ex antiquo eorum Rituali libro, vbi ipſorum cærimoniæ habentur deſcriptæ, proditur: nimirū moris fuiſſe in aliorum ſolemnium cœnis alios ac diuerſos dicere pſalmos ad myſterium eius diei accommodatos, in Paſchali autem cœna recitari ſolitum pſalmum centeſimum decimum tertium, qui incipit: In exitu Iſrael de Ægypto] & alios perbreues. Ceterum haud ignorandum eſt, exemplo Domini laudabilem illam conſuetudinem in Eccleſia coaluiſſe, vt in menſa gratiarum actiones ab omnibus dicerentur. quales illæ eſſent, quibus Orientales vti conſueuerint, Ioannes Chryſoſtomus [e] docet: ceteras vero antiqui Eccleſiæ Rituales libri exhibent. DE HYMNO IN CŒNA DICTO.

b Ioan. 13. 14. 15. 16. 17. Concord. c. 134. c Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. Concord. c. 137. d Auguſt. epiſt. 253.

e Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 57.

LXVI. Cum acceſſiſſet Ieſus in montem Olueti, ingreſſus [f] in villam quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, ſuos orare admonens: aſſumptis ſecum Petro, Ioanne, & Iacobo ſeorſum a ceteris, pauore ac mœrore affectus (eas enim communes ceteris animi paſſiones prudens volenſq. ſuſcepit) auulſus ab illis iactu lapidis, Patrem rogans, vt, ſi poſſibile eſſet, a ſe calicem paſſionis transferret: eumdem ſermonem non ſemel, ſed iterum ac tertio repetijt, cum interdum dormientes diſcipulos excitaret. Ei vero ſic oranti apparuit Angelus confortans eum: ſed cum prolixus oraret, in agonia poſitus eſt, factuſq. ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Locus ille vbi hæc contigerunt, ad radices montis Oliueti poſitus, tantæ rei nobilitatus inſignibus, quaſi trophæis victoriæ Chriſti, præclara poſtmodum deſuper erecta eccleſia (vt auctor eſt Hieronymus [g]) eſt mirifice illuſtratus. Addit Beda [h], petram ipſam, ſuper quam Dominus orans flexis genibus innixus eſt, quaſi mollem ceram ceſſiſſe, in ſeq. genuū eius veſtigia recepiſſe; ipſumq. lapidem, vt inſigne tanti miraculi monumentum, intra eccleſiam tranſlatum, & parieti affixum, cunctiſq. factum perſpicuum. Accepimus ab his qui hæc viderunt, etiam in imo vallis, quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipſis eiuſdem Chriſti Domini noſtri veſtigia pedum impreſſa remanſiſſe, hactenuſq. ſeruata eſſe. DE LOCO VBI CHRISTVS ORAVIT.

f Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. Concord. c. 137.

g Hier. de locis Hebraicis.

h Beda de locis ſanct. c. 6. in fin.

LXVII. At hiſtoriam Euangelicam perſequamur. Venit interim [i] Iudas cum militum cohorte, quibus ſignum dederat (ne noctis tenebris decepti, in alium quempiam manus injicerent) vt, quem ipſe oſculatus eſſet, tenerent ac ducerent. Cumq. oſculatus eum eſſet, ipſe Dominus ſe vltro obtulit illis, rogans quem quærerent: ſeq. illum eſſe manifeſtans, retrorſum abeuntibus illis, atque in terram cadentibus, iterum eoſdem eodem modo interrogans, tandem ſe ab illis teneri permiſit. Sed quid tunc magno animo Petrus, amans cupiduſq. Chriſti ſalutis, generoſo accenſus amoris ardore; quid, inquam, fortiter geſſerit; quomodo enſem exerens, Malchum ſeruum Principis ſacerdotum inuaſerit, & auriculam dexteram eidem amputauerit, omnes ſciunt. At Ieſus eiuſmodi tumultum compeſcens, & Malcho amputatam aurem reſtituit, & Petrum cohibuit; ac perquàm modeſte conuerſus ad Principes ſacerdotum, & alios Iudæorum qui venerant cum militibus, redarguit. QVID CHRISTVS CVM INVADITVR.

i Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18. Concord. c. 137.

LXVIII. Diſcipuli dehinc omnes relicto eo fugerunt; & qui ſequebatur eum adoleſcens amictus ſindone ſuper nudo, cum teneretur, ea relicta, nudus auſugit. Creditur hic fuiſſe Ioannes [k], veſte adhuc cœnatoria indutus, vt ſuperius eſt dictum, cum de cœna IOANNES IN SINDONE.

k Ambroſ. in Pſal. 36.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Domini actum est. Par est existimare (si in rebus dubijs agere coniectura licet) amantissimum Iesu discipulum, cum Iudæ proditionem ceteris manifestius cognouisset, ve- A
hementi quodam mærore affectum, Dominiq. tantum memorem, profunda sui ipsius obliuione sepultum, nihil de sumendis suis vestibus cogitasse; & cum nox esset, quando e cœnaculo recesserunt, perfacile id ipsum & alios præterijsse potuit. Fuisse hūc
a Greg. lib. 14. Moral. c. 13. b Bed. in Marc. c. 14. Ioannem Euangelistam, Ambrosius in primis testatur, itemq. Gregorius [a], Beda [b], & alij complures. Si quis autem ex recentioribus ab hac opinione dissentit, inde potissimum accidit, quòd causam, cur Ioannes super nudo sindone amictus esset, ignorauit.

LXIX. NON IACOBVS IN SINDONE.

Sicut igitur in hanc de Ioanne opinionem procliuiores sumus: ita ab illis penitus dissentimus, qui opinati sunt hunc adolescentem amictum sindone fuisse Iacobum fratrem Domini, cognomento Iustum; ea potissimum adducti ratione, quòd Hegesippus de eo scripserit (vt dicemus suo loco) atque alij testati sint, ipsum amictum sindone B
incedere solitum esse. Nam tantum abest, vt Iacobus his temporibus adolescens ætate
c Epiphan. hæres. 78. fuerit, quin potius iam senex dicendus esset: etenim de eo testatur Epiphanius [c], ipsum fuisse ætatis annorū nonagintasex, cum martyriū consummauit; quod contigit (vt auctore Iosepho, Eusebio, atque Hieronymo inferius dicemus) anno septimo Neronis Imperatoris, qui est Domini sexagesimustertius: qua ratione dicendum est, Iacobum annis trigintatribus Domino ætate fuisse maiorem. Certe quidem, quòd his temporibus tantæ fuerit æstimationis apud omnes, vt ob virtutum excellentiam, cognomento Iustus ab omnibus diceretur (quem titulum nonnisi post diuturnū experimentum absolutissimæ vitæ consecutum fuisse, est æquum existimare) eum nonnisi prouectiorem ætate fuisse, dicendum esse videtur. Quamobrem cum hæc de adolescente dicta, potius Ioanni quàm alteri cuipiam aptari possint; nihil est quod a Domino tutus est C
redditus, quòd dixisset: Si ergo me quæritis, sinite hos abire.] nam & illud implen-
d Ioan. 16. Marc. 14 dum erat, quod idem Dominus nuper prædixerat [d]: Venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque ad propria, & me solum relinquatis.] & illud: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.] Sed licet fuerit casu concussus; tamen vis amoris, vt ad Dominum in domum Pontificis reuerteretur, effecit. Sed de his infra. At scimus de hac re diuersam diuersorum esse sententiam. Quicquid autem sit, non amplius immorandum in his, sed cetera magis necessaria scitu ex instituto nobis persequenda sunt.

LXX.

In hunc [e] modum Iesus Dominus noster a militibus prensus, primo ad Annam duci-
e Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 8. Concord. c. 138. tur, non quòd ipse esset summus sacerdos, eo quippe Caiphas munere fungebatur; sed (quod diximus superius anno quintodecimo Tiberij Imperatoris, ac fusius de eadem D
re disputauimus) quoniam tunc ipse Anna præfectus erat magno Concilio septuaginta-
CVR IESVS PRIMO AD ANNAM duorum seniorum, quod Sanedrin appellabant, cuius officium erat de Propheta atque doctrina cognoscere & iudicare. Vnde Anna Pontifex iure ex officio Christum in-
f Ioan. 18. terrogabat [f] de discipulis eius atque doctrina. Cum autem responderet Iesus se nihil vsquam in occulto esse locutum, sed palam docuisse populū: hac dicendi libertate in deteriorem partem accepta, vnus ex ministris inflixit illi alapam. At quoniam non erat liberum Annæ, absque magno illo Concilio causam iudicare, ac ferre sententiam, misit Iesum ligatum ad Caipham summū sacerdotem, apud quem comitia haberentur.

LXXI.

Interim [g] Petrus, qui Iesum sequebatur a longe, introducitur ab alio discipulo, qui
g Ioan. 18. Marc. 15. Matth. 26. Luc. 22. Ioannes putatur, in atriū summi sacerdotis: vbi tertio requisitus ab ancilla ostiaria an
PETRI NEGATIO. Christi discipulus esset, tertio negauit. Cantante interim gallo, recordatus Petrus quòd E
dixerat ei Iesus; Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis: egressus foras, facti pœnitens, cœpit flere. Sed hæc longe pluribus Euangelistæ, quæ breui quadam summa contraximus: qui quidem nec sibi inuicem aduersantur, dum alij a Domino dictum Petro tradunt: Antequam gallus cantet, ter me negabis] Marcus vero dicat: Prius
h Cor. Iansf. Cōcord. cap. 138. Marcel. de horis can. c. 47. i Cor. Iansf. Cōcord. c. 138. quàm gallus cantet bis.] nam [h] duplex fertur gallicinium, primum post sextam horam noctis, secundum post horam decimam in quarta vigilia. Hæc omnia [i] Petro contigisse in atrio Caiphæ summi sacerdotis, libentius assentimur. nam etsi ex verbis Ioannis in domo Annæ primum facta esse videantur: tamen verba illa de Petro prius narrata ea occasione videntur, quòd cum de eo semel dicere cœpisset ipsum & alterum discipulum secutos esse Iesum, cetera quæ Petro contigerunt postea, eidem orationi simul iunxit.

Cum

Cum igitur ad Caipham summū Pontificem Christus perductus esset, quo magnum LXXII.
illud septuagintaduorum seniorum summo [a] mane cogendum Concilium erat, atque
A hoc expectaretur: viri [b] qui tenebant Iesum, illudebant ei. Et quoniam quæstio de eo LVDIBRIA QVAE EXPERTVS EST IESVS.
habenda erat, an esset Propheta: id prius illi experturi, velantes eum, percutiebant faciem eius, & interrogabant eū, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? & alia
a Matth. 27. Marc. 15. Luc. 22. multa blasphemantes dicebant in eum.] Hæc ergo cum ante coactum Concilium Lucas accidisse conscribat, Matthæus [c] vero atque Marcus post sententiam mortis in eum
b Luc. 22. latam facta dicant: easdem contumelias a perfidissimis atrocissimisq. ac procacibus illis ministris iterum repetitas esse aduersus Dominum Iesum, facile possumus intelligere. Mane [d] ergo coacto Concilio, Principes sacerdotum [e], & omne Concilium quære-
c Matth. 27. Marc. 14. d Matth. 26. Marc. 15. bant falsum testimonium contra Iesum, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cū
B multi falsi testes accessissent. Nouissime autem veniunt duo falsi testes, & dixerunt: Hic Luc. 22. e Matth. 26. Marc. 14. dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.] cumq. hæc & alia ab alijs aliter dicerentur, nec conuenientia essent eorum testimonia, nec Christus ad ea responderet: summus sacerdos Caiphas, cupidus mortis Iesu, vt qui antea in alio eorumdem conuentu, Christum occidendum esse, sententiam tulerat; moræ impatiens, paucis causam absoluturus, sic captiose demum Iesum alloquitur: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti. verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.] hæc Mat-
C thæus & Marcus.

Quòd autem dicunt, scidisse Caipham vestimenta sua, ac de dicta blasphemia calum- LXXIII.
niatum esse Iesum: scire debemus, moris fuisse apud Hebræos, cum quid contra diui- CAIPHAS SCINDIT VESTES SVAS.
num honorem factum dictumve esset; qui hæc audirent, sua vestimenta scindere consueuisse. Vnde apud Hieremiam [f] datum est crimini Regi & seruis eius, quòd cum pro-
f Hier. 36. g Isaiæ 37. & 4. Reg. 19. pheticus liber igni traditus esset, ipsi videntes, non scidissent vestimenta sua; sicut & fe-
cisse constat Ezechiam Regem, cum Rabsacis blasphemias audisset. Quamobrem & se-
h Act. 12. uerissime [h] vltus est Deus in Herodem Agrippam, qui cum diuinos honores faustis acclamationibus populi sibi impartitos non repulisset, nec, vt par erat, vestem re-
i Leuit. 10. & 21. D giam conscidisset, continuo percussus interijt. Hac autem consuetudine ceteri, haud tamen sacerdotes tenebantur: nam diuina lege [i] sacerdotibus vetitum erat, ne sua
scinderent vestimenta: sed Caiphas illa contempta, quo ceterorum astantium animos in Christi perditionem magis ac magis concitaret, furore quodam percitus, primus summorum omnium Pontificum (quorum sit memoria) sic sua vestimenta conscidit.

Igitur cum sententia [k] summi Pontificis Caiphæ, ac totius Concilij, morte damnatus LXXIV.
esset Dominus Iesus, eumdem vinctum tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. Tunc vi-
k Matth. 27. Marc. 15. Luc. 22. & 23. Concord. c. 140. DE IVDAE INTERITV. dens Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, detestans quod patrarat grande scelus. Illi inito consilio emerunt agrum in sepulturam peregrinorum: qui, quòd ex pretio sanguinis emptus esset, appellatus est Acheldema, hoc est, ager sanguinis. Iudas vero in despera-
l Act. 1. m S. August. in quæst. super Testamen. nouum quæst. 94. n Oecumen. in Act. Apost. c. 1. Euthym. in Mat. cap. 26. Cedren. in compend. E tionem tanto crimine actus, abiens laqueo se suspendit, sicq. suspensus [l] crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Atque hæc cumulatius Euangelistæ. De miserando Iudæ interitu S. Augustinus [m] agens, eum non statim ac retulit triginta denarios, sibi manus intulisse, sed post mortem Saluatoris, testatur. Græci auctores [n] ex Papia, vt aiunt, eiusmodi de interitu Iudæ narrant historiam: Iudas suspendio e vita non discessit, sed superuixit: suspensus enim deiectus est, priusquam suffocaretur. hoc autem planius scripsit Papias Ioannis Apostoli discipulus, dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Iudas. In tantum enim corpore inflatus, vt progredi non posset, cum currus leui cursu pertransiret, curru compressus est, ita vt effunderentur eius intestina. Vel alio modo sic (duplex enim est lectio) Corpore enim adeo inflatus est, vt neque posset progredi, qua currus leui cursu pertransibat. Immo nec solus capitis tumor: siquidem & palpebras oculorum eius adeo intumuisse ferunt, vt lumen omnino videre non posset; oculi vero eius neque medici instrumenti adminiculo aperiri possent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ri possent, tanta profunditate ab exteriori aspectu erant separati: porro sanies ac vermes contumelioſe confluentes ex toto ipsius corpore ferebantur, egredientes per sola loca secretiora. Post vero multa tormēta & iustas vltiones, cum in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset; præ fœtore illud desertum permansit, & inhabitatum vsque ad hodiernum diem: sed neque ad hoc vsque tempus locum illum quisquam præterire potest, nisi obturatis manu naribus.] hæc illi, vt dicunt, ex Papia, interpretantes Euangelistam Lucam dicentem in Actis: Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius] vt quæ facta sint, non quòd simul statimq. alterum post alterum fuerit subsecutum, dixisse voluerit. Sed an prædictæ historiæ vere Papias ille sit auctor, vt vera certaq. habenda sit, relinquimus prudentis lectoris arbitrio. nam ne contradicant diuinæ Scripturæ in his quæ Euangelistæ scripserunt de Iuda, aliqua, vt vera esse probentur, indigent declaratione, siue censura; cum præsertim magis vera plurium testificatione Patrum probetur illa sententia, Iudam ante Christi obitum laqueo sibi impacto viuendi finem imposuisse: quo enim impetu stimulo grauis culpæ adactus est reddere nummos, eodem pariter videri potest ad necem impulsus.

LXXV. ARBOR SVSPENSIONIS IVDAE.

At nec illud prætermittimus dicere, maiorum traditione acceptum esse, arborem illam, in qua Iudas laqueo se suspendit, fuisse ficum. Iuuencus[a] enim poeta de his agens, hæc cecinit:

Exorsusq. suas laqueo sibi sumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.]

Beda[b] de locis sanctis scribens, hæc habet in eamdem sententiam: Portam Dauid egredientibus fons occurrit in Austrum per vallem directus, ad cuius medietatem ab Occasu Iudas se suspendisse narratur: nam & ficus magna ibi & vetustissima stat, iuxta quod Iuuencus ait, &c.] Haud mirum videri debet, adhuc Bedæ temporibus illam ficum fuisse superstitem: nam de ficu Romulea, Nerone tertium & Messala Consulibus, in trunco ac ramis arescente, hæc scribit Tacitus[c]: Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quæ per octingentos & quadraginta ante annos Remi Romuliq. infantiam texerat, mortuis ramalibus, & arescente trunco diminutam, prodigij loco habitum est, donec in nouos fœtus reuiuisceret.] hæc Tacitus. De loco autem illo qui in sepulturam peregrinorū emptus est pretio sanguinis, hæc scribit Hieronymus[d]: Acheldema ager sanguinis hodie quoque demonstratur in Ælia ad Australem plagam montis Sion: & hactenus iuxta Iudæorum consilium, mortuos ignobiles, alios terra tegit, alios sub dio putrefacit.]

a Iuuenc. hist. Euang. lib. 4.
b Beda de locis sanctis cap. 4.
c Tacit. Annal. lib. 13. in fine.
d Hieron. de locis Hebraicis Act. Apost.

LXXVI.

Cum ergo Principes[e] sacerdotum introducturi Iesum essent ad Pilatum, foras manserunt, nolentes ingredi Prætoriū, vt non contaminarentur. Pilatus ad eos foras exiens, rogans causam cur eum adduxissent, cum nullam idoneam inueniret, in eos refundere iudicium cupiens, dixit: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. At illi: Nobis, inquiunt, non licet interficere quemquā. Quibus saue verbis haud putandum illos intelligere voluisse de ferenda sententia capitis, quippe qui iam ante (vt ait Marcus[f]) condemnauerant eum esse reum mortis: sed de executione ipsius sibi interdicta per septem dies illos Azymorum: quibus item diebus & Petrus ab[g] Herode Agrippa est detentus in carcere, nec ad supplicium ductus; volente illo, transactis diebus Azymorū, producere eum populo, ac in eum lege agere. hæc enim in hanc sententiam esse accipienda, Augustinus[h], Cyrillus[i], & alij[k] persuadent: sic enim ait Cyrillus: Vetari aiunt ab impia cæde Pascha celebraturi: nam aliter ministerium Pilati non quæsissent. Velox enim semper animus Iudæorum ad omne malum est. Petunt ergo a Pilato, vt Iudaicam crudelitatem imitatus, suæ in præsentia insaniæ seruiat.] hæc ille. Porro horum successores quàm egregie patrum suorum in eo potissimum genere sectati sint mores, Ambrosius[l] fidem facit, dum ait: Hi enim arte insinuant se hominibus, domos penetrant, ingrediuntur Prætoria, aures Iudicum & publica inquietant, & ideo magis præualent, quo magis sunt impudentes. Hoc enim non recens in ipsis, sed inueteratum & originarium malum est: nam olim iam & Dominum Saluatorem intra Prætorium persecuti sunt, & Præsidis eum iudicio condemnarunt. In Prætorio ergo a Iudæis innocentia opprimitur, secretum proditur, religio condemnatur: cum enim Christus occiditur, omnis in eo veritas & iustitia condemnatur; quoniam ipse est veritas, iustitia, religio, sanctitas, atque mysterium.] hucusque Ambrosius.

e Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18. Concord. c. 141.
f Marc. 14.
g Act. 12.
h Aug. in Ioan. tract. 114.
i Cyril. in Ioan. lib. 12. c. 6.
k Chrysost. hom. 82. in Ioan.
l Ambros. serm. de Kal. Ian.

STVDIA IVDAEORVM CONTRA CHRISTVM.

Ceterum

Ceterum quod ad humanitatem & mansuetudinem spectat Pontificum, etiam apud Ethnicos Pontifices maximi a cæde hominum temperabant: vnde (quod consideratione dignū est) Titus, qui Iudæos debellauit, ea de causa fieri Pontifex maximus optauit, vt seruans manus puras, a cæde etiam noxiorum abstineret; cum e contra Iudæorum Pontifices innoxium quoque sanguinem condemnarint. Suetonius enim hæc de Tito habet[a]: Pontificatum maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit, nec auctor post hæc cuiusquam cædis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi causa non deesset; sed periturum se potius, quàm puniturum adiurans.] Porro hæc omnia facta esse, inquit Euangelista, vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Iam enim prædixerat suis, se Hierosolymis crucis supplicium subiturum, quod nonnisi ex Præsidis sententia fieri potuit. nam cum in Iudæorum Concilio calumniante Caipha, Iesus quòd dixisset blasphemiam, sententia mortis damnatus esset, plane secundum legem[b] Moysi lapidandus erat.

LXXVII. PONTIFICES A CAEDE IMMVNES.

a Suet. in Tito cap. 9.
b Leuit. 24.

Cum igitur Iudæi viderent Pilatum Iesu supplicium detrectare, nouas[c] ingerunt accusationes: maiestatis reum Iesum faciunt, calumniantes quòd subuertisset Iudæos, prohibuissetq. tributum dari Cæsari, seq. ipsum Christum Regem esse dixisset: mira quadam calliditate Præsidem in Iesum concitantes, quem viderant nuper in homines illos Galilæorum sectæ addictos, quòd negarent tributa alienigenis Regibus esse pendenda, vel pro eis victimas esse offerendas, adeo sæuisse, vt immittens in eos milites, miscuisset (vt tradit Euangelista) ipsorum sanguinem cum sacrificijs, dum seorsum a ceteris victimas immolarent. His vero commotus Pilatus, ingressus Prætorium, vocato ad se Iesu, a grauiori delicto exorditur quæstionem, interrogans an ipse Rex esset Iudæorum. sed cognito quòd regnum eius non esset de hoc mundo, iterum exiens extra Prætorium ad Principes sacerdotum, qui erant foris expectantes, nullam testatus est se mortis causam in eo inuenire. Secum duxerat & Iesum: quem multi Iudæi cum accusarent, nec ad ea quicquam responderet, quamuis causam suam agere a Præside esset impulsus; admiratus vehementer Pilatus, anceps quid esset acturus: cum a Iudæis eum accusantibus, quòd Iesus Galilæus esset, audisset; ad Herodem Galilææ Tetrarcham, qui opportune Hierosolymis aderat, Iesum amandauit: qui vehementer gauisus est, quod multa de eo audisset, & iamdiu eum videre optasset: et cum multa rogaret, nec quicquam Christus responderet; quasi fatuum quemdam ac morionem illudens, veste alba indutum ad Pilatum remisit. his officijs se inuicem prouocantes Pilatus & Herodes, scissam olim amicitiam redintegrarunt.

LXXVIII.

b Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18. Concord. c. 141.

NOVA IN CHRISTVM CALVMNIA.

Ceterum quod ad vestem albam pertinet: cuiusnam generis eiusmodi vestimentum esset, operæpretium ducimus accuratius perquisitigare. Obseruat, & recte quidem mea sententia, Cornelius[d] Iansenius Græcam dictionem non proprie, quam dicimus albam, significare, sed potius splendidam, quam magis proprie candidam dicere consueuimus: Non enim, inquit, λευκὴν, sed λαμπρὰν apud Euangelistam legitur.] quæ quidem vox reperitur etiam a Iacobo[e] Apostolo vsurpata, cum ait: Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, &c.] Quibus cum nobilissimum quempiam virum describat; inde idem auctor deducit, vestem illam, qua ab Herode Saluator indutus est, fuisse regium indumentum, & proinde eo modo Dominum illusum esse quasi fatuum insignibus regijs. Verum in his eidem auctori minime assentior, dum existimat vestem candidam fuisse regium indumentum: quod Iosepho[f] auctore constat fuisse purpuram, qui alicubi ait: Herodes cædis reus, & tam graui obnoxius crimini, adstat hic purpuratus, &c.]

LXXIX. DE VESTE ALBA.

d Iansen. Concor. c. 141. in fin.
e Iacob. 2.
f Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17.

Hæc igitur vt explorata habeantur, non minimum conferre existimamus, si nuper citatus Iacobi textus dilucidius explicetur. Erasse siquidem videntur omnes, qui putarunt a Iacobo nobilissimum descriptum hominem, qui annulum aureum, vt egregium nobilitatis insigne, gestaret in digito, & candido indumento esset decoratus. nam quod ad annulum spectat, non ornabatur illo manus, sed vestis: & ita annulus in veste candida idem erat quod aurea fibula, qua vestis perstringeretur: pro annulo enim fibulam intelligi, satis modo declarat ille locus Exodi[g], quo dicitur: Stringatur rationale annulis suis, &c.] Sed hæc omnia expressius a Iosepho declarata habentur, dum tradit in more fuisse apud Hebræos, fibulam auream, siue dicamus annulum, gestare

LXXX. LOCVS IACOBI ELVCIDATVS.

g Exod. 28.

Regis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Regis affines in veſte, eumq. cui magna ex gratia Rex hoc conceſſiſſet: ſunt enim hæc verba ipſius [a]: Miſit ei, virtutis ergo, fibulam auream, quod geſtamen ſolis cognatis Regis concedebatur.] quod habetur expreſſum ſæpius in primo [b] Machabæorum. Erat autem eius fere generis ornamentum, quale apud Romanos nobiliſſimos latus clauus. Sic igitur quod dicit Iacobus: Si introierit in veſtrum conuentum vir annulum aureum habens in veſte] quempiam regium virum deſignat, cui huiuſmodi ornamentum geſtare liceret in veſte candida. A

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 18.
[b] 1. Mach. 10. 11. & 14.

LXXXI. VESTIS QVA DELVSVS EST IESVS.

Eiuſmodi igitur fuiſſe veſtem illam qua Herodes ludibrij cauſa induit Redemptorem, nulla debet eſſe dubitatio. At magnum profecto & admirandum plane diuinum conſilium, quo & certius intelligatur, cor Regis, quantumlibet ſceleſtiſſimi, in manu Dei eſſe [c]. Cum enim apud Iudæos etiam ea vigeret conſuetudo, vt alicuius criminis reus, iudicio poſtulatus, atratum ſe ſiſteret, quod Ioſephus [d] non ſemel teſtatur, vt cum ait: Quiſquis hactenus apud hunc conſeſſum (*nempe Iudæorum Concilium*) iudicandum ſe præbuit, humilis venit, & habitu timentis periculum, ac captantis miſericordiã, atratus, & promiſſo capillitio] & alibi [e]: His auditis, confeſtim mutata veſte, atratus eum adijt] ac de ſe ipſo [f]: Mutataq. veſte, atratus prodij, ſuſpenſum a ceruice geſtans gladium] Ieſus vero contra: nam non tamquam criminis reus, atratus; ſed vt innocentiſſimus, candidatus iubetur incedere, & Pilati iterum iudicio ſiſti. Sic igitur innocentiæ cauſa candidatus ad Pilatũ ab Herode cum miſſus eſſet; ipſe Pilatus, conuocatis Principibus ſacerdotum & magiſtratibus & plebe, palam profeſſus eſt, neque ſe, neque Herodem cauſam vllam mortis dignam in eo inueniſſe. B

[c] Prouerb. 21.
[d] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 17.
[e] Idem antiq. lib. 16. c. 14.
[f] Ioseph. in Vita sua.

LXXXII. DIMITTITVR BARABBAS.

Quoniam vero ea ſolemnitate vinctus vnus reus mortis erat ex conſuetudine dimittendus: quo ea occaſione ſibi liberum eſſet Chriſtum dimittere, Pilatus Barabbam latronem ſeditioſum & homicidam, ac Ieſum innocentem, in quo nullam ſe mortis cauſam inueniſſe ſæpe teſtatus erat, in optionem populo dat, cui optandi ius competebat, vt vtrum vellet ex his duobus eligeret: ſed ſuadentibus Principibus ſacerdotum, conclamantes ſimul omnes, Barabbam liberari, Chriſtum vero crucifigi petierunt. Interea Pilato ſedente pro tribunali, miſit ad eũ vxor, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi. multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.] ad hæc Ignatius ſcribens ad Polycarpum: Cum, inquit, paranda eſſet crux, diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit proditori, & laqueum illi monſtrauit, & ſuſpendium, quo ſtrangularetur, edocuit; & mulierculam, turbans eamdem inſomnijs, vt a crucifigendo ceſſarent, inducere moliebatur, qui prius omnem lapidem mouerat, vt eadem crux pararetur: non quòd pœnitudine duceretur ob tantum malum; hac enim parte minus fuiſſet ſceleratus: ſed ſentiebat ſuam ipſius perniciem.] C D

LXXXIII. Poſt hæc vero conteſtans Pilatus iam tertio nullam in Ieſu reperiri cauſam ſatis dignam morte, aliam rationem ipſum dimittendi tentat, nimirum, vt quo Iudæis aliqua ſaltem ex parte ſatisfaceret, Ieſum flagellis ſubijceret, ac ſic flagellatum dimitteret. Apud Romanos duplex erat flagellorum vſus, quorum alter vltimum ſupplicium præcedere conſueuerat, nimirum vt cum quis capite plectendus eſſet, prius virgis cæderetur: alter vero, qui ad alicuius leuioris delicti emendationem inferretur, non tamen vſque ad mortem: licet miniſtrorum immanitate multi etiam ſub eiuſmodi flagellis interijſſe reperti ſint, vt Vlpianus [g] Iuriſconſultus teſtatur. Sed obſeruatione quidem dignum eſt, etiam in hoc ipſo apparere Chriſtum Dominum Redemptorem noſtrum (quod ait [h] Paulus) ſeruilem formam induiſſe: ſiquidem non virgis ac fuſtibus, ſed permiſit ſe cædi flagellis. Liberos quidem homines virgis ac fuſtibus, ſeruos vero flagellis affici ſolitos, Paulus [i], Marcellus [k], Vlpianus [l], atque Calliſtratus [m] tradiderunt. E

[g] l. 8. ff. de pœnis.
[h] Philip. 2.
[i] l. 4. ff. de incẽd. ruin. & naufra.
[k] l. in seruorum. ff. de pœnis.
[l] l. Iouin. ff. de accuſ.
[m] l. Capitolium. S. non omnes. ff. de pœnis.

LXXXIV. Ceterum Præſides prouinciarum ad coercendos delinquentes citra mortem vel exilium, eiuſmodi pœnas, tradit Calliſtratus [n], exhibere conſueuiſſe, videlicet fuſtium admotionem, flagellorum caſtigationem, vel vinculorum verberationem. Miniſtros vero, qui ad has inferendas pœnas Præſidibus miniſtrabant, fuiſſe Brutios, tradit Feſtus [o] Pompeius, & A. Gellius [p]: qui hos, in pœnam quòd a Romanis ad Annibalem defeciſſent, hac ignominia notatos tradit, vt magiſtratibus in prouincias euntibus apparerent, & ad infligenda ſupplicia delinquentibus ſuam operam exhiberent: Piacentes vero populos, quòd ad eumdem deſciuiſſent, Romana ciuitate priuatos, loco militiæ

[n] l. 6. in fin. & l. 7. ff. de pœn.
[o] Fest. Pomp. in verbo Brutiani.
[p] A. Gel. lib. 10. cap. 3.

litiæ, curſores ac tabellarios eſſe, eoq. munere Reipublicæ inſeruire damnatos, auctor eſt Strabo [a]. An vero a dictis fuerit Chriſtus flagellatus, aſſerere non auderem. nam alicubi, vt in Ægypto, diuerſorum miniſtrorum id erat munus; ſiquidem honoris cauſa, qui erant Alexandrini, non a Præſidum lictoribus, ſed tantum ab Alexandrinis, virgis cædebantur; ceteri vero Ægyptij a communibus Præſidum apparitoribus hiſce pœnis afficiebantur, vt Philo [b] teſtatur. Sed vt Brutios hac calumnia omnino reddamus liberos; dicimus, quòd etſi olim Brutij eiuſmodi fuerint adſcripti muneribus, tamen poſtea id ceteris cuiuſque regionis militibus conſtat ceſſiſſe officium, vt ex lege, iuſſu iudicum, ſontes punirent. certe quidem non de Brutijs tantum, ſed de omnibus militibus loquitur Tertullianus [c], dum ſuadens homini Chriſtiano ne militet, hæc ait: Et vincula, & carcerem, & tormenta, & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum vltor iniuriarum?] Sic igitur cum hæc factitari ſolita indiſtincte a cuiuſque nationis militibus ille demonſtret: nihil eſt quòd magis Brutijs, quàm ceteris, Chriſto illatæ pœnæ atque crucifixio adſcribantur. Hæc autem noluimus præterijſſe, quòd audierimus ſæpe hæc in Brutios ludibrij cauſa imperite iactari. Sed iam reliqua paſſionis eius perſequamur acta. A B

[a] Strab. lib. 5. in fine.
EXECVTORES VLTIMI SVPPLICII.
[b] Philo in Flac.
[c] Tertull. de coron. milit. c. 11.

Cum Dominus noſter flagellandus eſſet, eum ad columnã fuiſſe ligatum, auctor eſt S. Hieronymus [d], dum ad Euſtochium de Paula matre ſcribens, hæc ait: Oſtendebatur illi columna eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.] hæc ille. Tempore Bedæ in medio eccleſiæ eam fuiſſe ſitam, ipſe teſtatur [e]. De eadem hæc etiam Gregorius [f] Turonenſis: Ad hanc, inquit, columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamq. circumdant: quas rurſus pro benedictione recipiunt, diuerſis infirmitatibus profuturas.] Sic igitur flagellatus Dominus [g] Ieſus Chriſtus, a militibus in atrium Prætorij ducitur, exuitur, ac chlamyde coccinea ſuperinduitur; & vt omni ex parte, quaſi in ſcena, Regem ex ludibrio repræſentarent, coronam ſpineam in capite & ſceptrum arundineum in manu eius dextera milites poſuerunt. C

LXXXV. DE COLVMNA.
[d] Hier. epiſt. 27.
[e] Beda de locis sanctis c. 1.
[f] Greg. Turon. de gloria martyrum c. 2.
[g] Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 18. 19. Concord. c. 142.

Huic plane ſimilem actum iocum ab Alexandrinis, cum irriderent Iudæorum Regem Agrippam Alexandriam appulſum, deſcribit Philo [h]: ſed de eo opportunius agemus inferius. Auctor eſt Clemens Alexandrinus [i], Chriſtianos ob reuerentiam ſpineæ coronæ Domini noſtri, coronis intextis floribus tempora ornare, Gentilium more, exhorruiſſe. Sed & Tertullianus [k] eadem pluribus, vulgatamq. ait fuiſſe diſciplinam Chriſtianorum, vt coronis abſtinerent. De ijſdem Domini noſtri coronæ ſpinis hæc Gregorius Turonenſis: Ferunt ipſas coronæ ſentes quaſi virides apparere, quæ tametſi videantur aruiſſe folijs, quotidie tamen reuireſcere virtute diuina.] hæc Gregorius. At nullatenus audiendos puto, qui ex iunco marino Domino coronam contextam fuiſſe dixere: cum certum ſit, Lucæ & Ioannis Euangeliſtarum aſſertione, ex ſpinis eſſe compactam; ambobus ita dicentibus: Plectentes coronam de ſpinis.] longe enim diuerſa eſt iunci ac ſpinarum ratio: nam iunco marino nullæ nec in fuſte vel ramis inhærent ſpinæ, ſed eius tantum acumina in ſpinas deſinunt. Sed & vnde, rogo, præ manibus agentibus Hieroſolymis militibus marinus iuncus, cum ea ciuitas longe diſtet a littore maris? Ex ſpinis igitur, quæ circa vrbem illam naſci ſolerent, paratam ab illis coronam Domino, ratio perſuadet, & docet experimentum, cum quæ hactenus aſſeruatæ reperiuntur ex eadẽ corona ſpinæ, vere ex ſentibus eſſe decerptæ noſcantur, proculq. abeſſe vt aliqua ex parte cum iunco marino communicent. D E

LXXXVI. DE SPINEA CORONA.
[h] Philo lib. in Flac.
[i] Clem. Alex. in Pædag. lib. 2.
[k] Tertull. de corona milit. c. 1.

DE IVNCO MARINO.

Sed accipe perelegantem Iſidori Peluſiotæ [l] de corona ſpinea Domini analogiam, ſic ſcribentis ad Eutonium diaconum: Quandoquidem execrationis illius, qua terra poſt mandatum a nobis violatum mulctata eſt, ſeges ſpinea erat; Dominus autem, vt omnem in ſe ipſo morbum curaret, aduenerat: idcirco ſpinea corona vt victor redimitus eſt: quemadmodum ſcilicet clari & celebres victores faciunt, qui hoc ipſum telum, cuius ope victoriam conſecuti ſunt, in triumphum geſtant.] eadem Ruffinus in expoſitione Symboli.

LXXXVII.
[l] Isidorus lib. 1. epiſt. 95.

Quod vero ad chlamydem coccineam ſpectat: fuiſſe chlamydem veſtem militarem, omnes norunt; quam rubri coloris eſſe conſueuiſſe, diſtichon illud admonet [m]:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia ruſis:
Et placet hic pueris militibuſq. color.]

LXXXVIII DE CHLAMYDE.
[m] Martial. epigram. lib. 14.

Purpu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Purpuram, quæ nobilior esset, rubri fuisse coloris, instar sanguinis concreti, auctor est Plinius[a]. Ad huiusmodi colorem alludit Tertullianus[b], cum agens de milite Christiano, ait: Et nunc russatus sanguine suo.] & post multa: Illic purpuræ tuæ, sanguis Domini, &c.] Cur autem milites vterentur eiusmodi vestimentis, rationem affert Plutarchus in Laconicis institutis, dum id ipsum Spartanos facere consueuisse tradit. Veste igitur purpurea militari in hunc modum Creator ac Redemptor humani generis, velut scenica larua Regem fictitium ac ridiculum agens, ab ijsdem militibus illuditur: qui speciem adorationis genuflexi præseferentes, loco tributi sputa alapasq. pencunctisq. aspiciendus proponitur: sed conclamantibus Pontificibus ac ministris, vt crucifigeretur; Pilatus cum iterum contestaretur nullam se in eo mortis causam reperire, cupiebat adhuc eum dimittere. Tandem tamen, suggerentibus illis & inculcantibus, si illum dimitteret, fore inimicum Cæsaris; sedit pro tribunali: nullamq. putans relictam esse facultatem eum liberandi, cum illi importunius acclamarent, ac maior tumultus fieret: contestans se rem aggredi iniquissimam, accepta aqua coram populo laduit manus, dicens: Innocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videritis. Cui respondit populus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc Pilatus, dimisso Barabba, tradidit Iesum eis crucifigendum.

[a] Plin. Natur. hist. lib. 9. c. 38.
[b] Tertull. de coron. milit. c. 1. & 13.

PILATVS INVITVS DAMNAT CHRISTVM.

LXXXIX. DE EXCVSATIONE PILATI.

Sed vt in his quæ a Pilato sunt gesta, paululum immoremur: quòd lauerit manus, suamq. eo facto innocentiam sit professus, haud ex Romana consuetudine aliove Gentilium ritu, sed potius ex cærimonijs Iudæorum videtur mutuatus exemplum. Lege enim[c] Moysi iussum erat, vt quo se quis innocentem esse a nece hominis demonstraret, manus suas lauaret super cæsam vitulam, ac diceret: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt. propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine.] subdit legislator: Et auferetur ab eis reatus sanguinis: tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus.] hæc ibi. Ad quæ etiam alluisse Propheta videtur, dum ait[d]: Lætabitur iustus cum viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris] nimirum vt sic lauando manus, suam contestaretur innocentiam, vt Hilarius[e] & Theodoretus[f] interpretantur, & alij.

[c] Deut. 21.
[d] Psal. 57.
[e] Hilarius in Psal. 57.
[f] Theod. in Psal. 57.

XC. RITVS FERENDAE SENTENTIAE.

Scimus tamen alios prouinciarum Iudices alijs ritibus consueuisse sententiam ferre, & se immunes a cæde viri, quem legibus iudicarent, solitos declarare. Hæc etenim apud Clementem[g] scripta leguntur: Aspicite mundana iudicia, quorum potestati videmus tradi homicidas, adulteros, veneficos, sepulchrorum perfossores, latrones: De quibus cum quæsiuerunt præfecti iudicio ab ijs qui illos in iudicium adduxerunt, demum interrogant reos an illa ita se habeant? Quibus affirmantibus, non continuo eos ad supplicium mittunt, sed per plures dies quæstiones exercent, cum multo consilio, & velo interiecto. Tandem vero is qui sententiam mortis in reum pronunciaturus est, sublatis manibus aduersus Solem, se innocentem ab illius sanguine contestatur. Quod illi faciunt, quamquam Ethnici, & diuini numinis ignari, vltionisq. a Deo propositæ propter innocentum damnationem.] hæc ille. et in eamdem sententiam Basilius[h] itidem hæc verba habet: Qui enim rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ tractationem aduocant, multumq. temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc naturæ communionem suspicientes; multumq. ingemiscentes, ac iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quòd non ex propria libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferunt sententiam.] hactenus Basilius.

[g] Clem. const. lib. 8. c. 36.
[h] Basil. epist. 29.

XCI. Ceterum, vt ad Pilatum redeamus; ipsum in leges Romanas etiam grauiter deliquisse tradendo Christum crucifigendum, nec ablutione manuum facinus expiasse, facile demonstrari potest. Quantumlibet enim Iudæi in suo ipsorum concilio de nece Christi æquam tulissent sententiam, quam fuisse iniquissimam certum est: nihilominus eius sententiæ executio ad decem saltem dies propaganda fuisset: recens quippe erat Senatusconsultum Tiberianum, sic dictum, quod Tiberio Imp. a quo ipse Præses in Iudæam est missus, factum erat ante annos duodecim, ipso Tiberio quartum & Druso Coss. quo cautum fuerat, vt supplicia damnatorum in decimum vsque diem differ-

differrentur, vt Suetonius[a], Dio[b], & alij testantur. Certe quidem ad omnem Iudæorum coercendum impetum, & comprimendum furorem, eiusdem Cæsaris (cuius voluntatem de nece Christi illi prætexuerant ad impellendum Pilatum) plus satis sufficere poterat dictum Senatusconsultum. Nec est quòd quis existimet posse excusari aliqua ex parte Pilatum ea ratione, qua permotus Vlpianus[c] ad Sabinum scripsit, licite præter legum præscripta posse Iudicem supplicium accelerare damnato, si aliqua popularis timeatur seditio, vt iuste Pilatus timere posse videbatur, iam populari concitato tumultu. Nam Iudææ Procuratores Romanorum militum legionibus vallabantur, vt nihil esset quod Pilatus metuere debuisset, cum nonnisi magno damno suo Iudæi semper fuerint tumultuati.

[a] Suet. in Tib. c. 75.
[b] Dio hist. Rom. lib. 57. sub vsdē Cons. & Tacit. annal. lib. 3. sub eisdem Cons. in fin. l. 28. §. famosos. ff. de pœn.
[c] Vlpian. lib. 13. l. 6. §. quid autem. ff. de iniust. rupt. & irrit. testam.

XCII. DE SVPPLICIO CRVCIS.

Sed his omissis: quænam causa fuit, vt Pilatus Christum a Iudæis vt blasphemum damnatum in crucem adigendum statueret? Nam si eorum lege agenda res erat (vt nuper diximus) lapidationi erat subijciendus: si iure Romanorum; famosis latronibus eiusmodi supplicium debebatur. T, enim littera, quòd crucis figuram exprimat, notari consueuisse fures, apud Lucianum[d] testatum habetur. Erat & apud Iudæos crux in vsu, sed ea pœna afficiebantur homicidæ, vt Philo[e] tradit. Ex his itaque videas, supplicium crucis, quod Barabbæ duplici ex causa debebatur, tum vt latroni, tum quia homicidium fecerat in seditione, iniuste prorsus irrogatum esse Domino nostro Iesu Christo. Videas insuper Iudæos numquam antea aduersus Christum, vt crucifigeretur, conclamasse, quàm cum optionem dedit illis Pilatus, vt alterum de duobus quem vellent, Iesum, vel Barabbam peterent: vt intelligas, non satis illis fuisse latronem & homicidam liberasse, nisi etiā supplicium crucis duplici ex causa illi debitum in ipsum Christum conuertissent. Sed hæc diuina quadam dispensatione agebantur, vt Dei Filius pro redemptione humani generis crucis supplicium pateretur: cuius mysterium a sanctis Patribus toties decantatum, hic prætermittimus enarrare. Satis sit in præsentiarum scire, tam apud Iudæos, quàm etiam apud Gentiles, crucis figuram fuisse salutis insigne. Signādos esse signo Thau, qui liberandi essent ab ira Dei, Ezechieli Prophetæ[f] fuit diuinitus demonstratum. Apud Ægyptios istud ipsum crucis signum in ipsorum litteris sacris significasse vitam, Ruffinus[g], Socrates[h], Sozomenus[i], & alij complures testantur.

[d] Lucian. dial. Iud. vocal.
[e] Phil. lib. de special. legib.
[f] Ezech. 9.
[g] Ruffin. hist. lib. 2. c. 29.
[h] Socr. hist. lib. 5. c. 17.

Sed cum diuersa genera crucum essent, vt in Notis ad Martyrologium diximus: cuius formæ esset parata crux Domino, audi Iræneum[k] hæc dicentem: Ipse habitus crucis fines & summitates, *hoc est, extremitates*, habet quinque, duos in longitudinem, duos in latitudinem, & vnum in medio, vbi requiescit qui clauis configitur.] hæc ipse. Sed & cum Tertullianus[l] dicat stipites trophæorum fuisse cruces, & ipsa signa militaria recta hasta & transuersa hastula formam crucis repræsentasse; qualis esset figura crucis, plus certo descripsit. Verum cum eadem ab alijs Patribus, vt ab Ambrosio describatur[m], & ab vniuersa Ecclesia antiquis imaginibus sculpta vel picta reddatur; de his ambigere, insaniæ potius quàm inscitiæ adscribendum esse putamus. Sed & vide quàm graphice ipsa crux describatur ab Augustino[n], cum ait: Lata est quippe in transuerso ligno, quo extenduntur pendentis manus; & significat bona opera in latitudinem charitatis. Longa est a transuerso ligno vsque ad terram, vbi dorsum pedesq. figuntur; & significat perseuerantiam in longitudine temporis vsque ad finem. Alta est in cacumine, quod transuersum lignum sursum versus excedit; & significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur.] hæc Augustinus, quibus plane intelligas eam fuisse crucis formam, quam in hunc modum diuersis in locis videmus expressam. | † Ausonius vero cum singulorum Græcorum elementorum figuras exprimit, & vnamquamque alicui comparat formæ; hac ex causa, quòd (vt dictum est ex Augustino) super transuersum crucis lignum stipes promineret, crucis signo ipse assimilat Φ, a Palamede inuentam litteram, vbi ait:

[i] Soz. Niceph. & Suid.
[k] Iren. lib. 2. c. 42.
[l] Tertull. Apolog. c. 16.
[m] Ambr. ser. 56.
[n] Aug. in Ioan. serm. 118.

Hæc crucis effigies Palamedica porrigitur Φ.] Nisi dicere velimus Ausonium per elementi illius formā significare voluisse crucem cum homine crucifixo, dum appensis brachijs hinc inde, inhærente stipiti reliqua parte corporis, eamdem ferme reddit quam elementum illud imaginem, cum aperta hinc inde duo illa foramina ampla relinquat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XCIV. Sed ad instituta ab Euangelistis de Christi Domini nostri crucis supplicio narra- A
a Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Concord. c. 143. tionem redeamus: quam summatim perstringemus, vt rem omnibus notam, ac multis sanctorum doctorum scriptis illustratam. Ducendus [a] Redemptor noster exuitur chlamyde, & proprijs induitur vestimentis: Crux, cui affigendus erat, super humeros eius imponitur: cogitur & Simon Cyrenæus altera ex parte eamdem post Iesum portare. comitabatur eum frequens populus: mulieresq. miseratione commotæ lugebant: ad quas Iesus conuersus, quæ euentura illis essent mala prædicens, se ipsas potius ac filios suos flere admonuit. Perductus inde est in Golgotha montem: et antequam cruci affigeretur, propinatum illi fuisse vinum myrrhatum, tradit Marcus
b Marc. 15. [b] Euangelista: vinum vero felle admixtum eidem tributum, scribit Matthæus: sed noluisse myrrhatum accipere, Marcus ait; licet vinum felle dilutum gustasse saltem, Matthæus narret: diuersa vero admodum hæc inter se fuisse monstrabimus. Con- B
stat insuper, auctore Ioanne, vas etiam aceto plenum illuc fuisse allatum, vt etiam crucifixorum vsui inseruiret. Sed vnde hæc omnia deducta sint, est exactius perquirendum.

XCV. Vigebat apud Hebræos ea consuetudo, vt damnatis solatium aliquod impenderent (vt videmus hodie quoque inter nos fieri) vinum illis propinare perquàm optimum,
c Prouer. vlt. secundum illud Prouerbiorum [c]: Date siceram mærentibus, & vinum his qui amaro sunt animo: vt bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.] Est & alibi
d Amos 2. [d] mentio de vino damnatorum. Vnde cum Christus Dominus noster cruci damnatus esset: pro affectu animorum, siue commiserationis ergo, allatum est vinum myrrhatum: siue ex odio, quo in eum Iudæi flagrabant, con- C
DE VINO MYRRHATO. ditum est vinum felle: acetum vero ad alium vsum fuisse paratum, suo loco dicemus. Ceterum myrrhatum vinum nequaquam (vt multi explicant) amarum erat & insuaue, sed perquàm iucundum & gratum: sic enim dictum, quòd in vasis myrrhinis ad saporem odoremq. quærendum calidum poneretur: ea enim vasa apud antiquos in magno erant pretio; quòd cum vinum calidum in ea infunderetur, odorem ac saporem quemdam mirificum ex illis contraheret, ex quo præ ceteris gratissimum suauissimumq. ad potum redderetur. De huiusmodi enim vino in hunc modum condito ha-
e Mart. lib. 14. Epigram. bes Martialis [e] distichon:

Si calidum potas ardenti myrrha Falerno,
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.]

XCVI. Eadem vina, a myrrha, myrrhina etiam ab antiquis sæpe dicta reperiuntur, de D
f Plin. nat. hist. lib. 14. c. 13. quibus agens Plinius [f], hæc ait: Lautissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita, vt apparet in Plauti fabula quæ Persa inscribitur, quamquam in ea & calamum addi iubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt: sed Fabius Dossennus his verbis decernit:

Mittebat vinum pulchrum, myrrhinam.

Et in Achariſtione:

Panem, & polentam, vinum, myrrhinam.

Scæuolam quoque, & Lælium, & Atteium Capitonem in eadem sententia fuisse video: quoniam in Pseudolo sit: E

Quòd si opus est vt dulce promat
Indidem, ecquod habet? rogas?
Myrrhinam, passum, defrutum, mella.

Quibus apparet, non inter vina modo myrrhinam, sed inter dulcia quæque nominatam.] hucusque Plinius.

XCVII. Ex his manifesti erroris arguuntur, qui dixerunt vinum myrrhatum fuisse amarissi-
NATVRA MYRRHATI VINI. mum: nam dulcedinem etsi non ex myrrha, ex alijs tamen admixtis speciebus contrahebat. Errant pariter, qui tradiderunt vinum myrrhatum fuisse potionem soporiferam, quæ hausta a mente alienet; solitamq. esse vltimum supplicium passuris propinari, quo mortem imminentem minus attenderent. Verum tantum abest vt myrrhatum

A tum vinum soporē afferret ex temulentia quadam per vapores sursum in caput ascendentes, vt potius ab ebrietate bibentes præseruaret, surgentesq. vapores digereret. Est de his insignis locus Athenæi ex Aristotele acceptus, quo etiam declaratur quibus aromatibus eiusmodi vinum myrrhatū condi consueuerat, sic dicentis [a]: Aristoteles in li- a Athen. lib. 11. c. 30.
bro de ebrietate; Ollulæ, inquit, etiam quæ Rhodiacæ dicuntur, tum ob voluptatem inferuntur in conuiuia, tum quia cum vinum calefaciant, minus ebrietatem inferri patiuntur. Nam si myrrha, mastiche, resq. huiusmodi in aquam iniecta coquantur, ac mox vino misceantur; minus, qui bibunt, fiunt ebrij. Et alibi hic idem: Fiunt ollulæ Rhodiacæ myrrha, lentisciq. floribus, croco, balsamo, amomo, ac cinnamomo simul coctis; ex quibus quæ vino mixta fuerit aqua, ita sistit ebrietatem, vt vel venerem sedet, surgentesq. etiam spiritus digerat.] hæc Athenæus. Quod ad vsum præterea myr-
B rhæ attinet, adeo veteribus probatus fuit, vt Parthi, Carmani, & alij Orientales populi, qui myrrhæ prouentum habent, ex ea etiam vasa conficere consueuerint, quæ myrrhina dicuntur.

Sed quænam re vera esset myrrha, & ex ea confecta vasa myrrhina, & quod in eis XCVIII.
conditur vinum myrrhinum seu myrrhatum, dilucidius intelligere vt valeremus, diu multumq. perueſtigauimus. Sed feliciter occurrit nobis Michael Mercatus Miniatensis Protonotarius Apostolicus, S. D. N. intimus familiaris, celebris ætate nostra Philosophus, rerum naturalium eruditissimus: qui haud assentitur Plinio [b] dicenti, naturam b Plin. nat. hist. lib. 37. c. 2.
vi caloris humorem sub terra densare, ac glebam ex eo procreare, ex qua myrrhina cauari possint: quin potius ipsam materiam ex myrrhæ arbore incisa fluentem in massam coagmentari tradit; coloribusq. ad speciem inductis, artem inde potoria fingere,
C quæ in summis populi Romani delicijs essent. Confirmabat hæc ille rationibus, quas quidem explicat in opere quod omnium rerum fossilium naturam complectitur: vbi & demonstrat myrrham esse (nam opinio recentiorum in hac re varia est) quam Indi hac nostra tempestate, Benzui, vocant: idemq. talem phialam ex India per Lusitanos aduectam, donoq. sibi datam promebat ex sua Metallotheca Vaticana, quam omni naturæ varietate instruxerat. Certe quidem idem est color benzui, qui myrrhæ descri- c Martial. lib. 10. epigram. de Erote.
bitur, nempe maculosus: nam Martialis [c] ait:

Plorat Eros, quoties maculosæ pocula myrrhæ
Inspicit.]

Sapor quoque idem videtur: vinum enim in ea phiala (quod nos experiri voluimus) magnam haurienti cum odore simul gratiam saporis exhibet.

D Istud de myrrhinis iudicium in prioribus huius tomi editionibus quidam repre- XCIX.
hendit, opinionem asserens Georgij Agricolæ [d], qui materiam myrrhinorum gemmam d Georg. Agric. de natur. fossilium lib. 6.
esse onychem existimauit. Sed ille non videtur animaduertisse, myrrhina, & onychina vasa, simul vtraque commemorari ab auctoribus, tamquam diuersa; vt a Iulio Capitolino [e], qui Imperatoris Heliogabali luxuriam describens, in myrrhinis eum & ony- e Iul. Capit. in vita Heliogab.
chinis lotium reddidisse tradit. Quæ onychina non fiebant ex onyche gemma, sed f Plin. lib. 36. cap. 7.
(veluti Plinius [f] ostendit) ex marmore, quod alabastritis speciem esse Dioscoridi [g] vi- g Dioscor. lib. 5. c. 120.
sum est. Huius marmoris onychini, quibusdam in locis reperti, fuit tanta pulchritudo, vt pocula ex eo facta æstimationi gemmarum accederent, quemadmodum & myrrhina, quamuis fictilia, & quæ nostra ætate vocant porcellana. Plurimum tamen onyx marmor ab onychis gemmæ natura distat, quæ sardonychi & sardæ cognata est:
E nam marmoris ea teneritudo inuenitur, vt ex ipso pocula & alabastri torno perficiantur: quod nulla ratione onyx gemma patiatur ob duritiem, quæ longa attritione infringi debet, adhibita scobe smyridis & adamantis ad rotas æneas & verticillos. Quamobrem Plinius [h], onychis gemmæ naturam persequens, non tradit fuisse vsum scul- h Plin. lib. 37. c. 6.
pendi ex ea pocula, quemadmodum neque ex achate, neque ex iaspide, neque prasio, quæ sunt gemmæ eiusdem fere duritiei: sed nostra ætate quædam sculpta ex ijs vasculà in Principum delicijs conspiciuntur; ita vt eorum cælatura, Plinij æuo recentius appareat fuisse inuenta.

Verum ne diutius alienæ materiæ inhæreamus: satis erit indicare, hanc opinionem C.
de onyche, & plures alias a diuersis scriptoribus circa myrrhinorum materiam excitatas, confutari latius a Michaele Mercato, qui ex notis omnibus, quæ myrrhinis tribuuntur, nullam ostendit conuenire onychi, præter vnam, quòd a [i] Plinio i Plin. eod. cap.

Universidad de Deusto
Biblioteca

traditur in Carmania nasci, vbi myrrhina quoque proueniunt. hinc tamen ne verisimile quidem argumentum duci potest: nam eodem auctore, etiam alabastrites, callais, asteria, & aliæ complures gemmæ in Carmania reperiuntur: et in Parthico regno, in quo etiam myrrhina fiunt, nullum onychem recensuit: sed e contrario in alijs regionibus gigni prodit onychem, in quibus myrrhina prouenire, nec ipse Plinius, nec alius quispiam meminit. A

CI. Nunc rationes aliquot adscribendæ sunt, quibus Michael iam dictus myrrhina ex myrrhæ arboris lacryma olim fuisse conflata demonstrat. Nulla iaspidis, vel achatis, vel onychis, vel alterius gemmæ variegatæ species existit, siue ea antiqua est a Romanis quondam possessa, & hactenus intra limites Europæ conseruata, siue recens a Meridie atque Oriente nobis aducta, cui temperamentum substantiæ & coloris peculiariter competat, quod myrrhinis Plinius [a] attribuit. Deinde splendor sine viribus, nitorq. verius quàm splendor, qui myrrhinis inesse dicitur, gemmeæ naturæ non conuenit, quæ multo acrius quàm marmor effulget. Illud vero, quòd aliqua myrrhinorum in odore commendatio est, ne lapideæ quidem naturæ conuenit. Multo minus etiam sapor; quem addit Martialis [b], scribens calidum vinum ex myrrhino calice iucundius sapere: nam lapis ab Aristotele [c] ponitur inter exempla corporum, quæ odore & sapore carent: et præcipue gemma talis esse existimari debet, quæ corpus maxime solidum habet, vt alieno etiam odore imbui nequeat, præsertim expolita. B

[a] Plin. lib. 37. cap. 2.
[b] Mart. lib. 14.
[c] Arist. de sensu & sen. c. 3.

CII. Cum igitur indicia myrrhinorum ab antiquis præscripta sint eiusmodi, vt nullus lapis suapte natura prouenies ijs queat esse præditus; necessario iudicandum est, myrrhina fuisse olim fictilia. Et quamquam huic iudicio auctoritas Plinij [d] opponitur, dicentis myrrhinum existimari humorem sub terra calore densatum: non desunt tamen ex altera parte auctores, qui Plinio obijciantur, eiusq. sententiam refellant, sicut Propertius [e], qui myrrhina esse fictilia aperte docet hoc versu: C

[d] Plin. lib. 37. c. 2.
[e] Propert. lib. 4. elegia 5.

Myrrheaq. in Parthis pocula cocta focis.

Et Arrianus [f] ex nauigatione maris Rubri compertum esse scribit, in Moscophagorum regionem cum alias merces venales comportari, tum etiam lapidea vasa diuersi generis, & vasa myrrhina, quæ fiunt Diospoli. Itaque ratione naturæ, & auctorum testimonijs constat, myrrhina fuisse conformata opere figlino: quorum materia odora, sapida, & remissi nitoris, quænam alia existimari debet, quàm illa, quæ nomine ipsorum exprimitur, nempe myrrha? Quod etiam antiqui poetæ indicant, qui numeris astricti, nomen huius materiæ vsurpant vice operis, myrrham pro vase myrrhino dicentes, vt Lucanus [g], Papinius [h], Martialis [i]. Nec mirum videtur, myrrham, quæ tantum placuit vinis condiendis, translatam aliquando fuisse ad pocula; quod etiam Græci aliquando tentarunt, vt de Rhodiacis ollulis dictum est. Addimus nos his, quæ Fulgentius Mythologiarum libro tertio, octauo capite, dum agit de fabula Myrrhæ atque Adonis, habet; quibus manifeste demonstretur, myrrham genus esse arboris; ex qua incensa lacrymæ quæ desudant, myrrham itidem esse dictam, inde vero fingendæ fabulæ argumentum esse suppeditatum. D

[f] Arrianus de nauigat. maris rubr.
[g] Lucan. lib. 4.
[h] Statius Pap. siluar. lib. 3.
[i] Mart. lib. 4. & 14.

CIII. DE VINO MYRRHATO MOTA QVAESTIO. Ad hæc insuper ob quæstionem nuper obortam nonnulla addere in hac editione compellimur. Vir enim cum primis eruditus Nicolaus Faber Parisiensis clarissimus I. C. omni genere litterarum egregie excultus, familiaribus agens litteris, in eam sententiam cum pluribus nos potius abijsse, se optasse, de vino myrrhato declarat, vt soporiferam, quæ mentem abalienaret a sensu, eam potionem Domino propinatam extitisse professi essemus, quàm fuisse vinum myrrhinum, quod myrrha conditum in magnis consueuisset esse delicijs: Cum, vt ait, apud Hebræos antiquus mos ille vigeret, vt omnes licet vilissimi cruciarij ante supplicium potarent propinatum myrrhatum vinum, quo penitus dementati ac stupore quodam in omnibus corporis membris consopiti, efficerentur doloris expertes. Id quidem apud Hebræos fuisse vsu receptum, Galatinum adducit in medium: sensisse hoc ipsum quoque Patres, & haud dubiam inter alios tradit esse sententiam sancti Hieronymi [k] in Matthæum his verbis: Vsque hodie Iudæi, & omnes increduli Dominicæ resurrectionis aceto & felle potant Iesum, & dant ei vinum myrrhatum, vt eum consopiant, & mala eorum non videat. Rursum vero myrrhæ esse, soporem inferre, ex Dioscoride [l] sibi vendicat. Sed & apud Gentiles eum fuisse vsum myrrhæ, probare cona- E

[k] Hier. in Mat. c. 27.
[l] Dioscor. lib. 1. c. 68.

conatur, vt ex ipsa condita potio illis daretur qui graues essent subituri dolores, ne eos sentirent, consopitis ex ea sensibus: idq. ex duobus Apuleij locis, quorum prior se habet his verbis [a]: Indidem sese multimodis commulcat ictibus, mire præsumptione munitus.] & alibi [b]: Obfirmatus mira præsumptione, nullis verberibus, ac ne ipsi quidem succubuit igni.] Sed ipse quidem hos sic restituendos textus esse putauit, vt ad germanam lectionem sit, myrrhæ, pro mire, seu mira, vtrobique reddendum: sed absque exemplo aliorum antiquorum scriptorum, vel alicuius codicis, haud facile admittendum. A

[a] Apul. lib. 2.
[b] Idem, lib. 10.

CIV. At vbinam, rogo, ad obstupefacienda ad sectionem membra reperiri potest medicos vsos myrrha? Vel vbi in reorum iudiciarijs quæstionibus mentio facta est de reo aliquo eludente myrrha seuerum iudicem? Aut quo alio exemplo Isiacus aliquis ad futuros ictus præmunisse se myrrha legitur? Vel quo probari potest exemplo, vocem illam, præsumptionem, ab ipso Apuleio pro manducatione acceptam? cum pro audacia, vel temeritate, sicut ab alijs plurimis, vsurpata ab ipso reperiatur, vt cũ ait [c]: Contra vesanam eorum præsumptionem modestiam meã approbarem.] & rursum: Sacrilega præsumptione Dei, quem prædicabat vnicum, &c.] Quamobrem haud facile lectionem antiquam couellendam existimo, quam retinent omnes codices, & interpretes secuti sunt. B

[c] Idem, lib. 9.

CV. At quod spectat ad antiquum illum Iudæorum morem propinandi vinum myrrhatum ijs qui essent vltimum supplicium subituri: non imus inficias, quòd in Thalmudicis scriptis id sit facile reperiri: Sed an ob eam causam, vt myrrhatum vinum bibentes, mentis alienationem passi, carerent sensu doloris, hoc perueſtigandum est. Id ne sit myrrhæ præstare, haud adeo facile concedendum esse videtur ex ijs quæ superius sunt recitata ex Aristotele & Athenæo: quorum illa sententia est, myrrhæ esse præseruare potius ab ebrietate, quàm deliquium mentis adducere. Quibus consentientia sunt quæ tradit Plutarchus item ex Aristotele in libro de Iside ex Ægyptiorũ sententia; ijs namque ob loci propinquitatem & frequentiorem rei vsum notior myrrha erat: ait enim: Myrrham Ægyptij Bal nominant; quæ vox (si interpreteris) delirij significat amolitionem.] hæc ipse. Non tamen negamus, quod ait Galenus [d], myrrham, si largius bibatur, aut dementare, aut mortem afferre; cum hoc & vinum ipsum absque myrrha abundantius sumptum præstare soleat. C

MYRRHAE NATVRA.

[d] Gal. simpl. med. lib. 5. c. 19. prope finem.

CVI. Sed & ex effectu rem quoque pensemus, & cognoscamus exemplo. Si enim ex antiqua Iudæorum traditione propinatum vinum myrrhatum Domino volumus, illud pariter & latronibus item cum ipso æquale supplicium subituris oblatum fuisse dicendum est: solemne [e] namque eis erat, vt omnibus ad supplicij locum perductis delinquentibus, peccatumq. ibi suum, cuius causa damnati essent, publice confessis, myrrhata potio propinaretur, sicq. potatos affigerent illos cruci. At cum constet ex Euangelistis, latrones in cruce positos mentis fuisse compotes, eaq. locutos quæ sibi constantes eos fuisse significarent; plane declaratur haud extitisse eam naturam myrrhati vini, vt bibentes illud homines dementaret: sed quod exhilararet potius, dareturq. damnatis, secundum sententiam illam superius recitatam [f]: Date siceram mærentibus, & vinum his qui sunt amaro animo: vt bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.] Cur igitur non in eam cum multis de myrrhato vino sententiam iuerimus, cum ex his quæ superius dicta sunt, tum etiam ijs quæ hic addidisse voluimus, satis potest cuique fieri manifestum. Ceterum lectori liberum esto, quam velit sententiam sequi. Quod enim myrrhæ sit obfirmare mentem potius, quàm amentem reddere hominem; quòdq. latrones, ex vsu myrrha poti, permanserint sensibus integri; in hanc nos iure traxere sententiam. D E

[e] Thalmud. tit. Auel. Kabbati. c. 2.
[f] Prouer. vlt.

CVII. Sed posterioribus litteris quæ noster Faber addiderit, hic describamus: post multa enim officij plena hæc ait: Addi etiam posset, quod habetur cap. vlt. Prouerb. Date siceram mærentibus; Hebraice legi, Date quod inebriet, morientibus. Hebraicum enim vocabulum, sichar, vel vt expolierunt Græci, σίκερα, significat, inquit sanctus Basilius Magnus, παῖτὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι. & Rabbi Moses Ægyptius, morientes, interpretatur reos, damnatos. Id etiam quod habetur Psalmo LIX. Potasti nos vino compunctionis; B. Hieronymus vertit, Potasti nos vino consopiente; & Chaldaicus Paraphrastes, Calice maledictionis: nempe quia cruciarijs maledictis a lege dabatur. eiusmodiq. phrasi summam crucem designari, adnotant interpretes Hebraici: inter ceteros vero Rabbi Sclomoh vinum illud esse ait cor obuoluens, & cerebrum feriens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſternutareq. faciens: quod quid aliud eſt dicere, quàm vinum iſtud ſenſus deturbare & adimere? a qua ſententia nec Septuaginta longe receſſerunt, qui εἶνον καταυξεως tranſtulerunt. Nam Alexandrino idiomate, quo modo ſacrorum librorum idioma grammatici Græci nuncupant, καταύξις altum ſoporem & veternum ſignificat. ita B. Paulus ad Rom. xi. Iſaiæ locum xxix.cap.explicans, ſpiritum ſoporis, πνεῦματος καταυξεως voculis exprimit: cuius etiam effectus ex eiuſdem Prophetæ ſexto cap. ſubijcit, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, a compunctione toto cælo alienos. quod agnouit Syriacus, qui, ſpiritum ſtupiditatis, tranſtulit. Ex eo more etiam phraſes illæ deductæ cenſeri poſſunt, quibus Dominus per Prophetas impijs exitium denuncians, ſe potui daturum eis vinum ſiue calicem ſoporis, vertiginis, torporis, ſtuporis, ac ebrietatis interminatur.] hæc ipſe, ad poſtremum id addens: Hæc tamen apud me minime tanti ſunt ponderis, vt non in tuam ſententiam concedam, cuius auctoritatem mihi pro ſumma lege & ratione præſcripſi.] hactenus de his Faber, qui Chriſtiana modeſtia, magna animi demiſſione, amico victoriam cedit, qua iam prope potiturus videri poſſit. Sed nihil inferat præiudicij veritati adeo liberalis ab amico facta ſpontanea iuris ceſſio. Integrum (iterum dico) liberumq. eſto lectori, quam veriorem putat ſententiam, ſequi. Inter nos autem ita ſciat eſſe tranſactum, vt vincente veritate, cuius profeſſores atque cultores ſumus, victoriam aſſecutus vterque dicatur.

CVIII. Addijcimus ad hæc omnia corollarium, de vſu vini conditi ſanctis martyribus etiam propinati egregium exemplum ex Actis ſanctorum martyrum Fructuoſi Epiſcopi Tarraconenſis & ſociorum, quæ (vt ſuo loco dictum eſt) nouerunt atque probarunt S. Auguſtinus atque Prudentius. Hæc enim ibi leguntur: Cum ad locum vbi eſſent ſubituri ſupplicium ducerentur, cumq. multi ex fraterna charitate ei offerrent condimentum vti permixtum poculum ſumeret, ait: Nondum eſt hora ſoluendi ieiunium. Agebatur enim hora diei quarta, &c.] & de vſu & natura myrrhæ in potu quæ habet Fulgentius tertio Mythologiarum ex antiquis deprompta ſcriptoribus, vbi poſt multa de myrrhæ natura, hæc de condito ex ea confecto: Petronius Arbiter ad libidinis concitamentum myrrhinum ſe poculum bibiſſe refert.] citat & Subrium veterem comicum iſtud ipſum per Glyceram aſſerentem: vt plane appareat, non ſoporis inducendi cauſa, ſed ad remiſſas vires reuocandas, roborandaſq. in vſu fuiſſe ex myrrha conditum apud antiquos.

CIX. OBIECTIO FACTA QVOD MYRRHINVM NON SIT VINVM. Hæc quidem longius pertractare, præter ſententiam nobis accidit, cogente tamen neceſſitate ob emergentes poſt primam editionem ea de re quæſtiones. Qua item ratione & illi pariter de myrrhato vino obiectioni ſatisfacere æque tenemur, quæ ex Gellio, & qui eum citat, recentiore auctore, mota eſt: Myrrhina inter vina nequaquam recenſenda eſſe, eo quòd illis vti liceret Romanis mulieribus, quæ vini vſu interdictæ penitus eſſent: ſunt enim hæc Gellij verba[a]: Bibere autem ſolitas ferunt loream, paſſum, myrrhinam, & quæ id genus optant potu dulcia.] ſic ipſe. Errat, mea ſententia, qui ex hoc ſugillat Plinium[b], a quo mutati ſumus auctoritatem, quòd inter lautiſſima vina myrrhinam recenſuerit, quæ potius inter Dulcia tantum erat adnumeranda, quibus Romanæ feminæ patria lege abſtemiæ licite vti poſſent: errat, inquam, qui diſcreta putat eſſe ſpecie a vino Dulcia: nã appellatione Dulcium, contineri quoque dulcia vina, Paulus[c] I. C. expreſſe teſtatur, dum ait: Dulcibus legatis, ſapa, defrutum, mulſum, dulce quoque vinum, &c. legata videbuntur.] Quin & paſſum, quod inter Dulcia a Gellio recenſetur, non ſolum Plinij teſtificatione, vini nomine continetur, ſed & Vlpiani I.C.[d] cum ait: Si quis vinum legauerit; Oenomeli plane, id eſt, dulciſſimum vinum continebitur, & paſſum.] hæc ipſe. Nihil igitur prohibet, quin vini nomine ſignificentur hæc Dulcia: nec impedit, quo minus ex ſententia Plinij myrrhina inter lautiſſima vina atque etiam Dulcia recenſeatur. Nec quòd myrrhinam Romanæ feminæ licite biberent, negarim ob eam cauſam eſſe vinum: ſicut nec inficiari quiſquam poteſt paſſum eſſe vinum, quòd ſententia Gellij atque Varronis illud Romanæ mulieres lege abſtemiæ compotarent.

CX. Etenim hæc licet vina dicta eſſent; tamen eam ob cauſam quòd inebriare minime ſolerent, mulieres eis vti, haud vetitum erat: nam quòd eſſent ſui natura dulcia, nequaquam vim habebant inebriandi, ſed ebrietati potius reſiſtendi, quod Plutarchus[e] atque Macrobius[f] inter alios atteſtantur. Paſſum quidem, vinum perdulce, quod non inebriaret

a Gel. lib.10.c.23.
b Plin.lib.14.c.13.
c Paul. lib. 3. ſent.tit.7.§.73.
d l.9.ff. de trit. vin. & oleo leg.
e Plutar.ſymp. 3.q.1.
f Macrob.Saturnal.lib.7.q.7.

inebriaret, Romanas feminas citra delictum bibere potuiſſe, teſtatur Varro, ac proinde multo magis myrrhinam, quæ non tantum ob dulcedinem, ſed & ob ſui naturam (vt dictum eſt) abſque ebrietate mentem liberam conſeruaret. Ex quibus omnibus illud infertur, vina cuncta mulieribus Romanis vetita eſſe, illa vero tantum permiſſa, quæ aliqua arte confecta, effectaq. dulcia, eſſent inducendæ ebrietatis expertia, iuxta illam Plutarchi ſententiam: Dulcia admixta vino, reprimunt ebrietatem.] Ceterum & illud ſcimus; ſicut ex vinaceis preſſis, ijſdemq. aqua lotis loram confici, ita & paſſo vino peracto, ex aqua addita, teſte Plinio[a], effici ſecundarium paſſum: ſicq. potuiſſe accidere de myrrhina, vt priori vino educto, aqua iniecta ſuper reſidua, myrrhina alia conficeretur inſtar loræ, hiſq. Romanæ feminæ vti legitime poſſent: atque ita, ſi cui magis libet, Gellius interpretandus ſit, vt non ipſum primarium vinum, ſed quod ex aqua iniuncta vinaceis poſtea redderetur, iure Romanæ feminæ biberent, dum ipſe Gellius non loram ait, ſed loream, ſiue lorea: vt omnia ſcilicet, quæ ſpectarent ad loram, atque inſtar loræ confici ſolerent, nempe (quod Columella[b] teſtatur) vt dulcis aqua conijciatur ſuper vinacea vino preſſa, eis potare liceret. At hæc ſatis, immo ſuperflua ad ſignificandum myrrhinam recte ex Plinij ſententia inter vina lautiſſima recenſitam; cum alioqui non deſint innumeri plane teſtes, qui myrrhinam vinum appellent. His de myrrhato vino abſolutis controuerſijs, vt vnde digreſſa eſt reuocemus orationem: magna conſideratione dignum eſt, quod ſcribit Euangeliſta[c], Dominum myrrhatum vinum non accepiſſe: quippe qui prudens volenſq. omnes ærumnas ſponte ſuſceperat, quamlibet quauis occaſione oblatam conſolationem admittere recuſauit; cum e contra vinum felle mixtum ſaltem guſtaſſe[d], & oblatum calamo acetum accepiſſe, tradant Euangeliſtæ[e]. Sed reliqua proſequamur.

a Plin. lib.14. c.14.
b Colum.lib.12. c.40.
c Marc.15.
d Matth. 27.
e Ioan. 19.

Quod in primis ad Golgotha ſpectat, locum illum quo ad ſuppliciũ crucis ductus eſt Ieſus; hæc Hieronymus[f]: Locus, inquit, eſt Caluariæ, & vſque hodie oſtenditur in Ælia ad Septentrionalem plagam montis Sion.] Hunc eumdem eſſe montem, in quo Abraham iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac, ex maiorum traditione per generationes ſingulas ad poſteros dilapſa, complures antiquorum Patrum teſtantur, inter quos hæc Auguſtinus[g]: Hieronymus presbyter ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Iudæis ſe certiſſime cognouiſſe, quòd ibi immolatus ſit Iſaac, vbi poſtea Chriſtus crucifixus eſt. Denique ab eo loco, vnde B. Abraham iuſſus eſt proficiſci, tertio die ad locum vbi Chriſtus crucifixus eſt, peruenitur.] hæc de Golgotha Auguſtinus. Ceterum vbi hæc dixerit Hieronymus, non inuenimus, niſi tantum in commentarijs in Marcum[h], qui illi falſo attribuuntur. Beda[i] hæc in eamdem ſententiam: In loco autem illo, quo Abraham altare ad immolandum filium conſtruxit, menſa eſt lignea non parua, in quam pauperum eleemoſynæ ſolent a populo deferri.]

DE GOLGOTHA. f Hier. de locis Hebraicis.
g Aug.de temp. ſerm.71.
h Hier. in Mar. c.15.
i Beda de locis ſanctis c.2.

Cur vero idem mons Golgotha dictus ſit Caluariæ locus: maiores omnes antiquorum etiam firma acceperunt traditione, ſic eſſe nominatum montem illum, quòd ibi primus homo ſepultus ſit. Id in primis Tertullianus[k], in carmine quod ſcripſit aduerſus Marcionem, teſtatur his verſibus:

CXII.

k lib.2. contra Marcion.

ADAM IN GOLGOTHA SEPVLTVS.

*Golgotha * locus eſt capitis, Caluaria quondam:*
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit.
Hic medium terræ eſt: hic eſt victoria ſignum.
Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum:
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum, &c.]

Hæc Tertullianus. Origenes[l] etiam hæc in eamdem ſententiam: Locus Caluariæ dicitur non qualemcumque diſpenſationem habere, vt illic qui pro hominibus fuerat moriturus, moreretur. Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus: vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo qui dicitur Caluariæ locus, id eſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo, per reſurrectionem Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit.] hæc Origenes. Item & Baſilius[m]: Obtinuit, inquit, fama quædam in Eccleſia memoriã conſeruans, non quidem ſcripto proditam, quæ talis eſt: Quòd prima vtique Iudæa hominem habebat accolam: nimirum Adam, ſimul atque excidit delicijs Paradiſi, in hac terra collocatum, ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiã mortuum

l Orig.tract.35. in Matth.
m Baſil. in Euang. c.5.

hominem

Universidad de Deusto
Biblioteca

hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, sententiam condemnationis plene est executus. Itaque insolens esse ac nouum videbatur illius ætatis hominibus spectaculum, os capitis defluente carne nudum; at illi recondentes cranium, loco illi indiderunt nomen Cranion, id est, Caluariam. Probabili ratione potuit Noe non ignorasse sepulchrum principis huius, & mortalium omnium primigenij: siquidem de hac re fama a diluuio mox per Orbem propagata est ab ipso & dimanauit: coq. Dominus, excussa origine humanæ mortis, in Caluariæ loco est passus.] hucusque Basilius. Et ne singulorum sententias velut ex scripto recitando prolixiores videamur, nomina tantũ auctorum, qui eadem pene scripserunt, hic referamus, nimirum Athanasium [a], Epiphanium [b], Ioannem Chrysostomum [c], & alios recentiores Græcorum: ex Latinis vero, post Tertullianum, auctorem illum, siue Cyprianum, siue illi ferme æqualem, qui scripsit de Operibus cardinalibus, Ambrosium [d], Augustinum [e], & apud Hieronymũ [f] ad Paulam & Eustochium & Marcellam in hæc verba: In hac vrbe, immo in hoc tunc loco, & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam; vnde & locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Caluaria appellatur, scilicet quòd ibi sit antiqui hominis caluaria condita: vt secundi Adam, id est, Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam & iaqui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.] hæc ille.

[a] Athanas. de pass. & cruce.
[b] Epiph. hær. 46.
[c] Chrysost. in 1o. homil. 84.
[d] Ambros. lib. 5. epist. 9.
[e] Aug. de temp. ser. 71. & q. in Genes. 161.
[f] Hier. epist. 17.

CXIII.

Ipse autem Hieronymus [g] hæc ipsa recitans, haud libenter his adstipulari videtur, immo & contradicit, cum ait [h]: Audiui quemdam exposuisse Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc quòd Apostolus dicat: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Fauorabilis interpretatio, mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra vrbem enim, & foras portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, id est, decollatorum, sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est Dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij: et quo modo pro nobis maledictum crucis factus est, & flagellatus est, & crucifixus, sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Sin autem quispiam contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, vt sanguis eius super Adæ tumulum distillaret: interrogamus eum, quare & alij latrones in eodem loco crucifixi sunt? Ex quo apparet, Caluariam non sepulchrum primi hominis, sed locum significare decollatorum: vt vbi abundauit peccatum, superabundet gratia. Adam vero sepultũ iuxta Hebron & Arbee, in Iesu [i] filij Naue volumine legimus.] hæc Hieronymus.

[g] Hier. in epist. ad Ephes. c. 5.
[h] Hier. in Matthæum c. 27.
[i] Iosue 14.

DE HIERONYMI SENTENTIA.

CXIV.

At (tanti Patris in primis rogata venia) his nequaquam adduci possumus, vt quod non ab vno vel alio, sed ab omnibus fere antiquis Patribus, nec vt quidpiam recens excogitatum, sed a maioribus traditum & scriptum est, tam facile conuellamus: cum præsertim ea quæ ad hæc impugnanda inducit, non videantur esse huiusmodi quæ nos ab illis penitus dissentire compellant. Quid enim repugnat, vt locus ille, vbi primus homo sepultus dicitur, postmodum electus fuerit (quod in edito loco situs sit & Hierosolymis proximus) ad supplicia damnatorum? Nec illud probatur, a capitibus decollatorum, quòd illic truncarentur capita damnatorum, locum illum appellatum esse Caluariam: eiusmodi enim supplicium apud Hebræos nec lege esse sancitum, nec consuetudine inuenimus approbatum: apud Romanos enim erat in vsu, quos haud multo ante hæc tempora Iudæis dominari cœpisse, certum est. Rursum vero quod ad illum Adam pertinet, qui diuinæ Scripturæ testimonio dicitur sepultus in Hebron: haud putamus locum adeo patentem præterijsse tot disertissimos viros; vt adeo inconsulte, ne dicam temere, ea de primi parentis sepultura conscripserint, si existimassent tanto testimonio mendacij posse redargui, & accusari: nisi & ipsi sensissent, de altero potius Adam, quàm de primo omnium patre, diuinam Scripturam esse locutam.

CXV.

Hæc vero vt certiora habeantur, ipsa eiusdem ciuitatis origo ex eodem Scripturæ loco petenda est, quæ sic se habet [k]: Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.] hæc ibi. Porro Cariatharbe idem est, quod ciuitas Arbe. Fuit Arbe pater Enac, vt paulo inferius sequenti capitulo dicitur [l]. Enac vero fuisse gigantem, & parentem gigantum, habet liber Numeri his verbis [m]: Ibi, *in Hebron scilicet*, vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.] Ab Enac stirpem Enacim ipsos gigantes eadem

[k] Iosue 14.
[l] Iosue 15.
[m] Num. 13.

dem diuina Scriptura [a] nominare consueuit. Quòd igitur Adam maximus inter filios Enacim sepultus dicatur, non de alio quàm de vno ex gigantum numero, qui cæterorum maximus haberetur, quiq. Adam sit appellatus, dictum existimamus. Testatur Iosephus [b], adhuc temporibus suis monstrari solita ossa gigantum, qui in Hebron sepulti erant, adeo magna, qualia, inquit, vix credant, qui non viderunt ipsi. Persuadet id ipsum illud maxime, quòd inusitata sit ea in diuina Scriptura nomenclatura, vt primus omnium parens Adam sit maximus appellatus. Sed hæc de his satis.

[a] Deut. 1. 2. Iosue 11.
[b] Ioseph. antiq. lib. 5. c. 2.

CXVI. HIERVSALEM IN MEDIO TERRAE.

Quòd vero idem locus in medio terræ situs dicatur, ac secundum propheticum sermonem, Deus operatus sit salutem in medio terræ: Hieronymus [c] in illa Ezechielis verba: Hæc dicit Dominus Deus: Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras] ait: Hierusalem in medio mundi sitam, hic idem Propheta testatur, vmbilicum terræ esse demonstrans.] & inferius: Operatus est salutem in medio terræ: a patre enim Orientis cingitur plaga quæ appellatur Asia; a partibus Occidentis, eius quæ appellatur Europa; a Meridie & Austro, Libya & Africa; a Septentrione Scythia, Armenia, atque Perside, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est, vt quia notus erat in Iudæa Deus.] hæc Hieronymus. Iosephus [d] aliam inijt rationem, dum Iudæam describens, hæc ait: Media vero eius est Hierosolyma: vnde quidam non sine ratione vmbilicum eius terræ eam vocauerunt.] Victorinus Pictauiensis de eodem loco his agit versibus:

Est locus ex omni medium quem credimus Orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.]

[c] Hieronym. in Ezech. c. 5.
[d] Ioseph. de bello Iud. lib. 3. c. 2.

Beda [e], qui eadem Victorini recitat carmina, hæc ait: Columna celsa stat, quæ æstiuo solstitio vmbram non facit: vnde putant ibi mediam esse terram, & historice dictum: Deus autem ante sæcula operatus est salutem in medio terræ.] hæc ille. Sed profecto fieri non potest quod asserit Beda: nam si id ita esset, necesse omnino foret Hierosolymam ponere intra zonam torridam, & tropico saltem cancri subijcere: at ab illo longius abesse, omnes qui terras describunt, apertissime tradunt, & certissimis experimentis etiam nunc cognosci potest. Sed illud non male, vel Hierosolymam sitam in medio terræ habitabilis, vel in medio Palæstinæ. Animaduertit atque correxit eumdem Bedæ errorem noster Thomas Bozius vir cum primis eruditus.

[e] Beda de locis sanctis c. 2.

CXVII.

His igitur quæ ad Golgotha spectant, in hunc modum enarratis; quæ reliqua sunt passionis Christi, breui quodam compendio perstringam. Exuerunt [f] suis vestibus milites Iesum, easq. in quatuor diuiserunt partes, & quisque militum partem suam accepit: super tunicam vero inconsutilem miserunt sortem. Errare illos existimo, qui putarunt Christi vestem inconsutilem fuisse pretiosam: nam haud credendum est eius generis vestibus Dominum vsum esse, qui Ioannis prædicans sanctitatem, dixerat: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.] Vnde considerandum, quòd Isidorus Pelusiota ad Cratonem [g] scribens, hæc ait: Erat autem tunica eius desuper contexta per totum. Quis autem vestis illius vilitatem ignorat? vt qua Galilæorum pauperes vtantur: apud eos enim maxime huiusmodi vestis genus fieri solet, arte quadam, vt pectoralia, retractim consutum.] hæc Isidorus. Erat illa (ait Ioannes) inconsutilis: quod sane genus vestis haud facile scissuram patitur, quin tota pariter retexatur. Contextam illam fuisse a sanctissima Virgine, par est credere: nam in Oriente hominum vestes a feminis confici solitas, liber qui dicitur Esdræ testatur, cum ait [h]: Ipsæ faciunt stolas omnium hominum.] eadem etiam in Prouerbijs [i] de optima muliere dicuntur: Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.] & postea: Domestici eius vestiti sunt duplicibus.]

[f] Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Concord. c. 141. DE VESTE INCONSVTILI.
[g] Isidorus lib. 1. epist. 24.
[h] 3. Esdr. 4.
[i] Prouerb. 31.

CXVIII.

Sic spoliatum Redemptorem mundi cruci affixerunt tribus, vel (vt tradit Gregorius Turonensis) quatuor clauis: id quidem secundum antiquum crucifigendi ritum: nam Plautus [l]: Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit: Sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia.] Ceterum interdum martyres pluribus etiam clauis in cruce confixos, dicemus tertio Annalium tomo. At de Christo Domino nostro antiquiores imagines, quatuor ipsum affixum clauis repræsentant, nempe seorsum singulis pedibus singulis confixis clauis. Sed aliam sententiam de tribus clauis recentior probauit vsus.

[k] Greg. Turon. de glor. mart. c. 6. DE TITVLO CRVCIS.
[l] Plaut. in Mustell.

Post hæc autem scriptus est a Pilato causæ titulus, qui super crucem affigitur eo ordine CXIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dine quo ponitur a Ioanne, nempe Hebraice, Græce, & Latine, vt apparet in parte tituli, quæ Romæ extat: ita tamen, vt secundum ea quæ a nobis superius dicta sunt [a], & quæ I. C. habet [b], in ipsius ordine nobilior locus, ac proinde prior ille sit visus, qui Christo vicinior esset: sicq. Latina prior, nouissima vero Hebraica, vt quæ Græca inferior & barbara a Romanis haberetur, posita esset inscriptio. Siquidem apud eos in theatro locus infimus Senatorum, summus vero plebis [c], & in triumpho postremus Imperatoris, sed & in triclino nouissimus Consulis erat [d]; sicq. sedendo, procedendo, & recumbendo, locus vltimus primus esset. Crucifixi sunt cum eo pariter duo latrones, vnus a dextris, alter vero a sinistris. Tunc pro persecutoribus exorauit, dicens: Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Ad hæc, Principes sacerdotum, & qui cum eis erant, irridebant eum & blasphemabant: illudebant eidem & milites. Insuper cum & vnus ex latronibus, qui cum eo affixi cruci erant, conuiciaretur ei: mox alter illum blasphemantem redarguens, Christum confessus, se eidem commendauit. qui & ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in Paradiso. Stabat interim iuxta crucem Iesu Maria mater eius, & soror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene; aderat & Ioannes. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus. deinde discipulo: Ecce mater tua. et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

[a] supra an. 16.
[b] l. Accensi. ff. de fest.
[c] Sigon. de Iur. antiq. Rom. lib. 2.
[d] Plutarch. in Sympos. lib. 2. quæst. 3.

CXX. DE SOLIS DEFECTV.

Dum hæc agerentur, hora sexta [e] factæ sunt tenebræ super vniuersam terram, vsque ad horam nonam. Cumq. his addat Lucas Euangelista & Solem esse obscuratum; satis perspicue declaratur, non ipsam Iudæam tantum (vt aliquando Origenes [f] dixit) sed vniuersum plane terrarum orbem offusum fuisse tenebris. Porro ille ipse Origenes auctor huius sententiæ, cum agit [g] aduersus Celsum philosophum Epicureum, Christianorum hostem infensissimum, de admiranda tunc facta Solis eclipsi, non ex Euangelistarum testimonio, quibus Ethnicus homo non crederet, sed ex Phlegonte Hadriani Imperatoris liberto, insigni chronographo, de quo plura scribit Suidas, testimonium citat his verbis: De Sole autem Tiberij Cæsaris tempore obscurato, quo imperante Iesus creditur cruci fuisse affixus, & de magnis terræ tunc motibus factis, scripsit Phlegon in tertiodecimo vel decimoquarto (vt arbitror) de temporibus libro.] & inferius: Putat autem prodigij loco ducendum, quòd moriente Iesu contremuerit terra, & cuncta sint tenebris obuoluta: de quibus tamen, vt licuit, supra respondimus; cum & Phlegonta ipsum produximus, Saluatoris temporibus patientis, historiam fuisse complexum, &c.] porro ipsius Phlegontis verba Eusebius [h] recitat, sic dicens: Scripsit vero super his & Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, in libro decimoquarto ita dicens: Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ cæli visæ sint: terræq. motus in Bithynia Nicænæ vrbis multas ædes subuertit.] hæc Phlegon. Tertullianus [i] item aduersus Gentiles agens, non ex Euangelio testimonium, sed ex ipsorum scriptis adducit, cum ait: Eodem quidem momento dies, medium orbem signante Sole, subducta est: deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christum prædicatum nescierunt. Et tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis.] hæc Tertullianus. Lucianus [k] itidem aduersus Gentes agens: Perquirite, inquit, in Annalibus vestris, & inuenietis temporibus Pilati, fugato Sole, interruptum tenebris diem.

[e] Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.
[f] Orig. in Mat. tract. 35.
[g] Orig. contra Cels. lib. 2.
[h] Euseb. in Chron. an. 33. Christi.
[i] Tertul. in Apolog.
[k] Lucianus in Actis sui mar.

CXXI. QVID DIONYSIVS.

Quomodo autem ciusmodi Solis defectio facta sit, Dionysius Areopagita scribens ad Polycarpum, cum inuehitur in Apollophanem philosophum, narrat his verbis: Quid de illo, qui tempore crucis Dominicæ factus est, Solis defectu dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboq. simul incidentem mirabiliter Soli Lunæ globum notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsamque rursus ab hora nona ad vesperum, ad Solis diametrum supra naturæ vires restitutam. In memoriam autem illius reuoca etiam aliud quoddam: nempe enim (vt ipse non ignorat) eam Lunæ incidentiam ab Oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resilijsse notauimus: neque vero eadem ex parte, vt assolet, & incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. hæc sunt quæ tunc temporis contigere, naturam profecto superantia, ac soli Christo possibilia, qui auctor est omnium, facitq. magna ac stupenda, quorum non est nu-

A est numerus. ista illi, si licuerit, dicito.] hæc Dionysius ad Polycarpum.

CXXII. Idemq. de eadem re scribens ad ipsum Apollophanem, agit his verbis: Heliopolitu quidem pene mihi coæuus, & ego quinque & viginti fere annorum tempus exoluens, vna morantes constiteramus, cum feria quadam sexta, & hora etiam pene sexta, Sol horribilibus subito est obsitus tenebris, Luna ipsum intercurrente: quia non Deus, sed creatura Dei in ipsius veræ lucis occubitu lucere non potuit. Quærebam enim tunc apud te, qui mihi sane sapientissimus videbatis, quid ipse inde sentires: tu vero mirabili prudentia subintulisti, quod vsque adeo penetralibus mentis meæ alte inhæsit, vt nulla obliuione deleri, nulla vmquam valeat mortis imagine deterreri. Offusi enim tenebris ipsi eramus, orbem Solis vndiquaque & ex æquo occupante caligine: et postquam repurgatio & restitutio facta est, Luna ad Solis diametrum conuersa au-
B fugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi assumpsimus: Cumq. reperissemus, quod & erat notissimum, eo tempore Solem eclipsis molestias laboresq. minime perpeti debuisse, ac nihilominus Lunam ab Oriente solarem splendorem pullis nigrantibusq. velis obduxisse, cum soleat ex occidua parte Solem ingredi: tunc autem opifices lucis thesauros caliginibus, quas ipsa genuerat, ad occiduos vsque Solis fines peruagata (vt ipsi putauimus) occultauit: cum tamen & Lunæ id tempus deesset, nec coitus vicinum tempus esse cognosceretur: Aio ad te (neque enim adhuc mysterij tantæ rei conscius eram) O ingentis prudentiæ promptuarium: quid, inquam, o doctrinæ speculum Apollophanes, his secretis adscribis? Ad hæc, nescio quo pacto, diuino quodam afflatu, & non humani sensus sermonem subintulisti: Hæ, o bone Dionysi, diuinarum vicissitudines sunt rerum. Denique vero adnotatum diligenter feriæ diem, & annum,
C annunciatione quam sacer Paulus nostris attentis auribus insudit, consentientibus signis conspirare & concordare expertus, manus veritati submisi, & ex falsitatis nexibus sum absolutus: quam quidem veritatem mirifice effero, quam & tibi communico.] hactenus de his Dionysius.

CXXIII. De eodem quoque Solis defectu admirando Hieronymus [a] agit, Augustinus [b] etiam pluribus, qui & fuisse præter omnem naturæ ordinem, scribens [c] ad Hesychium, his demonstrat: Non erat, inquit, talis ille Solis defectus, quando Christus crucifixus est, & ideo vere mirabilis erat & prodigiosus. Pascha enim fuerat Iudæorum, quod nonnisi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundum autem Astrologorum numeros, certum est, Solem, quando Luna plena est, non posse deficere, sed quando finis est Lunæ; non quidem semper, sed aliter numquam, cum secundum illos numeros deficit. Quid
D ergo tale vmquam meminit apparuisse de cælo, ex quo Dominus illa prædixit, quale apparuit, quando passus est?] hæc Augustinus.

[a] Hieronym. in Ioel. c. 2.
[b] August. lib. quæst. nou. test. q. 105.
[c] Aug. epist. 80.

CXXIV. DE SPONGIA ACETO PLENA.

Cum hæc igitur agerentur, circa [d] horam nonam exclamauit Iesus voce magna, dicens: Eli Eli lammasabacthani? quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me? Postea dixit: Sitio. oblatumq. tunc acetum accepit. Hæc pluribus Euangelistæ. Quod ad propinationem aceti spectat, nulla inter sanctos Euangelistas est discrepantia, quantumlibet Ioannes dicat spongiam aceto plenam hyssopo circumpositam Christi ori admotam, Matthæus vero & Marcus eam arundini seu calamo tradant impositam; vt ex his quæ dicturi sumus, facile apparebit. Sed in primis illud perueſtigandum est: Quorsum hæc omnia parata ex industria erant, nimirum vas aceto plenum, spongia, hyssopus, & arundo? certe hæc non casu in monte extra vr-
E bem posito sunt inuenta. Sed si consideremus attentius, quis esset horum singulorum vsus ac virtus; rem integram procul dubio intelligemus; simulq. esse commentum certo sciemus, quod aliqui dixerint, ad accelerandam reorum mortem consueuisse Iudæos cruci affixis propinare acetum. Vt igitur de hoc primum agamus: virtutem a natura insitam esse aceto sistendi sanguinem, eamdemq. hyssopo simul & spongiæ inhærere, pluribus in locis testatur Plinius [e]: cuius est in primis locus egregius & ad rem de qua agimus valde accommodatus, cum ait acetum fasciculo hyssopi conditum sistendi sanguinis vim quamdam & efficaciam habere, siue spongiæ superponatur, siue ad potandum detur: tribuit & Dioscorides [f] eamdem aceto virtutem, cum ait: Acetum erumpentem vndecumque sanguinem potu sistit.] Si vero acetum iunctum sit hyssopo; maiorem inde haurire efficaciam ad sistendum sanguinem ex clauorum vulneribus manantem, cum pendenti in cruce spongia su-

[d] Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Concord. c. 143.
[e] Plin. nat. hist. lib. 23. c. 1. in fi.
[f] Dioscor. lib. 5. c. 4.

per

Universidad de Deusto
Biblioteca

per arundinem affixa admouetur, iure dici posse videtur. hæc quod ad potum pertinet.

CXXV. Verum non potu tantum, sed earumdem rerum applicatione, & facta vulneribus admotione, eadem hæc ipsa præstari solebant. De spongia quidem cum loquitur Plinius [a], hæc ait: Veteres spongiæ conglutinant vulnera.] & paulo post: Spongijs vulnera vtilissime fouentur.] ac rursum: Ipsæ inflammationibus vulnerum ponuntur nunc siccæ, nunc aceto consperſæ.] ac denique: Sanguinis profluuium sistunt ex accemos erat, vt gladiatori vulnerato, ad siccandum fluentem sanguinem spongia continuo ministraretur. Vnde Tertullianus [b] in libro de Spectaculis, de his mentionem habens, sic ait: Poterit & de misericordia moueri defixus in morsus vrsorum, & spongias retiariorū.] Id ipsum & in marmoribus nobiliter sculptis vidimus, nimirum Adonidi ab apro recenter vulnerato, continuo a ministro quopiam admotam spongiam, ac vulneri superpositam, vt fluentem cruorem sisteret. Habentur hæc in antiquo sarcophago ea historia egregie admodum effigiato, quod Romæ asseruatur in ædibus Tiberij Ceuoli, Via Triumphali.

[a] Plin. nat. hist. lib. 31. c. 11. VSVS SPONGIAE

[b] Tert. de spect. c. 25.

CXXVI. Sic igitur (vt ad rem, cuius causa huiusmodi est suscepta digressio, redeamus) ex industria omnia potiora medicamenta quæ sanguinem sisterent, a Iudæis parari solita, cum quis cruci affigeretur, satis superq. demonstratum esse videtur, elucidatūq. quod ait Ioannes [c]: Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.] in quo & magis veritati consentaneum esse videtur, quod ex Græco textu colligitur, & ex Theophylacto, qui hunc locū est interpretatus, acetum illud hyssopo fuisse permixtum, atque conditum, sicq. ex aceto & hyssopo spongiam fuisse imbutam, atque arundini affixam, ad potum Domino propinandum. Ceterum medicamentum illud sic compositum, non potus causa fuisse præcipue institutum putamus, sed magis vt eo sic infusa spongia recentibus admota vulneribus, fluentem largiter sanguinem continuo sisteret. Est & eius rei coniectura non leuis: quia (vt accepi ab his qui eam viderunt) spongia qua potatus est Dominus Iesus Christus, quæ vsque hodie summo honore asseruatur Romæ in basilica Lateranensi, quasi aliquando sanguine tincta fuisset, ruborem quemdam adhuc retinet, quem semel imbibisset: sicq. putamus madidam prius sanguine spongiam, atque prefam, aceto postea & hyssopo superinfusam (proh scelus) sacratissimo ori Domini propinatam. Verum quòd, cum accepisset, dixerit: Consummatum est: et inclinato capite tradidit spiritum: id non idcirco euenit, quòd eiusmodi potus sui natura (quod nonnulli perperam dixerunt) mortem accelerandi vim haberet; sed potius Deo sic dispensante, ne longiore vita reseruaretur ad crurifragium: quòd de eo prophetice scriptum esset: Os non comminuetis ex eo.] Quamobrem, quòd maxima omnium pœna crurifragium esse soleret: haud putamus, humanitatis intuitu, his ad sistendum sanguinem eos consueuisse vti remedijs, sed potius ferali sæuitia, vt sic diutius pœnis atque ærumnis cruci affixi distinerentur, ac demum crudelissima fractura ossium ante Solis occasum (vt mos erat) ad vesperum necarentur.

[c] Ioan. 19.

POST CRVCEM CRVRIFRAGIVM

CXXVII. Cum igitur (vt dictum est) acetum Dominus accepisset, dixissetq. [d], Consummatum est: clamans subinde voce magna, ac dicens [e]: Pater in manus tuas commendo spiritū meum: inclinato capite, tradidit spiritum. Tunc vero velum templi scissum est in duas partes, a summo vsque deorsum.] Quale autem eiusmodi genus veli esse soleret; præter illa quæ in diuina Scriptura de eo scripta leguntur, Iosephus [f], qui vidit, sic vna cum loco in quo appensum erat, describit: Interior porta inaurata erat, & circum ipsam auratus paries desuper habebat auratos pampinos, vnde racemi statura hominis pendebant, & fores habebat auratas, quinquaginta & quinque cubitis altas, sexdecim vero latas. Ad hæc aulæum longitudine pari, hoc est, velum Babylonium, hyacintho, & byssо, & cocco, & purpura variatum, admirabili opere factum, neque contemplationis expers colorum permixtione: cocco enim videbatur ignem imitari, byssо terram, & hyacintho aerem, & mare purpura, partim quidem coloribus, byssо autem & purpura origine; quoniam byssum quidem e terra, mare autem purpuram gignit: eratq. in eo perscripta omnis cæli ratio, præter signa.] hactenus Iosephus de velo exterius posito ante primum tabernaculum, vbi candelabrum erat, mensa, atque thuribulum: additq. alterum

[d] Ioan. 19. [e] Luc. 23.

[f] Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 6.

VELVM TEMPLI QVALE.

alterum fuisse velum, quo intima pars templi, quæ dicebatur Sancta sanctorum, operiebatur. Ex his quidem erroris arguuntur, qui existimarunt vnum tantum fuisse velum in templo. Porro hoc tempore conscissum fuisse velum exterius positum, quod erat cunctis perspicuum, & populum segregabat a sacerdotibus, Hieronymus [a] iure affirmat. Quid vero portenderit tantum prodigium, relinquimus interpretibus hæc fusius explicanda. Addit ad hæc S. Ephræm Syrus [b], cuius summam in scribendo fuisse auctoritatem, Hieronymus tradit [c]: tunc cum velum templi scissum est, columbam etiam e templo egredi visam esse.

[a] Hieron. epist. 150. q. 8.

[b] Ephram serm. de pass. Dom.

[c] Hier. de script. Eccles.

Tunc etiā & magnus factus est terræmotus, adeo vt ea concussione scissæ sint petræ: de quo testimonium ex Phlegonte ab Origene & Eusebio recitatum superius descripsimus. Meminit Plinius [d] sub Tiberio ingenti terræmotu dirutas esse duodecim ciuitates in Asia; ad quas subleuandas factam ab eodem Imp. tributorum remissionem, Suetonius tradit [e]; eadem & Dio [f]. Quæ cum ad hæc tempora passionis Domini referre conetur Orosius, plane a Tacito ac Dione arguitur, qui ambo sub Consulatu Cœlij Rufi atque Pomponij Flacci ea ponunt, anno Domini scilicet decimonono, Eusebius vero in Chronico anno vigesimo. Ceterum quis neget terræmotus hoc anno iterum repetitos, id ipsum præsertim post Euangelistas testante Phlegonte, etsi non Asiam tunc concussisse, certe in alijs Orbis regionibus sui magnitudine prodigiosos fuisse? De lapidibus eo terræmotu conscisis, hæc Cyrillus [g] Hierosolymorum Episcopus: Hactenus Golgotha monstrat, vbi propter Christum petræ scissæ sunt.] Porro non Hierosolymis tantum, sed & in plerisque alijs orbis terrarum partibus, scissos montes eodem terræmotu, incolæ firma traditione testantur, nempe in Hetruria montem Aluerniæ dictum, & prope littus Campanū Caietæ promontoriū. Ad hæc insuper addimus, tradere S. Hieronymum [h] ex Euangelio Nazaræorum, quod in Latinum transtulit, eodem quoque terræmotu templi superliminare collapsum esse: tum & Angelos præsides templi auditos esse, dicentes: Transeamus ex his sedibus.] id & Eusebius quoque tempore Christi passionis accidisse testatur; licet Iosephus ad Pentecostes referat tempus. Sed quàm facile homo ille, siue inconsiderantia, siue dolo malo in his quæ sunt temporis, errore lapsus inueniatur, superius sæpe demonstrauimus. Eodem insuper terræmotu & monumenta sepulchrorum aperta esse, & multa corpora sanctorum a mortuis surrexisse, Hierosolymamq. venisse (nam sepulchra foris erant posita) & apparuisse multis, Euangelica [i] docet historia.

[d] Plin. nat. hist. lib. 2. c. 84.

[e] Suet. in Tib. c. 48.

[f] Dio lib. 57.

[g] Cyril. Catech. 13.

[h] Hieron. epist. 150. q. 8.

[i] Matth. 27.

CXXVIII. TERRAEMOTVS TEMPORE PASSIONIS.

CXXIX. At quoniam de prodigijs agimus, non prætermittimus dicere quæ scribit Plutarchus his Tiberij temporibus accidisse, quæ & Eusebius [k] recitat (qualiacumque sint, fides esto penes auctorem) in hæc ipsa verba: De morte vero dæmonū, audiui ego ab Æmiliano, viro prudente simul atque modesto, quem credo multos vestrum cognouisse: Cum in Italiam pater suus nauigaret circa insulas, quas Echinadas appellant, flatu ventorum deficiente, noctu prope Paxas deueniſſe: cumq. omnes pene qui simul nauigabant, attentiores vigilarent; repente a Paxis insula vocem magnam auditā fuisse, qua * Thramnus quidā vocabatur; quæ vox nouitate rei omnes magno perculit miraculo. Thramnus enim ille qui vocabatur, homo erat Ægyptius, eius ipsius nauis gubernator: qui bis vocatus nihil respondit: tertio vero vocatus, morem gessit vocanti, atque respondit. Illum vero multo maiore voce sic exclamasse: Quando iuxta paludem fueris, annuncia tunc, Pana magnum mortuum esse. Qua re audita, magno dicebat Epitherses (sic enim Æmiliani pater vocabatur) omnes terrore perculsos fuisse. Cumq. dubitarent, vtrum obtemperandum esset voci illi, an non: hoc Thramni consilium ab omnibus approbatum esse: si secundi quidem spirarent venti, nihil esse dicendum; sin vero tranquillitas maris esset, & ventorum flatus, cum in eo loco essent, omnino deficerent, non esse retinenda quæ audiuere. Cum igitur iuxta paludem essent, quia nullus esset flatus ventorum, tunc Thramnum in mare pronum respicentem magna voce dixisse quæ audiuit: Magnus Pan mortuus est. Qua re nunciata, magnus multorum gemitus, immo vero innumerabilium, miraculo quodam commixtus subito auditus fuerat.

[k] Euseb. de præp. lib. 5. cap. 9. ex Plutarch. lib. de defect. oracul. DE ALIO PRODIGIO.

* Thamus

Et quoniam multi fuerant qui ea in naui nauigabant, cito ac facile cum Romam venissent, huiusmodi rei rumores vniuersam Vrbem repleuere; & a Tiberio Cæsare, qui tunc gubernacula Reipublicæ gerebat, Thramnum accersitum fuisse. Cui rei tan-

CXXX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam fidem Tiberius præbuit, vt philosophis, qui tunc Romæ reperti erant, accitis, diligenter quisnam esset ille Pan, ac curiose scrutaretur. Omnes autem illos quibusdam in idem conuenisse coniecturis, ac dixisse, de illo sibi videri nunciatum fuisse, qui a Mercurio & Penelope natus fuit. Cum hæc de morte Pan Philippus dixisset: nonnulli eorum qui aderant, eadem ipsa ab Æmiliano sene audisse se testabantur.] hactenus de Pane Eusebius ex Plutarcho. Hæc quidem ab aliquibus in eum sensum sunt accepta, vt Pan Christus Dominus vniuersorum intelligeretur, eiusq. mortem vt suam ipsorum cladem luxisse dæmones, quippe qui adhuc ipso viuente sæpius fuissent lamentati se ab ipso torqueri. Sane quidem, si rei gestæ fidem adhibendam esse putamus, nequaquam de illo Pane quem Gentiles colebant, ea possunt intelligi. nam si Panem, vt illi dicebant, hominem fuisse dixerimus; longe ante hæc sæcula ipsum obijsse humanum diem, certum est: si vero aliquem dæmonum fuisse affirmauerimus; intellectuales ipsas creaturas morti non subiacere, exploratissimum est. Sed ad Euangelicam historiam redeamus. A B

DE INTERITV PANIS.

CXXXI. Cum igitur tot tantaq. diuina operatione prodigia facta essent: Centurio[a] hæc videns, ac præcipue admiratus quòd Iesus voce magna clamans expirasset, glorificauit Deum, & publica confessione testatus, Vere, inquit, filius Dei erat iste. Omnes insuper his visis reuertebantur, præ dolore admissi facinoris pectora sua percutientes. Porro Centurionem hunc, Longinum nomine appellatum fuisse, Christiq. fidem secutum, abdicasse se a militia, ac denique ad martyrij palmam aduolasse, qui eius res gestas scripserunt[b], testantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eumdemq, cæcum fuisse militem illum, qui lancea latus Domini aperuit. C

a Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

DE CENTVRIONE.

b Extant apud Metaphrast. die 16. Octob.

CXXXII. Cum[c] vero appropinquasset initium dei sabbati, quem post horam nonam Iudæos publico signo auspicari consueuisse, Iosephi auctoritate superius demonstrauimus: ne remanerent in cruce corpora sabbato, cum alioqui a lege diuina statutum esset, vt appensi in paribulo[d] eadem die, & (vt addit Philo[e]) ante occasum Solis, sepelirentur: Iudæi adierunt Pilatum, vt iam viuentes adhuc in cruce, ex more, crurifragio necarentur, eorumq. corpora tollerentur. Aduenientes ad hoc milites, vtriusque latronis fregerunt crura, idem cum Iesu acturi: sed cum mortuum vidissent, abstinuerunt: vnus tamen militum lancea latus eius aperuit, ac continuo fluxit sanguis & aqua. Porro Dei genitricem, quæ cum ceteris prius enarratis feminis aderat, magna cum reuerentia collegisse, quantum licuit, sanguinem & aquam quæ e Domini latere fluxerat, ex antiquioribus monumentis recitat Metaphrastes[f]: qui & hæc insuper addit: Dicunt hi qui de his rebus tractarunt, eã ab initio vsque ad finem se fortiter atque constanter gessisse, honeste quidem, & non indecore vtentẽ motu animi. factis etiã ostendens se esse matrẽ, sed matrem omnino illius, qui motum animi certis finibus continuit: mortuumq. videns filium, eo motu animi vsa est, vt oportuit: quinetiam in eo de cruce deponendo maternis manibus inseruiuit, & clauos qui extrahebantur, in sinu suo accepit; & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis astringens, partim quidem suis lacrymis plagas emundans. Deinde tota toti corpori circumfusa: Ecce tibi ab omni sæculo præfinitum mysterium ad finem vsque venit, o Domine, placida voce dicit: et Iosepho in manus tradens sudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, vt sepulturæ tradens, hoc eum honeste componas, myrrha condias, & ei iusta facias.] hæc ille; addit q. Iosephum adhuc occultum discipulum propter metum Iudæorum, & timentem illos, hortatu tamen Deiparæ, grande opus ac plane arduum aggressum esse, & omni excussa formidine audacter introisse (vt ait Euangelista[g]) ad Pilatum, ac petijsse corpus Iesu. D E

c Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Concord. c. 144.

d Deut. 21.

e Philo de special. legib.

f Metaph. 15. Augusti.

DE S. DEI GENITRICE MARIA.

g Marc. 15.

CXXXIII. Scimus alios animi affectus in sanctissima Deipara expressos inueniri in tragœdia illa inscripta, Christus patiens, quæ ab eruditis Apollinaris Laodiceni potius, quàm Gregorij Nazianzeni esse opus, merito existimatur. Scimus præterea complura a S. Anselmo & alijs nonnullis pijs viris de Christi passione ferri, quæ ex deuota meditatione ac contemplatione potius, quàm ex historica antiqua veraq. narratione fluxisse noscuntur. Si quid autem alicui sancto viro diuinitus reuelatum fuerit, non reijcimus, sed his non ea miscemus, quòd non Apocalypsim, sed historiam conscribere, instituti ratio exigat. Sed iam reliqua prosequamur.

MEDITATIONES PIAE ET REVELATIONES.

Iosephus

A Iosephus[a] igitur, accepto Iesu corpore, sepulturam eius diligenter curauit: nam (sicut mos est Iudæis defunctorum corpora sepelire) mixtura myrrhæ & aloes librarum quasi centum conditum corpus Iesu & linteis inuolutum sepeliuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Ponendi autem in nouo sepulchro Christi corporis quænam ratio fuerit, colligitur ex compendio Thalmud, quod dicitur Alphesi, & Rabbinis Iacob Turim, & Moyse Ægyptio: qui aiunt, cadauera damnatorum vetita esse inferri in sepulchra ceteris communia, sed in priuata seorsum ab alijs esse ponenda: rursumq. separatim esse pariter sepelienda instrumenta illa, quibus mors illata fuisset, nempe cruces, clauos, enses, lapides, pro mortis genere, quo quis affectus esset: eaq. ratione vetitum pariter fuisse tradunt, aliquem suffigi arbori, sed ex ligno excisо iuberi componi crucem, eamdemq. seorsum sepulturæ mandandam cum reliquis ad mortem inferendam adhibitis instrumentis. In petra autem excidi solitas sepulturas apud Iudæos, iam superius dictum est: eamdemq. consuetudinem ad Christianos esse dilapsam, cœmeteria quæ tum Romæ, tum alibi in cryptis arenarijs sunt antiquitus institutа, fidem faciunt: in his enim, non in terra deorsum, sed desuper in lateribus cryptarum fornices sustinentibus, in excauatis ibi loculis reponi cadauera, moris fuit. B

a Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

CVR IN NOVVM SEPVLCHRVM IESVS.

CXXXIV.

Quænam vero in reliquis esset Iudæorum in mortuis sepeliendis consuetudo, quam in Christi sepultura esse seruatam Ioannes affirmat[b]: eam ex parte in defuncto Lazaro idem insinuat, dùm ait[c]: Ligatus pedes & manus institis, facies illius sudario erat ligata.] Addimus ad hæc insuper quæ Rabbi[d] Iacob memoriæ prodidit ex Rabbi Moyse Ægyptio: nimirum viros virorum, & feminas feminarum curare consueuisse cadauera, in hunc scilicet modum: oculos in primis & ora claudere defuncto, ac C stringere fascia, tondere capillos, corpus lauare, vnguentis vngere, hisq. delibutum cadauer obuoluere linteis, sicq. curatum ponere in sepulchro. Quod vero pertinet ad capillorum tonsuram, extat eius rei egregium monumentum apud Sozomenum[e] de corpore Zachariæ Prophetæ sub Honorio Imperatore diuinitus inuento atque refosso; vbi hæc inter alia habentur: Propheta vero tametsi sæculis iam plurimis sub terra iacuisset, viuus tamen adhuc apparebat, capite raso, naso oblongo, barba modice prominenti, &c.] Ponuntur item hæc ibi de puero regio apud eumdem inuento, qui creditus est Ioadis Regis filius, regali pompa tumulato: Iacebat, inquit, puer regali apparatu sepultus: habebat enim in capite coronam auream, & aurea in pedibus calciamenta, & vestem pretiosam.]

b Ioan. 19.

c Ioan. 11.

d Rab. Iacob in Turim Iore Deghn. c. 352.

MOS IVDAEORVM IN SEPELIENDO.

e Sozom. lib. 9. c. vlt.

Ceterum quod spectat ad sepulturam damnatorum: quòd maledictioni legis obD noxij essent, abstinebant pollinctores a capillorum incisione: ijdemq. ea quæ damnatorum corporibus inhæsissent, vna cum eis sepeliebant. qua ratione ducimur, vt existimemus, clauos spineamq. coronam eodem cum Domino esse sepulchro inclusam; crucem vero, quam locus sepulturæ non caperet, in propinquiori aliquo specu esse reconditam. Nec prætermittimus dicere, tantum olim excreuisse apud Hebræos impensam funerum, vt eius magnitudine cognati perterriti, relicto cadauere, se aliquando subducerent. Sed qui hæc idem Rabbi Iacob testatur, addit ea moderata fuisse a Gamaliele seniore, cuius tam in sacerdotibus quàm populo potissima auctoritas erat: eiusq. sententia factum est, vt nonnisi lineis linteaminibus, eisdemq. haud magni pretij, corpora defunctorum obuoluerentur: nec in his vllam esse rationem habendam cuiusuis ordinis & dignitatis, etiam si regali effulgeret amplitudine, voluit, eoq. E modo seipsum sepeliri mandauit: quod a posteris inuiolate idem tradit fuisse seruatum. Sed prosequamur cetera.

CXXXVI.

FVNERA IVDAEORVM.

CXXXVII.

Interea die sabbati inchoato, Principes sacerdotum & Pharisæi adierunt Pilatum, rogaruntq. muniri sepulchrum, & adhiberi custodiam, ne discipuli Iesu corpus auferrent, & resurrexisse falso iactitarent. Ille vero ad eiusmodi officium, vt perquàm diligenter curaretur, datis ad custodiam militibus, illis obtemperauit: qui abeuntes, munierunt sepulchrum, signanteq. lapidem, milites ad custodiam reliquerunt. Qualis fuerit eiusmodi sepulchri munitio, a Nicephoro sic describitur[f]: Primum, inquit, sigillum sepulchro est impressum, quod & intactũ permansit, & custodia militaris, illa & genere alienigena, quæ in propinquo sigillum obseruabat. Præterea ingens ille lapis ad os sepulchri appositus.] et paulo post: Traditum est nobis ab antiquis, Iudæos lapidem illũ, qui in salutiferum sepulchrum illud pro operculo positus fuerat, ad summum

DE CVSTODIA ET MVNITIONE SEPVLCHRI.

f Niceph. hist. lib. 1. c. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

monumenti labrum, petramq. inferne se illi coniungentem, ferramentis quibusdam A
fabrili lapicidarum arte perforasse, ferrumq. ingens a fabro ex propinquo acceptum
per vtrumque foramen immisisse, & in circuli siue annuli formam circumegisse, at-
que ita firmiter capitibus commissis, omni ex parte quasi vinculum circumduxisse, vt
lapis qualicumque modo loco suo reuelli, aut saltem ratione aliqua remoueri (nisi
arte quadam & vi adhibita, necessario aut ferrum confringeretur, aut petra rumpere-
tur) non potuerit: atque in hunc modum cum magna cura, atque etiam signo im-
presso, cum sepulchrum firmissime communissent, custodia insuper competenti ad-
a Beda de locis sanctis c.2. hibita, eos abijsse.] hæc Nicephorus. His consentientia testatur Beda[a], dum ait,
etiam suis temporibus illum superpositum lapidem monstrasse vestigia ferreorum
vinculorum.

CXXXVIII. INSTRVMENTA PASSIONIS. Remanserunt omnia illa passionis Christi atque sepulchri instrumenta, ipsaq. lo- B
ca vbi hæc facta sunt, tantæ rei digna memoria consecrata, velut quædam trophæa
victoriæ, eademq. facta toto Orbi conspicua, atque proficua, ex quibus velut e peren-
nibus quibusdam fontibus fluenta gratiarum atque miraculorum eruperint. Ipsas
spinas coronæ Iesu, columnam ad quam alligatus est cum flagellis cæderetur, arundi-
nem, atque spongiam qua fuit aceto potatus, magna fuisse diligentia asseruata, tra-
b Greg. Turon. de glor. martyr. c. 7. dit Gregorius[b] Turonensis, simul & Beda[c]. Tunicam etiam illam inconsutilem, a
militibus sorte datam, a Christianis redemptam & conseruatam, auctor est idem Gre-
c Beda de locis sanct. c.20. gorius Turonensis[d], qui suis temporibus in Galatia fuisse repositam tradit. Ipsum su-
d Greg. Turon. de glor. martyr. c. 8. darium insuper, quo caput Domini est inuolutum in sepulchro, quod diuina virtute ab
incendio remanserat illæsum, esse translatum ad posteros, Beda[e] testatur. Ab hoc di-
e Beda de locis sanctis c. 5. uersum sudarium illud existimatur, quod a Berenice faciei Domini sanguine & sudo- C
re aspersæ admotum, eiusdem Dominici vultus effigiem in se retinuit, vt habet Chri-
stiana traditio, & libellus manuscriptus de translatione eius Romam facta, qui as-
seruatur in Vaticana bibliotheca, testatur. De eadem Berenice, quæ & Veronica dicta
habetur, deq. eadem Christi imagine velo excepta, Methodius Episcopus antiquus
f Apud Marian. Scot. in Chron. anno Dom. 29. chronographus meminit[f]. Permansit integra, diuina operante virtute, illæsaq. hac-
tenus sanctissima sindon illa, quæ corporis Domini nostri Iesu Christi deliluta vn-
guento, in sepulchro posita fuit veluti operimentum & stratum, quæ & in se ima-
ginem in sepulchro Domini iacentis expresit, asseruaturq. summo honore in eccle-
sia Taurinensi.

CXXXIX. Sed quid de ipsa sanctissima Cruce Domini dicam, quæ quantumuis siue Iudæo- D
rum inuidia, siue alia causa diutius occultata subtus terram permanserit, tandem sic
diuina prouidentia disponente, in lucem prodita, fulgoris sui radijs vniuersum Or-
bem illustrat, adeo vt vix sit reperiri personam & locum, in quo non sit aliqua eiusdem
g Paulin. ad Seuer. epist. 11. sacratissimi ligni particula? Nam & S. Paulinus[g] hæc de ipsa testatur, sic dicens: Quæ
DE CRVCE, ET TERRA SEPVLCHRI. quidem Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris
pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, vt detrimenta non sentiat, &
quasi intacta permaneat, quotidie diuidua sumentibus, & semper tota venerantibus.
sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem de illius profecto car-
nis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.] hæc Paulinus. At
h Cyrill. catech 10. Cyrillus[h]: Lignum Crucis, inquit, testatur ad hodiernum diem apud nos apparens,
& apud eos, qui secundum fidem ex illo capientes, hinc vniuersum Orbem fere iam
repleuerunt.] E

CXL. Terra ipsa insuper, quæ Domini adiacet sepulchro, diuinam quamdam ex Domi-
nico corpore proxime posito virtutem hausit; vt merito Fideles illuc peregrinantes
auide solerent accipere, qua tum ad morbos curandos, tum etiam ad dæmones persu-
i S. Augustin. de Ciuitj Dei lib. 22. c.8. gandos vti consueuerint. Est eius rei locuples testis S. Augustinus[i], dum hæc ait de
DE TERRA SEPVLCHRI. Hesperio viro Tribunitio: Acceperat autem ab amico suo terram sanctam de Hieroso-
lymis allatam, vbi sepultus Christus die tertio resurrexit; eamq. suspenderat in cubi-
culo suo, ne quid mali etiam ipse pateretur. At vbi domus eius ab illa infestatione
purgata est, quid de illa terra fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo suo reueren-
tiæ causa habere nolebat. Forte accidit, vt ego & collega meus Episcopus Sinicensis
Ecclesiæ Maximinus in proximo essemus: vt veniremus rogauit, & venimus: cumq.
nobis omnia retulisset, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi orationum
locus

A locus fieret, vbi etiam possent Christiani ad celebranda quæ Dei sunt, congregari.]
hæc Augustinus: ex quibus videas antiquam Christianorum pietatem, qui non modo
loca illa sancta, in quibus Dominus est conuersatus & passus, ædificiorum molibus il-
lustrarint, sed tenuem ex sepulchri loco sumptum puluisculum eodem honore haben-
dum existimarint, adeo vt eiusdem condendi causa etiam ecclesiam excitarint. Ex ea-
dem terra, aqua admixta, formari consueuisse tortulas quasdam, easdemq. per diuer-
sas mundi partes transmitti solitas ad morbos curandos, aliasq. diuinas gratias impar-
a Greg. Turon. de glor. mar. c.7. tiendas, testatur Gregorius[a] Turonensis. Atque de his satis.

CXLI. DE ANNO CHRISTI PASSIONIS. Quod reliquum est, antequam de resurrectione Domini historiam aggrediamur,
operæpretium existimamus de ipso tempore passionis Christi, quo potissimum an-
no ætatis suæ sit passus, narratione breui quædam examinantes, perquirere; cum præ-
B sertim (vt sæpius diximus) ex certa ratione temporum, historiæ veritas soleat maxi-
mopere confirmari. De anno itaque, quo passus est Christus, quidam agentes, exor-
bitarunt absurde nimis, cum putarent eum cruci affixum natum annum quadragesi-
mumsextum: idq. nulla habita ratione temporis quando sit natus vel passus; sed tan-
tum quòd eo annorum numero ædificatum fuerit templum, quod ipsius Christi ty-
pum gerebat. Horum errores Augustinus refellens, hæc ait[b]: Per Olympiadas & Con- *a Aug. de doctr. Christ. lib. 2. c. 28.*
sulum nomina, multa sæpe quæruntur a nobis; & ignorantia Consulatus quo natus
est Dominus, & quo passus est, multos coegit errare, vt putarent quadragintasex an-
norum ætate passum esse Dominum, quia per tot ædificatum esse templum, dictum est
a Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum triginta fere bapti-
zatum esse, retinemus auctoritate Euangelica: sed postea quot annos in vita egerit,
C quamquam textu ipso actionum eius animaduerti possit; tamen ne aliunde caligo du-
bitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio liquidius certiusq. col-
ligitur. Tunc enim videbitur non frustra dictum esse, quòd quadraginta & sex annis
templum ædificatum sit: vt cum referri iste numerus ad ætatem Domini non po-
tuerit, ad secretiorem institutionem humani corporis referatur, quo indui propter
nos dignatus est vnicus Dei Filius, per quem facta sunt omnia.] hucusque Augustinus.

CXLII. Rursus vero & inde irrepsit error, vt, cum Iudæi ad Dominum dixerint[c]: Quinqua- *c Ioan. 8.*
ginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?] quasi huic ætati proximus accessis-
set: scriptum inueniatur apud Irenæum[d], passum Dominum post annum suæ ætatis *d Iren. lib. 2. c.39.*
quinquagesimum. Hæc licet apud ipsum legantur; quòd ab ipso sint scripta, nega- DE CHRISTI ÆTATE SENTENTIAE.
D. mus omnino: nam eodem capitulo superius his contraria profitetur, cum baptiza-
tum Dominum dicit existentem annorum triginta, ac subinde tria numerat Paschata,
quorum tertio ipsum Iesum esse passum affirmat; quibus temporibus Dominum prædi-
casse Euangelium, testantibus id ipsum quatuor Euangelistis. Augetur insuper de
impostura suspicio, dum auctor in fine confirmare ac stabilire nititur tam patens men-
dacium maiorum auctoritate, discipulorum nempe Ioannis, qui id ipsum ab eo acce-
perint, & ab alijs Apostolis; cogens in primis in hunc modum Euangelium per Ioan-
nis discipulos, ac ipsum denique Ioannem, ceteroq. Apostolos manifestissimo errori
adstipulari ac consentire.

CXLIII. TERTVLLIANI SENTENTIA. Fuit ea præterea Tertulliani de anno passionis Christi sententia, ipsum subijsse cru- *a Tertul. aduers. Iudæos c.8.*
cis supplicium anno suæ ætatis trigesimo: idq. profitetur scribens aduersus Iudæos, sic
E dicens[e]: Huius (*Tiberij videlicet*) quintodecimo anno Imperij passus est Christus, an- *f Tertull. cont. Mar. lib. 1. c. 15. & notat. Pamel.*
nos habens quasi triginta cum pateretur.] Nec est quòd dici possit textum esse depra-
uatum, ac legendum esse loco, passus, baptizatus: nam cum[f] ipse agens contra Mar-
cionem affirmet ipsum reuelatum esse, hoc est, auspicatũ prædicationem Euangelicam
anno duodecimo Tiberij Imperatoris, plane significat triennio prædicationis perue-
nisse ad annum decimumquintum eiusdem Imperatoris. Sed & dum illud ipsum tem-
pus Consulibus signat; quid in ea re senserit, manifestissime declaratur; sic enim ait[g]: *g Tertull. aduers. Iudæos c.8.*
Passio huius exterminij intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Ti- *h Tacitus, Dio, & alij.*
berio Cæsare, Coss. Rubellio Gemino & Fusio Gemino, mense Martio, temporibus
Paschæ, die octauo Kal. Aprilium.] hæc ille. Porro hi Consules reperiuntur inijsse
Consulatum ipso anno[h] decimoquinto Tiberij Imperatoris, qui numeratur a nobis
Christi trigesimusprimus, quo inchoato est baptizatus. Ceterum huius sententiæ
non Tertullianus, sed primus assertor videtur fuisse Valentinus hæresiarcha, de quo

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Epiph. hæres. 51.

hæc Epiphanius [a]: Primus Valentinus, qui triginta nobis sæcula confinxit, ab eo quòd A
triginta annos educationis vitæ ac virilis ipsius ætatis fuisse putauit, ignorans quòd
non solum triginta annos compleuit, &c.] Complures antiquorũ legentes apud Ter-
tullianum his Consulibus consignatum esse annum passionis Christi, nec aduertentes
[b] Africa. lib. 5. apud Hier. in Daniel. c. 9 ipsum errore lapsum, aperta in hunc modum semel erroris via, & ipsi in eumdem la-
[c] Lact. lib. 4. c. 10. pidem offenderunt, affirmantes Christum Dominum ijsdem Consulibus passum esse.
[d] Hier. in Dan. c. 9. & epist. 22. prope finem. Fuerunt hi scriptores non ignobiles, sed spectatissimi in Ecclesia Dei, nimirum Iulius
Africanus [b] in eo libro quem scripsit de Temporibus, Lactantius [c], Hieronymus [d]
[e] Aug. de Ciu. Dei l. 18. cap. vlt. item: sed & Augustinus [e] etiam sub ijsdem Coss. a Tertulliano appositis Christum pas-
[f] Aug. epist. 80. sum esse confirmauit; qui & ad Hesychium scribens [f], hæc ait: A natiuitate Domini
[g] Seuerus hist. li. 2. computantur anni ferme quadringenti viginti; a resurrectione autem vel ascensione B
[h] Clem. Alex. lib. 1. Strom. eius, anni plus minus trecenti nonaginta.] Ex quibus plane videas, ætatem Christi
circa annum trigesimum ea ratione terminasse. sic & Seuerus [g]. Ex Græcis antiquior
Clemens [h] Alexandrinus, trigesimo impleto anno, eumdem crucis supplicium sub-
isse tradit.

CXLIV. DE TEMPORE PRAEDICATIONIS CHRISTI. Fuit & opinio Gnosticorum [i], qua affirmabant, Dominum nostrum anno tantum
Euangelium prædicasse. Apollinaris Laodicenus [k] diuersæ fuit sententiæ, Christum di-
cens biennio post baptismum prædicasse: quem secutus videtur Cassiodorus [l]. Id ipsum
[i] Iren. aduers. hæres. lib. 2. c. 28 visus est sensisse Cyrillus [m] Alexandrinus, dum tradit, Christum duobus annis docen-
[k] Apud Hieron. in Dan. c. 9. do peragrasse Iudæam. Philastrius [n] vero Christum vixisse vno & triginta annis tradit,
[l] Cassiodorus in Chron. quod Seuerus probat, totidem annos Christo tribuens, vt videre est, si ad calculum re-
[m] Cyril. in Isa. cap. 29. ducas annos Christi ex numero annorum Regum Iudæorum ab ipso computatos. Sed
[n] Philast. de hæres. c. 107. & S. Gaudentius Episcopus Brixianus in tractatu tertio de prima Dominica Paschæ C
hæc expressius: Anniculus est (*Christus nempe*) quia post illud baptismum, quod pro
nobis in Iordane susceperat, vsque ad passionis suæ diem, vnius anni tempus impleuit,
& illa tantum scripta sunt in Euangelijs, quæ in illo anno vel docuit vel fecit, &c.] His
[o] Oros. lib. 7. c. 4. proximus accedit Orosius [o], dum anno decimoseptimo Tiberij Imperatoris Christum
Dominum passum affirmat: fuerunt & huius sententiæ nonnulli ex recentioribus,
quos recensere prætermittimus.

CXLV. EPIPHANII SENTENTIA. S. Epiphanius [p] per Consulares Fastos Christi annos enumerans, Redemptorem no-
[p] Epiph. hæres. 51. strum passum esse tradit anno suæ ætatis trigesimotertio, dum ait: Comperitur trige-
simotertio anno aduentus incarnationis suæ Vnigenitus passus esse.] et post multa: Tri-
gesimotertio suæ dispensationis in carne, postquam transgressus est duos Consulatus
quos diximus, duorum Geminorũ, & Fusij ac Rubellij, deinceps in tertio Consulatu, in D
tertio ipsius mense post Ianuarium & Februariũ, in mense Martio perfecit mysterium
passionis.] Sed plane constat ipsum in mendaces Fastos incidisse, cum anno trigesimo
Domini alios diuersos ponat Consules, distinguatq. Consulatum duorum Geminorum
a Consulatu Rubellij & Fusij; sic etiam superius dicens: Post illum Consulatum, qui
trigesimo ipsius anno indicatus est, Siluani scilicet & Neruæ, alius Consulatus fuit duo-
rum Geminorum appellatus; deinde alius Fusij & Rubellij: & sic in medio Consulatu
eo, qui post Rubellij Consulatum successit, Vinucij & Longini Cassij appellatus, pati-
tur Saluator ante diem decimumtertium Kal. Aprilis.] hæc ipse: cum tamen liqueat
omnium antiquorum assertione & tabulis Consularibus, duorum Geminorum Consu-
latum fuisse Rubellij & Fusij Geminorum.

CXLVI. Sunt plerique alij, qui dixerunt Dominum nostrum passum anno trigesimotertio E
suæ ætatis per tres menses inchoato: Sed cum eo potissimum innitantur fundamento,
quòd Dominus fuerit baptizatus ipso trigesimi anni exordio: cum in hoc errent, in ce-
teris quoque deducendis annis errare, non mirum est. Sane quidem ipsum Domi-
num nonnisi expleto anno suæ ætatis trigesimo, & trigesimoprimo inchoato, esse
baptizatum, superius ex Olympiadum supputatione, Consulum positione, Patrum
auctoritate, & Romanæ Ecclesiæ testimonio satis demonstratum est, cum de anno
Christi primo disseruimus; ad quæ, qui ista vberius scire cupit, remittimus: fixa enim
semel chronologia, quoto Christus natus est anno, ceteri qui inde sequuntur anni
facile dinumerantur. Attamen quia cupidi facilitatis sumus, & in hoc totis viri-
bus elaboramus, vt vnusquisque veritatem manu attingere, & quasi attrectare pos-
sit; eadem aliqua saltem ex parte repetere, potissimum quæ adeo vera ac necessa-
ria sunt,

A ria sunt, non vitamus: nam etsi certe quæ sunt dicta satis esse possent ad tempus ipsum
passionis colligendum; tamen ne etiam suo loco hæc prætermisisse videremur, aliqua
repetere, & alia quoque addere instituimus. Res est in confesso apud omnes recentio-
res, qui exactiori diligentia Paschata ab Euangelistis recensita numerarunt, post baptis-
mum Christi quatuor per annos singulos esse Paschata reuoluta, de quibus singulis per
singulos annos, vt res postulabat, egimus. Hæc cum ita se habeant, exacteq. proba-
tum sit primum Pascha a Ioanne recensitum incidisse in annum Domini trigesimum-
primum: concludendum necessario erit, vltimum, quo passus est, in annum eius æta-
tis trigesimumquartum incurrisse.

Quòd ab his recentiores aliqui dissentiant, non ea ex causa factum est, quòd negent CXLVII.
B quatuor Paschata in Euangelio esse descripta, sed quòd putarint (vt dictum est) ab an-
no trigesimo primum esse Pascha numerandum, Ignatij textus vitiosa translatione de-
cepti: cum tamen verba in epistola ad Trallianos in hunc modum conscripta habeant-
tur, vt iam explicauimus alias, cum de his egimus: ὡς ἔτους κλ. ἄρξας ὁ ἅγ. πολυκάρπιος, IGNATII FIRMA SENTENTIA
ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου: Et expletis tribus annorum decadibus, baptizatus est a Ioanne.]
post hæc vero idem Ignatius hæc subdit: Et vbi triennium prædicauit Euangelium, si-
gna & prodigia patrauit, a falsis Iudæis & Præside Pilato iudicatus est, &c.] quibus
plane significatur, Christum passum esse annos natum trigintaquatuor. Itaque Igna-
tius proximus ætati Christi, immo qui eadem vixit ætate, qui & Christum post resur-
rectionem se vidisse in carne testatur, scribens ad Polycarpum (qui locus a Hieronymo
citatur [a]) nostræ sententiæ non tantum assertor, sed auctor habetur, qua dicitur Chri- [a] Hieronym. de script. Eccles. c. 16.
C stus affectus supplicio crucis anno trigesimotertio ac mense tertio suæ ætatis: Nam ex-
pleto anno trigesimo esse baptizatum, & triennio prædicationis euoluto esse crucifi-
xum, ex eius sententia affirmare necesse est; eumdemq. Redemptorem nostrum in hu-
manis fuisse annis trigintatribus, & quod supereſt a natalis tempore vsque ad ipsum
mensem Martium: quam sententiam in hisce nostris Annalibus profitemur. Sed quo
istæc certiora reddantur; quibus nos adhuc persuasi, hanc potius quàm aliam sectati
fuerimus sententiam, dicere prosequamur. Non immorabimur autem in refellendis
de ea re multorum sententijs, qui vel trigesimo, vel trigesimoprimo, siue secundo, vel
tertio suæ ætatis Christum crucifixum esse dixerunt: nam nostris rebus firmiter stabili-
tis, sua sponte contraria quæque corruant necesse est.

Huius sententiæ, qua Christus asseritur cruci affixus anno suæ ætatis trigesimoter- CXLVIII.
D tio, & mense tertio, nequaquam quidem (prout multi existimant) fuit Beda primus as-
sertor, cuius Ignatium fuisse auctorem diximus, qui potius sectator accesserit, vt eius-
dem auctoris assertione probatur: nam eius sententiæ ipsam Sanctam Romanam Ec- ECCLESIAE ROMANAE SENTENTIA.
clesiam assertricem & obseruatricem fuisse (quod ceteris omnibus præstare debet auctо-
ribus) idem [b] ipse testatur his verbis: Habet, ni fallor, Ecclesiæ fides, Dominum in car- [b] Beda de rat. temp. c. 45.
ne paulo plus quàm triginta tres annos, vsque ad sua tempora passionis, vixisse.] & in-
ferius: Sancta siquidem Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere & ipsis te-
statur indiculis, quæ suis in cereis annuatim scribere solet; vbi tempus Dominicæ pas-
sionis in memoriam populis reuocans, numerum triginta annorum semper & tribus
annis minorem quàm ab eius incarnatione Dionysius ponat, adnotat. Denique ann o
ab eius natiuitate, iuxta Dionysium, septingentesimosecundo (*non* [c] *primo, vt habent de-* [c] Vt etiam reſtituit Scalig. lib. de emend. temp.
prauatæ exemplaria) indictione quartadecima, fratres nostri, qui tunc Romæ fuere,
E hoc modo se in natali Domini in cereis Sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descrip-
sisse referebant: A passione Domini nostri Iesu Christi anni sunt sexcenti sexagintaocto.
Quoniam igitur (vt supra memorauimus) quingentis triginta duobus annis circulus
Pascahalis circumagitur: his adde trigintatres, vel potius trigintaquatuor, vt illum ip-
sum quo passus est Dominus, attingere possis annum, fiunt quingenti sexagintasex: ip-
se est ergo annus Dominicæ passionis & resurrectionis a mortuis.] hactenus Beda, ex
quibus concludit Dominum nostrum passum esse post trigesimumtertium annum,
& menses tres. Nec ab his discrepat (quod multi putant) quòd alibi dicat Chri-
stum natum quadragesimosecundo [d] Augusti anno, & decimooctauo Tiberij passum: [d] Beda de sex ætatibus.
nam numerando annos Augusti a nece Cæsaris, & inchoando annorum Christi nu-
merum a dictis Consulibus Lentulo & Messalino, æque inter se consentiunt Chri-
stum passum anno suæ ætatis trigesimotertio expleto, & amplius tribus mensi-

bus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus, idq. accidisse anno decimooctauo Tiberij Imperatoris. A

CXLIX. Denique (vt paucis dicam) quotquot dixerunt Christum natum quadragesimo secundo Augusti anno, ac passum decimooctauo Tiberij (quorum est ingens numerus) huic nostræ sententiæ æque consentiunt; sed in numero annorum Christi illi a nobis discrepant, qui parum attente considerantes quando natus & baptizatus est Christus, trigintaduos annos & tres menses tribuunt eius ætati: quod quantum a maiorum assertione, vsu Ecclesiæ, & germana Euangelij interpretatione abhorreat, est dictum superius. Non tantum igitur (vt diximus) his nostris fauet Ecclesia Romana, adstipulatur & Beda, sed & Marianus [a] Scotus, qui ante quingentos vixit annos, nobilis chronographus assentitur, qui & sub dictis Coss. Christum natum, annoq. Tiberij decimooctauo passum, annum suæ ætatis agentem trigesimumquartum per tres menses inchoatum, testatur. Id ipsum etiam Victorinus, qui a baptismo Dominico vsque ad vltima Iustiniani Imperatoris tempora per Coss. Paschales cyclos perducens, in anno trigesimoquarto Domini, ex aduerso laterculi annum passionis Domini adnotauit. Græcos itidem in eamdem ire sententiam certum est; Chrysostomum in sermone de Ioanne Baptista, Nicetam, Cedrenum, & alios. Videas & perbelle his respondere a Hieronymo [b] assertam chronographiam, quam Romanæ Ecclesiæ potius quàm Hieronymi esse dixerimus [c]; quippe qui passum dixerit Dominum (vt dictum est) anno trigesimo. Sed cum ait a passione Domini vsque ad secundum Neronis annum, quo Paulus Romam mittitur, annos excurisse vigintiquinque, rursumq. numerat ab eadem passione Dominica vsque ad eiusdem Neronis Imperatoris annum decimumquartũ annos triginta septem: omnia ad amussim (vt aiunt) dictæ a nobis assertæ respondent Romanæ Ecclesiæ chronographiæ, illi traditæ haud dubium ab Apostolorum Principibus, qui eamdem suo sanguine consecrarunt: appellat enim eam S. Irenæus locuplex Petri & Pauli depositorium, in quod illi omnia quæ sunt doctrinæ & traditionum intulerunt; vt nulli sit dubiũ, eosdem tempus ætatis quo passus est Christus, ijs qui tunc Romæ erant, Christianis notum fecisse.

[a] *Marian. Scot. in Chron.*

CONFIRMATA VSV ASSERTA CHRONOGRAPHIA.

[b] *Hieron. de script. Eccles. c. 3. in Paulo.* [c] *Panuin. in Fastis.*

B C

CL. Ex his igitur tam ex antiquo Romanæ Ecclesiæ vsu, maiorum traditione, Ignatijq. in primis, qui sæculo Christi vixit, assertione, & complurium tum Latinorum tum Græcorum auctorum adstipulatione, satis superq. firmatum ac stabilitum habemus, passum Dominum nostrum anno suæ ætatis trigesimotertio & mense tertio, agente Tiberio in Imperio annum decimumoctauum. Qui vero consentiunt passum Christum dicto suæ ætatis anno, sed Tiberij decimonono, inde illis erroris causa accidit, quòd tempus quo natus est Christus, parum exploratum habuere, vitiosaq. Ignatij textus translatione decepti, natum dixerunt eũ sub Augusto & Siluano Coss. Id ipsum etiam illis errandi tribuit occasionem, qui æque nobiscum sentiunt passum Dominum anno Tiberij decimooctauo, sed tamen suæ ipsius ætatis trigesimotertio per tres menses inchoato, quòd natum putant Dominum sub dictis Consulibus. D

CLI. Vnum est tamen quod his obstare videtur, nempe Phlegontis auctoritas, dum ait anno quarto Olympiadis ducentesimæsecundæ factũ esse illud præter naturæ ordinem Solis deliquium: cumq. Olympiaci anni numerari incipiant a solstitio æstiuo circa finem mensis Iunij; quartus annus dictæ Olympiadis inchoatus dicto anno decimooctauo Tiberij Imp. in decimumnonum eiusdem producitur, adeo vt ea defectio Solis non sit facta hoc anno decimooctauo, sed sequenti decimonono. Haud enim putamus hæc præterijsse Eusebium [d], qui ad verbum testimonium Phlegontis recitat, exacteq. Olympiadas supputat, & tamen secundum eiusdem sententiam passum ponit Dominum anno decimooctauo eiusdem Imperatoris Tiberij, eumdemq. baptizatum tradit eiusdem anno decimoquinto, quarto anno Olympiadis ducentesimæ primæ; vt videas ipsum interpretatum esse Phlegontem, vt quod dicit accidisse illam Solis eclipsim anno quarto Olympiadis ducentesimæsecundæ, accipiendum sit de anno Romano, quo dictus annus quartus, ipso Tiberij anno decimooctauo, inchoatur. Reddam eiusdem Eusebij verba, testimonio Ioannis Euangelistæ dictam interpretationem firmantis associata: postquam enim Phlegontis verba recitauit, hæc mox addidit: Argumentum autem huius rei, quòd Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis, in quo scribitur post annum decimumquintum Tiberij Cæsaris, annis tribus Dominum prædicasse.] hæc ille, non (vt puto) ex verbis Ioannis, nisi aliud a communi ipse nactus sit exemplar eius Euangelij, sed tot Paschatibus a Ioanne commemoratis. A

[d] *Eusseb. in Chron.*

EX PHLEGONTE OBIECTIO.

E

CLII. Opinati etiam sumus aliquando, cum ab Eusebio ponatur Christi passio Olympiadis illius anno tertio, rursumq. se id ex sententia Phlegóntis facere profiteatur; omnino in notam numeri errorem irrepsisse: nam cum ille tradat, anno quarto eius Olympiadis illam eclipsim accidisse, & ipse nihilominus ponat anno tertio, manifestus error apparet: sicq. quod dicit anno quarto illud contigisse deliquium, restituendum sit, anno tertio, prout ab eodem Eusebio sub eadem nota numeri ponitur, atque scriptis confirmatur: longe enim verisimilius est in numeri notam errorem irrepsisse, quàm tam egregium, & quem vnicum habemus Olympiadum supputatorem, quasi imperitissimum vna eademq. sententia (quod vix nisi amens quispiam, vel certe infans, qui adhuc numerare nesciat, facere posset) contraria prorsus scripsisse, dũ profitetur se sequi Phlegontem, & anni spatio ab illo mox discrepat. Sed hæc legentium linquantur arbitrio. At magis placet quod superius dictum est, Phlegontem, cum non scribat quoto anni mense illa eclipsis acciderit, sic dixisse anno quarto eius Olympiadis contigisse, quòd sub dictis Consulibus, eo anno decimooctauo Tiberij, dictus annus quartus incipiat. Sic enim consueuisse maiores ab anni exordio ipsum integrum denominare, multis exemplis esset facile demonstrare. Sed de his hactenus. B

PROBATVR MENDVM IN CODICE.

CLIII. Quod vero ad eius anni Dominicæ passionis mensem pertinet: fere omnium fuit sententia, Dominum nostrum passum esse mense Martij; paucissimorum, mense Aprilis. Sed quota potissimum die mensis Martij? Quamuis antiquorum nonnullorum opinio ea fuerit, ipsum Redemptorem nostrum cruci affixum vigesimaquinta: tamen cum tabulæ astronomicæ non his æque consentiant, eædemq. adeo inter se diuersæ tradantur, nec quid in his statuisse videantur quod constans solidumq. permaneat, sed contrarijs obiectionibus vacillet: viri harum facultatum consultissimi, desperatione penitus superati, certum quid affirmare impossibile rati, rem inabsolutam alijs reliquere. Si consulatur antiquitas quid de his fuerit opinata, reperimus in Concilio Cæsarienſi sub Theophilo [a] eius ciuitatis Episcopo tempore Victoris Romani Pontificis, dictum Theophilum sic esse locutum: Passus namque Dominus ab vndecimo Kalendarum Aprilium, qua nocte a Iudæis traditus est, & septimo Kalend. resurrexit.] hæc ille, cui & ceteri consenserunt: qua ratione dicendum esset, Christum passum esse nono Kalendas Aprilis. Quod ad diem passionis pertinet: exploratum est omnibus, & Euangelij auctoritate firmatum, passum esse Dominum hebdomadis sexta die, quam Iudæi sextam sabbati, Gentiles diem Veneris, Christiani Græci parasceuen, Latini sextam feriam dicere consueuere. C D

QVO MENSE ET DIE CHRISTVS SIT PASSVS.

[a] *Extat apud Bed. in fin. lib. de æquinoctio vernali.*

CLIIII. Ceterum quod ad parasceuen spectat: licet Græca vox sit, ea tamen Iudæos vti consueuisse, Augustinus [b] testatur his verbis: Isto verbo Græco libenter vtuntur Iudæi in huiusmodi obseruationibus, etiam qui magis Latine quàm Græce loquuntur.] Verum quòd alij putarunt ab ijsdem appellari solitam sextam feriam Cœnam puram; res se longe aliter habet: minime enim assecuti videntur sensum verborũ S. Augustini [c], quẽ citant: sunt huiusmodi: Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne aduesperascaret, quando iam propter parasceuen, quam Cœnam puram Iudæi Latine visitatius apud nos vocant, facere tale quid non licebat.] Extat de Cœnis puris etiam locus Tertulliani [d], dum ait: Dies obseruatis, & tempora, & annos, & sabbata, vt opinor, & Cœnas puras, & dies magnos.] Sed vt hæc facilius assequamur; in primis quænam a senioribus dicta sit Cœna pura, ac subinde quam etiam Iudæi intelligerent Cœnam puram, res est exactius perquirenda; cum neminem præsertim inuenerimus, qui rem ipsam nobis videatur penitus assecutus. Quæ apud Festum [e] Cœna pura dicitur, cum in ea apposita dicatur offa porcina, nihil est quòd ad Iudæos pertineat. Apud Philonem Iudæum, in libro quem scripsit de Vita contemplatiua, hæc leguntur: Mensa pura est a cruentis dapibus: pro cibo panis apponitur, sal pro opsonio, pro condimento hyssopus.] Tertullianus [f] hæc in eamdem ferme sententiam: Pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa.] hancq. fuisse Cœnam puram, quam alibi [g] Xerophagiam nominat, nimirum aridorum ciborum vsum. His assentiuntur, quæ ab Apuleio [h] in hæc verba dicuntur: Hoc optantes, conuertimus ad puram & sine animalibus cœnam.] Testatur id ipsum Plutarchus in libro de Esu carnium, nempe cœnam E

[b] *Aug. in Ioan. tract. 117.* DE COENA PVRA.

[c] *Aug. in Ioan. tract. 56.*

[d] *Tertull. aduers. Marcion. lib. 5. c. 4.*

[e] *Fest. in verbo penem.*

[f] *Tertull. lib. de pœnit. c. 9.*

[g] *Idem aduers. Psych. c. 1. & 9.*

[h] *Apul. in Asclep. in fin.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pe cœnam puram illam esse, quæ absque animatis paratur. Sic igitur quantum ex his colligere licet, non quodlibet ieiunium cœnam puram maiores dixere, sed in quo abstinentius victitarent: cum alioqui austera & tetrica fuisse Iudæorum ieiunia, Philo testetur in vita Moysi; eosq. nonnisi sub stellæ ortu cœnare consueuisse, Hieronymus [a] tradat. A

[a] Hieron. lib. 2. cont. Iouin.

CLV. IVDÆORVM IEIVNIA AVSTERA.

Erant quidem abstinentissima Iudæorum ieiunia, atque adeo vt apud Gentiles eadem essent in prouerbio. Suetonius [b] enim hæc recitat ex litteris Augusti ad Tiberium scriptis: Dum lectica ex regia domo redeo, panis vnciam cum paucis acinis vuæ duracinæ comedi.] ac rursum: Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam libenter sabbati ieiunium seruat, quàm ego hodie seruaui: qui in balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducaui, priusquam vngi inciperem.] hæc Augustus apud Suetonium. Trogus Pompeius [c] ait sabbata Iudæorum a Moyse in omne æuum ieiunio esse dicata. ex quo Iustinus [d] id ipsum: sed & Martialis [e] ait: B

[b] Suet. in Oct. cap. 76.

[c] Trog. Pom. lib. 37.

[d] Iustin. lib. 36.

[e] Martial. lib. 4. epigram. ad Bassam.

Quod ieiunia Sabbatariorum]

appellat enim Sabbatarios Iudæos. Quin apud Persium [f] etiam hæc de ieiunijs Iudæorum:

[f] Persius Satyra 5.

-------- *Recutitaq. sabbata palles*]

perinde ac si diceret, Iudaica sabbata. A circumcisione enim Iudæos dictos esse Recutitos, alio loco opportunius demonstrabimus. Strabo etiam meminit de ieiunio sabbati, dum ait, Pompeium Magnum Hierosolymam cepisse, obseruato ieiunij die, dum videlicet Iudæi ab omni opere cessarent.

CLVI. IEIVNIVM SABBATI IVDAEORVM.

Sed cur ab his omnibus ieiunium sabbati nominatur, cum nefas esset Iudæis sabbatis ieiunare? Nam Rabbi [g] Moyses Ægyptius expresse testatur, vetitũ fuisse Iudæis sabbato ieiunare: nec in aliqua afflictione fuisse licitum indicere ieiunium sabbato tradit, nisi vno casu tantum modo, cum videlicet ab hostibus ciuitas esset obsessa: pœnamq. ait fuisse statutam, vt qui sabbato ieiunaret, sequenti etiam die ieiunare deberet. idemq. cum agit de ieiunio Purim, cum illud incidisset in sabbatum, anticipandum esse, & quinta sabbati persoluendum tradit. Est expressum de Iudith [h], quòd omnibus diebus vitæ suæ ieiunabat, præter sabbata & Neomenias & festa domus Israel. Quid ad hæc certi respondeamus, haud facile est inuenire. Suppetunt tamen eius nominis nonnullæ causæ, vt illa in primis quæ a Iosepho in Vita sua ponitur, consueuisse nimirum Iudæos ieiunij tempore pene feriatos esse, synagogã adire, & cum alijs preces fundere; qua fortasse ex causa eadem ieiunia ab illis sabbataria, seu sabbati dicerentur. Alia insuper ratio occurrit eius nomenclaturæ, quòd scilicet cũ Iudæi dies omnes, adiectione tamen numeri, sabbata nominarent, videlicet primam sabbati, secundam sabbati, & sic de ceteris: quacumque die ieiunassent, sabbato ieiunare putarentur: vsitatus enim apud eos sermo fuit, vt quod in hebdomadæ diebus singulis facerent, in sabbato se illud agere dicerent: vnde apud Lucam Pharisæus: Ieiuno, inquit, bis in sabbato] duobus videlicet diebus hebdomadis, nempe (vt superius diximus ex Epiphanio) secunda & quinta die. C D

[g] Moys. Aegypt. de carimon. lib. 3. de temp. c. de sabbato. & cap. de ieiunio.

[h] Iudith 8.

CLVII. At si neutrum horum placet: illud ingeram: Quis requirat apud Gentiles scriptores de rebus externis agentes, magis proprium loquendi modum, cum in his quæ spectant ad res Iudaicas, complures eorum, licet consultissimos, æque esse hallucinatos, nulli sit dubium? Et ne aliunde petamus exempla: quod ad sabbatum spectat ex hac voce tantum Plutarchus [i] Iudæos Bacchum colere existimauit, credens nimirum sabbatum a Græco deductum σαβάζειν, quod significet debacchari, nam Bacchus Σαβάζιος a Græcis dictus reperitur; idq. rerum Iudaicarum ignorantia. Porro non ipse tantum, sed & alij Ethnici scriptores in eumdem lapidem impegerunt: nam & Tacitus [k] calumniatus etiam Iudæos Bacchum colere, alijs id quoque additis rationibus affirmabat: sunt enim hæc eius verba: Sed quia sacerdotes eorum tibia tympanisq. concinebant, hedera vinciebantur, vitisq. aurea in templo reperta, Liberum patrem coli dominatorem Orientis, quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis: quippe Liber festos lætosq. ritus posuit, Iudæorum mos absurdus sordidusq.] hæc Tacitus, qui omnino fallitur; nam Iudæos hedera redimitos sacra peragere solitos, quis vmquam poterit reperire? Non enim habenda ratio est, quòd aliquando coacti ab Antiocho, id videantur egisse, vt habet secundus Machabæorum [l] his verbis: Ducebantur E

[i] Plutarch. sympos. lib. 4. q. 5. GENTILES DE REBVS IVDAEORVM MVLTA FALSA.

[k] Tacit. lib. 5. histor.

[l] 2. Mach. 6.

autem

A autem cum amara necessitate in die natalis Regis ad sacrificia: et cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire.] nam longe aliud est id quod aiunt, ex præscripto legis ipsorum facere eos semper consueuisse; aliud, ad id inuitos esse aliquando coactos ab hoste.

Et quod ad vitem auream in templo repertam spectat: vt hac etiam calumnia eosdem liberemus: ex multis Tacitus hanc potuit de Iudæis concepisse opinionem, & in primis, quòd (vt Iosephus [a] est auctor) Pompeius Magnus donatam sibi vitem auream ab Aristobulo Rege Iudæorum, vt rem magni pretij posuit in templo Iouis Capitolini, inscriptione eius qui donauerat consignatam, quam se legisse, cum Romæ esset, idem ipse Iosephus testatur: donũ plane quod a Bacchi cultoribus solet offerri. Insuper quod dicit vitem auream in templo repertam: idem Iosephus [b] addit alibi, in superliminari B portæ templi, cui primum velum erat appensum, vitem itidem fuisse auratam, mira arte fabrefactam, tantæ magnitudinis, vt botri eius hominis æquarent staturam. Nec prætermittimus dicere de mensa illa aurea, egregio Ptolemæi Philadelphi dono, in qua etiam ex auro & gemmis vitis & hedera & ornamentum eius compositæ erant, quæ ab eodem Rege in templum missa, fuit Deo dicata, vt Iosephus [c] & Aristeas [d] testantur. His igitur decepti Gentiles, de Iudæis, quòd colerent Bacchũ, falso opinati sunt. Quin etiam ob tam exactum cultum & diligens studium diei sabbati, quòd ab Ethnicis Saturno dicatus esset, perperam quidam existimarunt Iudæos eumdem Deum colere, quod & Tacitus [e] asseuerat: omittimus dicere de Varrone [f], qui existimauit Iudæos Iouem colere. Sunt & alia multa a Gentilibus excogitata, quæ quidem Iosephus singulatim in Apionem agens refellit: de quibus & nos alias opportunius.

[a] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 5.

[b] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14. & de bello Iud. lib. 6. c. 6.

[c] Ioseph. antiq. lib. 12. c. 2.

[d] Arist. de 72. interpr.

[e] Tacit. Annal. lib. 12.

[f] Aug. de cons. Euang. lib. 1. c. 22. & de Ciuit. Dei lib. 6. c. 6. & lib. 7. c. 5.

CLIX. AVGVSTINI VERBORVM SENSVS.

C Sed vt tandem ad Cœnam puram, cuius gratia est suscepta narratio, redeamus: sicut Iudæis nefas fuit sabbato ieiunare; ita etiam ieiunare solitos qualibet sexta die, nusquam reperitur. quamobrem omnis cessare videtur ratio, quòd ieiunij causa, sexta sabbati appellata sit Cœna pura. Alius ergo verborum Augustini requirendus est sensus; quem illum esse verum atque germanum non dubitamus asserere, qui ex alijs eiusdem auctoris scriptis accipitur. Dicimus igitur Augustinum eo loco voces illas, Parasceuen, & Cœnam puram, nequaquam ea significatione sumpsisse, vt sextam diem cuiuslibet hebdomadis significare voluerit, sed parasceuen Paschæ, nempe diem qui Pascha præcedit, secundum eam sententiam, qua aliqui dicerent, Iudæos eo anno Pascha sabbato celebrasse, ac proinde sextã diem vere fuisse parasceuen Paschæ: id quidē ipsum sensisse, ea quæ nuper dixerat in eodem commentario in Ioannem tractatu centesimo decimoseptimo, facile monstrant: sed multo apertius quæ ante differuerat, tractans eamdem quæstionem locupletius in libro tertio [g] de Consensu Euangelistarum, ad quæ ipse lectorem reijcit, hæc ipsa declarant. Siquidem narrat, vna eademq. die fuisse duplicis Paschæ parasceuen, sed diuerso tempore auspicatam; nimirum hora nona noctis Christi Paschæ cœpisse parasceuen, Iudæorum autem serius, eosdemq. vespere eius diei sextæ cœpisse comedere azyma: quam quidem sententiam ab alijs assertam tantum abest vt reijceret, quin potius confirmasse videretur, cum diceret: Quis fidelis non huic faueat solutioni quæstionis? &c.] Ex his igitur, quæ ab eo dicta superius recitauimus de parasceue & Cœna pura, non esse intelligenda de parasceue sabbati, sed Paschæ, plus certo monstratur. Sic & intelligas illud [h] Irenæi: Parasceue, quæ dicitur Cœna pura, id est, sexta feria, quam & Dominus ostendit, passus in ea.] D

[g] Aug. de cons. Euang. lib. 3. c. 23.

[h] Iren. lib. 5. c. 23.

E At licet hæc de parasceue Paschæ dicta, ex his quæ suo loco superius sunt disputata, remaneant confutata; tamen non ad eam probandam sententiam sunt hæc a nobis adducta, sed vt ex verbis eius, quid per parasceuen & Cœnam puram intellexerit, appareat declaratum: nimirum Iudæos appellare solitos Cœnam puram, vesperum ante Pascha, quo ipsi inciperent azyma manducare. Refellitur etiam eadem opinio de sexta die & Cœna pura, ex his quæ Tertullianus [i] scribit aduersus Marcionem, vbi agens de loco illo epistolæ Pauli [k] ad Galatas: Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos] addit: Et sabbata, vt opinor, & Cœnas puras, & ieiunia, & dies magnos.] citat & superius [l] Iudaicos Fastos, quibus eiusmodi Iudaicæ obseruationes descriptæ essent. Si enim Cœna pura, vt aiunt, sextam quamlibet diem hebdomadis monstrat; quæ ratio erat, vt Cœnæ puræ inter dies celebres Fastis adscriberentur, cum neque ieiunium, neque aliqua alia esset ea die celebritas? Eodem quoque Tertulliani loco, quæ superius CLX.

[i] Tertull. aduers. Marc. lib. 5. c. 4.

[k] Galat. 4.

[l] Tertull. aduers. Marc. lib. 4. c. 5.

diximus,

Universidad de Deusto
Biblioteca

diximus, validius confirmantur, nimirum per Cœnam puram non esse intelligendum A
ieiunium: quandoquidem dum post Cœnas puras addit ieiunia, plane demonstrat ea
ab inuicem esse distincta.

CLXI. Cum igitur ex his dictis satis appareat declaratum, per Cœnas puras nec ieiunia, nec
sextam diem significari: reliquum est, vt cum Augustino dicamus, Iudæos per Cœnã
puram intelligere consueuisse Paschæ parasceuen, quando ad vesperam primo azyma
comedebant, dignam ob celebrem solemnitatem, quæ scriptis consignaretur in Fastis.
Sed quod spectat ad nomen: sic Cœnam puram esse nominatam dicimus, quòd puro
pane ijdem ipsi puri vesci soliti essent: per fermentum enim, quicquid esset impurum,
a 1. Cor. 5. significari, satis admonet Paulus [a], dum ad Corinthios scribens, hæc ait: Nescitis quia
modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt sitis
noua conspersio, sicut estis azymi] significans nimirum idem esse azymos, quod pu- B
ros: idq. amplius declarans, mox subdit: Itaque epulemur, non in fermento veteri,
neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.] vt me-
rito ab his Cœna pura dici soleret, quæ gereret typum absolutissimæ puritatis. Sed de
Cœna pura esto iam finis.

CLXII. His igitur de anno, mense, & die dictis, quibus Christus Dominus summus omnium
rerum opifex crucifixus est: non putamus aut lectori iniucundum, aut ab instituto alie-
b Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. num, nonnihil & de hora diei illius salutiferi attigisse. Euangelistarum [b] testimonio
exploratum habetur, cruci affixum fuisse Dominum ante horam sextam; nam post-
quam crucifixus est, ab hora sexta vsque ad horam nonam factæ sunt tenebræ. Marcus
DE HORA PASSIONIS. item hora sexta tenebras factas esse super vniuersam terrã affirmat, qui & ait crucifi-
xum Christum hora tertia: cui cum aduersari videatur Ioannes Euangelista, quòd di- C
cat fuisse horam quasi sextam, cum in eum Pilatus esset laturus sententiam; complures
tam antiquorum quàm recentiorum scriptorum ad has soluendas ambages desudasse
cognouimus: quorum omnium singulas hic de ea re recitare sententias prætermitti-
mus; illam tamen, quam veriorem putamus, referemus. Sicut igitur apud Iudæos nox
in quatuor vigilias, ita dies in quatuor horas seu stationes diuidebatur, sed diuersimo-
c Cor. Iansen. Concord. c. 142. & alij. de quoque id effici [c] quidam volunt, diuidentes in hunc modum, dicentesq. a dilucu-
lo vsque ad horam diei tertiam exclusiue, vt aiunt, horam esse Primam: Secunda a ter-
tia vsque ad horam diei sextam dicebatur ab ijs hora Tertia, eo quòd a tertia initium
sumpsisset: Tertiã vero partem eam, quæ ab hora sexta vsque ad nonam progrederetur, Sextam nuncupabant, quòd similiter ab hora sexta inchoaretur: Quartam deni-
que incipientem a nona, & vsque ad Solis occasum perdurantem, Nonam itidem seu D
Vesperam dixere.

CLXIII. Alij vero & melius, vt nobis videtur, hanc inierunt rationem numerandi quatuor
DIVISIO DIEI SECVNDVM IVDAEOS. illas diei partes, quas volunt esse æquales, vt singulæ trium horarum spatio constituan-
tur, eædemq. non a principio, sed a fine nomen accipiant: sicq. prima pars diei illa, a
mane vsque ad tertiam horam producta, Tertia diceretur: Secunda, quæ ad sextam ho-
ram diei perueniens, Sexta nominaretur: Tertia vero pars diei, vsque ad nonam ho-
ram deducta, Nona appellaretur: Quarta, quæ vsque ad noctem durans, Vespera nun-
d Act. 2. cuparetur. Quam quidem sententiam vt veriorem amplectimur, quam & Petri [d] Apo-
stoli auctoritate firmamus: sic enim in Actis loquitur: Non enim, sicut vos æstimatis,
hi ebrij sunt, cum sit hora diei Tertia.] Sane quidem si (vt illi volunt) hora Tertia pro-
ducebatur vsque ad Sextam; quid adeo mirum & inusitatum significasset Petrus, illos E
non esse ebrios, eo quòd esset hora diei Tertia, cũ iam pransos esse ea hora quæ termina-
retur ad Sextam, potuisse, non sit dubium? Vnde cum ad defensionem illorum, quòd
ebrij non essent, Petrus, eo quòd tunc esset hora diei Tertia, in argumentum deducat;
manifestissime significat, horam diei Tertiam esse terminum partis primæ diei, nec
tertiæ horæ fines excedere.

CLXIV. Quod igitur Ioannes ait, fuisse horam quasi Sextam, cum Pilatus in Christum sen-
CONSENSIO EVANGELISTARVM. tentiam iam proxime dicturus esset, sic accipiendum est, vt vltima hora primæ diei par-
tis, quæ Tertia dicta est, iam cœpta esset, & proxime iam inchoanda foret secunda pars
diei, quæ Sexta est nominata: sicq. merito ab Euangelista dictum, fuisse tunc horam
quasi Sextam, nondum videlicet Tertia absoluta: ac ita eamdem nouissimam horam
primæ partis diei fuisse terminum eius iam desinentis, & secundæ partis, quæ Sexta di-
cta est

A cta est, iam proxime incipientis: qua ipsa hora Dominus noster a Pilato sententiã mor-
tis accepit, ac paulo post cruci affixus est. Nec absurdum, si quod horæ Tertiæ proxi-
mum erat, Marcus eidem tribuerit horæ Tertiæ, cum id loquendi vsus obtinuerit, mul-
taq. suppetant de his exempla. Nec quis, puto, dixerit, scrupulosã quadam circumscri-
ptione per singulos suos punctos enumeratas horas Euangelistas posuisse, sed potius
communi quadam loquendi consuetudine, quod sæpe alias in descriptione temporum
fecisse videntur, cum ijdem & interdum hyperbolice locuti esse noscantur.

Ex his igitur dicimus, hora Tertia in Christum esse prolatam sententiam a Pilato, CLXV.
quam illi eius necis sitibundi ac famelici Iudæi repente exequendã curantes, ac sibi ipsis
satisfacientes, continuo nulla interiecta mora, nisi quã opus exigeret, per Gentiles eum
cruci affixerunt: quo sic in cruce pendente, iamq. facta hora Sexta, vel appropinquan-
B te (quod ait Lucas) tenebræ factæ sunt vsque ad horam Nonam. Sed quod ipse dicit,
fere hora Sexta; Marcus & Matthæus absque vlla distinctione dixerunt, hora Sexta: vt
ex his cognoscas, Euangelistas in conscribendis horis, horologium non habuisse præ
manibus, vt per sua puncta singulas horas distinguere potuissent, sed de horis scripsisse
quod tunc opinati essent. De singulis horis passionis Christi Ignatius, qui eo vixit tẽ-
pore, hæc ait, scribens ad Trallianos: Hora Tertia sententiam accepit a Pilato, permit-
tente id Patre: hora Sexta crucifixus est, Nona expirauit, ante Solis occasum sepultus
est.] hæc ipse, quæ secundum dictas quatuor horarum seu diei partes enumeratas, sunt
accipienda. In quatuor enim partes, sicut noctem (vt paulo ante diximus) in quatuor
vigilias, diem diuidi solere, auctor est Censorinus [a]: eamdemq. fuisse consuetudinem *a Censor. de die natal. c. 10.*
C apud Hebræos, ex diuina Scriptura colligitur, vbi de dictis quatuor horis frequens ha-
betur mentio, perraro de ceteris. Videasq. eamdem rem expressam in parabola a Mat-
thæo [b] recitata de patrefamilias conducente operarios in vineam, qui dicitur exijsse pri- *b Matth. 20.*
mo mane ad eos conducendos, hora Tertia, Sexta, Nona, & vndecima; quasi insinuare
velit id factum per omnes horas. mane enim ponitur tamquam diei principium, &
vndecima tamquam hora nouissima operandi, cum duodecima claudatur dies. Porro
dictæ horæ egregijs Domini operibus consecratæ, ab Apostolis obseruatæ, ad posteros
sacris precum officijs transmissæ esse noscuntur, vt docent Tertullianus in libro de ieiu-
nio, Cyprianus de oratione Dominica, Chrysostomus [c] demum ad populum Antio- *c Chryſ. ad pop. Antioch. homil. 59.*
chenum, & alij plures. Sed hæc alias fusius.

Quod insuper ad ritus Christianæ religionis spectat: constat quidem non solum sex- CLXVI.
tam diem passione Dominica consecratam, in honore habitam, sed & feriam quartam,
D itemq. ipsam totam hebdomadam, quam Maiorem, ob grandia in ea operata mysteria,
siue Pœnosam, ob Christi dolores in ea perlatos, maiores nostri dicere consueuerunt;
quam etiam in dolore & lacrymis mærentes, in memoriam pœnarum quas pro nobis
Christus Dominus subijt, ex traditione Apostolica Christiani transigere soliti sunt. Est
harum obseruationum locuples testis S. Epiphanius [d], dum ait: A quo vero non assen- *d Epiph. hær. 75.*
sum est in omnibus orbis terrarum regionibus, quòd quarta & prosabbato ieiunium est
in Ecclesia decretum? Si vero etiam oportet constitutionem Apostolorum proferre, quo
modo illi decreuerunt quarta & prosabbato ieiunium per omnia, excepta Pentecoste, &
sex diebus Paschatis, quomodo præcipiunt nihil omnino accipere, quàm panẽ & salem
& aquam, &c.] & de ieiunio Maioris hebdomadæ idem superius agens aduersus eos-
dem Aerianos hæreticos, sic in illos inuehitur: In diebus autem Paschatis, quando apud
E nos fiunt humi dormitationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac
ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones: ipsi a summo mane opso-
nantur, ridentes ac subsannantes eos qui sanctum hunc cultum hebdomadis Paschatis
perficiunt.] et alibi [e]: Per sex dies ipsius Paschatis, omnes populi in siccorum esu per- *e Epiph. Comp.*
seuerant, pane, inquam, & sale, & aqua tunc vtentes ad vesperam.] ibidem etiam re-
petit de ieiunio quartæ & sextæ feriæ. Eadem apud Clementem [f] leguntur. Huic si- *f Clem. cõſt. lib. 5. c. 19.*
mile erat ieiunium, quod Tertullianus Græca voce ξηροφαγίας appellare consueuit, de
quo aduersus [g] Psychicos agens, hæc ait: Arguunt nos, quòd ieiunia propria custo- *g Tertul. aduer. Pſychicos c. 2. & 9.*
diamus, quòd stationem plerumque ad vesperam perducamus, quòd etiam xeropha-
gias obseruemus, siccantes cibum ab omni carne & iurulentia, & vuidioribus quoque
pomis: ne quid vinositatis edamus, vel potemus.] idemq. inferius ab Apostolorum
temporibus ξηροφαγίας fuisse in vsu testatur. Habes eiusdem ferme generis ieiunium

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Philo de vita contemplativa. [b] Hier. de scriptor. Eccl. in Philon.

expressum apud Philonem, dū [a] agit de Essæis, quos fuisse Christianos, & Marci discipulos, Hieronymus [b] est opinatus: ipse igitur dum de eorum agit ieiunio, hæc ait: In mensa cibus ille sacratissimus panis fermentatus, cum sale apponitur & hyssopo, ob reuerentiam mensæ dedicatæ in templi vestibulo: nam & in ea solent apponi panes cum sale, absque condimento alio, sed panes non fermentati.]

CLXVII. DE IEIVNIIS OB CHRISTI PASSIONEM SVSCEPTIS.

De eodem ieiunio Maioris hebdomadæ hæc scribit Dionysius Episcopus Alexandrinus in epistola canonica ad Basilidem: Alij quidem, vel omnes sex ieiuniorum dies transmittunt ieiuni permanentes, alij duos, alij tres, alij quatuor, alij nullum. Et ijs quidem qui in illis transmittendis valde laborauerunt, ignoscendum est, quòd celerius gustent. Si qui autem non modo transmissis, sed ne ieiunatis quidem, vel etiam in delicatis opariscq. conuiuijs consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos, eosq. solos extremos dies cum venerint, illis a se cibo non gustato, transmissis parasceue & sabbato, magnum quid & egregium se facturos existimant, si ad auroram vsque permanserint: non existimo eos ex æquo certamen subijsse cum his, qui se pluribus diebus prius exercuerant.] hæc [c] Dionysius: qui & eam fuisse in Ecclesia consuetudinem narrat, Fideles nequaquam soluere solitos ieiunium magni sabbati, nisi ad eam horam sequentis noctis, qua Christus resurrexisse crederetur. Est admiratione dignum, adeo religiosum ac sacrum habitum esse eiusmodi quod Pascha præcedit ieiuniū, vt & Reges illud implere pro viribus non prætermiserint. Procopius [d] enim hæc testatur de Iustiniano Imperatore: Omnibus, inquit, illis diebus, qui Paschalē solemnitatem præcedunt, ieiunio addictus, duram quamdam vitam egit, nedum Regi alienam, sed neque priuato alicui aliquo modo acceptabilem. Per dies abstinebat: summo mane itidem e lecto consurgens, Reipublicæ inuigilauit, cuius negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus impleuit: nam in seram noctem lectum petens, mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem, & alia id genus cibaria abesse voluit, brassicam solum & agrestes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat; potus aqua erat sola; neque his ad saturitatem vtebatur, sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto quod naturæ satis erat.] hæc Procopius.

[c] Dionys. c. 2. in fin. apud Theod. Balsam.

[d] Proc. de ædif. Iustin. Imp.

CLXVIII. DE IEIVNIO QVARTAE ET SEXTAE FERIAE.

Ceterum non Maiorem tantum hebdomadam, in memoriam passionis Christi, eiusmodi cum abstinentia & carnis afflictione transigere consueuerunt maiores nostri: sed & ceteris diebus, quos diximus, cuiusque hebdomadæ, nempe feria quarta & sexta, quòd in illa de morte Christi sit initum consilium, & in ista fuerit affixus cruci, ieiunare. Extat de eo non solū Apostolicus [e] canon, & Clementis [f] nomine edita constitutio, sed & expressum habetur S. Ignatij [g] testimoniū, quo his verbis tam religiosam obseruationem inculcat: Quartis & sextis ferijs ieiunare non negligatis, ciborum reliquias pauperibus largientes, &c.] De his hæc etiam Clemens Alexandrinus [h]: Nouit, *Christianus scilicet*, ænigmata ieiunij quoque horum dierum, quarti inquam, & sexti; ille quidem Mercurij, hic vero Veneris.] hæc ille, qui ieiunij ænigmata appellat mysticam allusionem, cuius causa eadem ipsa ieiunia celebrantur: quam Augustinus [i], ad Casulanū scribens, his verbis tradit: Cur autem quarta & sexta maxime ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei quem vocamus quintā sabbati, deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat.] & paulo post: Hoc ergo die, *quinto scilicet*, intermisso, passus est Dominus, quod nullus ambigit, sexta sabbati: quapropter & ipsa sexta recte ieiunio deputatur; ieiunia quippe humilitatem significant.] hucusque Augustinus. Meminerunt præterea horum dierum ieiunij Origenes [k], Tertullianus [l], & alij. Ex quibus omnibus tum hic tum superius a nobis enarratis, satis perspectum exploratumq. habetur, non tantum loca, sed tempora, dies, & horas, & quælibet sacratissima passionis Christi instrumenta, in tantæ rei memoriam, magno venerationis cultu fuisse semper a Fidelibus celebrata. Iam vero ad cetera quæ sunt historiæ Euangelicæ, quæ horum causa liqueramus, redeamus.

[e] Can. Apostol. 68.

[f] Clem. const. lib. 5. c. 10. & c. vlt. & lib. 7. c. 22.

[g] Ign. epist. ad Philip.

[h] Clem. Alex. Strom. lib. 7.

[i] Aug. ad Casul. epist. 86. prope finem.

[k] Orig. in Leuit. c. 20. homil. 10. in fin.

[l] Tertul. aduer. Psychicos.

CLXIX.

Cum transisset [m] sabbatum, Maria Magdalene, & Mariæ Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna sabbatorum, veniunt ad monumentum

[m] Marc. 16.

numentum, orto iam Sole.] hæc Marcus. Condire aromatibus corpora defunctorum, ab Ægyptijs Iudæos esse mutuatos, auctor est Tacitus [a]: illi enim per quadraginta dies eiusmodi vnctiones iterare consueuerunt. Vnde de Patriarchæ Iacob corpore sic in Ægypto condito hæc leguntur in Genesi [b]: Præcepit Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum.] ea etenim arte Ægyptij ita siccabant cadauera defunctorum, vt quasi ænea redderent, quæ & lingua sua Gabaras appellabant, vt tradit S. Augustinus [c]. Hinc cum idem mos ad Hebræos transisset, vt dictum est; non satis illis fuit vnctum semel corpus Iesu sepeliuisse; quin & vt iterum vngerent, emerunt aromata, ac ad sepulchrum festinis passibus properarunt: quo cum peruenissent diluculo, ait Matthæus [d], terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.] Cum adhuc autem in itinere essent, nec ad sepulchrum peruenissent, dicebant (inquit Marcus [e]) Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Cumq. peruenissent, inspicientes inuenerunt reuolutum lapidem; erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentū viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt. qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus vbi posuerunt eum.] hæc Marcus. His consentientia, eademq. pluribus de apparitione Angeli scribit Matthæus, Lucas [f] vero duos tradit apparuisse Angelos: sed non ob id, quòd quæ alij tacuerunt, vnus expresserit, contrarij inter se fuisse dicendi sunt.

[a] Tacit. Annal. lib. 11.

[b] Genes. 50.

[c] Aug. serm. 120 de diuers. c. 22.

[d] Matth. 28.

[e] Marc. 16.

[f] Luc. 24.

CLXX.

Sed magna in eo apparet contradictio, dū Marcus [g], Lucas, & Ioannes dicunt dictas mulieres venisse mane ad monumentū; vnus Matthæus contrarium videtur affirmare, dum non mane, sed Vespere, inquit, sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo.] Antiquiores Ecclesiæ scriptores in ea sententia fuisse videntur, vt per vesperam sabbati, nox ipsa intelligeretur; sic Dionysius [h] Alexandrinus, sic Augustinus [i], sic & apud sextam Synodū in canone nonagesimo, & alios complures: qui per illud, Vespere sabbati, tempus post mediam noctem acceperunt. S. Hieronymus non semel, sed sæpius mulieres illas cucurrisse & recurrisse sedulæ visitationis officio existimauit, sicq. & vespere abijsse, & mane redijsse ad monumentū. Sed has omnes interpretationes Matthæi textus minime pati posse videtur; dū quod ait, in illarum aduentu terræmotum factum esse magnum, & Angelum locutum esse mulieribus, plane demonstrat mane id factum esse, non vespere præcedente, vel post summam noctem. Augetur ex eo etiā difficultas, quòd sibi ipsi contraria proferre videatur idem Euangelista, dum de vespere agens, lucescere eā ait in prima sabbati: cum, si de vespere communi vsu loquendi intellexisset, obtenebrescere potius quàm lucescere in diem primam sabbati dicere debuisset. Sed esto (quod ait Cornelius [k] Ianssenius, qui ceterorū recitat & reijcit sententias) idem esse clarescere in prima sabbati, quod inchoari primā sabbati, sicut & Lucas [l] de pridie eius diei agens vespere, sic dicit: Et dies erat parasceues, & sabbatū illucescebat:] tamē negare, quod dicit Euāgelista, venisse mulieres videre sepulchrū, sed tantū tunc emisse aromata, certe vim infert litteræ, & negare compellit Euāgelistā, quod alioquin profitetur expresse, tunc scilicet venisse mulieres videre sepulchrū, tuncq. terræmotū factum esse magnū, & Angelum apparuisse, locutūq. esse mulieribus.

[g] Marc. 16. Luc. 24. Ioan. 20.

[h] Dionys. Alex. in epist. ad Basil. habetur apud Theod. Bal.

[i] Aug. de consen. Euang. lib. 3.

[k] Cornel. Iansen. Concor. Euang. c. 145.

[l] Luc. 23.

CLXXI.

Exquirendus igitur eius historiæ, quam Matthæus recitat, sensus est, quomodo idem sit vesperum lucescere in prima sabbati; quod alij dicunt fuisse valde mane, vt ait Marcus [m], vel valde diluculo, vt tradit Lucas [n], seu, quod scribit Ioannes [o], mane, cum adhuc tenebræ essent. Sane quidem est locus perdifficilis, & qui sedulum postulet exactumq. studium, cum & in eo non parum fatigata fuerint doctissimorum virorum ingenia: quorum diuersarum opinionum illa nobis magis persuadetur, quam scribit sanctus Hieronymus [p] ad Hedibiam, vbi post multa hæc ait: Mihi quidem videtur, Euangelistam Matthæum, qui Euangelium Hebraico sermone conscripsit, non tam vespere dixisse, quàm sero; & eum, qui verba interpretatus est, verbi ambiguitate deceptum, non sero interpretatum esse, sed vespere: sicq. quod superius ait, Vespere sabbati, sero sabbati intelligendum, hoc est, appropinquante iam luce sequentis diei. Similem huic dicendi vsum sæpe diuina Scriptura vsurpat, vt vesperam

[m] Marc. 16.

[n] Luc. 24.

[o] Ioan. 20.

[p] Hier. epist. 150 q. 4.

HIERONYMI SENTENTIA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

accipiat aliquando non pro vltima diei parte, sed pro eo quod nouissimum tempus dicimus. sic in Psalmo [a]: Conuertentur ad vesperam.] & in Iob [b]: Quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: et cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.] sicq. illud: Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati] idem esse, ac si diceretur, vltima hora, quæ lucescit in prima sabbati. A

[a] Psal. 58. [b] Iob 11.

CLXXII. NOVA AVCTORIS SENTENTIA

At nos in eam opinionem adducimur, vt existimemus Matthæum Euangelistā non de vespere, hoc est, vltima diei parte, intellexisse, sed de stella sic dicta: quæ cum eadem sit cum ea quæ mane ante Solem oriatur, ob idq. Lucifer dicta, vt Plinius [c] & Higinius [d] & alij testantur; tamen vnico nomine ab antiquis Latinis, vt Plauto [e], & Varrone [f], Vesperugo appellata reperitur, vt notat Augustinus [g], eamdemq. ab Homero dictam ἕωσφορον ait: a Pharisæis vero, qui nomina planetarum ex Græca astronomia in Hebraicam linguam transtulerunt, Seruha Lued, esse appellatam, Epiphanius [h] tradit. De ipsa itaque stella credimus Euangelistam Matthæum intellexisse; atque dixisse, mulieres venisse ad sepulchrum ortu stellæ eius diei, quæ lucescit in prima sabbati: interpretem vero non curasse aliam eiusdem nominis distinctionem, cum præsertim additamento illorum verborum, Quæ lucescit in prima sabbati] eam satis expressam esse existimaret. Hæc si accipiamus, mox omnis de ea re quæstio ac controuersia conquiescet: sin minus, certe quantumlibet quis Euangelistæ verba distorqueat, quo Matthæum cum ceteris consentientem in omnibus reddat, haudquaquam ex sententia efficiet, nec æque omnibus in omnibus satisfaciet. Ceterum hæc nostra sic asserimus, vt eruditorum arbitrio diligentiori examine expendantur. Certe quidem his quæ diximus, nihil certius atque verius quod pertinet ad historicam conciliationem, dici posse videtur. In huiusmodi enim difficultatibus, ex coniecturis interdum, præsertim ijs quæ ita verisimiles sunt vt veritatem ipsam quodammodo necessario præseferant, magna solet ad indagandam veritatem accessio fieri. At de his satis. B C

[c] Plin. lib. 2. c. 8. [d] Higin. lib. 2. [e] Plaut. in Aulularia. [f] Varro de ling. Lat. lib. 6. [g] Aug. de Ciu. Dei, lib. 21. c. 8. [h] Epiph. lib. 1. hæres. 26.

CLXXIII. [i] Marc. 16.

Quòd vero Marcus [i] dicat: Et valde mane vna sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam Sole:] non recedimus ab interpretatione maiorum: Dionysius enim Alexandrinus ad Basilidem scribens sic explicat: Valde enim mane hic quoque dixit, quòd idem sit ac summo diluculo; & subiunxit: Orto iam Sole. Profectio quidem & iter earum summo diluculo, & valde mane incepit: in itinere autem, & circa monumentum moram traxerunt vsque ad ortum Solis.] hæc Dionysius, quem complures alij secuti sunt, licet & alij aliter explicarint. Omnium vero (vt tandem dubiorum solutionibus finem imponamus) omnium, inquam, Euangelistarum testimonio expressum cum sit, ea ipsa nocte quæ clarescit in prima sabbati, Dominum a mortuis surrexisse: quotanam hora potissimum surrexerit, accuratius exquirendum putamus. Ambiguitas quidem dictorum verborum Matthæi Euangelistæ, quibus dicit, vespere quæ lucescit in prima sabbati, mulieres adijsse sepulchrum, quando & de resurrectione Domini certiores sunt redditæ, quamplurimos tenuit suspensos animo, vt aliquid de ea re affirmare non auderent. Vnde Gregorius Nyssenus hæc ait [k]: Neque enim sacri Euangelij scriptores vel vespere sabbatorum, vel maiori parte noctis præterita, vel diluculo rursus, vel post Solis radij emersum, resurrexisse Dominum dixerunt. Sic enim contrarietas esset, si vnum factum, non vno, sed diuersis temporibus accidisse, scriptores memoriæ prodidissent. sed mulieres, scripserunt, alio tempore ad sepulchrum venisse; omnes similiter audisse ab Angelis de Saluatore: Surrexit, non est hic. non adiecto quando: quasi in illa diuina nocte absque controuersia, & in hoc omnibus consentientibus, factum sit, & Dominus surrexerit; nemo autem horam notauerit, quæ omnibus ignota erat, præterquàm Deo, qui resurrexit; & Patri, qui ita cognoscit Filium, sicut cognitus est a Filio; tum Spiritui sancto, qui omnia scrutatur.] hæc Gregorius. D E

DE RESVRRECTIONIS HORA.

[k] Greg. Nyss. de resurrect. orat. 2.

CLXXIV. [l] Dionys. Alex. epist. can. ad Basil. c. 1.

Porro cum ea nocte omnes Dominum resurrexisse testentur, tamen id ante noctis dimidium accidisse, asserere velle, temerarium admodum esse antiquiores Patres existimarunt; inter quos Dionysius [l] Alexandrinus ea ratione ieiunium sabbati, quod solui non licebat olim, nisi transacto mæroris tempore, quo Dominus resurrexisse crederetur, ne ante noctis dimidium solueretur, admonuit; idemq. de Romanæ Ecclesiæ consuetudine hæc ait: Qui enim Romæ sunt fratres, vt aiunt, gallum expectant: innuens quidem eius Ecclesiæ fuisse opinionem, in primo gallicinio

A gallicinio Dominum surrexisse.] Verum id non sic accipiendum, vt ea potissimum hora Dominum Iesum Christum surrexisse Romana Ecclesia professa sit, sed quòd a media nocte dies sit solita numerare; quod etiam Orientales facere consueuerunt, vt canon [a] sextæ Synodi indicat, & Theodorus, cum ait: Qui sunt religiosiores, toto sabbato vsque ad horam sextam noctis in ecclesia assident, & hora sexta diuinis sacramentis communicantes, panem & aquam gustant, fortasse autem & modicum vini: septima autem hora matutinas psalmodias audientes; quando etiam Christus resurrexisse dicitur, domum suam reuertuntur, magni Dominici sacrorum celebrationem expectantes. Quòd autem a septima hora noctis, quæ est ante Dominicam, incipiat dies Dominicus, manifestum est, eo quòd ortus Solis siue diei illuminatio est a septima hora noctis quæ eum præcessit, &c.] In hoc consensisse ceteros Græcorum auctores, testatur Euthymius [b]; Hieronymus [c] etiam disputando idem affirmat, Dominum nostrum scilicet medio noctis tempore surrexisse. B

POST MEDIAM NOCTEM RESVRRECTIO.

[a] Sexta Synod. c. 90. ibid. Theodor. Bal. [b] Euthym. in Matth. [c] Hier. ad Hedib. epist. 150. q. 3.

Verum Romana Ecclesia expresse absque aliqua ambiguitate profiteri videtur, Dominum nostrum surrexisse Dominico die diluculo, dum sacro hymno in Ecclesiasticis officijs Paschali tempore sic canit: CLXXV.

Aurora lucis rutilat,
Cælum laudibus intonat,
Mundus exultans iubilat,
Gemens infernus vlulat:
Cum Rex ille fortissimus,
Mortis confractis viribus,
Pede conculcans tartara,
Soluit a pœna miseros.
Ille qui clausus lapide,
Custoditur sub milite,
Triumphans pompa nobili,
Victor surgit de funere.]

AVRORAE TEMPORE RESVRRECTIO.

C

Quin & ipse antiquus ritualis, qui Ordo Romanus inscribitur, liber hæc habet: In vigilia Resurrectionis Domini, ante mediam noctem populus non est dimittendus de ecclesia, iuxta canonum sanctiones. In ipsa nocte, matutina luce rumpente tenebras, surgentes in ecclesiam veniant, & mutua charitate se inuicem osculantes dicant: Surrexit Dominus de sepulchro.] hæc ibi: quæ cum non medio noctis tempore, sed mane diluculo esse facienda dicantur; eo sane tempore Dominum surrexisse, eadem significare videtur Ecclesia. Id quidem & Marcus [d] Euangelista expresse testari videtur, cū ait: Surgens autem Iesus mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ.] D

[d] Marc. 16.

Ceterum qui de media nocte id firmare conati sunt, diuersa interpunctione illum textum legi voluerunt, nempe vt diceret: Surgens autem, mane prima sabbati apparuit, &c.] Verum germanam esse primam lectionem, ac prorsus veriorem, S. Ignatius [e] qui (vt diximus ante) Christi sæculo vixit, omnimode persuadet, dum scribens ad Trallianos hæc ait: Illucescente Dominico die, resurrexit ex mortuis, iuxta id quod dixerat: Sicut [f] Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes. Complectitur itaque parasceue passionem, sabbatum sepulturam, Dominicus dies resurrectionem.] hæc Ignatius; qui & paulo ante intra triduum eum resurrexisse testatur. Augustinus [g] etiam resurrexisse Dominum mane diluculo profitetur, & alij quamplurimi. E

CLXXVI. GERMANA LECTIO.

[e] Ign. epist. 15. [f] Matth. 12. [g] Aug. in Psal. 58. propè fin. & lib. 4. de Trin.

Quomodo vero secundū Domini sententiam, quam nuper citatam vidimus ab Ignatio, sicut Ionas in ventre ceti, tribus diebus totidemq. noctibus Christus manserit in sepulchro, perquiramus. Quod ad tres dies pertinet, solutam ab Ignatio habes quæstionem, nimirum quòd vespere feriæ sextæ, toto sabbato, & parte diei Dominici Dominus manserit in sepultura: quod apud omnes tam antiquos quàm recentiores scriptores Ecclesiasticos est in confesso; vnius enim qui ab his discrepat, de quo paulo inferius agemus, non putamus habendam esse rationem. Quod vero ad tres spectat noctes: cum plures de ea re scripserint, & alij alias diuersasq. rationes inierint: complures penuria temporis eo vsque progressi sunt, vt trium horarum spatium, quo eclipsi illa admiranda dies est conuersus in tenebras, in noctis vnius numerum receperint. Fuit & quidam [h] affirmare ausus, tribus diebus & nocti- CLXXVII.

[h] Paul. Midel. in Paul. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& noctibus expletis Christum in sepulchro fuisse: qui totam Ecclesiæ œconomiam inuertit, dum vel Christum non esse passum feria sexta, vel non surrexisse die Dominico, vel rursus hebdomadam illam non ex septem, sed octo diebus conflatam esse, probare nititur. Sed apage eiusmodi fabulosum commentum, nec diutius aures Ecclesiæ Dei pulset. Vnus nobis quasi instar omnium sit Ignatius, qui (vt ipse scribit, & Hieronymus [a] testatur) Christum in carne vidit: quem vel mentitum esse, vel istæc ignorasse, religio sit dicere. Non parum certe interest, in veritate historica disquirenda, auctorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cuiusve fuerint eruditionis atque existimationis, habere rationem; potissimumq. si huiusmodi scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem & virtutem cum doctrina & veritate coniunxerint: vt plane digni sint, quibus fides integra adhibeatur; soli sint, quibus ceteri assentiantur; soli denique sint, quibus reliqui quæ sciuerint, vel scripserint, tamquam ab ijs accepta, referant. At sane talis est noster Ignatius, omnibus numeris absolutissimus, qui a se visa pene omnia, veraq. prosequitur. Ipse equidem est, in quo nihil amplius desiderari posse videatur: vt merito eumdem præ ceteris auscultemus, & quæ ab eo scripta sunt, amplectamur, atque ceteris anteponamus. Certe nihil iam vlterius dicendum esset de his tribus in sepulchro peractis a Christo noctibus (præsertim cum non sit præsentis instituti longiorem de ijs instituere disputationem) si Ignatium tamquam diuinum oraculũ omnes audirent. Verum quia infinitis prope chartis hæc scripta sunt, eoq. argumento complures editi commentarij reperiuntur, hæcq. etiam recentiorum sunt scriptis aucta: rem ipsam perpaucis attingemus.

[a] Hier. de scrip. Eccl. in Ignat.

IGNATII AVCTORITAS.

CLXXVIII. Inter alios scriptores veteres, quos recensere omittimus, Isidorus [b] Pelusiota, Ioannis Chrysostomi discipulus, clarissimus suorum temporum scriptor, de eadem quæstione iterum consultus, solutiones plures afferens, copiose disseruit: quarum quæ ceteris præstare videntur, in medium afferemus. Ad Timotheum enim Lectorem scribens, in primis hæc ait: Is igitur, qui se Ionæ typum expressurum receperat, cum eum exacte nosset, quippe qui etiam Ionæ adesset cum in profundum præceps ageretur, atque e profundo eijceretur, eum quoque haud dubie expleuit; tanto nimirum temporis spatio in sepulchro commoratus, quanto Ionas in ceti ventre.] ea enim mensura tres illos dies ac noctes mensus est, vt sicut ille, non tres integros dies totidemq. perfectas noctes, sed ex illis duobus extremis partem permanserit, vt ait, in corde terræ. Idẽ rursus ad Theognostum [c] scribens, eamdemq. iniens rationem, satis impletũ esse tempus demonstrat, cum ea in sepulchro mora tres dies ac noctes attigerit: declaratq. loquendi vsu frequenter accidere, vt quod vel extrema eius diei hora contigerit, id ea die factum describatur. Sic igitur hac ratione stabilita, vult Dominum ex tribus diebus medium tam die quàm nocte integrum absoluisse, ex duobus vero extremis tam diem quàm noctem participasse. Sed qua ratione, id accuratius perspiciendum est.

[b] Isidor. lib. 1. epist. 114.

ISIDORI ASSERTIO.

[c] Isidor. lib. 1. epist. 222.

CLXXIX. In primis enim quod ad tres noctes pertinet: si secundum communem vsum Hebræorum, quo a media nocte diem auspicabantur, & in sequentem mediam noctem producebant, diem accipiamus; de tribus noctibus nulla est difficultas: siquidem mediæ diei noctem integram, extremorum autem dierum singulorum noctem mediam numerabimus: dierum vero, primæ dimidium, secundæ integrum, tertiæ vero diluculum recensendo: nam (quod diximus ex Ignatio, illucescente Dominico die Dominum resurrexisse) tres vtique dies constituemus. Qui vero putarunt Dominum media nocte surrexisse, aliam inierunt numeri rationem: vt sic de duobus diebus extremis triduum illud participauerit, & medium incluserit, vt tamen nullam putauerint diei vel noctis habendam esse rationem; sed satis esse, si dierum extremorũ, diei vel noctis aliquam partem incluusissent. Addit his Isidorus [d], exemplo resurrectionis Dominicæ obtinuisse vsum in Ecclesia, vt sic tertia die defuncti ageretur memoria, vt tamen dies numerando, vnus tantummodo integer haberetur, duorum vero solummodo partes: nam ait: Sic autem nos quoque eorum, qui mortem obeunt, memoriam celebrare consueuimus. Quacumque hora diei quispiam vitam cum morte commutarit, postero dumtaxat die interiecto, altero post die tertianum ipsius diem agimus.] hæc Isidorus.

[d] Isidor. lib. 1. epist. 114.

CLXXX. Qui & ad tollendam de tribus diebus expletis obiectionem; tertia vtique die, non post tres dies, se Dominum fore resurrecturum prædixisse, ait, vel cum dixit apud Matthæum

Matthæum [a], & Lucam [b]: Oportet filium hominis multa pati, & tertia die resurgere] vel cum apud Ioannem [c] ad Iudæos ait: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.] Hæc cum dixerit ipse Dominus, non est quòd quis Marcum [d] reprehendere iure possit, quòd a ceteris discrepans, cum prædicta refert, dicat: Et post tres dies resurgere.] sicut nec calumniæ Iudæos arguimus, quòd dixerunt ad Pilatum [e]: Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam.] nam non eadem ipsa verba Christi ijdem retulerunt, sed quòd vsitato loquendi more, quod faciendum dicitur tertia die, id post tres dies, nimirum inchoatos, agendum æque diceretur. Ad quam rem indicandam, illud sit in exemplum, quòd cum lege diuina [f] mandetur, vt die octauo circumcidatur infantulus: tamen Lucas [g] post dies octo circumcisum Iesum fuisse, his ait: Postquam consummati sunt dies octo vt circũcideretur puer.] consummatos ait dies octo, cum scilicet aduenisset iam dies octauus, quo ex legis præscripto Iesus erat circumcidendus: sicq. quod illi dixerunt: Post tres dies] vsitato dicendi more, postquam tertius dies aduenisset, debet intelligi. At nec illud aliter Iudæos accepisse, vel significare voluisse, quæ mox addiderunt, satis significant: Iube, inquiunt, custodiri sepulchrum vsque in diem tertium] & non vtique post diem tertium, vel vltra diem tertium. Sed de his satis.

[a] Matth. 16.
[b] Luc. 9.
[c] Ioan. 2.
[d] Marc. 8.
OBIECTIO EX MARCO.
[e] Matth. 27.
[f] Leuit. 12.
[g] Luc. 2.

Firma igitur stabilisq. his paucis sententia maneat, tribus diebus, totidemq. noctibus (quod ipse prædixerat) Christum Dominum in sepulchro mansisse, ac Dominica denique die diluculo surrexisse. In cuius tantæ rei memoriam, ac gratiarum actionem, ipsa prima dies, qua Dominus resurrexit, Dominica est appellata, non ab alijs, quàm ab ipsis Apostolis: nam & Ioannes Euangelista de eadem die sic dicta meminit in Apocalypsi, necnon Ignatius, & alij Apostolorum temporibus proximi: eamq. celebrandam statuerunt, non anniuersario reuoluto tantum mensium orbe, sed cuiuslibet hebdomadis eadem prima recurrente die. At iam historiam prosequamur.

CLXXXI. FIRMATA SENTENTIA.

Cum igitur Angelus de resurrectione Christi admonuisset mulieres, quæ venerant ad sepulchrum, hæc insuper verba subintulit [h]: Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.] hæc Angelus; qui Petrum potissimum nominasse, tum ob primatum, quem inter ceteros a Domino fuerat consecutus, tum vero vt eum mærore ac dolore prostratum erigeret, ac subleuaret, existimatur. Quantumlibet enim Christum Petrus negasset, tamen eum non ob eam causam a primatu excidisse, idem Christus pluribus demonstrauit: prius etenim ipsi, quàm cuipiam Apostolorum, apparuisse, testimonio Pauli Apostoli affirmari posse videtur, immo & pro constanti ac certo id Ambrosius [i] habuit, cum ait: Sicut ex mulieribus Mariæ, & aliæ Mariæ Magdalenæ, ita ex viris Petro visus est primo mane. et Paulus sic ait: Resurrexit tertia die secundum Scripturas, & visus est Cephæ. Et ideo Marcus specialiter induxit iuuenem mandantem, vt Petro & discipulis dicerent mulieres, quia surrexit Dominus. Petrus ergo solus vidit Dominum, alibi cum Ioanne, alibi solus, vbique tamen impiger currit, vbique aut solus, aut primus.] hæc Ambrosius. Sed quàm amplioribus priuilegijs a Domino, postquam resurrexit, Petrus sit auctus, suis locis inferius dicemus.

[h] Marc. 16.

CLXXXII. CHRISTVS PRIVS PETRO QVAM CETERIS APOSTOLIS VISVS.

[i] Ambr. in Luc. lib. 10. in c. 24.

Porro quamuis non omnia, quæ a Christo sunt gesta, Euangelistæ memoriæ Fidelium commendarint: tamen vetus traditio per manus maiorum, ac per subsequentia sæcula ad posteros dilapsa testatur, eumdem Dominum nostrum apparuisse primum omnium sanctissimæ genitrici Mariæ: quod nemo pius, puto, negarit. Quòd insuper eodem fere tempore & Iacobo, qui frater ipsius dictus est, apparuerit, ex Euangelio Matthæi, quo Nazaræi vtebantur, hæc Hieronymus [k] recitat, dum prius ait: Euangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, & a me nuper in Græcum Latinumq. sermonem translatum est, quo & Origenes sæpe vtitur, post resurrectionem Saluatoris refert: Dominus autem cum dedisset sindonem seruo sacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a mortuis. Rursumq. post paululum: Afferte, ait Dominus, mensam & panem. Statimq. additur: Tulit panem, & benedixit, ac fregit, & post dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit filius hominis a dormientibus.] hactenus ex dicto Euangelio Nazaræorum Hieronymus; qui cum non excipiat de apocrypho (vt de alijs assolet)

CLXXXIII. CHRISTVS PRIMVM OMNIVM MARIAE VISVS.

[k] Hier. de script. Eccles. in Iacobo cap. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

assolet) se eiusdem historiæ fidem haud impugnasse demonstrat. A

CLXXXIV His visis, Euangelicam cœptam persequamur historiam: quæ licet ab Euangelistis diuerse referatur, dum quod vnus vel alius tacuit, non defuerit alius exprimendo: tamen neque hac de causa quis rem propius spectans, contrarietatem esse aliquam affirmarit. Hieronymus [a], & Græci nonnulli, non semel easdem mulieres, de quibus iam supra, sed iterum atque iterum eadem die ad sepulchrum veniisse testantur, multasq. idem Hieronymus [b] ad Hedibiam scribens obiectionibus affert solutiones: sed in illis certe admirati sumus vehementer, ac proinde dubitauimus num idem ipse sit auctor, quòd ibidem non vereatur in discrimen adducere vltimum caput Euangelij S. Marci, dum sic ait: Huius quæstionis duplex est solutio: aut enim non recipimus Marci testimonium, quòd in raris fertur Euangelijs, omnibus Græciæ libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, &c.] Equidem cum Marcus Romæ, Latinis (vt vtar verbis Gregorij Nazianzeni [c]) & Latine (vt dicemus) scripserit Euangelium; si diuersa essent eiusdem exemplaria, nostri potius quàm Græcorum auscultandi fuissent. Ceterum capitulum illud vltimum Marci, non tantum ab antiquioribus Latinorum, Tertulliano, Cypriano, & alijs, sed a Græcis ipsis frequenter citatum inuenies. At ne in singulis recensendis, ab instituto longius digredientes, moram trahamus, satis idem ipse Hieronymus erit, qui sibi & omnibus satisfaciat, & de iactura vltimi capituli Marci Euangelij suspicionem purget. B

[a] Hier. in Mat. vlt. Cyrill. 10. & Hedib. q. 4. in fine.
[b] Hieron. epist. ead. q. 2. 4. 5. 6. 7
[c] Greg. Naz. in carm. de 4. Euan.

CLXXXV. Nam eius testificatione constat, tantum abesse vt eo capitulo Græci caruerint, vt illud cum additamento potius quodam legerent, quod in Latinis exemplaribus desideraretur. Reddam singula ipsius verba, quæ eiusmodi sunt, dum contra Pelagianos agit, atque illorum cunctis respondet obiectionibus [d]: Tu dicis possibile esse omni tempore peccata vitare. In quibusdam exemplaribus, & maxime in Græcis codicibus iuxta Marcum [e] in fine eius Euangelij sic scribitur: Postea cum accubuissent vndecim, apparuit eis Iesus, & exprobrauit incredulitatem, & duritiam cordis eorum, quia ijs qui viderant eum resurgentem non crediderunt. Et illi satisfaciebant, dicentes: Sæculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veri Dei apprehendi virtutem: idcirco iam nunc reuela iustitiam tuam.] hæc ibi: ex quibus patet, Græcorum codices non tantum eo vltimo capitulo non caruisse, sed dicto additamento auctos esse: quod cum Manichæorum sapiat hæresim, vt qui mundi substantiam a malo principio esse dicerent, ab aliquo illorum esse superadditum, facile coniectamus. Aliquos codices diuinæ Scripturæ ab illis fuisse deprauatos, aliosq. loco illorum suppositos, cum de his agemus suo loco, non reticebimus: quamobrem Dei Ecclesiã ad instar Latinorum correxisse Græcorum exemplaria, certum est. In hæc vero digressi sumus, ne tanti Patris testimonio fides capituli illius Marci vacillet, & infirmum animum suspicio pulset: consultiusq. dicendum esse putamus, Hieronymum (si tamen ille ipse est) vt humana fert infirmitas, memoria lapsum, quàm Euangelicam veritatem in discrimen adducendam: & pro eo quod dicere debuisset, in Græcis codicibus Marci vltimum caput quibusdam auctum reperiri, illud ipsum in eis desiderari dixisse: vel ipsum posterioribus scriptis corrigere voluisse priora: citatus enim liber contra Pelagianos vltimo loco ab eo scriptus est, vt suo tempore dicturi sumus. Hæc quidem omnia si comperta satisq. explorata habuisset quidam [f] ex recentioribus, nequaquam adeo temere in re tanta Catholico homine indignam tulisset sententiam, dicens vltimum Marci capitulum non esse solidæ auctoritatis ad firmandam fidem. Atque de his satis: ad omissa festinemus. C D E

[d] Hier. aduers. Pelag. lib. 2.
[e] Marc. 16.
[f] Caietan. vide Xyst. Senen. bibioth. lib. 6. c. 232.

CLXXXVI Non igitur vna tantum Maria Magdalene, quam nominat Ioannes [g], nec altera solum Maria, quam recenset Matthæus [h], venerunt ad monumentum, sed & Salome, quam inter alias numerat Marcus [i], atque etiam omnes quæ secutæ fuerant Iesum a Galilæa, vt post dictas, Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, ac ceteræ, vt tradit Lucas [k], quæ cum eis erant, quarum ignorantur nomina. In Ordine Romano, ex maiorum puto traditione, additur & Martha, dum sic antiphona canitur: Maria & Martha cum venissent ad monumentum, Angeli splendentes apparuerunt, dicentes: Quem quæritis viuentem cum mortuis.] Hæ igitur omnes, sicut in passione Domini fuerant vna in Caluariæ monte, ita & ad monumentum eodem pietatis officio accurrerunt, nec (quod alij putant) diuersæ diuersis temporibus eiusmodi visitationis officium

[g] Ioan. 20.
[h] Matth. 28.
[i] Marc. 16.
[k] Luc. 22. 23.

A cium exhibuere, vt egregia concinnatione in sua Concordia Cornelius [a] Ianssenius monstrat. cetera vero relinquimus interpretibus. Tum ergo illæ redeuntes, vt acceperant ab Angelo, hæc quæ viderant, properarunt nunciare discipulis; & quæ prior inter eas nominabatur Maria Magdalene, ea primum [b] Simoni Petro & Ioanni narrauit: qui auulsi a ceteris, præ gaudio cucurrerunt ad monumentum. Ioannes cum peruenisset citius Petro, non tamen introiuit, sed inclinans se vidit linteamina. Petrus vero cum venit, introiuit in monumentum, & vidit (inquit Ioannes) linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat prius ad monumentum: et vidit, & credidit.]

[a] Cor. Ians. concord. c. 145.
PETRVS ET IOANNES CVRRVNT AD MONVMENTVM.
[b] Ioan. 20.

Ad elucidationem rerum gestarum ab Apostolis ac mulieribus in sepulchro, conducere magnopere arbitramur, si quale fuerit sepulchrum Domini, tum ex antiquioribus, tũ ex his qui ad sancta loca inuisenda Hierosolymam sunt peregrinati, qui & hæc memoriæ commendarunt, adducamus in mediũ. Sed ante hæc omnia illud admonemus, moris fuisse Iudæis (quod & superius diximus) in speluncis habere sepulchra excauata. Constat de Abraham [c], ad sepeliendam Saram, emisse ab Ephron Hethæo spelunca duplicem: ceteros Hebræorum, quibus diuitiarum facultas suppeteret, id ipsum facere solitos, argumento sunt ea quæ Epiphanius [d] narrat his verbis: Ducunt miserum adolescentem post occasum Solis in propinquas tumbas; sepulchra enim sic appellantur; speluncæ videlicet in petris effossæ atque constructæ, &c.] Qualis igitur fuerit spelunca in qua Dominus Saluator noster sepultus est, difficile est ex his quæ recentiores scripsere, assequi: nam ex nobilibus murorum structuris, alijsq. superadditis ornamentis, prima illa speluncæ forma est penitus mutata, vt recte quidem S. Cyrillus [e] Hierosolymorum Episcopus, qui claruit temporibus Constantij Imperatoris, testatur his verbis: Et vnde resurget Saluator? Dicit in Canticis canticorum: Surge, propera amica mea. Et in sequentibus: In foraminibus petræ. Foramen petræ dicit id quod tunc ante ostium Saluatoris monumenti erat foramen ex eadem petra, sicut hic esse solet ante monumentum excisum. Nunc enim non apparet, quoniam erasum est vestibulum, propter præsentem ornatum. Nam ante hunc regalem ornatum & apparatum, sepulchri vestibulum erat ante petram. Sed vbi est petra quæ habuit vestibulum? Numquid in his quæ sunt circa ciuitatem posita, aut circum muros, aut circa monumenta? & vtrum in antiquis muris est, aut in his qui posterius facti sunt antemuralibus? Dicitur in Canticis: In cauerna maceriæ habentis petras.] hæc Cyrillus de vestibulo quod in spelunca erat ante sepulchrum Domini positum, quod ob ornatum ecclesiæ desuper structæ fuisse demolitum testatur. B C D

[c] Genes. 23.
[d] Epiph. contra Ebion. hær. 30.
[e] Cyrill. Hieros. catech. 14.

CLXXXVII. DE SEPVLCHRO DOMINI.

Ceterum locus ipse sepulturæ Domini, qui excisus erat in petra, integer permansisse cognoscitur; testantibus id omnibus qui de locis sanctis commentarios edidere; quorum prior ex ijs qui extant, est ille ab Adamnano [f] conscriptus, quem Beda redegit in compendium, qua de causa nos nomine Bedæ citare consueuimus. In eo igitur [g] libro, vbi describitur ecclesia in Occidentali parte Caluariæ montis erecta, hæc de Domini sepulchro narrantur: Huius in medio monumentum Domini rotundum in petra excisum est, cuius culmen extrinsecus stans homo manu contingere potest, ab Oriente habens introitum, cui lapis ille maximus appositus est, quod intrinsecus ferramentorum vestigia vsque ad præsens ostendunt: nam extrinsecus vsque ad culminis summitatem totum marmore tectum est; summum vero culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem. In huius ergo monumenti Aquilonari parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum, longitudinis septem pedum, trium mensura palmorum, pauimento altius imminet, introitum habens a latere Meridiano; vbi die noctuq. duodecim lampades ardent, quatuor intra sepulchrum, octo super in margine dextro: lapis qui ad ostium monumenti positus erat, nunc fissus est: cuius pars minor quadratum altare ante ostium nihilominus eiusdem monumenti stat; maior in Orientali eiusdem loco quadrangulum aliud altare sub linteaminibus extat. Color autem eiusdem monumenti & sepulchri, albo & rubicundo permixtus videtur.] hactenus Beda ex Adamnano, quæ alijs [h] in locis recitat iterum. Qui vero recentius eadem inuisit loca atque descripsit [i], his in omnibus æque consentit; nisi diceret ante speluncam Dominici sepulchri aliam esse cryptam eiusdem magnitudinis & figuræ, solo pariete intermedio segrega- E

[f] Beda de gest. Ang. lib. 5. c. 16.
[g] Beda de locis sanctis c. 2.

DE SITV SEPVLCHRI.

[h] Beda de gest. Ang. lib. 5. c. 17. & in Marc. c. vltimo.
[i] Burchard. de locis sanctis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

segregatam; & ad hanc primo descendi, ex qua per ostium intermedij parietis peruenitur ad speluncam Dominici sepulchri; quod ostium clausum fuisse dicit, quando mulieres tempore resurrectionis dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?] Sed quoniam cum de his agitur, antiquioribus potius standum est, cum multa tempore posteriori mutari potuerint: vnam tantum speluncam fuisse, qua sepulchrum Christi contineretur, ex Bedæ descriptione apparet, eamq. medio postea constructo pariete fuisse diuisam: sicq. ostium lapide clausum, non fuisse illud quod apertum extat in pariete, sed quod in ingressu eius speluncæ, quam Beda secundum Euangelistas appellat monumentum, ab Orientali parte positum erat, cui, inquit, lapis ille maximus superpositus erat.

CLXXXIX Ex his igitur omnibus hæc breui quadam summa perstringimus; nimirum fuisse in parte Occidentali Caluariæ montis speluncam in petra excisam, eamq. peramplam in modum vestibuli, quæ aliam intus contineret specū; rursumq. intra eam excisum fuisse sepulchrum Domini. Porro vestibulum, primam ipsam speluncam, extruendæ ecclesiæ causa (vt vidimus ex Cyrillo) fuisse demolitam constat, lapidemq. illum prægrandem nonnisi secundæ speluncæ, quam Euangelistæ & Beda appellant monumentum, fuisse ostio superpositum. Quod ergo dicit Ioannes [a] de se ipso, primum venisse ad monumentum, sed non introisse, verum cum se inclinasset, vidisse linteamina; sic accipias: ipsum in speluncam primam ingressum, ad secundā peruenisse, sed in eam non introisse, verum ex ostio illius inspexisse, & sepulchrum Domini, quod erat in eiusdem speluncæ parte Aquilonari, apertum tamen a Meridie, intuitum esse, in eoq. posita linteamina conspexisse. Quod insuper dicit Lucas [b]: Petrus procumbens vidit linteamina sola posita] & Ioannes de se refert, quòd cum se inclinasset, viderit linteamina; illud quod est dictum demonstrat, nimirum locum sepulturæ Domini deorsum positum, tribus tantū palmis a pauimento altius excisum fuisse, nec nisi accuruum ac deorsum inclinatum quempiam illud intus a sinistris positum inspicere valuisse. Ex his insuper facile quis accipiet, quid sit quod dicunt Euangelistæ, mulieres ingressas esse in monumentum, & Angelum dixisse: Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus] & quòd ingressæ non inuenerunt corpus Domini: Quid sit insuper quod addit Ioannes, dicēs: Maria stabat ad monumentum foris, plorans: dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: & vidit duos Angelos in albis, sedentes vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.] vt ex his videas, etiam si quis foris staret, nec monumentum ingrederetur, dum tamen se inclinans per ostium aspiceret monumenti, sepulchrum Domini satis videre potuisse. At hæc de his sufficiant in præsentiarum: pergamus reliqua recensere.

a Ioan. 20. ELVCIDANTVR LOCA EVANGELISTARVM.

b Luc. 24.

CXC. Cum ergo Maria ad monumentum plorans persisteret, apparuit ei Dominus quasi hortulanus: quam cum nomine appellasset, ipsa eum agnouit. describit hæc [c] Ioannes pluribus, Marcus vero his tantummodo verbis [d]: Surgens autem Iesus mane prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia.] Hæc facta esse cum constet in monumento, relatione Ioannis, primumq. omnium Magdalenæ apparuisse testetur Marcus; plane constat hanc apparitionē fuisse distinctam ab ea quam scribit Matthæus his verbis [e]: Ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere: ite nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.] sicq. satis liquet, non tantum Mariam Magdalenam, sed & ceteras mulieres illas iam secundo ad sepulchrum Domini redisse. Cum illæ igitur [f] abissent, inquit Matthæus: Ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt Principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit a Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem.] hæc Matthæus.

c Ioan. 20. d Marc. 16.

e Matth. 28.

f Matth. 28.

CXCI. His minime discrepantia, immo consentientia, & vberius enarrata ex vetustioribus monumentis Metaphrastes [g] in rebus gestis sancti Longini Centurionis martyris recitat in hunc modum, incipiens a sepulchri custodia: Postquam, inquit, sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus; Longino Centurioni rursum iussit Pilatus Vitæ sepul-

g Metaphr. 15. Mart. Lip. tom. 6 Sur. tom. 2.

sepulchrū tueri custodia militari. Et ille quidem fecit quod erat imperatum, etsi esset eiusmodi cum Pilato sententiæ, vt iam didicimus. Cum autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula, quæ erant maiora quàm vt ea caperet humana cogitatio, Principibus sacerdotum & presbyteris Iudaici cœtus annunciassent: hoc illi ignominiam & dedecus sibi afferre existimantes, & miraculum volentes extinguere, pecunijs persuaserunt militibus, vt calumniarentur Christi resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes, falsam esse dixerunt resurrectionem. Verum non sic Longinus, sed mendacij quidem fuit præclarus confutator: verax enim testis veritatis, vt qui non sustinuerit calumniari Christum, tamquam furto subreptum; sed lingua & mente libera eum verum esse Deum prædicauit, & e mortuis esse excitatum affirmauit. Quo factum est, vt & ipse Pilatus, & Iudæorum synagogæ Principes, inuidiam qua prius mouebantur in Christum, & quem in eum animo concipiebant furorem, eum nunc in Longinum transferrent, ei adeo irascentes, vt quicquid pateretur Longinus, existimarent eum non satis daturum esse pœnarum. Hinc ea res deuenit ad aures Longini, & eorum ira fuit ei significata. Quapropter magis volens abijci cum Christo, quàm habitare in tabernaculis Iudæorum; cum veste & cingulo dignitatis, ipsam quoque simul quamprimum exuit militiam: et acceptis duobus militibus, qui habebant eumdem zelum pro Christo & veritate, declinat cum populo congressionem, & cum Deo solo & secum versatur. Nec multum intercessit temporis, relictis Hierosolymis, venit in Cappadociam preco simul & Apostolus Christi admirabilium operum, & quæ sunt præter opinionem cum duobus illis militibus effecta.] hucusque de confessione Longini. Quomodo vero, agentibus Iudæis apud Tiberium aduersus Longinum, iussus sit a Pilato teneri ac duci, idem auctor pluribus narrat.

CXCII. Rursus vero (quod ad eumdem Centurionem & milites pertinet) illud recensere minime prætermittimus, quod de Ioseph ab Arimathia, qui (vt habent Euangelistæ [a]) audacter ingressus ad Pilatum petijt corpus Iesu, & sepeliuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra, his verbis refert Gregorius Turonensis [b], nonnisi ex Actis, vt ait, Pilati ad Tiberium Romam transmissis: Apprehensus, inquit, & Ioseph, qui eum aromatibus conditum in suo monumento recondidit, in cellam includitur, & ab ipsis sacerdotum Principibus custoditur, maiorem in eum habentes sæuitiam (vt Gesta Pilati ad Tiberium missa referunt) quàm in ipsum Dominum, cum ille a militibus, hic a sacerdotibus custodiretur. Sed resurgente Domino, custodibus visione Angelica territis, cum non inueniretur in tumulo: nocte parietes de cellula, in qua Ioseph tenebatur, suspenduntur in sublimi; ipse vero de custodia, absoluente Angelo, liberatur, parietibus restitutis in locum suum. Cumq. Pontifices militibus exprobrarent, & sanctum corpus ab ijsdem instanter requirerent; dicunt eis milites: Reddite vos Ioseph, & nos reddimus Christum: sed, vt verum cognouimus, nec vos benefactorem Dei, nec nos filium Dei reddere nunc valemus. Tum illis confutatis, milites ab hac accusatione liberantur.] hæc Gregorius, quæ & in pseudoeuangelio nomine Nicodemi scripto recitata habentur: qualia autem sint ea omnia, fides apud auctores remaneat: nos vero sic ponimus, ne quæ ab antiquis sunt enarrata, inconsulte prætermisisse videamur. Lector itaque boni consulat; & quod monet Paulus, omnia probet, & quod bonum est teneat.

a Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

b Greg. Turon. hist. lib. 1. c. 22. DE IOSEPHO AB ARIMATHIA.

CXCIII. Rursus [c] eadem die Dominus noster duobus discipulis (horum alter Cleophas dictus est, nomen vero alterius silentio prætermittitur) euntibus Emmauntem, & in via de his quæ acciderant Hierosolymis, sermonem habentibus apparuit, sed vultu diuerso, ita vt non cognosceretur ab illis: qui tamen diuinis Scripturis ab eo explicatis sensim proficientes, die iam ad vesperā declinante, cum coegissent illum fingentem se longius ire, vna cum ipsis manere; tandem recumbentem simul ad mensam cognouerunt eum: cum enim panem frangeret, & daret illis; oculi eorum, inquit Lucas, aperti sunt. Sic vero manifeste cognitus, se confestim ab illorū visu subtraxit. Qui eadem hora surgentes, regressi Hierosolymam, quòd Dominum vidissent, restati sunt. Apostoli rursum, quòd apparuisset Iesus Simoni, eosdē certiores reddiderunt. hæc Lucas pluribus. Quod ad Emmauntem spectat: cum Cleopham Emmauntis fuisse indigenam testetur Hieronymus [d], iam satis liquet ipsum tædio expectationis superatum ad propria remeare voluisse. Castellum Emmauntem, quod dicit Euangelista, nobile fuisse olim oppidum

c Marc. 16. Luc. 24. DE DVOBVS DISCIPVLIS EVNTIBVS EMMAVNTEM.

d Hier. de locis Hebraicis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pidum constat; sed ob cæsos illic Romanos milites, haud multum ante tempus a Varo Syriæ Præside crematum [a] est: quæ postea Nicopolis appellata [b], nobilis extitit ciuitas Palæstinæ. A

[a] *Ioseph. antiq. lib. 17. c. 12.* [b] *Hieronym. de loc. Hebr.*

CXCIV. DE FONTE EMMAVNTIS.

Eiusdem meminit Sozomenus [c]; deq. fonte, qui e Christi pedibus in eo ablutis virtutem medicã est consecutus, agit his verbis: Est vrbs Palæstinæ, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem tum pagi (sic enim iam tum fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionem, eamq. Emmaus appellat. At Romani, capta Hierosolyma, & parta contra Iudæos victoria, eam Nicopolim nuncupabant, nomine ex euentu belli impotuis, cum Cleopha incedens, simulabat se ad alterum pagum propere contendere, est fons quidam salutaris, in quo non homines modo qui ægrotant, loti curantur, verum etiam animalia quæ varijs morbis laborant. Nam ferunt Christum vna cum discipulis quodam tempore e via ad fontem illum diuertisse, inq. eo lauisse pedes, & aquam ex eo tempore vim medendi morbis habuisse.] hæc Sozomenus. At quãquam Iosephus [d] id naturali aquarum virtuti potius quàm miraculo tribuere videatur, dum ait: Ammaus (*est idem quod Emmaus*) si quis nomen interpretetur, aquæ calidæ vocantur: ibi enim eiusmodi fons est sanandis corporum vitijs idoneus] tamen cum Plinius [e] retuerso, quod scribit Sozomenus, contingere facile potuit. Sed iam ad propositam Euangelicam historiam redeamus. B

[c] *Soz. hist. lib. 5. c. 20.* [d] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 4. c. 1.* [e] *Plin. nat. hist. lib. 5. c. 14.*

CXCV. ALIA MANIFESTATIO.

Cum summo vespere (vt ex his quæ Lucas [f] scribit, manifeste patet) Cleophas vna cum comite cognouisset Iesum in fractione panis: licet eadem hora, vt idem ait, redituri Hierosolymam inde recessissent: nonnisi in fine primæ vigiliæ noctis, tertia videlicet hora illuc peruenisse oportuit; cum constet, eodem auctore Euangelista, sexaginta stadiorum, hoc est, septem ac dimidij milliariorum fuisse illius itineris spatium. Addit Lucas: Dum hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolite timere. Conturbati vero, & conterriti, existimabant se spiritũ videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum, palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.] Haud dubium eadem est hæc manifestatio cum illa quam Ioannes [g] in hunc modum describit: Cum ergo sero esset die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metũ Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus.] vt ex his manifeste intelligas, quod factum est non ante tertiam horam noctis, Ioannem dicere id accidisse sero illius diei, vsualis scilicet, qui (vt superius diximus) vsque ad mediam noctem extendebatur. C D

[f] *Luc. 24.* [g] *Ioan. 20.*

CXCVI.

Meminit huius apparitionis proculdubio Ignatius, cuius de hac re testimonium recitat Hieronymus [h] his verbis: Ego vero & post resurrectionem in carne eum vidi, & credo quia sit. et quando venit ad Petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate me, & videte quia non sum dæmonium incorporale. Et statim tetigerunt eum, & crediderunt.] hactenus verba Ignatij a Hieronymo recitata ex epistola ad Polycarpũ, quæ tamen in ea quæ hodie legitur, desiderantur: verum Eusebius [i] eadem ex ipsomet quoque Ignatio repetit, sed ex epistola ad Smyrnenses, vbi re vera ea scripta erant verba, licèt tamen in recentiori editione [k] nonnihil mutata habeantur, fortasse quia interpres deprauata nactus est exemplaria, vel alia ex causa non est assecutus: sic enim ibi legitur: Ego vero non modo in carne veniſſe ipsum cognosco ex natiuitate & crucifixione; sed & post resurrectionem scio eum in carne fuisse, & credo etiam nunc esse. et quando ad Petrum venit, inquit ipsis: Accedite, palpate, & videte quòd non sum dæmonium incorporale; spiritus enim carnem & ossa non habet, quemadmodum me videtis habere.] hæc ibi, quæ haud dubium secundum lectionem antiquam eamdemq. germanam, vt Eusebius & Hieronymus legebant, restituenda sunt. Verum illa verba Domini: Palpate, & videte quòd non sum dæmonium incorporale] licet in ceteris Euangelistis minime legantur, sed recte illa: Quia spiritus carnem & ossa non habet] legi tamen eadem ipsa in Euangelio Matthæi nomine, quod dicebatur Nazaræorũ, & a se translatum esse ait, testatur ipse Hieronymus [l]. In recentiori vero Eusebij translatione cum eadem verba desiderentur, non dicam oscitantia interpretis, sed codicis depraE

[h] *Hieronym. de script. Eccl. in Ignatio c. 16.* [i] *Euseb. hist. lib. 3. c. 30.* [k] *Tom. 1. Bibl. sanct.* [l] *Vbi supra in Ignatio.*

uatione hoc accidere potuit: nam in Ruffini versione eadem vltima verba, sicut a Hieronymo posita sunt, æque recitantur; quam quidem recentiori in his merito anteponimus. Sed iam cetera prosequamur. A

Quæ subdit Lucas de Domino, quòd appositum sibi cibum manducauit, & reliquias dedit discipulis, & quæ verba Domini refert; ea in nouissima manifestatione contigisse, ex eo facile colligi potest, quòd ijs illi a Domino admonerentur, ne recederent Hierosolymis, sed illic expectarent promissum Spiritum sanctum: cum alioqui hac prima die (vt vidimus) iussi sint per mulieres [a] ab Angelo in Galilæam proficisci: sicq. post ipsorum reditum ex Galilæa Hierosolymam ea facta esse, necesse est affirmare. Ceterum quæ post ostensionem manuum atque lateris sint secuta, ex narratione Ioannis [b] satis aperte significantur, dum ait, Dominum post illa, pacis salutationem ingeminasse, sicq. dixisse: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.] Munere suo Christus, a Patre missus in hunc mundum (vt ait Apostolus [c]) peccatores saluos facere, iam prope perfunctus: consulturus Ecclesiæ suæ, eamdem quam vt homo accepit a Patre potestatem dimittendi peccata, per Spiritum sanctum, quem insufflationis visibili signo est impartitus, transfudit in discipulos suos, & illi in posteros succedentes sibi inuicem vsque ad præsentem diem. Si enim (quod habet liber Numeri [d]) auferens Deus de Spiritu qui erat in Moyse, ac tradens septuaginta viris, eamdem prophetandi gratiam in illos contulit; quomodo non magis decuit Spiritum Christi in posteros propagari? Participant proculdubio Spiritum Christi, quotquot vice Christi initiantur in Ecclesia sacerdotio: qui sicut in cœna Dominica faciendi, hoc est (quod diximus etiam fusius in Notationibus ad Rom. Martyrologium) sacrificandi facultatem acceperunt, ita etiam nunc peccata dimittendi vel retinendi adepti sunt potestatem. Quod enim olim promiserat dicens [e]: Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: et quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo] nunc impartiens illis Spiritum sanctum, feliciter implet. Et cum ratum certumq. sit neminem peccata dimittere nisi solum Deum; tradendo suis hanc facultatem, in quod sublime dignitatis fastigium sacerdotes nouæ legis euexerit, vt in hac parte etiam super Angelos sublimauerit, facile potest intelligi. Agunt de his pluribus tum Ioannes Chrysostomus [f], tum ceteri Orthodoxorum Patrum. B C

[a] *Matth. 28.* [b] *Ioan. 20.* [c] *1. Tim. 1.* [d] *Num. 11.* [e] *Matth. 18.* [f] *Chrys. de dig. sacerd. & alij tum Graci, tum Latini.*

CXCVII. SPIRITVM SANCTVM IESVS SVIS IMPARTITVR.

CXCVIII. CONFESSIO PECCATORVM NECESSARIA.

Cum igitur in horum arbitrio munus soluendi & ligandi, remittendi ac retinendi peccata hominum, a Christo Domino per Spiritum sanctum fuisse positum liquido constet: hos adeant necesse est (cum facultas subest) qui peccatorum suorum a Domino veniam consequi cupiunt. Sed quoniam eorum munus est inter peccata atque peccata distinguere, & conditionem delinquentium disquirere & examinare, & quos soluere, quosve ligare, quorum peccata remittere, quorum denique retinere debeant, exacta peruestigatione cognoscere; hinc fit, vt sua illis pœnitentes confiteri peccata, ac quantum fas est, singillatim conditiones aperire debeant: quod necessaria assumptione consequi, illi tantum non vident qui rebelles sunt lumini. Concessa itaque semel a Christo Apostolis soluendi atque ligandi, remittendi atque retinendi peccata hominum facultate; hos ad illa confitenda, & sic ad veniam promerendam, obligare voluisse, exploratissimum est. Porro hanc esse puram sinceramq. Christi doctrinam, Apostolorum traditione receptam, & vsu Catholicæ Ecclesiæ confirmatam, opportuniori loco inferius demonstrabimus: propositam interim, quantum breuiter licet, Euangelij prosequamur historiam. D E

CXCIX.

Thomas (inquit Ioannes [g]) vnus ex duodecim, non erat cum eis quando venit Iesus.] Porro quantumlibet absentem, collatæ gratiæ per Spiritum sanctum remittendi peccata ceteris impartitæ, fuisse Thomam expertem, nemo iure dixerit, qui attenta consideratione recogitet quod olim factum esse in Heldad & Medad diuina Scriptura commemorat [h]: nã licet cum ceteris præsentes non essent, cum ceteros Dominus imbuit spiritu prophetandi; tamen quòd semel scripto fuissent inter alios recensiti, eiusdem prophetici muneris, admirantibus ceteris, participes facti sunt. At vero inuisibilem illam gratiam visibili signo tunc a Domino præsentibus collatã Apostolis atque discipulis, vniuersis etiã qui ijsdem legitima ordinatione in posterum successuri essent vsque

[g] *Ioan. 20.* [h] *Num. 11.*

POTESTAS PROPAGATA AD POSTEROS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad consummationem sæculi, æque esse tributam, nemo est qui negare possit; nisi qui A vna cum Apostolis atque discipulis extinctis, sunditus perijsse Ecclesiam, stulte admodum impieq. nimis dicere ausus fuerit. Ceterum (vt cœpta prosequamur) Thomas, de quo est suscepta narratio, audiens a discipulis Dominum illis apparuisse, cupiens & ipse eodem quo illis nuper modo tribuentem sibi quoque manus & latus videnda atque palpanda, manifestari Dominum, atque incredibili æstuans eiusmodi desiderio, in ea sic contestatus erupit verba [a]: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.] Præstitit & hoc ipsum Iesus Thomæ post dies octo: quando iterum ingressus ad discipulos ianuis clausis, pacis salutationem suo more impartiens illis, ad Thomam conuersus, aperiens eidem manus & latus, vt inferret digitum, & admoueret ad latus manum, & ne esset incredulus, sed fidelis, admonuit. Cum ille his superaeus, ac plus certo persuasus, ipsum suum Dominum ac Deum esse confessus est. Tunc ad eum Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.] Facta sunt hæc omnia Hierosolymis.

a Ioan. 20.

IESVS AD THOMAN.

B

CC. Post hæc vero Apostoli, vt admoniti per mulieres ab Angelo fuerant, abierunt in Galilæam, non tamen confestim in illum montem, quem (vt ait Matthæus [b]) constituerat illis Iesus. Nam cum Pauli [c] testimonio constet, illuc conuenisse plusquàm quingentos fratres (de illa enim Paulum esse locutum, consentiunt omnes, cum omnium solemnissima fuerit facta manifestatio) haud facile fuit dispersos septuagintaduos discipulos in vnum colligere; ceteroſq. qui tum in Iudæa, tum etiam in Galilæa erant Christo credentes, admonere vt ad certam diem omnes vno loco sisterentur. Ex his igitur C quæ Ioannes scribit [d], colligi potest, Petrum ac ceteros quos recenset Apostolos, in Galilæam proficiscentes, ad propria remeasse, illicq. donec ceteri omnes credentes colligerentur in vnum, moras traxisse: tunc etiam (quod idem scribit Euangelista) ipsis piscantibus, Dominum apparuisse. quam cum tertiam ordine factam apparitionem fuisse dicat [e]; haud dubium ante manifestationem in monte factam eam contigisse, necesse est affirmare. Rem gestam exacte admodum describit idem Ioannes Euangelista, postquam præcedenti capitulo finem videretur imposuisse Euangelicæ scriptioni: vt appareat hæc eo consilio addidisse, quòd videret ea esse a ceteris prætermissa; quòdq. magni essent ponderis, non inuoluendam silentio nobilissimam Christi actionem, qua Petro totius vniuersalis Ecclesiæ contulit præfecturam, existimauit.

b Matth. 28.
c 1. *Cor.* 15.
APOSTOLI IN GALILÆAM ABEVNT.
d Ioan. 21.
e Ioan. 21.

CCI. Ioannes igitur post descriptam a se Petri ac sociorum piscationem, Christiq. factam illis manifestationem ad mare Tiberiadis, ac admirandam piscium capturam, & mensam ipsis a Christo paratam, hæc addit: Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei iterum: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oues meas.] Iam ipsa pi- D
PETRI PISCATIO. scatione typus quidam ac figura Petri primatus fuerat præsignata, dum ipse primus piscandi inijt consilium, & piscationem aggreditur: et licet alij simul rete iactarent in mare, & ad littus traherent; educere tamen illud ex aquis in terram, Petri solius fuit opus: Ascendit (inquit Ioannes) Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquagintatribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.] E Quem igitur piscationis symbolo nouimus coryphæum Apostolorum, Dominus alia ab his diuersa metaphora, gregis scilicet atque pastoris, eumdem vniuersalem totius Ecclesiæ demonstrat esse pastorem. Iam olim prædixerat: Tu vocaberis Cephas] Petra scilicet, super quam suam esset ædificaturus Ecclesiam. Rursus eidem ipsi pollicitus erat claues, dicens: Tibi dabo claues regni cælorum.] in præsentiarum vero hæc felicius implens, ait: Pasce agnos meos: Pasce oues meas.]

CCII. Sicut enim quæ ceteris Apostolis æque ac Petro contulit, & communia omnibus esQVAE COMMVNIA APOSTOLIS OMNIBVS. se voluit, euidenter expressit; nimirum cum dixit de his quæ ad sacrificium pertinent: Hoc [f] facite in meam commemorationem] & quæ ad verbi prædicationem, quæq. ad baptismum: Euntes [g] docete omnes gentes, baptizantes eos] quæ insuper ad remissionem peccatorum spectarent: Quæcumque [h] alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo:

f Luc. 22.
g Matth. 28.
h Matth. 18.

A in cælo: et quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo] vel cum dixit: Accipite Spiritumsanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt] siue cum [a] aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas: Ira etiam quæ peculiaria voluit esse Petri, aperte significauit, siue cum dixit: Tu vocaberis [b] Cephas] vel cum ait: Tu [c] es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] aut cum subdit: Et tibi dabo claues regni cælorum] ac denique cum eadem modo perficiens atque adimplens ait [d]: Pasce agnos meos, & pasce oues meas.]

a Luc. 24.
b Ioan. 1.
c Matth. 16.
d Ioan. 21.

CCIII. Ex his igitur videas, Dominum nostrum, certo quodam discrimine adhibito, quæ communia essent omnibus Apostolis, & quæ Petro tantummodo contulisset, egregie distinxisse: vt non mireris, si eadem adhibita distinctione, Patres dixerint aliquando, omnes Apostolos pari fuisse præditos potestate; aliquando vero, Petrũ ceterorũ caput, B & principem: vt Cyprianus [e] fecisse videtur, cum secundum germanam lectionem sic ait: Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam: et portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: et quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oues meas. Super vnum illum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritumsanctum: si cui remiseritis peccata, remittuntur illi; si cui retinueritis, retinebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & C vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in Cantico canticorum Spiritussanctus ex persona Domini designat, & dicit: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere fidē se credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit; qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?] hæc Cyprianus: qui & multa alia in eamdem sententiã, cum ibi, tum alijs in locis pie eruditeq. admodum coagmentat: qui & sæpe [f] firmiter contestatur, non aliunde obortas hæreses esse, ac nata schismata, quàm inde, quòd vnus in Ecclesia Dei sacerdos, D qui Christi vice fungatur, non cogitetur, ac pariter cognoscatur; quem esse Petri successorem Romanum Pontificem, pro constanti & absque aliqua controuersia sæpius asseuerat.

e Cyprian. de vnit. Eccles. PETRI PRIMATVS.
f Cyprian. ad Cornutum lib. 3. *epist.* 55. *ad Rogat. epist.* 65. *ad Flo. Pupian.* 69.

CCIV. Assertæ distinctioni etiam æque respondet, quòd S. Hieronymus modo super omnes PATRVM ASSERTIONES. Apostolos fundatã dicit Ecclesiam, paremq. eosdem adeptos a Domino potestatem: modo vero Petrum caput & principem appellat Apostolorũ, ac super eum fundatam testatur Ecclesiam. Vt in primis cum ait [g]: At dicis: Super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tollatur occasio.] hæc Hieronymus, qui & alias [h] pluries super Petrum fundatam esse tradit Ecclesiã, eumq. prin- E cipem [i] Apostolorum & Ecclesiæ sæpe nominat: cuius [k] successori qui non communicat, esse ab Ecclesia Catholica alienum, nec esse Christi, sed Antichristi, graui assertione confirmat. Ioannes [l] Chrysostomus, dum de his agit verbis, quibus Christus affatus est Petrum, hæc ait: Quid tandem, alijs omissis, de his dumtaxat Petrum affatur? Os erat Apostolorum, & princeps & vertex ipsius cœtus; propterea & Paulus eum præter alios visurus ascendit: simul vt ei ostenderet iam sibi fiduciam habendam: tamquam enim negationis obliuisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, sed tantum dicit: Si amas me, fratrum curam suscipias.] hæc Chrysostomus, alludens, vt apparet, ad illud a Domino Petro dictum [m]: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.]

g Hier. aduers. Iouin. lib. 1.
h Hier. eod. lib. 1. *epist.* 54. *ad Marcellã. epist.* 57. *ad Damas. & lib.* 1. *contra Pelag. In Mat. c.* 16.
i Contra Pelag. lib. 2. *De Script. Eccl. c.* 1. *in Petro. In epist. ad Galat. cap.* 3. *In epist. ad Ephes. c.* 1.
k Hier. ad Damas. epist. 57.
l Chrys. in Ioan. hom. 87.
m Luc. 22.

CCV. Ceterum vt ad sententiam S. Hieronymi reuertamur, qua dicit cunctos Apostolos claues regni cælestis accepisse: sic eã accipiendam esse existimamus, vt Apostoli æque

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac Petrus earumdem clauium vsum habuerint, ordinaria potestate scilicet dimittendi peccata. Verum quod spectat ad supremum dominium & auctoritatē, quam per clauium traditionem significatam esse ex claue [a] Dauid satis confirmatur: constat Euangelij testimonio, Petro tantūmodo a Domino tunc temporis fuisse promissas, ac Petro dumtaxat esse datas, atque sic supremam potestatem, hoc ipso scilicet tempore, cum a Domino eidem vniuersus grex pascendus committitur. Vnde Optatus [b] Mileuitanus: Bono vnitatis, inquit, beatus Petrus (cui satis erat, si postquam negauit, solam veniam consequeretur) & præferri omnibus Apostolis meruit, & claues regni cælorū communicandas ceteris solus accepit.] et post nonnulla: Stant tot innocentes, & peccator accipit claues: vt vnitatis negotium formaretur, prouisum est vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ necessaria est, vnitas esse non posset.] hæc ille, & alia plura id genus: qui [c] & non semel expresse firmiterq. testatur, vniuersalem totius Ecclesiæ præfecturam, quam a Christo Petrus est consecutus, transfusam esse in Romanos Pontifices, Petri cathedræ legitimos successores, vt cum hæc ait: Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Apostoli singulas sibi quisque defenderent; vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c.]

a Isa. 22. Apoc. 3.
QVID PRAE CAETERIS PETRO COLLATVM.
b Optat. contra Parm. lib. 7.
c Optat. contra Parm. lib. 1. & 2.

CCVI. DIFFERENTIA INTER PETRVM ET ALIOS APOSTOLOS.

Et vt agamus exemplo prudentis patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera, his addamus quæ scribit S. Bernardus ad Eugenium Romanū Pontificem, cum ait: Tu es, cui claues traditæ, cui oues commissæ sunt. Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto differentius vtrumque præ ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi vniuersi crediti sunt, vni vnus: nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui etiam non dico Episcoporum, sed & Apostolorum sic absolute, sic indiscrete totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed designasse omnes? &c.] Sic igitur cum omnes Christi oues & agnos Petrus a Domino post resurrectionem eius pascendos acceperit, vniuersi gregis pastoris nomen est consecutus, quod nemini Apostolorum constat esse concessum. Vnde Arnobius [d] hæc in eam sententiam, & quidem egregie: Apostolo pœnitenti succurritur, qui est Episcoporum Episcopus: et maior gradus redditur ploranti, quàm sublatus est deneganti.] addit: Quod vt doceam, illud ostendo, quòd nullus Apostolorum pastoris nomen accepit. Solus enim Dominus Iesus Christus dicebat: Ego sum pastor bonus. et iterum: Me, inquit, sequuntur oues meæ. Hoc ergo nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit; & ter negatus, negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.]

d Arnobius in Psal. 138.

CCVII. Sed & S. Leo [e]: Inter beatissimos Apostolos, inquit, in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: et cum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt ceteris præemineret; de qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio.] Gregorius [f] itidem: Certe, ait, Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est: Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quàm singularum sunt plebium capita?] hæc quidem secundum dictam distinctionem, habita ratione eorum quæ præ ceteris a Domino collata sunt Petro: cum alioqui quod pertinet ad Apostolicum munus Euangelij prædicandi, atque peccata soluendi, æque omnes Apostolos plenissima potestate in vniuersum mundum missos esse, idem ipse Gregorius [g] profiteatur: qui & eadem ratione, Paulum Apostolum caput Gentium effectum esse, & totius Ecclesiæ principatum obtinuisse, testatur. Ceterum quantumlibet amplissimus fuerit eius Apostolatus, quem accepit ad Gentes saluandas; tamen nihil est, quòd potestate æquari possit principi Apostolorum omnium Petro, quem cum præfecerit Dominus vniuerso gregi, Gentes etiā eiusdem subdidit potestati: futuræ enim erant & ipsæ Christi oues, de quibus ait aliquando [h]: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: et illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.]

e Leo epist. ad Anast. Episcop. Thessalon.
f Gregor. lib. 4. epist. 38.
g Greg. in lib. 1. Regi c. 4.
PAVLVS IN QVO MINOR PETRO.
h Ioan. 10.

Cum

Cum itaque nonnisi omnium ouium dicat vnum ouile esse futurum, vnumq. pastorem, cuius Dominus oues suas omnes & agnos curæ subiecerit: illum ipsum fuisse Petrum, nec alium præter ipsum, eadem potestate qua ipsum, in vniuersali Ecclesia vnicum institutum esse pastorem, ex his quæ dicta sunt, neminem puto, nisi forte delirum & mente captum, non intelligere. Nec quia Petrus eos potissimum, qui ex circumcisione erant, erudiendos suscepit, angustioribus finibus Apostolatum suum amplissimum coarctauit: sicut nec cum Dominus de se dicat atque profiteatur, non esse missum nisi ad oues quæ perierunt ex domo Israel, excluditur hereditate Gentium, quam postulauit a Patre, vt non æque Gentium ac Iudæorum pastor esse dicatur.

CCVIII. PETRI POTESTAS PROPAGATA AD POSTEROS.

Est igitur Christi ouile vnum, eiusdemq. pastor vnus, idemq. Petrus electus a Domino, ac maxima omnium præfectura nobilitatus: quam ne extinctam esse cum Petro, & vnius tantum hominis vita superstite Christi Ecclesiam perduraſſe; ac subinde gregem sine pastore, corpus sine capite, fundamentum sine structura, seu sine fundamento structuram penitus remansisse, stulte nimis æque ac impie dicere cum Ethnicis ceterisq. Christianæ fidei hostibus compellamur: fateri necesse est, eamdem collatam a Domino in Petrum summam omnium potestatem, in posteros eius cathedræ successores esse deriuatam. Istud ipsum denique est, quod Augustinus [a] sæpe testatur, Dei Ecclesiam in Petro claues accepisse, & in se Petrum totius Ecclesiæ figuram repræsentasse: ne videlicet tantum munus videretur in Petri personam solummodo esse collatum, ac cum illo pariter extinctum; sed potius in ipsum, tamquam in totius corporis caput mysticum, quod non extingueretur, sed semper viueret in successoribus. Vnde idem ipse Augustinus ad cathedram Petri sæpe prouocat Donatistas, vt cum scribit ad Generosum his verbis [b]: Si, inquit, ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, &c.] Post recensitos singulos Romanos Episcopos, Petri successores, vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat, hæc subdit: In illum autem ordinem Episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro, vsque ad Anastasium, qui nunc eamdem cathedram sedet, etiam si quispiā traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præiudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus Dominus prouidens ait de præpositis malis: Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite.] Ex quibus liquet priuilegia sic a Christo fuisse Petro concessa, vt idem ipse velut persona propria exprimeretur in singulis successoribus, atque in Ecclesia viueret semper; nec eiusmodi veritatis signum posse successoris alicuius criminibus vmquam vel leuiter labefactari.

a Aug. in Ioan. tract. 50. & 124. & aliis locis.
b Aug. epist. 165.

CCIX.

Id ipsum de Petro, ac de Romanæ Ecclesiæ Pontificibus testati sunt, quotquot ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ extiterunt nostrarum rerum Catholici tractatores, & quotquot etiam fuerunt vmquā sacra Concilia in Spiritu sancto legitime congregata: hoc ipsum omnes denique Sancti, quorum vita est illustrata miraculis, sunt semper absque aliqua dubitatione professi. Non est autem præsentis instituti prædictorum omnium singula hic intexere testimonia: nam cœpta atque inita semel rerū gestarum tractandarum ratione, ab ea diuelli non patimur: cum alioqui eadem ipsa in nostrorum Annalium singulis fere annis recensendis lector inueniat vbique testata, ac facile explicata. Hæc vero summatim perstricta in præsentiarū prætermisisse minime oportuit, quòd in præfatione polliciti simus, non tantum res gestas prosequi, sed ipsius Ecclesiæ institutionis originem, & quæ ad eam spectant ordinationes atque traditiones, ijsdem nostris Annalibus interserere. His igitur sic cursim explicatis, quæ reliqua sunt narrationis Euangelicæ prosequamur.

CCX.

Post hæc omnia de primatu Petri a Domino stabilita; quo ipse genere mortis ad postremū clarificaturus esset Deum, eidem prædixit: quem & quòd curiose de Ioannis futuro statu perquireret, Dominus ab ea rogatione dimouit. Hæc cum narrasset Ioannes, suo Euangelio finem imponit, multa (vt ipse testatur) prætermittens: satis enim sibi visa sunt ea quæ scripsit, tū ad veritatem Euangelicam adstruendā, tum etiam ad hæreticos arguendos, quorū causa eiusmodi suscepisse negotium, Hieronymus [c] & alij atte- stantur. Iam vero sequitur, rerum ac temporū ordine, celeberrima omnium Domini illa manifestatio in Galilæa, in monte facta, qui Tabor fuisse ab omnibus existimatur:

c Hier. de script. Eccl. in Ioan.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Matth. 28. IN MONTE MANIFESTATIO CHRISTI.

de qua agens Matthæus [a], hæc ait: Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis Iesus, &c.] Porro non ille tantum discipulorum numerus, qui Hierosolymis in Galilæam profectus est, tunc interfuit: sed fere quotquot vidébantur fuisse in Christo credentes, nimirum post Apostolos, ac septuagintaduos discipulos, reliqui omnes qui tam in Iudæa, quàm etiam in Galilæa Christi fidem fuerant amplexati, eidem manifestationi omniũ celeberrimæ præsentes fuere: hanc enim

b 1. Cor. 15. omnes fere existimant fuisse illam, cuius meminit Paulus Apostolus [b], dum ceteras numerans ait: Visus est Cephæ, & post hoc vndecim: deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autem dormierunt.] Hæc enim non sicut reliquæ a Domino factæ manifestationes, inopinato & præter spẽ accidit; quæ quidem a Domino primum prænunciata, & locus in quo agenda esset, ab eodem destinatus ac constitutus est; quæ etiam ab Angelo post resurrectionem fuerat indicata, ac Apostolis per mulieres significata. Quamobrem certa dies ab Apostolis putatur esse condicta, qua prædicti omnes vno loco sese sisterent, atque aduenien-

c Matth. 28. tem Dominum expectarent. Cum igitur illuc venissent, inquit Matthæus [c], videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæcumque mandaui vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.] hactenus Matthæi Euangelium.

CCXI. APPARITIO FACTA IACOBO.

Quòd vero post hæc addit Paulus, apparuisse Dominum Iacobo: nulla penitus de ea re apud Euangelistas habetur mentio: quæ vero ex Euangelio Nazaræorũ a Hieronymo [d] recitatur Iacobo fratri Domini facta manifestatio, contigisse creditur prima die, & existimatur esse ab hac diuersa, quæ remanet prorsus obscura. Quòd insuper adhuc manifestationem aliam post eam omnibus Apostolis factam esse idem Paulus affirmat,

d Hieronym. de script. Eccl. in Iacobo c. 2.

e Marc. 16. proculdubio illam nouissimam omnium esse credimus, quæ a Marco [e] Euangelista ac

f Luc. 24. Luca [f] narratur, licet ab alijs alio loco ponatur. Postquam enim e Galilæa Hierosolymam Apostoli sunt reuersi, eiusmodi manifestationem Domini contigisse Lucas non obscure significat ex verbis Domini, quibus iussi sunt Apostoli manere in ciuitate, donec acciperent Spiritum sanctum: cum alias, antequam inde recessissent, admoniti essent ab Angelo proficisci in Galilæam: vt manifeste appareat, post reditum e Galilæa Hierosolymam, factam esse.

CCXII. DE NOVISSIMA MANIFESTATIONE.

Apparuisse autem hac vltima vice Dominum Apostolis recumbentibus, Marcus testatur, cum ait: Nouissime recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.] Lucas de eadem mensa testari videtur, dum ait: Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis:] ac subinde ex Scripturarum testimonio suam resurrectionem confirmans, tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas, admonuitq. ne inde secederent, sed Hierosolymis manerent, donec induerentur virtute ex alto. quibus dictis, educens eos foras, Bethaniam versus, eleuatis manibus benedixit eis, & cælum conscendit. Hæc omnia Lucas, sed pluribus Marcus; qui (vt diximus) de hac nouissima Domini manifestatione agens, dixisse adhuc Apostolis ait: Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia eijcent, &c.] addit demum: Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet a dextris Dei.] vt ex his manifeste appareat, vnam eamdemq. manifestationem a Marco & Luca descriptã, eamdemq. esse nouissimam, de qua quod alter scripsisse videretur, vel prætermisisse, alter tacuit vel expressit. Quin & Lucas, quod tam Marcus quàm ipse etiam in narratione Euangelica præterijsse vili essent; scribens postea Acta Apostolorum, ipso eorum exordio superaddidit,

g Act. 1. dicens [g]: Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, &c.]

At quo-

CCXIII. DVAE CONCESSAE ECCLESIAE DOTES.

At quoniam hac sua nouissima manifestatione, præter alias dotes quas Christus Dominus noster suæ Ecclesiæ liberaliter contulit, duas superaddidisse videtur, vnam a Marco positam, alteram vero a Luca enarratam; illam de operatione miraculorum collatam Fidelibus, quæ communis omnibus Christianis esse posset, istam de diuinarum Scripturarum intelligentia Apostolis tantum peculiariter concessam: non possumus leuiter sic rem percurrere, vt non aliquantulum eiusmodi dona consideremus: quæ eo quòd nonnisi in Ecclesia Catholica reperiri, nec ab alijs vsurpari possint, merito dotes Ecclesiæ sunt a Patribus appellata: sunt enim signa quædam firmiter inhærentia veræ Christi Ecclesiæ, quibus eadem ab hæreticorum conuentibus, Satanæ synagogis, distingui possit: quæ tamen sic ei data esse noscuntur, vt non singulis qui sunt in Ecclesia, sint concessa. non enim quibuscumque Catholicis est miraculorum gratia impartita, vel semper: neque etiam omnes, qui loco Apostolorum successerunt Episcopi, assecuti sunt sensum & intelligentiam Scripturarum; vel eos ipsa semper excelluisse gratia fuerit necessarium. Nam sanctissimos Patres, quos Doctores Ecclesiæ ob illorum sublimem eruditionem merito nominamus, quantumlibet ea Spiritus sancti gratia præ ceteris imbutos esse liqueat, in interpretatione Scripturarum non semper ac in omnibus Catholica Ecclesia sequitur. Sed sic dicta Spiritus sancti charismata a Christo suæ Ecclesiæ concessa esse dicuntur, vt eius sint propria, nec penes alios, qui foris sunt, inueniri queant.

CCXIV. DE DOTE MIRACVLORVM.

Et vt agamus de singulis. Quod in primis ad miraculorum virtutem spectat, numquam ad falsæ doctrinæ attestationem ab hæreticis aliquod factum aliquando miraculum reperitur, quod vere miraculum dici posset, vt suis locis inferius declarabimus. Cũ enim, quod ad eam rem pertinet, nihil aliud sit miraculum, quàm a Deo omnipotente patenter editum testimonium: secundum quod & ipse Dominus aliquando ad eam confirmandam veritatem ait [a]: Vt autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam] vel cum inculcat de testimonio Patris [b]: quod & Sancti sæpissime fecisse noscuntur. Certe penes quos veritas doctrinæ non est (quoniam Deus verax est, nec fallere, nec falli potest) nec per miracula facta diuina attestatio vmquam accedet: repugnant enim & omnino contraria sunt inter se, vt veritas mendacio adstipuletur, ac Deus consentiat falsitati. Ceterum quotiescumque expedire visum est ad confirmationem veræ doctrinæ, & vtilitatem electorum, ac reproborum confusionem, exhiberi miracula; Deus numquam Ecclesiæ suæ defuit, nec deerit, cum se ipsum (vt ait Apostolus [c]) negare non possit. Suppetunt innumera de his exempla, quæ suis locis secundum temporum ordinem opportunius enarrabimus: addemus pariter de nonnullis hæreticis, qui eiusmodi dotem Ecclesiæ æmulantes, gratiam miraculorum affectantes, per fictionem saltem, cum non liceret per veritatem, eam vsurpare conati sunt; sed confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.

a Marc. 2.

b Ioan. 7. 8. & 15.

c 2. Tim. 2.

CCXV. DIVINAE SCRIPTVRAE ALTITVDO.

Quod autem pertinet ad intelligentiam Scripturarum a Christo collatam Apostolis, ac transfusam per eosdem in sanctam Ecclesiam: nemo tanti muneris amplitudinem facile mente concipiet, nisi quæ eiusdem sit Scripturæ altitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, perfecte nouerit. Ecce enim, qui tam immensum pelagus nauigarunt (quod ait Psalmista [d]) facientes operationem in aquis multis, viderunt mirabilia in profundo. Audi quid de his, quod didicit experimento, Augustinus [e] testetur: Tanta est, inquit, Christianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab eunte ætate vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quòd ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta perueniatur difficultate; sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie recteq. non viuitur, tam multa, tamq. multiplicibus mysteriorum vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaq. non solum in verbis quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cum consummauerit homo, tunc incipit.] hæc Augustinus. Gregorius [f] etiam in eamdem sententiam: Multa quidem, inquit, in illa ita aperta sunt, vt pascant paruulos: quædam vero obscurioribus sententijs, vt exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta, plus grata sint. Nonnulla autem in ea ita clausa sunt, vt dum ea non

d Psal. 106.

e Aug. ad Volus. epist. 2.

f Greg. 1 Ezech. homil. 1.

intelli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

intelligimus, agnoscentes infirma nostræ cæcitatis, ad humilitatem magis quàm ad A
intelligentiam proficiamus. Sunt enim quædam, quæ ita de cælestibus loquuntur, vt
solis illis supremis ciuibus in patria sua persistentibus pateant, ac necdum nobis pere-
grinantibus referentur, &c.]

CCXVI. DE DIVINAE SCRIPTVRAE INTELLIGENTIA.

Quamobrem Patres omnes æque consentiũt, sensum diuinæ Scripturæ, absque men-
tis illustratione diuinitus facta, posse percipi, impossibile esse: vnde apud Iustinum[a]
martyrem diuinus catechista hæc in eam sententiam: At tu, inquit, votis & precibus
tibi ante omnia lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perspiciuntur atque
intelliguntur, præterquàm si cui Deus & Christus eius concesserit intelligentiam.] hæc
ad Iustinum philosophum incognita, sed a Deo missa persona, quæ illum imbueret
Christiana fide, locuta est. Irenæus[b] hæc etiã: Scripturæ quidem perfectæ sunt, quip-
pe a Verbo Dei & Spiritu eius dictæ: nos autem secundum quod minores sumus & no- B
mus. Et non est mirum, si in spiritualibus cælestibus, in his quæ debent reuelari, hoc
patimur nos: quandoquidem etiam eorum quæ ante pedes sunt (dico autem quæ sunt
in hac creatura, & quæ conteruntur a nobis, & videntur, & sunt nobiscum) multa fu-
gerunt nostram scientiam, & Deo hæc ipsa committimus.] Chrysostomus[c] eadem
his verbis: Neque enim vel syllaba, vel apiculus est in sacris litteris, in cuius profundo
non sit grandis quispiam thesaurus: proinde nobis opus est diuina gratia ducamur,
& Spiritu sancto illustrati, eloquia diuina adeamus. Neque opus habet diuina Scriptu-
ra hominum sapientia, vt intelligatur, sed reuelatione Spiritus; vt hausto inde vero
sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat.] hæc ille. Id denique ceteri omnes Ec-
clesiasticarum rerum scriptores: quippe qui sciant Petrum[d] Apostolorum principem C
sic esse locutum: Hoc primũ intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria
interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia:
sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.] Quomodo igitur eædem
diuinæ Scripturæ, alio spiritu ab eo quo scriptæ sunt, possent intelligi? Vnde & Grego-
rius[e] in illa Domini verba ad Ezechielem: Comede volumen istud. Et aperui os meũ,
& cibauit me volumine illo] Hoc ipsum, inquit, sumere, nostrarum virium non est,
nisi ipse cibauerit, qui vt comedatur iussit. Ille enim cibatur, qui per se edere non po-
test: et quia ad capienda verba cælestia, idonea nostra infirmitas non est, ipse nos ci-
bat, qui nobis in tempore mensuram tritici temperat; quatenus in sacro verbo dum
hodie intelligimus quod hesterna die nesciebamus, cras quoque comprehendimus
quod hodie nescimus, per diuinæ dispensationis gratiam quotidiano alimento nutria- D
mur. Omnipotens enim Deus quasi toties ad os cordis nostri manum porrigit, quo-
ties nobis intellectum aperit, vt cibum sacri eloquij in nostris sensibus mittat: cibat er-
go nos volumine, cum sensum nobis Scripturæ suæ dispensando aperit, & eius dulcedi-
ne nostras cogitationes replet.] hæc Gregorius.

a Iust. martyr de verit. Christ. religionis.
b Iren. aduerf. hæres. lib. 2. cap. 47.
c Chryſoſt. hom. 21. in Geneſim.
d 2. Pet. 1.
e Greg. in Ezech. homil. 1.

CCXVII. LAPSVS MVLTORVM VNDE.

Alia multa id genus in eamdem sententiam a Patribus dicta sunt, quæ, ne nimia
prolixitate simus onerosi, consulto prætermittimus. Hic itaque lapis est offensionis, &
petra scandali: quotquot enim temeraria præsumptione, proprij ingenij freti viri-
bus, non per ostium (quod tantum clauis Dauid cum aperit, nemo claudit; & cum
claudit, nemo aperit) ad diuinam Scripturam sibi aditum patefaciunt, vt fures haben-
di sunt & latrones; quippe qui spiritu inflati superbiæ, profundis offusi tenebris, errantes in inuio & non in via, hæresum auctores vel sectatores esse inueniuntur: Quos, in- E
quit Gregorius[f], ad intellectum prauum intentio peruersa non raperet, nisi prius su-
perbia inflaret. Dum enim se præ ceteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad melius in-
tellecta despiciunt; atque vt apud imperitum vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant,
studeant summopere & ab alijs recte intellecta destruere, & sua peruersa róborare.]
hæc ipse.

f Greg. cur. paſt. part. 3.

CCXVIII. REDARGVITVR CAECA PRAESVMPTIO.

Quantumlibet igitur quis sit moribus vitæ sublimis, eruditione præclarus, ingenij
acumine pollens, adde si placet, ab aliquo cælesti Angelo, immo etiam ab ipso Deo
quolibet modo edoctus & eruditus: adhuc tamen aliquid sibi deesse, vt apud alios
fidei firmitate constare debeant quæ tradit, intelliget; donec eadem illa ab Eccle-
sia Catholica fuerint cognita & confirmata: ipsa enim non modo priuata cuiuspiam
scripta probare, sed & quæ sint canonica, definire consueuit. hac de causa, inquit.

Augusti-

A Augustinus[a] de Paulo, quòd a Deo licet instructus, mittitur ad Ananiam; item addit *a Aug. de doctr. Christ. lib. 2.*
de Cornelio Centurione, qui ab Angelo traditur Petro imbuendus. et ipse Paulus[b] qui *b Galat. 1.*
hoc didicit, docens alios, de se ait, scribens ad Galatas, quòd cum non ab homine, sed
a Deo accepisset Euangelium; tamen Hierosolymam ascenderit, vt illud conferret cum
Apostolis. Idemq. ex his quæ fecerat, alios similiter docens: Sed licet nos, inquit, aut
Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathe-
ma sit.] Itaque sicut (quod ait Augustinus[c]) diuina Scriptura demonstrat Ecclesiã: ita *c Augustin. contra Cresc. lib. 1. c. 33.*
& Ecclesia diuinam Scripturam interpretatur. Nonnisi Ecclesiæ Scripturas esse, Ter-
tullianus[d] agens aduersus hæreticos, monstrat. Vnde & merito Augustinus[e]: Ego ve- *d Tert. de præscript.*
ro, inquit, Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret aucto- *e Augustin. contra epist. Manich. c. 5*
ritas.] Cuius ergo sunt Scripturæ diuinæ, eiusdem esse etiam illarum interpretationem,
B quis neget? Est igitur solius Ecclesiæ munus, non tantum diuinarum Scripturarum ve-
ram intelligentiam assequi, sed & cuncta quæ ad illas pertinent, cognoscere, simulq.
vera probare, & quæ sunt falsa reijcere. Sed in his non amplius immorandum.

CCXX. RITVS BENEDICENDI.

Cum eiusmodi munera Christus Redemptor noster vltima sui manifestatione (vt vi-
dimus) impartitus esset Ecclesiæ; iam proxime ascensurus in cælum, eleuatis manibus
suis, inquit Lucas[f], benedixit eis.] Hoc quippe signum, vt eleuatis manibus bene- *f Luc. 24.*
dictio traderetur, apud Hebræos in vsu fuisse apparet: nam & de Aaron[g] legitur, quod *g Leuit. 9.*
extendens manum ad populum, benedixit ei. Diuini numinis imprecationem eo actu
significari solere, satis expressum habemus in Exodo[h], dum extensione manus ea si- *h Exod. 8.*
gna a Moyse & Aaron fiebant. Vsu receptum est, haud aliunde quàm ex traditione
Apostolorum, apud Christianos etiam, vt benedicendo, manum extendant, ac insuper
C crucis signum eadem manu deducant. Sed de crucis signo opportuniori loco dicemus
inferius.

CCXXI. DE ASCENSIONE DOMINI.

Factum est igitur (inquit[i] Lucas) cum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur *i Luc. 24.*
in cælum.] In Actis[k] autem idem hæc paulo fusius his verbis: Et cum hæc dixisset, vi- *k Act. 1.*
dentibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq. intuerentur
in cælum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & di-
xerunt: Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum? hic Iesus, qui assumptus est a
vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Tunc re-
uersi sunt Hierosolymam a monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, sab-
bati habens iter.] quantum autem esset sabbati iter, hæc, qui ex secta Pharisæorum es-
sent, solebant dicere: Rab. Achiba, & Simeon, & Hillel, magistri nostri tradiderunt
D nobis, vt bis mille pedes ambularemus in sabbato.] hæc apud Hieronymum[l]. Sed *l Ad Algasiam epist. 151. q. 10.*
apud Suidam[m]: Sabbati via est, inquit, duorum millium cubitorum: tanto enim spa- *m Suid. verbo σαββάτου ὁδός.*
tio arca castra antecedebat, tantoq. interuallo, quibus id fas erat, arcam mouebant in
sabbato.] hæc ibi.

CCXXII. ITER SABBATI.

Ceterum quòd mons Oliueti non amplius mille passibus (quod Beda & alij tradunt
qui scripserunt de locis sanctis) ab Hierosolymis distet: quantum iter sabbati esset, ex
eo facile metiri licet. Verum quòd Iosephus[n] de Romanis agens, qui primo Hierosoly- *n Ioseph. de bello Iud. lib. 6. c. 3.*
mam obsederunt, dicat montem Oliueti sexto ab Hierosolymis distare stadio; quarta
parte minus vno milliario fuisse iter sabbati, dici posse videtur. Sed longe minus erat il-
lud iter sabbati Pharisæorum positum a Hieronymo, nempe duorum millium pedum:
nam si stadium (quod scribit Plinius[o]) habet sexcentos & vigintiquinque pedes, sex *o Plin. lib. 2. cap. 23.*
E stadia continent ter mille septingentos quinquaginta pedes. Sed missa illæc. De eadem
ipsorum reuersione item Lucas in Euangelio habet hæc verba: Et ipsi adorantes regres-
si sunt in Hierusalem cum gaudio magno.] Quòd vero addit: Et erant semper in tem-
plo, laudantes & benedicentes Deum] iunxisse prædictis, quæ postea facta sunt, cer-
tum est: sicut & cum de ascensione locutus esset Marcus, mox subdit[p]: Illi autem pro- *p Marc. 16.*
fecti prædicauerunt vbique, &c.] cum alioqui de Apostolis & discipulis constet, decem
illis diebus qui medij sunt ab ascensione Domini vsque ad Pentecosten, non alibi quàm
in domo vna mansisse.

CCXXIII.

Ex quatuor Euangelistis Marcus tantum & Lucas de ascensione Domini memine-
runt. quæ enim ab alijs prætermissa vel dicta essent, ab alijs addita vel tacita vt plu-
rimum fuisse, ex eisdem Euangelistis exploratissimum est. Multa præterea obuoluta
silentio remansisse, satis testatur Ioannes[q], qui nouissimus omniũ Euangelium scripsit, *q Ioan. 20. 21.*

& quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

& quæ ab alijs eo argumento litteris commendata essent, probe nouit; dum his vtitur A
verbis: Multa quidem, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ
non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, vt credatis quia Iesus est Christus
Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.] rursum hæc ille in fine: Sunt
autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror
mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.] Vt ex his videas eam inijsse ra-
tionem Euangelistas in Euangelica historia conscribenda, vt non singulas res gestas su-
DE IOANNIS HYPERBOLE. ciperent enarrandas, sed quantum satis esset ad fidem adstruendam; & ex eius operi-
bus demonstrarent (quod ait Ioannes) ipsum Iesum esse Christum Filium Dei, satisq. ea
esse ad salutem, vt sic credentes vitâ haberent in nomine eius. At quoniam scimus eius-
modi Euangelistæ sententiam a Christianæ religionis hostibus solitam derideri, ip-
sumq. Ioannem sugillari, quòd ea hyperbole vsus in historia, minus perfunctus sit par- B
a Isidor. Peluf. lib. 2. epist. 99. tibus perspicacis historici: operæpretium ducimus, quid de ea re Isidorus a ad Aphro-
disium scripserit, hic intexere:

CCXXIV. Quoniam, inquit, Iudæus quidam (vt ad me scripsisti) inscitiæ plenus, diuinum
Euangelistam, quòd his verbis vsus sit: Ne ipsum quidem mundum capere posse arbi-
tror eos, qui scribendi sunt, libros: hyperbolicæ locutionis damnans, negotium tibi
facessit: operæpretium est ex veteri Testamento, quod ipse quoque probat, ac diui-
num existimat, ea quæ per hyperbolem dicta sunt, in medium producere; vt ille intel-
ligat, Euangelistam quoque veterem illam Scripturam sequentem ea scripsisse quæ scri-
b Deut. 1. c Exod. 3. psit. Quidnam igitur scriptum sit, discamus. De Cananæis quidē vrbibus b: Vrbes mu-
ro cinctæ sunt vsque ad cælum. De terra autem eorum dictum est c: Terram fluentem
d Psal. 106. lacte & melle. Denique de nauigantibus d: Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt C
vsque ad abyssos. Hæc igitur ille rustice sapiens exponat, non ad allegoriam confu-
giens, nec moralem sensum afferre studens, sed res ipsas explicans. Quod si non potest,
(necesse enim est, vt vel hæc hyperbolice dicta esse fateatur, vel interpretatione opus
habere) quid est, quamobrem extremæ inscitiæ aduersum se argumentum præbens,
Euangelistam carpat? qui etiam si hyperbolem adhibuisse videatur, eam tamen miti-
gauit, dum dixit, puto. Etenim illic quidem mera est hyperbole, hic autem tempera-
ta: nec eam simpliciter dimisit, sed castigauit ac leniuit. Porro qui hyperbolas castigat,
duplicem rem facit: nam & cupiditatem suā indicat, & veritatem attingit. Quia illud
quoque probabile est, ne hyperbolice quidem hoc dictum esse. Neque enim dictum
est, Iesum multa quoque alia signa in hoc mundo fecisse, sed indefinite, fecisse. Sunt au-
tem alia ipsius miracula hoc mundo antiquiora, quæ quidem nec scripto, nec libris tra- D
di possunt, non modo propter multitudinem & magnitudinem, sed etiam quia sermo-
nis & mentis viam superant. Quis enim cælestium agminum naturam, ordinem, or-
natum, concordiam, concinnationem, charitatem, pacem referre poterit, aliaq. om-
nia, quæ ne enumerando quidem recensēri possunt?] hæc Isidorus.

CCXXV. Ioannes igitur, qui a diuinitate Filij Dei exorsus est Euangelium, cum ad calcem il-
lud perduxit, vltima prioribus iungens, ineffabilia dicit esse illius opera, per quem
omnia, vt præfatus erat, facta sunt, & sine ipso factum est nihil: ac ita mira quadam
e Habac. 3. Secund. 72. concinnatione, quod aiebat Propheta e: Domine consideraui opera tua, & expaui] E
admirabili quadam, & quæ humanum captum superat, admiratione affectus, non tan-
tum quæ facta sunt in carne existente opera Iesu, sed quæ ab initio & ante sæcula sit diui-
nitate operatus, quantum homini licet, mente complectens, ea vltima periodo (quod
scribendum suscepérat) Filij Dei diuinitatem insinuat. Atque in hunc modum Ioannem
hac etiam ex parte numeros omnes absolutissimi historiarum scriptoris absoluisse con-
stat; quippe qui non quæ sunt hominis tantū, sed quæ eiusdē Dei & hominis sunt gesta,
enarranda suscepisset: sed cum quæ Dei sunt, superent vires hominum, necessario ap-
positeq. ea sibi vtenda fuit vltimo loco sententia. In hunc quoque sensum inuenimus
Dionysium Alexandrinum in epistola priori aduersus hæresim Samosateni hunc locum
explicasse, nempe Ioannem intellexisse de Christo Verbo: licet sciamus tam a dicto au-
f Aug. in Ioan. tract. vlt. ctore, quàm ab Augustino f, & alijs, alium adhuc esse allatum sensum illorum verbo-
rum; nimirum, mundum haud satis capere posse omnē perfectissimæ Euangelicæ prædi-
cationis excellentiam. Ceterum sicut nec cuncta Christi facta, ita multo minus om-
nia dicta ab eo verba, Euangelistæ sunt prosecuti. Citat Paulus Apostolus Christi sen-
tentiam

A tentiam ab illis prætermissam; cum Ephesios alloquens, sic ait a: Meminisse verbi Do- a Act. 20.
mini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.] Rursus illa in
ore multorum adhuc Domini versatur sententia: Estote probati nummularij.] recitat
eam Hieronymus b sic scribens ad Minerium: Sciat me illud Apostoli libenter audire: b Hieron. epist.
Omnia probate: quod bonum est, tenete. et Saluatoris verba, dicentis: Estote probati 152. in fin.
nummularij.] vsurpat eamdem Cassianus: sed & illud: Vbi te inuenero, ibi te iudica-
bo] & si quæ alia huiusmodi sit inuenire.

Post sanctos Euangelistas, Iosephus c Iudæus reperitur, qui post annos quinquagin- CCXXVI.
ta Græco sermone res gestas Iudæorum est prosecutus: qui res etiam gestas Christi ad- c Ioseph. antiq.
dens, eas his paucis perstrinxit: Eo, inquit, tempore fuit Iesus, vir sapiens (si tamen lib. 18. c. 4. IOSEPHI TESTI-
B virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operator, & doctor eorum qui liben- MONIVM.
ter vera suscipiunt, plurimosq. tā de Iudæis quàm de Gentibus sectatores habuit) Chri-
stus hic erat: quem accusatū a nostræ gentis Principibus, Pilatus cum addixisset cruci,
nihilominus non destiterunt eum diligere qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis
tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc & alia multa miranda prædixerunt: et
vsque in hodiernū diem Christianorum genus ab hoc denominatum non deficit.] hæc
Iosephus: cuius testimoniū in peruetusto Iudæorum codice, in quo eius historiæ e Græ-
co in Hebraicum translatæ, antiquitus scriptæ sunt, cū hic Romæ requireretur (o per-
fidorum impudentiam!) abrasum inuentum est, adeo vt nulla ad excusandum scelus
posset afferri defensio, cum membrana ipsa id exclamare videretur. Habes eiusdem Io-
sephi de Christo testimonium ab Eusebio d recitatum, atque ab alijs compluribus. d Eusebius hist. lib. 1. c. 11.

Ceterum de rebus Christi ab eodem Iosepho scriptis, parum aut nihil est quod illi CCXXVII
C debeamus: quippe qui temporum ordinem interuertendo, complura (vt superius est DE FIDE IOSE-
demonstratum) ambigua potius & obscura, quàm clara & certa reddidit. Vnde mi- PHI HISTORICI.
nus diligentis historici munus exoluisse & hac in parte impleſse iudicandus est; atque
ex eo præsertim, quòd res nobilissimas tunc temporis gestas, ac summa memoria
dignas, surda aure præterierit, atque sic obuolutas circumfusasq. tenebris ignobiliter
reliquerit. At certe credo, hunc, quatenus Christum Dei filium esse fatetur, nonnisi
Dei virtute compulsum atque coactum fecisse: quandoquidem cum agit e de immensa e Apud Euseb.
clade Iudæis a Tito illata, illius belli causam Iacobi potius neci, quàm Christi atroci hist. lib. 1. c. 22.
supplicio adscribendam putauit: vt videre sit ipsum erga Christum & res Christiano-
rum parum æquum, & sibi minime constantem fuisse historicum. Hinc merito de eo
conqueritur Hegesippus f Iudaicarum rerum scriptor (non ille, vt falsō quidem multi f Hegesipp. de
D existimant, qui proximus fuit temporibus Apostolorum, sed, vt ex eius scriptis g pro- Excid. Hierosol.
batur, qui scripsisse noscitur post tempora Constantini) sic dicens: Vtinam tam religio- in præfat.
ni & veritati attentus, quàm rerum indagini & sermonum sobrietati fuisset: consortem g Idem lib. 5. cap. 3.
se enim perfidiæ Iudæorum etiam in ipso sermone exhibuit, quem de eorum supplicio
manifestauit: et quorum arma deseruit, eorum tamen sacrilegia non dereliquit: deplo-
rauit flebiliter ærumnam, sed ipsius causam ærumnæ non intellexit.] hæc iuste in eum
expostulat Hegesippus. Quamobrem nemo, quæso, in deteriorem partem accipiat,
si cuius frequenter adducitur testimonium, idem a me sæpius Iosephus sugilletur, ac
mendacij arguatur; videarq. fortasse hoc nomine pugnax & audax: cum alioqui non
ignorem laudatissimum haberi historicum, quem & noster Hieronymus h celebri ac h Hier. epist. 22.
præclaro illo exornet titulo, cum honoris causa Liuium Græcum appellat. Sed cum
E multa ab eo aliter quàm ab Euangelistis esse scripta legantur, cumq. etiam a se ipso in-
terdum discrepasse reperiatur, vel alijs certioribus testimonijs erroris arguatur; plus
æquo illi a me tribui, veritas quam profiteor, minime patitur. Sed vt redeamus ad
Hegesippum: idem in sua Anacephaleosi de morte & resurrectione Christi, Pilati Præ-
sidis epistolam ad Claudium scriptam recitat: cui si qua est adhibenda fides, in titulo
tamen certus est error, qui aliunde fortasse irrepsit, dum Claudium loco Tiberij posi-
tum habet: quamquam ante Imperium idem Tiberius Claudius diceretur. est autem
his verbis concepta:

Nuper accidit, quod & ipse probaui, Iudæos per inuidiam se suosq. posteros crude- CCXXV-
li condemnatione puniſse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quòd illis III.
Deus mitteret de cælo Sanctum, qui eorum Rex merito diceretur; & hunc se promiserit DE RELATIONE
per virginem missurum in terram: Istum itaque, me Præside in Iudæa, Deus Hebræo- PILATI.

rum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum cum misissẽt, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiã suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus per vndas maris, & multa alia fecisse: cũ omnis populus Iudæorum eum Dei filium esse diceret, inuidiam contra eum passi sunt Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihiq. tradiderunt, & alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes eum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorũ. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulchro custodes adhibuerunt. Ille autem, militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit. In tantũ enim exarsit nequitia Iudæorum, vt darent pecuniã custodibus, & dicerent: Dicite quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniã, quod factũ fuerat tacere non potuerunt: nã & illũ surrexisse, testati sunt se vidisse, & se a Iudæis pecuniã accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, & existimet credendũ esse mendacijs Iudæorũ.] hactenus epistola: quæ quidem an eadem ipsa sit, quã a Pilato ad Tiberium tunc temporis scriptam esse constat, relinquimus lectoris prudentis iudicio.

CCXXIX. PILATVS RETVLIT AD TIBERIVM.

Certe quidem consueuisse Præsides prouinciarum res magni momenti, quæ contigissent in prouincijs, ad Imperatores scribere, mille exemplis exploratissimum est. Pilatum vero hæc nunciasse Tiberio Imperatori, ex his quæ scribit Tertullianus [a] facile potest intelligi, dum ait: Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in sæculum introiuit, nunciatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic veritatem illius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus quia non in se probauerat, respuit. Cæsar autem in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum.] .et post multa: Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tum Tiberio nunciauit.] hæc ille. Eiusdem etiam epistolæ meminisse videtur Gregorius [b] Turonensis, cum ait: Resurgens autem Dominus, per quadraginta dies cũ discipulis de regno Dei disputans, videntibus illis, in nube susceptus, auectusq. est in cælos, & ad Patris dexteram residet gloriosus. Pilatus autem Gesta ad Tiberium Cæsarem mittit, & ei tam de virtutibus Christi, quàm de passione vel resurrectione eius insinuat: quæ Gesta hodie apud nos retinẽtur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit: quod Senatus cum ira respuit, pro eo quòd non ad eum primitus aduenisset. Hæc etenim contra Christianos prima odiorum germina pullularunt.] hæc Gregorius: eadem longe ante ipsum scripsit Orosius [c]; sed quæ de Seiano subdit, multo ante hæc tempora contigisse, superius demonstrauimus. tribuit namque (vt dictum est) ipsi occasionem errandi Eusebius [d], qui res gestas a Seiano aduersus Iudæos apud Tiberium in annũ sequentem reijcit: quando autẽ ea contigerint, suo loco superius enarrauimus. Quod vero ad dictam epistolam Pilati ad Tiberium spectat: in eo quod dicit Iesum a Iudæis magiæ insimulatum; ad illud quod Iudæi in eum dicerent, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia] videtur Pilatus habuisse respectum, & apposite magiæ fecisse mentionem, quo sic melius causam suam defenderet: quippe qui sciret ab eodem Imperatore aduersus magos (vt vidimus superius) sancitum fuisse edictum, multosq. ea ex causa morte mulctatos fuisse: sicq. se excusaret, si in Iesum magiæ reum ita animaduertisset; licet hæc omnia in Iudæorum culpam reijciat, qui liuore & maleuolentia inducti, eum morte mulctandum curassent.

a *Tertull. in Apolog. c. 5. & c. 21. & Eusebius hist. lib. 2. c. 2.*

b *Greg. Turon. hist. lib. 1. c. 24.*

c *Oros. lib. 7. c. 4.*

d *Eusebius in Chron.*

CCXXX. Porro hæc de Pilati ad Tiberium de Christo facta relatione Eusebius, nescimus qua ratione, post annos quinque, Olympiade ducentesimatertia anno quarto recenset, quo anno Tiberius decimasexta Martij mortuus est. Sed hæc statim post Christi resurrectionem palam factam contigisse, verius existimamus. Ceterum non tantum Pilati litteris ad Tiberium scriptis hæc de Christi rebus gestis Romæ innotuerunt, sed etiã ex publicis monumentis, quæ a notario exceptore in publicis tabulis ex more descripta fuerant, Romam missis; quæ aliquandiu inter publica Gesta sunt asseruata: ad ea enim Iustinus philosophus Christianus Antoninum Pium, ad quem scribit Apologiam, prouocat, dicens: Hæc ita gesta esse, cognoscere ex Actis quæ sub Pilato sunt scripta, potestis.] et rursus post multa: Et quòd ista fecerit, ex eis qui sub Pilato scripti sunt commentarij, cognoscere potestis.] Atque cum hæc ita se habeant, monendum putamus lectorem, post dicta vera certaq. Pilati Acta de Christo, alia rursus ab his longe diuersa fuisse conficta, eaq. duplicis generis: horum enim alteris vtebantur Quartodecimani hæretici, vt Epiphanius [e] auctor est; sed eadem fuisse inter se diuersa, nec de die passionis

DE ACTIS PILATI.

e *Epiph. in Panar. hæres. 50.*

A sionis Christi consentientia, ille idem testatur: altera vero fuisse excogitata a Maximino tyranno Christianis infensissimo, tradit Eusebius [a] his verbis: Pilati præterea & Saluatoris nostri rerum gestarum tamquam commentarios quosdam omni blasphemia & conuicio contra Christum refertos confinxerunt: quos de sententia Imperatoris, in totum regnum quod eius ditioni parebat, mittunt; perq. litteras iubent, vt in quibusuis locis, agris, & ciuitatibus hi palam omnibus ponerentur, & ludimagistri pro alijs disciplinis pueros in hisce sedulo exercerent, hosq. illis memoriæ mandandos traderent.] hæc Eusebius; qui eosdem commentarios manifestæ arguit [b] falsitatis: nam dum sub quarto Tiberij Consulatu Christi passio accidisse in eis dicitur, Tiberium septimũ tantum declaratur tunc in Imperio egisse annum, quo necdum Pilatus missus fuerat in Iudæam. Hic apocrypha quædam, quæ legimus de legatione Volusiani cuiusdam a Pi-
B lato ad Tiberium missi, quòd nulla antiquorum fide probentur, intexere prætermittimus: sicut & fabulosa illa quæ scripta sunt a Suida [c] de Nerone, quòd iusserit Annam, Caipham, & Pilatum ad dicendam causam de Christi morte iudicio Romæ sisti, & alia multa quæ addit: nam longe ante Neronis Imperium Pilatum ex humanis desijsse, inferius suo loco dicemus.

a *Eusebii hist. lib. 9. c. 4.*

b *Idem lib. 2. c. 9.*

c *Suid. verb. Νέρων.*

Quoniam vero de Actis Pilati Romam transmissis verba facimus, non tacenda putauimus quæ apud Ethnicos scriptores, qui res Christianorum consulto narrare neglexerunt, scripta inueniuntur; scilicet de carminibus Sibyllinis hoc anno Romæ tum in Senatu, tum apud Quindecimviros diligenter discussis atque examinatis, occasione (vt ait Tacitus [d]) quorumdam Sibyllinorum carminum nouiter inuentorum: qui quidem
C Tacitus rem gestam sub dictis huius anni Coss. Domitio Ænobarbo & Camillo Scribo-
niano his verbis enarrat: Relatum est inde ad Patres a Quintiliano Tribuno plebis de libro Sibyllæ, quem Caninius Gallus Quindecimvir recipi inter ceteros eiusdem vatis, & de ea re Senatusconsultum postulauerat: quo per discessionẽ facto, misit litteras Cæsar, modice Tribunum increpans, ignarum antiqui moris ob iuuentam: Gallo exprobrabat, quòd scientiæ, cærimoniarumq. vetus, incerto auctore, ante sententiam collegij, non vt assolet, lecto per magistros æstimatoq. carmine, apud infrequentem Senatum egisset. Simul commonefecit: quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad Prætorem Vrbanum deferrentur, neque habere priuatim liceret: quod a maioribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam, ac Siciliam, &
D Italicas colonias carminibus Sibyllæ, vna seu plures fuere; datoq. sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur nunc quoque notioni Quindecimvirum is liber subijcitur.] hæc Tacitus: quæ quidem omnia mira Dei prouidentia esse facta, quis dubitat? Sic enim carmina Sibyllina antea disquiri, examinari, atque probari in omnibus voluit, ne cum ea aduersus Gentiles citarentur a Christianis, ijdem falsitatis vel impostura argui potuissent, tamquam minus recepta, ac recens ab illis essent excogitata. Atque hæc satis, quæ occasione Actorum Pilati Romam transmissorum breuiter perstrinximus: iam ea quæ post Christi ascensionem contigerunt, ordine prosequamur.

d *Tacit. lib. 5. Annalium.*

DE LIBRIS SYBILLINIS.

CCXXXI.

Egregium plane monumentum suæ ad cælos ascensionis Dominus Redemptor no-CCXXXII
ster non modo suis Apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit: nimirum
E suorum sacrorum pedum terræ impressa vestigia. De his olim Zacharias [e] Propheta
intellexisse videtur, cum prophetice hæc locutus est: Stabunt pedes eius in die illa supra montem Oliuarũ, qui est contra Hierusalem ad Orientẽ.] Secundũ huiusmodi situs rationem, eam consuetudinem ad posteros esse dilapsam, vt Christiani ad Orientem conuersi precarentur, Athanasius [f] auctor est. Quod vero ad impressa vestigia Domini pertinet, hæc apud Hieronymum [g]: Mons Oliueti ad Orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, vbi vltima vestigia Domini humo impressa hodieq. monstrantur. Cumq. terra eadem quotidie a credentibus hauriatur; nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt. Denique cum ecclesia, in cuius medio sunt, rotundo schemate & pulcherrimo opere conderetur; summum tantum cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi & concamerari potuit: sed transitus eius a terra ad cælum vsque patet apertus.] hæc ibi auctor. quæ etsi satis testata sint; tamen quoniam (iuxta illud Euangelicũ) in ore duo-

e *Zach. 14.*

f *Athanas. lib. quæst. q. 14.*

g *Hier. de locis Hebraic. Act. Apost.*

DE VESTIGIIS DOMINI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum aut triũ ſtat omne verbum] haud grauabimur hic item intexere quæ alij antiqui Patres de eadem re ſcripſere. Ad ea enim alluſiſſe videtur Optatus Mileuitanus [a]: qui cum meminit de Eccleſia Orientali, inter alia; Ibi, inquit, eius ſancta ſunt impreſſa veſtigia.] A

[a] Optat. contra Parm. lib. 6.

CCXXXIII. S. Paulinus [b] Nolanus Epiſcopus ad Seuerum ſcribens, eadem fuſius teſtatur his verbis: Mirum vero inter hæc, quòd in baſilica Aſcenſionis, locus ille tantum, de quo in nube ſuſceptus aſcendit, captiuam in ſua carne ducens captiuitatem noſtram, ita ſacratus diuinis veſtigijs dicitur, vt numquam tegi marmore, aut pauiri receperit, ſemper excuſſis, ſolo reſpuente, quæ manus adornandi ſtudio tentauit apponere. Itaque in toto baſilicæ ſpatio ſolus in ſui cæſpitis ſpecie virens permanet, & impreſſam diuinorũ pedũ venerationem calcati Deo pulueris perſpicua ſimul & attigua venerantibus arena conſeruat: vt vere dici poſſit: Adorauimus vbi ſteterunt pedes eius.] hactenus Paulinus: quæ accepit a Melania illuſtriſſima ac ſpectatiſſima femina, cum Hieroſolymis Romam illa rediens, apud eum, Nolam veniens, diuertiſſet. Rurſum & Sulpitius [c] Seuerus in hæc verba: Illud mirum, quòd locus ille, in quo poſtremum inſtiterant diuina veſtigia, cum in cælum Dominus nube ſublatus eſt, continuari pauimento cum reliqua ſtratorum parte non potuit: ſiquidem quæcumque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulueris adeo perenne documentum eſt, vt veſtigia impreſſa cernantur: et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiat, damnum tamen arena non ſentiat: et eadem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigijs, terra cuſtodit.] hæc Seuerus. B

[b] Paul. ad Seu. epiſt. 11.

DE IISDEM DOMINI VESTIGIIS.

[c] Seuer. ſacr. hiſtor. lib. 2.

CCXXXIV. Auget ſane miraculum, quòd cum eodem in loco (vt ſuperius Ioſepho auctore monſtrauimus) Romanus exercitus ſub Tito caſtrametatus eſt, Hieroſolymam obſeſſurus, non tantum (vt in talibus accidere conſueuit) leui terræ toties percalcatæ impreſſa non potuiſſent remanere veſtigia, ſed nec ſi celte lapidi fuiſſent inſculpta, eadem aliqua ex parte integra apparuiſſent. Porro huiuſmodi miracula edita in monte Oliueti in loco Aſcenſionis Domini, non dictorum tantum auctorum tempore cunctis perſpicua permanebant: ſed poſt ſeptingentos fere annos eodem ſtatu perſeueraſſe, Beda [d], dum de his agit, his verbis ſignificat: In eius ſummo vertice, vbi Dominus ad cælos aſcendit, eccleſia rotunda grandis ternas per circuitũ cameratas habet porticus deſuper tectas. Interior namque domus, propter Dominici corporis meatum, camerari & tegi non potuit, altare ad Orientem habens anguſto culmine protectum, in cuius medio vltima Domini veſtigia, cælo deſuper patente, vbi aſcendit, viſuntur: quæ cum quotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manent, eamdemq. adhuc ſpeciẽ ſui, velut impreſſis ſignata veſtigijs, ſeruant.] et poſt nonnulla: In die Aſcenſionis Dominicæ, per annos ſingulos Miſſa peracta, validi flaminis procella deſurſum venire conſueuit, & omnes qui in eccleſia fuerint, terræ proſternere. Tota illa nocte lucernæ ardent, vt non illuſtrari tantum, ſed & ardere mons & ſuppoſita loca videantur.] hucuſque Beda. Porro lapidem illum, qui Domini continebat impreſſa veſtigia, Chriſtianæ fidei hoſtium inuidia inde ſublatum, in porta Orientali eius eccleſiæ ab eis clauſa poſitum eſſe, recentiores [e], qui eadem loca ſancta deſcripſerunt, teſtati ſunt. C

[d] Beda de loc. ſanct. c. 7.

PERENNE MIRACVLVM.

[e] Burch. par. 1. c. 7. & alij.

CCXXXV. Supereſt nobis, vt qui de Chriſto hactenus, quanta tamen potuimus breuitate, vt in re omnibus plane perſpicua ac propemodum cunctis nota, tractauimus; quod iam reliquum eſſe videtur, deinceps Actorum quoque Apoſtolorum, ſecundum ordinem temporum, ſacram hiſtoriam a Luca deſcriptam æquis paſſibus proſequamur; de qua Hieronymus [f] ad Paulinum ſcribens, hæc ait: Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi nouerimus ſcriptorem eorum eſſe Lucam medicum, cuius laus eſt in Euangelio; animaduertemus pariter, omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.] Non ſic quidem alia Apoſtolorum nomine Acta conſcripta, vt quæ habentur Petri vel Pauli, Andreæ, Ioannis, Thomæ, Philippi, vel aliorum nomine inſignita: quæ Patres merito Eccleſiaſtica cenſura proſcripſerunt; vt quæ non legitima, ſed ſpuria, & ab hæreticis inueniantur eſſe commenta [g]. Porro quod ad titulum ſpectat huius, de quo agimus, commentarij, ſcilicet Actorum Apoſtolorum: ſic nomen inditum eſt (inquit Chryſoſtomus [h]) non quòd acta omnia, neque omnium, ſed vnius tantum vel alte- E

[f] Hier. ad Paul. epiſt. 103.

[g] Gelaſ. in Cõc. Rom. c. de lib. Apoc. Epiph. hæreſ. 30. Athan. in epiſt. fid. Cath. Hier. de ſcript. Eccl. in Pet. Phil. aſt. de har. h Chryſoſt. lib. contra Gentil.

A vel alterius, eademq. facilia numeratu contineat.] ſed rem ipſam aggrediamur.

Cum igitur regreſſi eſſent e monte Oliueti Apoſtoli & alij Hieroſolymam; aſcenderunt (inquit [a] Lucas) in cœnaculum, vbi ſimul manebant Petrus, ac ceteri, quos recenſet, Apoſtoli, alijq. omnes fere centum viginti: additq. omnes hos fuiſſe perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu, & fratribus eius. Creditur hæc eadem domus eſſe illa, cuius idem Lucas [b] inferius meminit, eamq. fuiſſe ait Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus, quo Petrus e carcere liberatus acceſſit, vbi & ceteros illic ad precum officium congregatos inuenit diſcipulos. Conſentiunt his Acta Barnabæ [c], vbi de eadem domo hæc fuſius habentur ſcripta: In illo cœnaculo Dominus Paſcha fecit: in illo apparuit Thomæ Apoſtolo, cum a mortuis ſurrexiſſet, illuc, poſtquam in cælum aſſumptus eſt, diſcipuli cum reliquis fratribus B centum viginti, in quibus erat Barnabas, & Marcus, ex monte Oliuarum conuenerunt: illuc Spiritus ſanctus in linguis igneis ad diſcipulos deſcendit in die Pentecoſtes. Illic collocata nunc eſt magna & ſanctiſſima Sion, omnium eccleſiarum maxima.] hæc ibi. Meminit eiuſdem eccleſiæ in Sion poſitæ S. Hieronymus [d], in eaq. fuiſſe poſtea locatam columnam illam, ad quam vinctus ductus eſt Dominus ac flagellatus, teſtatur; quod Beda [e] etiam narrat.

CCXXXVI. Cum igitur illic cum ceteris congregati eſſent Apoſtoli; Petrus Apoſtolorum Princeps [f], cuius curæ commiſſi ceteri videbantur (dixerat enim Dominus ad illum: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos) vt Eccleſiæ afflictatæ, & Iudæ proditoris perditione concuſſæ conſuleret, de ſubſtituendo aliquo ex diſcipulis in locum illius perditi hominis, concionem habuit. Paſtoralem Petri ſolicitudinem, ac peruigilem non C ſolum gregis, ſed & paſtorum curam admirans Ioannes Chryſoſtomus [g], hæc ait: Quàm eſt feruidus? quàm cognoſcit creditum ſibi a Chriſto gregem? quàm in hoc choro princeps eſt, & vbique primus omnium incipit loqui?] & poſt multa: Primus omniũ auctoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.] hæc ipſe. Oecumenius [h] vero in eamdem ſententiã: Surgit, inquit, Petrus, & non Iacobus, tamquam feruentior, & velut is cui diſcipulorum præſidentia commiſſa erat.] Cum vero Petrus peroraſſet: ſtatuerunt (inquit Lucas [i]) duos, Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt Iuſtus; & Matthiam. Et cum oraſſent, dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.] Ambos illos fuiſſe ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum, Clemens Alexandrinus affirmat [k]: quorum D Ioſeph idẽ dictus eſt Barſabas, qui plane diuerſus eſt ab alio Ioſeph [l] qui cognominatus eſt Barnabas, & alius quoque ab illo cuius in ijſdem Apoſtolicis Actis habetur mentio, qui & cognominatus [m] eſt Iudas, quem vna cum Sila Apoſtoli miſerunt Antiochiam: in ijſdem enim Apoſtolorum Actis hi tres non ſolum nomine vel cognomine, ſed & rebus geſtis inter ſe diſtinguuntur.

[a] Act. 1.

[b] Act. 12.

[c] Scripta ab Alexan. Mon. extãt apud Sur. tom. 3.

[d] Hier. epiſt. 2

[e] Beda de locis ſanct. c. 3.

DE ELECTIONE MATTHIAE.

[f] Act. 1.

[g] Chryſoſtom. in Act. Apoſt. hom. 3.

[h] Oecum. in Act. Apoſt. c. 2.

[i] Act. 1.

[k] Clem. Alex. citat eum Beda in retract. in Act. Apoſt.

[l] Act. 4.

[m] Act. 15.

Quod vero ad ſortem pertinet, quam ſuper illos duos dederunt Apoſtoli: cum ab CCXXXVIII. alijs diuerſa dicantur; quid de ea Dionyſius [n] ſcribat, in medium adduxiſſe ſatis erit: ſic enim ait: De illa ſorte diuina quæ Matthiæ diuinitus obtigit, alij quidem alia ſenſere; meo iudicio non recte: aperiam autem & ipſe quid ſentiam. Videtur mihi Scripturam ſortem appellaſſe diuini quiddam & præcipui muneris, per quod illi choro ſacratiſſimo inſinuaretur, qui eſſet diuina electione declaratus.] hæc Dionyſius. Circumferebatur olim liber, titulo prænotatus, Sortes Apoſtolorum; ſed cenſura [o] Gelaſij eſt reiectus E inter apocrypha. Eadem inſuper occaſione, quòd Apoſtoli quem eligerent, ſortiti ſint, irrepſit aliquando in Chriſtianos genus quoddam ſortilegij, quod honeſto nomine diceretur, Sortes ſanctorum: ſed a ſanctis Patribus Eccleſiaſticis [p] ſanctionibus ab Eccleſia Dei procul reiectum eſt. Sed eam licentiam nonniſi ante aduentũ Spiritus ſancti Apoſtoli vſurpaſſe inuenientur; nec id tentaſſe, niſi præuia precatione: cum alioqui ſacros ſortiri miniſtros ad ſolitam functionem obeundam, tam ex Lucæ Euangelio, quàm ex Ioſepho, apud Iudæos in vſu fuiſſe, cum de Zacharia actũ eſt ſuperius, dixerimus. Ceterum vt ſorte quis eligeretur in ſummum Pontificem, numquam prius eſſe tentatum, quàm paulo ante Hieroſolymorum excidium, ſed a factioſis hominibus, ex [q] Ioſepho eſt pariter dictum. Quin & apud Gentiles vetitum fuiſſe, ne ſacerdotes deligerentur ſorte, ſicut nec pretio, auctor eſt Dionyſius [r] Halicarnaſſæus.

[n] Dionyſ. de Eccleſ. Hier. par. 3. c. 5.

[o] Gelaſ. in Cõc. Rom. c. de lib. & diſt. 15. c. Sancta Romana.

[p] Conc. Vien. c. 16. & Concil. Aurel. c. 32. & alijs.

[q] Ioſeph. de bell. Iud. lib. 4. c. 5.

[r] Dionyſ. Halic. hiſt. Rom. lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CCXXXIX. Elapsis iam ab ascensione Domini decem diebus: Dum (inquit [a] Lucas) complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: et factus est repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditq. supra singulos eorum: et repleti sunt omnes Spiritu sancto.] hæc Lucas. Locus ille (vt dictum est) vbi erant discipuli congregati cum venit Spiritus sanctus, nobili postmodum basilica est illustratus, quæ dicta est Ecclesia Apostolorum, cuius meminit Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, cum ait: Spiritus sanctus, qui locutus est per Propheras, in die Pentecostes descendit super Apostolos in specie linguarum ignearum, hic Hierosolymis in superiori Apostolorum ecclesia.] Cyrillo assentiuntur ceteri qui de locis sanctis scripserunt. Quod autem ad tempus pertinet, seu diem: facta hæc esse die Dominico, sanctorum Patrum [b] assertio, sacrorum Conciliorum [c] canones, Ecclesiastica traditio firmant, ac ipsa denique ratio monstrat. Numerandi enim ex legis [d] præscripto erant dies Pentecostes ab altero die Paschæ, quo manipulus offerendus erat: id ipsum tunc seruasse Iudæos, Iosephus [e] plane demonstrat, dum ait: Secunda die Azymorum, quæ est mensis huius decimasexta, frugibus demessis & hactenus intactis incipiunt frui: æquumq. rati Deum huius vbertatis auctorem per gratitudinem honorari, hordei primitias offerunt in hūc modum. Spicarum manipulum igni torrent, hordeum deinde pinsunt, atque ita in alicæ modum fracti assaronem ad aram offerunt: inde pugillo vno in eam iniecto, reliquū sacerdotum vsui cedit: & ex eo licitum fit publicas & priuatas messes metere.] hæc Iosephus. Verum cum hoc anno die sequenti Paschatis esset sabbatum, quo falcem in messem mittere vetitum esset (speciali enim lege [f] die sabbati metere prohibitum erat, sicut nec quæ ad cibum pertinerent, ea die parare licebat) manipulum hoc anno constat oblatum fuisse ipso die Dominico, quo Dominus resurrexit, cuius ipse eleuatus manipulus figuram exprimebat: id Epiphanius [g] & alij testantur. Sic igitur ab eo tempore quinquaginta dies numerando vsque ad diem Pentecostes, Spiritum sanctum datum esse ipso die Dominico, certum est.

[a] Act. 2.
[b] Clem. cōst. lib. 5. c. vlt. Augus. ser. 154. de tep. S. Leo ad Dios. epist. 81. c. 1. Isidor. de offi. Eccl. c. 24. Alb. Flacc. de diu. offic.
[c] Sex. Syno. l. c. 8. tom. 1. Concil.
[d] Leuit. 23. Exod. 16.
[e] Ioseph. antiq lib. 3. c. 10.
[f] Exod. 34.
[g] Epiph. in Panar. hær. 51.

A
B
C

CCXL. Tanto cælitus misso illi potiti munere, cœperunt loqui (inquit Lucas [h]) varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.] Hæc audiebant Iudæi agentes Hierosolymis ex omni natione, inquit, quæ sub cælo est. Licet hæc videatur hyperbole; tamen auctore Philone [i], qui his temporibus viuebat, Iudæos non in Palæstina tantum, sed in Asia, Africa, & Europa magno numero habitare consueuisse, exploratissimum est. Verum ex omnibus quindecim tantum numerat nationes, nimirum Parthos, Medos, Elamitas, habitantes Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiam, Pamphiliam, Ægyptum, Libes, Cyrenenses, Romanos, Cretenses, & Arabes. Cum vero Iudæos inter prædictos æque recenseat esse admiratos, quòd ipsorum loquerentur lingua: plane significat Galilæos diuersa a Iudæis vti lingua consueuisse: vnde & ancillam ostiariam merito apparet dixisse olim Petro: Galilæus es: nam & loquela tua manifestum te facit.] Sententia fuit Chrysostomi [k] tot linguarum locutiones impartitas fuisse Apostolis, quot erant Hierosolymis externæ nationes quæ eos loquentes audirent; & si plures fuissent, plures etiam accepturos fuisse: ac denique cum dispersi sunt per orbem terrarum, lingua omnium gentium ad quas profecti fuissent, esse locutos.

EXTOTO ORBE HIEROSOLYMAM.
[h] Act. 2.
[i] Philo lib. contra Flac. & lib. de leg. ad Caiū.
[k] Hanc citat etiam Glyc. in Annal.

D

CCXLI. Quod vero spectat ad linguarum genera quæ essent in orbe terrarum: Clemens Alexandrinus [l] recitat testimonium scriptorum Gentilium, qui non aliunde quàm ex Iudæorum libris linguas septuagintaquinque fuisse restentur, cum ait: Ephorus autem & multi alij historici, & gentes & linguas dicunt septuagintaquinque, cum audissent vocem Moysi, dicentis: Erant autem omnes animæ ex Iacob septuagintaquinque, quæ descenderunt in Ægyptum. Videntur autem ex vera ratione, linguæ seu dialecti, vt vocant, & sermones generales, esse septuagintaduæ, vt nostræ tradunt Scripturæ. Fiunt autem aliæ per communionem duarum, vel trium, vel etiam plurium dialectorum, &c.] Quòd vero ex diuinis Scripturis id se deducere Clemens testatur, aliam plane rationem inisse videtur Augustinus [m], qui septuagintaduas linguas fuisse putat: Quòd, inquit, ex illis tribus hominibus Noe filijs, septuagintatres, vel potius (vt ratio declaratura est) septuagintaduæ gentes, totidemq. linguæ per terras esse cœperunt, quæ crescendo, & insulas impleuerunt. auctus est autem & numerus

[l] Clem. Alexan. lib. 1. Strom.
[m] Aug. de Ciu. Dei lib. 16. c. 6. & 11.

E

A gentium multo amplius quàm linguarum. Nam & in Africa barbaras gentes in vna lingua plurimas nouimus.] hæc Augustinus. Ante ipsum eadem Epiphanius [a], eadēq. ratione, cum ait: Septuagintaduo viri tunc turrim ædificabant, quando in septuagintaduas linguas ex vna confusi sunt.] Pacianus [b] vero cum numerat centum viginti linguas, respectum habuisse videtur ad numerum eorum qui simul in vna [c] domo fuerant congregati, super quos omnes putatur descendisse Spiritus sanctus: quasi velit non omnes illos omnia assecutos esse linguarum genera, sed singulos singulas.

[a] Epiph. lib. de mens. & pond.
[b] Patian. ad Symp. epist. 2.
[c] Act. 11.

Sed hæc communi interpretum sententia reijciuntur: sic enim linguarum donū accepisse constat Apostolos, vt quiuis eorum linguis omnibus loqueretur, non (vt aliqui existimarunt) vno ex illis vna lingua loquente, omnes qui audirent, licet essent diuersarum linguarum, intelligerent. Cum possint multa ad hanc firmandam sententiam

CCXLII.

B adduci, vnius modo Gregorij [d] Nazianzeni testimonium afferam, acturus præsertim de eadem re alibi inferius. hæc enim ait: Audiebant autem. Verum hic paululum consiste, atque addubita, quomodo distinguenda sit oratio. Textus enim nonnullam ambiguitatem habet, puncto dirimendam. Vtrum enim audiebant sua quisque dialecto, ita vt verbi gratia, vox quidem vna resonaret, ceterum multæ audirentur, sic videlicet pulsato ac perstrepente aere, pluribusq. vocibus (vt magis perspicue dicam) ex vna voce effectis? An potius in hoc verbo, Audiebant, punctum statuendum est, atque hæc verba, Loquebantur suis linguis, cum his quæ sequuntur iungenda sunt, vt sic legatur: Loquentes linguis, proprijs scilicet audientium, hoc est externis? qui sensus mihi magis arridet. Nam si priorem modum sequar, eorum potius qui audiebant, quàm qui verba faciebant, hoc miraculum fuerit; at iuxta posteriorem sensum, eorum qui loque-

C bantur, qui etiam temulentiæ insimulantur, haud dubie, quia ipsi Spiritus afflatu noui miraculi aliquid circa voces designabant.] hæc Gregorius. cetera quæ ad alia spectant, relinquimus interpretibus.

[d] Greg. Nazian. orat. in die Pentecostes.

QVOMODO LOQVEBANTVR LINGVIS.

Cum sic audientes obstupescerent: rei vero causam ignorantes, admiranteſq. dicerent: Quidnam vult hoc esse? Alij irridentes dicebant: Quia musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierusalem vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, &c.] recitat quasi ex scripto Lucas Petri tunc ad populum habitam concionem, qua non tantum pro suis apologiam dixit, sed de Christi passione, resurrectione, ascensione, & Spiritus sancti missione, sacrarum Scripturarum auctoritate disseruit. Sed quod excipit de hora tertia: quid tam insolens mirumve videri debet quod ad suorum excusationem adducit, eos ebrios esse non potuisse, quòd esset hora diei tertia? nam (quod & superius vidimus) cum apud Hebræos etiam singuli quique dies duodecim horis terminarentur; plane hora tertia quartam diei partem continebat. Cumq. horæ æstiuæ ceteris longiores esse solerent: quid tam mirum, inquam, nouumve, si ea hora illi pransi fuissent, homines præsertim peregrini & piscatores? Qui hunc nodum soluerit, hactenus non inuenimus: sed perfacilis erit eius solutio, si nouerimus Hebræorum illam fuisse a maioribus traditam & vsu receptam ac tamquam lege probatam consuetudinem, vt non liceret diebus festis cuiquam ante sextam horam prandere. Meminit eius consuetudinis Iosephus in Vita sua, dum hæc ait: Plebs autem non assentiebat horum orationibus; & proculdubio exorta fuisset seditio, nisi concionem soluisset sexta hora superueniens, quæ nostros ad prandium vocare solet sabbatis.] tubæ enim sonitu certas horas Hebræis significari solitas, alibi dictum est. Merito igitur Petrus excipit de hora diei tertia, cum ante sextam horam diebus festis prandere, religio esset.

CCXLIII.

D

DE HORA DIEI TERTIA OBIECTIO SOLVTA.

E

Hæc ex alio loco etiam declarantur, immo ex his elucidatur alius locus Actorum [e], quo dicitur: Ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam: Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus.] Fuisse autem eam diem sabbatum, qua nonnisi hora sexta prandere liceret, illud in primis persuadet, quòd tunc pararentur quæ apponenda essent mensæ, quæ videlicet die parasceues erant ad esum accommodata: nam qua ratione eadem sexta hora illa parari potuissent, nisi fuissent pridie præparata? Quòd insuper dicat Angelus ad Petrum: Surge, descende, & vade cum eis nihil dubitans] & inferius Lucas: Sequenti autem die surgens profectus est cum illis] plane demonstrat,

[e] Act. 10.

CCXLIV.

LOCVS ACTORVM ELVCIDATVR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

illa ipsa die ob festum id facere minus licuisse. Sed iam cetera prosequamur. A

CCXLV. Quòd vero eadem oratione Petrus, quæ de Dauide dicta sunt, de Christo esse intelligenda testatur, meminitq. de eiusdem Dauidis sepulchro, dicens: Et sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem] obseruatione quidem dignum est, sepulchrũ illud, quod & Salomonis dictum est, quòd & ipse illic conditus esset, remansisse integrũ vsque ad extremam omniumq. nouissimam Iudæorũ cladem per Hadrianum illatam: tunc temporis enim antequam illa sequeretur, quasi in prodigium futuri vltimi Iudæorum gentis exterminij, sponte corruit, vt Dio Cassius auctor est in Hadriani Vita, quam scripsit. Eiusdem sepulchri Iosephus sæpe meminit, quod non tantum augustis ædificijs Salomonis opera extructis erat insigne, sed & thesauro nobilitatum: ingentem enim vim auri ab eodem Salomone illic fuisse recusam, haud dubium est; testatur namque idem [a] auctor, Hyrcanum, cum obsideretur ab Antiocho, cognomento Pio, B ablatis e sepulchro Dauidis tribus millibus talentorum, ijs totius populi vexationem remisisse. Rursum vero quid Herodi idem sepulchrum perscrutanti obuenerit, idem [b] testatur his verbis:

DE SEPVLCHRO DAVID.

a Ioseph. antiq. lib. 7. c. vlt.

b Idem lib. 16. antiq. c. 11.

CCXLVI. Herodes multum pecuniarum domi forisq. profundens, audito quòd Hyrcanus, qui ante eum regnauit, recluso Dauidis sepulchro, tria milla talentorum argenti extulisset, superesseq. multo plura, quæ possint quantumuis magnis sumptibus sufficere; multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc vero noctu apertum sepulchrum ingreditur, cum prius accurate cauisset ne hoc sciret populus, assumptis tantum amicorum fidissimis: depositas tamen pecunias, sicut Hyrcanus, non inuenit, sed mundi pretiosi & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. His inuitatus ad diligentius scrutandũ, interius processit vsque ad conditoria Salomonis, ac Dauidis: ibi duos C satellites amisit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progressos temere: quo casu exterritus, exiuit, & tactus religione, ad expiandum se, in aditu sepulchri monumentum e candido marmore condidit sumptuosissimis impendijs. Eius operis & Nicolaus illius temporis scriptor meminit, sed non item de descensu Regis, præter decorum id factũ existimans: idq. more suo fecit. Viui enim Regis hæc auribus dedit, captans gratiam, &c.] hæc Iosephus. Sepultum fuisse Dauidem in ciuitate [c] sua, quæ dicta est Sion, habet diuina [d] Scriptura. Hierosolymis nimirum, vbi est Sion, a Salomone tumulatum fuisse Dauidem, item Iosephus [e] testatur. Admiratione sane dignum, quòd a Tito ea ciuitate funditus excisa, nihilominus idem sepulchrum remanserit integrum, nec nisi temporibus Hadriani (vt ex Dione dictum est) sponte corruerit: verum quid dico corruerit? Id quidem non sic accipiendum est, vt solo adæquatum, sed tantum D aliqua ex parte collapsum fuerit: nam Hieronymus [f] ad Marcellam scribens, relegens loca sancta; ac si ipsum integrum remaneret, in Mausoleo Dauidis precari solitum tradit. Sed hæc satis occasione Petri in sua concione de sepulchro Dauidis mentionem facientis.

HERODES APERVIT SEPVLCHRVM DAVID.

c 2. Reg. 5.

d 3. Reg. 2.

e Ioseph. antiq. lib. 7. c. vlt.

f Hier. epist. 17. prope fin.

CCXLVII. Cur autem Petrus præ ceteris, tam ad suorum defensionem, quàm aliorum ad fidem conuersionem, verbi prædicationem exorditur, nisi quia primatum tenet inter Apostolos? Vnde Chrysostomus [g]: Petrus, inquit, agit causam omnium, primus verbum Dei prædicat, qui primus est omnium, & Prophetarum testimonijs de Spiritusancti futura missione testimonia profert, docetq. eadem tunc fuisse impleta, &c.] His auditis, inquit [h] Lucas, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, & E baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum: et accipietis donum Spiritusancti.] subdit vero: Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt: et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.] De his agens Tertullianus [i]: Primus, inquit, in Christi baptismo Petrus reserauit aditum cælestis regni.]

PETRVS PRIMVS OMNIVM CONCIONATVR.

g Chrysost. hom. 3. ad pop. Antiochen.

h Act. 2.

i Tert. de pudicitia.

CCXLVIII. Quod vero Lucas dicit, conuersos ad fidem iussos a Petro baptizari in nomine Christi: non sic accipiendum, vt Patris, & Spiritusancti, non æque ac Filij, nomina, qui baptizarent, expresserint: nam Iustinus martyr in oratione ad Antoninum Pium Imp. Ex Apostolica, inquit, institutione in baptismate Parentis omnium & Domini Dei nomen nominatur.] & paulo post: In nomine etiam Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, atque in nomine Spiritusancti, qui per sacros Prophetas pronunciauit res Chri-

DE BAPTISMO IN CHRISTI NOMINE.

A res Christi omnes, abluitur is qui illuminatur.] hæc Iustinus. Cyprianus [a] sic in eamdẽ sententiam: Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur.] Ceterum ex Ecclesiæ antiqua traditione ratum fuisse baptismum in nomine tantum Christi collatum, scripsisse Stephanum Romanum Pontificem, idem Cyprianus in epistola ad Iubaianum, licet ab eo dissenserit, aperte testatur. Verum enimvero ne a Petri digna commendatione longius recedamus (hæc enim de baptismate quasi per digressionem dixisse satis est) Ioannes [b] Chrysostomus admirans Petri præclara & tali Præsule dignissima facta, hæc dicit: Erat Petrus os omnium, causam fidei agit pro omnibus, doctrina sua instruit omnes; ipse præcipuus fidei assertor est, præcipuus catechista habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coegit Ecclesiam, eamq. non ex Hierosolymitanis & circumcirca habitanti- B bus Iudæis, sed ex Parthis, Medis, Phrygijs, Libycis, Ægyptijs, Arabibus, aduenis Romanis, & alijs. Et qui omnium pastor fuit a Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oues: docuit eos fidem simul & Apostolicos mores, nempe renunciare omnibus, simul conuenire in oratione, & panis a Christo edocta fractione.] hucusque Chrysostomus.

a Cyprian. in epist. ad Iubaian. 73.

b Ioan. Chrysost. in Act. Apost. homil. 4.

DE PETRI PRAEDICATIONE.

Erant autem (inquit [c] Lucas) perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communica- CCXLIX. tione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor.] quamobrem non tantum Christi fidem auide susceperunt; sed & quæ habebant, in communem omnium vsum contulerunt. Omnes enim qui credebant (addit Lucas [d]) erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat.] Hæc erat (ait Chrysostomus [e]) Angelica respu- C blica, nihil dicere proprium: hoc protulit primum germen nascens Ecclesia. Petrus plantat verbo, rigat baptismate; sed qui incrementum dat, Deus est.] ac rursus [f]: Petrus piscator hos superauit, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset: nec enim aliter quàm piscator mutos pisces, ita hic illos superauit.] et paulo post: Vbi nunc Græciæ fastus, vbi nomen Athenarum, vbi philosophorum deliramenta? Ille Galilæus, ille Bethsaidæ natus, ille rusticanus, vniuersos illos deuicit. Agedum, non ad nominatam patriam illius, qui hos deuicit, erubescitis? quòd si nomen ipsum hominis audietis (Cephas enim dictus est) multo magis obtegetis faciem.] hæc ille, Christi in Petro admirabilem virtutem prædicans.

c Act. 2.

d Ibidem.

PRIMA CHRISTIANITAS.

e Chrys. in Act. Apost. hom. 7.

f Chrys. hom. 5. in Act. Apost.

Ceterum verbi prædicationi adiuncta etiam fuisse miracula, testatur Lucas [g], dum CCL. ait: Multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Hierusalem fiebant.] additq. D post alia, sic ab Apostolis esse distributa officia per loca singula, vt quotidie in templo perseuerarent, nimirum orantes, vel Dei verbum annunciantes: in domibus vero panem frangerent, sacram videlicet Eucharistiam ministrantes, mira quadam diuinitus impartia spiritus discretione, quæ domi, quæve in templo sibi essent agenda, distinguentes: ad sacra nimirum celebranda mysteria domos priuatas habentes; ad verbi Dei vero prædicationem, & communem omnium precationem, templum adeuntes. Vnde subdit Lucas [h]: Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.] Cur autem (ait Chrysostomus [i]) tunc ascenderunt in templum? Numquid Iudaice viuebant? minime: sed vtiliter hoc faciunt.] Nunc vero in adeundo templo, ipsorum consilium quodnam fuerit, satis exprimitur, cum ad horam orationis nonam eos ascendisse, Lucas dicit. Quæ enim scripta in lege, vel consuetudine laudabili in- E troducta essent apud Hebræos præcepta moralia, eadem non modo Apostoli non spreuisse, sed etiam in Ecclesiam transfudisse noscuntur. Vnde S. Leo Papa [k] in hanc sententiam: Apostolica, inquit, institutio, dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, ita veteris Testamenti sacramenta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet; & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ. Quamuis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia sabbatorum cum ipsa carnis circumcisione cessauerint; manent tamen ex ipsis voluminibus & apud nos præcepta plurima moralia.]

g Act. 2.

h Act. 3.

i Chrys. hom. 8. in Act.

QVAE EX IVDAEIS PETRVS IMITATVS.

k Leo Pap. serm. 7. de ieiun. sept. mens.

Quod igitur spectat ad antiquum certis horis orandi ritum, ex Iudæorum fontibus CCLI. ab Apostolis in Ecclesiam deductum; Tertullianus [l] tradit in primis hisce verbis: Salua indifferentia semper & vbique & omni tempore orandum: tamen tres istas horas, vt insigniores

DE HORIS CANONICIS.

l Tert. aduers. Psychic. c. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita & solemniores fuisse in orationibus diuinis; quod etiam suadet Danielis argumentum ter in die orantis, vtique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem, quàm insigniorum exinde Apostolicarum, Tertiæ, Sextæ, Nonæ. Hinc itaque & Petrum dicam ex veteri potius vsu Nonam obseruasse, tertio orantem supremæ orationis munere, &c.] hæc enim ex Petri instituto & exemplo in Ecclesia obseruari confirmat. De ijsdem tribus horis, alijsque superadditis, ac omnibus etiam diuinis mysterijs felicius consecratis, in Ecclesia seruari solitis, Cyprianus [a] scribit his verbis: In orationibus vero celebrandis inuenimus obseruasse tres pueros cum Daniele, tres pueros in fide fortes & in captiuitate victores, horam tertiam, sextam, nonam, sacramento scilicet Trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari debebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemq. ad sextam quarta procedens, declarat alteram Trinitatem: & quando a septima nona completur per ternas horas, Trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum spatia iampridem spiritualiter determinantes adoratores Dei, statis & legitimis ad precem temporibus seruabant: et manifestata postmodum res est, sacramenta olim fuisse, quòd ante sic iusti precabantur. Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ passionis impleuit. Item Petrus hora sexta in tectum superius ascendens, signo pariter & voce monentis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis Gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra suo sanguine abluit; & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. Sed nobis, fratres dilectissimi, præter horas antiquitus obseruatas orandi, nunc & spatia & sacramenta creuerunt. Nam & mane orandum est, vt resurrectio Domini matutina oratione celebretur; quod olim Spiritus sanctus designabat in Psalmis dicens: Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane assistam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me, dicentes: Eamus, & reuertamur ad Dominum Deum nostrum. Recedente item Sole, ac die cessante, necessario rursum orandum est. Nam quia Christus Sol verus, & dies est verus: Sole a die sæculi recedente, quando oramus & petimus vt super nos lux denuo veniat, Christi precamur aduentum, lucis æternæ gratiam præbiturum.]

[a] Cypr. de orat. Domin.

CCLII. Quinque his horis canonicis duæ aliæ reperiuntur superadditæ, eædemq. alijs diuinis consignatæ mysterijs, & septenario numero consecratæ, de quibus Magnus Athanasius [b] his verbis meminit: Oriens Sol videat librum in manibus tuis. Post Tertiã synaxes conficies; quoniam ea hora defixũ est lignum crucis. Sexta hora absolues deprecationes cũ psalmis, ploratu, & supplicationibus; quoniam hac hora pependit Filius Dei in cruce. Nona hora rursum in hymnis & glorificationibus eris, cum lacrymis & confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis; quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum: et post synaxim horæ Nonæ comede panem tuum.] & post nonnulla: Si, inquit, ingredieris in templum duodecima hora, maiorem & longiorem facies synaxim cum virginibus tecum concordibus: quòd si nullam habeas concordem, sola synaxim absolues, Deo præsente & audiente, Bonum autem est lacrymas effundere coram Domino, memoremq. esse duodecimæ horæ, quòd in illa Dominus ad inferos descendit. Inferius vero hæc addit: Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum: ea enim hora surrexit a mortuis Dominus Deus tuus, & Patrem suum hymnis celebrauit: atque ideo nobis iniunxit, vt eadem hora hymnos Deo diceremus. Cum primum surgis, hunc versum recita: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicijs iustitiæ tuæ. et precare, & incipe recitare psalmum quinquagesimum, donec absoluas. Et hæc tibi certa sint pensa per singulos dies, & tot psalmos dices, quot poteris, & ad quemlibet psalmum preces & genuum flexio cum lacrymis addantur, prononciando Domino peccata tua, orandoq. vt tibi remittantur.] & paulo post: Celerum matutino tempore hunc psalmum dicito: Deus Deus meus ad te de luce vigilo, &c.]

[b] Athan. de Virgin.

SEPTEM ORANDI HORAE.

[c] Ioan. Chrysost. hom. 10. ad pop. Antioch. ethem. de laud. mon. & hom. 14. in 1. epist. ad Tim. et in psalm. Beati immaculati.

CCLIII. De septem item orandi horis, quatuor diurnis, & tribus nocturnis, agit sæpe Ioannes [c] Chrysostomus, & ante ipsum Basilius [d], qui de ijsdem agit multis & frequenter: licet alicubi octauam videatur addidisse horã; tamen ipsam quam ponit post mediam noctem

[d] Basil. in reg. interrog. 37.

noctem ante diluculum, iungere simul consueuit Ecclesia, easdemq. pro vna numerat hora, quam Matutinum officium nominat Hieronymus [a], qui de his etiam septem horis hæc paucis: Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vesperam nemo est qui nesciat.] et paulo post: Noctibus bis terq. surgendum, reuoluenda quæ de Scripturis memoriter retinemus.] Idem alibi de tribus horis in veteri Testamẽto seruari [b] solitis, tertia, sexta, & nona, Ecclesiastica traditione receptis agit: rursumq. de horis vespertinis, mediæq. noctis, & matutinis meminit, scribens ad [c] Demetriadem, & ad Lætam [d], & Eustochium [e]. Cassianus [f] de ijsdem pluribus, Isidorus [g], & alij fere innumeri, quos enumerare nimis longum esset. Hæc igitur ex antiqua sanctorum virorum institutione, ac maxime Dauidis dicentis, Septies in die laudem dixi tibi] per Apostolos semel in Ecclesiam translata, feliciter perseuerant. Quod vero pertinet ad nocturnas preces, ipsas sacras vigilias, accommodatius agemus inferius.

[a] Hieron. ad Eustoch. epist. 22.

DE IISDEM ORANDI HORIS.

[b] Hier. in Daniel. c. 7.
[c] Hieron. epist. 8.
[d] Idem epist. 7.
[e] Idem epist. 22. & 27.
[f] Cassian. col. 7.
[g] Isid. de Eccles. offic. c. 19.

CCLIV. Hæc vero satis ad insinuandas ex instituto Ecclesiæ Catholicæ antiquas ab Apostolis acceptas traditiones. Quarum vsu non ceteras tantum diei horas precibus consecratas didicimus, sed & locũ, quo ad preces Deo fundendas conuenire debeant Fideles, admoniti sumus. Quantumlibet enim priuatas quis orationes domi agere intra cubiculum suum (vt Dominus docuit) debeat esse solicitus: tamen exemplo Apostolorum templum adeuntium, ad publicas preces in vnum conuenire debere locum, ipsam scilicet ecclesiam, admonentur Christiani: Quod quidem faciendum esse, S. [h] Ignatius, qui ijsdem vixit temporibus, scribens ad Magnesianos inculcat, sic dicens: Omnes ad orandum in idem loci conuenite: sit vna communis precatio, vna mens, vna spes in charitate, & fide inculpata in Christum Iesum, quo nihil est præstantius. Omnes velut vnus quispiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum summum sacerdotem Dei vnigenitum.] At de his hactenus: iam cœptam historiam percurramus.

LOCVS ORATIONIS.

[h] Ignat. epist. 6.

CCLV. Quidam vir (inquit [i] Lucas) qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum, &c.] claudi enim narrat historiam sanati miraculose a Petro; additq. simul, quo modo eius rei nouitate perculsi populi, ad eosdem ad porticum Salomonis concurrerint. Hæc quidem cum tam dilucide ab Euangelista Luca narrentur; de locis ipsis, de porta inquam Speciosa, quænam fuerit, & porticu Salomonis, vbinam sita esset, soluendæ remanent magnæ in eadem historia difficultates: quas fortasse prætermisissem, nisi animaduertissem in his erasse nonnullos, dum existimarunt nullam prorsus Herodis temporibus reliquam fuisse porticum antiquioris templi illius a Salomone constructi, quod diuinæ Scripturæ auctoritate constet conflagrasse temporibus [k] Sedechiæ: dumq. etiam illam esse putarunt portam Speciosam, per quam pateret aditus ad porticum Salomonis. Cũ igitur hi omnes manifeste errare noscantur: operæpretium existimaui de ipsa porticu Salomonis ac portis templi fusius agere. Res sunt scitu dignissimæ, quæ non ad præsentis historiæ tantum elucidationem, sed ad alia nonnulla noui Testamenti loca declaranda conducant.

[i] Act. 3.

DE CLAVDO SANATO.

[k] 4. Reg. vlt.

CCLVI. Cum vero templum (vt superius dictũ est) cuius est frequens mentio in nouo Testamento, non illud primum a Salomone ædificatum, nec secundum tempore Zerobabel restitutum, sed tertium, ab Herode scilicet excitatum, constet fuisse; nec ab aliquo antiquorum scriptorum, perinde ac a Iosepho descriptum illud per singulas partes distincte inueniatur: ab ipso in primis petenda est harũ rerum cognitio. Age vero, antequam de ipsius templi portis agamus, de ipsa in primis porticu Salomonis orationem instituamus: ac primum de illa, cuius non tantum hic Lucas & inferius [l], sed & Ioannes [m] mentionem fecit. Agens igitur Iosephus [n] aduersus Apionem, hæc habet de quadruplicibus porticibus templi atque earum vsu: Quatuor porticus habuit in circuitu, & harum singulæ propriam secundum legem habuere custodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus etiam alienigenis: mulieres tantummodo menstruatæ transire prohibebantur. In secundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorumq. coniuges, cum essent ab omni pollutione mundæ. In tertiam masculi Iudæorum, mundi existentes, atque purificati. In quartam autem sacerdotes stolis induti sacerdotalibus. In adytum soli Principes sacerdotum, propria stola circumamicti.] hæc Iosephus.

[l] Act. 5.
[m] Ioan. 10.
[n] Ioseph. aduers. Apion. lib. 2. & antiq. lib. 15. c. 14.

PORTICVS QVATVOR.

Quæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

CCLVII. DE PORTICV SALOMONIS.

Quæ autem harum porticuum Salomonis diceretur, idem alijs in locis non obscure declarat: vt cum agit [a] de templo ab Herode restituto, partem templi exteriorem porticu Salomonis fuisse nobilitatem tradit, & qualis esset, describit in hunc modū: Tantis fundamentis digna erant opera imposita. Duplices porticus omnes, quas columnæ sustinebant, quinis & vicenis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido, & laquearia cedrina protegebant: quorum naturalis magnificentia, quòdq. ligno rasili erant, apteq. cohærebant, operæpretium spectantibus exhibebat, nulloq. aut pictoris aut sculptoris opere extrinsecus ornabatur. latæ autem triginta cubitos erant: omnisq. gyrus earum sex mensura stadiorum cum Antonia concludebatur. Totum autem sub dio spatium variabatur omnium quidem generum lapide stratum; qua ad secundum templum ibatur.] hæc de exteriori porticu, quæ Salomonis dicebatur, Iosephus; de qua & alibi quoque his verbis [b]: Suasit Regi vt Orientalem instrueret porticum: ea templi extima claudebat profundæ valli & angustæ imminens, ac proinde subnixa muro quadringentos alto cubitos, saxis constructo quadratis, valde candidis: eratq. cuiusque saxi longitudo cubitorum viginti, sex vero altitudo, opus Salomonis Regis, qui primus integrum templum condidit.] hucusque ipse. Ex quibus etiam facile causam intelliges, cur post tot templo illatas clades, post denique eiusdem demolitionem (vt vidimus) ac restitutionem ab Herode factam, adhuc porticus Salomonis remanserit etiā cum suo nomine integra: nimirum propter solidam firmiterq. fundatam ac stabilitam tantæ structuræ molem, quam lapidibus inter se plumbo compactis, ferroq. intrinsecus vinctis fuisse firmatam, alibi idem [c] auctor affirmat: vt non sit mirum, si post totius templi bustum temporibus Sedechiæ igne consumpti, porticus Salomonis remanserit adhuc integra.

[a] Ioseph. de bell. Iud. lib. 6. c. 6.

[b] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 8.

[c] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14.

CCLVIII.

Appellatur dicta porticus Salomonis a Iosepho interdum primum templū, aliquando prima porticus, quæ patebat etiam alienigenis. Per eius atrium lapidibus nobiliter stratum, ad secundum (idem inquit Iosephus) templum ibatur cancellis septum saxeis ad tres cubitos altis, nimiūq. grato opere factis: vbi æquis dispositis interuallis columnæ stabant, legē castimoniæ prænonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis litteris, in locum sanctum transire alienigenas non debere: Sanctum enim vocabatur alterum fanum, & quatuordecim gradibus ascendebatur a primo.] & infra: Post quatuordecim autem gradus, spatium erat vsque ad murum trecentis cubitis planum. Hinc rursum alij quinque gradus & scalæ ad portas ducebant, a Septentrione quidem atque Meridie octo, duæ vero ex Oriente.] paulo vero post de ornamento agens hæc ait: Portarum autem aliæ quidem auro & argento vndique tectæ erant, itemq. postes ac frontes: vna autem extra templum ære Corinthio, quæ multum argento inclusas & inauratas honore superabat. et binæ fores quidem in singulis ianuis erant, tricenis cubitis altæ, quinis denis etiam latæ. Post introitum vero, vbi latiores fiebant, tricenis vtrinque cubitis exedras habebant, exemplo quidem turrium longas & latas, supra vero quàm viginti cubitis celsas: singulas autem binæ columnæ duodecim cubitorum crassitudine sustinebant. Et aliarum quidem portarum magnitudo par fuit: quæ vero supra Corinthiam posita, quo mulieres conueniebant, ab Oriente aperiebatur, porta templi sine dubio maior erat; quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumq. magnificentiorem: quoniam crassiori argento & auro vestiebatur, quod quidem nouem portis infuderat Tiberij pater Alexander.] hæc Iosephus de portis secundi, quod vocat, templi: ac paulo inferius agit de porta interioris templi, quod ad distinctionem prioris, quod Sanctum dixerat, Sacrosanctum appellat, dum ait: Ipsum vero templum in medio positum, hoc est, fanum Sacrosanctum, duodecim gradibus ascendebatur.] & paulo post de portis: Prima vero eius porta septuaginta cubitis alta erat, & vigintiquinque lata, neque fores habebat; cælum enim vndique conspicuū lateq. patens significabat: erantq. totæ frontes inauratæ.] et post aliqua, de porta interiori hæc ait: Interior vero porta tota inaurata erat, & circū eam auratus paries: desuper autem habebat auratos pampinos, vnde racemi statura hominis pendebant: fores habebat auratas quinquaginta & quinque cubitis altas, sexdecim vero latas. ad hæc aulæū longitudine pari, hoc est, velum Babylonium, &c.] pergit agere de intima parte templi, quæ dicebatur Sancta sanctorum. Idem alibi de templi portis agens, hæc [d] ait: Ianuæ quidem templi altitudine cubitorum erant sexaginta, latitudine vero viginti, omnes deau-

DE PORTIS TEMPLI.

[d] Ioseph. aduer. Apion. lib. 2.

nes deauratæ, & pene auro puro confectæ: has claudebant non minus quàm viri ducenti diebus singulis, & relinquere eas apertas nefandū nimis erat.] hæc ipse. Easdem item templi portas Aristeas [a] admiratus, hæc de illis scribit: Portarum vero aspectus, & lapidū connexiones, & superliminarium mirum decus summa claritudine fulgent, vtpote quæ nulla sumptuum parsimonia, ob magnificentiam cuncta abundantissime constructa fuerant.] hæc Aristeas.

[a] Arist. de 72. interp.

CCLIX. DE PORTA SPECIOSA.

His igitur de templi portis sic se habentibus; quænam ex his Speciosa porta diceretur, perueſtigandum est. Constat in primis nullam de portis tertiæ partis templi, quod dicebatur Sacrosanctum, ad quod sacerdotes tantum accessum habebant, dictam esse Speciosam: nam per eam, auctore Luca [b], constat non solum Petrum & Ioannem, sed & claudum illum iam sanatum esse ingressos. reliquum est igitur, eam vel in porticu Salomonis, quæ (vt nuper est dictum) extima erat, vel in secunda porticu, quæ & secundum dictum templum, quod & Sanctum dicebatur, fuisse locatam. Porro de portis porticus Salomonis, licet nihil expresse a Iosepho dicatur: tamen dum agens contra Apionem [c] dicit claudi templum ianuis cubitorum sexaginta altitudine, & viginti latitudine; cum ea mensura nec secundæ, nec tertiæ templi porticibus conueniat; primæ porticus, Salomonis dictæ, eas fuisse, affirmare necesse est. An vero ex his aliqua dicta fuerit Speciosa, vt aliqui existimarunt, res accuratius examinanda est. Existimaui aliquando, aliquam ex his quæ erant in ipsa fronte porticus Salomonis, fuisse portam illam Speciosam de qua agimus: id quidem ex eo deducens, quòd fuisset olim illud in prouerbium apud Hebræos [d]: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.] ob idq. non licuisse, claudum hominem, in illud quod intra templum erat, exponere. Verum cum de cæcis & claudis id non reperiatur Moysi lege vetitum, constetq. Iosephi [e] auctoritate cæcos in templum admitti, immo si essent ex genere sacerdotali, etiam inter sacerdotes residere, absque tamen amictu sacerdotali; & de claudis etiam nulla dubitatio esse videatur, eosdem intra templum admitti licuisse, ac multo magis intra atrium porticus Salomonis, quod (vt eodem auctore vidimus) etiam patebat Ethnicis: nihil est quòd affirmare cogamur Speciosam portam fuisse in porticu Salomonis; præsertim cum nulla ex illis æque celebretur, ac illæ quæ erant in secunda porticu, quam secundum templum Iosephus appellat, quarum ornatum mirificum prædicat.

[b] Act. 3.

[c] Ioseph. contra Apion. lib. 2.

[d] 2. Reg. 5.

[e] Ioseph. de bell. Iud. lib. 6. c. 6.

CCLX. EX IOSEPHO DVBITATIO.

Ceterum attentius, quæ ab eodem auctore scribuntur, consideranda sunt: parum enim sibi constare videri potest, dum alibi [f] (vt vidimus) fuisse templi portas decem, a Meridie quatuor, totidemq. a Septentrione, ab Oriente duas, affirmat; alibi [g] vero de ijsdem agens, cum describit nouum templum ab Herode restitutum, auctum, atque nobilitatum, manifeste tradit ternas tantum a Meridie, ex aduerso totidem, & vnam magnam ad Orientis partem fuisse locatam. Sed præstat vt eiusmet verba reddamus, quo certiora ac manifestiora habeantur hæc quæ dicimus: sunt ergo eiusmodi: Post primum ambitum, interius non longo interstitio, secundus paucis gradibus scansilis septum habebat lapideum, cum inscriptione quæ vetaret transgredi alienigenam, sub interminatione pœnæ capitis: hoc interius septum tam Austrino quàm Septentrionali latere patebat ianuis ternis æque distantibus, ab Oriente vero vna magna, per quam intrarent casti vna cum vxoribus. Interiora autem fani mulieribus nefas erat ingredi. Tertium vero spatium intimum solis sacerdotibus accessibile.] hæc ibi; quæ non tantum, quod pertinet ad portarum numerum, pugnare videas cum superius dictis, sed & in eo quòd mulieres per se sine viris intrare dixit, hic vero vnam tantum ait fuisse portam ad Orientem positam, per quam castos viros vna cum vxoribus intrare solitos tradit. Certe nec structuræ ratio pati posse videtur, vt in eodem frontispicio ad Orientem vergente duæ portæ fuerint inæquales constructæ; quarum altera tricenis, vt ait, cubitis alta, quindenis lata, altera vero quinquaginta cubitis eminens esset: quam cum eius templi portam maiorem appellat, respectu ceterarum quas in eodem secundo templo positas dixit; illam ipsam esse mihi persuadeo, quam alibi idem auctor maiorem appellans, locatam super eam ab Herode seniore aquilam auream tradit [h]; quam non fuisse extra templum in porticu Salomonis, efficax illa ratio persuadet, quòd ibidem auctor affirmet, detraxisse e porta iuuenes illos dictam aquilam auream, inspectante, vt ait, congregata in templum multitudine: adeo vt opus fuerit, tam au-

[f] Idem eod. c. 6.

[g] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14.

[h] Ioseph. antiq. lib. 17. c. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tam audax facinus non foris, sed intra Salomonis porticum esse patratum. Denique quod spectat ad locum in templo feminis tantum adscriptum; medijs parietibus a ceteris fuisse distinctum, nec vnam, vel ab vno latere, sed plures ad eumdem patuisse portas, idem Iosephus[a] non obscure significat, dum hæc ait: Necessario namque proporta opus esse videbatur: contra primam vero secreta erat ab alijs regionibus vna porta Meridiana, & vna Septentrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim ad mulieres transire non licebat, sed nec suâ portam interiecto muro transgredi licebat; patebat enim locus ille pariter indigenis atque hospitibus feminis religionis causa venientibus.] hæc ille.

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 6.

CCLXI. Vt autem quæ idem auctor inter se diuersa ac plane contraria diuersis in locis narrat, aliqua ratione conciliari mutuo possint: accuratius considerandum est, quòd aduersus Apionem[b] agens, cum secundum porticum tribuat feminis mundis, tertiam vero masculis purificatis; in eodem secundo quod dicit templo, duplicem fuisse porticum, feminis alteram, alteram masculis destinatam, significare videtur: cum alias (vt vidimus) in eodem secundo templo, licet inter se separatos, viros, ac mulieres pariter agere consueuisse testetur; 5icq. priorem eiusdem loci porticum tributam esse feminis, posteriorem denique viris æque mundis esse concessam. qua tantum ratione dici posse videtur, duas portas eiusdem templi ad Orientem vergentes esse positas, non in eodem frontispicio, sed alteram ipsarum in prima eiusdem loci porticu, alteram vero in secunda, prioremq. ad aliam fuisse peruiam; & quòd maior ceteris esset, viris ac feminis, vt ait, fuisse communem; ingressas vero hanc illas, per alias portas sua ingredi septa muro distincta, viros vero interiorem eius loci adire porticum: et hoc ipsum esse quod ait[c] Orientalem magnam portam castos simul intrare vna cum vxoribus, interiora autem fani mulieribus nefas ingredi: hacq. item ratione effici potuisse, quod ait, fuisse eiusdem secundi templi decem portas, quarum tres primæ porticui vbi mulieres agerent, inseruirent; Maioremq. dictam positam fuisse ad Orientē, per quam tum ipsæ, tum viri æque transirent: duas reliquas, vt ait, alteram a Meridie, alteram a Septentrione priuato illarum vsui destinatas.. Rursum vero in interiori porticu septem fuisse portas, sex a lateribus, ternas hinc inde positas; & vnā quæ spectaret ad Orientem, quæ primæ ac maiori portæ e regione posita esset: hancq. fuisse illam Corinthiam, super quam Iosephus Maiorem portam locatam fuisse testatur; quam sic extra templum positam dicit, quòd scilicet non esset in primæ illius templi porticus frontispicio, sed extra illud, nimirum in secunda porticu posita: nulla etenim ratio patitur, vt in prima esset porticu, quæ minor altitudine & latitudine haberetur. Hæc de portis templi quod Sanctum dicebatur, quo tum viri tum feminæ purificati omnes conuenire consueuerant. De portis vero interioris templi, quod sacerdotes tantum adibant, nihil ad præsentem rerum tractationem.

b Ioseph. aduer. Apion. lib. 2.

LOCA IOSEPHI ELVCIDANTVR.

c Ioseph. antiq. lib. 15. c. 14.

CCLXII. His visis, quænam dictarum omnium fuerit illa templi porta, quam Lucas Speciosam appellat, iam reliquum est vt dicamus. Cum enim ceterarum portarum duæ in primis omnium pulcherrimæ haberentur, Maior illa, atque Corinthia: illa quidem, quòd (vt idem Iosephus[d] testatur) crassiori argento & auro vestiretur; ista vero, quòd ære Corinthio fabrefacta, multum (vt idem ait) argento inclusas & auratas honore superaret: Quænam harum dicta fuerit Speciosa; in eam libentius adducor sententiam, vt Corinthia illa, quæ pulchritudine ceteras antecelluit, appellata fuerit Speciosa: cum præsertim illi primæ suū videretur inditum esse nomen: nam porta Maior nominata ab omnibus erat. cum ergo non ad portam Maiorē, sed ad Speciosam claudū illū Lucas excubasse testetur, non de alia, quā de Corinthia ceteris pulchriore, intelligi posse videtur.

d Ioseph. de bello Iud. lib. 6. c. 6.

SPECIOSA PORTA.

CCLXIII. Claudus ille igitur ibi agens, cum a Petro & Ioanne eleemosynam peteret; Petrus se nec aurum nec argentum, quod daret, habere excusans, apprehensa[e] manu eius dextera, alleuauit eum: et protinus, inquit Lucas, consolidatæ sunt bases eius, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deū. Cognoscebant autem illum, quòd ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: et impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi.] hæc Lucas. Negat se argentum & aurum habere quod tribuat: Cum enim rerum pretia deferrentur

e Act. 3.

CLAVDVM A NATIVITATE PETRVS SANAT.

A tur ad pedes Apostolorum: sicut a Christo vnus ex omnibus delectus erat, qui loculos habens, quæ essent necessaria ad victum curaret; id ipsum factum ante electionem diaconorum ab Apostolis, par est credere. Non enim ob eam causam, quòd Dominus dixisset[a]: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris] prohibiti erant Apostoli eadem secum ferre. Non igitur vsuram rerum, sed prauum affectum, & temporalium rerum solicitudinē a Christo esse interdictam, monstrant Augustinus[b], Hieronymus[c], & alij. Ceterum quod spectat ad Petrum, adeo pauperem sibi viuendi genus præscripsit, vt (quod ait Gregorius Nazianzenus in oratione de amore pauperum) lupinis famem vrgentem expelleret. Sic igitur carens auro, abundans gratia, claudo restituit incolumitatem.

a Matth. 10.

b Aug. de cons. Euangel. lib. 2. cap. 30.

c Hieron. contra Pelag. lib. 2. & ad Hedib. epist. 150. q. 1. in fine.

B Non impar sane miraculum claudi a natiuitate a Petro sanitati restituti, est illi, quo Dominus cæco homini nato lucem reddidit: vnde merito ab Euangelista accurate esse descriptum, intelligendū est. quantumlibet enim prodigia ac signa ab Apostolis antehac facta esse testetur[d]; tamen ab eo quod tam insigniter est editum ab Apostolorum Principe, ceteris prætermissis, narrationem instituit: vt tum rei gestæ, tum etiā personæ quæ gessit illam, innotesceret claritudo. Rursum vero quale mysteriū contineretur eo miraculo, S. Ambrosius[e], & egregie quidem, paucis enarrat, sic dicens: Primum ergo signum mirabilium suorum Petrus fecit, claudo pedum restituendo vestigia. Diximus frequenter ipsum, Petrum a Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petrā ædificabo Ecclesiam meam. Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia; recte prius pedes sanat: vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte, inquam, primum in Christiano pedes curat, vt iam non trepidus nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere.] hæc ipse. Iam vero (vt quid peractum sit, videamus) magna turba ob rei nouitatem vndique confluente, cum ingressi templum fuissent Petrus & Ioannes, redeuntes ad porticum Salomonis, illic populi frequentis corona vallabantur. Tunc Petrus, ea Christum annunciandi arrepta digna satis occasione; haud propria, quin potius Christi virtute factum esse miraculum, est concionatus ad populum. Superuenientes[f] vero interea sacerdotes, & magistratus templi cum Sadducæis, & ægre ferentes tam Petrum quàm Ioannem docere populum, & ex mortuis resurrectionem prædicare, iniecerunt in eos manus, inq. carcerem detruserunt in crastinum; erat enim iam vespera: cum interim eorum qui Petri prædicationem audierant, numero quinque millia ad Christi fidem conuersa essent. Sed hæc pluribus Lucas.

d Act. 2.

MYSTERIVM EX MIRACVLO.

e Ambros. ser. 8. in nat. Apost.

f Act. 4.

D Sequenti vero die (quòd esset causa grauissima, quæ ad Synedrin, illud scilicet magnum Concilium septuagintaduorum seniorum, spectaret) habentur comitia, conueniuntq. Principes sacerdotum, & seniores, & Scribæ: nimirum (vt inquit Lucas[g]) Annas Princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. Non sic quidem (vt aliqui putant) Annas hic nominatur Princeps sacerdotum, quòd Caiphas, qui ante duos menses tempore mortis Christi, testimonio Euangelistarum, summus Pontifex fuisse dicitur, ea functione priuatus, redactus in ordinem fuerit, & loco ipsius Annas suffectus, dum non tantum sacerdotum Princeps, sed & primus omnium nominatur: sed quòd dicto seniorum Concilio præesset, eo nomine appelletur; & ea ratione, qua Christus ad eumdem primum est ductus, eadem hic primo loco recenseatur. At cum de his superius actum sit, eadem hic repetere, superuacaneum ducimus. Ioannes vero, qui a Luca tertio loco ponitur, fuit Annæ Principis sacerdotum filius, qui in administratione rerum Iudaicarum pollebat, cuius Iosephus[h] meminit. Alexandrum vero, qui quartus ordine numeratur, haud alium puto ab illo, qui sicut ditissimus omnium Iudæorum, ita etiam maxime pius erga Deum habebatur, vt idem Iosephus[i] auctor est. Hic Alexander Lysimachus, Alabarcha est cognomento dictus, quòd illum magistratum Alexandriæ gessit[k]: hic idem a Caio Imp. postea est coniectus in vincula, demum a Claudio eius in Imperio successore solutus atque honorifice habitus. huius pater Tiberius appellatus (vt nuper vidimus) portas templi argento & auro sumptuosissime exornauit. habuit Alexander filium, qui nomine aui Tiberius[l] nominatus, desertor paternæ religionis effectus, temporibus belli Iudaici Romanis aduersus Iudæos adhærens, ob insignem aduersus eos nauatam operam, exercitui præfici meruit.

g Act. 4.

CCLXV.

ANNAS CAPVT CONCILII.

h Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 21.

i Ioseph. antiq. lib. 20. cap. 5.

k Ioseph. antiq. lib. 19. c. 4.

l Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3. & de bello Iud. lib. 6. cap. 2. in fin.

CCLXVI. CONCILIO IVDAEORVM STATVITVR PETRVS ET IOANNES.

a Act. 4.

Coacto igitur Iudæorum magno Concilio, sistuntur iudicio [a] Petrus & Ioannes, iubenturq. causam dicere, ac præsertim qua virtute vel nomine tantũ miraculum edidissent, exhibito & illo, qui ante claudus a Petro curatus fuerat. Tunc Petrus libera voce, repletus Spiritu sancto (inquit Lucas) ita exorsus est: Principes populi, & seniores audite. Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quia in nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.] hactenus Petrus. Subdit Lucas hæc de ijs, qui in eo erant Concilio congregati: Videntes autem Petri constantiam, & Ioannis, comperto quòd homines essent sine litteris & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos quoniam cum Iesu fuerant. hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt autem eos foras extra Concilũ secedere: et conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Hierusalem: manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos, denunciauerunt ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus vero & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non inuenientes quomodo punirent eos propter populum, quia omnes clarificabant id, quod factum fuerat in eo quod acciderat.] hucusque Lucas de rebus gestis in Concilio seniorum.

CCLXVII

b Act. 4.

Reuertente [b] vero Petro vna cum Ioanne ad suos; cum ambo, quæ coram senioribus essent facta, narrassent; & vniuersa quæ tum congregata in vnum erat multitudo Deum laudasset, oransq. petijsset vt Euangelij prædicatio magis magisq. signis atque prodigijs illustraretur: factus est terræmotus, omnesq. Spiritu sancto desuper veniente repleti sunt: eratq. omnium sicut vna voluntas idemq. animus, ita temporalium bonorum vsus communis: Quotquot enim (inquit Lucas) possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.] et inter alios Barnabas Cyprius genere, agrum quem habebat vendens, attulit & ipse eius pretium, vt ceteri, ad pedes Apostolorum. Quòd Barnabas præ ceteris, qui id ipsum præstiterunt, nominetur ab Euangelista, id in causa fuisse putatur, quòd ipse ditissimus cum esset, non agellum quempiam, sed latifundium Christi causa vendiderit. hæc qui eius res gestas scriptis mandauit Alexander [c] testatur: addens, eumdem origine Cyprium, Hierosolymis habitasse, atque a Gamaliele vna cum Stephano ac Saulo sacris litteris imbutum fuisse; ad Christum demum venisse vna cum eius consobrino Ioanne Mariæ filio, apud quem (vt vidimus) Christi noua Ecclesia coalescere cœpit. Sane Eusebius [d] & Epiphanius [e] inter antiquos Christi discipulos ipsum adnumerant: nec est quòd de hoc aliqui dubitent ob eam causam, quòd nondum Barnabas vsque ad hanc diem omnia sua dimisisset, cum illa a Domino lex discipulis præscripta esset: Si quis non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.] Nam & Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, & ipse diues, erat discipulus Iesu, vt Matthæus [f] atque Ioannes [g] testantur: animi enim affectu id implendum erat.

DE BARNABA.

c Apud Metaph. die 11. Maij.

d Euseb. lib. 2. cap. 1.

e Epiph. lib. 1. cap. 21.

f Matth. 27.

g Ioan. 19.

CCLXVIII.

Quòd vero tam Barnabas, quàm & alij ad pedes Apostolorum rerum pretia posuisse dicantur: considerans hæc Ioannes [h] Chrysostomus: Magnus, inquit, honor: quandoquidẽ non in manus, sed ad pedes Apostolorum ponebant.] et alibi iterum [i]: Ponebant ad pedes Apostolorum: non ad manus ipsorum ponebant, sed ad pedes, declarando fidem, & pietatem, & reuerentiã, quam habebant Apostolis, & quòd maioris ducebant quòd ab eis reciperentur, quàm quòd ab eis darentur dona.] hæc & alia plura in eamdem sententiam differit. Accedere ad sanctorum virorum pedes venerationis ergo, antiquus fuit Christianorum vsus: vnde illa dici vel scribi solita summissi animi obtestatio; Per vestigia vestra. Equidem idem qui supra Ioannes Chrysostomus, adiri monachos, ad eorumq. prouolui vestigia suadet, cum ait [k]: Ad eos abi, hospitare, accede, sanctos

h Chrysost. in Act. homil. 11.

i Homil. 29. in epist. ad Corin.

k Chrys. ad pop. Antioch. homilia 59.

A sanctos tange pedes; multo namque honestius est illorum pedes tangere, quàm aliorum caput. Dic enim mihi: Si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantum habent figuram: tu ipsum in se habentem Christum non pedibus tenebis, & saluus eris? Sancti sunt pedes, licet viles sint; inquinatorum vero neque caput venerandum est. Sanctorum namque pedes magna potuerunt; quamobrem & vlciscuntur, cum pedibus puluerem excusserint.] hæc Chrysostomus. Plura hic essent adducenda exempla, quæ in alium locum differimus magis accommodatum.

CCLXIX. DE ANANIAE ET SAPHIRAE INTERITV.

Post hæc vero S. Lucas [a] Ananiæ & Saphiræ eius vxoris pauendum recensет interitum. Vendiderant agrum; cuius pretij, quod delaturi erant ad pedes Apostolorum, dolosa calliditate mentientes, partem fraudarunt. Inquirit quidem de crimine Petrus, detegit fraudem, sed Deus pœnam infligit. Videas ex his Petrum, sicut in ceteris, ita
B etiam in iudiciaria potestate præseferre primatũ: primus quippe omnium ac solus inter ceteros de perpetrato peccato reos interrogat; quos conuictos, mox a Deo dira pœna immissa consequitur. Hæc quidem tanta non casu sunt facta, sed vt experimento omni Ecclesiæ innotesceret, illum quem Petrus criminis arguit, Deum eius iudicio annuentem, mox experturum vltorem. At Porphyrius, impius ac dolosus nugigerulus, eo dementiæ venit, vt hæc legens non erubuerit Petrum nimiæ seueritatis arguere, quasi ipse in eos pœnam mortis inflixerit. Sed S. Hieronymus [b] in primis quodnam fuerit illorum peccatum, vt tantam Dei iram mererentur, insinuans, demum Porphyrio garrienti respondet, sic dicens: Ananias & Saphira dispensatores timidi, immo corde duplici, & ideo condemnati: quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui semel ea vouerant, partemq. sibi iam alienæ substantiæ reseruauerunt, metuentes famem,
C quam vera fides non timet; præsentem meruere vindictam, non crudelitate sententiæ, sed correctionis exemplo. Denique & Apostolus Petrus nequaquam imprecatur eis mortem, vt stultus Porphyrius calumniatur, sed Dei iudicium prophetico spiritu annunciat, vt pœna duorum hominum sit doctrina multorum.] hæc Hieronymus. Origenes [c] quoque non putat adscribendum esse Petro interitum Ananiæ, vt ex eius verbis paulo inferius demonstrabimus. Maximus [d] etiam hanc ipsos commeruisse iram ait, quia quod Deo promiserant, non reddiderunt: eadem Athanasius [e] tradit de voto, item & Gregorius [f], & alij. Porro non solum, quòd quæ Deo vouerant non præstiterint, eam meruerunt experiri a Deo sententiam, sed & quòd (vt ingerit Petrus) mentiti sint Spiritui sancto. Nihil sane in Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, tam infaustum atque alienum inueniri potest, quàm simulatio, cui si semel
D tribuatur assensus, omnis Ecclesiastica disciplina turbabitur: meritoq. tam in hos, quàm etiam in Simonem Magum, qui dolose in fide agebat, Petrus disciplinæ vigorem exercuit.

a Act. 5.

b Hier. ad Demetr. epist. 8.

c Orig. tract. 8. in Matth.

d Apud Ambr. serm. 9. & apud Aug. de verb. Apost. serm. 25.

e Athanas. serm. de Pas. & Cruc.

f Gregor. regist. lib. 1. ind. 9. epist. 33.

g Distinct. 27. cap. nam si.

CCLXX. PŒNA AD SALVTEM.

Ceterum hanc pœnam non ad supplicium sempiternum, sed ad expiationem peccati, vt sic salui esse possent in futuro sæculo, a Domino esse illatã, Origenes existimauit, dum ait: Digni enim erant in hoc sæculo recipere peccatum suum, vt mundiores exeant ab hac vita, mundati castigatione sibi illata per mortem communem; quoniam credentes erant in Christum. Puto autem, quoniam audiens Ananias hæc verba, ideo cadens expirauit, quòd non sustinuit reprehensionem Petri, sed cruciatus in se adeo est punitus, vt etiam expiraret, verbis videlicet Petri catechizantibus animã eius. Nec Petrum hic debemus existimare interfecisse Ananiam; sed illum non sustinuisse acri-
E moniam verborum Petri dicentis ad se: Vt quid repleuit satanas cor tuum?] Id ipsum Augustinus [h] agens contra Parmenianum sentire videtur, dum de Paulo sic ait: Quid ergo agebat Apostolus, nisi vt per interitum carnis, saluti spirituali consuleret? vt siue aliqua pœna vel morte corporali, sicut Ananias & vxor eius ante pedes Apostoli Petri ceciderunt: siue per pœnitentiam, quoniam satanæ traditus erat, interimeret in se seelerata carnis concupiscentiam.] hæc Augustinus. Cassianus [i] etiam hæc in eam sententiam: Inuenimus sane etiam pro leuioribus culpis nonnullos eamdẽ mortis ad præsens excepisse sententiam; qua sunt & illi puniti, quos prædiximus extitisse sacrilegæ præuaricationis auctores: vt factum est in illo qui sabbato ligna collegerat, vel in Anania & Saphira, qui parum quid de substantia sua clam, infidelitatis errore, seruauerant: non quòd æqualia fuerint pondera peccatorum, sed quia nouæ transgressionis præsumptores reperti, debuerunt præbere ceteris, quemadmodum peccati, ita etiam pœnæ ac ter-

h August. cont. Parm. lib. 3. c. 1.

i Cassian. coll. 6. c. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

roris exemplum: vt quisquis ea deinceps affectare tentasset, nosset sibi secundum eam formam qua illi damnati sunt, etiam si in præsenti supplicium differatur, in futuri iudicij examinatione reddendum.] hæc ille. His denique veluti corollarium addimus, quod Isidorus Peluſiota[a] ad Orionem monachum in hæc verba reſcripſit: Non crudeliratis atque amentiæ fuit, vir ſtudioſiſſime, quòd ſapientiſſimus Petrus eos qui peccauerant, morte affecit; verum præſcientis doctrinæ multa hominum peccata præſanantis. Nam cum tunc Euangelij ſementem facere incepiſſent, ac ſtatim enata zizania conſpexiſſent: ſapienti conſilio ea confeſtim euulſerunt, ne vna cum tritico aucta, futuro igni ad exuſtionem ſeruarentur. Ad eumdem enim modum diuinus quoque Moyſes, legem ab initio ſtatim violatam perſpiciens, etſi ob exiguum peccatum, ſaxis tamen eum obrui iuſſit, qui die ſabbati ligna collegerat: Deum videlicet hanc ſententiam tuliſſe ſcribens.] hucuſque Iſidorus: ac de his ſatis.

[a] *Iſidor. lib. 1. epiſt. 281.*

CCLXXI. DE RENVNCIATIONE.

Nunc vero quod ad dictam frequenter ſuperius in communem vſum bonorum collationem pertinet: non eiuſmodi fuit, vt quicumque Chriſtianus eſſe vellet, non aliter id conſequi poſſet, niſi ſubſtantia rerum ſuarum prius vendita, Chriſto nomen dediſſet; vel quòd factus Chriſtianus id ipſum præſtare compelleretur, ſic vt eadem viuendi norma ceteris omnibus, qui crediturj eſſent, Chriſtianis præſcriberetur. Nam de Paulo[b] Apoſtolo conſtat, Corinthios per epiſtolam monuiſſe, ſic eos indigentibus eleemoſynas impartiri debere, ne eſſet nimis profuſa largitio: Non enim (ait) vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate. In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat.] Sed hæc facta ſunt ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ, priuato quodã Spiritus ſancti impulſu, & quidem multis ex cauſis, atque in primis vt excultioris vitæ quoddam poſteris imitandum formaretur exemplum. Inde enim quotquot religioſiorem viuendi normã ſunt amplexãti, & ad eamdem viuendi rationem ceteros perfectioris vitæ cupidos inſtituendos ſuſceperunt, formam ſumpſiſſe noſcuntur. Vnde S. Auguſtinus[c] ſuos alloquens clericos, ait: Quomodo autem viuere velimus, quomodo Deo propitio iã viuamus; quamuis de Scriptura ſancta multa noueritis, tamen ad commemorandos vos, ipſa de libro Actuum Apoſtolorum lectio recitabitur; vt videatis vbi deſcripta ſit forma, quam deſideramus implere.] legit Lazarus diaconus, quæ in Actis Apoſtolorũ ſcripta ſunt capite quarto, & inter alia, verba illa: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.] et quod paulo inferius habetur: Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebãt pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.] quibus lectis, Auguſtinus eadem & ipſe repetijt, deq. his ad ſuos præclaram habuit orationem. Eadem Baſilius[d], ac denique omnes qui monachis ſelectas viuendi regulas præſcripſerunt.

[b] *2. Cor. 8.*

[c] *Aug. ſerm. 50. de diuerſis.*

[d] *Baſil. de reg. monach.*

CCLXXII. ADVERSVS NOVATORES.

Quid ad hæc impij, qui in Chriſtianiſmo ſectantes Epicuriſmum, his licet Apoſtolorum doctrina & exemplo firmatis ac ſtabilis, adhuc tamen perficta fronte & procaciq. animo non verentur in ſanctas regulariter viuentium inſtitutiones obloqui atque furere? Sed de his aliàs vberius atque opportunius. Ceterum præter illa quæ dicta ſunt, afferuntur inſuper de diſtractione rerum temporalium in vſum pauperum aliæ diuini conſilij rationes. Excitanda enim erat in Fideles vehemens perſecutio, quæ non bona tantum, quæ haberent, auferret, ſed & in ipſorũ perſonas ſæuiret. Sic igitur vt prima Eccleſiæ fundamenta nullo perſecutionis impetu quaterentur, ſed ſolida firmitate ſubſiſterent; optime, diuina prouidentia diſponente, conſultum eſt, vt eiuſmodi periculum Fideles rerum temporalium lucroſa iactura redimerent. Teſtis enim eſt Paulus[e], diuitiarum cupidos tentationibus facile ſuperari, & laqueis diaboli irretiri. Narratis iam his quæ in Ananiam & Saphiram ſunt diuinitus acta, hæc ſubdit Lucas[f]:

[e] *1. Tim. 6.*

[f] *Act. 5.*

CCLXXIII. DOCENT IN TEMPLO APOSTOLI.

Per manus autem Apoſtolorum fiebant ſigna, & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.] Locum illum licet fuiſſe conſtet extra templũ, vt etiã pateret Gentilibus, tamen etiã frequentius templũ appellatum eſſe ab Euangeliſtis inuenies, quòd eo ambitu vniuerſa templi conſtructio clauderetur. Exemplo igitur Domini Redemptoris, qui cum Hieroſolymis eſſet, docebat in templo, Apoſtoli etiam illic doctrinæ cathedram erexerunt: ad quam alludit Tertullianus[g], dum ait:

[g] *Tertul. lib. de præſcri.*

Quid

Quid ergo Athenis, & Hieroſolymis? quid Academiæ, & Eccleſiæ? quid hæreticis, & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.] hæc Tertullianus. addit Lucas: Ceterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis: ſed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumberaret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hieruſalem, afferentes ægros, & vexatos a ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes.]

Cum vero non Petrus tantum, ſed & ceteri Apoſtoli Hieroſolymis eſſent: quidnam CCLXX. IV.
eſt, quòd oculi omnium conuertuntur in Petrum? quid iſta in plateis ægrotantium exhibitio, vt veniente Petro, vmbra ſaltem illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes non ab vno vel altero, ſed ab omnibus, quibus tenerentur, morbis? Certe quidem non per Petrum tantũ, ſed per ceteros etiã Apoſtolos fieri ſolita ſigna & prodigia, idem (vt nuper vidimus) qui hæc ſcribit, teſtatur Lucas. Verum ſicut inter omnes Apoſtolos Petrus a Chriſto primatu in omnes eſt auctus, ita etiam præclariora quædam & inſigniora ab eo miracula edi conceſſit. Hinc ſolius Petri fuiſſe curare languentes vmbra corporis tranſeuntis, ſatis Euangeliſta declarat. nam ſi id ceterorum Apoſtolorum vmbra præſtitiſſet; quid tanta compreſſio in exponendis infirmis, quos Petri tranſeuntis vmbra curaret? Vnde Arator diaconus, qui heroico carmine eadem cecinit Acta Apoſtolorum, dum de his agit, hæc egregie:

PETRI IN MIRACVLIS IMPRAEROGATIVA.

Excute Petre gradus: tecum medicina ſalutis
Ambulat: adde viam: pes is eſt ad gaudia velox,
In pedibus non eſſe moram: tua ſemita vita eſt.
Si properas, iam nemo iacet: tu motibus vmbræ
Corpora cuncta leuas, atque hoc ſimul inſcia voti
Sumit turba tacens; quod cum rogat accipit vnus.
Quærite, quos agitat tanti reuerentia facti,
Quid typicum res iſta ferat: libriſq. volutis
Noſcite quòd ſoli conceſſa eſt gloria Petro:
Quæve ſub hac ſpecie lateant documenta videte, &c.]

Quod etiam hic in vmbra per Petrum agitur (nam in imagine pertranſit homo) in cælo veritate præſtari, idem pluribus verſibus docet.

Quid inſuper vmbra Petri, niſi imago expreſſa corporis Petri? certe quidem non CCLXXV.
aliunde, quàm ex eiuſmodi imaginibus vmbrã formatis, picturam duxiſſe originem ferunt[a]. vt ex his videas imaginum pium cultum in vmbra Petri a Deo primitus in primori illa Eccleſia tot tantiſq. miraculis eſſe diuinitus conſecratum. Rurſus vero nec illud prætermittimus (ex quo in rebus geſtis myſteria latere noſcuntur) quòd cum eamdem Deus virtutem vmbræ Petri indiderit, quam & corpori Petri; illud certe typice expreſſum eſſe videtur, tantam a Deo Principi Apoſtolorum gratiarum copiam eſſe collatam, vt eadem dona Petri perſonæ conceſſa, ſic in vmbram tranſtulerit, vt eadem in ſucceſſoribus, qui referunt perſonam Petri, feliciter propagari voluerit: nimirum vt quamuis non omnes æque ſancti ac Petrus, ſed ex ipſis aliqui moribus eſſent futuri diſſimiles, tamen quia eiuſdem gererent perſonam Petri, eamdem etiam retinuerint a Deo illi traditam poteſtatem; ſcirentq. omnes reſpectu Petri in honore habendos eſſe, qui vmbram ſaltem Petri hac ex parte referrent.

SACRARVM IMAGINVM CVLTVS IN VMBRA PETRI.

[a] *Clem. Alex. aduerſ. Gentes.*

Tantam Chriſti gloriam in Petro ac ceteris Apoſtolis diuinitus illuſtratã inuidentes CCLXX. VI.
Principes ſacerdotum, furore quodam exagitati, inijcientes in illos manus, in carcerem detruſerunt. At Angelus Domini (inquit Lucas[b]) per noctem aperiens ianuas carceris, eduxit illos, iuſſitq. intrepide Euangelium prædicare: qui diluculo templum ingreſſi, cœperunt confluentem docere populum. Cum interim coacto Concilio ſeniores, ipſos qui adhuc in carcere detineri putarentur, Apoſtolos adduci iuſſiſſent: quæſiti ſunt in carcere, nec inuenti, licet clauſum eſſet oſtiũ: ſed in templo eos prædicare Euangelium, nunciatum eſt. tunc qui ſunt miſſi magiſtratus, ac miniſtri, abſque vi aliqua ſiſtunt eos ſeniorum Concilio: cumq. arguerentur ſpreti mandati, Petrus pro ceteris ex more ad facti excuſationem magna animi libertate hæc in primis effatus ait: Obedire oportet

APOSTOLI CONIICIVNTVR IN CARCEREM.

[b] *Act. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo magis, quàm hominibus.] alijsq. verbis tum Christi gloriam, tum ipsorum in illum admissa exaggerans, perorauit. A

CCLXXVII. DE GAMALIELIS CONSILIO.

Cum illi interim de inferenda illis nece inirent consilium; surgens Gamaliel legis peritus, iubens primum Apostolos foras ad modicum spatium temporis duci, in hæc verba sententiam dixit: Viri Israelitæ attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est: et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, & ipse perijt: et omnes, quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere illud, ne forte & Deo repugnare inueniamini. Consenserunt B autem illi. Et conuocantes Apostolos, cæsis denunciauerunt ne omnino loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & euangelizantes Christum Iesum.] hæc Lucas. Ex quibus Iosephus (vt dictum est superius) errasse deprehenditur, dum Theodæ res gestas ad tempora [a] Cuspij Fadi Iudææ procuratoris refert, quem, eiusdem testificatione, anno quarto Claudij Imp. in prouinciam missum constat, post annos vndecim ab hoc tempore.

ERROR IOSEPHI REDARGVITVR.

a Ioseph. antiq. lib.20.c.2.

CCLXXVIII.

Ceterum non Gamalielis tantum auctoritate id affirmantis, & Lucæ hæc etiam describentis, sed & Domini testimonio, extitisse Theodam ante Christi passionem, Patres omnes consentiunt: locum enim illum Ioannis interpretantes quo Dominus dicit [b]: C

b Ioan. 10.

Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones] de Theoda & Iuda Galilæo intellexisse, pari consensione confirmant. Certe quidem nequaquam ad antiquiora tempora Dominum hæc dicentem respectum habuisse, facile potest intelligi, ne fugillasse cum pseudoprophetis etiam probatos ac a Deo missos Prophetas calumniose ab aliquo dici posset: sed ad propinquiora tempora potius respexisse, & vt de rebus iam omnibus notis, quæ explicatione non indigerent, ea locutũ esse: nam de antiquioribus pseudoprophetis nulla iam memoria erat, recens vero recordatio de his quos tum præsens sæculum infelici germine propagauit: nam non modo Iudas, eiusq. successores, atque Theodas, sed & Herodes maior, quippe qui ab Herodianis Christus haberetur, notari potuit. Sic igitur Ioannes Chrysostomus [c], Cyrillus [d] Alexandrinus, Isidorus [e] Pelusiota, & alij omnes hos secuti, Dominum de Theoda intellexisse, iure existimarunt. D

c Chryſ. in Ioan. hom. 59.
d Cyrill. in Ioan. lib. 7. c. 3.
e Isidor. lib. 3. epist. 119.

Porro Theodæ facinus in hunc modum contigisse, Iosephus describit [f]: non piget enim rem superius alia occasione narratam, iterum rei argumento exigente, hic repetere:

f Ioseph. antiq. lib.20, c. 2.

CCLXXIX. DE THEODA ET IVDA GALILAEO.

Apud Iudæam, inquit, præstigiator quidam, nomine Theodas, persuasit magnæ vulgi multitudini, vt assumptis suis facultatibus sequeretur se ad Iordanem fluuiũ: Prophetam enim se iactabat, pollicens scissurum se verbo Iordanem fluuium, ac facilem præbiturum transitum: taliq. promissione permultos seduxit. At Fadus effecit vt nihil lucri facerent ex sua insipientia, missis in eos equitum turmis: qui ex improuiso irruentes, ex his multos interemerunt, multos viuos ceperunt, & in his ipsum Theodam, cuius caput abscissum reportauit Hierosolymam.] hactenus de eo Iosephus. At ex verbis Lucæ Euangelistæ maior inde oritur difficultas, quòd de Theoda exemplum adducens, quasi rem nuper factam recenset: Ante hos dies, inquit, extitit Theodas.] tamen E inferius cum post hunc dicat extitisse Iudã Galilæum tempore professionis, illius scilicet celeberrimæ sub Quirino Præside factæ: hac quidẽ ratione ante annos trigintaquatuor Theodam vixisse, opus est dicere. quo modo igitur ante hos dies factũ dicit, quod ante tot annos contigisse probatur? Quòd vero in primis Theodam a Iosepho descriptũ existimarunt aliqui alium esse ab illo de quo hic meminit Lucas: cum hæc nulla auctoritate probentur, æque reijcienda putamus: At magis placet, vt idem sit, ante hos dies, quod, ante hæc tempora, vsitato dicendi modo: vel vt ille Lucæ verborum sit sensus g, dum ait: Post hunc extitit Iudas Galilæus] μετὰ loco πρὸ sit positum, vt diceret, Vltra dictum Theodã extitit Iudas Galilæus, &c. sicq. noluisse dicere, post Theodam extitisse Iudã; sed potius post recensitũ de Theoda quod nuper acciderat nouũ exemplum, illud addidisse de Iuda quod antiquitus factum erat, cuius tamen recens erat memoria:

g Gagn. in Act. Apost.

A moria: nam (vt suo loco superius dictum est) adhuc Apostolorum temporibus illius sectatores supererant Galilæi. Sed hæc relinquimus lectoris arbitrio: lectionem certe mutare non præsumimus.

CCLXXX. DE GAMALIELE.

Ceterum quod spectat ad Gamalielem: non prætermittimus dicere, ipsum fuisse Christianum, sed consilio Apostolorum sic occultum inter seniores, vt ea ratione melius consulere Ecclesiæ posset, permansisse, in libris Recognitionum Clementis [a] haberi, quos licet apocryphos citat Beda [b], & hæc eadem de Gamaliele recitat. Certe illum adhæsisse Christianis, & inter Christianos esse professum, certum plane eius rei indicium illud est, quòd a Christianis apud Stephanũ protomartyrem sepultus est. Cum enim diuina reuelante prouidentia, corpus sancti Stephani repertum est, vna cum ipso etiam est inuentum corpus Gamalielis, qui olim cum ipsius Stephani, tum Sauli (postea Pauli) ac Barnabæ magister fuerat. habentur hæc certa fide testata a Luciano presbytero, in libello illo quem de Stephani protomartyris corporis inuentione, cui præsens fuit, conscripsit. Quod vero eodem Luca auctore dictum est, Apostolos nonnisi plagis affectos a Concilio fuisse dimissos; id plane nequaquam ex sententia Gamalielis esse factum, sed voluntate Caiphæ, Annæ, & Alexandri, in eiusdem qui supra Clementis [c] nomine scripto commentario legitur.

a Clem. recog. lib.1.c.9.& 10.
b Beda in retract. in Act. Apost.c.5.
c Clem. constit. lib.3.c.3.

CCLXXXI

His iam fortiter ab Apostolis superatis, alia arte aggreditur veritatis hostis diabolus vexare Fideles. Cum enim quos aduersus Ecclesiam concitauerat aduersarios, iam victos prostratosq. conspiceret: per eos qui intus in Ecclesia erant, longe periculosius certamen aggreditur; tentans nimirum, si admirabilem illam vnitatem, mutuamq. nusquam antea visam animorum concordiam aliqua posset dissensione turbare, ac diuidere schismate. Sed quonam vsque progressus sit eius conatus, Lucas [d] narrat his verbis: In diebus illis crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.] hæc Lucas. Porro non sic in hoc loco accipiendi sunt Græci, quasi Gentiles, ad distinctionem Hebræorum: nam nondum Gentilibus Christi Ecclesiæ patebat ostiũ, quod Petrus postmodum reserauit: sed quòd (vt superius Philone auctore diximus) sicut in ceteris Orbis partibus, ita etiam in Græcorum regionibus Iudæi agerent: cum alioqui etiam Lacedæmones nobiles in Græcia populi ab Abraham se originem ducere gloriarentur: id quidem eorum Regis ad Oniam Pontificem Iudæorum prebreues litteræ scriptæ testantur his verbis:

d Act. 6.

PRIMA DISCORDIA IN ECCLESIA.

CCLXXXII.

Incidimus in quamdam scripturam antiquam, in qua inuenimus cognationem interfuisse inter nostras origines, & nostrum quoque genus non esse alienum a posteris Abrahæ. Æquum igitur est, vt cum fratres nostri sitis, petatis a nobis quæcumque libuerit. idem nos quoque faciemus, & res vestras tamquam nostras existimabimus, nostras item vobiscum communes habituri. Demoteles est, qui has vobis reddit litteras in pagina quadrangula scriptas, & obsignatas aquilæ sigillo draconem tenentis vnguibus.] hæc continebat epistola, quam Iosephus [e] suis de Antiquitatibus libris intexuit; qui item recitat [f] Ionathæ Pontificis litteras in eamdem fere sententiã ad Senatum Lacedæmoniorum conscriptas. In Ionia item Græcorum prouincia quamplurimos habitasse Iudæos, idem auctor [g] affirmat; quos M. Agrippa Orientis Præfectus, Augusti temporibus, a Gentilium indigenarum vindicauit iniurijs, & patrijs eos vti posse legibus absque impedimento, præcepit. Idem Iosephus scribens contra Apionem testatur, Iudæos tam Antiochiæ habitantes in Syria, quàm Ephesi in Asia, alijsq. ciuitatibus nobilibus, fuisse earum municipes; sic dicens: Qui Antiochiam habitant Iudæi, Antiocheni nominantur: ius enim ciuium eis dedit conditor Seleucus. Similiter & qui in Epheso commorantur, & alia Ionia, cum ciuibus exinde natis eamdem appellationem habent, hæc præbentibus eis regni successoribus.] Græci igitur dicebantur a Iudæis, qui in Græcia Hebræi agerent; Palæstinæ vero indigenas, proprio nomine appellabant Hebræos, vt hic etiam Lucas fecisse cognoscitur.

e Ioseph. antiq. lib.12.c.5.
f Ioseph. antiq. lib.14.c.9.
g Ioseph. antiq. lib.16.c.4.

IVDAEI GRAECI.

CCLXXXIII.

Quodnam vero fuerit huiusmodi ministerium, a quo Græcorum viduæ videbantur excluſæ: duplex reperitur de ea re fuisse sententia. Existimarunt alij certas Hebræorum viduas mensarum seruitio fuisse præfectas: nam & mulieres Domino ministrasse, testantur Euangelistæ [h]. Alij vero idem ministerium quotidianum esse putarunt ipsam eleemosynarum quotidie fieri solitã distributionem, ac in singulos partitionem, de qua

h Matth.27. Marc.15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Act. 4.
[b] Act. 6. DE ELECTIONE DIACONORVM.

Lucas[a] superius: Diuidebatur, inquit, singulis prout cuique opus erat.] Ceterum secundum priorem sententiam ministerium illud esse potius accipiendum, ea quæ inferius Lucas[b] scribit de electione septem diaconorum, facile persuadent, dum ait: Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos autem orationi, & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum: et orantes imposuerunt eis manus.] hæc Lucas: cuius rei gestæ narratio etsi plana & facilis habeatur, aliqua tamen indiget discussione: vt illud in primis; quænam mensæ illæ fuerint, sacræ ne, an communes, quibus sunt præfecti diaconi. A B

CCLXXXIV. DVPLEX MENSA

Si quis primitiuæ illius nascentis Ecclesiæ principia repetat, & discat consuetudinem; quænam fuerint illæ mensæ, cognoscet: nimirum easdem fuisse sacras æque atque communes. Sicut enim Dominus ac Redemptor noster in vltima illa memorabili cœna (vt vidimus) vtramque mensam vna coniunxit, communem, & sacram, in quarum priorum agnum ex more comederent, in altera vero mox consecuta sacratissimum suum corpus & sanguinem propinauit: ita etiam temporibus Apostolorum eadem in Ecclesia consuetudo noscitur conseruata, vt simul vtramque mensam coniungerent. Est de
[c] 1. Cor. 11. his perspicuum Pauli Apostoli testimonium in prima, quam ad Corinthios[c] scribit, epistola, vt omnes notant illic interpretes. Cum enim ait: Vnusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum: et alius quidem esurit, alius autem ebrius est] ecce cœna communis, hoc est, non sacra. Cum vero rursus inferius subdit post deductum exemplum cœnæ Dominicæ, verbis illis: Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat, &c.] de mensa sacra intelligere, nullus poterit dubitare. C

CCLXXXV. DE MVNERE DIACONORVM.

His igitur in hunc modum se habentibus; ministerium quotidianum nihil aliud fuit, quàm ciusmodi mensis inseruire, quæ quotidie parabantur. Vnde Lucas[d]: Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.] et paulo post: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis.] verum non communem tantum cibum per fractionem panis debere intelligi,
[d] Act. 2.
[e] 1. Cor. 10. Paulus docet, cum ait[e]: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?] Facessat ergo sententia affirmantium diaconos mensis tantum communibus fuisse præfectos: Quos rogo, dicant quid tantum oportuit Apostolos adhibuisse studium in deligendis, qui prandia cœnasq. pararent, ministris, vt non ex triuio quoscque petitos viros, sed boni testimonij, plenos insuper Spiritu sancto & sapientia, eosdemq. (vt
[f] Epiph. lib. 1. c. 21. tradit Epiphanius[f]) ex numero septuagintaduorum discipulorum accersitos eligerent: cum alioqui ad id quod maioris esset operis, nempe iudiciorum præfecturæ, qui essent
[g] 1. Cor. 6. contemptibiles, si forte sapientes deessent in Ecclesia, Paulus[g] præficiendos esse mandarit. Quid insuper ad communium mensarum ministros instituendos, tantis opus fuisset religiosis ritibus, vt nonnisi præuia communi omnium oratione, ac manus impo- D

DIACONI SACRAE MENSAE MINISTRI.
[b] Act. 13. sitione, ad tale munus obeundum idonei censerentur? Tanti enim ponderis erat manus impositio, vt eodem ferme ministerio Paulus & Barnabas initiati fuerint ad Apostolatum[h]. Quòd si communium tantum mensarum ministri erant; quomodo & aliquando Euangelij prædicatio illis est credita, cuius causa Apostoli a ceteris vacare muneribus cupierunt? certe Stephanum, & Philippum, qui Euangelicæ prædicationis causa Euangelista dici meruit, eo munere functos esse, nullus ignorat. Tanti ne etiam
[i] 1. Tim. 3.
[k] Ign. ad Trall. epist. 5. & ad Heron. 13.
[l] Polyc. epist. ad Philippens. meriti, qui curarent cibaria, diaconi exquirendi essent, vt ijsdem moribus, quibus Episcopi, absolutissimi esse deberent? nam Apostolus[i] Paulus eamdem fere consummatam perfectamq. morum integritatem a diacono æque exigit, atque ab Episcopo, sicut & Ignatius[k] ac Polycarpus[l] tradunt. E

CCLXXXVI.
[m] Cajet. in Act. Apost.

Hæc in re tam clara superflua fortasse videri possunt, sed tamen necessaria existimauimus ad refellendam quorumdam (præsertim recentioris[m] hominis tamen Catholici) sententiam, affirmantium diaconos ab Apostolis electos, non fuisse ministros altaris.

Sed

Sed etsi ex his satis ostensum sit, hos errasse: adhuc tamen ad eos penitus confutandos, non alium quàm qui diaconorum ministerium quodnam esset, oculis spectauit, adhibeamus testem, Ignatium inquam, qui ijsdem temporibus (vt toties diximus) vixit; existimantes neminem fore adeo refractarium & impudentem, qui tanto testimonio obniti audeat. Ipse[a] igitur scribens ad Trallianos hæc habet: Oportet & diaconos mysteriorum Christi ministros per omnia placere: nec enim ciborū & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores.] et inferius: Quid vero diaconi, quàm imitatores angelicarum virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent (*sacerdotibus scilicet*) vt sanctus Stephanus beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro. Qui igitur his non obedit, atheos prorsus & impius est, &c.] rursus ad Heronem diaconum[b]: Nihil, inquit, sine Episcopis facito: sacerdotes enim sunt, tu vero sacerdotum minister: baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt: tu vero illis ministras, vt S. Stephanus Iacobo, & presbyteris qui erant Hierosolymis.] hæc Ignatius. Plura in hanc sententiam coaceruanda fuissent sanctorum Patrum testimonia, nisi huius sanctissimi viri ac martyris, atque eorum quæ scripsit oculati testis, iterum atque iterum repetitam, firmiterq. testatam assertionem abunde sufficere existimaremus. Quàm vero ex his etiam arguatur spurius ille canon[c] sextæ Synodo affixus, quo dicitur, septem diaconos ab Apostolis electos non ministrasse sacris mysterijs, omniū eruditorum appello sententiam. A B C D E

[a] Ignat. epist. 5. DE VERO DIACONORVM MINISTERIO.
[b] Idem epist. 13.
[c] Sext. Synod. c. 16. apud Theod. Balsa.

Porro quod superius dictum est, septem diaconos mensis communibus etiam fuisse præfectos: non sic accipienda res est, vt (quod ministrorum mensarum est) ceteris accumbentibus, quæ ad cibum potumq. pertinebant, illuc inferrent: sed quod ea, quibus cuique opus esset, eleemosynas diuidendo curarent: quod etiam vsu retentum esse, S. Leo in sermone de S. Laurentio testatur, cum de ipso ait: Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.] Id ipsum S. Prosper[d] de Tito diacono, qui Romæ pecunias pauperibus distribuens, interfectus est, tradit. Extat apud S. Gregorium[e] ipsa scripti formula, cum alicui committeretur diaconia. Rursus vero eosdem diaconos diuitijs Ecclesiæ esse præpositos, vt ex eis ministrent pauperibus, affirmant Hieronymus[f] & Ambrosius[g], qui ait diacono: Cum solueris auctori debitum, licet vt opera tua in beneficentiam & adiumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus aut pecunia, aut officio, aut etiam quocumque munere, quod late patet in vestro ministerio: pecunia, vt subuenias, debito obligatum liberes, &c.] Adeoq. erat diaconis commissa cura rerum Ecclesiæ, vt aduersus Episcopos eas dilapidantes se constanter erigerent. Est de his exemplum apud Gregorium[h] de Honorato archidiacono Ecclesiæ Salonitanæ. Porro diaconos non omnia ministeria Ecclesiastica per se obijsse, sed alios complures habuisse ordine sub se positos ministros, ex his quæ idem sanctus Ignatius[i] scribit ad Antiochenos, satis exploratum habetur, dum ait: Saluto sacros diaconos.] et paulo post: Saluto hypodiaconos, lectores, cantores, ianitores, laborantes, exorcistas, confessores. Saluto custodes sacrorum vestibulorum diaconissas.] Horum autem singulorum ordinum quænam fuerint munera, satis constare putamus, cum in Ecclesia eadem perseuerent. Sed de laborantibus tantum, & diaconissis, hic obiter nonnulla dicenda sunt.

[d] Prosper in Chron. anno Domini 429.
[e] Greg. lib. 9. indict. 4. epist. 22.
[f] Hieronym. in Ezech. c. 18.
[g] Ambros. lib. de offic. c. vlt.
[h] Greg. regist. lib. 2. epist. 13.
[i] Ignat. epist. 2. ad.

CCLXXXVII. DISPENSATIO BONORVM ECCLESIAE DIACONIS CREDITA.

CCLXXXVIII. LABORANTES ET DIACONISSAE.

Quinam fuerint in Ecclesia ministri, qui dicti sunt laborantes, Epiphanius[k] dilucide satis explicat, dum ait: Laborantes, corpora eorum qui obdormierunt, obuoluunt & cooperiunt.] Alio nomine hos fossarios dictos esse, constat ex[l] epistola incerti cuiusdam auctoris ad Rusticum Narbonensem scripta. Quod vero spectat ad diaconissas: constat quidem post diaconorum electionem, viduas illas quæ præerant ministerio quotidiano, ab eo desisse ac cessasse, verum non penitus in ordinem esse redactas, sed alijs functionibus mancipatas: de quarum electione agens Paulus, non minus quàm sexaginta annorum viduam eligendam, eamq. moribus probatam, præcepit. De muneribus quæ diaconissa obitura erat: sicut foribus, qua ingrederentur viri, ianitores, qui & ostiarij dicti sunt, præfecti erant; ita & portis mulieribus tantum patentibus præerant diaconissæ, quas (vt vidimus) appellat S. Ignatius sacrorum vestibulorum custodes: sicut enim in templo (quod dictum est) erant feminarum portæ, & loca orationis a viris seiuncta, sic etiam laudabilem illum morem in Christianorum ecclesias fuisse translatū constat: sed de his agemus inferius. Ceterum erant & alia munera

[k] Epiph. in comp. dict.
[l] Extat apud Hier. tom. 9.

quibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

quibus diaconissæ fungerentur, de quibus hæc apud Clementem leguntur [a]: Elige quoque diaconissam fidelem & sanctam, ad mulierum ministeria. nam accidit aliquando, cum in aliquorum domos diaconum ad mulieres mittere non potes, propter infideles: mittes igitur mulierem diaconissam, propter improborum cogitationes. Nam ad multos vsus muliere diaconissa indigemus: ac primum, cum illuminantur mulieres, Episcopus vngit frontes ipsarum oleo sancto, deinde diaconissa eas abstergit: non est enim necesse mulieres aspici a viris.] Epiphanius [b] & ipse vberius de diaconissarum ministerio agit his verbis: Ministrarum quidem diaconissarum appellatarum ordo est in Ecclesia, non ad sacrificandum, neque vt quicquam aggredi permittantur, verum reuerentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam lauacri, aut visitationis affectionis, aut laboris: et quando nudatum fuerit corpus mulieris, vt ne a viris sacrificantibus aspiciatur, sed a ministrante muliere, cui præscribitur a sacerdote, vt curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis eius; ita vt ordo bonæ disciplinæ ac Ecclesiasticæ bonæ institutionis valde scientifice munitus sit in mensura regulæ.] Quantumlibet prædicta diaconissæ curarent, non tamen erant eiusmodi, vt sicut diaconi, manus impositionem acciperent, vel aliquo sacramento initiatæ essent: nam sacrosancta Nicæna [c] Synodus ea ex causa easdem inter laicas adnumerat.

[a] Clem. const. lib. 3. c. 15.
[b] Epiph. hæres. 79.
[c] Cœcil. Nicæn. c. 19.

CCLXXXIX. PRESBYTERAE QVAE ESSENT ET QVAE EPISCOPAE.

Rursum vero (ex quo in hæc incidimus) nec illud prætermittendum putamus, quòd sicut diaconissarum mentio frequens est apud Ecclesiasticarum rerum scriptores, ita etiam in ijsdem sæpe nomen presbyteræ, & aliquando etiam episcopæ reperitur: sed non sic quidem, vt supra diaconissas positæ aliquo fungerentur munere in Ecclesia; sed quòd aliquando ob ætatem, viduæ seniores dicerentur presbyteræ, vt declarat canon vndecimus Concilij Laodiceni posterioris translationis. Aliquando vero (quod frequentius vsurpatum inuenitur) dictæ esse presbyteræ reperiuntur, quarum viris in presbyteros electis, ipsæ interim vitam cælibem agerent: quo etiã sensu & illæ habentur episcopæ appellatæ, quarum viri fuissent in Episcopos postea consecrati; cum illæ ab ipsis diuisæ spectata viuerent sanctitudine: sicq. eiusmodi nomina non ab aliquo Ecclesiastico ministerio accepta esse, sed potius a virorum ordinibus deducta, vulgari quodam vsu potius, quàm aliqua vera ratione, fuisse illis indita nosc̃untur. qua etiam denominatione interdum, quæ vxor fuisset viri qui ad diaconatum promotus esset, diaconissa nominabatur; & subdiaconissa, coniux viri illius qui ad subdiaconatus ordinem adscitus esset. Habes hæc omnia nomina expressa in Concilio Turonensi [d] secundo, vbi etiam agitur de episcopa [e]. sicq. accipiendum quod scribit Gregorius [f] de presbytera. Est decretum Zachariæ [g] Papæ de non admittenda in contubernium presbytera, diacona, vel monacha; & Basilij epistola ad Peragorium presbyterum de ijsdem. Est item canon Antisiodorensis Concilij [h], quo inhibetur ne presbytera cum suo presbytero dormiat. Apud Athanasium [i], secundum Græcæ vocis etymologiã, presbytera, senior femina dicta est. Notat & Photius [k] in Nomocanone, tam ex Concilio Nicæno, quàm ex Laodicensi & Chalcedonensi, prorsus diuersam fuisse presbyteram a diaconissa. Sed de his satis: iam eo, vnde digressa est, reuertatur oratio.

[d] Concil. Turon. 2. c. 20.
[e] Eodem Cœcil. c. 13. 14.
[f] Gregor. dialog. lib. 4. c. 11.
[g] Cod. manuscript. apud nos pag. 111.
[h] Concil. Antisiod. can. 22.
[i] Athanasius ad Virgin.
[k] Photius in Nomoc. tit. 1. c. 37.

CCXC. STEPHANVS ARCHIDIACONVS.

Quòd vero Lucas recensendo singulorum septem diaconorum nomina, primum ordine ponat Stephanum; S. Augustinus [l] ex eo accidisse putauit, quòd primatum ageret inter diaconos: vnde hæc ait: Inter diaconos nominatus primus, sicut inter Apostolos Petrus.] idemq. primicerius [m] diaconorum, & archidiaconus [n], vt a Luciano & alijs nonnullis tam Græcis quàm Latinis appellatus habetur. Sed iam reliqua prosequamur, quæ hoc anno ab Apostolis, ac Petro præsertim, facta esse reperiuntur. Ceterum nemo prudens inficias ierit, non omnes res a Petro gestas prosecutũ esse Lucam Euangelistam, cum Acta Apostolorum conscripsit: immo & multa quæ essent maximi ponderis, ab eo fuisse prætermissa, Hieronymus [o] docet.

[l] Aug. serm. 94. de diuers.
[m] Aug. ser. 1. de Sanctis.
[n] Lucian. epist. de eius inuentione.
[o] Hier. epist. ad Galat. c. 2.

CCXCI. DE IACOBO EPISCOPO HIEROSOLYMORVM.

Hoc igitur anno, quo Redemptor noster Dominus Iesus Christus, consummato redemptionis humanæ mysterio, cælos ascendit: cum credentium in Christo numerus in dies magis magisq. augeretur: inter cetera quæ ad coagmentandam nascentem Ecclesiam sunt ab Apostolis salubriter instituta; Iacobus Alphæi, cognomento Iustus, idemq. frater Domini dictus, a Petro Apostolorum Principe ordinatur Hierosolymorum Episcopus, seditq. annis vigintinouem: de quo Chrysostomus [p]: Si quis, inquit, a me percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit: responderem

[p] Chrysost. in Ioan. hom. 87.

ego,

ego, hunc totius Orbis magistrum præposuisse Petrum.] Porro ipsum ordinationis mysterium, quod consecrationem visitatiori vocabulo dicere consueuimus, ab eodem Petro, Ioanne, ac Iacobo fratribus esse consummatum, epistola quæ dicitur Anacleti [a] testatur, traditamq. a Petro formam esse, vt non minus quàm a tribus Episcopis, electus Antistes consecraretur. Id quidem hoc anno contigisse cum testatur Eusebius [b], de ijsdem tribus Apostolis, qui Iacobum ordinauerunt, ex Clemente Alexandrino hæc recitat: Clemens in sexto libro ὑποτυπώσεων de eo scribens sic refert: Petrum, & Iacobum, & Ioannem, post Saluatoris ad cælos ascensum, cum essent a Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse. Idem etiam in septimo libro eiusdem operis, de eo præterea hæc memorat: Iacobo Iusto, Ioanni, & Petro Dominus post ascensionem suam singularem quamdam impertijt cognitionem, quam illi reliquis Apostolis tradiderunt, reliqui autem Apostoli septuaginta discipulis, ex quibus vnus erat Barnabas. Duos item Iacobos fuisse ferunt: vnum cognomento Iustum, qui de templi fastigio præceps deiectus, fulloniq. vecte cæsus occubuit: alterum, qui capite abscisso migrauit e vita.] hæc Eusebius. Aduersus eos autem qui dicunt tres fuisse Iacobos; & Alphæi dictum, diuersum esse a Iacobo Iusto, quem audent etiam extra duodenarium Apostolorum numerum constituere; pluribus disputat S. Hieronymus in commentario aduersus Heluidium scripto, nosq. alias fusius: ad quorum refellendum commentum, modo fontem vnde ista deduxerint, demonstrasse, confutasse est: ex peruulgato enim Clementis Romani nomine libro Recognitionum apocrypho id eos liquet esse mutuatos.

[a] Anacl. ad Episcop. Ital. 10. t. Conciliorum.
[b] Eusebius in Chron. & hist. lib. 2. c. 1.

CCXCII. IACOBI CATHEDRA.

Quod vero ad Iacobi ordinationis diem pertinet, in Martyrologio Bedæ facta ponitur vigesimaseptima mensis Decembris. Insignia quædam Episcopatus eius, non tantum memoria, sed & vsu ad posteros esse delapsa, antiquorum scriptorum auctoritate exploratum habetur. Et quod in primis spectat ad eius cathedram, hæc de ea scribit Eusebius [c]: Iacobi Apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum a Saluatore & ceteris eius Apostolis delectus, quemq. fratrem Christi nuncupatum diuina perhibent eloquia) ad istud tempus seruatam, Episcopi qui illic ordine successerunt, permagni æstimant: vnde declarant perspicue, quemadmodum veteres Patres ad nostram vsque ætatem sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent.] hæc de cathedra Eusebius.

[c] Eusebius hist. lib. 7. cap. 14. in fine.

CCXCIII.

Insuper ad Episcopalis dignitatis ornamentum, eumdem Iacobum gestare in capite consueuisse laminam seu bracteam auream, Epiphanius [d], Hieronymus [e], ac ceteri pene omnes Ecclesiastici scriptores testantur. rationem autem eius rei hanc affert Epiphanius [f], dicens: Folium siue bracteam in capite gestare ipsi licebat, quemadmodum relati fide digni viri Clemens & Eusebius in suis commentarijs testati sunt. Sacerdos itaque est (velut dixi) Iesus Christus in æternum, secundum ordinem Melchisedech; simulq. Rex iuxta ordinem ex supernis, vt transferat sacerdotium simul cum lege: ex semine vero Dauid propter Mariam sedens in throno in æternum, & regni eius non erit finis. Oportebat enim ipsum nunc transferre ordinem tum sacerdotij tum regni.] et paulo post: Largitus est autem sub se constitutis regnum, vt ne diceretur a paruis ad maiora procedere. Manet enim thronus ipsius, & regni eius non erit finis: et sedit super thronum Dauid: ita vt regnum Dauid vna cum pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis, hoc est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.] hæc Epiphanius, cum pluribus superius monstrasset tum sacerdotium tum thronum Dauid, ipsam regiam dignitatem vna cum pontificio, in Ecclesiam suam, ac successores Pontifices in æternum permansuram transtulisse. In signum igitur regalis sacerdotij (sic ipsum appellat Petrus [g]) eiusmodi capitis ornamentum gestare consueuisse Christianæ legis Pontifices, satis ex his quæ idem scribit, declaratum videtur.

[d] Epiph. hæres. 29. & 78.
[e] Hier. de Script. Eccl. in Iacobo. & in epist. ad Galat. 2.
[f] Epiph. hæres 29. DE CORONA SACERDOTALI.
[g] 1. Petr. 2.

CCXCIV. ORNAMENTVM CAPITIS EPISCOPORVM.

Ceterum non Iacobum tantum eiusmodi regiæ dignitatis insignibus vti consueuisse, sed & ceteros Apostolos, par est credere: nam etsi hæc de singulis non scribantur, satis tamen ad rei veritatem demonstrandam esse videtur, quòd non modo Iacobus, quem diximus, sed & Ioannes Euangelista eo vsus capitis ornamento perhibetur: testatur enim id Polycrates [h] Ephesiorum Episcopus in ea quam ad Victorem Romanum Pontificem

[h] Apud Euseb. hist. lib. 5. c. 23. & Hieron. de Script. Eccl. in Polycrate.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tificem scripsit epistola, in qua inter alia hæc leguntur: His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, qui sacerdos fuit, qui laminam auream gestauit, qui martyr & doctor extitit, qui tandem Ephesi morte consopitus occubuit, &c.] recitant eadem ex eodem auctore Eusebius [a] ac Hieronymus [b]. Erat autem eiusmodi capitis ornamentum sacerdotibus antiquæ legis a Deo olim concessum: quod in amplius ac perfectius Christianæ legis sacerdotium translatum est.

a Euseb. hist. lib. 3. c. 23.
b Hier. de Scrip. Eccl. in Polyer.

CCXCV. Vt igitur eius repetamus originē: hæc in libro Exodi [c] scripta habentur: Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, SANCTVM DOMINO. Ligabisq. eam vitta hyacinthina, & erit super tiaram, imminens fronti Pontificis.] ac rursum [d]: Pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius: atque hoc ritu consecrabitur.] et post multa [e]: Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntq. in ea opere gemmario, SANCTVM DOMINI: et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina.] idem in Leuitico [f] his verbis: Cydari quoque texit caput: et super eam contra frontem posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat Dominus.] Cum ceteris sacerdotibus vti cydari, seu mitra, concessum esset; lamina tamen aurea ornari caput, peculiare tantum erat summi Pontificis: quod ornamentum, tram eius expressa signo sanctitatis.]

c Exod. 28.
DE LAMINA AVREA.
d Exod. 29.
e Exod. 39.
f Leuit. 8.
g Eccles. 45.

CCXCVI. Iosephus [h] autem cum agit de antiquitatibus Iudæorum, quale fuerit ornamentum capitis summi sacerdotis, exacte describit, monstratq. non tantum lamina aurea, sed & corona aurea triplici ordine ducta mitram ornatam fuisse: sic enim ait: Porro pileo (*ita appellat cydarim, seu mitram, communem pariter ceteris sacerdotibus*) vtebatur, quali ceteri sacerdotes, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus: hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectabantur caliculi aurei, quales videmus in herba quæ apud nos vocatur daccharus, apud Græcos herbarios hyoscyamus.] qualisnam fuerit, quoque describit: Eiusmodi corona, inquit, ab occipitio circa tempora vtraque procedebat: nam frontem isti caliculi non ambiebant, sed lorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen incisum habebat.] hactenus ille de mitra summi Pontificis. Qualis autem esset illa qua ceteri sacerdotes vtebantur, sic ait [i]: Supra caput autem gestabant pileum, non fastigiatum, neque totum caput comprehendentem, sed paulo plus quàm medium: est autem tali apparatu, vt videatur vitta linea sæpe in orbem replicata & consuta; quam superne alia tela integit vsque ad frontem descendens, & per superficiem verticis futurarum deformitatem occultans: hic adaptatur accurate, ne inter sacrificandum delabatur.] Cum eiusmodi mitræ essent byssinæ, aliquis tamen adhuc illis accedebat ornatus; nam in Exodo [k] sic legitur: Fecerunt mitras cum coronulis suis ex byssō.]

h Ioseph. antiq. lib. 3. c. 8.
CORONA TRIPLEX SVMMI SACERDOTIS.
i Idem ibid.
k Exod. 39.

CCXCVII. Quid vero eiusmodi ornatus capitis significaret, Philo sic declarat [l]: Quòd autem caput eius perpetuo mitra tegitur, significat diadema regium, insigne potestatis, non summæ quidem, sed proregiæ, alioqui mirificæ, &c.] Hieronymus [m] ad Fabiolam scribens de indumentis antiqui sacerdotij, omnia in Christo perfectius esse consummata demonstrat, aitque: Habet cydarim, & nomen Dei portat in fronte: diademate ornatus est regio.] et inferius, qualis esset mitra communis omnibus sacerdotibus, exacte describit. Non prætermittimus dicere de Brachmanis sacerdotibus, quos testatur Philostratus [n] vti consueuisse mitra gemmis ornata, veste linea, baculo insuper & annulo. Porro non tantum hos, sed & alios summos sacerdotes Gentilium ornatos purpura, & tiara aurea in capite tectos fuisse, certum est. De summo sacerdote deæ Syriæ id ipsum testatur Lucianus in dea Syria: de Pontifice maximo Romanæ antiquæ superstitionis affirmat hoc ipsum Prudentius in Romano martyre, nimirum gestare consueuisse coronam auream. Sunt & alia plura de his exempla: sed hæc satis.

l Phil. lib. de profugis.
m Hieron. epist. 128.
PONTIFICVM AVREA CORONA.
n Philost. in Tianæo lib. 2. & 3.

CCXCVIII. At vt de nostris agamus: ex institutione, immo & vsu (vt vidimus) Apostolorum manasse certum est, vt Episcopi Christianæ Ecclesiæ, quòd regali fungerentur sacerdotio, tamquam Reges & sacerdotes mitra in sacris vterentur pretiosa. eam fuisse maximi pretij, satis Ammianus [o] Marcellinus demonstrat, dum agit de Mascizel tyranno in Africa; qui a Theodosio profligatus, vt aliquo modo sibi Theodosium conciliaret, Militaria (inquit) signa, & coronam sacerdotalem cum ceteris quæ interceperat, nihil

CHRISTIANORVM PONTIFICVM CORONA.
o Ammianus Marc. lib. 29.

cunctatus restituit, vt præceptum est.] De mitra S. Ambrosij Ennodius in epigrammate de ipso scripto agit his versibus:

Serta redimitus gestabat lucida fronte
Distincta gemmis: ore parabat opus.]

Ad sacerdotalem quidem coronā alludit Eusebius [a], dum panegyrica oratione sic exorsus ait: Amici Dei, & sacerdotes, qui sacrosancto podere, indumento cælesti, gloriæ corona, diuina vnctione, & sancta Spiritus sancti stola circumuestiti.] Et Gregorius Nazianzenus [b] de se ipso, dum est ordinatus Episcopus, cum ex fuga redijsset, hæc habet in Apologetico: Idcirco me Pontificem vngis, ac podere cingis, capitiq. cydarim imponis, atque spiritualis holocausti altari admoues, &c.] Licet autem eodem nomine eiusmodi capitis Antistitis ornamentum, mitra, seu cydaris, tam apud sacerdotes antiquæ legis, quàm nouæ, appellaretur: tamen fuisse diuerso modo concinnatum atque dispositum, satis ex his quæ diximus, perspicuum esse videtur. sicut enim pristina illa forma quid mysticum præseferebat; ita & sub noua lege, mitræ diuersa figura, diuersum etiam mysterium repræsentat; vt qui agunt de Ecclesiasticis officijs ac ritibus, pluribus docent; quos consulat qui ea cupit: de his enim pluribus agere, ab instituto suscepto alienum esse putamus. At quoniam occasione Episcopatus Iacobi, eiusmodi de insignibus Episcoporum est suscepta narratio; plura alia de eodem Apostolo essent dicenda, quæ ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus accepta, Eusebius, Epiphanius, Hieronymus, & alij referunt: sed ea nos ad martyrij tempus enarranda distulimus, cuius occasione ab ijsdem sunt auctoribus scripta: ibi etiam de annis sedis eius exactam asseremus rationem.

a Euseb. hist. lib. 10. c. 4.
b Greg. Nazian. Apol. 3.

CCCI. Quòd vero S. Ignatius testetur (vt nuper vidimus, cum de ordinatione septem diaconorum egimus) Stephanum ministrasse Iacobo: si consenserimus Bedæ [c] dicenti ipsum ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymorum vigesimaseptima mensis Decembris, plane ante eius ordinationem illi ministrasse oportuit; cū Stephanus (vt dicemus) hoc eodem anno, vigesimasexta eiusdem mensis Decembris fuerit martyrio coronatus. at nec quicquam est absurdi, vt ante Episcopatum illi Stephanus ministrauerit: quippe qui Apostolus atque sacerdos a Christo Domino iā institutus fuisset; quem & pro egregia spectataq. sanctitate, etiam Christi hostes honore prosequerentur, ita vt (quod scribit Hegesippus [d]) concederent illi ingredi in Sancta sanctorum. Quòd vero frater Domini esset, eumdem ceteri Apostoli ac discipuli mirifice obseruabant.

c Beda in Mart. 27. Decembr.
IACOBVS CVLTVS AB OMNIBVS.
d Apud Euseb. hist. lib. 2. c. 22.

CCC. Hoc igitur anno, ijsdem Coss. Domitio Ænobarbo, & Camillo Scriboniano, vigesimasexta mensis Decembris, S. Stephanus primus diaconorum, primus omniū Christianorum martyrio coronatur. Rem gestam, nobile eius certamen, ac triumphū egregium S. Lucas in Actis [e] Apostolorum exacte conscripsit. Quod vero ad tempus spectat: cum diuersæ ab his nonnullorum ferantur sententiæ: quænam sit quæ magis veritate nitatur, diligentiori studio in primis perueſtigandum putamus. Fuit quorumdam opinio, eodem ipso anno quo Dominus passus est, haud multo postquam est electus diaconus, Stephanum a Iudæis occisum esse: idq. ea tantū coniectura permoti sensere, quòd Lucas mox post electionem diaconorum, de eius martyrio narrationem instituat. Sed meminisse hi debent, quòd cum idem auctor de ipso testetur, fecisse signa & prodigia multa in populo, nec vel vnum ipsorum recenseat; eadem ipsa atque alia multa fuisse ab eodem prætermissa, exploratissimum est. Qui eius fuerunt sententiæ, etiam sunt opinati eumdem Stephanum coronatum fuisse martyrio III. Nonas Augusti, quo die de illius corporis inuentione, quæ contigit sub Honorio Imperatore mense Decembris, memoria annua agitur in Ecclesia. Sed eius celebritatis aliam ab his plane diuersam fuisse rationem, in nostris Notationibus [f] in Martyrologium Romanum nuper editis satis perspicue demonstrauimus.

DE MARTYRII STEPHANI TEMPORE.
e Act. 6. 7. 8.
f Die 3. Augusti.

CCCI. Rursum fertur Hippolyti [g] Thebani nomine de tempore necis Stephani ab his procul abhorrens sententia: nimirum ipsum anno septimo ab eius electione, martyrio vita functum, eodemq. tempore & Paulum a Christo vocatum. adscribit hæc eadem Nicephorus [h] Euodio: quæ cum repugnent his quæ de se ipso idem Paulus scribit ad Galatas (vt suo loco manifeste monstrabimus) nihil est quòd tam de his quæ de vocatione Pauli, quæ post necem Stephani facta est, quàm de eius martyrio ipsos auscultare

Apud Glyc. in 3. par. Annal.
DE TEMPORE NECIS STEPHANI DIVERSA OPINIO.
h Niceph. hist. lib. 2. c. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

debeamus. Existimauimus interdum in codices illapsum errorem vitio librariorum, vt pro septem mensibus, qui a Spiritu sancto misso vsque ad martyrium Stephani intercurrunt, septem anni sint positi. Sane quidem tam Romanum [a] Martyrologium, quàm cetera, haud multo post ascensionem Domini Stephanum passum esse testantur: quorum omnium etiam [b] auctoritate expressum habetur, Pauli conuersionem anno secundo ab ascensione Domini contigisse: quibus omnibus ea de septem annis sententia refellitur. Libentius igitur cum sanctis Patribus dicimus, Stephanum passum esse dicta die vigesimasexta mensis Decembris, sub dictis Coss. anno Domini trigesimoquinto per diem vnũ inchoato. Sed cum (vt præfati sumus) annos Domini vna cum Coss. more maiorum a Kalend. Ianuarijs auspicemur; haud mirum videatur, si sub notato numero annorum Christi trigintaquatuor a nobis martyrium Stephani recenseatur.

a Martyr. Rom. Beda, Vsuard. Ado die 26. Decembr.
b Martyrolog. Rom. Beda. Vsuard. Ado die 25. Ianuarij.

CCCII. NATALIS S. STEPHANI. De die natali protomartyris Stephani, quo ex hac ærumnosa vita migrauit ad Dominum, antiqui Patres haud aliter senserunt, quàm profiteatur Ecclesia: ipsum scilicet passum esse post natalem Domini diem (vt dictum est) vigesimasexta mensis Decembris: Natalem quippe diem eius illum appellant Augustinus [c], Fulgentius [d], ex Græcis Gregorius Nyssenus [e], & alij. Nec est quod quis dicat, ea die vigesimasexta Decembris, non ob martyrium, sed ob translationem reliquiarum eius tunc factam (vt testatur epistola Luciani) agi solemnitatem protomartyris Stephani: nam longe ante ipsius reliquiarum inuentionem & translationem, celebritas natalis S. Stephani peragi in Ecclesia ea die consueuit, vt constat ex sermone nuper citati Gregorij Nysseni, quẽ haud dubium est claruisse ante eius inuentionem; vbi hæc ait: Ecce diem festum ex die festo, & gratiam pro gratia accipimus. Heri Dominus vniuersi nos pauit; hodie Domini imitator. Quomodo hic? aut quomodo ille? Ille hominem pro nobis induens: hic pro illo hominem exuens. Ille vitæ speluncam propter nos subiens: hic propter illum ex spelunca exiens. Ille pro nobis fascijs inuolutus: hic pro illo lapidatus, &c.] Quæ ergo subijt causa, vt ea die celebritas martyrij ageretur, nisi quòd antiqua traditione ipsum eadem esse lapidatum die, accepit Ecclesia? Sed de tempore martyrij hactenus.

c Aug. serm. 98. & 115. de diuersis.
d Fulg. hom. de S. Stephano.
e Greg. Nyss. ser. de S. Stephano.

CCCIII. Vnde autem oborta occasio fuerit necis Stephani, Lucas docet: quòd scilicet cum ageret signa & prodigia magna in populo, concitauit in se odium Iudæorum diuersarum regionum, quarum collegia Hierosolymis omnium Iudæorum metropoli erant; in quibus eruditbantur adolescentes, qui ex diuersis prouincijs confluebant, vt diuinam legem addiscerent: Græcorum vero scientias vel nationum linguas haud licuisse publice tradi, Iosephus [f] testatur. Erat Stephanus vnus ex illis, & cum illis eodem vsus [g] fuerat legis magistro Gamaliele: cumq. Christi fidem libere fortiterq. annunciaret, atque eam miraculis consignaret; cum sodalium omniũ ac condiscipulorum, tum præsertim Sauli Tarsensis, synagogæ eorum qui erant e Cilicia facile principis, in se impetum mouit. Incentor enim omnium esse visus est Saulus, quòd ipse in Iudaismo [h] profecisset præ ceteris coætaneis suis, paternarum traditionum abundantius æmulator existens: qui nec a cœpto destitit, donec eumdem lapidibus obrutum, sicq. iam esse cognouisset extinctum.

f Ioseph. antiq. lib. 20. c. vlt.
g Lucian. epist. de inuen. S. Stephani.
h Galat. 1.
i Lucian. epist. de inuen. S. Stephani.

CCCIV. DE LOCO NECIS STEPHANI. De loco vero vbi lapidatus est Stephanus: ex relatione Gamalielis in Luciani epistola [i] legitur, lapidatum fuisse extra portam quæ vergit ad Aquilonem & ducit ad Cedar, quæ postea nomine S. Stephani appellata reperitur [k], alio nomine, porta Ephraim. Locus ille neque integro stadio distabat Hierosolymis; quem Eudoxia Augusta, nobilissima ecclesia ædificata, egregie illustrauit, vt auctor est Euagrius [l], & Marcellinus [m]. Lapis ille, super quem positus suscepit lapidum imbres, in ecclesiam Apostolorum ad montem Sion positam translatus, magna veneratione est habitus, vt Beda testatur [n].

k Apud Bedam de locis sanct. c. 1. & Eurchard. par. 1. c. 7.
l Euagr. histor. lib. 1. c. 22.
m Marcell. in Chron.

CCCV. Vnum insuper ex lapidibus quo idem protomartyr Stephanus percussus est, a quopiam Christianorum collectum, postmodum in Italiam fuisse translatum, & Anconæ positum, ibiq. ea de causa in honorem martyris fuisse excitatam ecclesiam, vbi in eius rei memoriam celebritas annua ageretur, testantur antiqua Martyrologia, quod & nos notauimus in Romano [o]. Adstipulatur his omnibus S. Augustinus [p] duobus sermonibus, quibus agit de miraculis eiusdem protomartyris, ac primum his verbis:

n Beda de locis sanct. c. 3.
o Martyrolog. Rom. die 3. Augusti.
p Aug. serm. 31. & 32. de diuer.

Vt de ce-

A Vt de ceteris celeberrimis sanctorum locis taceam; etiã ad Anconam Italiæ ciuitatem, vbi per glorioſissimum martyrem Stephanum multa miracula Dominus operatur, eadem circuitione perueni. Sed ideo alibi curari non potui, quia huic loco diuina prædestinatione seruabar.] Sequenti vero sermone hæc habet: Vt audiat charitas vestra: multum miror, & gaudeo vobis esse concessum, quoniam iste homo nec Anconæ curari potuit: immo potuit, sed propter nos factum non est, quia facillime fieri potuit. Sciũt multi quanta miracula per beatissimum martyrem Stephanum in ista ciuitate fiant. Et audite quod miremini. Memoria eius antiqua ibi erat, & ipsa est ibi. Sed fortasse dicis: MEMORIA STE-PHANI. Corpus eius nondum apparuerat; Memoria ibi vnde erat? Latet quidem causa. Sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo charitati vestræ. Quando lapidabatur S. Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maxime de ijs qui iam in Christo crediderant, circumstabant: dicitur lapis venisse in cubito, & excussus inde venisse ante quemdam religiosum. Tulit illum, & seruauit. Homo erat de nauigantibus: sors nauigationis attulit illum ad littus Anconæ, & reuelatum est illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obediuit reuelationi, & fecit quod iussum est. Ex illo cœpit esse & Memoria S. Stephani vbi est, nescientibus hominibus quid contigisset. Verũ autem intelligitur propterea ibi fuisse reuelatum, vt ibi poneret lapidem qui de cubito martyris excussus est: quia Græce cubitum ἀγκὼν dicitur. Sed qui sciunt quæ ibi miracula fiant, ipsi nos doceant.] hæc Augustinus de lapide quo percussus est protomartyr.

B

Quod vero ad erectam tũc temporis Memoriam martyris spectat, his iungimus quæ CCCVI. in epistola Martialis Apostolorum discipuli nomine prænotata ad Burdegalenses scripta (qualiacumque sint) leguntur his verbis: Dum altaria dæmonum in puluerem redigerentur, aram Ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus: qua dedicata in nomine Dei Israel, & ipsius testis Stephani, qui pro eo a Iudæis passus est; non hominis cultum, sed Dei in ea frequentatis. Stephanus enim non Deus, sed amicus Dei fuit, qui pro testimonio eius animam suam posuit, cuius sanguine ipsa mensa est decorata.] Rursum ne quid prætermittamus, legitur in Constitutionibus Apostolicis, quæ ferũtur nomine Clementis [a], inter Christianorum ferias adnumerari natalem diem protomartyris Stephani.

C

a Clem. Const. lib. 8. c. 33.

Qualis vero quantaq. ex martyrio Stephani facta sit nostris rebus accessio, vel ex eo CCCVII. saltem quis considerare facile poterit, quod Augustinus sæpe testatur, precibus Stephani, Sauli expugnatam esse perfidiam: erat ipse consentiens neci eius, & vestium lapidantium custos. quod non tantum Lucas [b] affirmat; sed & ipse Paulus [c] ex Saulo conuersus, agens aliquando suæ fidei defensionem, hæc inter alia pro concione habuit, cũ ad Deum conuersus hæc dixit: Domine, ipsi sciunt quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas eos, qui credebant in te: et cum funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam, & consentiebam, & custodiebam vestimenta interficientium illum.] Stephanus igitur Domini Iesu memor exempli, qui pro transgressoribus, cum esset in cruce, preces ad Deum fudit, dicens: Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciũt] & ipse his admonitus, positis genibus (inquit Lucas [d]) clamauit voce magna, dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.] Putas (inquit Augustinus [e]) verba ista audiuit Saulus? Audiuit subsannans, sed irrisit: et tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.] et alibi [f]: Si sanctus Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terram inclinatus, exauditus est Stephanus.] hæc eadem quoque alibi [g] repetit.

D

E

STEPHANI PARENTVS PAVLVS.
b Act. 7.
c Act. 22.
d Act. 7.
e Aug. serm. 94. de diuers.
f Aug. serm. 1. de sanctis.
g Aug. serm. 5. de sanctis.

Quæ vero pertinent ad sepulturam eius, rem gestam his paucis Lucas [h] absoluit, di- CCCVIII. cens: Curauerunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum.] hæc ille. sed apposite quidem antequam ageret de eius funere, hæc verba præmisit: Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis: & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos.] His dictis, de sepultura quæ narrauimus, subdit; ea nimirum ex causa, quòd non ea die qua necatus est, sepulturæ traditus sit, id prohibentibus Iudæis; sed postea cum ea, quam refert, facta est persecutio in Ecclesiam. De sepultura ipsius hæc ex relatione Gamalielis narrat Lucianus in ea, quam totus Christianus orbis recepit, epistola de inuentione corporis eiusdem protomartyris, his verbis: Lapidatus est a Iudæis

DE FVNERE STEPHANI.
h Act. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& Principibus sacerdotum in Hierusalē pro Christi fide extra portam quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar. ibi die ac nocte iacuit proiectus, vt sepulturæ non daretur secundum mandatum impiorum Principum, vt a feris consumeretur corpus eius. Ex Domini autem voluntate non tetigit eum vnum ex his, non fera, non auis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi ministro, & festinans habere mercedem a Domino, & partem cum sancto viro fidei, misi per noctem quantos poteram religiosos Christianos, & in Christo Iesu fideliter credentes, habitantes Hierusalem in medio Iudæorum: et hortatus sum eos, & necessariam substantiam ministraui, ac persuasi illis ire occulte vt portarent corpus eius meo in vehiculo ad villam meam, hoc est, in Caphargamalam (quod interpretatur villa Gamalielis) viginti millia habēs a ciuitate. Et ibi feci illi planctum fieri diebus septuaginta, & poni eum in meo monumento nouo in Orientali theca: et præcepi meis, vt quæcumque necessaria erant pro eius planctu, de meo darent.] A B hactenus ille de sepultura Stephani.

CCCIX. Nec aliter quidem S. Hieronymus [a] planctum magnum, quem factum narrat Lucas in funere Stephani, nisi magnificentiam funeris, intelligendū esse ait, scribens ad Paulam his verbis: Quòd Stephano fecerint Hierosolymæ fratres planctum magnum: et vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus sit.] idemq. alibi aduersus Vigilantium ad Riparium [b] scribens: Ergo, inquit, martyrum immundæ sunt reliquiæ? Et quid passi sunt Apostoli, vt immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, vt facerent ei planctum magnum, vt eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?] hæc Hieronymus, superius ex Luciani epistola enarratis consentiens; qui etiam ex pluribus diuinæ Scripturæ locis egregie monstrat, planctum magnum, funeris amplitudinem significare. Apud Rabbi Iacob in Turim Iora Degha capite trecentesimo quinquagesimosecundo legitur, adeo sumptuosa esse consueuisse funera Iudæorum, vt interdum euenerit, vt qui fusissimis impensis impares essent, ad tempus fugam arripuerint. Qui autem hæc corrigenda curarit, tradit fuisse seniorem Gamalielem, qui vili funeris pompa voluit sepeliri, & inter alia, lineis tantum amictum sepulturæ mandari. quem & posteros esse imitatos affirmat, vt superius diximus.

[a] Hier. ad Paul. epist. 25. FVNVS AMPLISSIMVM.

[b] Hier. epist. 53. ad Rip.

CCCX. Ceterum ipsorum Apostolorum exemplo adeo splendide per Gamalielē curantium Stephani sepulturam, laudabilis in Ecclesia Dei in curandis defunctorum corporibus consuetudo permansit, vt eadem in primis aromatibus condirentur. vnde Tertullianus [c]: Si Arabiæ quæruntur; sciant Sabæi pluris & carius suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm dijs fumigandis.] Gregorius [d] Nyssenus hæc in funere Meletij: Sindones mundæ, & panni serici, vnguentorum & aromatum largitas, liberalitas mulieris ornatæ & honestæ, &c.] Gregorius [e] Nazianzenus non sine myrrha Cæsarium fratrem sepeliuit. De qua etiam consuetudine pristina Prudentius agit his versibus [f]:

[c] Tertull. in Apolog.
[d] Greg. Nyss. orat. in fun. Meletij.
[e] Greg. Naz. ad Sophr. epist. 18.
[f] Prudent. in Cathem. hym. de defunct.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersaq. myrrha Sabæo
Corpus medicamine seruat.] et in fine:
Nos tuta fouebimus ossa
Violis ac fronde frequenti,
Titulumq. & frigida saxa
Liquido spargemus odore.]

C D E

CCCXI. Rursum vero accensis cereis, cantu prosequi pompam funeris, apud Christianos antiquo vsu receptum esse, multis habetur testatum exemplis; vt quod habet Pontius diaconus [g] de funere sancti Cypriani martyris his verbis: Inde cum cereis & scholaribus in area cuiusdam Candidi procuratoris magno triumpho sepultum est.] quod insuper Gregorius Nyssenus [h] factum tradidit in funere Meletij, cum ait: Quomodo vtrinque quasi ignei amnes continentibus facibus, tractu continuo perpetuoq. fluentes, quoad oculi longissime prospicere solent, porrigebantur?] Gregorius Nazianzenus [i] de matre sua in funere Cæsarij filij gestante faces, hæc habet: Cum multiplici hymnorum cantu deducitur, celebriq. pompa ad martyrum sedem effertur, sanctisq. parentum manibus honoratur, matre accensas faces gestante.] eadem plane cum agit

[g] Pontius in Act. pass. S. Cypr. in fin.
[h] Greg. Nyss. orat. in fun. Meletij. LVMINA ET CANTVS IN FVNERE.
[i] Greg. Nazian. orat. in funere Cæsarij.

A agit de funere Constantij in oratione prima aduersus Iulianum Apostatam. hoc etiam idem qui supra Gregorius Nyssenus [a], cum meminit de funere S. Macrinæ sororis, testatur: id ipsum Eusebius [b] in funere Constantini. sed & Hieronymus de funere S. Paulæ hæc ait [c]: Translata Episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij Pontifices cereos lampadesque, alij choros psallentium ducerent, in medio ecclesiæ spelunce Saluatoris est posita.] Athanasius [d] eadem feliciter & explicat & probat, cum ait: Si quis diem obierit, licet in aere deponatur inhumatus, ne omiseris oleum & ceram, inuocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere: accepta enim Deo sunt, plurimamq. secum referunt retributionem: oleum & cera holocaustum est; incruentæ vero hostiæ oblatio, propitiatio est.] Quid vero [e] Chrysostomus? Quid, ait, ardentes, quæso, lampades sibi volunt? nonne tamquam athletas eos comitamur? Quid autem B hymni? nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, & ab incertitudine sublatum penes se retinet?] idemq. [f] alias laudatissimā Christianorum consuetudinem in celebrandis exequijs defunctorum sæpe commendat.

[a] Greg. Nyssen. orat. in funer. S. Macrinæ.
[b] Euseb. in vit. Const. lib. 4.
[c] Hieron. epist. 27. in funere S. Paulæ.
[d] Recitat Ioan. Damasc. lib. de mort. suffrag.
[e] Chrys. homil. 70. ad popul. Antioch.
[f] Chrys. homil. 14. in 1. epist. Paul. ad Tim. & 59. ad pop. Antioch. & 4. in epist. Paul. ad Hebræos.

Sed quoniam nihil est tam sanctum, quod non possit humana prauitate peruerti, vetuit Synodus Eliberina [g], ne accensis cereis super defunctorum sepulchra, eorum animæ inquietarentur. Sed qui nouerit ex diuina Scriptura quid sit mortuos inquietare, intelliget profecto a sancta Synodo non facum accensionem, sed defunctorum animarum superstitiosis ritibus euocationem esse prohibitam. Porro inquietare animas defunctorum, nihil aliud esse quàm carminibus magicis, alijsve superstitionibus adhibitis eas aduocare, satis expressum habetur in libro Regum [h] ex persona Samuelis sic dicentis: Quare inquietasti me vt suscitarer?] Consueuisse quidem & Gentiles ad sepulchra defunctorum faces accendere, Suetonius [i] tradit. Solicitari quoque solitas ab ipsis animas defunctorum, Plinius [k] plane significat, cum de communi illo loquendi vsu pristino hæc ait: Cur ad mentionem defunctorum testamur memoriam eorum a nobis non solicitari?] Id quidem non alia de causa, nisi ob frequentem vsum aduocandi, ac (vt aiebant) solicitandi seu inquietandi animas defunctorū, loquendi consuetudine receptum erat. Abstulit ergo SS. Synodus superstitiosam facum accensionem ad solicitandas animas defunctorum: sic & SS. Synodus Tridentina superstitiosum numerum candelarum alijs ex causis interdixit. Incenso etiam thure defunctos honorari consueuisse; idq. prætermisisse, piaculum grande existimatum esse, satis declarant Acta [l] sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis, vbi recitatur libellus accusationis aduersus Dioscorū, oblatus ab Ischyrione diacono; quo inter alia datur crimini, quòd eius auaritia factum sit, vt D in funere Peristeriæ pientissimæ feminæ, quæ sua legauerat sanctis locis, oblatio incensi (quantum ad ipsum pertinuit) fuerit prætermissa.

[g] Concil. Eliber. c. 34.
[h] 1. Reg. 28.
[i] Suet. in Tib. c. 98.
[k] Plin. lib. 28. c. 2.
[l] Concil. Chalced. Act. 1.

Ceterum quod de Stephani funere dictum est, non vna die, sed pluribus, vsque ad septuagenarium numerum, ipsum curatū esse: Apostolica traditione in Ecclesia etiam consuetudo illa probata videtur, vt item non vna die tantū, sed pluribus, pia Christianorum officia, ac religiosa Fidelium illis persoluerentur obsequia: vnguentis enim primum delibuta cadauera remanere duorum vel trium dierum spatio insepulta consueuerant: Quo tēpore apud ipsa excubantes Fideles, sacras hymnodias cantantes, Deum laudabant, sacras hostias immolabant: ac postea ad sepulchrum ducebant: inde post sepulturam etiā psalmorum cantica repetebant. At cum multa de his sint exempla, quæ in medium adduci possent, satis illud esse putauimus, quod in Paulæ funere factū Hie- E ronymus [m] narrat his verbis: Hebræo, Græco, Latino, Syroq. sermone psalmos in ordine personabant, non solum triduo, donec subter ecclesiam & iuxta specum Domini conderetur; sed per omnem hebdomadam; cunctis qui venerunt, suum funus & proprias credentibus lacrymas.] et de sacrificijs offerri tunc solitis testis locupletissimus est S. Augustinus, dum agit de transitu matris. Rursus octaua, vigesima, trigesima, quadragesima, ac sexagesima die agi consueuisse memoriam defunctorum, antiqui libri Rituales testantur. Itemq. anniuersaria die eadem pietatis officia repetere maiores consueuisse, multa sunt certissima testimonia. Tertullianus [n] enim ait: Pro defunctis annua die facimus.] & alibi [o]: Pro anima eius, inquit, oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium: offerat annuis diebus dormitionis eius.] Gregorius Nazianzenus [p] hæc item in eamdem sententiam: Alia quidem persoluimus, alia vero daturi sumus; anniuersarios enim honores & commemorationes offerentes

[m] Hier. epist. 27.

CCCXII. REPETITAE MEMORIAE PRO DEFVNCTIS.

[n] Tert. de coron. milit.
[o] Lib. de Monog.
[p] Greg. Nazian. orat. in fun. Cæsarij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ij quidem certe qui superstites relinquentur.] At vero ne in his diutius immoremur: exequiæ Christianorum ex traditione (vt vidimus) Apostolorum acceptæ, non tantũ apud Fideles, sed etiam Christianorum hostes, sibi conciliarunt honorem ac reuerentiam: nam Iulianus Apostata, rerum nostrarum [a] acerbissimus inimicus, eiusmodi religiosum officium in suas partes transferre studuit: vt ex his videas, quantum homine illo perdito ac peruerso sit infelicior, qui detrahens subsannat eadem atque irridet.

[a] Epist. Iul. ad Arsacium apud Soz. lib. 5. c. 15.

CCCXIV. Sed occasio postulat, vt quæ his coniuncta esse videntur, de suffragijs ab Ecclesia pro defunctis exhiberi solitis, ex instituti ratione saltem paucis agamus. Res enim est non recens in Ecclesia adinuenta, sed quæ ex ijsdem Apostolicarum traditionum fontibus manat: quod Augustinus [b] his verbis constanter affirmat: Orationibus vero sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur a Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur.] multa insuper in eamdem sententiam locutus, reddit exactam omnium rationem. Quod igitur ait id a Patribus traditum; haud ab alijs, quàm ab Apostolis, voluit intellexisse, secundum ea quæ idem scribit in libro de Baptismo [c] contra Donatistas, sic dicens: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.] Est videre huius traditionis antiquiora vestigia apud Tertullianum [d], cum ait, oblationes pro defunctis nonnisi ex traditione prouenisse. qui & per quos faciendæ essent eiusmodi oblationes, sic alibi [e] declarat: Repete apud Deum, pro cuius spiritu postules, pro qua oblationes annuas reddas. Stabis ergo ad Deum cum tot vxoribus, quot illa oratione commemoras, & offeres pro duabus, & commemorabis eas duas per sacerdotem.]

[b] Aug. serm. 32. de verb. Apost.

DE SVFFRAGIIS PRO DEFVNCTIS

[c] Aug. de bapt. c. 24.

[d] Tert. de coron. mil. c. 3.

[e] Tertul. lib. de exhor. ad castitatem.

CCCXV. Sed ad quid eiusmodi oblationes, nisi vt per eas defuncti anima refrigerium a Deo consequatur? vnde & alio in [f] loco: Pro anima eius (*mariti videlicet*) oret, & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione consortium, & offerat annuis diebus dormitionis eius.] hæc quidem ille non certe ex schola Montani tum primum aperta: nam quo pacto agens cum Catholicis, prouocat eos ad totius Ecclesiæ traditionem inueteratam, quam consuetudo iam firmasset, ac fides obsignasset; si ea ex his essent, quæ in Orbis angulo, nempe in Phrygia, eo tempore Montanus docuisset? An Montani erant sectarij sanctissimi Episcopi Africani, qui ante Cyprianum vixerunt, vel ipse denique Cyprianus [g], qui adeo probasse leguntur offerri pro defuncti anima sacrificium, vt eo pietatis officio quempiam priuasse, magnum esset illi supplicium intulisse? An ne Origenes [h], qui eodem vixit tempore, Montani assecla erat, qui tam egregie defunctorum suffragijs adstipulatur, sic dicens? Memorias sanctorum facimus, & parentum nostrorum vel amicorum in fide morientium deuote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes.] et paulo post: Celebramus nimirum, religiosos cum sacerdotibus conuocantes, Fideles vna cum clero, inuitantes adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiantur in odorem suauitas in conspectu æterni Dei.] hæc Origenes.

[f] Tert. de monogamia.

OBLATIONES PRO DEFVNCTIS.

[g] Cypr. epist. 66.

[h] Orig. in Iob homil. 3.

CCCXVI. Epiphanius [i] agens contra Aerium istæc impugnantem, eadem ex maiorum indissolubili traditione fluxisse defendit, cum ait: Prosunt autem & preces pro illis factæ, etiam si totam culpam non abscindant, nempe mortalem. Verum enimvero, eo quòd nos sæpe, dum in mundo sumus, fallimur & erramus, tum inuiti, tum voluntarie: quo id quod perfectius est, significetur; & pro iustis & peccatoribus memoriam facimus: pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes.] et infra: Ecclesia necessario hoc perfecit, traditione a Patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? velut Salomon dicit: Audi, fili, sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ. ostendens per hæc quod & in scriptis & sine scripto docuit Pater & Filius & Spiritus sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita, indissolubilia, quæ dissolui non possunt.] Sed quàm insigniter Ioannes Chrysostomus [k] eadem hæc ab Apostolis esse instituta, sæpe testetur, audiamus: populum enim

[i] Epiph. hær. 75.

PATRVM DE EA RE CONSENSIO.

[k] Chrys. ad pop. Antioch. homil. 66.

Ium enim Antiochenum alloquens, vbi Petrus & Paulus præcipui Ecclesiæ vertices docuerunt, nonnisi quæ ab ipsis ea accepisset Ecclesia repetens, ait: Non temere ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio: sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multã. Cum enim totus constiterit populus extensis manibus, sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponitur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his qui in fide migrarunt.] idem alibi [a] eadem prorsus repetit verba, & ex Spiritus sancti institutione factum ait [b], vt in sacro ac tremendo sacrificio diaconus clamet: Pro his qui defuncti sunt in Christo.]

[a] Chrys. ad Philip. hom. 3.
[b] Chrys. in Act. hom. 21.

Cyrillus quoque [c] Hierosolymitanus hæc de ijsdem: Cum hoc sacrificium offerimus, *Missæ nempe*, postea facimus mentionem etiam eorum qui ante nos obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras: deinde pro defunctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt; maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi, quod in altare positum est, sacrificij. Quod exemplo monstrare volumus: scio enim multos dicere; Quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiam si in hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis, eos a quibus offensus est, in exilium pepulerit; postea vero illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerrent: nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eumdem modum & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores; non quidem coronam plectimus, sed Christũ pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis, cum qui est benignissimus, propitium reddamus.] hæc Cyrillus, non aliunde quidem, quàm ex traditione Iacobi eiusdem Ecclesiæ primi Episcopi, vt ex eius liturgia suo loco monstrabimus.

[c] Cyrill. catech. mystag. 5.

CCCXVII.

CCCXVIII. De eadem traditione Apostolica post alios & Ioannes [d] Damascenus; qui eadem pro defunctis suffragia ad suum principium reducens, vnde prouenerint, monstrat his verbis: Porro autem Verbi discipuli atque conspectores, a quibus Orbis vniuersus captus est; illi, inquam, Saluatoris discipuli ac diuini Apostoli, vt in tremendis ac puris vitamq. afferentibus mysterijs, eorum qui cum fide diem extremum clausissent, memoria fieret, instituerunt: quod etiam firme atque constanter, ac sine vlla controuersia Catholica & Apostolica Ecclesia ab extremis finibus ad extremos vsque fines, ab eo tempore ad hunc vsque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus erit hic retinebit.] Habes insuper (vt prætermittamus magnam copiam auctorum hæc testantium) eius rei vsum in Ecclesia Apostolica ex traditione Apostolorum Romæ repræsentatum ex epistola [e] Paulini ad Aletium S. Paulæ generum, cum in funere Ruffinæ vxoris defunctæ, in basilica Vaticana tanto theatro dignum spectaculum fuit ab eo exhibitum. At quid ibi ageretur, nisi quod eidem Ecclesiæ, quam Petrus & Paulus docuerunt, ijdem tradidissent? in illa enim, velut thesauro, esse ab Apostolis collocatas sacras traditiones, & inuiolabiliter custoditas, auctor est Irenæus [f]. An non insuper censenda est traditio Apostolica, quæ tot tantisq. est comprobata miraculis? sunt ea plane innumera, quæ tum Gregorius Papa, tum alij fide probati auctores memoriæ prodidere. Sed quid diuinitus facta miracula, nisi quòd per ea diuinum suffragium declaratur?

[d] Ioan. Damasc. de Fidel. defunct. oratione.

[e] Paulin. epist. 12.

[f] Iren. lib. 3. c. 3. & 4.

CCCXIX. Cum igitur Ecclesiastici tractatores, insignis nominis viri (vt vidimus) vna eademq. consensione firmiter asseuerent, ex Apostolica traditione sacrificia & alia pietatis opera offerri consueuisse pro defunctis: necessario compellimur dicere, eosdem pariter ex Apostolica traditione affirmare, esse locum in quo post obitum animæ purgentur, donec ab omni peccati macula expiatæ reddantur. Si enim viuentium suffragijs eas adiuuari ac liberari posse, Apostolica traditio (vt dictum est) docuit: sane non omnium Fidelium animas continuo post obitum in cælum recipi, nec item omnes in infernum mergi (pro quibus nulla sunt offerenda suffragia, cum nec illi his opus habeant, nec istis prosint) certum est: sed tertium adhuc esse locum necesse est affirmare, quo illæ quæ adhuc venialium peccatorum inquinatæ sunt sordibus, & mortalium licet culpa exsolutæ, pœnæ tamen tẽporariæ sunt obnoxiæ, detinentur. Ex his omnibus itaque esto ratum firmumq. de Purgatorio fidem atque doctrinam ex Apostolorũ traditione fluxisse. Multa ad hæc probanda, & confirmanda, essent ex diuinis Scripturis in medium asse-

EX TRADITIONE DOCTRINA.

renda

Universidad de Deusto
Biblioteca

renda testimonia: at quoniam nostri instituti est, doctrinam ex traditione, non traditionem ex doctrina deducere (nam id complures nostri temporis Ecclesiastici Orthodoxi scriptores feliciter præstiterunt) his in præsentiarum omissis, illud vnum, sed breuiter tamen, præstabimus, vt Apostolicam traditionem Catholicæ Ecclesiæ vsu receptam, & Patrum testimonio roboratam apertissime demonstremus.

CCCXX. DE PVRGATORIO.

Certum est enim, tam Latinos quàm Græcos antiquos Patres testimonio pari ac consensione in vnam eamdemq. sententiam conspirasse, animas solutas corpore, peccatis aliquibus obnoxias, pœnis sic subijci, vt ijs purgatæ, æternæ tandem participes fiant beatitudinis: et licet de modo & loco quo id fiat, alius aliter senserit; quòd tamen faciendum sit, omnes æque consentiunt. Ex antiqua Ecclesiæ traditione Tertullianus [a], vt de re cuius nulla sit dubitatio, idem profitetur: nam cum tractat illam sententiam Domini in Matthæo [b]: Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem] ait: Iudex te tradat Angelo executionis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, nisi modico quoque delicto mora resurrectionis expenso.] et infra: In summa, cum carcerem illum, quod Euangelium demonstrat, inferos intelligimus; & nouissimum quadrantem, modicum quoque delictum mora resurrectionis illic luendum interpretamur: nemo dubitabit animam aliquid pensare penes inferos, salua resurrectionis plenitudine per carnem quoque.] hæc ille. Sed nec præiudicium Catholicæ affert veritati, si etiam, quod ait, id Montanus senserit. Non enim labefactatur veritas, si quis hæreticus eamdem interdum profiteatur. Cyprianus id ipsum plenissime docet, dum scribens ad Antonianum [c] hæc ait: Aliud est, missum in carcerem non exire inde, donec soluat nouissimum quadrantem: aliud statim fidei & virtutis accipere meredem: aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari & purgari diu igne: aliud peccata omnia passione purgasse.] Est etiam eiusdem veritatis Origenes [d], qui eodem sæculo cum Tertulliano, & vsque ad Cypriani tempus vixit, assertor, dum ait: Cum illuc venitur, si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit; illud parum, tamquam plumbum, igni resoluitur ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et si quis plus illuc plumbi detulerit; plus exuritur, vt amplius decoquatur: vt etsi parum aliquid sit auri, purgatum tamen resideat. Quòd si aliquis illuc totus plumbeus venerit; fiet de illo hoc quod scriptum est: Demergetur in profundum, tamquam plumbum in aqua validissima.] hæc Origenes.

[a] Tertull. lib. de anima, c. 35. & cap. vlt.
[b] Matth. 5.
[c] Cyprian. epist. 52.
[d] Orig. in Exod. homil. 6.

CCCXXI. PATRVM CONSENSIO.

Id ipsum Gregorius [e] Nyssenus in hunc ferme modum in magna illa oratione catechetica, quam sæpius citat Theodoretus: Quoniam, inquit, opus est vt illius quoque, quæ ex peccato ingeneratæ insederunt maculæ, per medicinam aliquam auferantur: propterea in præsenti quidem vita adhibitum est medicamentum virtutis ad hæc curanda vulnera: quòd si curari non possint, in futura vita reseruatur curatio. Sed quo modo in corpore sunt affectionum quædam differentiæ, quarum aliæ quidem facilius, aliæ vero difficilius admittunt curationem; in quibus & sectiones, & cauteria, & acerba medicamenta adhibentur ad tollendam affectionem, quæ insedit corpori: tale quid etiam in posterum denunciat futurum iudicium ad curandos morbos animæ, quod pigris quidem & lentis minatur.] Hieronymus [f] id etiam in hæc verba: Sicut diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera igne probanda sunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ sententiam Iudicis] vt scilicet non puniantur in æternum: nam de his est instituta disputatio. Et in Oseam [g]: Infernus, inquit, est locus, in quo animæ recludunt[ur] siue in refrigerio, siue in pœnis pro qualitate meritorum.] et alibi [h]: Peccatores qui confitentur rectam fidem, sed propter vitiorum sordes purgantibus se indigent flammis, idcirco nunc Dominus ad ignem iudicium vocare se monstrat, vt vniuscuiusque opus quale sit, ignis probet.] Appellat [i] alibi purgatoriam pœnam, baptismum ignis, quo (inquit) baptizabimur in futuro sæculo.

[e] Greg. Nyssen. orat. catech. 8.
[f] Hieron. in Isa. 6. vlt. in fine.
[g] Idem in Ose. cap. 14.
[h] Hieronym. in Amos. c. 7.
[i] Hieronym. in Matth. c. 3.

CCCXXII.

Ambrosius [k] de eodem baptismo, purgatorio scilicet igne, hæc ait: Est etiam baptismum in Paradisi vestibulo, quod ante non erat; sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea, quam posuit Deus; quæ antea non erat, quando peccatum non erat: culpa cœpit, & baptismum cœpit, quo purificentur qui in Paradisum redire cupiebant, vt regressi dicerent: Transiuimus [l] per ignem & aquam: hic

[k] Ambr. in Psal. 118. serm. 3.
[l] Psal. 65.

per aquam

per aquam, illic per ignem: per aquam, vt abluantur peccata; per ignem, vt exurantur.] idem alibi [a]: Caue ne ligna, caue ne stipulam ad iudicium Dei tecum deferas, quæ ignis exurat: caue ne cum in vno aut duobus habeas quod probetur, in pluribus operibus deferas quod offendit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur; potest tamen & ipse per ignem saluari. vnde colligitur, quia idem homo & saluatur ex parte, & condemnatur ex parte.] idem dum ait [b] de vltimo exsoluendo quadrante, illum de ijsdem pœnis interpretatur.

[a] Ambr. in Psal. 1. 8. serm. 20. in fine.
[b] Ambr. in Luc. c. 12.

At Augustinus [c] de his vberius ceteris agit in Enchiridio ad Laurentium, & de Ciuitate [d] Dei, vbi & falsas de his aliorũ sententias refutat, idemq. alijs [e] plerisque in locis est eiusdem veritatis fidelis assertor: cuius singulas de his sententias hic recitare prætermittimus, ne nimia prolixitate legentibus molestiam afferamus, præsertim cum illæ potissimum sint iam præ manibus omnium. Ceterum tantum abest vt penes quempiam antiquorũ Orthodoxorum fuerit de eadem re aliqua dubitatio, vt potius laborandum fuerit Patribus aduersus nonnullos, qui crederent omnia peccata quantumuis capitalia, excepto tamen infidelitatis errore, eodem igne purgari posse: quos non tantũ Augustinus citato loco, sed & Cæsarius Arelatensis Episcopus egregia sanctitate & eruditione Pater (hic, vt alibi notauimus [f], fama notissimus claruit temporibus Symmachi Papæ, longe ante Gregorij tempora) refellit sic dicens [g]: Multi lectionem istã male intelligentes, falsa securitate decipiuntur, dum credunt, quòd supra fundamentum Christi crimina capitalia ædificata, peccata ipsa per ignem transitorium possint purgari, & ipsi postea ad vitam æternam peruenire. Intellectus iste, fratres carissimi, corrigendus est; quia ipsi se seducunt, qui sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem: non capitalia, sed minuta peccata purgantur.] et post multa: Sed dicet aliquis: Non ad me pertinet quamdiu moras habeam, tantum vt ad vitam æternam perexeam. Nemo hoc dicat, fratres carissimi: quia ille ipse purgatorius ignis durior erit, quàm quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri.] hæc Cæsarius. Plura his ac fere innumera addenda essent aliorum, qui postea claruerunt, testimonia Ecclesiasticorum scriptorum; sed non patitur ratio instituti in his diutius immorari. Vnum tamen sic habeto: omnium, qui post dicta tempora vixere Orthodoxi scriptores, vsque in præsens, nullum reperiri, qui Apostolicæ traditioni, maiorumq. assertioni, ac denique tot sæculis præscriptæ Ecclesiasticæ consuetudini ausus sit contradicere: quin potius eamdem Catholicam veritatem non tantum ex Patribus ratam atque firmatam, sed miraculorum editione diuino calculo sæpius comprobatam, pronis manibus excipientes, sunt pie sancteq. venerati. Adeo vt nulla habenda sit ratio, si Nouantes & œconomiæ Ecclesiasticæ inuersores ab his aliter senserint. At hæc iam satis ad Apostolicas traditiones, & Ecclesiæ mores insinuandos, quibus nos astrinximus, esse putantes: ad ipsam rerum gestarum historiam, ad idq. vnde digressa est oratio, redeamus.

[c] Aug. in Ench. c. 67. 68. 69.
[d] Aug. de Ciu. Dei lib. 21. c. 13 & seq.
[e] Aug. de Gen. ad Manich. lib. 2. c. 20. Lib. de 83. quæst. q. 1. hom. 16. & alijs locis.
[f] In Martyrol. Rom. die 27. Augusti.
[g] Cæsar. hom. 7.

CCCXXIII. DE PERSECVTIONE IN CHRISTIANOS.

Die illa qua lapidatus est Stephanus, facta est (inquit Lucas [h]) persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apostolos.] Est [i] qui dicat, eodem quo passus est Stephanus die Nicanorẽ, vnum ex septem diaconis, ac ducentos insuper Christianos a Iudæis fuisse necatos; quod tamen haud tutum est affirmare, cum Græcorum Menologium de Nicanore testetur, tempore Vespasiani Imperatoris fuisse in Cypro occisum. Sed quod ad Nicanorem spectat, contentiosum funem non trahimus. ceterum quod attinet ad reliquos; complures post necem Stephani occisos esse, absque dubitatione aliqua affirmamus, testante hæc potissimum Paulo coram Festo [k] Præside & Agrippa Rege, cum suam causam peroraret, sic dicens: Multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a Principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam.] Lucas autem hæc omnia innuens potius quàm describens, duobus verbis (vt vidimus) rem totam absoluit, dum ait: Facta [l] est in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis.] Præterea accidisse tunc temporis creditur, quod ex relatione Gamalielis Lucianus [m] memoriæ prodidit, de Nicodemo Christi discipulo sic dicens: Cognoscentes Iudæi illum esse Christianum, amouerunt eum e principatu suo, & anathematizauerunt eum, & de ciuitate expulerunt. Tum ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, & alui, & vestiui vsque ad finem vitæ eius, &

[h] Act. 8.
[i] Dorothe. in Synop.
[k] Act. 26.
[l] Act. 8.
[m] Lucian. in epist. de inuen. S. Stephani.

defunctum

Universidad de Deusto
Biblioteca

defunctum honorifice sepeliui iuxta dominum Stephanum.] hæc ille.

CCCXXV. Sed cur tunc omnes Christiani Hierosolymis pulsi sint, Apostolis vero tantum, quorũ causa turbæ omnes a Iudæis fuerant concitatæ, Hierosolymis manere concessum fuerit, admirari non desino. Tribuunt id alij [a] operæ ac studio Gamalielis, cuius industria Apostoli seruati fuerint. Adscribunt & alij non modestiæ, sed timori Iudæorum: quippe qui timerent populi, quòd erga illos propensior esset, tumultum atque seditionem. Sed mea sententia, neutra harum causa tanti ponderis fuisse videtur, quæ magistratus adeo furore exagitatos, ac plane rabie efferuescẽtes cohibere potuisset. Vnde id nonnisi miraculo, & illius tantum virtuti existimo tribuendum, qui statuit [b] mare quasi intre, & posuit terminos eius arenam exiguam, & dixit ei [c]: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.] Ceterum quod ad Apostolos pertinet: Apollonius [d] antiquus Theologus, agens aduersus Cataphrygas, testatur se traditione accepisse, Saluatorem mandatum dedisse Apostolis, ne vsque ad duodecim annos Hierosolymis decederent. Qui ergo hæc præcepit, vt inter infensissimos hostes tamdiu versarentur, dedit etiam illis implere quod iusserat. sed de hac re alibi: quæ vero ad discipulorum dispersionem pertinent, reijcimus in annum sequentem, quo ea omnia facta esse noscuntur.

a Ortum. in Act. c. 8.

b Psal. 77.

c Iob 38.

d Apud Euseb. hist. lib. 5. c. 17. in fine.

IESV CHRISTI ANNVS 35. — TIBERII IMP. ANNVS 19.

I. DISPERSIO DISCIPVLORVM. SEquenti anno Domini trigesimoquinto, Sulpitio Galba & Cornelio Sulla Coss. pulsis eiectisq. post necem Stephani, qui erant Hierosolymis, Christianis; proficiscentibus illis in diuersas ac longe positas regiones, ac prædicantibus Euangelium, Ecclesia Dei feliciter propagatur. Non enim tantũ (quod tradit hic Lucas [e]) dispersi sunt per regiones Iudææ atque Samariæ; sed Palæstinæ fines egressos, externas quoque regiones peragrasse, eiusdem auctoris testimonio satis perspectum habetur: ait enim inferius [f]: Illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque ad Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis.] Insuper eorum, qui Hierosolymis pulsi sunt, ingens numerus migrauit in Asiã: qui eo nomine a ceteris Iudæis distincti sunt, nominatiq. Hebræi aduenæ dispersionis: ad quos præcipue postmodum Petrus [g] Apostolus scribens epistolam, eiusmodi eam titulo prænotauit: Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ.] Quod enim ad Galatiam pertinet: eos signasse videtur Paulus [h] Apostolus, scribens ad Galatas, qui Hierosolymis quondam fuissent tempore passionis Christi, dum ait, eos sic obiurgans: O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, in vobis crucifixus?] Ad eiusdem etiã dispersionis homines Iacobus Apostolus suam dedit epistolam, eiusmodi inscriptione signatam: Iacobus Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.]

e Act. 8.

f Act. 11.

g 1. Petr. 1.

h Galat. 3.

II. Neque enim de alia dispersione, quàm quæ facta est post lapidatum Stephanum, tam Petrus quàm Iacobus potuerunt intelligere: quandoquidem (vt antea dictum est, auctore Philone) Iudæi cum nequaquam Palæstinæ terminis continerentur, sed longe lateq. in Asia, Africa, & Europa, in cunctis fere prouincijs Romano subiectis Imperio habitarent; cum nemine impellente, sed antiquitus eo sponte migrassent: numquam vel a Philone, aut Iosepho, vel alijs qui res Iudaicas sunt prosecuti, dicti inueniuntur dispersi, aut ex dispersione collecti Iudæi, sed coloni & indigenæ. Etenim post illam tempore Sedechiæ Regis illatam cladem, quantumuis dira ac grauia ab alijs finitimis Regibus sint passi Iudæi, ac denique a Romanis subacti: numquam tamen ipsos e Palæstina pulsos, ac in exteras Orbis prouincias amandatos fuisse, aliqua est memoria apud antiquos historicos: vt nulla sit ratio, cur prædicti nominati sint Iudæi dispersionis, nisi quòd (vt dictum est) post necem Stephani, Hierosolymis pulsi, in diuersas prouincias, vt cuique libuit, commigrarint. Horum fuisse ingentem numerum, certum est: nam si quis omnium credentium habeat rationem, cogitetq. tantum Apostolos (quod Lucas ait) Hierosolymis remansisse; inueniet profecto, multa millia Christianorum ea fuisse exturbatione dispersa.

Numerum

A Numerum autem sic collige. Antequam Christus cælos ascenderet, plusquam quin- III.
gentos fratres Paulus [a] numerat, quibus ipsum apparuisse testatur. Post eius ascensio- *a 1. Cor. 15.*
nem, prima Petri prædicatione facta est accessio cerciter [b] trium millium. Rursum *b Act. 2.*
concionante eodem Petro [c] in porticu Salomonis, auctus est numerus credentiũ quin- *c Act. 4.*
que millibus. Postea vero ceteros qui Christo crediderunt, Lucas (victus fortasse ad fidem venientium multitudine) numerare prætermisit. Sed nouis editis signis atque miraculis, concionante iterum atque iterum Petro, quid ait? Magis [d] augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum.] ac rursus post verberatos Apostolos: Verbum Domini, inquit [e], crescebat & multiplicabatur numerus discipulorum in *d Act. 5.*
Hierusalem valde: multa enim turba sacerdotum obediebat fidei.] Quocirca si ho- *e Act. 6.*
rum omnium ratio habeatur (licet certus credentium numerus definiri non possit)
B haud longius a vero numero ij inuenientur aberrasse, qui vltra quindecim millia credentium in ea persecutione dixerint fuisse dispersa: vt nihil iam sit quod quis miretur, si in tam varias ac diuersas prouincias ea dispersione Fideles, testimonio Petri & aliorum, audiat esse profectos.

De hac ipsa discipulorum dispersione Athanasius [f] agens, ac sementi eã comparans: IV.
Habes, inquit, in Actis Apostolorum, post lapidatum Stephanum, discipulos dispersos, & quasi seminatos: non quòd imbecillitate diffecti, sed fidei gratia ita diuisi essent: sedenim ita dispersi, vt seminatoris frumenta effecti ad panem supercælestem, vniuersumq. Orbẽ peragrantes, viuificæ doctrinæ virtutes efficaciasq. disseminarint.] Agens de his item Gregorius Nyssenus [g] occasione Stephani protomartyris, eiq. hæc omnia *g Greg. Nyss. ser. de S. Stephano.*
C tribuens, sic ait: Quemadmodum periti athletæ subeuntes corpus aduersariorum, per quamdam artificiosam agilitatem atque habilitatem, grauiorem lapsum illis struunt: ita magnus quoque Stephanus humi prostratus, grauem illam aduersarij contusionem effecit. Hinc in orbem terrarum discipuli currere cœperunt: hoc omnes in partes sermonis diuulgationis initium est: nam nisi ab illius cæde populus Iudæorum in discipulos sæuisset, forsitan solummodo Hierosolymis Euangelij gratia inclusa esset: nunc vero agitati a Iudæis, alius alio gentium per orbem terrarum dispersi sunt, vndique per mysteriorum doctrinam diabolum exturbantes. hoc modo Samaria verbum recepit: hoc modo obiter in via salus Eunuchi a Philippo conficitur: ita magnum illud Ecclesiæ instrumentum Paulus ira minisq. a diabolo armatus, aduersus ipsum armatorem tela vertit, ex omni eum exterminans orbe terrarum, vt nullum relinqueret locum fidei Christianæ inaccessum. hinc Ægyptij, Syri, Parthi, & Mesopotamitæ, Itali, Illyrici, Macedones Christum agnoscunt: et omnes vtique gentes sermo percurrens ad
D fidem adducit.] hæc ille.

Hac ipsa dispersione Ananias discipulus profectus Damascum, collegit Ecclesiam. V.
Insuper colligere possumus, hoc quoque tempore Lazarum, Mariam Magdalenam [h], *h Act. Magdal. & sotor.*
Martham, & Marcellam pedissequam, in quos Iudæi maiori odio exardescebant, non tantũ Hierosolymis pulsos esse, sed vna cum Maximino discipulo, naui absque remigio impositos, in certum periculum mari fuisse creditos: quos diuina prouidentia Massiliam tradunt [i] appulisse: comitemq. ferunt eiusdẽ discriminis Iosephum ab Arimathea *i Manuscript. hist. Angl. qui habetur in Vatic. biblioth.*
nobilẽ Decurionem, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigasse, illicq. post prædicatum Euangelium diem clausisse extremum. Sed quis valeat singulorum hic re-
E censere vias, & fructus numerare ex prædicatione collectos? Nam etsi nondum Gentibus reseratum erat ostium Euangelij: tamen contribulibus Iudæis illud annunciare, liberum erat. vnde & Lucas: Igitur, inquit, qui dispersi erant, pertransibant, euangelizantes verbum Dei.]

Sed quid interim Hierosolymis? Saulus autem (inquit [k] Lucas) deuastabat Ecclesiã: VI.
per domos intrans, & trahens viros, ac mulieres, tradebat in custodiam.] Qui enim *k Act. 8.* SAVLI PERSECVTIO.
non essent egressi cum ceteris, sed latebras domi quæsissent, a Saulo solicita cura perquisiti ac tenti ducebantur in carcerem, atque etiam necabantur. Ad hæc ipse Paulus allusisse videtur, cum de se ait [l]: Blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus.] *l 1. Tim. 1.*
nam non viros tantum, sed & mulieres trahebat, ac custodiæ mancipabat. Hæc prima in feminas persecutio a Saulo est excitata; quæ etiam tempore Christi passionis absque aliqua offensione intrepidæ ipsum secutæ ad Caluariæ locum, steterunt iuxta crucem securæ, ac denique militarem custodiam irrumpentes illæsæ adiere sepulchrum: Vt ex

his facile

Universidad de Deusto
Biblioteca

his facile videre sit, quanto animi furore ac rabie Saulus præ ceteris in Christanos sæ- A
a Act. 26. uiret. Sed hæc non aliunde melius quàm ex suis ipsius verbis colligi possunt, cum coram Festo Præside & Agrippa Rege sic est locutus [a]: Ego quidem existimaueram, me aduersus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere. quod & feci Hierosolymis, & multos sanctorum ego in carceribus inclusi, a Principibus sacerdotum potestate accepta: et cum occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare.] Sed non satis illi fuit, eos qui Hierosolymis essent, Christianos vexasse: addidit quippe, & in illos qui foris essent, extra etiam Iudææ terminos positos, manus intulisse, eaq. de causa a Principe sacerdotum accepisse litteras in Damascum. Sed hæc postea, cum iã quid amplius Hierosolymis in Christianos ageret, non inueniret: quare de his suo loco inferius agendum differimus.

VII. Interea Philippus diaconus, qui vna cum ceteris Hierosolymis pulsus erat; cum ci- B
b Ioan. 4. uitatem Samariam adijsset, illic Euangelium prædicauit. Recens adhuc erat apud Sa-
c Act. 11. maritanos Christi memoria, in quem iam complures ex illis crediderant [b]. Ceterum
DE SAMARITIS CREDENTIBVS. nemo existimet Lucam sibi esse contrarium, dum inferius [c] de dispersis discipulis agens, dicit eos nemini Dei verbum nisi solis Iudæis annunciasse, hic vero Samaritis etiam Euangelium prædicatum affirmat. Nam ibi sic de Iudæis meminit, vt excludat Gentiles; de quibus tunc consultatio erat, an essent in Ecclesiam admittendi. Porro Samaritani etsi Iudæis essent infensi, & diuersam ab illis religionem excolerent: tamen non erant eiusmodi, vt appellarentur Gentiles; quippe qui a Iudæis olim circumcisionem & legem acceperant, qua ex parte Iudæorum nomine censebantur, & a Gentili-
d Matth. 10. bus distinguebantur, vt apparet ex his quæ dixit Dominus [d]: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perie- C
runt domus Israel.]

VIII. Sed & in his illud attendendum, non vetitum esse Apostolis, Gentibus & Samaritis
e Matth. 5. Dei verbum annunciare; sed iussum, vt potius, hoc est, prius illud Israelitis impertirent: sicut & de se Dominus ait [e]: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel] cum tamen & Gentiles receperit, & Samaritas adierit. Philippus igitur primus omnium post ascensionem Domini prædicat Euangelium Samaritis: vnde & fortasse consecutus est nomen Euangelistæ. Confirmat ratumq. habet Deus opus eius sequentibus signis: Multi enim (inquit Lucas) eorum qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici, & claudi curati sunt.] adeo
SIMON MAGVS CREDIT. vt Samaritæ alacriter acciperent Euangelium: et inter eos Simon magus, populi illius seductor, cui omnes auscultabant, & dicebant eum esse Virtutem Dei magnam, cum D
tot tantisq. signis se imparem, nec illis obniti posse videret, & ipse credidit, & a Philippo baptizatus, illi adhæsit.

IX. Perferuntur hæc tam noua, tamq. grandia & admiranda Hierosolymam. Cumq.
f Act. 8. audissent Apostoli qui ibi erant, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad
DE PETRI ET IOANNIS LEGATIONE. eos Petrum, & Ioannem. Hæc vero cum de eorum legatione testetur Lucas [f], attentius sunt disquirenda: scilicet cur Petro Apostolorum Principi, ac Ioanni fuerit opus iniunctum. Samaritanorum quidem causa haud sane ita facilis erat, vt alij cuipiam quàm Apostolorum Principi crederetur. Hinc admirabilis Dei sapientia patet, vt cui potissimum claues regni cælorum sunt traditæ, ipse primus, sicut postea Gentibus, ita modo Samaritis Ecclesiæ ostium reseraret. De vtroque enim (quod prius dictum est) præce-
g Matth. 10. ptum Domini erat [g]: In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne E
intraueritis.] Occasione enim dispersionis potius, quàm ex Apostolorũ consilio, penetrauerat Samaritas prædicatio Euãgelij: quam sic Deus signis atque miraculis comprobauit, vt tamen operis consummationem, nempe Spiritus sancti donum, in aduentum Petri, a Petro impartiendum differret: quod præ ceteris signis admirabantur Fideles. vnde cum primum in Gentiles Petri prædicatione conuersos descendisset Spiritus san-
h Act. 10. ctus: Obstupuerunt, inquit Lucas [h], ex circumcisione Fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.] At mea quidem sententia, maiori admiratione digna res erat, in Samaritanos descendere Spiritum sanctum, quàm in Gentiles: nam hi, an esset Spiritus sanctus, ignorabant; illi vero impugna-
i Epiph. lib. 1. hæres. 9. bant. Inter ceteras enim hæreses quæ in Samaritanos irrepserant (vt auctor est Epiphanius [i]) ea erat, quòd Spiritum sanctum non admitterent. quam hæresim vt ab eorum

A mentibus auferret Dominus, loquens olim cum muliere Samaritana, visus est laborasse, dum eam recta fide imbuendo, ait [a]: Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in a Ioan. 4.
spiritu & veritate oportet adorare.] quem locum, vt de diuinitate Spiritus sancti irrefragabile testimonium, Ariani aliquando (vt tradit Ambrosius [b]) deprauare, immo e b Ambros. de Spirit. sanct. lib. 2. c. 11.
codice prorsus eradere conati sunt.

Opus igitur, quod non dico Philippus tantum, sed & Dominus aggressus fuerat, X.
Petro Apostolorum Principi a Deo traditur consummandum. Quanti enim ab ipsis Samaritis præ ceteris miraculis, eiusmodi donum Spiritus sancti æstimaretur, factum Simonis testatur, qui non miraculorum virtutem, quam esse viderat in Philippo, est æmulatus (illa enim etsi non vera facere, magia tamen quoquo modo fingere potuisset)
B sed cum (vt & ait Lucas) vidisset ipse Simon quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens [c]: Date mihi hanc potesta- c Act. 8.
tem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.] Ecce tibi cur diuina prouidentia primum, ac subinde Apostolorum consilio factum sit, vt Petrus, qui primatum gereret inter Apostolos, præ ceteris vna cum Ioanne Samariam missus sit: nempe vt (quod muneris eius potissimum esse videretur) quæ essent acta, cognosceret; ac non tantum illis Ecclesiam reseraret, sed & clauibus sibi traditis cælum illis, vnde Spiritus sanctus ad eos descenderet, aperiret. Quantæ hæc essent auctoritatis, vel ex eo saltem poterit quisque intelligere: quòd cum, sententia Domini, Samaritæ eodem loco quo Gentiles æstimarentur: quantumlibet prædicatione Petri apertum postea fuerit ostium Gentibus, & quantumuis visibili omnibus signo in easdem Spiritus sancti gra-
C tia descendisset; nihilominus in communi adhuc omnium Apostolorum confessu rogatur Petrus tantæ rei causam dicere, sicq. quod factum erat consensu omnium comprobari: cum hic contra absque discrimine, quid esset de Samaritanis agendum, liberæ eius dispositioni relinquatur. Honorificentissima plane hæc omnium est existimata legatio, & sola digna quæ Apostolorum omnium Principi crederetur, simulq. Ioanni, qui Petri comes indiuiduus visus est.

Hinc videas quantopere hallucinentur Nouatores, qui cæco furore in Petrum insa- XI.
nientes, illius primatui detrahere non erubescunt, eo quòd a ceteris mittatur Apostolis: REFELLITVR OBIECTIO NOVATORVM.
quasi inferioris numeri sit habendus is qui mittitur, ab eis qui miserunt illum. Sapiant ipsi hac ratione, & idem dicant quod Arius: Filium, quòd a Patre sit missus, esse Patre minorem. Ignorare insuper conuincuntur complura in Scriptura diuina, & innumera
D quæ sunt de his in profanis scriptis exempla: quibus satis superq. perspicuum redditur, ad ea quæ maximi omnium visa sunt esse momenti peragenda, qui inter ceteros primatum gererent, legatos missos: cum ipsi non sic quidem mitti dicerentur, quasi a maiore minores, & vt a domino subditi, sed quòd rogarentur ob salutem omnium eam suscipere functionem. Subijciam de his alterum ex veteri, alterum vero ex nouo Testamento exemplum; addam & tertium ex auctore profano, vt res omni scripturarum genere testata reddatur. Legitur in primis in libro Iosue [d], filios Israel, vt de re magna, d Iosue 22.
ad inuestigandum de altari quod trans Iordanem erexerant filij Ruben & Gad & media tribus Manasses in terra Galaad, misisse Phineen, qui habebatur omnium princeps, & decem alios, qui in singulis decem tribubus primatum gerebant. Rursum simili huic vrgente causa, ad perquirendum quid de Gentilibus, qui Christo crederent, agendum esset, num circumcidi deberent: tunc qui erant Antiochiæ Fideles, Paulum
E & Barnabam miserunt ad consulendum Apostolos Hierosolymam; quod [e] S. Lucas e Act. 15.
testatur in Actis. Sed quid profanus auctor, etiam in his quæ sunt Iudæorum, Iosephus [f] Iudæus in hanc sententiã scribat, adducamus in mediũ: Iudæos nempe, qui erant f Ioseph. antiq. lib. 20. c. 7.
Hierosolymis, cum aduersus Agrippam suum ipsorum Regem, necnon aduersus Festum Præsidem causam haberent, misisse Romam ad Neronem Imp. non solum ex primoribus Iudæorum decem legatos, sed & cum eis Ismaelem summum Pontificem, & qui huic secundus ordine videbatur, Chelciam sacri custodem ærarij. Ecce quàm inualidis & plane inefficacibus rationibus illi obnitantur in primatum Petri, cum omnium Principem eadem hæc ipsa potius declarare videantur. Sed hæc obiter, quòd non sit nostrum consilium aduersus eiusmodi homines disputare, quos sua ipsorum refellit inscitia.

Venientes ergo Samariã Petrus & Ioannes, orauerunt pro his qui baptizati erant, vt XII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

acciperent Spiritum sanctum: Nondum enim (inquit Lucas [a]) in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.] Videre est ex his in primis, in Ecclesia Dei iam fuisse Hierarchicum ordinem institutum: vt non omnia omnibus indistincte, nulla ordinis habita ratione, licerent. Sic quippe Philippus diaconus credentes baptizat, vt tamen Apostolicum munus, ipsam manus impositionem Apostolis concessam, nequaquam vsurpet. Vnde S. Ignatius [b] ad Heronem diaconum scribens, hæc ait: Nihil sine Episcopis facito: Sacerdotes enim sunt, tu vero sacerdotum minister: baptizant, sacrificant, eligunt, manus imponunt; tu vero illis ministras.] et ad Smyrnenses [c] scribens, sic summatim Ecclesiasticam Hierarchiam perstringens, ait: Laici diaconis subijciantur, diaconi presbyteris, presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, & ipse Patri.] Sed & Hieronymus agens contra Luciferianos, eiusmodi Hierarchicum ordinem in Ecclesia ex ijsdem causis sic planius explicans, ait: Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui: disce hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit; & multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potius sacerdotij, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit; lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros & diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Episcopis inuiserentur. Ecclesiæ enim salus in summi sacerdotij dignitate pendet: cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes.] hæc Hieronymus de Ecclesiastica Hierarchia, Domini & Apostolorum institutione formata.

[a] *Act. 8.*

[b] *Ignat. epist. 45.*

[c] *Ignat. epist. 10.*

HIERARCHICVS ORDO IN ECCLESIA.

XIII. QVAE MANVS IMPOSITIO EST TANTVM EPISCOPI.

Hæc quidem in Ecclesia perseuerans, distincta cuiusque gradus docet esse ministeria; ipsamq. manus impositionem, qua post baptismum confertur Spiritus sanctus, sicut olim tantum Apostolis, sic solum Episcopis esse concessam: et Apostolicæ institutionis exemplo, baptizatos manus impositionem ab Episcopis, sicut olim ab Apostolis, accipere. Vnde agens de his Cyprianus [d] in epistola ad Iubaianum, hæc ait: Quod deerat, id a Petro & Ioanne factum est, vt oratione pro eis habita & manu imposita, inuocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus: quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.] hæc Cyprianus. Hieronymus [e] hæc in eamdem sententiam ex persona Luciferiani: An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Exigis vbi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt.] et paulo inferius ex parte Orthodoxi: Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos, qui longe in minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationē Spiritus sancti manū impositurus excurrat.]

[d] *Cyprian. epist. 73.*

[e] *Hier. contra Luciferian.*

XIV. DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

Porro eiusmodi mysterium constat ab antiquis esse appellatum Sacramentum: vnde in Concilio Carthaginensi, eiusdem S. Cypriani tempore celebrato, hæc leguntur dicta quinto loco a Nemesiano Episcopo: Male ergo sibi quidam interpretantur, vt dicant quòd per manus impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur: cum manifestum sit vtroque sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.] Sic & Cyprianus [f] ad Stephanum Papam scribens, itidem Sacramentum appellat, a baptismo distinctū. S. Augustinus [g] etiam agens contra litteras Petiliani, ac iterum agens de baptismo [h] contra Donatistas, itemq. alibi his [i] verbis vtitur: Vnctio spiritualis, ipse Spiritus sanctus est, cuius sacramentum est in vnctione visibili.] et alibi [k]: Continuo tulit illum ad presbyteros, baptizatus est, sanctificatus est, vnctus est, imposita est ei manus: completis omnibus sacramentis, assumptus est.] Rursum vero ob eam causam, quòd huiusmodi qui baptizati essent, eamdem manus impositionem accipientes, signo Crucis etiam signarentur, idem sacramentum est appellatum Signaculum: ad quod Paulus [l] Apostolus alludisse videtur, dū ad Ephesios scribens, ait: Nolite contristare

[f] *Cyprian. epist. 72.*

[g] *Aug. contra litt. Petil. lib. 2. c. 104.*

[h] *De baptis. lib. 3. c. 10.*

[i] *Aug. in epis. 1. Ioan. tract. 3.*

[k] *Aug. de diuers. serm. 33.*

[l] *Ephes. 4.*

A stare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.] eodem quoque nomine Cyprianus (vt nuper vidimus [a]) Signaculum Dominicum ipsum dicit. Sed & Cornelius [b] Papa scribens ad Fabium Episcopum Antiochenū, idem in eodem sensu Sigillū nominat, dum de Nouatiano schismatico agens, hæc ait: In lecto, in quo decumbebat, aqua circumfusus, baptismum accepit, si modo talem hominem baptismum accepisse dicendum sit: verum morbo tandem elapsus, neque cetera, quibus post baptismum secundum Ecclesiæ canonem imbui oportuerat, acquisiuit, neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutiquam potitus, quomodo, quæso, Spiritum sanctum adeptus est?] Clemens etiam Alexandrinus [c], agens de illo adolescente, qui a Ioanne Euangelista ad Christum conuersus est, hæc in eamdem sententiam: Ad extremum baptismi sacramento illuminauit: postea vero vbi sigillo Domini (*id est, sacramento Confirmationis*) tamquam perfecta tutaq. animi eius custodia, obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit.] Hac eadem voce vtitur quoque Ambrosius [d].

[a] *Cyprian. epist. 73.*

[b] *Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 35.*

[c] *Apud Euseb. hist. lib. 3. c. 23.*

[d] *Ambros. de sacram. lib. 3. c. 2.*

XV. SACRAMENTVM CHRISMATIS VNDE DICTVM.

Adhuc insuper, quoniam non manus impositione tantum, ac signaculo Crucis, sed & sacra vnctione eiusmodi sacramentum consummari solitum fuit: merito a nonnullis vsitatiori vocabulo Sacrum chrisma nuncupari consueuit. Tertullianus horum omnium sacrorum rituum testis fidelis habetur, qui ait [e]: Caro abluitur, vt anima emaculetur: caro vngitur, vt anima consecretur: caro signatur, vt anima muniatur: caro manus impositione obumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.] hæc ille. S. Cyprianus [f] itidem ait: Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus est, vt accepto chrismate, hoc est, vnctione, esse vnctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari sanctificatur.] hæc ille, qui & alibi [g] de eodem sacro chrismate agit vberius. De hoc quoque chrismate in ecclesia seruari solito, hæc Optatus [h], cum nefaria scelera Donatistarum recenset: Ampullam quoque chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt: et cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus angelica, quæ ampullam spirituali subuectione deduceret: proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.]

[e] *Tertull. lib. de resur. carnis.*

[f] *Cyprian. epist. 70.*

[g] *Idem de operibus card. & de vnct. christ.*

[h] *Optat. contr. Parm. lib. 2.*

Sed & S. Augustinus [i] eadem sæpe vtitur voce. Et eodem modo Prudentius in hymno nocturno, cum ait: XVI.

[i] *Aug. contra litt. Petil. lib. 2. c. 140.*

Cultor Dei memento
Te fontis & lauacri
Rorem subisse sanctum,
Et chrismate innouatum.]

Et in Psychomachia his versibus:

Quis furor insanas agitat caligine mentes?] et paulo post:
Vt mitra cæsariem cohibens aurata virilem,
Combibat infusum croceo religamine nardum,
Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & chrisma perenne.]

Idem in Apotheosi ex persona sacerdotis Iuliani Apostatæ in hunc modum:

HOSTES ID PATERI COMPVLSI

—— Lotus procul absit & vnctus,
Dixit.] et paulo post de Iuliano:
Ipse quoque exanimis posito diademate Princeps
Pallet, & astantes circumspicit: ecquis alumnus
Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
Qui Zoroastræos turbaret fronte susurros.]

hæc ille eam ob causam, quòd Christianus in fronte signatus chrismate, adeo diabolo esset horrori, vt inde abire cogeretur. Idemq. [k] contra Symmachum de populo Romano:

[k] *Prud. in Sym. lib. 2. de pop. Romano.*

Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali chrismate signum.]

Rursum vero Cyrillus [l] Hierosolymorum Episcopus de eodem sacro chrismate orationem habuit, vbi hæc inter alia reperiuntur: Et nobis, postquam similiter ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est chrisma, quod imaginem gerit eius qui vnctus est Christus.] et post alia multa: Sanctum hoc vnguentum, non amplius est vnguentum XVII.

[l] *Cyrill. catech. mystag. 3.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

SACRAMENTI VIRTVS.

nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquam iam consecratum est; sed est chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti per ipsius diuinitatem, energiam habet, quo frons & alij sensus corporis tui symbolice inunguntur: et corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima vero sancto viuificoq. Spiritu sanctificatur.] Multo plura his adderemus ex Dionysio, Clemente, exq. decretis Romanorum Pontificum, ac sacris Conciliorum canonibus; nisi hæc satis esse videremus ad antiquas sacrarum rerum traditiones ex instituto insinuandas. Denique si quis hac in re, quod ad vnctionem spectat, auctoritatem Apostolicam quærat; quid in idem argumentum S. [a] Augustinus dixerit, audiat: Quod, inquit, vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.] Sic igitur tam in Orientali quàm in Occidentali Ecclesia longe lateq. vbique Christianarum gentium eam semper viguisse consuetudinem, tum horum, tum etiam aliorum sanctorum Patrum testimonio confirmatur.

a Aug. de bapt. cõtra Donatist. lib. 4. c. 24.

XVIII. Inter omnia hæreticorum antiquorum examina, solos notatos [b] inuenimus Nouatianos, qui baptizatos non inungerẽt sacro chrismate; ea certe ex causa, quòd (vt nuper vidimus) eorum auctor Nouatianus a Cornelio Papa notatus est, quòd in lecto baptizatus, necdum eiusmodi sacramentum ab Episcopo consecutus, voluerit fieri Episcopus, cum nondum Spiritum sanctũ accepisset. Ceteros autem scimus eadem charismata Ecclesiæ esse æmulatos: vt inter alios de Valentinianis, licet perditissimis hæreticis, tradit Irenæus [c], quòd opobalsamo vngerent baptizatum. Sed de his qui foris sunt, nihil ad nos, qui hæc non aliunde quàm ex antiqua Apostolica traditione mutuati sumus: vnde sanctus Basilius ad Amphilochium: Benedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, insuperq. ipsum qui baptizatur: Ex quibus scriptis? nonne a tacita & arcana traditione? Ipsam vero olei illitionem quæ doctrina scripta docuit? At ter mergi hominem vnde est? Reliqua item quæ circa baptismum fiunt, renunciare satanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? nonne ex hac non publicata & arcana doctrina, quã in minime curioso ac solicito silentio Patres nostri conseruarunt? recte illi, vtpote docti mysteriorum reuerentiam ac auctoritatem silentio custodire.] et post nonnulla in eamdem sententiam dicta, hæc addit: Ad eumdem modum etiam hi qui ab initio res Ecclesiasticas sanxerunt Apostoli & Patres in occulto ac silentio mysterijs auctoritatem conseruarunt. Neque enim omnino mysterium est, quod ad populares ac vulgares aures effertur: hæc est ratio cur aliqua tradita sunt citra scriptum, vt ne dogmatum cognitio negligeretur & in contemptum veniret apud vulgus propter consuetudinem.] hæc Basilius [d].

b Theodoret. haret. fabul. lib. 3. de Nouato.

c Iren. lib. 1. c. 28.

APOSTOLICA DE HIS TRADITIO.

d Basil. lib. 1. de Spiritu sancto.

XIX. Conferri autem eo mysterio Spiritum sanctum (etsi non eadem charismata, nempe linguarum, infundantur hodie in Ecclesia, æque ac tempore Apostolorum) S. Augustinus [e] docet his verbis: Spiritus autem sanctus quòd in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur, nimirũ hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] et inferius: Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositionem modo datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt ij, quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possint dicere: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.] hæc Augustinus. Sed dicere non prætermittimus, aliud ab hoc distinctum esse ministerium sacræ vnctionis, qua presbyteri recenter baptizatos vngunt in vertice; cuius meminerunt Ambrosius [f], Innocentius [g], & alij complures. His autem, quantum pertinet ad impositionem manuum, visis, cetera quæ sunt eiusdem historiæ prosequamur.

e Aug. de bapt. cõtra Donatist. lib. 3. c. 16.

DONA SPIRITVS EADEM ABSQVE MIRACVLIS.

f Ambros. de sacr. lib. 1. cap. 2. lib. 2. c. 7. lib. 3. c. 1. & de his qui initiantur. cap. 6.

g Innocen. ad Decent. c. 3.

XX. Cum vidisset Simon [h] quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto. cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: et roga Deum, si forte

h Act. 8.

DE SIMONE MAGO.

si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse. Respondens autem Simon, dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.] hæc de Simone Lucas. Sed quid præterea de eodem Simone mago veteres scripserint, adducamus in mediũ. Iustinus [a] martyr eius gentilis (nam & ipse Samarita fuit) natum ipsum dicit in prouinciæ Samariæ vico, cui Gitton nomen est: testatur id ipsum Epiphanius [b]. Hic igitur tantũ abfuit, vt vsus consilio Petri, de perpetrato scelere ageret pœnitentiam; vt etiam, cum inde recessissent Apostoli, contra eos obniti, eorumq. aduersari doctrinæ non dubitarit: et qui olim dementarat Samaritas, dicens se esse magnam Dei virtutem; Iudæos etiam ijsdem artibus aggressus, quos videbat esse infensos Apostolis, ea vsus occasione, se esse Dei Filium, illis suadere conatus est: scribit hæc de eo Irenæus [c] his verbis: Hic, inquit, a multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Iudæos quidem, quasi Filius apparuerit; in Samaria autẽ, quasi Pater descenderit; in reliquis vero gentibus, quasi Spiritus sanctus aduentauerit. Esse autem se sublimissimam virtutem, hoc est, eum qui sit super omnia Pater, & sustinere vocari se quodcumque eum vocant homines. Hic Selenem * quamdam, quam ipse a Tyro ciuitate Phœnices quæstuariam cum redemisset, secum circumducebat, dicens hanc esse primam mentis eius conceptionem, matrem omnium, per quam initio mente concepit Angelos facere & Archangelos. Hanc enim Ennoiam exilientem ex eo, cognoscentem quæ vult pater eius, digredi ad inferiora, & generare Angelos & Potestates, a quibus & mundũ hunc factũ dixit: posteaquam autem genera[ui]t eos, hæc detenta est ab ipsis propter inuidiam, quoniam nollent progenies alterius cuiusdam putari esse. Ipsum enim se in totum ignoratum ab ipsis: Ennoiam autem eius detentam ab ijs quæ ab ea emissæ essent Potestates & Angeli; & omnem contumeliã ab ijs passam, vti non recurreret sursum ab suũ patrem; vsque adeo vt in corpore humano includeretur, & per sæcula veluti de vase in vas transmigraret in altera muliebria corpora.

a Iustin. orat. ad Anton. Pium.

b Epiphan. hæresi 21.

c Iren. lib. 1. c. 20.

** alias* Helenam.

XXI. Fuisse autem eam & in illa Helena, propter quam Troianum contractum est bellum: quapropter & Stesichorum per carmina maledicentem eam, orbatum oculis; post deinde pœnitentem, & scribentem eas quæ vocantur palinodias, & in quibus hymnizauit eam, rursum vidisse. Transmigrantem autem eam de corpore in corpus ex eo vt semper contumeliã sustinentem, in nouissimis etiã in fornice prostituisse: et hanc esse perditam ouem; quapropter & ipsum venisse, vti eam assumeret primam, & liberaret eam a vinculis, hominibus autem salutem præstaret per suam agnitionem. Cum enim male moderarentur Angeli mundum, quoniam vnusquisque eorum concupisceret principatum; ad emendationem venisse rerum, & descendisse eum transfiguratum & assimilatum Virtutibus & Potestatibus & Angelis; vt & in hominibus homo appareret ipse, cũ non esset homo; & passum autem in Iudæa putatum, cum non esset passus. Prophetas autem a mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias: quapropter nec vlterius curarent eos hi qui in eum & Selenem eius spem habeant, & vt liberos agere quæ velint: secundũ enim ipsius gratiã saluari homines, sed non secundũ operas iustas. Non enim esse naturaliter operationes iustas, sed ex accidenti: quemadmodum posuerunt qui mundum fecerunt Angeli, per huiusmodi præcepta in seruitutem deducentes homines. Quapropter & solui mundum, & liberari eos qui sunt eius, ab imperio eorum qui mundum fecerunt, repromisit. Igitur horum mystici sacerdotes libidinose quidem viuunt, magias autem perficiunt, quemadmodum potest vnusquisque ipsorũ: exorcismis & incantationibus vtuntur: amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcũque sunt alia parerga, apud eos studio exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Iouis, & Selenæ in figuram Mineruæ, & has adorant: habent quoque & vocabula a principe impijssimæ sententiæ Simone dicti Simoniani; a quibus falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest dicere.] hucusque de Simone Irenæus.

DE SIMONIS HELENA.

XXII. Idem S. Irenæus mox ad eius discipulos stylum conuertit, Menandrũ videlicet, Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cherinthũ, Ebionem, Nicolaũ, Cerdonem, & Marcionem: non ita quidem vt hi omnes eadem vixerint ætate cũ Simone, sed quòd ab eo doctrinam accepissent. Et licet quædã addendo, vel mutando, nouarum hæresum extitisse

DISCIPVLI SIMONIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

videri possent auctores: Etenim (idem inquit Irenæus [a]) Simonis Samaritani magi discipuli & successores sunt: quamuis non confiteantur nomen magistri, attamen illius sententiam docent; Christi quidem nomen tamquam irritamentum præseferentes, Simonis autem impietatē varie introducentes.] Addit his Theodoretus [b] Dositheanos, Cleobanos, Gorthenos, Masbothæos, Hadrianistas, Entychitas, Canistas, & alia portenta potius quàm nomina. Hinc S. Ignatius scribens ad Trallianos, iure appellat Simonem primogenitum satanæ, dum ait: Fugite malas soboles diaboli, Simonem dico primogenitum sobolis eius, & Menandrum, & Basilidem, & totam illam ipsius malitiæ colluuiem.] Eosdē Simonis sectatores a nefandis suis operibus dictos fuisse Entychitas, auctor est Clemens [c] Alexandrinus: tradit enim Epiphanius, eosdem execranda sacrificia ex mulierū menstruo & virorū semine admiscere consueuisse. Scribit adhuc de Simone Origenes [d], ipsum suos docuisse vitare martyriū, & indiscrete idola adorare. Libros etiam ab eo editos, Contradictorios appellatos, aduersus Christi fidē, testatur Dionysius [e]. Cetera aurem, quæ tū ad Simonem, tum etiā ad eius discipulos spectant, suo loco inferius dicemus: hæc modo quæ ad praua dogmata facere videbātur.

a Iren. lib. 1. c. 20.

b Theod. lib. hæret. fab. in Simone.

c Clem. lib. 7. Strom.

d Orig. contra Celsum lib. 6.

e Dionys. de diuin. nom. cap. 6.

XXIII.

Quoniam hæc est (inquit Epiphanius [f]) prima hæresis quæ post Christum initium accepit, & in nomine Christi non recte neque facili ductu, sed iuxta adulteratam apud ipsos corruptionem præstigijs multos seduxit.] videas ex his antiqui hostis nequitiam & fraudulentum dolum iterum repetitum: quippe qui non in cælo tantum Dei æmulatus est gloriam, sed & in terra diuinos sibi assumere honores studuit. Etenim cum iam virtute Crucis, idola, in quibus coleretur, demolienda prænosceret, suasq. vires summopere debilitatas & eneruatas, quòd sæpius a corporibus obsessis pelleretur, sentiret: noua molitur consilia, nouasq. artes aggreditur. Tantæ igitur Christi gloriæ inuidus, cum videret florentem Ecclesiam felicissime surgere, aliam huic similē quoque conflare statuit: et ne quid minus haberet synagoga satanæ ab Ecclesia Christi; omnia quæ in ea posita esse videret insignia, in suam quoquo modo transferre conatus, etiam & illa sua esse mentitus est. Cum enim in Christi nomine signa adeo miranda fieri, illudq. celebre longe lateq. reddi, & magis ac magis illustrari, atque in nomine sanctissimæ Trinitatis Patris & Filij & Spiritus sancti initiari credentes, sicq. Ecclesiam coalescere, ac insigniter propagari videret: tum ipse, Simonem fuisse Christum, Dei virtutem magnam, eumdemq. ipsum pro diuersarum gentium ratione Patrem esse, eumdemq. Filium, & Spiritum sanctum, impudenter ac falso iactitare cœpit. Et sicut Christi fuit redimere atque saluare quod perierat: ita ipsum ouis perditæ saluatorem, & mundi redemptorem atque curatorem esse confinxit. Et quemadmodum ad hoc etiam Christus venerat, vt dissolueret (quod Ioannes [g] Apostolus ait) opera diaboli: eodem modo illum aduersus prauos angelos, qui Selenem matrē omnium cælo expulissent, bellum acturum in hunc mundum veniisse, fallaciter simulauit. Et ne quid deesse videretur; pro miraculorum virtute magiam, & loco corporis & sanguinis Christi sacrificij, ipse ex sanguine & semine, quo cuiusque corpus efficitur, execranda mysteria turpiter coagmentauit.

f Epiph. hæresi 21.

AEMVLATIO DIABOLI.

g 1. Ioan. 3.

XXIIII.

Ac denique quòd super Simonem Petrum a Christo (vt dictum est) Ecclesiam ædificatam vidisset ac firmiter stabilitam: idem humani generis hostis ipse suo noluit caruisse Simone, super quem impietatis omnis fundamenta iacta consurgerent. Hic enim hæreticorum omnium princeps & auctor habetur, ex quo sunt ceteræ hæreses propagatæ: Nam & eiusmodi patriarcha gloriari etiā possunt Nouatores, quem ipsorum suorum dogmatum cognoscant auctorem. Simonis quippe prima vox fuit: Per gratiam tantum saluari homines, & non secundum opera iusta: et liberos esse sibi credentes, vt quæ velint, possent agere] prout modo recitauimus ex Irenæo. Sed quid valeat fictio atque mendacium aduersus certam, veram, ac Dei verbo declaratam solidam veritatem, quid in Christum diabolus, synagoga satanæ in Ecclesiam, quid denique Simon magus in Simonem Petrum, iam experimento mutui vtriusque congressus perspectum est. Sed & ex perpetuitate discere satis vales, quodnam fuerit Dei consilium atque opus. Etenim licet multis palmitibus crescere cœperit Simonis hæresis; tamen tamquam adulterinæ plantæ haud sunt diutius vel longius propagatæ: nam testatur Origenes [h], ex Dositheanis, qui ceteris Simonianis præstabant numero, suo tempore vix ad triginta fuisse reliquos.

ALIVM SIBI SIMONEM QVAESIVIT DIABOLVS.

h Contra Celsum lib. 6.

Sed

Sed quod ad Simonem pertinet: non possum hic non mirari magnopere diuinum consilium, quo sic præ ceteris Apostolis Petrum Apostolorum Principem missum esse Samariam certum est, vt primum omnium hæresiarcham ipso ortus sui principio condemnaret: sicq. Petri partes esse ostenderetur (vt præcipui veritatis custodis) aduersus Catholicam fidem insurgentes hæreticos, eorumq. hæreses Apostolica auctoritate damnare. Relinquens exemplo doctrinam Dominus consignatam, quam Catholica recepit, atque continuo vsu & obseruantia probauit Ecclesia: nimirum sicut Petri id fuit ministerij, ita & Petri successorum esse emergentes cognoscere hæreses, easdemq. cum ipsarum auctoribus condemnare. Sed de his sæpe inferius.

XXV. PETRI ET SVCCESSORVM EIVS MVNVS.

Quod vero ad Samaritanos spectat: saltem eorum aliquam partem post discessionem Apostolorum ab eodem Simone fuisse seductam, ex his quæ scribit [a] Iustinus martyr, & ipse genere Samaritanus, satis liquet: quippe quem ad illos compescendos imploraſſe constat auxilium Cæsaris: quod idem ipse testatur, his verbis Tryphonem Iudæum alloquens: Atque ista, inquam, quòd nihil omnino, præterquàm vt vera loquar curem, dico, neminem porsus veritus, quantumuis eueſtigio in partes a vobis discerpar: neque enim curam aut rationem aliquam popularium etiam meorum, Samaritanorum dico, habui, scripto Cæsarem compellans: cum imposturis seduci eos affirmarem, qui Simoni gentis suæ mago parerent, quem Deum esse supra principatum & potestatem & virtutem omnem dicunt.] Haud quidem puto alium a Simone mago impostorem fuisse illum, quem Samaritanos seducentem Pilatus immisso equitatu disiecit vna cum suis. huius rei gestæ seriem Iosephus [b] his verbis describit: Interea ne Samaritani quidem tumultu caruere. Concitauit enim eos impostor quidam, pro nihilo ducens mendacium, & omnia comminiscens ad populi gratiam; iubens vt conuenirent in montem Garizim apud eam gentem sanctissimum, asseuerans se illic eis ostensurum sacra vasa refossa, quæ ibi Moyses deposuerit. Illi creduli, sumptis armis, Tirathebam vicum insederunt, expectantes ibidem confluentes ceteros, vt magno agmine montem ascenderent. Sed Pilatus prior montis cliuum occupat equitibus suis & peditibus: qui prœlio congressi cum Samaritis apud vicum collectis, alios fuderunt, alios in fugam compulerunt, multos etiam viuos captos abduxerunt, quorum præcipuos ac potentiores Pilatus mulctauit capite.] hæc Iosephus: quæ tamen non hoc anno, sed paulo ante Pilati discessionem a magistratu contigisse, eiusdem auctoris testimonio declaratur.

XXVI.

a Iust. de verit. Christ. relig. SAMARITAE ADHAESERVNT SIMONI.

b Ioseph. antiq. lib. 18. c. 5.

Petrus [c] igitur & Ioannes, cum ea quæ dicta sunt, in Samaria operati essent; Hierosolymam reuersuri, peragrantes Samariæ regiones, ijs qui in eis agebant, populis Euangelium prædicauerunt, ac demum se Hierosolymam receperunt. Philippus vero diaconus cum remansisset (Hierosolymam enim illi adire, minus, vt dictum est, liberum erat) ab Angelo admonitus, ire iubetur in occursum Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum, viri potentissimi: quippe qui omnibus illius diuitijs præfectus erat. Venerat hic Hierosolymam religionis ergo; ac rediens, dum in curru, cui insidebat, legeret Isaiam Prophetam, accurrens illi Philippus, cum tam idonea sese offerret occasio, ea arrepta, illi Christum annunciauit, ac demum credentem sacro baptismate imbuit: Cum mox diuinus Spiritus ab oculis eius Philippum rapiens, admirabili quodam modo transtulit in Azotum. Hæc vero prolixius atque exactius S. Lucas scriptis suis perpetuæ memoriæ commendauit. Eusebius [d] in eadem recensenda historia, mea sententia, perspicue errasse videtur, dum hunc fuisse Gentilem, ac primum ex Gentibus baptizatum tradit: nam (vt ex eiusdem Lucæ Actis apparet) nondum Gentibus ad Christi Ecclesiam erat aditus reseratus, qui primo omnium patuit Cornelio Centurioni, vt suo loco dicemus inferius. Porro hunc fuisse proselytum ex Gentibus ad Iudæorum religionem adductum, ceteri omnes Ecclesiastici scriptores æque consentiunt: ad Paschalem [e] enim celebritatem, ad quam Hebræi omnes conuenire soliti essent, Hierosolymam idem se contulisse putatur. Ceterum Æthiopas antiquitus circumcisionem ab Ægyptijs didicisse (sic Iudæos, quòd in Ægypto habitassent, appellans) testatur Herodotus, quem & Iosephus [f] Iudæus citat. Quod enim ad Æthiopum religionem spectat: auctor est Strabo [g], eos primum colere Deum immortalem, qui omnium rerum causa sit; ac rursum alterum mortalem, qui nomine careat, nec sit cognitu facilis: vt ex his appareat eos cum Iudæis eadem pene sensisse, & a Christianis non adeo

XXVII. DE EVNVCHO REGINAE CANDACIS.

c Act. 8.

d Euseb. lib. 2. c. 1. in fin.

e Chrysost. in Act. hom. 19.

f Ioseph. antiq. lib. 8. c. 4.

g Strab. lib. 17.

discre-

Universidad de Deusto
Biblioteca

discrepasse. vnde libenter imbibit Eunuchus de Christo Deo pariter & homine olim A
mortali doctrinam, quam etiam tum euidenti Isaiæ Prophetæ testimonio in eius animum Philippus diaconus instillauit. Eodem constat auctore, ad sua quoque tempora feminas in Æthiopia regnare consueuisse, easdemq. esse Candaces appellatas; quæ vero sua ætate viueret, virilem sane fuisse mulierem, altero tamen oculo captam.

XXVIII. EVNVCHVS PRAEDICAT EVANGELIVM AETHIOPIBVS.

Ceterum quod ad Eunuchum iam a Philippo baptizatum spectat: postquam rediit in Æthiopiam, Christum palam illis prædicasse, Irenæus[a] testatur his verbis: Ipse Eunuchus credens, & statim postulans baptizari, dicebat: Credo Filium Dei esse Iesum. Qui & missus est in regiones Æthiopiæ, prædicaturus hoc quod ipse crediderat: Deum quidem vnum per Prophetas prædicatum; huius vero Filium seciſſe, secundum hominem, aduentum, & vt ouem ad victimam ductum, & reliqua quæcumque de eo Prophetæ dicunt.] Itemq. in eius persona impletum esse quod olim cecinerat Dauid[b]: B
Æthiopia præueniet manus eius Deo.] Eusebius[c] id in primis testatur, atque Cyrillus Hierosolymitanus[d], sicut & Hieronymus[e], cum ait: Hoc testimonium Isaiæ, cum in Actis Apostolorum Reginæ Candacis Eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione & nomine Saluatoris, intellexit; & statim baptizatus in Agni sanguine, quem legebat, vir meruit appellari, & Apostolus genti Æthiopum missus est.] et alibi admirans ait[f]: Nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior: qui de Æthiopia, id est, de extremis mundi finibus venit in templum: reliquerat aulam regiam, & tantus amator legis diuinæq. scientiæ fuit, vt etiam in vehiculo sacras litteras legeret: et tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volueret, labijs personaret; ignorabat eum quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, & ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in lit- C
tera. O mira doctoris virtus! Eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & sanctus factus est, ac de discipulo magister: plus in deserto fonte Ecclesiæ, quàm in aurato synagogæ templo, reperit.] hucusque Hieronymus: qui & de fontis situ, vbi iste Eunuchus est baptizatus, hæc ait[g]: Bethsur in tribu Iuda, siue Beniamin, & est hodie Bethsoron vicus, euntibus nobis ab Ælia Chebron, in vigesimo lapide; iuxta quem fons ad radicem montis ebulliens, ab eadem in qua gignitur, sorbetur humo. et Apostolorum Acta referunt, Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum a Philippo.] De eodem quoque Nicephorus[h] agit. Addam his, quæ de eodem Eunucho a Dorotheo[i] scriptis mandata sunt: ait enim: Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum in Arabia Felici, & in insula Taprobana, inq. vniuersa Erythra Euangelium Domini nostri Iesu Christi prædicauit. Ferunt & martyrium glorioſe tulisse, ibiq. sepultum D
esse. Et cœmiterium ipsius, munimentum insuperabile est Fidelibus, barbaros scelestos fugans, morbos pellens, & sanationes operans vsque ad præsentem diem.] hæc ille.

a Irenaus lib. 3. cap. 12.
b Psal. 67.
c Euseb. lib. 2. c. 1. in fine.
d Cyrill. cateches. 13.
e Hieronym. in Isa. c. 53.
f Hieron. epist. 103.
g Hier. de locis Hebr.
h Niceph. hist. lib. 2. c. 6. 7.
i Doroth. in Synops.

XXIX. QVANTA PASSI ROMANI OB CONTEMPTVM VERI NVMINIS.

Quod vero ad res Romanas pertinet (vt eas saltem leuiter attingamus) hoc item anno, ijsdem Consulibus[k], Tiberij crudelitas in Senatores adeo progressa est, vt iam qui magistratum gererent, magno labore reperirentur. putat Orosius[l] in vltionem contempti Christi numinis hæc illis obuenisse: quòd scilicet (vt iam dictum est superius) agente ex relatione Pilati Tiberio, vt inter deos Christus recenseretur, Senatus rogationi illius restitisset. De Senatorum atque aliorum nece hoc anno iussu Tiberij perpetrata, hæc Tacitus: Iacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas, illustres, ignobiles, dispersi, aut aggregati. neque propinquis, neque amicis adsistere, illacrymare, nec visere quidem diutius dabatur. Sed circumiecti custodes, & in mærorem cuiusque E
intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: vbi fluitantia, aut ripis appulsa, non cremare quispiam, non contingere. Interciderat sortis humanæ commercium vi metus: quantumq. sæuitia glisceret, miseratio arcebatur.] hæc Tacitus. Dio[m] vero hæc addit: Tantus sub Tiberio Senatorum (ne reliquos dicam) numerus perijt, vt sorte ducti prouinciarum Præfecti, Prætorij quidem per triennium, Consulares per sexennium præfuerint, cum non supputerent successores.] eadem & Suetonius[n]. Porro hoc ipso anno idem Tiberius in Imperium euexit Caium Caligulam nepotem suum, eo nimirum consilio (vt ferebatur) quòd sciret Caium pessime victurum; sicq. sua facinora Caij grauioribus flagitijs occultarentur, ac reliqua pars Senatus post mortem suam interficeretur: hæc idem sub prædictis Coss. recitat Dio[o]. Atque hactenus de his, quæ hoc anno facta cognoscuntur: sequentem iam aggrediamur.

k Tacit. Annal. lib. 6.
l Oros. lib. 7. c. 4.
m Dio lib. 58.
n Suet. in Tib. cap. 61.
o Dio lib. 58.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 36. TIBERII IMP. ANNVS 20.

ANno Domini trigesimosexto, Paulo Fabio Persico & L. Vitellio Nepote Coss. I.
octauo Kal. Februarij, Saulus cum aduersus Christianos, qui erant Damasci, litteras accepisset, & iam ad locum appropinquasset, cælitus luce perfusus, & Christi voce perculsus, atque prostratus, a cœpto desistens, ad Christum conuertitur. Rei gestæ seriem Lucas[a] in Actis, & ipse Paulus[b] suam causam agens, diligenti studio est iterum *a Act. 9.*
prosecutus. Hæc autem facta esse hoc ipso anno, nempe secundo ab ascensione Domi- *b Act. 22. 26.*
B ni, Romana[c] Ecclesia profitetur. Non enim illis assentimur, qui eodem anno quo la- *c Mar. Rom. 25. Ianuar. DE CONVERSIONE PAVLI.*
pidatus est Stephanus, tradunt Paulum ad Christum conuersum: neque in illorum
imus sententiam, qui id factum dixerunt anno septimo a Domini passione; quorum
opinionem refellimus, cum actum est de martyrij Stephani tempore: vbi etiam cum perspicue ostenderimus, non Augusti mense (vt aliqui existimarunt) sed vigesimasexta Decembris Stephanum consummasse martyrium; nulla prorsus ratio persuadet, vt nonnisi post dies qui medij sunt a nece Stephani, vsque ad conuersionem Pauli, id acciderit: quandoquidem multa interim facta esse noscuntur, quæ tam breui temporis spatio minime arctari possunt: nimirum persecutio excitata aduersus discipulos, rursus Sauli studia in illis perquirendis qui essent domesticis latebris occulti, Ananiæ in Damascum profectio, illicq. ab eo edita Euangelij prædicatio, Ecclesiæ collectio ac pro-
C pagatio: qui huius rei fama etiam Hierosolymis diuulgata mouerit summum Pontificem, vt ad Christianos ibi agentes exturbandos, Saulum, iam satis sua sponte ad id incitatum, mitteret. His si addas quæ ante Pauli conuersionem facta recensent Lucas, nimirum prædicationem Philippi Samariæ, Petri & Ioannis illuc accessum, ac deinceps reditum Hierosolymã, denique Candacis Eunuchi baptismum: certe longiori opus fuisse temporis spatio ad ea omnia, quæ dicta sunt, perficienda, nemo prudens negare posse videtur: ea enim, antequam Paulus acciperet epistolam iturus Damascum, facta esse, Lucas plus satis declarasse visus est: quippe qui cum enarrasset quæ a Saulo aduersus discipulos gesta sunt Hierosolymis, cum nihil esset quod impediret, quo minus cetera quæ ab eodem sunt facta, persequeretur; ne nimis remota tempore postea simul iungeret, functus optimi historici munere, earum rerum quæ prius contigissent, histo-
D riam (temporis accurata habita ratione) contexuit. Hæc si quis attentiori animo velit disquirere; his quæ dicta sunt de Pauli conuersionis tempore, æque consentiet. Huic
sententiæ de conuersione Pauli facta anno secundo, adstipulatur etiam[d] Oecumenius. *d Oecum. in Act. Apost. cap. vlt.*

Sed huic statutæ a nobis sententiæ, post primã editionem, auctoritate Ioannis Chry- II.
sostomi, aduersati sunt præstantissimi pietate atque doctrina Academici Herbipolen- OBIECTIO DE TEMPORE CONVERSIONIS PAVLI.
ses, intercurrentibus inter nos de eiusmodi quæstione familiaribus litteris: cum affir-
ment ipsi, anno superiori, Galba & Sylla Coss. Paulum ad Christum esse conuersum.
Vrgebat ex illis meus Nicolaus Serarius (quem ob egregiam eruditionem, & validum ab eo susceptum patrocinium Catholicæ fidei, plurimi facio) testificatione Chrysostomi in homilia de Principibus Apostolorum Petri & Pauli ita dicentis de ipso Paulo: ἐκάστοτε πάντε ἐδουλεύσατε τῷ κυρίῳ μὲτ πάσης προθυμίας] quæ verba longe aliter quàm
E Vossius, ita vertit: Trigintaquinque seruiuit Domino cum promptitudine animi.]
Videat ipse Vossius, qui aliter sic reddidit: Trigintaquinque viros summa ad seruiendum alacritate Domino mancipauit.] Quòd igitur numerandi sint ex sententia Chrysostomi trigintaquinque anni a conuersione Pauli vsque ad obitum, quem contigisse constat anno Domini sexagesimonono: plane ante præsentem annum ipsum ad Christum conuersum esse, necessario affirmandum esse videbatur. Sed dico oportere ex eius quidem sententia, numerum illum trigintaquinque annorum, quem ipse vult expletum, non ab anno superiori, sed ab eo qui ipsum præcedit, deducere, vt anno obitus eiusdem Pauli congrueret: quod quidem absurdissimum esset, ante Christi mortem numerare annos Pauli conuersionis.

Nec est quod iure quis dicere possit, trigintaquinque illos annos non expletos esse III.
intelligendos, sed nouissimum eorum inchoatum per menses quinque & dies qua-

tuor:

Universidad de Deusto
Biblioteca

DILVTIO OBIECTORVM.

tuor : nam ne sic quidem satis intercedit temporis ad numerum illum annorum explendum . Ceterũ nec est quòd quis sententiam illam Chrysostomi de trigintaquinque annis inuiolabili fide seruandam esse existimet : siquidẽ idem ipse Chrysostomus alibi vix triginta annorum spatia eidem Paulo a conuersionis tempore vsque ad obitum tribuit : accipe, rogo, quæ ipse dicat homilia quarta de laudibus Pauli hisce verbis : Vix triginta annorum spatio & Romanos, & Persas , & Parthos, & Medos , & Indos, & Scythas , & Sauromatas, & Sarracenos, & omne prorsus humanũ genus sub iugũ mitteret veritatis, &c.] quibus cum eũ videas non esse sibi constantem ; nihil est quod quis figere pedes, aut inniti valeat dictæ Ioannis Chrysostomi de tempore conuersionis Pauli assertæ sententiæ. Quam obrem concedendum Ecclesiasticæ antiquitati, veteriq. assentiendum traditioni , publicis tabulis consignatæ , annis singulis in ecclesijs singulis publico præconio indici solitæ ; nimirũ contigisse conuersionem Pauli anno secundo a Domini ascensione . Sed qui refragantur , & anno superiori eam volunt esse peractam , sic numerant annos duos ab ascensione Domini , vt primum annum vltima Decembris die terminent , secundum vero a Kalendis Ianuarij inchoent, absoluantq. ipsum vigesimaquinta eiusdem mensis , qua memoria eiusdem conuersionis agitur ; sicq. totum spatium temporis duorum annorum, periodo dumtaxat octo mensium & dierum viginti claudant. At meminisse oportet, longe ante Dionysium Exiguum , qui (vt Cassiodorus testatur) primus extitit auctor eo modo numerandi annos Domini, scripta & lecta esse in Ecclesia Martyrologia : quibus cum definiatur, anno secundo ab ascensione Domini Paulum esse conuersum , vtique affirmandum est annum integrum intercurrisse , sequentis vero menses octo diesq. viginti euolutos esse . His satisfactum sit nostris fratribus Herbipolensibus, quorum luculentam ipsam ac maxime piam eruditamq. lucubrationem aduersus oblatrantes Nouatores ac nugatores de duodecim Apostolis nuper editam (vt par est) laudabimus semper. Iam vero nostra prosequamur.

IIII. Quod ad Pauli conuersionis & rei gestæ historiam pertinet: illud quidem vehementer admiror , qualis quantave etiam apud hostes fuerit Iudaicæ religionis obseruantia. Cum enim inimicitiæ , odia , atque bella conflata essent inter Aretam Regem Damasci , atque Herodem ; fueritq. (vt Iosephus [a] est auctor) diutius conflictatum , nec inter eos pax composita esset : nihilominus tantum sibi iuris vendicabat apud exteros, immo & apud hostes summus Pontifex in his quæ ad religionem spectare viderentur , vt non tantum quæ ad decimarum pertinerent collectionem , sed quæ summi esse imperij viderentur , sibi sumens , daret litteras ad synagogas Damasci , vt qui reperti essent Iudæi Christo credentes , vincti Hierosolymam ducerentur . Vtinam tanta saltem , etsi non ampliori (vt par esset) apud Christianos Principes Christiana religio , summumq. omnium regale Christi sacerdotium hodie auctoritate polleret, quanta apud Reges externos , ac denique hostes , cultus Iudaicus habebatur . Infelicia enim nostra tempora , hæc me , inuitum licet & præter morem, exclamare compellunt . Sed iam cetera quæ ad Paulum spectant , cuius gratia a Luca huiusmodi est instituta narratio , ordine prosequamur .

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.

DIGNA CONSIDERATIO.

V. Cum autem Lucas agens de nece Stephani , Saulum appellet adolescentem , hic vero virum nominet: cumq. nonnisi (vt vidimus) anni vnius ac mensis spatium ab eo tempore vsque ad conuersionem eius interceserit: historica veritas persuadet ac postulat , vt accuratius de eius ætate agamus . Quod antequam faciamus, illud in primis monendum putamus: quod habet Latina versio ; Secus pedes adolescentis] loco adolescentis , legi Græce νεανίου : cuius quidem vocis si vis exprimatur , non tam ætate adolescentem, quàm audacem , vehementisq. animi , quiq. magnos sibi sumat spiritus, virum significat , vt notat Budæus, & alij . Admonet quidem S. Augustinus [b] , consulenda esse interdũ Græca exemplaria, vnde aliqua sunt in Latinũ subobscure trãslata, quo certior de diuina Scriptura possit sensus haberi : ac tum præsertim , cum inter legendum in eodem auctore aliqua diuersitas reperitur , vt hic videmus accidere . Audacem plane virum ea voce Lucas ibi significauit , qui hic eumdem spirantem minarum & cædis virum fuisse describit . Quot vero ætatis annos ageret Paulus , cum ad Christum conuersus est hoc anno , dictis Consulibus , peruestigemus .

DE AETATE PAVLI.

[b] Aug. de doct. Chryst. lib. 2. cap. 14. 15.

VI. Scribens ipse Paulus ad Philemonem dum Romæ esset, anno secundo sui carceris (vt suo loco dicetur) se ipsum senem dicit, cum ait: Paulus senex, nunc autem & vinctus

A ctus Iesu Christi .] erat ille annus Neronis Imperij quartus (vt suo loco aperiemus) cum eam scripsit epistolam , ab hoc vero tempore anni vigintiquatuor tantum. qua ratione si dixerimus , Paulum , cum se esse senem ait , fuisse sexagenarium ; numerando eos annos ab ipsius natali vsque ad quartum Neronis annum, quo illam scripsit epistolam ; dicere opus esset , ipsum ad Christum conuersum esse anno suæ ætatis trigesimoquinto . Ceterum de ætate Pauli certiores nos reddit Ioannes Chrysostomus : qui sua homilia quam scripsit de Principibus [a] Apostolorum, vbi agitur de vtriusque martyrio, tradit eumdem capite cæsum quieuisse anno suæ ætatis sexagesimooctauo : qua ratione affirmare opus est (quod diximus) ad Christum esse conuersum annum agentem trigesimumquintum, atque posthac vixisse vsque ad decimumtertium Neronis annum, & Consulatum Capitonis & Rufi (quo cum Petro martyrio triumphasse dicemus) annis

B trigintatribus. Licet enim dicta homilia annos trigintaquinque numerare dicatur Ioannes Chrysostomus a tempore eius conuersionis vsque ad obitũ : at id quidem minime posse consistere , nuper docuimus ; eiusdemq. aliter alibi asserentis auctoritate demonstrauimus haud adeo constantem eam esse Chrysostomi assertionem , vt clauum figere sit necesse: cum in ceteris maxime quidem & ad amussim (vt dicunt) inter se consentiant quæ scribit Chrysostomus, cum his quæ de se tradit Apostolus in epistola ad Philemonem; & cum se dicit senem, fuisse ætatis sexaginta annorum . Ex his itaque satis perspicue colligitur , Paulum natum esse Lentulo & Pisone Coss. anno elapso a natali Domini . atque hæc satis de ætate illius .

DE ANNIS RPARDICATIONIS PAVLI.

[a] Habetur tom. 3. edit. Paris. ab addit.

Hac occasione operæpretium existimamus, de loco in quo natus est, paulo attentius perquirere : cum hactenus ea opinio inualuisse videatur, vt Giscalæ Iudææ oppi-

C do natus sit : idq. auctore S. Hieronymo [b] , omnibus affirmantibus, cum ait: Paulus Apostolus , qui antea Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Beniamin , & oppido Iudææ Giscalis fuit : quo a Romanis capto , cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrauit .] Sed an hæc subsistant, veraq. sint, exacte est disquirendum. Constat quidem fuisse Giscalam [c] oppidum Galilææ, sed munitissimum : quod Titus (vt Iosephus [d] testatur) non sine labore expugnauit. Cum ergo Hieronymus natum Gischalæ Paulum, capto a Romanis oppido illo, cum parentibus migrasse Tarsum dicat : quonam , rogo, tempore accidit, vt Gischala a Romanis caperetur, vt inde Paulus Tarsum migrarit ? Sane quidem Iudæam a Romanis primũ Pompeio duce subactam fuisse constat , Antonio & Cicerone Coss. Olympiade centesima septuagesimanona , anno secundo , vt tradunt Iosephus [e] & Eusebius [f] , ab Vrbe condita (vt habet Dio) sexcente-

D simo nonagesimoprimo , ante annos ab hoc tempore nonagintasex : rursumq. Iudæis rebellantibus sub Nerone, eamdem prouinciam a Vespasiano ac Tito esse perdomitam. Cũ ergo neutrũ tempus minori ætati Pauli possit aptari, hæc manifesti redarguuntur erroris, & fabulam potius esse conuincitur; quo nomine ipse quidem S. Hieronymus eam appellat, dum in commentario in epistolam Pauli ad Philemonem , ad finem hæc ait: Quis sit Epaphras conceptiuus Pauli, talem fabulam accepimus : Aiunt parentes Apostoli Pauli de Gischali regione fuisse Iudææ ; & eos, cum tota prouincia, Romana vastaretur manu, & dispergerentur in Orbem Iudæi , in Tarsum vrbem Ciliciæ fuisse translatos; parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum .] hæc Hieronymus. Sane quidem commentum id totum, fabulaq. merito dicenda : nam regnante Herode seniore, sub quo Paulus natus esse videtur, Archelao deinde eidem succedente, re-

E gnoq. in tetrarchias diuiso, nullam vel leuem a Romanis Iudææ oppida passa sunt contumeliam : nam subdita illis parebat prouincia in omnibus , & per Romanos magistratus administrabatur : nulla ergo fuga vel dispersio Iudæorum illis temporibus potuit contigisse , qua Paulus adolescentulus Tarsum cum parentibus sit coactus migrare . Si ergo natus est Gischalæ , spontanea profectione potius ipsum cum parentibus suis Tarsum migrasse oportuit .

DE PAVLI PATRIA.

[c] Ioseph. de bell. Iud. lib. 4. c. 4.

[d] Idem eodem.

[e] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 8.

[f] Eusebius in Chron.

DE NATALI SOLO PAVLI.

VII.

Sed nec id quidem admittimus ; quòd eidem Paulo repugnet : nam cui, quæso, magis quàm ipsi Paulo , quo natus sit loco aperte testanti, credendum ? Ipse quidem pro concione hæc est locutus: Ego sum vir Iudæus , natus in Tarso Ciliciæ , nutritus autem in ista ciuitate, secus pedes Gamalielis eruditus , &c.] recitat hæc Lucas [g] in Actis . Quid his clarius dici potuit ? Certe quidem Epiphanius [h] disputans contra Ebionæos , qui Paulum dicebant fuisse origine Græcum , factum vero postea proselytum : eumdem

PAVLVS NON GISCHALAE, SED TARSI NATVS.

[g] Act. 22.

[h] Epiphanius hæresi 30.

natum

Universidad de Deusto
Biblioteca

natum Tarsi, sed ex Iudæis affirmat; de Gischala vero ne verbum quidem: cum alioqui ipse Paulus se non tantum Iudæum ex Iudæis, sed & inter Iudæos, ad conciliandum sibi Iudæorum animos (quod multis argumentis alias fecerat sæpe) glorioſe profeſſus esset. Si igitur parentes Pauli Giſchala Tarsum aliquando migrarunt; id voluntaria factum discessione (vt de multis alijs contigisse Philo testatur, cum tradit totum iam pene Orbem colonijs Iudæorum esse repletum) vel si aliqua belli occasione euenit, id facile accidere potuit sub Antiocho Illustri, vt Epiphanius [a] affirmare videtur. Quòd vero se ciuitate Romana donatum fuisse dicat: opportunius suo loco de ea re inferius agemus. Hæc modo satis de ætate Pauli atque natali solo.

[a] *Epiphanius hæresi 30.*

IX. VISIONIS PAVLI TEMPVS.

Rursus vero quod ad veritatem historiæ pertinet: & illos errasse certũ est, qui dixerunt, Paulum tunc temporis, cum a Christo vocatus, mansit tribus diebus (vt ait Lucas [b]) non videns, nec manducans, nec bibens, raptum fuisse ad tertium cælum, & audiuisse illa arcana verba, quæ essent ineffabilia, vt de se ipsemet testatur, scribens ad Corinthios [c]: nam cũ ipse illa contigisse dicat ante annos quatuordecim a tempore quo illã scribebat epistolam; sane quidem non hoc quo conuersus est anno, sed post octennium ea facta esse, affirmare necesse est: nam ab hoc anno, vsque ad tempus illius epistolæ, annos viginti duos intercurrisse, suo loco inferius aperte demonstrabimus.

[b] *Act. 9.*

[c] *2. Cor. 11.*

X. DE PAVLI NOMINE EX SAVLO.

Fuit Ambrosij [d] sententia, cum Paulus ad Christum conuersus, ab Anania Damasci est baptizatus, ex Saulo fuisse Paulum nominatum: sic enim ait: Vbi pluuia super eum lauacri cælestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur & Saulus: viuificatur Apostolus, viuificatur iustus, viuificatur & Paulus. Vsque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, vt cum moribus mutaret & nomen.] hæc Ambrosius. et Augustinus [e] in eam sententiam: Hinc, inquit, & ipse primo Saulus, postea Paulus, id est, primo superbus, postea humilis: Saul enim dictum est nomen Sauli: nostis quia Rex superbus & infrenis fuit. Non quasi iactantia aliqua sibi nomen mutauit Apostolus, sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus.] hæc & alia plura multis in [f] locis in eadem fere verba eumdemq. sensum de Saulo in Paulum mutato idem scriptis tradidit. Sed & de ea re ceteri Ecclesiastici antiqui scriptores quid senserint, ac demum quæ nobis magis probetur sententia, videamus. S. Hieronymus [g], quando eiusmodi mutationem nominis fieri contigit, & qua ex causa, hæc ait: Audacter itaque faciam, si forte vere, de Actibus Apostolorum suspiciones meas affirmans. Legimus [h] in eis, quòd Spiritus sanctus Antiochiæ dixerit: Separate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq. eis manus, dimiserunt illos. Qui cum Seleuciam Syriæ descendissent, & nauigantes Salaminam Cypri, quæ nunc Constantia dicitur, peruenissent, haberentq. secum in ministerio Ioannem (propter quem postea ædificatorium Ecclesiæ iurgium concitatum est) & omni insula peragrata, Paphum vsque venissent; inuenerunt quemdam magum pseudoprophetam, nomine Bar-Ieu, cum Proconsule Sergio Paulo, viro prudente: qui accitis Barnaba & Saulo, desiderabat Dei sermonem ab eis audire. Resistente itaque mago, & a fide recta Sergium deprauante: Saulus (ait Scriptura) qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus. Confestimq. cecidit super eum caligo & tenebræ; & circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. Et cum a Papho nauigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ. Diligenter attende, quòd hic primũ Pauli nomen inceperit. Vt enim Scipio, subacta Africa, Africani sibi nomen assumpsit; & Metellus, Creta insula subiugata, insigne Cretici suæ familiæ reportauit; & Imperatores nunc vsque Romani Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita & Saulus ad prædicationem Gentiũ missus, a primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo victoriæ suæ trophæa retulit, erexitq. vexillum, vt Paulus diceretur e Saulo. Si vero & interpretationem nominis quæras; Paulus in Hebræo, mirabilem sonat.] hucusque Hieronymus.

[d] *Ambr. ser. 31. edit. Rom.*

[e] *August. tract. 72. super Psal.*

[f] *August. ser. de Apost. Paul. de spirit. & litter. ex eodem apud Bed. in epist. ad Rom. c. 1. & in epist. 1. ad Corinth. cap. 1.*

[g] *Hier. in epist. ad Philem.*

[h] *Act. 13.*

XI. Porro hæc quidem non omnibus probantur, cum a modestia & humilitate Pauli abhorrere videantur: quippe qui cum sæpe contestetur se minimum Apostolorum, nec dignum esse eo nomine, seq. abortiuum, peccantiumq. omnium primum esse affirmet;

affirmet; nulla patitur ratio, vt ex adepta victoria insigne gloriæ nomen sibi more Gentium vendicauerit. Quin potius (si verum esse dixerimus, non antea, sed tunc primum ex Saulo Pauluni nominatum, cum Proconsulem ad veritatem vindicauit) ea inditi nominis causa potius putanda est; vt idem Paulus Proconsul, quòd Romani libertis de se optime meritis, vel aliquibus ex clientibus, vel hospitibus, alijsq. sæpe impartiri familiæ cognomen consueuerunt; Saulo id ipsum cognomen suum, Paulus scilicet, quod etiam Æmiliorum familiæ fuit, quo sibi magis arctiusq. eo vinculo Apostolum deuinciret, indiderit, sicq. Paulum dici voluerit: quod quidẽ cognomen ab habitudine corporis, quòd idem sit Paulus, quod Paruus, olim Æmiliorum quoque adhæsisse familiæ tradunt [a]; ob idq. a Paulo minime respuendum. Ceterum Ioannes [b] Chrysostomus istud ipsum nomen non ab hominibus, sed a Deo inditum esse, vt olim Patriarchis, ac denique Petro, qui dictus est Cephas, Iacobo & Ioanni, qui cognominati sunt Boanerges, existimauit. Sed neque id, statim vt ad Christum conuersus est, fieri voluit, vt ex Sauli nomine qui persecutor fuisset, agnosceretur: sed tunc demum, cum iam ex prædicatione, quisnam esset, probe satisq. cognitus esset. Origenes [c] vero pluribus de his agens, in eam procliuior visus est esse sententiã, vt asserat, sicut multis alijs Iudæorum, vtrumque proprium illi nomen esse impositum; nempe quòd vt Iudæo ex tribu Beniamin, Sauli nomen fuerit inditum; & quia Romanus, Romano nomine, Paulus fuerit appellatus. Qui ergo (vt de se testatur) factus est omnibus omnia, vt omnes lucrifaceret; dum apud Hebræos versatur, Hebraico nomine Saulus maluit appellari; susceptо postea ad Gentiles Apostolatu, Romano nomine vsus, Paulus potius voluit nominari. hæc Origenes pluribus.

[a] *Notat Sigon. de nom. Rom.*

[b] *Chrysost. hom. de conuers. S. Paul. tom. 3.*

[c] *Orig. in præf. epist. ad Rom.*

XII. CVR DENIQVE PAVLVS.

His visis, cuique liberum linquimus, vt quam magis veritati consentientem putarit, sequatur sententiam. Certe quidem cum a tempore congressus cum Sergio Paulo Proconsule Saulus primum Paulus appellatus inueniatur, nec posthac aliquando nomine alio quàm Pauli sit dictus: fateri quodammodo cogimur, tunc illi Pauli nomen fuisse inditum: non ea quidem ratione, quam ex Hieronymo recitauimus: sed quia potius (quod diximus) a Sergio Paulo, amicitiæ gratia, familiæ suæ cognomine fuerit nobilitatus: sicut (ne longe petamus exemplum) Iosephus Iudæus in Iudaico bello [d] captus, liberatus, ac ciuitate donatus a Tito, Flauiæ quoque familiæ cognomine ab eodem insignitus est, vt Flauius Iosephus sit appellatus: sicq. (quod Lucas ait) & Saulus dictus sit Paulus; eoq. ipse cognomine Romanæ familiæ sit libentius vsus, quòd & ipse Romanus ciuis iure municipij natus esset, vt Euangelium prædicaret in Gentibus: atque sic Gentilicio nomine (factus nimirum [e] cum Gentibus tamquam Gentilis) maluerit appellari; cum de cetero etiam in minimis (vt multis constat exemplis) nullam prætermitteret occasionem, quam ad propagationem Euangelij conducere posse videret: quod nobis magis probatur, quàm quod Origenes ait, eadem duo nomina ab exordio, cum circumcisionis tempore Iudæi solerent indere nomina, fuisse imposita, quòd iudæus pariter esset atque Romanus; cum non sit exemplum, vere Iudæos (vt taceamus de proselytis) iungere consueuisse Hebræorum nominibus nomina Romanorum: filius enim Herodis Aristobulus ex proselytis primus reperitur qui filium nomine Romano vocarit Agrippam, dictum & aui nomine quoque Herodem. Sed de his satis.

[d] *Ioseph. in Vit. sua in fine.*

[e] *1. Cor. 9.*

XIII. PAVLVS PRAEDICAT DAMASCI.

Quod vero pertinet ad Pauli tunc temporis res gestas Damasci, postquam ab Anania est initiatus sacro baptismate; Lucas eas his verbis narrat: Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo ingressus in synagogas prædicabat Iesum, quoniam hic est Filius Dei. Stupebant autem omnes, qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui inuocabant nomen istud; & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad Principes sacerdotum? Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quoniam hic est Christus.] hæc Lucas: quem reliqua Pauli, vt profectionem eius in Arabiam, reditum Damascum, & post annos tres eius accessum Hierosolymam (quæ omnia idem Paulus [f] de se ipso scribit ad Galatas) prætermisisse, certum est: cum mox post hæc narrata, ad ea quæ Hierosolymis ab eo sunt facta, stylum conuertat. sed de his anno sequenti agemus. Ceterum ne quid omisisse videamur, quod ad conuersionis Pauli historiam pertineat: addimus de loco illo prope Damascum posito,

[f] *Galat. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi ipsi Christus apparuit: Ille quidem Christianis cognitus fuit; cum vt posteris innotesceret, ad tantæq. rei perpetuam memoriam conseruandam, nobili ecclesia desuper structa illustratus fuerit; ad quam Augustinus [a], agens de Pauli conuersione, allusisse videtur, cum ait: Hodie in illis regionibus etiam ipsa loca testantur quod tunc gestum est, & nunc legitur, & creditur.] A

[a] *Aug. serm. 14. de conuersione S. Pauli.*

XIV. ALII PERSECVTORES MISSI A IVDAEIS.

Porro non Paulus tantum ad Christianos vexandos est missus Damascum; sed alij quoque in alias regiones a Principibus sacerdotum ad vexandam & infamandam Ecclesiam, quasi impietate refertam, sunt missi legati. Nam cum Luca auctore sit dictum, eos qui Hierosolymis expulsi sunt Fideles, in omnes profectos regiones; eos quidem etsi nondum Gentilibus, Iudæis tamen Christum annunciare non prætermisisse constat, & longioribus spatijs ea occasione Euangelium propagasse. Quod Principes sacerdotum indigne ferentes, rursus in eos nouam persecutionem excitarunt. Hæc licet a Luca fuerint prætermissa: tamen Iustinus martyr, qui cum esset Samaritanus, res Iudæorum præ ceteris calluit, per occasionem, dum de alijs disserit, in Iudæos persecutores inuectus, hæc ait [b]: Non enim aliæ nationes tantum iniquitati in nos & in ipsum Christum patratæ sunt obnoxiæ, quantū vos: quibus etiam pessimæ voluntatis erga iustum illum fuistis occasio. Posteaquam enim illum vnicum irreprehensibilem & iustum hominem in crucem egistis, cuius vibicibus sanitas eis prouenit qui per ipsum ad Patrem adeunt; cū eum cognouissetis resurrexisse a mortuis, atque in cælum conscendisse, sicut Prophetæ prædixerant; tantum abest vt resipiscentes pœnitentia de malis commissis duceremini, vt etiam viros eximios Hierosolymis delectos in terram omnem tunc legaueritis, dicentes, hæresim sectamq. Christianorum nullius numinis cultricem, ἄθεον extitisse; atque ea contra nos sermonibus spargentes, quæ cuncti, qui nos non norunt, iactant.] hæc Iustinus. Quo autem anno eiusmodi per Orbem fuerint missæ legationes, licet non explicet; non antea tamen eas missas esse putamus, quàm cum per dispersos vbique discipulos Euangelij prædicatio late diffusa est. B C

[b] *Iustin. de ver. Christ. relig.*

IESV CHRISTI ANNVS 37.

TIBERII IMP. ANNVS 21.

I. PAVLVS REVERSVS DAMASCVM

Præsenti anno, qui numeratur Domini trigesimusseptimus, C. Cestio Gallo & Seruilio Rufo Coss. Paulus cum iam Damasci primo Euangelium prædicasset, in Arabiam profectus, iterum est reuersus Damascum. Hæc enim idem ipse Paulus scribens ad Galatas testatur his verbis [c]: Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquieui carni & sanguini, neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abij in Arabiam: et iterum reuersus sum Damascum: deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, &c.] Lucas vero, his de Arabia & triennij temporis spatio prætermissis, tantummodo insidias Iudæorum in illum fabricatas, eiusq. clandestinum discessum Damasco, & Hierosolymas accessum recenset [d]: quæ quidem Iudæorum in Paulum molitiones non cum primum recessit Damasco, iturus in Arabiam, sed cum illuc reuersus est, antequam iterum inde recessisset, contigerunt: quod & sancto Hieronymo [e] magis probari videtur: ratio enim ipsa nullo modo patitur, vt vnde clanculum recessit, eo manifeste rursus accesserit. D

[c] *Galat. 1.*

[d] *Act. 9.*

[e] *Hier. in epist. ad Galat. c. 1.*

II. Eodem anno L. Vitellius, cum præteriti anni Consulatum gessisset, Proconsul in Syriam mittitur: cui cum etiam subiaceret Palæstina, lustrans ex more prouinciam, Hierosolymam petens, honorificentissime a Iudæis exceptus, de illis optime meritus est: quæ vero in eos contulerit officia ac beneficia, Iosephus in hæc verba describit [f]: Vitellius autem in Iudæam profectus, peruenit Hierosolymam in ipsa festiuitate quam Pascha dicimus: vbi exceptus honorificentissime, remisit ciuibus totum vectigal fructuum venalium, & stolam cum ornatu pontificio permisit in templo asseruari a sacerdotibus, quemadmodum & olim hoc ius habuerant: sed eo tempore deponebatur in Antonia (*sic dicta turris prope templum ædificata*) ob hanc E

[f] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.*

A ob hanc causam. Hyrcanus Pontifex huius nominis primus, extructa prope templum turri, degebat in ea maiorem temporis partem: et quoniam hanc stolam habebat in sua custodia, qua nemo præter illum vtebatur, recepturus priuatum habitum, eo loci illā deponebat. Idem mos fuit etiam successoribus ipsorum posteris. Herodes autem regnum adeptus, turrim hanc opportuno loco sitam, magno sumptu exædificatā denominauit ab amico Antonio; & stolam, ita vt ibi reperta est, detinuit, ratus eo magis obnoxium se habiturum populum. Idem fecit Archelaus filius eius & successor: cuius regno in prouinciam mutato, Romani simul & pontificiæ stolæ possessionem nacti sunt, in cella ad hoc ipsum structa repositæ, & obsignatæ sigillo Pontificum, atque custodum sacri ærarij, Præfecto castelli accendente ibi lucernam quotidie. Hanc autem septimo ante festum die Præfectus exhibebat Pontifici: qua purificata indutus sacrorum
B tempore, sequenti die rursum reponebat in cellam, vbi antea condita fuerat. id fiebat singulis annis ter ieiunij tempore. Vitellius autem in nostrorum sacerdotum potestatem eam stolam tradidit, volens securum esse Præfectum, quonam illa reponatur, aut quomodo proferatur in vsum Pontificum. Hoc gratificatus genti, & in locum Iosephi Caiphæ Pontificis subrogato Ionatha Anani Pontificis filio, iter fecit versus Antiochiam.] hucusque Iosephus, de quibus alias supra: cetera autem de rebus gestis eiusdem Vitellij aduersus Pilatum, quamuis superiori capitulo ab eo recenseantur, tamen quia post hæc facta esse noscuntur, suo loco, anno scilicet sequenti, agemus.

Quod vero ad Caipham spectat; satis perspicuum est ex his quæ dicta sunt, eius summum sacerdotium vsque in præsentem annum perdurasse, & Annam, quem Ananum
C appellat, alterius functionis dictum esse Pontificem, prout superius, cum de his fusius actum est, exacte monstrauimus. Ceterum ipsum Caipham vitæ pertæsum, mortem sibi consciisse, apud Clementem [a] legitur. Neque vero tantum ipsum, sed & Annam male perijsse, Nicephorus [b] tradit; sed de Anna inferius. Post hæc de Vitellio recitata, Iosephus [c] de Philippi Tetrarchæ obitu agens, hæc subdit: Tunc etiam Philippus Herodis frater diem suum obijt, anno Tiberij principatus vigesimo, cum ipse præfuisset triginta septem annis Trachonitidi, & Gaulanitidi, ac Bataneæ; de cuius vitæ institutione dictum est superius. Obijt autem Iuliade, & illatus in monumentum quod ante sibi construxerat, magnifice ac sumptuose funeratus est: et quia sine liberis decesserat, ditionem eius Tiberius prouinciæ Syriæ attribuit, ita tamen, vt tributa in ea tetrarchia collecta seruarentur intra ipsius regionis terminos.] hæc de obitu Philippi Iosephus; quæ post aduentum Vitellij in prouinciam, non anno superiori, quo, mense Augusti vigesimum Tiberius annum auspicatur, sed præsenti, quo desinit, facta esse, necesse est affirmemus. Quod vero spectat ad annos triginta septem, quibus ipsum tetrarchiæ præfuisse dicit: quàm aperte in errorem labatur, consule quæ superius dicta sunt, cum de Herodis obitu actum est. D

[a] *Clem. constit. lib. 6. c. 1.*

[b] *Niceph. lib. 2. c. 10.*

[c] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.*

III. PHILIPPI TETRARCHAE OBITVS.

IESV CHRISTI ANNVS 38.

TIBERII IMP. ANNVS 22.

E ANno Domini trigesimooctauo, Coss. Q. Plautio Plautiano & Sex. Papinio Gallieno: Agrippa Iudæus, filius Aristobuli, Herodis senioris nepos, cum aliquandiu Romæ versatus esset in officijs primum Drusi, inde vero Caij, Tiberij Imperatoris nepotum; delatione liberti sui Eutychi, quòd mortem Tiberio, & Imperium Caio precatus esset, eodem Tiberio agente in Tusculano, mancipari vinculis iubetur: vbi per sex menses vsque ad eiusdem Tiberij obitum mansit. hæc pluribus Iosephus [d] enarrat. quomodo vero, mortuo Tiberio, solutus vinculis, Iudæorum regnum sit consecutus, suo loco dicemus. Antehac autem idem Agrippa Herodem [e] Tetrarcham apud Tiberium iudicio postulauerat: qui eius accusationem, quòd in Herodem esset propensior, non susceperit.

I. AGRIPPAE CARCER.

[d] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 8.*

[e] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 8.*

Eodem quoque anno cum Pilatus occasione impostoris [f] cuiusdam, qui Samaritanos armauerat, immisso milite, maiore ex parte illos occidisset; a magistratibus Samaritanorum apud Vitellium Syriæ Præsidem, patratæ cædis accusatur: qui sic reus

II. [f] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 5. init.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

constitutus, dum eius causa ageretur, in ordinem redactus est, inq. eius locum ab eodem Præside ad procurationem Iudææ Marcellus eius amicus mittitur. Verum non eius tantum criminis Pilatum reum fuisse, certum est; quippe qui (vt Philo [a] testatur) solitus esset sententias vendere, cuncta rapere, iniurias inferre, innocentes punire, tormentis cruciare, ac demum morte eosdem afficere, atque id genus alia patrare. Rursus, si fidem adhibendam putamus Actis Longini Centurionis a Metaphraste [b] recitatis, constat eiusdem crudelitate eumdem Centurionem vna cum duobus militibus, quòd Christum libere confiterētur, fuisse capite truncatos, ac etiam post mortem ignominia affectos. Porro Vitellio [c] Præsidi visum est, Pilatum Romam mittere, vt ibi coram Imperatore suam causam ageret, & apud Cæsarem obiecta dilueret. Contigit autem eius profectio anno sequenti: quo antequam peruenisset, Tiberius ex hac vita sublatus est. Quæ vero de ipso reliqua sunt, suo loco dicemus; agemusq. simul de eiusdem miserando interitu.

a Phil. de legat. ad Caium.

b Metaph. die 25. Martij.

c Ioseph. antiq. lib. 18. c. 5. in fi.

A

B

IESV CHRISTI ANNVS 39. — CAII IMP. ANNVS 1.

I. TIBERII OSTIVS.

SEquitur annus Christi trigesimusnonus, qui habuit Consules Cn. Proculum, & Pontium Nigrinum: quo Tiberius Augustus anno suæ ætatis septuagesimooctauo, cū imperasset (vt ferunt) annis vigintiduobus, mensibus sex, & diebus viginti, ex hac vita migrauit decimoseptimo Kalend. Aprilis, relicto Caio Caligula nepote ex Germanico Imperij herede. quomodo autem hæc se habuerint, Suetonius [d], Tacitus [e], & alij [f] fusius narrant; licet ab his discrepans Dio [g] Cassius dicat eum defunctum septimo Kalend. Aprilis, vixisseq. annos septuaginta septem, menses quatuor, & dies nouem, imperasseq. annis vigintiduobus, mensibus quinque, diebus tredecim. Ceterum numerando annos Tiberij ab obitus Augusti sequenti die, affirmare opus est imperasse annis vigintiduobus, & mensibus septem, minus quatuor diebus: nam ille decimanona Augusti vita functus est, Tiberius vero decimasexta Martij. Qualis autem Caius fuerit, Seneca [h] ad Albinum hac vna sententia declarat: Hunc, inquit, mihi videtur rerum naturam edidisse, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent.]

d Suet. in Tib. c. 73.

e Tacit. Annalium lib. 5.

f Dio lib. 58. in fin.

g Idem eod.

C

h Senec. lib. de consol. ad Alb.

II. ADVENTVS VITELLII HIEROSOLYMAM.

Dum hæc Romæ aguntur, Vitellius Syriæ Præses ad bellum paratus Arabicum aduersus Aretam Regem, assumptis duabus legionibus, & leuis armaturæ militibus, atque equitum auxilijs missis a socijs Regibus, properans versus Petram, peruenit Ptolemaidem. Cumq. vellet per Iudæam exercitum ducere, occurrerunt eius regionis Principes, deprecantes transitum: Neque enim patrios ritus permittere dicebant, vt inferantur vllæ imagines, quales Romana signa habebant pleraque. Quorum precibus ille flexus, mutauit sententiam de itinere proposito: missoq. per Magnum campum exercitu, ipse cum Herode Tetrarcha & amicis ascendit Hierosolymam sacrificaturus Deo in festiuitate, quæ tunc instabat, publica. Quo postquam ventum est, honore summo exceptus a populo, hæsit ibi triduo: et interim a Ionatha in fratrē eius Theophilum pontificatum transtulit. Quarta die acceptis litteris de obitu Tiberij, populum sacramento adegit in fidem Caij noui Principis: reuocatasq. ex itinere copias in hiberna dimisit; ipse vero Antiochiam repetijt.] hæc Iosephus [i].

D

i Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.

E

III. *k Ioseph. antiq. lib. 18. c. 8. in fi.*

Interea Romæ Agrippa, Aristobulo Herodis filio natus, cum a Tiberio detineretur in carcere, iussu Caij solutus est: quem [k] elapsis non multis diebus accersitum ad se domum, tonderi, vestemq. mutare præcepit: imposito deinde in eius caput diademate, tetrarchiæ quæ Philippi fuerat, Regem constituit, adiecta Lysaniæ quoque tetrarchia; & pro ferrea catena, dedit auream pari pondere: sicq. nobilitatus mansit Romæ vsque in annum sequentem. Iudæi igitur in hunc modum nouo aucti sunt Rege.] hæc omnia ex Iosepho.

IV. *l Galat. 1.*

Hic idem annus, qui tertius a Pauli conuersione numeratur, ille ipse est quo idem Paulus Damasco Hierosolymam venit, cuius aduentus scribens ad Galatas [l] his verbis meminit: Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.] Siue ergo dictos tres annos a reditu de Arabia, siue a conuer-

A conuersione ad Christum numeres, parum interesse videtur. Lucas enim cum nihil de eius accessu in Arabiam scribat; quasi rei nullius momenti & modici temporis, nullam habuisse illius rationem, ac merito prætermisisse videtur. Nec est quòd quis iure dicere possit, antequā proficisceretur in Arabiam, Hierosolymam venisse (quasi id Lucas significet, cū illius accessum in Arabiam prætermisit.) Nam ipse de se testatur, se antea abijsse in Arabiam, quàm ad antecessores Apostolos Hierosolymam veniret. Quænam vero obuenerit occasio recedendi Damasco, ac Hierosolymam proficiscendi, Lucas [a] his verbis declarat: Cum autem implerentur dies multi (*nempe triennium*) consilium fecerunt in vnum Iudæi, vt eum interficerent. Notæ autem factæ sunt Saulo insidiæ eorum. Custodiebant autem & portas die ac nocte, vt eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli eius nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in

a Act. 9.

B sporta.] hæc Lucas. Eadem & ipse Paulus ad Corinthios [b] scribit his verbis: Damasci Præpositus gentis Aretæ Regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & effugi manus eius.] Cum enim (vt nuper dictum est) acre bellū inter Romanos & Aretam Regem conflatum esset; facile fuit dicto Regi ac ministris eius a Iudæis Pauli hostibus suaderi de Paulo, quòd ciuitatē ac regionem, alterius prætextu occasionis, idem venisset exploraturus: quippe qui non modo Damascum, sed & Arabiam, in quam vis belli conuerti videbatur, inuisere abijsset: sicq. Regis ministri adeo in eum concitati, omni studio inuigilarint vt eum caperent, atque necarent.

b 2. Cor. 11.

Cum ergo (inquit Lucas [c]) venisset in Hierusalem, tentabat se coniungere discipulis, V.

c Act. 9.

C & omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos: et narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine eius.] Timor quippe ille ceterorum discipulorum plane significat, tum primum post suam conuersionem Paulum Hierosolymam concessisse: nam si (vt nonnulli putarunt) iam antequam in Arabiā proficisceretur, Hierosolymam venisset; quænam timoris noua causa illos afficere potuisset, quem iam ante Christianum esse experimento nouissent? Cur vero Damasco fugiens, Hierosolymam contenderit, vbi maius sane periculum sibi imminere, intelligere potuisset, quippe qui fuisse paternæ legis desertor videretur & trāsfuga: nulla sane alia causa se ad hoc fuisse impulsum, quàm ea scilicet, vt ipsum Petrum Principem omnium Apostolorum inuiseret, ipsemet testatur; sic enim ait [d]: Deinde

d Galat. 1.

D post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.] Non (inquit S. Hieronymus [e]) vt oculos, genas, vultumq. eius aspiceret; vtrum macilentus, an pinguis; aduncone naso esset, an recto; & vtrum frontem vestiret coma, an (vt Clemens in Periodis eius refert) caluitium haberet in capite. Nec puto Apostolicæ fuisset grauitatis, vt post tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere. Sed his oculis aspexit, quibus & modo in epistolis suis videtur: his oculis Paulus vidit Cephā, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. quod si cui non videtur, cum superiori sensu iungat hæc omnia: quod nihil Apostoli sibi contulerint. Nam & quòd iussus sit ire Hierosolymam: ad hoc ipse vt videret Apostolum, non discendi studio, qui & ipse eumdem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi.] hucusque S. Hieronymus.

e Hier. in epist. ad Galat. 1.

Item S. Ambrosius [f]: Dignum, inquit, fuit vt cuperet videre Petrum: quia pri- VI.

E mus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.] Rursum Chrysostomus: Ascendit, ait, velut ad maiorē & seniorem.] et paulo post: Vides quàm maiorem beneuolentiam habuit erga Petrum? huius enim causa peregrinationem susceperat, & apud eumdem commoratus est. Hæc & dico frequenter, & memoria retineri volo: vt si quæ audieritis, quæ ab eo aduersus Petrum dicta videbantur; ne quis suspectum habeat Paulum Apostolum: veluti cum dicit: Restiti Petro. Neque hæc verba putet esse simultatis aut contentionis: nam honorat virum, & diligit plus omnibus, nec ob vllum aliorum Apostolorum narrat se ascendisse Hierosolymam, sed propter hunc solum.] hæc ipse. Porro non id actum tantum (vt dictum est) beneuolentiæ causa, qua erga ceteros quoque Apostolos æque affectus erat; sed honoris, cum sciret Petrum a Christo omnibus esse præfectum: Theodoretus [g] sic ait: Etenim cum Paulus humana doctrina non indigeret, vt qui ab vniuersorum Deo illā accepisset;

f Ambr. in epist. ad Galat.

PAVLVS CVR VENIT VIDERE PETRVM.

g Theodoret. in epist. ad Gal. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Oecumen. in epistiad Gal. 1.

tamen Apostolorum Principi honorem, quem par est, tribuit.] Item Oecumenius[a]: Per tot tantaq. certamina abijt, vt videret Petrum tamquam maiorem, aut etiam maneret causa honoris, quem Petro deferebat.]

VII. Illa etiam videtur Paulus fuisse impulsus causa veniendi Hierosolymam videre Petrum, vt cum aggressus esset prædicare Euangelium, illud cum Petro conferret: sicut cum prædicaturus Euangelium Gentibus, iterum Hierosolymam venit, vt illud a ceteris probaretur Apostolis: quod ipse profitetur his verbis[b]: Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autē secundum reuelationem: et contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem ijs, qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.] Quocirca cum Paulus ob has causas illuc peruenisset; sed adhuc memoria eorum quæ aduersus Ecclesiam gessisset, a discipulis timeretur: a Barnaba[c] introducitur ad Apostolos: ex antiquo enim familiaritatis vsu, quæ inter vtrumque olim, cum ambo vna cum Stephano[d] a Gamaliele erudirentur, intercesserat, præceteris Barnabas id facere aggressus est, nempe, vt (quod ait Lucas) apprehensum eum duceret ad Apostolos, non autem omnes: nam idem Paulus cum de eodem suo Hierosolymam agit[e] aduentu: Præter Petrum, ait, alium Apostolum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini] Quibus (inquit Lucas[f]) narrauit quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu. Et erat cum illis intrans & exiens in Hierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tarsum.] hæc Lucas de Paulo, qui (vt testatur[g]) spatio tantum dierum quindecim Hierosolymis hæsit. Hæc autem facta esse huius anni exordio, antequam Tiberius Imperator extremum vitæ diem clauderet; quæ paulo post dicentur, non obscure indicabunt.

[b] Galat. 2.

BARNABAS PRÆSTO FVIT PAVLO.

[c] Act. 9.

[d] Alex. mon. in Encom. Barn.

[e] Galat. 1.

[f] Act. 9.

[g] Galat. 1.

VIII. Qualis autem esset præsens status Ecclesiæ, Lucas[h] his verbis significat: Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur.] Tam optata igitur & tam opportuna a Deo præstita Ecclesiæ suæ tranquillitate Petrus optime vsus est: quippe qui Hierosolymis egressus, regiones circumpositas peragrans (quòd sui muneris erat vniuerso gregi prospicere) Ecclesias visitabat. Id quidem Lucas[i] paucis his tantum verbis significat, subdens: Factum est autem, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ, &c.] Intentus enim ipse Lucas (vt apparet) miracula insigniora a Petro edita memoriæ commendare, ceteras eius res gestas in hac lustratione prouinciæ obuolutas silentio prætermisit, & inter alia institutionem Ecclesiæ Antiochenæ; quam hoc ipso anno ab eo fuisse erectam, maiorum testificatione facile demonstrabimus. Permulta enim, præter hæc, alia quoque grauissima fuisse a Luca prætermissa, S. Hieronymus[k] manifeste satis testatur his verbis: Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit: et non esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putauit relatu, alius inter cetera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatū: quod Lucas penitus omisit.] hæc Hieronymus.

[h] Act. 9.

[i] Act. 9.

DE ECCLESIA ANTIOCHENA.

[k] Hier. ad Galat. c. 2.

IX. Ceterum quod spectat ad Ecclesiam Antiochenam hoc anno a Petro institutam, & septem annis ab eodem administratam: non aliunde certius quàm ab eiusdem Ecclesiæ antiquioribus monumentis Eusebius Cæsareæ Episcopus, & sedi Antiochenæ proximus accepisse videtur, quod ait[l], Olympiade ducentesima tertia anno quarto, antequam Tiberius moreretur, Petrum Antiochenam fundasse Ecclesiam, ibiq. cathedram adeptum fuisse. sunt hæc eius verba sub hoc anno: Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundauit, ibiq. cathedram adeptus sedit.] hæc habet editio Parisiensis a Michaele Sonnio elaborata, & Basileenses diuersis temporibus editæ. Verum quòd additur numerus quo sedit, annorum vigintiquinque: in Eusebij Chronicon mendum irrepsisse certum est: cum constet eiusdem Eusebij testimonio, nonnisi septem annis eam curasse Ecclesiam: nam inferius anno secundo Claudij Imperatoris de eodem Petro sic ait: Cum primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur.] ibi vere ponitur

[l] Eusebius in Chron.

PETRVS ANTIOCHENAM FVNDAT ECCLESIAM

ponitur numerus annorum vigintiquinque, quibus Romæ eum sedisse ostendit. Porro quamuis Romam eo anno peruenisset; tamen nonnisi sequenti, qui est tertius Claudij, Ecclesiæ Antiochenæ subrogatum ponit Euodium: vsque enim ad illud tempus Petrum illam administrasse Ecclesiam, nulli dubium esse potest. Ceterum de septem annis sedis Antiochenæ non tantum Eusebius, sed & liber Pontificalis[a], qui tamen falso adscribitur Damaso, & Gregorius[b] Papa, atque alij testati sunt; vt cum hic ad Eulogiū Episcopum Alexandrinum scribens, hæc habet de sede Antiochena: Ipse firmauit sedē, in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit.]

[a] Lib. Pontif. in Petro.

[b] Greg. in regist. lib. 6. indict. 15. epist. 37.

X. Sicut enim idem Petrus (vt dictū est) ad eos qui Samariæ in Christū crediderant, ab Apostolis est missus, quòd res esset magni ponderis, & Apostolorum Principe digna legatio videretur: ita etiam, cum ex his qui post necem Stephani dispersi fuerunt discipuli (vt testatur Lucas[c]) venissent Antiochiam, Iudæis Euangelium prædicantes, & (quod accidit etiam Damasci) multos Iudæorum conuertissent ad fidem, atque Ecclesiam collegissent: omnium Apostolorum sententia (vt æquum est credere) factum est, vt Petrus Apostolorum Princeps, totius Syriæ principi ciuitati atque metropoli, cui & Palæstina, ipsaq. Hierosolyma subiaceret, præficeretur Episcopus. Maiores enim in instituendis sedibus Ecclesiarum, non aliam inijsse rationem, quàm secundum prouinciarum diuisionem & prærogatiuas a Romanis antea stabilitas, quamplurima sunt exempla. Sed satis modo erit, vnum vel alterum huc in præsentiarum afferre: ac in primis illud haud longe petitum de sede Antiochena: quæ quantumlibet a Petro ante Alexandrinam fuerit instituta; tamen quoniam præfectura Alexandrina Augustalis dicta, ab Augusto eo nomine insignita, magnificentissime præ ceteris ab eodem fuerat nobilitata (quod in nostris Notationibus[d] ad Romanum Martyrologiū pluribus diximus) longe præstabat Syriæ præfecturæ: ea de causa factum apparet, vt quamuis sedes Antiochena ante Alexandrinam a Marco nomine Petri erectam, fuerit instituta: tamen illi postposita habeatur. Sic etiam quoniam inter omnes Orientales præfecturas, Syriæ Proconsulatus præstabat: cum eius prouinciæ metropolis esset Antiochia; inde etiam accidit, vt prima omnium Antiochena Ecclesia haberetur: et quantumuis Hierosolymorum Ecclesia prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum in ea consummatarum merito dici posset, ceterisq. ea de causa, quæ in Oriente essent, Ecclesijs iure præferenda videretur; illi tamen subijceretur.

[c] Act. 11.

PETRVS EPISCOPVS ANTIOCHENVS.

[d] Die 20. Octob. in Artemio.

XI. Secundum eamdem quoque (vt apparet) rationem, non ipsa Hierosolymorum Ecclesia est instituta metropolis Palæstinæ; sed quòd totius illius prouinciæ metropolis Cæsarea maritima a Romanis esset effecta, illic etiam sedes metropolitana eiusdem prouinciæ est decreta, seruato tamen aliquo Hierosolymorum Ecclesiæ honore. Habes id perspicue declaratum ex his quæ S. Hieronymus[e] ex Apologia Ioannis Episcopi Hierosolymitani missa ad Theophilum Alexandrinum, ad Pammachium scribit, dum sic ait ex verbis illius: Respondē mihi: Ad Alexandrinum Episcopum Palæstina quid pertinet? Ni fallor, hoc ibi decernitur (*in Concilio Nicæno scilicet*) vt Palæstinæ metropolis Cæsarea sit, & totius Orientis Antiochia.] hæc ille. Ceterum longe ante Nicænum Concilium Cæsaream Palæstinæ metropolim esse institutam, ipse canon[f] Concilij Nicæni non obscure significat, cum sic ait: Quia consuetudo obtinuit, & antiqua traditio, vt Æliæ Episcopus honoretur; habeat honoris consequentiam, salua metropolis propria dignitate.] hæc erat Cæsarea, quæ, auctore Iosepho[g], maxima omnium Iudææ prouinciæ ciuitatum erat. Sic igitur (vt dictum est) Antiochenæ Ecclesiæ, quæ potissima tunc temporis haberetur, Petrus, quòd inter Apostolos primatum ageret, curam suscepit: cuius quidem institutionis memoriam antiquitus Ecclesia Catholica anniuersaria celebritate peragere consueuit vigesimasecunda Februarij[h].

CAESAREA METROPOLIS PALAESTINAE.

[e] Hier. epist. 61.

[f] Conc. Nic. c. 7.

[g] Ioseph. de bel. iud. lib. 3. c. 14.

[h] Martyrolog. Rom. & alia ea die.

XII. Denique quod pertinet ad eamdem Ecclesiam Antiochenam: dissimulare non possumus, quod ex recentioribus quidam[i], nullam prorsus habens rationem antiquorū Patrum & Ecclesiasticæ antiquæ traditionis, quæ sunt omnium stabilita consensu, inuertens, & inaudita hactenus ac noua statuens, affirmare conatus est, Antiochenam Ecclesiam post Romanam fuisse a Petro institutam; ea tantum ratione persuasus, quòd tam ex Actis Apostolicis, quàm ex epistola Pauli ad Galatas[k] constare ait, Petrum nūquam ex Iudæa excessisse. Sed vbi hæc Lucas, & quo in loco Paulus affirmat? nullibi prorsus, nisi forte dicere velit; quoniam neuter horum de accessu Petri Antiochiam

[i] Onuphr. in addit. in Platin.

[k] Galat. 2.

meminisset

Universidad de Deusto
Biblioteca

meminisset, idcirco e Iudæa non recessisse probari. Leuis admodum, atque nullius plane ponderis argumentatio, sed peculiaris nostrorum temporũ Nouatoribus, qui in promptu habent vt negent quicquid in Scripturis non reperitur expressum. Sed quis est qui dubitet de rebus gestis Apostolorum permulta a Luca esse prætermissa? quod cum ex multis alijs, tum etiam ex Pauli epistolis (vt suis locis videbimus) sæpe demonstrabitur. Certe quidem si quis historiæ Actorum a Luca scriptorum assueuit, atque ea omnia recta temporis ratione digessit; inuenisse certum est, ipsum in scribendis Actis Apostolorum illud inijsse consilium, vt res, quibus præsens non adfuit, vel omnino silentio obuolutas relinqueret, vel plurium annorum spatia vnius fere periodi sententia perstringeret: quibus vero interfuit, cunctas singillatim atque exacte conscriberet. A

XIII. At quanam ratione idem auctor ipsum Eusebium suæ cogit adstipulari sententiæ, qui tam expresse Antiochenam sedem hoc anno fundatam esse ab eodem Apostolo Petro testatur? Nec certe curandum, si ea Eusebij assertio in aliquibus exemplaribus, haud tamen in antiquis (vt experti sumus) desideretur: nam eadem eiusdem Eusebij testificatione firmissime testata habentur. Cum enim constans sit, tam traditione quàm scriptis, Petrum Antiochenam Ecclesiam annis septẽ administrasse; pateatq. (vt vidimus eiusdem assertione) ipsum anno secundo Claudij, cum primum Ecclesiam Antiochenam fundasset, Romam esse profectum: ex necessaria propemodum assumptione dicendum est, hoc vltimo anno Tiberij (vt eiusdem Chronicon habet) ab eo fuisse sedem Antiochenam erectam: ac rursus (vt pluribus suo loco dicetur) eumdem ipsum anno secundo Claudij, non prius, ex Oriente Romam esse profectum. Ex his igitur in primis confutatur quod dicitur, Petro ante suum carcerem minus licuisse erigere Ecclesiam Antiochenam, quòd Lucas Petri acta prosecutus, de ea re nihil omnino dixerit. B C

XIIII. At certe quidem vidimus, hoc potissimum anno, Petrum bene vsum Ecclesiæ pace, peragrasse omnes Ecclesias in Syria erectas. Quid enim aliud sibi volũt illa Lucæ [a] verba: Factum est autem, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ, &c.] An putandum, qui vniuersas tunc inuisit Ecclesias, Antiochenam præterijsse, quæ maxima omnium haberetur? Illuc enim (vt idem tradit Lucas [b]) complures ex persecutione facta sub Stephano commigrarant. et licet idem dicat eos nemini locutos esse verbum, nisi Iudæis; non putet quis fuisse exiguum, ac plane contemnendum numerum Iudæorum Antiochiæ agentium: nam illorum qui a Seleuco ciuitate donati fuerant, ingentem plane fuisse numerum, eosdemq. nobilissimos fuisse, vtpote ex æquo cum Gentilibus eiusdem ciuitatis municipes, & qui eadem iura possiderent, Iosephus [c] agens contra Apionem testatur: quod quidem ius, nec dirutis Hierosolymis, & Iudæorum rebus funditus pene collapsis, a Vespasiano fuisse sublatum, contra nitentibus licet ceteris Gentilibus ciuibus Antiochenis, idem auctor affirmat [d]: æneis enim tabulis hæc scripta erant priuilegia Iudæorum, quas Titus [e] indelebiles seruari voluit. Erat autem adeo ingens Iudæorum Antiochiæ degentium numerus, vt tempore belli a Tito illati, cum Syri & Palæstini Gentiles, qui apud se essent Iudæos occiderent, vel saltem vinculis manciparent: Antiocheni quantumlibet in eos animo essent infenso, tamen propter eorum multitudinem ab illorum inuasione abstinuisse, crediti sint [f]. Hæc ergo diximus, ad insinuandum quòd licet apertum non esset ostium fidei Gentibus, tamen ex Iudæis Antiochenis nobilis potuit colligi Ecclesia Antiochiæ, cui peculiariter præesset Petrus Apostolus. Cum vero post reseratam Gentilibus fidei ianuam, maior ex illis fieret in dies ad Christianam fidem accessio; tunc euenit quod idem Lucas tradit [g], vt illuc Barnabas Hierosolymis mitteretur. Nihil ergo repugnat, quin antea a Petro, ex his qui erant ex circumcisione credentes, erecta fuerit sedes Antiochena. D E

a Act. 9.

DE IVDAEIS ANTIOCHIAE HABITANTIBVS.

b Act. 11.

c Ioseph. contra Apion. lib. 2.

d Ioseph. antiq. lib. 12. c. 3.

e Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. c. 24.

f Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 29.

g Act. 11.

XV. Eadem quoque facilitate illa ratio confutatur, qua dicitur Petrus a Paulo visitatus post triennium Hierosolymis, & non Antiochiæ; vbi nonnisi post annos quatuordecim ab eo tempore quo Hierosolymis illum primo conuenit, postea nactus est; quando ea inter ipsos amica altercatio facta est, vt idem Paulus scribit ad Galatas [h]. At quanti nam ponderis hæc obiectio? An quia Paulus Hierosolymis Petrum hoc anno reperit, mansitq. (vt ait) apud eum diebus quindecim, impedimento necessario esse potuit, ne ipse

SILVTIO OBIECTORVM.

h Galat. 1. 2.

ipse perrexerit Antiochiam, eamq. stabilierit Ecclesiam: cum præsertim (vt vidimus ex Actis Lucæ [a]) hoc ipso anno idem Petrus Hierosolymis egressus, vniuersos inuisit qui erant in Syria, Christianos? Huic quidem simile illud est: Paulus post annos quatuordecim Petrum nactus est Antiochiæ: ergo quòd tunc temporis Petrus illic erat agens, numquam ante aliàs illam adijt ciuitatem; neque hoc, quo posuimus, sed illo potius tempore Antiochenam ille erexit Ecclesiam. Sed quid hæc his nostris obstant, quo minus hoc anno Petrus sedere cœperit Antiochiæ, tenueritq. eam sedem vsque ad annum secundum Claudij? Quæ ratio cogit, vt, cum Paulus post annos quatuordecim Petrum conuenerit Antiochiæ, non ante tempus illud Petrus sederit Antiochiæ, sed tunc primum ibi ageret eius ciuitatis Episcopum? Sed relegamus seriem rerum gestarum. Cum enim (vt dictum est) Petrus eidem sedi præfuisset Episcopus annis septem, anno secundo Claudij Romam venit, vbi mansit ad illud vsque tempus, quo Claudij edicto Iudæi Roma sunt pulsi: tunc enim Petrus reuersus in Orientem, non Hierosolymam tantum, sed etiam profectus est Antiochiam, tuncq. illic eum Paulus conuenit. sicq. cum hæc omnia magna inter se consensione cohæreant, nulla est quæ ex his iure oriri possit obiectio. A B

a Act. 9.

Sed & illud exactius perquiramus, quod maxime omnium ad huius historiæ veritatem intelligendam conferre posse videtur: Quidnam proprie sit, quod dicitur Petrus fundasse Ecclesiam Antiochenam, in eaq. annis septem sedisse. Errant, mea sententia, qui existimarunt ad hoc opus fuisse vt Petrus petierit Antiochiam, & ibi iugiter permanserit annis septem. Nam si præsentia Petri quamlibet Ecclesiam primariam effecisset; tot essent numerandæ sedes Patriarchales, quot a Petro fuerunt Ecclesiæ institutæ: fuisse namque earum immensum plane numerum, nemo puto inficias ierit. Cum vero ex aduerso sedes Alexandrina, in qua aliquando fuisse Petrum, certa aliqua assertione nequaquam monstrari potest, post Romanam sedem omnium maxima ab eo fuerit instituta: plane perspicue intelligi posse videtur, non præsentiam Petri, sed eius potissimum requisitam esse auctoritatem ad constituendam sedem aliquam Patriarchalem. Modo igitur, vt dicamus a Petro fundatam seu erectam sedem Antiochenam; non est intelligendum, quòd ibi Petrus primo prædicauerit Euangelium: id enim factum esse ab illis qui post necem Stephani pulsi Hierosolymis sunt, discipulis, Lucæ testimonio (quod diximus) exploratum satis atque perspectum habetur: Sed accipiendum est, sic a Petro fundatam dici Ecclesiam Antiochenam; quòd scilicet illi a Petro præcipua dignitas sit collata, vt Orientalium sedium maxima diceretur, & esset. nam si ante Petrum alij prædicauere discipuli Euangelium Antiochiæ, a quibus iactum videretur Ecclesiæ fundamentum: quamuis Petrus & Paulus postea ijsdem Euangelium prædicassent, certe hac ex parte fundatores dici non poterant, secundum quod idem Paulus ad Romanos scribens ait [b]: Sic prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.] Quòd si quoquo modo, quia Petrus post alios Antiochiæ Euangelium prædicauit, fundasse eam Ecclesiam dicendus esset; nihil certe hac de causa tribuendum amplius Petro quàm Paulo, cum & ipse ibidem eadem in re egregiam operam nauauerit. Etenim quod ad hoc spectat, non plus Petro, Ignatius scribens ad Magnesianos, quàm Paulo tribuit, affirmans ab vtroque esse fundatam Ecclesiam Antiochenam. Quamobrem vt a Petro peculiariter dici possit (quod tradunt omnes) fundatam esse Ecclesiam Antiochenam: dicendum est, Petrum primo erexisse, seu instituisse sedem Patriarchalem Antiochenam: Ad quod agendum (si velimus & hoc dicere) nulla profecto incubuit necessitas vt Petrus abierit Antiochiam; cum vbicumque ageret, id sua, qua pollebat, auctoritate præstare potuisset. C D E

b Rom. 15.

QVOMODO PETRVS EREXIT SEDEM ANTIOCHENAM.

XVI.

XVII. Sic igitur erecta atque fundata a Petro Ecclesia Antiochena, omnium quæ hactenus erectæ fuissent Ecclesiæ præcipua atque potissima, nullius certe nisi Apostolorum omnium Principis potuit sedes esse. Hierarchicus enim ordo, quem Christus in sua Ecclesia seruari voluit (de quo præter illa quæ diximus, plura dicturi sumus) haud pati posse videtur, vt in prima sede alius quispiã quàm primus Apostolus sederet Episcopus. Sed quod sedere dicimus, neminem adeo rudem putamus, vt cum dictum sit Petrum sedisse Antiochiæ annis septem (tot enim numerantur ab eius institutione vsque ad Romanam sedem firmiter stabilitam) numquam velit per illud spatium temporis ipsum

Antiochia

QVOMODO ANNIS SEPTEM PRAEFVIT PETRVS ANTIOCHIAE.

Antiochia receſſiſſe: ſicut cum fertur eumdem ſediſſe Romæ annis vigintiquinque, numquam eo tempore profectum alio eſſe contendat. Nam cui non tantum vnius ciuitatis, ſed totius Chriſtiani orbis onus incumbebat, ac ſolicitudo eũ ſimul vrgebat; quiq. omnibus proſpicere, omnes (ſi poſſet) inuiſere, inſtituere, monere, hortari, ac denique vniuerſum gregem ſibi creditum paſcere tenebatur; quonam pacto, illis præſertim temporibus, cum fides Chriſtiana a Gentibus atque Iudæis vbique vexaretur, vnius ciuitatis, licet ampliſſimæ, valuit anguſtijs contineri; & non potius (quod ab eo factum hoc anno ex Luca vidimus) circuiens regiones, vniuerſas adiret Eccleſias? Sic igitur accipiendum eſt, Petrum annis ſeptem præfuiſſe Epiſcopum ſedi Antiochenæ; quòd donec alia ab eo ſedes, nempe Romana, quam maximam omnium eſſe voluit, eſſet erecta, ipſe Petrus ſit dictus Epiſcopus Antiochenus, inde vero Epiſcopus Vrbis fuerit appellatus. A

XVIII. His igitur de ſede Antiochena elucidatis: omnia quæ fruſtra obijci poſſunt de Petro, quòd non fuerit his temporibus Antiochiæ (licet & id falſum eſſe dixerimus) vel quòd non integris annis ſeptem ibidem ſederit, irrita prorſus caſſaq. redduntur. Quòd vero ab Euſebio [a] poſt expletam functionem ipſius ſeptem annorum ſedis Antiochenæ, dicatur Euodius primus Epiſcopus Antiochenus: hoc ille monſtrat, quòd poſt Petrum Apoſtolum primus hic ſederit: ex his enim quæ ab eodem auctore antea dicta ſunt, hæc de Euodio in neceſſariam ducuntur conſequentiam: quæ etſi eſſent obſcura, ſatis ab Ignatio [b] declarantur, qui eiuſdē ſedis fuit Epiſcopus; cum ad eamdem Eccleſiam Antiochenam ſic ſcribit: Mementote Euodij beatiſſimi Patris veſtri, qui primus poſt Apoſtolos gubernacula veſtræ Eccleſiæ ſortitus eſt.] Non ergo primus Euodius eſt inſtitutus Epiſcopus Antiochenus; ſed poſt Apoſtolos, nempe Petrum (pluralem numerum pro ſingulari, vt aſſolet, ponens) eum ordinatum dicit Epiſcopum. Sic primus igitur Euodius eſt dictus Epiſcopus Antiochenus, quòd a Petro primus eam rexit Eccleſiam, licet ordine eſſet dicendus ſecundus: Sed alia etiam ratione primus; quòd qui poſt Petrum eſt creatus eius ciuitatis Epiſcopus, non proprie nec in omnibus poſſet dici Petri ſucceſſor: tranſlata enim ſemel Romam Petri ſede, ille re vera tantum dicendus erat Petri ſucceſſor, qui poſt eius obitum ſuffectus eſt in locum ipſius Romanus Epiſcopus. Qui vero poſt eum Eccleſiæ Antiochenæ eſt præfectus Antiſtes, nequaquã ſummæ omnium ſedis eſt ius conſecutus; hoc enim perſonæ coniunctum, ipſe Romanæ, quam erexit, Eccleſiæ contulerat: ſicq. hac ex parte Euodius nouus & primus ſedis Antiochenæ Epiſcopus habebatur. B C

QVOMODO EVODIVS PRIMVS EPISCOPVS ANTIOCHENVS.

a Euſebius in Chron.

b Ignatius epiſt. 12.

XIX. Sed & ex his ipſis aduerſus contraria aſſerentem inſtamus. Si (quod nec quiſquam hactenus negare viſus eſt) Euodius anno tertio Claudij (vt ponitur ab Euſebio) eſt creatus Epiſcopus primus Antiochenus: quanam ratione, quove iure dici poteſt, Petrum poſt erectam Romanam Eccleſiam, iterum Claudij edicti occaſione in Orientem reuerſum, inſtituiſſe ſeu fundaſſe eam Eccleſiam, quæ multo ante iam habebat Epiſcopum ordinatum? Vel quo modo illic ſedit, vbi iam ex ſententia ipſius & omnium, ſedebat Euodius? An fortaſſe dicendum, quòd Petrus Euodium, vt ipſe ſederet, in ordinem redegit, vel vna cum eo ſedit, vel eo defuncto (quod non probatur) ſucceſſit in locum Euodij? Has omnes nonniſi inanes eſſe nugas, quis non intelligit? At fortaſſe dicet, ſic Petrum fundaſſe Eccleſiam Antiochenam dici debere, quòd eam tunc ſedem Patriarchalem inſtituerit, non tamen quòd ipſe in ea ſederit. Sed hac ſtante ſententia, negandum eſſet, quod in hanc diem Græci omnes, & inter eos Ioannes Chryſoſtomus [c] eius Eccleſiæ olim presbyter, ac Latini pariter vna eademq. conſenſione ſuis ipſorum ſcriptis profeſſi ſunt, Petrum Apoſtolorum Principem Antiochiæ ſediſſe Epiſcopum: quinimmo multo eum tempore illic ſediſſe, idem Chryſoſtomus his verbis ſignificat: Petrus, cui claues regni cælorum dedit, cuius arbitrio & poteſtati cuncta permiſit; hunc hic longo tempore iuſsit commorari: quamobrem vniuerſo Orbi ex altera parte ciuitas noſtra reſpondet.] hæc ipſe. Alij vſque ad annum ſeptimum ſediſſe dixerunt: quod tam Euſebius (vt dictum eſt) quàm Latini omnes, qui numerant annos ſedis Antiochenæ, teſtantur; licet ex Græcis vnus tantum Nicephorus [d] ponat annos duos. D

DILVTIO OBIECTORVM.

c Chryſ. homil. de translat. ſancti Ignatij.

d Nicephor. in Chron.

XX. Sed quoniam neminem negaturum exiſtimo, Petrum non tantum inſtituiſſe ſedem Antiochenam, ſed & in ea etiam ſediſſe Epiſcopum: quo modo, rogo, eodem tempore Romæ & Antiochiæ ſedit, qui Romanam ſedem ſemel inſtituens, illic ſediſſe ab omnibus traditur annis vigintiquinque? Tot igitur annos a Romana Petri ſede quis minuat neceſſe E

A neceſſe eſt, quot Antiochenæ Petri ſedi dederit; ac etiam totidem ſedem Romanam vacaſſe annos, æque affirmare opus ſit. Inſuper dicere Petrum vna cum Euodio ſediſſe, qui numquam vſque ad obitum ceſſaſſe inueniri poterit; habendum eſſet pro monſtro: ſicut ſi quis etiam dixerit, ſic ſediſſe annis ſeptem Antiochiæ, vt etiam eo tempore, licet abſens, Romæ per corepiſcopos ſedere non deſierit. Primo enim caſu, idem eſſet vnam Eccleſiam duos habere præſidentes Epiſcopos, quod in vno corpore duo eſſe capita: ſecundo autem, vnum caput duobus corporibus eſſe inſitum: ſic enim accipiendũ eſſet, vno eodemq. tempore Romæ ſediſſe, & Antiochiæ, nimirum in vtraque Eccleſia vnum caput viſibile oſtentare, & contra hierarchicum Eccleſiæ ordinem, monarchiam vno tantum loco conſiſtentem, duorum locorum diuerſitate diſiungere; nec vnam eſſe ſedem quæ ſumma omnium prædicetur, ſed duas æque ſublimes: eo enim nomine illum oportuit præfuiſſe Eccleſiæ Antiochenæ; cum alioqui negari non poſſit, Petrum ſua auctoritate, qua vniuerſi gregis paſtorem agit, omnibus Chriſtiani orbis Eccleſijs præſidere. Qua ratione ſi diceremus eodem quoque modo Petrũ præfuiſſe Eccleſiæ Antiochenæ: cum ſic æque cuiuſque ciuitatis Eccleſiæ Petrus quoque eſſet dicendus Epiſcopus; nequicquam præ ceteris vendicare ſibi poſſet Eccleſia Antiochena. Vide, obſecro, per quos anfractus, ac loca deuia, planeq. inuia, ducenda ſit huiuſmodi de ſede Antiochenæ Eccleſiæ diſputatio; quo omnem aditum mendacio vndique occluſum eſſe monſtremus. B

Nec illud confutare prætermittimus (licet vt res nullius plane momenti diſſimulari abſque aliquo veritatis præiudicio poſſet) quod dicitur, impoſſibile fuiſſe, Petrum, antequam Romam migraſſet, ſediſſe ſeptem annis Antiochiæ; eo quòd a tempore quo Petrus Antiochenam ſedem inſtituiſſe traditur, vſque ad tempus anni ſecundi Claudij, quo elapſus e carcere Romam venit, non amplius (vt qui aduerſatur affirmat) quàm anni quinque intercedant. Sed vt patenter monſtremus, hæc affirmantem, in annorum ſupputatione manifeſtiſſime decipi; redigamus annorũ numeri rationem ad calculum. Euſebius (vt dictum eſt) ponit Eccleſiam Antiochenam fundatam a Petro anno vltimo Tiberij Imperatoris, Olympiade ducenteſima tertia, anno quarto: rurſus vero Olympiade ducenteſima quinta, anno ſecundo, quo ab eo adſcribitur Claudij Imp. ſecundus annus, ab eodem ponitur Petri Romam profectio. Numerando igitur ab anno quarto dictæ ducenteſimæ tertiæ Olympiadis vſque ad annum ſecundum ducenteſimæ quintæ, ſeptem colligi annos, quis non videt? vnum videlicet ducenteſimæ tertiæ, quatuor ducenteſimæ quartæ, ac duos ducenteſimæ quintæ Olympiadis. Sicq. ſeptem ſaltem inchoati numerantur anni a tempore inſtitutæ ſedis Antiochenæ, vſque ad Petri Romam verſus profectionem: immo plenos eſſe numerandos ſeptem annos ſedis Antiochenæ, inferius ſuo loco, cum de Euodio ſucceſſore erit ſermo, apertius demonſtrabimus. C D

SEPTEM ANNI SEDIS ANTIOCHENAE.

XXII. Nec eſt denique quòd quis obijciat poſt hæc omnia confutata, de Apollonij [a] antiqui Theologi ſententia, ex traditione maiorum (vt ait) accepta; qua dicitur, Saluatorem mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent: quaſi non licuerit Petro proficiſci Antiochiã. Sed profecto maioris eſſe fidei Acta Apoſtolorum a Luca conſcripta, quauis auctoritate maiorum, nemo negarit. Certe quidem ante illud tempus Petrum & Ioannem Hieroſolymis receſsiſſe, ac Samariam petijſſe; quin & ipſum Petrum (vt vidimus) Syriam Palæſtinam, viſitando Eccleſias, peragraſſe; immo (vt ſuo loco monſtrabimus) eumdem ante dictum tempus e carcere ab Angelo liberatum, non tantum Hieroſolymis, ſed e Iudæa etiam exceſsiſſe, ex ijſdem Actis certum exploratumq. habetur; adeo vt omnis prorſus de duodecim annorum mora ſententia Apollonij confutetur. Si enim id Dominus iuſsiſſet, haud putandum contra Domini præceptum Apoſtolos Hieroſolymis profectos eſſe. Sed quantumlibet ab Apollonio dicta, vera eſſe dixerimus; eadem ſecundum illam Domini ſententiam eſſent accipienda, qua dixerat, ac ijſdem Apoſtolis præceperat, ne in vias Gentium abirent, nec in ciuitates Samaritanorum intrarent: et tamen (quod dictum eſt) conſtat, Petrum cum Ioanne Hieroſolymis receſsiſſe, ac Samariam adijſſe, rurſumq. Gentibus ad Eccleſiam aditum reſeraſſe, & Gentium regiones peragraſſe: vt appareat, eo tendiſſe Chriſti iuſsionem atque mandatum, vt Apoſtoli ante omnia Iudæis, quorum erant promiſsiones, intenderent. quo etiam ſenſu accipienda ſunt quæ de ſe ipſo E

a Apud Euſeb. lib. 5. c. 17.

DE SENTENTIA APOLLONII.

Dominus

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Matth. 15. Dominus dixerat [a]: Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.] At de his hactenus. A

XXIII. DE ERECTIONE SEDIS ANTIOCHENAE FIDES CERTA.

His igitur leuibus de Antiochena sede obiectionibus confutatis, breui compendio quæ fusius dicta sunt colligentes, dicimus, Ecclesiam Antiochenam hoc potissimum anno a Petro Apostolorum Principe institutam, eumdemq. septem eidem præfuisse annis, quousque scilicet Romanam Ecclesiam erigens, vna cum persona, omne summi Pontificij ius in eam transtulit: idq. ratum ac firmum haberi etiam maiorum traditione, sacrorum antiquorum Ritualium attestatione librorum, confirmatione vetustissimi commentarij de Romanis Pontificibus, qui fertur nomine Damasi: his insuper adstipulari Romanos Pontifices (quamuis gratior ea illis sententia videri potuisset, qua asseritur, Romanam Ecclesiam fuisse a Petro primitus institutam) post Anacletum [b], Antherum [c], atque Marcellum [d], quorum scriptorum fides adducitur in controuersiam, etiam ceteros, quorum scriptorum fides nulla in re vacillat, nempe Leonem [e] Magnum, Gelasium [f], Pelagium [g], Gregorium [h], atque alios Romanæ sedis Episcopos: iunge his Hieronymum [i] id ipsum iterum profitentem, Isidorum, Bedam [k], Adonem [l], & alios his recentiores fere innumeros. Sed (quod omnibus præstat) hæc ipsa Romanorum Conciliorum decretis sunt firmata ac prorsus stabilita; vt iam ab ijs dissentire, maxime temerarium debeat iudicari. Est quippe canon Concilij Romani sub Damaso, quod continet Collectio Cresconiana (est in nostro codice numero 236.) qui habet hæc verba: Tertia vero sedes apud Antiochiam beatissimi Apostoli Petri habetur honorabilis: eo quòd illam primitus quàm Romam venisset, habitauit: et illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est.] hæc ibi. Eadem repetita habentur in Concilio septuaginta Episcoporum Romæ sub Gelasio Papa habito. B C

[b] Anaclet. epist. 3.
[c] Anther. ad Epist. Betic.
[d] Marcell. ad Epist. Antioch.
[e] Leo serm. 1. in Natal. Apost.
[f] Gelas. in Concil. Rom. c. 1.
[g] Pelag. 2. epist. ad Benignum.
[h] Gregor. lib. 6. in Ind. 15. epist. 37.
[i] Hieron de Script. Eccl. in Petro, & in epist. ad Galat. c. 2.
[k] Beda de sex. ætat.
[l] Ado in Chron.

XXIV. EPILOGVS DE SEDE ANTIOCHENA DICTORVM.

Sic igitur traditione, Conciliorum auctoritate, sanctorũ Patrum assertione, rata firmaq. sunto quæ de Ecclesia Antiochena sunt dicta: a quibus dissentientes, in aperta mendacia ac plane portenta incidere sit necesse: quale in primis est, id velle negare, quod est in confesso apud omnes, tenuisse Petrum Romanam sedem vsque ad obitum annis vigintiquinque; tot enim annos ex his minuas necesse est, quot tribueris sedi Antiochenæ, si hanc post Romanam ab eo constitutam, & in ea annis septem sedisse fatearis. Rursum (quod absurdum est dicere) fateri compelleris, Romanam sedem Antiochiam fuisse translatam. Et si velis dicere, Petrum sic erexisse sedem Antiochenam, non tamen vt desierit esse Romanus Episcopus: tunc dicere opus esset, non vnam in vna Ecclesia vniuersali (vt par erat) summam sedem instituisse Pontificiam, sed plane duas, Romanam, & Antiochenam; sicq. (quod turpe monstrum referat) vnum summum caput duobus fuisse iunctum corporibus, immo & alteri eorum duo simul capita fuisse coniuncta (quod diximus) Petrum videlicet, & Euodium, qui Antiochiæ tunc sedebat. Quòd si dicas, nequaquam Antiochiæ sedisse Petrum; sed tantum hoc illi præstitisse, vt quæ primitus fuisset ab alijs instituta, eadem a Petro aucta fuerit priuilegio, vt Patriarchalis Ecclesia diceretur: At quanam causa, rogo, in Ecclesia Catholica celebrari consueuit antiquitus anniuersaria solemnitate cathedra Antiochena, si in ea Petrus non sedit? Si dicas id agi, quòd a Petro fuerit instituta in ea Ecclesia sedes Patriarchalis: cur, inquam, si hanc causam prætexis, non magis Alexandrinæ sedis annua celebritas agitur, quæ maiori quàm Antiochena ab eodem Petro aucta est dignitatis amplitudine? Vides igitur mendacium latebras quaquauersum quæritans, & effugium vndique captans, manifestæ tamen lucis veritate redargui. D E

XXV. Facessat itaque de sede Antiochena recenter asserta sententia: sed quod antiqua traditio docuit, quodq. Patres testati sunt, ac semper tenuit & hactenus tenet & obseruat Ecclesia, maneat firmum, ac suo robore inconcussum, nec vllo nouitatis labefactetur accessu: ipsam scilicet Antiochenam sedem primitus a Petro esse erectam atque institutam, in eaq. sedisse septem annis: exinde vero Romam eamdem transtulisse, ac firmiter stabilisse, sedisseq. in ea vsque ad susceptum in cruce pro Christi fide martyrium: non tamen quòd semper Romæ permanserit; quippe qui vniuersi gregis cura adstrictus, vt omnibus prospiceret, officio & consilio non deerat: sicut (quod etiam antea diximus) eumdem annis septem præfuisse Ecclesiæ Antiochenæ, non sic accipiendum de locali situ, vt numquam loco motus, semper eo tempore sederit, sed potius auctori-

A auctoritate præfuerit: nec sic quidem, vt eius ciuitatis & prouinciæ ambitu illius potestas fuerit circumscripta; sed sic sedisse dicatur, vt Apostolica præfectura & potestate in omnes Ecclesias sibi a Christo collata, vniuersum gregem pastorali regimine gubernaret. Sic videas Petrum his temporibus numquam fere eodem loco consistere; sed vt opus esse videret, peragrare prouincias, inuisere Ecclesias, ac denique omnes quæ sunt vniuersalis præfecturæ functiones, pastorali solicitudine exequi ac consummare. vnde Lucas [a]: Factum est, inquit, vt Petrus dum pertranssiret vniuersos, deueniret ad sanctos, qui habitabant Lyddæ.] Intentus enim ipse Lucas (vt dictum est) præclariora quæ a Petro sunt facta miracula recensere, vnico tantum verbo inuoluit potius quàm explicauit innumeras fere res gestas Petri, & inter alia, quam proxime diximus institutionem Ecclesiæ Antiochenæ. [a] Act. 9.

B Quidnam, quæso, sibi volunt verba illa: Dum pertranssiret vniuersos] nisi (vt diximus) quòd eam Petrus nactus occasionem pacis Ecclesiæ, quæ vbique gentium collectæ erant, Ecclesias visitauit? Non enim de alijs Apostolis id scribit Lucas, sed de Petro, cuius tantum muneris fuit vniuerso gregi prospicere: vt ex his etiam, sicut & multis alijs superius adnotatis, luce clarius Petri in Ecclesia primatum inspicias. Vnde Chrysostomus [b] in hæc Lucæ verba: Factum est, cum Petrus pertranssiret vniuersos] Quemadmodum, inquit, dux in exercitu obambulans, considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat. Vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri. Quando eligendus Apostolus, hic primus. quando loquendum Iudæis, non esse Apostolos ebrios: quando curandus claudus: quando concionandum, hic præ alijs est. quando agendum contra principes: quando contra Ananiam: quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat. Et vbi erat periculum, hic; & vbi moderatio: vbi autem tranquillitate res plenæ, communiter omnes: sic non exigit honorem maiorem. Iterum quando fieri miracula opus erat, ipse prosilit. et hic iterum ipse per se laborat, ac iter facit.] hæc Chrysostomus. Cum igitur visitaret Ecclesias Petrus, quis dubitat Antiochiam perrexisse, & cuncta quæ opus erant, composuisse? Quàm diu autem illic Petrus manserit, quantumve insumpserit temporis in inuisendis ceteris, quæ in Palæstina & Syria erant, Ecclesijs: quantum ex his quæ Lucas in Actis scribit, colligere licuit; dicendum videtur, non minori quàm biennij temporis spatio ea omnia consummasse. quæ igitur post hæc persequitur Lucas, inferius suo loco dicemus. XXVI. PETRI MVNVS OMNES ECCLESIAS VISITARE. [b] Chrysost. hom. 21. in Act. Apost. C

D

IESV CHRISTI ANNVS 40. CAII IMP. ANNVS 2.

E Sequenti anno Domini quadragesimo, M. Aquilio Iuliano & P. Nonio [c] Asprenate Coss. Agrippa qui anno superiori a Caio Augusto tetrarchiæ Philippi Rex fuit ordinatus, Roma recedens, redijt in Iudæam, vt Iosephus [d] testatur, dum ait: Altero deinde anno principatus Caij Cæsaris, Agrippa petijt veniam nauigandi in suum regnum, ordinandi illud gratia, reuersurumq. se hoc peracto pollicitus.] Sed quid cum naui Alexandriam primum delatus esset, illi contigerit, Philonem [e] hæc narrantem audiamus: Discedenti autem in suum regnum Caius suasit, ne a Brundusio solueret petiturus Syriam, quòd nauigatio ea longa esset atque difficilis: vteretur potius compendiaria per Alexandriam, expectatis Etesijs: aiebat enim Ægyptias onerarias celerrimas, & gubernatores harum egregios, qui more aurigarum certantium rectum cursum teneant. Paruit ille, vt domino consulenti vtilia. Cumque descendisset Puteolos, & naues Alexandrinas in portu paratas ad soluendum inuenisset; prospera nauigatione vsus, post paucos dies inexpectatus & improuisus appulit; iussis gubernatoribus, cum sub vesperam Pharus se proferret, vela contrahere, & ibi circa ipsum in salso manere vsque ad crepusculum, ac noctu demum portum subire: vt excedens, omnibus iam dormientibus, nemini conspectus perueniret ad suum hospitem. Tanta ille venit cum modestia, volens, si fieri posset, omnibus inscijs vrbem excedere: non enim visendæ huius causa venerat, quam ante adierat, Romam nauigaturus ad Tiberium; I. [c] D. Hist. Rom. lib. 59. [d] Ioseph. ant. lib. 18. c. 8. in fi. [e] Philo in Flac. DE AGRIPPAM REDITV IN IVDÆAM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed quærebat compendiosum ad suos reditum.] hæc ille; subdit deinde:

II. QVID ALEXANDRINI IN AGRIPPAM.

A At Ægyptij rumpebantur inuidia, quod ipsis est natiuum vitium; & alienam felicitatem suum interpretabantur infortunium: tum etiam ob inueteratam cum Iudæis simultatem, ægrè ferebant extitisse Iudæorum Regem quempiam, haud aliter, quàm si ipsi auito regno exturbarentur singuli. Rursumq. miserum Flaccum Ægypti Præfectum irritabant, incitando ad eamdem inuidiam his vocibus: Tua pernicies erit hic aduena: maiore quàm tu splendore & fastu septus est: omnes in se conuertit spectantes satellitium argenteis clypeis & inauratis armis nitidum. Et quid opus erat venire ad alienã prouinciam, cum posset in suam ditionem tuto deduci classibus? nam etiam si Caius permitteret, atque adeo cogeret, debuerat deprecari hanc profectionem, ne sua felicitate officeret Præsidi, suo splendore obscurando eius gloriam. His ille auditis, magis etiam turgebat, quàm antea: palam quidem socium & amicum simulans, quòd B timeret Imperatorem, a quo missus erat: priuatim tamen odium & æmulationem aperiens, & ex obliquo eum contumelijs appetens, quando id non audebat in faciem. Nam vrbanam multitudinem otiosam segnemq. nec alia re occupatam quàm garrulitate, conuitijs passus est Regi maledicere: siue ab ipso Præside fuerit exortum obloquendi principium, siue alios etiam huc impulerit, per eos qui non grauatim offerunt ad talia suum ministerium. qui occasionem nacti, totos dies traducebant in gymnasio sermonibus scurrilibus, iactantes in eum dicteria: nonnumquam etiam mimographorum & id genus poetarum ludicris carminibus abutebantur ad prodendam obscœnitatem ingenij, ad talia magis quàm ad honestas artes prompti ac dociles. aliequi Præses indignatus obiurgasset, mulctassetq. arrogantem maledicentiam. Immo etiam C si Rex non fuisset, familiaris tamen Cæsaris, non debuerat habere aliquod honoris priuilegium? quæ certe argumenta sunt manifestissima, Flaccum eius maledicentiæ fuisse conscium. Nam qui castigare, aut saltem cohibere valens, non cohibuit, satis apparet quòd permiserit.

III. DELVSVS IN CARRABA REX IVDAEORVM.

Vbi vero vulgus incompositum occasionem peccandi accepit, non facile desistit, nouis erratis priora cumulans. Erat quippe quidam insanus, nomine Carrabas, non ex illo conspicuo furiosorum genere, sed leuiore correptus insania. Is interdiu noctuq. nudus oberrabat per compita, nec æstum nec frigus deuitans, puerorum & adolescentum ludibrium. Hunc miserum propulsum ad gymnasium, in superiori loco statuunt, vt spectari posset ab omnibus: moxq. capiti diadema imposuerunt papyraceum, pro paludamento corpori stoream induunt, pro sceptro frustum arundinis humo sublatum quidam ei dedit in manum: sic ornatum regijs insignijs, & in Regem transformatum, more histrionico, adolescentes perticas in humeris gestantes stipabant pro satellitio: tum alij salutatum accedebant, alij sibi reddi iura petebant, alij consulebant eum de Republica. post hæc acclamatum est a circumstantibus, magna voce Marim appellantibus, quod nomen Syris significat Dominum: norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bona portione Syriæ. His auditis, immo visis, Flaccus cum debuisset illum insanum conijcere in carcerem, ne illusoribus præberet materiam petulantiæ; atque etiam ipsos subornatores, quòd Regem Cæsaris amicum, a Senatu Romano honoratum ornamentis prætorijs, ausi sint apertis obliquisq. contumelijs lacessere: non solum eos non castigauit, sed ne cohibere quidem dignatus est; licentiam dans malitiosis, & quicquid videbat audiebatq. dissimulans.] hactenus Philo de his quæ in Regem Iudæorum Agrippam facta sunt Alexandriæ: quæ quidem si quis attentiori consideratione perpendat atque examinet, & altius causam repetendo disquirat, profecto nescio quid vehementi admiratione dignum inueniet. Ecce tibi nouus post Christum, idemq. primus atque nouissimus Rex Iudæorum, qui regnarit Hierosolymis (filius enim nequaquam Rex Hierusalem fuit) quàm insigniter est illusus in Carraba; quorum Rex verus idemq. Christus olim sub Pilato regio habitu illusorie personatus est, atque derisus ab illis, qui Barrabam sibi dari petentes, in Christum crucis supplicium conclamarunt. Magna sane rerum gestarum ac nominis conuenientia: immo fortasse idem Carrabas quod Barrabas, sed pro B, K, errore librariorum est Græce scriptum. Sed præsentem ludum luctus ingens secutus est, quem

[a] *Philo in Flac.* post recensita idem Philo[a] mox aggreditur enarrare, his scilicet verbis:

IV. Quod vbi sensit populus, non dico vllum ciuilem & bene moratum, sed vulgus curiosum

A riosum otio segnitiæq. per totam vitam deditum, tumultibus omnia miscere solitum, aggressi rem inuidiosam, confluxerunt summo mane in theatrum, redempto iam Flacci fauore, quem ille miser ambitione corruptus venditabat, nullo respectu securitatis vel suæ, vel publicæ: et vnanimiter conclamarunt, dedicandas esse in proseuchis statuas (*ipsis scilicet synagogis Iudæorum*) petentes licentiam numquam prius auditi facinoris. Quod intelligentes (sunt enim ad nequitiam ingeniosissimi) commenti sunt ad prætextum nomen Cæsaris, quòd hunc non liceat in ius vocari. Quid igitur tunc egit Præses prouinciæ? Cum sciret ciuitatem habere incolarum duo genera, nostros homines, & illos alteros, totamq. Ægyptum similiter: et quòd non minus quàm decies centena millia Iudæorum habitent Alexandriam, totamq. regionem, quanta patet a Catabathmo Libyæ vsque ad terminos Æthiopiæ; & hunc conatum aduersari his B omnibus, nec esse e Republica remoueri patrias consuetudines: neglectis his omnibus, permisit dedicationem fieri, cum liceret ei pro potestate afferre plurima remedia, vel saltem expedire amica consilia. At ille, vt iniuriarum conscius ac socius, quo plus poterat, eo magis seditionem accendebat, & quantum in se fuit, Orbem repleuit bellis ciuilibus: nec enim obscurum erat quòd fama occupatarum proseucharum apud Alexandriam exorta spargenda esset per omnes Ægypti præfecturas, inde propaganda in gentes Orientales, pariterq. ab ora maritima & Mareotide, quod est initium Libyæ, vsque ad Occidentem, & nationes tractus illius. Iudæos enim vna regio non capit, propter hominum multitudinem: quamobrem plurimas ac fortunatissimas vrbes in Europæ Asiæq. prouincijs ac insulis incolunt, pro metropoli habentes sanctam ciuitatem, in qua templum altissimo Deo sacratum est; auitas autem & proauitas sedes colentes C tamquam patriam vbi nati educatiq. sint. In quibusdam etiam mox vt conditæ sunt, migrauerunt in conditoris cuiusque gratiam. Et metuendum erat ne per hanc occasionem Iudæi vbique molestarentur a suis ciuibus, si quid nouaretur circa proseuchas & ritus patrios.] Et post aliqua:

CLADES IVDAEORVM ALEXANDRINORVM.

V. Ergo postquam is contra legem conatus visus est Præsidi succedere proseuchas tollenti: vt ne nomen quidem reliquum sineret, rursum aggressus est alia nostra instituta pessumdare: vt his abscisis, quibus solis nostra vita sustinetur tamquam sacra anchora, ademptoq. iure ciuitatis, in calamitates incideremus maximas, destituti omni præsidio. Post paucos enim dies edictum proposuit, in quo nos appellabat inquilinos & exteros, ne causæ quidem dicendæ potestatem faciens, sed iniudicatos condemnans: quo quid potest esse magis tyrannicum? Ipse sibi vsurpabat partes delatoris, amici, testis, D iudicis, pœnarũ exactoris. Tertiũ quoque scelus addidit, non contentus duobus prioribus, passus quoslibet in Iudæos tamquam bello capros sæuire: qui nacti licentiã, quid fecerunt? Quinque sunt vrbis regiones denominatæ a primoribus litteris: harum duæ dicuntur Iudaicæ, quòd in his plurimi Iudæi habitent, quamuis & in alijs non pauci sparsim habeant domicilia. Quid igitur fecerunt? e quatuor litteris expulsos Iudæos concluserunt in vnius partem angustissimam. At illi, quòd plures essent quàm is locus eos caperet, egrediebantur ad littora, & monumenta, & sterquilinia, exuti rebus suis omnibus. Inimici vero, facto in desertas domos impetu, prædas, tamquam iure belli partas, diuidebant: effractisq. Iudæorum officinis, quæ tum propter luctum mortis Drusillæ clausæ fuerant, hinc quoque plurima egesserunt, quæ in mediũ forum translata verterunt in vsus proprios. Sed minus nocebant rapinæ, quàm abrupta negotia- E tio, cum creditores amississent pignora, nec sineretur vllus agricola, nauta, negotiator, opifex exercere artes solitas. Ita non simplex eis parabatur pauperies, vel quòd vna die spoliabantur suis facultatibus, vel quòd non dabatur quæstum facere more solito. Hæc quamuis molesta, videbantur tamen tolerabilia, collata cum ceteris.] Et post multa hæc sequuntur:

IVDAEORVM IMMENSA CALAMITAS.

VI. Post domos direptas, exactis habitatoribus, atque ita desolatas partes vrbis pleraque, tamquam obsessi vndique ab inimicis, & oppressi graui rerum victui necessariarum inopia, inspectanteq. paruos liberos & vxores ante ora sua fame deficere, inducta per aduersarios (nam de cetero felix annona erat vbique, & flumen stagnationibus iustis arua inundarat largiter, & campi frugiferi frumenti copiam magnam protulerant) iam egestatis impatientes, quidam ad cognatorum & quondam amicorum ædes ibant, præter solitum petituri stipem necessariam: alij generosiores, asper-

Universidad de Deusto
Biblioteca

FAMES ET CAEDES IVDAEORVM.

nati mendicorum fortunam, vt illiberalem, prodibant in forum, tantum vt sibi suisq. A cibos emerent miseri: mox enim a vulgo seditioso correpti sunt, occisique: corpora quoque horum per totam vrbem raptata, vt ne ad sepulturam quidem vllum membrum fieret reliquum. Eadem rabie perierunt & alij plurimi, nouis crudelitatis formis excogitatis per efferatam in mores belluinos plebeculam. Nam vbicumque Iudæi conspicerentur, aut saxis coniectis enecabantur, aut inflictis fustibus, nec statim plagis letalibus appetebantur, ne accelerata morte cito eriperentur cruciatibus. Alij ferociores abusi præsenti licentia, contemptis hebetioribus, arma acceperunt efficaciſſima, ignem, ferrumque; & multos gladijs confecerunt, nec pauciores concremauerunt. Interdum familias integras, maritos cum vxoribus, paruulos cum parentibus in medio foro exurebant immaniter, nec senium, nec teneram ætatem miserati, nec eius innocentiam: et quoties ligna deerant, collectis sarmentis, non tam igne quàm fumo ne- B cabant eos, quo diutius morerentur & miserius: quorum cadauera semiustulata confertim iacebant & promiscue: triste horrendumq. spectaculum. Quòd si lignatores sarmenta inferrent tardius, impositos ligneæ supellectili vrebant eius dominos, subtracta pretiosiore, viliori vtendo pro lignis vulgaribus ad rogos extruendos. Multos etiã viuos in alterum pedem funeiniecto trahebant, interim insultando calcibus, excogitato genere mortis acerbissimo: nec in extinctos remittebant iram, grauius sæuiendo in cadauera propemodum per omnes vrbis angiportus raptata, donec lacerata cute cum neruis & carnibus & frustis sparsim in aspero solo hærentibus minutim concerperentur.] Pergit post hæc Philo his verbis:

VII. Interea quidam eorum tamquam in theatro se indolescere simulabant ad talia spectacula: ceterum qui vere dolebant suorum vicem, cognati, amicique, confestim C

IVDAEI FLAGRIS CAESI. nas dabant intempestiuæ (vt inimicis videbatur) misericordiæ, arreptiq. flagris cædebantur, & post omnia tormenta quæ poterant excipere corporibus, tandem in crucem agebantur. Postquam autem Flaccus perfodit omnium Iudæorum parietes, & nihil intactum reliquit, in eorum perniciem immane quiddam commentus est, nouarum semper inuentor iniuriarum: nam e senatu nostro (quem Augustus seruator optime de nobis meritus instituit, ceu publicum Iudæorum consilium, missis super ea re litteris ad Maximum designatũ Ægypti Præsidem) trigintaocto comprehensos in suis priuatis ædibus confestim vinciri iussit: traductosq. egregia pompa per medium forũ senes, reductis in tergũ manibus, ligatos partim loris, partim ferreis catenis, induxit in theatrũ: spectaculum miserabile, nec illi tempori aut loco debitum: statutosq. corã inimicis eorum sedentibus, ad maiorem ignominiã iussit nudatos flagellari, tamquam scele- D stos & nocentissimos; vt confessi verberibus, aliquot mox vt inde sunt elati, exhalarint animam; reliqui desperata salute, cum diuturno morbo conflictati sint. Quod facinus etsi aliàs deprehensum est, nihilominus hic quoque declarabitur. Ex dicto senatu tres, Euodius, Tryphon, Andron, bonis spoliati fuerant, direptis eorum ædibus vno impetu: nec id latuit Præsidem; didicerat enim, accitis nostris magistratibus, quasi acturus de concordia; & tamen quamuis sciret spoliatos fuisse, verberabat in conspectu eorum qui spoliarant: vt alteris calamitatem geminaret, addito ad paupertatem cruciatu corporis; alteri duplicem voluptatem caperent, ex concessis sibi alienis opibus, & inimicorum ignominia.

VIII. Dicam paruum quiddam, quod an inter tanta mala dicendum sit, dubito; sed

FLAGRORVM DIFFERENTIA. quamuis paruum, non paruam tamen indicat malitiam. Est in illa vrbe flagrorum E differentia, pro eorum conditione qui cæduntur: aliter enim Ægyptij flagellantur ab alijs: Alexandrini vero virgis cæduntur ab Alexandrinis lictoribus, quos vocant Spatephoros: hunc morem & in nostris hominibus seruarunt superiores Præsides, & ipse quoque Flaccus primis sui magistratus temporibus. Est certe non paruum quoddam solatium & in cruciatu remissionis nonnihil, quando res ita vt sunt sinuntur, nec augetur malitiosæ molestia. Sed cum accedit odium, nihil æquitati relinquitur. An non fuit iniquissimum, cum de plebe Alexandrina Iudæi liberalibus & ciuilibus flagris punirentur, si quando viderentur commeriti; magistratus senatoresq. honoratos vel ipsis appellationibus hac parte inferiores haberi suis subditis, & ex æquo cum Ægyptiorum obscurissimis maximorum flagitiorum pœnam luentibus corpore?] Prosequitur deinde eadem, sic dicens:

Omitto

A Omitto dicere, quòd etiam si peccassent grauissime, debuerat habere temporis ra- IX.
tionem atque reuerentiam, & differre mulctationem in aliud. Nam bonis Præsidibus, IVDAEI DIEBVS FESTIS CRVCIFIXI.
& recte non insolenter administrantibus Rempublicam, mos est, in neminem damnatum animaduertere, donec solemnes celebritates, natalitiaq. Augustorum festa prætereant. At ille per hos ipsos dies iniustis pœnis affligebat homines innoxios: An non poterat postea, si voluisset, easdem ab illis exigere? Sed properabat, vrgebatq. negotium, vt turbis aduersariorum gratificaretur, ratus eo modo se impetraturum eorum fauorem ad exequenda consilia quæ agitabat animo. Atqui noui, quosdam iam crucifixos, instante tali festo, de cruce depositos, & ad sepulturam ex more cognatis redditos; quandoquidem decebat vel ad mortuos redire aliquem fructum ex Imperatoris natalibus, simulq. celebritati suum sacrum honorem seruari. At iste non mortuos de- B
poni de crucibus, sed viuos crucifigi iubebat: quibus ipsum tempus non quidem absolutionem, breuem tamen dabat veniam, & pœnæ procrastinationem: nihilominus ante flagellabantur in medio theatro, & igne ferroq. torquebantur, spectaculis distributis in hunc modum. Mane vsque ad horam tertiam quartamve Iudæi flagellabantur, suspendebantur, loris alligabantur, damnabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium: deinde post hæc tam præclara exempla edita inducebantur saltatores, mimi, tibicines, aliaq. ludicra scenicorum certaminum.] Qui iuste tibi queri videris, Philo, de cæsis ac crucifixis Iudæis festis diebus: reuoca in memoriam quid ante annos sex actum sit Hierosolymis ipso die Paschatis in Iesum Christum, quem, obnitente licet Pilato Præside, Iudæi tui ea die crucifixerunt. En sanguis iustus exquiritur. Sed quæ hæc secuta sint, narrare pergit his verbis:

C Quid multis? excogitata est secunda vastatio, vt militaris quoque multitudo in nos X.
armaretur per occasionem nouæ calumniæ, quasi Iudæi haberent arma in ædibus. MILITES IM. MISSI IN DOMOS IVDAEORVM.
Accitus itaque a Præside Castus Centurionum fidissimus, iubetur assumpto a sua cohorte audaciſſimo quoque, in domos eorum irrumpere, scrutari num quid armorum ibi lateat. Properauit ille mandata exequi. At Iudæi non prænoniti, primum obstupuerunt, vxoribus ac liberis eos complectentibus, effusis in lacrymas metu captiuitatis; hoc enim malum expectabant reliquum. Vt vero audierunt a quodam e scrutatoribus, Quo reposuistis arma? respirarunt paululũ, & intima quæque aperientes ostendebant, partim læti, partim gementes: læti, quia coarguebantur calumniæ: soliciti primum, quia tantæ calumniæ tam facile contra eos vel fingerentur, vel crederentur: denique quia mulierculæ incluſæ, numquam e conclaui egredi solitæ, & virgines præ pu-
D dore declinantes etiam aspectum familiarium, tunc non solum ignotis, verum etiam militari ferociæ spectabantur pauidæ. Nihilominus accurata facta scrutatione, non inueniebantur ista quæ solent esse in armamentarijs, galeæ, loricæ, clypei, conti, gladij, neque baliſtæ, arcus, fundæ, sagittæ, iacula, immo ne cultri quidem apti quotidianis culinæ vsibus. Vnde statim apparuit victus simplicitas, nihil delicatum aut magno emptum in cibos admittentium, ex qualibus fere nascitur saturitas, & ex hac porro petulantia malorum initium: quin & Ægyptijs paulo ante arma dempta fuerant per Bassum quendam a Flacco iussum id curare.] et inferius:

Totum id negotium dolus erat Flacci pertinaciter nobis infensi, & vulgum exaspe- XI.
rantis in nos, non parcendo vel mulieribus. Nam non solum in foro, sed & in medio QVID INSVPER FLACCVS IN IVDAEOS.
theatro, tamquam captiuæ corripiebantur, & ob quamuis calumniam in scenam tra-
E hebantur non sine grauissimis contumelijs: deinde cognito eas esse alterius generis, dimittebantur: multas quasi Iudæas comprehendebant, priusquam rem diligentius dispicerent. Quoties autem nostræ comperiebantur, ex spectatoribus facti tyranni & domini, iubebant eis carnes suillas afferri: quas quotcumque metu tormentorum gustabant, sine alia maiore vexatione dimittebantur: quæ vero sibi temperabant, tortoribus tradebantur ad cruciatus maximos; quod fuit eximium argumentum earum innocentiæ.] hucusque Philo de iniurijs per Flaccum illatis in Iudæos Alexandrinos: prosequitur istæc etiam in libro quem scripsit de legatione ad Caium, vbi de ignominia synagogis illata pluribus agit. Sed quid his additum sit, audi.

Hoc item anno secundo Imp. (vt ex eodem auctore colligitur) post morte sublatum a XII.
Caio Tiberium Drusi filium, Tiberij Imp. nepotem, & ex testamento decretum col- CAIVS IMP. COLLI VVLT DEVS.
legam Imperij; post occisum Macronem, cui acceptum ferebat Imperium, necatumq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

spontanea morte M. Silanum socerum; Caius disruptis quibus ab impetu sceleſtioris A
vitæ videbatur retineri habenis, eo flagitij atque insaniæ peruenit, vt diuinos æmulatus honores, deus ab omnibus coli voluerit, vt Suetonius[a], Dio[b], ac ceteri testantur; sed fusius Philo, qui & quanta passi sint Iudæi id facere renuentes, pluribus scribit; & de statuis illatis in synagogas Alexandriæ, agit his verbis[c]: Proseuchas quotquot diruere incendereve non poterant, quòd accolerentur magna Iudæorum frequentia, alio modo perdiderunt, vnà euersis moribus & ritibus. Nam effigies Caij statuerunt in omnibus, in maxima vero ac celeberrima sublimem quadrigis aheneis: idemq. tam præpostero studio, vt cum non carerent nouis quadrigis, veteres, æruginosas, auribus, caudis, pedibusq. mutilatas e gymnasio raperent, olim dicatas (vt fertur) Cleopatræ, quæ fuerat vltimæ huius nominis Reginæ proauia: qua in re quantum crimen sit admissum, cuiuis puto perspicuum. Numquid enim decorũ erat vel nouas dedicari quæ B
fuissent feminæ? numquid vel viriles vetustas adeo, aut qualescumque, alienas tamen, & iam ante dicatas alteri? Et cum istis talibus donarijs non verebantur ne offenderent Imperatorem iracundum, & omnes honores sibi deposcentem egregie splendidos atque magnificos? At illi ob hoc præclare factum laudem sperabant insuper, maioremq. gratiam, quòd proseuchas in noua phana verterent, augerentq. consecratorum Caio templorum numerum, non tam in eius honorem, quàm vt odium suum exaturarent omnifarijs nostræ nationis cladibus. Idq. liquet argumentis certissimis: primo quia nullis Regum, quos circiter decem in trecentis annis deinceps annumerant, vllam in proseuchis dedicarunt effigiem aut statuam, quamuis hos sui generis deos censerent, appellarentq. titulis.] hæc & alia Philo pluribus, qui ea de re, vt tanta mala ab Ægyptijs in Iudæos illata auerteret, publica Romam ad Caium est defunctus legatione, de C
qua agemus suo loco, anno scilicet sequenti.

a Suet. in Caio, c. 22.
b Dio lib. 59.
c Philo lib. de legat. ad Caiũ.

XIII. Hæc quidem aduersus Iudæos Alexandriæ gesta non latebant Caium: qui cum sic ab Ægyptijs deliniretur, vt Deus appellaretur; ratus etiam illos quod dicerent credere, cuncta auide accipiebat. Quod cum Ægyptij cognouissent; quid per dies singulos contra Iudæos gereretur, quotidianis actis transmissis, omnia illi significare curarunt: quæ (vt ait Philo) Caius libentius lectitabat, quàm vllum poema, vel historiam. His quippe officijs Flaccus Ægypti Præfectus gratiam Caij promereri studebat, quam olim temporibus Tiberij Imp. vehementer demeruisset, quòd (vt idẽ testatur Philo[d]) vnus fuisset ex his quorum insidijs Caij mater delata perierat. Ceterum iniuriæ memor Cæsar, hoc eodem anno, autumni tempore, quo Iudæi agunt scenopegiam, misso Basso Centurione Alexandriam, eumdem Flaccum in conuiuio discumbentem of- D
fensum, ac captum, Romamq. perductum, mulctatum bonis in Andrum insulam relegauit: quem haud post multum temporis, missis militibus, occidi præcepit.] hæc pluribus Philo, eodem quem in Flaccum scripsit libello.

d Philo in Flaccum.

FLACCI FINIS.

XIV. Quod spectat ad Iudæos; non casu quidem est factum, vt permitteret Deus tam immanem bestiam in eos sæuire. Peccatum quippe illorum, quo Christum Deum crucifixerunt, scriptum (quod ait Propheta) stylo ferreo in vngue adamantino, in ipsos clamans, meritas exposcebat pœnas. At sunt hæc initia dolorum, & diuinæ vltionis in Iudæos præludia; quæ in Ægypto hoc anno cœpta, in alijs orbis terrarum prouincijs, vbi Iudæi agerent, in dies magis magisq. aucta, atque eorum magno dolore propagata, ne ipsa quidem immani atque asperrima Hierosolymorum excisione finem acceperunt. Agemus ex instituto de his, sequentibus annis, singula recensentes quæ ad E
eam rem spectare videbuntur. Nunc ad Agrippam Regem reuertamur, quem Alexandriam appellentem, consilio Flacci Præsidis (vt dictum est) Alexandrini magno excepere ludibrio. Huic Alexandria discedenti, Iudæi[e] qui ibi erant, dederunt ad Caium libellum supplicem de his quæ ab Alexandrinis patiebantur.

IVDAEORVM VLTIO INCIPIT NVMQVAM DESITVRA.

e Philo in Flac.

XV. Cum autem[f] venisset in regnum Agrippa, Herodis Tetrarchæ cupiditates per inuidiam suscitauit. Irritabat autem eum maxime in spem regni Herodias vxor, exprobrans ei socordiam, & dicens, quia per hoc quòd noluerat ad Cæsarem nauigare, careret potestate maiore: nam cum Agrippam ex priuato Regem fecisset, quomodo dubitaret illum ex Tetrarcha eodem honore donare? His adductus Herodes, venit ad Caium. Agrippa vero (inquit Iosephus[g]) cognita eorum mente ac apparatu, ipse quoque se accinxit ad resistendum: et quàm primum eos e portu soluisse didicit, ipse etiam

f Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 8. in fin.

HERODES IN AGRIPPAM QVID MOLITVR.

g Ioseph. antiq. lib. 18. c. 9.

Romam

A Romam misit Fortunatum suum libertum ad Imperatorem cum muneribus & litteris scriptis contra Herodem: simulq. mandauit, vt per occasionem amplius cum Principe super hoc negotio dissereret. Qui subsecutus Herodem, & secunda nauigatione vsus, tantum modo a tergo relictus est, quòd tum primum illo ad Cæsarem admisso superuenit, litterasq. reddidit: vterque enim Puteolos appulit; & Caius tum forte apud Baias repertus est. Itaque Caius simulac ab Herode salutatus est (priorem enim eum admiserat) simul Agrippæ perlegit litteras accusantes Herodem, quòd prius cum Seiano conspirasset in Tiberium, & nunc iterum Artabano Partho faueret contra Caij nouum imperium. Argumento erat ipsius Tetrarchæ apparatus, qui in armamentarijs suis haberet tantum armorum, quantum instruendis virorum septuaginta millibus sufficeret.

B Qua re Cæsar commotus, percontatus est Herodem, vera ne essent quæ nunciarentur de armorũ numero. Quo annuente (neque enim vera negare poterat) satis approbatam putans defectionem, ademptam illi tetrarchiam ad Agrippæ regnum adiecit pecuniam quoque eius donans Agrippæ indici: Herodem vero perpetuo damnauit exilio apud Lugdunum vrbem Galliæ. Cognito deinde sororem Agrippæ esse Herodiadem, pecuniam ei propriam concessit: et ratus non libenter fore marito calamitatis sociam, in Agrippæ gratiam se illi parsurum promisit. Ad hæc illa: Tu quidem Imperator, vt tua maiestate dignum est, loqueris: sed mihi coniugalis amor impedimento est, quo minus fruar hac indulgentia: non enim æquum censeo, vt cui secundæ fortunæ fui socia, eum nunc in aduersa deseram. At ille indigne ferens tam excelsum animum in femina, ipsam quoque cum Herode expulit, & bona eius Agrippæ largitus est. Atque hæc fuit vindicta, quam Deus intulit tum Herodiadi, fratris successus indigne ferenti, tum Herodi ad obsequendum vaniloquentiæ vxoris nimis facili.] hæc omnia Iosephus: qui parum sibi constans, alibi[a] his diuersa narrat: nimirum Agrippam secutum esse Herodem Romam ad Caium; itemq. Herodem vna cum vxore fugisse in Hispaniam. hunc secutus Hegesippus[b], addit, Herodem mærore animi consumptum interijsse. Porro huius diuinæ plane in Herodem & Herodiadem vltionis causam si quis altius petat, non in Agrippæ felicitatis inuidentiam eam reijciet; sed tum ob Ioannem Baptistam immaniter occisum, tum etiam ob Christum ab eo spretum ac male habitum, hæc ipsos passos esse, neminem puto non intelligere. Quod vero pertinet ad Agrippæ Regis Romam aduentum; sequenti anno potius contigisse, ex Philone[c] colligitur.

XVI. HERODES PRIVATVR ET RELEGATVR.

a Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 8. in fine.
b Hegesipp. de excid. Hieros. lib. 2. c. 5.
c Philo deleg. ad Caium.

D Eodem quoque anno (quantum intelligitur ex Lucæ[d] Actis) accidit, vt Petrus Apostolus iam biennio institutas (vt dictum est) Ecclesias visitans, veneriit ad Christianos, qui Lyddæ collecti erant. est Lydda[e] ciuitas ad littus maris mediterranei sita, quæ ipso exordio belli Iudaici a Cestio[f] est incensa; restaurata denique, appellata est Diospolis. De ea vero, quam illic Petrus egit tũ temporis, curatione paralytici, Lucas[g] hæc narrat: Inuenit autem ibi hominem quemdam nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea sanet te Dominus Iesus Christus: surge, & sterne tibi. Et continuo surrexit. et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ: qui conuersi sunt ad Dominum.] Non est autem Sarona nomen oppidi, sed regionis Cæsareæ Palæstinæ vsque ad oppidum Ioppẽ pertingentis: Campestris enim, Saronas interpretatur, locus pascendis gregibus aptus: qui
E (inquit S. Hieronymus[h]) iuxta soli qualitatem, Petro prædicante, fidei continuo fructus germinauit.

XVII. d Act. 9.
e Hieron. de locis Hebraicis, & epist. 77.
PETRVS QVID LYDDAE.
f Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 23.
g Act. 9.
h Hier. de locis Hebraicis.

Mortua interim Ioppe Tabitha sanctissima femina Christiana: Cum (inquit Lucas[i]) prope esset Lydda ad Ioppen, discipuli audientes quia Petrus esset in ea, miserunt duos viros ad eum, rogantes: Ne pigriteris venire vsque ad nos. Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum (*illic enim Tabitha mortua posita erat*) et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas (*quod est idem quod Tabitha.*) Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: et conuersus ad corpus, dixit: Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos: et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, & viduas, assignauit eam viuam. Notum autem factum est per vniuersam Ioppen: et crediderunt multi in Domino. Factum est autem vt dies

XVIII. i Act. 9.
DE TABITHA AD VITAM REVOCATA.

multos

Universidad de Deusto
Biblioteca

multos moraretur in Ioppe, apud Simonem quemdam coriarium.] hæc Lucas: cuius cum (vt vidimus) sit vsitata locutio, vt cum multos dies dicit, longioris temporis moram significet; ea de causa, quæ subdit inferius de Cornelio Centurione, in sequentem potius annum reijcienda putamus. A

IESV CHRISTI ANNVS 41. CAII IMP. ANNVS 3.

I. ANnus Christi quadragesimusprimus, qui sequitur ordine temporis, a Dione consignatur Consulatu Caij Augusti iterum & L. Apronij Cæsiani. Sed antequam ad rerum gestarum huius anni narrationem veniamus; pauca hic de ordine Consulum horum temporum dicturi sumus. Nescimus quo consilio, Fastos Consulares[a] alij inuertentes, ponant anno superiori horum Consulatum, & Consules eius anni in hunc reijciant. Certe quem in his sequamur, præter Dionem, auctorem vel antiquiorem vel fideliorem inuenimus neminem. Quòd si Suetonius, non semel tantum Caium gessisse Consulatum, sed & quater, dicat his verbis[b]: Consulatus quatuor gessit, primum ex Kalendis Ianuarij per duos menses, secundum ex Kalendis Ianuarij per triginta dies, tertium vsque in Idus Ianuarij, quartum vsque ad septimum Idus eiusdem] singulis plane sui Imperij annis ipsum Consulem ordinarium esse creatum significans: non ab eo discrepat Dio, qui & ipse testatur anno septingentesimo nonagesimo ab Vrbe condita, post Consulatum Proculi & Nigrini, ipsum deinceps quotannis Consulatum gessisse. Eo vero anno, quo Imperium adijt, cum ijdem Proculus & Nigrinus Consules creati inuenirentur, post sex menses ipse cum Claudio patruo inijt Consulatum: sed non ponitur is Consulatus in Fastis, quòd suffectus potius quàm Consul ordinarius haberetur. Ceterum non omnes illi anni quatuor Caij Consulatu notantur ab eodem Dione & alijs, sed duo vltimi a suffectis Coss. Vnde autem id acciderit, non inuenimus: cum præsertim eiusdem Dionis[c] auctoritate constet, ordinarios Consules qui ab anni exordio cœperint, solitos semper dare nomen anno, etiam si paucis diebus eo munere functi, ceteris postea suffectis cesserint: constetq. testimonio Taciti[d], quantumuis criminosorum Consulum & Reipublicæ rebellium nomina e Fastis expungi haud solita. Sed missis his; quæ de rebus gestis hoc anno reperiuntur, agamus. B

a Panuin. in Fastis. CONSVLATVS CAII.

b Suet. in Caio cap. 17.

c Dio lib. 43.

d Tacit. lib. 3. Annal. cũ agit de Pisone.

II. DE CORNELIO CENTVRIONE. Hoc igitur anno, ijsdemq. Coss. Petrus monitu diuino, primus omnium, Gentilem hominem Cornelium Centurionem baptizans, ceteris Gentibus aditum ad Ecclesiam reserauit. Quo autem ordine hæc facta sint, Lucas, vt rem maximi ponderis, diligentiori studio scriptis mandauit; atque quisnam fuerit iste, qui primus omnium ex Gentibus sacro meruit initiari baptismate, egregie aperit. Cornelium quippe ait nomine nuncupatum, professione militem, munere Centurionem cohortis Italicæ. Nec dubium eius nationis illos fuisse milites, ex qua cohors tota erat denominata, nempe Italos: Centurionem vero e Romano nomine, Romanum etiam genere fuisse, coniectura facile persuadet: erantq. cohortium nomina, sicut & legionum, quæ etiam denominatæ[e] sæpe reperiuntur a prouincijs, ex quibus milites delecti essent. D

e Observat Panuin. lib. de Imper. Rom.

III. Non tamen opus fuit vt Italica cohors (quod multi perperam sunt opinati) legionis Italicæ esset: sicut nec necesse erat vt Italica legio nonnisi ex Italicis militibus constaret: nam ex alijs interdum nationibus suffici solitæ erant legiones: cuius rei probandæ causa, antiquam inscriptionem lapidis sepulchralis hic describam[f]. E

f Romæ in ædibus Cauallerij.

D. M
GN. POMPEIO. POMPEIANO. EQVO. PVBLICO
TRIBVNO. LEGIONIS. III. ITALICAE
PRAEFECTO. COHORTIS. AFRORVM. IN. DACIAM
POMPEIA. CLEOBVLA. ET. CLEOPATRA
FRATRI. KARISSIMO

His addenda essent quæ in hanc sententiam libro secundo scribit Vegetius, cum agit de officio Præfecti legionis: Non est ergo quòd quis existimet cohortem, quam Lucas nominatam dicit Italicam, vnam fuisse ex cohortibus legionis Italicæ primæ, secundæ, vel tertiæ

A vel tertiæ (tot enim erant eius nominis legiones.) nam post hæc tempora, prima Italica a Nerone, secunda & tertia a Marco Aurelio Antonino institutæ esse noscuntur: id etenim Dio[a] manifeste testatur: quo etiam auctore[b] liquet Iudæam prouinciam ad hiberna fuisse traditam legioni Ferratæ vocabulo insignitæ, quæ & Sexta (quòd eo ordine scripta esset) dicta erat; in qua Cornelius Centurio ducebat ordinem in vna cohortium, quæ appellabatur Italica: ab Augusto enim ea legio sic ibi locata, numquam recessisse reperitur vsque ad Neronis tempora, quando alio est amandata, nempe in Armeniam; iterum vero reddita Syriæ, ac inde a Mutiano ducta est in Italiam contra Vitellium. Sic igitur non a legione, sed a natione inditum est cohorti nomen, vt Italica dicerctur: cum alioqui si fuissent ex legione Italica, potuissent non esse Itali.

a Dio lib. 55.
b Dio ibidem.
LEGIO FERRATA IN PALAESTINA.

B Qualis vero Cornelius Centurio fuerit, quibusve compositus moribus, Lucas quoque sic describit[c]: Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus, ac timens Deum cũ omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.] Quonam duce vel monitore assecutus fuerit Euangelicam veritatem, docet his verbis: Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quis es Domine? Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriã in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. Et cum discessisset Angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his qui illi parebant. Quibus cum narrasset C omnia, misit illos in Ioppen.] IV.

c Act. 10.
CORNELII PIETAS.

Sed quid interim Petrus? Postera, inquit, die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora vt oraret circa horam sextam.] Antiquus plane Hebræorum mos erat, vt Deum precaturi, loca superiora conscenderent. Ante enim quàm templum ædificaretur, in excelsis montibus immolare consueuerunt, secundum illud Regum[d]: Populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum.] Habetur[e] de Christo, qui ascendebat in montem solus orare: et de Christi Ecclesia[f]: Cũ introissent in cœnaculum, ascenderunt vbi manebant Petrus, & Ioannes, & alij.] De Paulo quoque constat[g], synaxim fecisse Troade in superiori domus parte: nam liquet de tertio cœnaculo prolapsum esse auditorem Eutychum adolescentem. Et (quod præterieramus) de Iudith habetur[h], fecisse sibi secretum cubiculum in superioribus domus D suæ. Sed ad Petrum redeamus: Qui (inquit Lucas) cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: et vidit cælum apertũ, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia numquam manducaui omne commune & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Hoc autem factum est per ter: et statim receptum est vas in cælum.] hæc Lucas. V.

d 3. Reg. 3.
e Matth. 14.
f Act. 1.
g Act. 20.
h Iudith. 8.
PETRI VISIO.

Quidnam autem sibi voluerit cælitus ostensa visio, plane exitus declarauit; ita vt humana interpretatione non videatur indigere: nimirum eo mysterio, Ecclesiam ex Gentibus colligendam esse, significatum. Illæ quidem erant, de quibus olim dixerat Dominus[i]: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: et illas oportet me adducere, & E vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus pastor.] quæ & agnorum nomine, quòd posteriores in Christo natæ sint, designatæ, diuina institutione Petri curæ commissæ fuerunt, cum illi dixit: Pasce oues meas: pasce agnos meos.] Tunc quippe eos pascere cœpit, cum illis pasci iubetur, ac dictum est ei: Occide, & manduca.] sicut & Dominus de se ipso, dum cibaret verbo Samaritanam, quòd æque pasceretur, ait ad suos: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.] Merito igitur non alicui aliorum Apostolorum, sed Petro tantum diuinitus est apertum mysterium: quia nonnisi ipsi præceptum fuerat: Pasce oues meas: pasce agnos meos.] Cumq. idem ipse Petra a Domino fuerit cognominatus; vterque paries, Iudæorum scilicet & Gentium populus, in ædificatione Ecclesiæ hac vna simul erat petra iungendus. Hæc cum sint plana, omnibusq. perspicua; videamus quidnam symbolicis illis signis, quòd linteum quatuor VI.

i Ioan. 10.
VISIONIS MYSTERIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuor submittebatur initijs, quòdq. tertio factum sit, significetur.

VII. Licet non interpretis, sed historici fungamur munere: tamen quia res sunt huiusmodi, quæ ad Gentium spectant conuersionem, & collectionem Ecclesiæ, cuius gratia scribendorum Annalium ratio est potissimum instituta: quid de ea re Patres scripserint, hic intexere, vtile duximus. Per linteum quippe, quod tinea non corrumpitur, & nitore splendet, Ecclesiam significari non habentem maculam, neque rugam, Ambrosius [a], Augustinus [b], ac ceteri denique Patres sunt interpretati. et vt omittamus singulorum citare sententias, satis sit adducere S. Augustini verba: Fortassis (inquit ille) quæratur etiam quare linteum erat, in quo erant illa animalia? Non vtique sine causa. Nouimus enim quòd linteum tinea non consumit, quæ vestes alias corrumpit. Excludat vnusquisque de corde suo corruptiones malarum concupiscentiarum, atque ita incorruptibiliter firmetur in fide, vt prauis cogitationibus tamquam tineis non penetretur, si vult ad sacramentum illius lintei pertinere, quo figuratur Ecclesia. Quare ter de cælo submissum est? quia ipsæ omnes Gentes, quæ pertinent ad quatuor partes orbis terræ, qua disseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineæ quibus vas illud connectebatur, in nomine Trinitatis baptizantur; in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti credentes innouantur; vt pertineant ad societatem communionemq. sanctorũ, &c.] eadem quoque Cyrillus Alexãdrinus [c], Gregorius [d], & alij.

[a] Ambr. ser. in Natal. Apost. 2.
[b] Auguit. de diuers. ser. 26.
ECCLESIAE TYPVS.
[c] Cyrill. in Leuit. lib. 7.
[d] Greg. Moral. lib. 3. c. 14.

VIII. Immundæ autem & feræ bestiæ, erant Gentes omnes Deum verũ ignorantes, vt quæ turpibus ferisq. imbutæ moribus, nec mansuescere, nec pie recteq. viuere nouerant: idq. Dominus, cum præceptum dedit de non vescendis immundis, plane per ea Gentes significans, sic docuit dicens [e]: Separate ergo & vos iumentum mundum ab immundo, & auem mundam ab immunda: ne polluatis animas vestras in pecore, & auibus, & cunctis quæ mouentur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta. Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos a ceteris populis, vt essetis mei.] Sic igitur quòd separasset eos a Gentibus, ab immundis præcipiens animalibus abstinere, per ea Gentes significatas esse monstrauit. Has Petrus piscator, idemq. venator, verbi cassibus prehendere, easq. sic iubetur occidere, vt melioris vitæ viuificaret vsura. hæcq. metro canens Arator diaconus, in fine ait:

GENTILES PER BESTIAS SIGNIFICATI.
[e] Leuit. 20.

Non deerit tua fama locis. Petrus omnia prendens
Bethsaida satus vrbe fuit: quæ nomine Hebræo
Venatorum est dicta domus. Quàm varus ab illa
Ecclesiæ venator adest, qui cuncta peragrans,
Cinxit, & ad fidei collegit retia Gentes.] Prædictum enim fuerat ab Hieremia [f] non solum de piscatione, sed & de venatione Apostolorum. Sed iam, quod est reliquum historiæ, prosequamur.

[f] Hier. 16.

IX. Suscepta a Cornelio missa legatione, Petrus diuino monitu cum illis Cæsaream petijt, Cornelium conuenit, & quæ ille de sua salute acceperat diuina responsa cognouit. Cumq. tum ipsum, tum ceteros qui aderant, Euangelica imbueret disciplina: Adhuc loquente Petro (ait Lucas) cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcisione Fideles, qui venerant cũ Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.] hæc Lucas. Quæ autem post hæc facta sunt a Cornelio, Metaphrastes [g] describit: quæ cũ antiquiori careant auctore, ac proinde fide vacillent, libentius prætermittimus. Porro factum fuisse, sed post Zacchæum, Cornelium Episcopum Cæsareensem, Romanum Martyrologium [h] testatur: quod & apud Clementem [i] legitur; licet sine auctore [k] alibi feratur creatus Episcopus Ilij.

CORNELIVS CVM SVIS BAPTIZATVR.
[g] Metaph. 15. Septemb.
[h] Mart. Rom. 2. Februarij.
[i] Clem. constit. lib. 7. c. 46.
[k] Orat. de Apost. apud Metaphr. die 29. Iunij.

X. Ceterum Cornelij domum in ecclesiam Christi fuisse conuersam, & adhuc Hieronymi tempore extitisse, ipsemet S. Hieronymus [l], S. Paulæ nauigationem ac iter relegens, tradit, dum ait ipsam Cæsareæ inuisisse domum Cornelij, iam Christi factam ecclesiam. Verum enimvero quod spectat ad res Petri Cæsareæ gestas: multa alia sunt in apocryphis Recognitionum libris, nomine Clementis insignitis; quæ vt mendacijs conferta, indigna sane existimamus, quæ vna cum his, quæ vera certaq. ac in omnibus denique

DOMVS CORNELII.
[l] Hieron. epist. 27.

denique habentur explorata, iungantur. Quantumlibet enim Clemens Romanus res ab eodem Petro gestas scripsisset, eas tamen ab Ebionæis hæreticis fuisse deprauatas, auctor est Epiphanius, qui ait de illis [a]: Vtuntur autem & alijs libris, nimirum Circuitionibus Petri appellatis, per Clementẽ scriptis, multa corrumpentes in ipsis, & pauca vera relinquentes, velut ipse Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis Encyclicis, quæ in sanctis ecclesijs leguntur.] hæc Epiphanius. Testatur id ipsum Ruffinus [b], qui existimauit eos esse etiam deprauatos ab Arianis, seu Eunomianis. Quamobrem merito liber ille a Patribus tam Græcis quàm Latinis inuenitur esse proscriptus, ab Epiphanio [c], Athanasio [d], Philastrio [e], Gelasio [f], & alijs. Ceterum eosdem esse libros Recognitionum Clementis, cum his quos ab alijs Circuitus seu Periodos appellatos esse constat, nulla est dubitatio.

[a] Epiphanius hæresi 30.
[b] Ruffin. in Apolog. pro Origen. Hieron. in Apolog. aduer. Ruffinum.
[c] Epiphanius hæresi 30.
[d] Athanas. in Synopsi.
[e] Philastr. de hæres.
[f] Gelas. in Concil. Rom.

XI. Quæ autem post hæc Cæsareæ ab Apostolo Petro facta, Hierosolymis, cum illuc idem Petrus est reuersus, contigerint, Lucas [g] sic scribit: Audierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?] Quisnam fuit horum omnium inuentor & instigator? nullus quidem Apostolorum, sed qui post Simonem primus omnium fuit hæresiarcha Cherinthus. Id sane Epiphanius [h] testatur his verbis: Hic quidem vnus ex his fuit qui restiterunt sancto Petro, quando venit ad S. Cornelium, quando accersiuit ipsum dignus factus visione Angeli, & Petrus dubitauit, & vidit visionem lintei, & quæ in ipso erant, & audiuit a Domino, vt nihil inquinatum & immundum diceret. Hic igitur, vbi Petrus reuersus est in Hierusalem, multitudinem circumcisorũ commouit, dixitq. quòd ingressus esset ad viros præputiũ habentes. Fecit autem hæc Cherinthus, priusquã in Asia prædicaret prædicationem suam, & in profundius perditionis suæ barathrum incideret. Nam cum ipse circumcisus esset, aduersandi videlicet gratia contra Fideles in præputio, per circumcisionem venabatur prætextum & occasionem. Cum autem Dominus semper curam hominum habuerit, & claritatem veritatis in filijs veritatis muniuerit, & sancto Petro Apostolo dederit, vt & ipsum & socios redarguerit; manifesta facta est Cherinthi amentia. Dixit enim S. Petrus: Ego eram in ciuitate Ioppe, &c.] Recitat dicta a Petro tunc Hierosolymis repetita: ac demum post hæc: Verum, inquit, hæc tunc quidem tractata sunt & commota a prædicto pseudoapostolo Cherintho; quemadmodũ etiam aliàs tum ipse, tum socij ipsius excitauerunt in ipsis Hierosolymis, quando Paulus redijt cum Tito, & hic dixit quòd viros præputium habentes secum duxisset.] hæc Epiphanius.

[g] Act. 11.
[h] Epiphanius hæresi 28.
DE GENTIVM ACCEPTATIONE MOTA QVAESTIO.

Ceterum admiranda plane visa est omnibus Petri modestia: qui cum potestate sibi tradita, vnico tantum verbo omnes illas potuisset dirimere controuersias, illa in præsentiarum omissa, perinde ac si ex æquo cum socijs causa agenda esset, nonnisi ratione eorum obiectioni satisfaciendũ putauit. Hæc namque considerans & admirans S. Gregorius, scribens ad Theotistam Patriciam [i] post multa de prærogatiuis Petro concessis enarrata, hæc addit: Et tamen idem Apostolorum primus tanta donorum gratia repletus, non ex potestate, sed ratione respondit, causam per ordinem exposuit.] et inferius: Si enim cum a Fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat, attendisset: respondere poterat, vt pastorem suum oues, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela Fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset.] hæc Gregorius. Cum igitur Petrus cunctarum a se gestarum rerum rationem exactam petentibus reddidisset: Qui aderant (inquit Lucas) his auditis tacuerunt: et glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.]

XII. PETRI MODESTIA.
[i] Greg. lib. 9. epist. 39.

Ex hoc namque tempore ostio fidei iã Gentibus reserato, non Petrus tantum, & Apostoli ceteri, sed ex discipulis complures, qui hactenus nonnisi Iudæis prædicauerant Euangelium ex tunc cum occiso Stephano dispersi fuerant, Gentibus etiam Christum annunciare cœperunt, vt & idem Lucas [k] subdit his verbis: Et illi quidem, qui dispersi fuerant a tribulatione quæ facta fuerat sub Stephano, perambulauerunt vsque Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur

XIII. APERTVM OSTIVM GENTIBVS.
[k] Act. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis: A multusq. numerus credentium conuersus est ad Dominum.] hæc Lucas: quæ autem post hæc narrare pergit, quoniam alio tempore facta sunt, opportunius suo loco inferius referemus. cetera tamen, quæ hoc eodem anno facta esse noscuntur, hic secundum rationem Annalium describemus.

XIV. DE MATTHAEI EVANGELIO.

Hoc eodem anno, Olympiade ducentesima quarta, anno tertio, Matthæus Euangelista primus omnium (vt auctor est Eusebius [a]) Hebraico sermone Euangelium scripsit. Sed quod ad tempus spectat, his contradicere videtur Irenæus [b], cum ait: Posteaquam surrexit Dominus noster a mortuis, & induti sunt Apostoli superueniente Spiritu sancto virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt, euangelizantes, & cælestem pacem hominibus annunciantes, qui quidem & omnes pariter habentes Euangelium Dei. Ita Matthæus in Hebræis ipsorum lingua scripturam edidit Euangelij, cum Petrus & Paulus Romæ euangelizarent, & fundarent Ecclesiam.] hæc Irenæus. Sed vtra horum auctorum sententia probetur verior, diligentiori studio perquiramus. B

[a] Eusebius in Chron.
[b] Irenaus lib. 3. cap. 1.

XV. IRENAEI SENTENTIA QVO MODO ACCIPIENDA.

Si igitur Irenæi verba eo sensu quis putet esse accipienda, vt nonnisi post Petri, ac demum Pauli Romam aduentum, Matthæum Euangelium scripsisse dicat; magna profecto inde sequerentur absurda: siquidem Paulus non ante tertium Neronis annum Romam accessit, anno scilicet Domini, secundum a nobis initam rationem, quinquagesimonono. Quòd si ex sententia Irenæi velimus, non ante dictum tempus a Matthæo scriptum esse Euangelium; illud in primis quod est in confesso apud omnes, negare opus esset, Matthæum primum omnium Euangelistarum scripsisse Euangelicam hi- C storiam: siquidem non Marcus tantum, sed & Lucas ante Matthæum Euangelium scriptis mandassent: quandoquidem (vt ex his quæ inferius suis locis dicentur, apparebit) ante aduentum Pauli Romam, vterque edidisse suum Euangelium reperitur. Sic igitur, si id Irenæo concedimus, affirmandum esset Matthæum non primum omnium, sed tertium ordine Euangelium scripsisse: quod non ceterorum omnium tantum, sed & ipsius Irenæi repugnat sententiæ, dum & ipse, sicut alij omnes, Euangeliorum scriptores recensens, primo loco Matthæum numerat. Rursum & illud quod omnes æque confirmant, irritum redderetur ac falsum, nimirum Matthæum, antequam Apostoli in diuersas Orbis prouincias proficiscerentur, Euangelium scriptis tradidisse: siquidem ante aduentum Pauli Romam, fuisse diuisos per Orbem terrarum Apostolos, nulla est dubitatio. Ceterum, quod spectat ad Irenæi sententiam: D cum dicat tunc a Matthæo Euangelium scriptum esse, cum a Petro & Paulo Romana Ecclesia fundaretur: non sic accipienda esse putamus eius verba, vt nonnisi post Pauli Romam aduentum id factum esse voluerit significare; sed potius intellexisse, ipso initio fundationis Romanæ Ecclesiæ, a Matthæo Euangelium esse conscriptum, cum scilicet Petrus Romam accessit, & tantæ molis erigendæ posuit fundamentum; quod factum est post quatuor annos, anno scilicet secundo Claudij Imp. Dominiq. quadragesimoquinto. Nec enim sic Irenæum de Paulo meminisse credimus, quasi non ante Pauli Romam aduentum Matthæus scripserit: sed communi potius tum ipsius, tum ceterorum Patrum vsu loquendi, cum de Romanæ Ecclesiæ fundatione fit mentio, Paulum æque ac Petrum nominasse: non quòd Paulus eodem quo Petrus tempore Romam venerit, ac simul cum Petro primum fundamentum iecerit; E sed quòd desuper ædificauerit, ac denique eamdem Ecclesiam vna cum Petro sanguine consecrauerit.

XVI. RATIO MATTHAEI SCRIBENDI EVANGELIVM.

Diuersa ab his, de tempore Matthæi Euangelij, est Nicephori [c] assertio, sic dicentis: Primus Matthæus Hebræis salutifero verbo prædicato (quandoquidem alio ad Gentes maturabat) sermone patrio Euangelium suum quintodecimo post Christi ascensionem anno scripsit; atque eos relinquens, absentiam suam scripto compensauit.] hæc ille. Sed erroris arguitur, dum putauit Apostolos non ante decimumquintum annum ab ascensione Domini ad Euangelij prædicationem per Orbem fuisse diuisos: quod plane falsum esse, suo loco demonstrabimus. Ad hæc, illud esse conscriptum antequam ad externas prouincias Euangelium prædicaturi proficiscerentur Apostoli, nulla esse potest dubitatio: nam Bartholomæum profecturum ad Indos, Matthæi Euangelium descriptum

[c] Niceph. hist. lib. 2. cap. 45.

A scriptum secum detulisse, illisq. reliquisse, testantur Eusebius [a] atque Hieronymus [b]. Eamdem enim Matthæum iniisse rationē scribendi Euangelium, vt profecturus ad Gentes, eisdem quos prædicatione Euangelica imbuisset, scriptum a se Euangelium relinqueret, Eusebius [c] tradit his verbis: Matthæus cum iam antea Hebræis verbum Dei prædicasset, simulac in animo habuit ad Gentes proficiscī, Euangelium suum patrio sermone conscripsit: et quod illis, a quibus decessit, deesse, dum præsens apud eos esset, videbatur, illud sedulitate & labore scribendi omnibus suis quasi numeris expleuit.] hæc Eusebius. Porro non in ipso procinctu profectionis Matthæus Euangelium scripsisse putandus est, sed cum primum referato diuinitus Gentibus aditu ad Ecclesiam (quod hoc anno factum esse diximus) de profectione ad Gentes consilium inierunt atque sermonem habuerunt Apostoli. Sic igitur, de tempore quo scriptum est Matthæi
B Euangelium, Eusebio potius quàm ceteris assentimur.

[a] Euseb. histor. lib. 5, c. 10.
[b] Hier. de script. Eccles. in Pantæn. c. 36.
[c] Eusebius hist. lib. 3. c. 24.

XVII. IVDAEIS EXIGENTIBVS MATTHAEVS EVANGELIVM SCRIPSIT.

Tantum vero opus aggressum esse Matthæum, Iudæis, qui crediderant, exposcentibus, tradit Ioannes Chrysostomus [d]; verum & id iniungentibus ei Apostolis, Epi- [e]
C phanius [e] testatur his verbis: Matthæus enim primus incepit Euangelium annunciare: huic enim commissum erat ac impositum, vt Euangeliū prædicaret ab initio.] et paulo post: Hic itaque Matthæus Euangelium suscipere dignus iudicatur: et iustissimum hoc erat. Oportebat enim a multis peccatis conuersum, & a telonio digressum, in exemplum nobis futurorū saluari ab eo, qui ob salutem generis humani venit, ac dixit, Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: et ex telonio educto, atque ab iniquitate conuerso, salutis prædicationem exhiberi, quo ab ipso discerent homines aduentum benignitatis.] hæc Epiphanius. Athanasius [f] de eodem sic meminit: Euange-
C lium secundum Matthæum ab ipsa Hebraica dialecto conscriptum est, & editum Hierosolymis; & interpretante Iacobo fratre Domini secundum carnem expositum est.] De eodem Tertullianus [g] magna cum laude meminit, sic dicens: Matthæus fidissimus Euangelij commentator & comes Domini, non aliam ob causam, quàm vt nos originis Christi carnis compotes faceret, ita exorsus est: Liber generationis, &c.] Idq. eo consilio factum est, vt qui ad Hebræos scriberet secundum carnem Christum expectantes, eum iam venisse, & ex Abraham stirpe & semine Dauid exortum in primis esse monstraret.

[d] Chrysost. hom. 1. in Matth.
[e] Epiph. hæres. 51.
[f] Athanas. in Synop.
[g] Tert. de carn. Christi, c. 22.

XVIII. EVANG. MATTHAEI EXSCRIPTVM AB APOSTOLIS.

Porro quòd primum omnium Matthæi Euangelium esset editum, exscriptum illud fuisse ab Apostolis, non tantum Bartholomæi, sed & Barnabæ suadent exempla: hic quidem quantumlibet vna cum Paulo Apostolatum accepisset ad Gentes, secum tamen tulisse Hebraicum Euangelium a Matthæo conscriptum, & apud se semper habuisse, atque vna cum eo sepultum fuisse, certissimum est: refossō enim Barnabæ corpore anno quarto Zenonis Imperatoris, vna cum eo illiq. inhærens inuentum fuisse Euangelium secundum Matthæum Hebraice conscriptum, historicorum illorum temporum vera assertione constare, suo loco dicemus. Cum igitur Matthæi Euangelij plura exscripta essent exemplaria, Nazaræi illud etiam nacti sunt: erant enim complures, qui cum ex Iudæis facti essent Christiani, & cum Euangelio Legem etiam esse seruandam contenderent, ab Ecclesia eiecti sunt: Ceterum hi Euangelium Matthæi, quod semel acceperant, aliquandiu illibatum incorruptumq. seruarunt; de his enim Epi- [h]
D phanius [h] sic scribit: Habent autem Matthæi Euangelium perfectissimum Hebraice; apud ipsos enim hoc clare, quemadmodum ab initio scriptum est, Hebraicis
E litteris adhuc seruatur.] Sanctus Hieronymus [i] istud ipsum in Latinum sermonem se transtulisse testatur: sic enim in primis, cum agit de Matthæi Euangelio, scribit: Porro ipsum Hebraicum habetur vsque hodie in Cæsarienſi bibliotheca, quam Pamphilus martyr studiosissime confecit: mihi quoque a Nazaræis, qui in Beroœa vrbe Syriæ hoc volumine vtuntur, describendi facultas fuit. In quo animaduertendum, quòd vbicumque Euangelista, siue persona sua, siue Domini Saluatoris, veteris Scripturæ testimonijs vtitur, non sequatur Septuaginta translatorum auctoritatem, sed Hebraicam.] idem alibi: In Euangelio quo vtuntur Nazaræi, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, quod vocatur a plerisque Matthæi authenticum, homo iste, &c.]

[h] Epiph. hæres. 29.
[i] Hier. de script. Eccl. in Matth. & comment. in Matth. c. 12.

XIX.

Quod ad Ebionęos spectat: etsi Matthæi vterentur Euangelio; deprauatum illud ab eis fuisse, insuper & mutilatum, Epiphanius [k] docet: nec hoc tantum Nazaræi, &

[k] Epiph. hæres. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Epiph. ibid. in fertus. [b] Beda in Luc. c. 1.

A QVIBVS MATTHÆI EVANGELIVM CORRVPTVM.

Ebionęi [a], sed Cherinthus & Carpocras Matthæi Euangelium descripserunt: sed eo plane abusi, e genealogia Saluatoris a Matthæo contexta sic Christi humanitatem tantummodo didicerunt, vt diuinitatem negarent. Quòd vero Beda [b] Euangelium Matthæi, quo Nazaræi vtebantur, non esse adnumerandum inter apocrypha existimauit; (fortasse quòd in decreto Gelasij nulla de eo, sicut de ceteris, habeatur mentio) haud facile assentimur: nam cum Hieronymi testimonio in plerisque locis ab eo citatis appareat nonnulla in eo diuersa ferri ab his quæ reperiuntur in Matthæi Euangelio quo Ecclesia vtitur; periculosum esse putamus, id in aliam quàm in apocryphorum classem referre, cum nonnisi vna possit veritas esse. Atque hactenus de Matthæi Euangelio.

XX.

Sub hac eadem Olympiade ducentesima quarta, anno tertio, Pilatum olim Iudææ Procuratorem miseranda morte interijsse, Eusebius scribit his verbis: Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit, vt scribunt Romani historici.] hæc Eusebius: affirmat id ipsum Cassiodorus in Chronico. Viennæ autem in Gallijs id contigisse cum multi referant, Ado [c] eiusdem ciuitatis Episcopus in hunc modum rem scribit: Pilatus, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, & ipse perpetuo exilio Viennæ recluditur; tantisq. ibi irrogante Caio languoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, multorum malorum compendium mortis celeritate quæsierit.] sunt hæc verba Orosij [d], licet ipse de Vienna nihil. Quòd vero recentiorum Græcorum [e] aliqui dicant Pilatum de nece Christi a Maria Magdalena Romæ iudicio postulatum, vt commentum refellimus. Ceterum de eius interitu omnes æque consentiunt, ipsum summa desperatione actum, sibi necem intulisse.

[c] Ado in Chron. [d] Oros. lib. 7. c. 5. [e] Niceph. lib. 2. c. 10. Cedren. in comp. hist.

XXI.

Hoc eodē anno (vt ex Iosepho colligitur [f]) amoto Vitellio a Syriæ præfectura, Petronius a Caio ad eam prouinciam administrandam subrogatur: cui ipse (cum ab omnibus coli vt deus vellet, ac ne Ioui quidem cederet, quippe [g] qui de inferendo Iouis Olympij simulacro Romam, deq. illius effigie in suam mutanda, consilium inijsset) in mandatis dedit vt suam statuam Hierosolymis in templo locaret: quæ tamen res a Petronio in annum sequentem dilata est, vt idem auctor testatur his verbis: Caius autem indigne ferens a solis Iudæis ita se despici, Legatum in Syriam mittit Petronium successurum Vitellio, iubetq. vt cum valido exercitu inuadat Iudæam: & si sponte id admittant, statuam in templo Dei collocaret: quòd si detrectent, bello deuictos imperata facere adigat. Is sumpta administratione rerum Syriæ, dedit operam, vt exequerentur mandata Cæsaris: contractisq. quantum poterat auxilijs, cum duabus legionibus hibernauit apud Ptolemaidem, primo vere bellum illaturus: quod & Caio significauit per litteras. qui collaudata eius industria, hortatus est eum ad agendum gnauiter, & frangendam bello gentis contumaciam.] hæc Iosephus. Sed vt quis fuerit ille Petronius intelligatur: sciendum est fuisse equestris ordinis, militia clarum, qui & sub Augusto (vt de eo testatur pluribus Strabo [h]) aduersus Æthiopes copias duxerat: ceterum cum humili loco natum, ad equestrem peruenisse dignitatem, auctor est Valerius Maximus [i].

[f] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 12. [g] Suet. in Caio c. 22. Dio lib. 59.

CAIVS VT DEVS VVLT COLI.

[h] Strabo lib. 17. [i] Valerius Max. lib. 4. c. 7.

XXII.

Iam vero quænam proxima causa indignationis Caij in Iudæos præcesserit, vt de colosso in templo erigendo consilium inierit, atque decreuerit: Philo [k], id Capitonis Quæstoris litteris adscribens, edocet: Is, inquit, in Iudæa præest exigendis tributis, infensus prouincialibus: pauper enim eo profectus, nunc illis fraudatis ditatus, & accusationem metuens, decreuit eos præuenire, & calumnijs veras criminationes auertere, casu quodam nactus occasionem. Iamniam vrbem Iudææ cum primis frequentem populo colunt promiscuè, Iudæi quidē pars maxima, nonnulla tamen etiam alienigenæ, qui malo fato subrepserunt e finitimis regionibus: et cum sint inquilini, facessunt indigenis negotia, semper aliquid moliendo aduersus ritus Iudaicos. Hi cum audirent ab aduenis quantopere Caius pro deo coli cupiat, & quàm infensus vniuersæ Iudæorum genti sit; rati se nactos occasionem struendis insidijs, ex tempore aram excitant e materia vilissima, luto formato in lateres, tantum vt molesti essent ciuibus: sciebant enim non laturos violari leges patrias, quod & secutum est. Conspicati enim & indignati regionis sacratæ ritus sacros sic aboleri, coorti eam sustulerunt de medio. Aduersarij vero mox Capitonem adiuerunt, qui fuit auctor totius huius tragœdiæ. Is lucrum sibi oblatum existimans, cuius iamdudum cupidus

[k] Philo de leg. ad Caium.

CONCITATVR CAIVS IN IVDAEOS.

CAPITONIS OPERA CAIVS IN IVDAEOS IMPELLITVR.

cupidus erat, scribit Caio, exaggerando rem, & amplificando.

His cognitis ille, vt opulentus & magnificus, iubet pro altari lateritio subuerso in Iamnia, poni colossum inauratum in ipso templo vrbis primariæ, consultoribus vsus optimis & sapientissimis, Helicone veteratore scurra nobili, & Apelle quodam tragœdo, qui prius ætatis florem, vt fertur, venditauerat, tū vero fastiditus se in scenam contulerat. Scenici autem, quorum est negotium & studium vt theatris placeant, profligato pudore, probris & turpitudini sunt deditissimi: quibus artibus Apelles peruenit in consiliariorum ordinem: vt posset consulere Caius, alterū quomodo canendum, alterum quomodo ludendum salibus, omissa cura iustitiæ tuendæ, pacisq. publicæ. Ita Helicon mancipium scorpioni simile Iudæos petebat veneno Ægyptiaco, Apelles vero Ascalonio, nam inde oriundus erat. Est autem Ascalonitis perpetua simultas cum finitimis Iudæis sacræ terræ incolis. Verum illi bonorum consiliorum boni auctores paulo post impietatis suæ mercedem inuenerunt: alter a Caio vinctus ferreis compedibus propter alia crimina, tortusq. in rota ex interuallo sæpius, sicut quidam morbi solent statis diebus recurrere: Helicon vero interfectus a Claudio Germanico Cæsare propter alias itidem culpas insani capitis. sed ista post acciderunt. Litteræ a Caio de statua dedicanda scriptæ sunt non temere, sed quantum fieri potuit accuratissime. In eis imperatum est Petronio Syriæ prouinciæ Præsidi, vt ripensis exercitus, contra irruptiones Orientalium Regum & nationum oppositi, dimidium ab Euphrate aduersus Iudæos duceret, vt prosequerentur statuam: non quo augustior dedicatio fieret, sed vt confestim periret si quis obsisteret.] et paulo post:

XXIII.

XXIV.

PETRONIVS MATVRIVS AGIT.

Ceterum Petronius, perlectis litteris, hærebat anceps consilij: quippe qui nec detrectare poterat præ metu, non ignarus illum ne moram quidem laturum æquo animo, nedum tergiuersationem. Nec rem aggredi putabat tutum ac facile. Sciebat enim Iudæos non vnam, sed mille, si fieri posset, mortes subituros citius quàm sustinerent vetitum aliquid facere. Omnes enim gentes libenter seruant ritus patrios, sed Iudæi præ ceteris. Cum enim leges suas credant oraculis proditas, easq. discant a pueritia, in animis circumferunt harum expressas imagines, & semper intuendo admirantur vt honestissimas: alienigenas quoque harum obseruatores amplectuntur pro suis ciuibus, osores autem earum ac vituperatores habent pro hostibus; & in tantum abhorrent a quauis re suis legibus vetita, vt omnibus fortunis felicitatibusq. humanis ad præuaricationem adduci nequeant. Sed nihil religiosius quàm templum colunt, vel hoc argumento, quòd certissima mors proponitur vltra septum interius penetrantibus: nam intra exterius accipiunt vndecumque venientes suæ gentis homines. Hæc secum reputans Petronius, rem cunctanter aggrediebatur, ratus (vt erat) facinus audax: aduocatisq. tamquam in animæ consistorium rationibus omnibus, scrutabatur singularū sententias: quas consentientes inueniebat, nihil in sacris nouandum: primum quia sic ius naturæ pietatisq. postulet: deinde propter imminens periculum, non solum a Deo, verum etiam a læsis irritatisq. hominibus. Illud quoque cogitabat, quàm populosa esset hæc natio, non vt aliæ comprehensa vnius regionis spatio, sed totum pene Orbem passim incolens: diffusa est enim per continentes prouincias omnes atque insulas, adeo vt non multo pauciores sint indigenis. Tam multas hostium myriadas in se prouocare, an non periculosa videri poterat alea? ne forte illis per omnes terras conspirantibus, & ad vim arcendam certatim in vnum confluentibus, bellū exoriretur insuperabile: absque eo quòd ipsam Iudæam innumera multitudo incoleret, viri tum corpore valentissimi, tum animo fortissimi; parati prius generosam mortem oppetere, quàm deserere mores ac ritus patrios, quantumuis calumniatorū opinione barbaros, cum re vera sint liberales ac nobiles.

XXV.

RATIONES DIFFERENDI PRAECEPTA CAII.

Terrori etiam erant Transeuphratenses copiæ: nam Babylonem & multas alias satrapias a Iudæis teneri, non auribus solum, sed & oculis compertum habebat: quòd singulis annis sacra pecunia missitaretur inde in templum primitiarum nomine; quamquam per vias difficiles & asperas, quæ tamen illis viæ regiæ viderentur, ad pietatem recta properantibus.] hæc Philo; qui mox subdit: Merito igitur timens, ne cognita hac noua dedicatione, subito expeditionem susciperent, & hinc atque inde coorti, iunctis copijs, inclusos in medio clade ingenti afficerent; retardabatur talibus cogitationibus: sed in diuersum trahebatur contrarijs: Dominum hæc iubere

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuuenem, vtile iudicantem quicquid ipsi collibuerit: et semel decreta exequi contemnentem quamlibet noxia (vt qui præ superbia peruicaciaq. transiliens hominis terminos, in deos se ipse referat) impendere sibi capitale periculum, siue imperata faceret, siue non. sed si pareat, cum bello, cuius euentus anceps sit: sin iussa detrectet, certissimam a Caio perniciem. Ad bellum proniores erant multi Romani adiutores in administratione rerum Syriacarum, quòd scirent in se primum sæuiturum Principem, vt auctores inobedientiæ. Dabatur spatium deliberandi, dum pararetur statua: nam neque transmissa fuit ex Italia, Deo volente (opinor) & suos occulto fauore protegente ab iniuria: neque iussus est e tota Syria lectissimam sumere: alioqui præpropere, violatis legibus, exortus fuisset repentinus tumultus, priusquam experiri posset vtile consilium: nam subitanei casus ingruentes vim rationis hebetant. Itaque Petronius in propinquo iubet parari statuam; & accitis a Phœnicia peritissimis artificibus, præbet materiam, officina Sidone instituta.] hæc Philo de his quæ hoc anno hactenus sub silentio gesta Iudæos latebant. Cetera vero vt contigerunt, suo loco dicemus. Hæc enim de Iudæorum ærumnis ad Annales Ecclesiasticos pertinere quis dubitat? nam his Dei vindicta in Iudæos Cæsarem appellantes, & Christum negantes, Caij furore progredi armata, numine impellente, conspicitur.

IESV CHRISTI ANNVS 42.

CAII IMP. ANNVS 4.

I. ANno Christi quadragesimosecundo Caius solus tertium Consul Fastis Consularibus adscribitur; non quidem id data opera, vt qui collegam habere spreuisset; sed (vt testatur Dio [a]) quòd ei, qui designatus fuerat, mortuo, tam breui spatio in concione alius subrogari non potuerit. Ceterum ab eodem auctore Pomponius secundus Consul eodem anno creatus nominatur: suffectus ne in locum Caij, qui Consulatum tenuit tantum (vt Suetonius [b] tradit) vsque ad Idus Ianuarij, an ordinarius fuerit electus in locum demortui Consulis designati, non liquet.

[a] Dio hist. lib. 59.

[b] Suet. in Caio c. 17.

II. Hoc igitur anno, non antea (vt alij putant) Philo Iudæus vna cum collegis a Iudæis Alexandriæ agentibus legatus ad Caium Imperatorem mittitur: ab Alexandrinis vero alij aduersus eos sunt missi legati (inter quos Apion grammaticus, Iudæorũ infestissimus hostis) ad eumdẽ Imperatorem. Rem gestam summatim sic Iosephus [c] complectitur: Cum inter Iudæos & Græcos Alexandriam habitantes exorta esset seditio; terni ab vtraque parte delecti legati ad Caium missi sunt. Apion vero, Alexandrinorum legationis princeps, multa in Iudæos iactauit crimina, interq. cetera, quòd Cæsarem non prosequerentur debitis honoribus: nam cum quàm late patet orbis Romanus, Caio extruantur templa & altaria, & pari honore colatur cum ceteris numinibus; solos istos turpe putare dedicare illi statuas, aut iurare per nomen Cæsaris. His acerbe inuecto Apione, multisq. alijs quæ ad exasperandum Caium facerent; Philo e Iudæorum legatis prior, vir per omnia clarissimus, Alexandri Alabarchæ frater, & non imperitus philosophiæ, parabat causam suæ gentis agere. Sed repulsus est a Cæsare, iubente illum abire, & per iracundiam vix temperante ab iniuria. Quapropter eiectus conuitio; conuersus ad Iudæos assectatores: Nunc, inquit, oportet bono esse animo, quando Caius iratus est: nunc enim Deus contra illum aderit.] hæc Iosephus.

[c] Ioseph. Antiq. lib. 18. cap. 10. DE LEGATIONE IVDAEORVM AD CAIVM.

III. Sed ipsum tamen errare certum est, dum ait ternos legatos ab vtraque parte missos; cum ipse Philo, qui vnus ex legatis fuit, quinque a Iudæis esse missos testetur: qui & egregium commentarium de sua ad Caium legatione conscripsit; ex quo aliqua ad historiam spectantia decerpta hic intexere, nec inutile nec iniucundum fore duximus. Cum ergo venissent Romam, quid egerint post frustra tentatam gratiam Heliconis apud Imperatorem viri præcipui, sic scribit [d]: Placuit offerri Caio libellum continentem summam calamitatum, & earum deprecationem: id erat ferme compendium supplicationis prolixioris, quam per Agrippam Regem paulo ante miseramus: nam is forte fortuna venerat Alexandriam, nauigaturus in Syriam in suum

[d] Philo lib. de leg. ad Caium.

in suum regnum, quod ab Imperatorẽ acceperat. Sed ignorabamus etiam tum quàm falleremur. Ex quo enim primum oram soluimus, putabamus nos inuenturos reddentem iura iudicem: at ille erat hostis implacabilis, alliciens, vt tum videbatur, vultu hilari, & appellationibus comibus. Exceptos enim nos primum in Campo Martio, cum e maternis hortis exiret, resalutauit, & dextera innuit se propitium; missoq. ad nos Romulo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus est se cogniturum nostram causam per otium: ita vt tota corona circumstantiũ gratularetur nobis, tamquam voti compotibus, atque etiam nostrates quotquot ex aspectu de rebus iudicant. Ego vero, qui plus per ætatem & eruditionem sapere videor, suspecta habebam illa quæ exhilarabant alios. Sic enim cogitabam: Quid sibi vult, quòd cum tot adsint legationes propemodũ ex omnibus Orbis regionibus, ait se nos solos auditurum? nec enim nescit nos esse Iudæos, contentos si æquaremur ceteris: ceterum prærogatiuam sperare apud alienigenam iuuenem & liberæ potestatis dominum, non procul abfuerit abinsania: atque vtinam iudicem præstet partibus, non patronum illis, nobis aduersarium. Hæc reputans, trepidabam, inquietus noctu & interdiu. Ita mærentẽ me, gementemq. (nec enim tutum erat interpellari Principem) alius casus inopinatus repente perterruit, non parti Iudæorum, sed vniuersis periculum afferens.

QVID LEGATI ROMAE.

IV. Veneramus ex Vrbe Puteolos, Caium secuti: descenderat enim ad mare, morabaturq. circa eum sinum, nunc hanc villam visendo, nunc aliam, quæ multæ ibi sunt & splendidæ. Nos vero de agenda nostra causa solicitos, quippe qui accersiri expectabamus continuo, accedit quidam suffusis trepidisq. oculis obtuens & anhelus: cumq. paululum seduxisset (adstabant enim quidam in proximo) Audistis ne, inquit, nouit quippiam? Simulq. conatus rem eloqui, fletu oborto impeditus est: deinde rursus exorsus narrare, iterum atque tertio fuit ad eumdem modum inhibitus. Nos vero conspectu eius territi, obsecrabamus indicaret quamobrem venisset: non enim venisse propalam flendi gratia: quòd si quid esset dignum lacrymis, faceret nos earum participes, assuetos iam calamitatibus. Tandem ille, crebro singultiens: Perijt nobis templum. Iubet Caius poni sibi colossum in adytis intimis, adscito in titulum Iouis cognomine. Nobis vero attonitis miraculo, & in vestigio præ stupore hærentibus (muti enim stabamus & enerues, defectis corporis viribus) superuenerunt alij doloris eiusdem nuncij: deinde omnes simul conclaue ingressi, & inclusi, deplorabamus fortunã priuatam atque publicam, suggerente dolore querimonias: nihil enim calamitosis loquacius. Tædebat enim, ac pœnitebat, quòd ad deprecandum iniurias, quas quotidie pateremur, medio hiemis traiecissemus vasta maria, ignari nobis imminere tempestatem in terris longe sæuiorem iactatione maritima.] hæc ille; qui dehinc quam percontati erant a nuncijs tanti mali causam, & de rebus gestis Iamniæ, deq. litteris ad Petronium scriptis de statua in templo locanda (quod nos suo loco superius diximus) acceperunt, enarrat. At licet quod Iamniæ factum esset, cunctis innotescere potuisset; tamen quid Caius in Iudæos statuisset, hactenus latuisse videtur: Petronius enim, qui nonnisi transacta hieme consilium Caij detegere, eiusdemq. iussionem aperire, scriptis ad Caium litteris (vt vidimus) statuerat; adueniente iam statuto tempore, rem in hunc modum, vt ijdem nuncij retulerunt, & Philo descripsit, aggressus est:

DE STATVA IN TEMPLVM INSERENDA NVNCIVM.

V. Dum statua colossea Sidone pararetur; honoratiores Iudæorum sacerdotes & magistratus euocat, indicaturus eis Caij mandata, simulq. suasurus vt patienter ferant iussa domini, & cauerent mala imminentia: paratum enim esse robur exercitus Syriaci ad edendas per totam eorum regionem strages maximas: putabat enim si horum præmolliret animos, posse per eos moueri ad obsequium ceteram multitudinem. Sed valde sua opinione deceptus est: perculsi enim ad primam eius rei mentionem, tamquam in præsenti calamitate, obmutuere, quasi e fonte profundendo lacrymas, capillos barbasq. vellendo cum lamentis huiusmodi: En quo nimis beati senescendo peruenimus, vt quod nemo maiorum vmquam vidit, nos spectaremus: quibus tandem oculis? hos enim prius abijciemus cum ærumnosa vita & miserabili, quàm tantum nefas inspiciamus, quod nec auditus, nec mens sustinet. Interea qui in sancta vrbe ceteraq. regione famam huius conatus audierant, velut de communi sententia coorti, tesseram dante dolore publico, profecti sunt vno agmine, desertis oppidis, castellis, & ædibus; continuatoq. itinere venerunt in Phœniciam, vbi tunc

DE STATVA CAII LOCANDA IN TEMPLO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbi tunc agebat Petronius. Id Petroniani quidem conſpicati, curſim ei renunciarunt A
caueret ſibi a turbis, infeſtum agmen exiſtimantes: moxq. nullis ſtipata ſarellitijs multitudo Iudæorum, ceu nubes, repente ſuperuenit, totam Phœnicen occupans; vt miraculo eſſet neſcientibus gentis frequentiam. Ac primum tãrus clamor cum fletu planctuq. ſublatus eſt, vt hebetaret aures præſentium: nam & poſtquam deſijt, durabat eius ſonitus. Secutæ ſunt compellationes ac preces, quales dictare ſolent calamitoſa tempora. Erant autem diſtributi in ſex ordines, ſeniorum, iuniorum, puerorum: rurſum alia parte anuum, mulierum, virginum. Vbi vero Petronius in loco ſuperiore conſpectus eſt, vniuerſi ordines velut ad vnum edictum humi procumbunt, ſupplices cum vlulatu quodam flebili: luſſiq. ſurgere, & accedere propius, vix tandem ſurrexerunt, & conſperſi multo puluere, defluenteſq. lacrymis accedebant, reductis in tergum more damnatorum ambabus manibus. B

VI. QVID IVDAEI SVPPLICES AD PETRONIVM.

Tum Senatus (*ipſum ſcilicet Concilium ſeptuagintaduorum ſeniorum, Synedrin appellatum*) ſtans ſic locutus eſt: Inermes (vt vides) adſumus, ne quis nos dicat venire hoſtiliter: manus autem pro armis a natura datas retro fleximus otioſas; præbemus & corpora ad certos ictus ferire volentibus. Vxores, & liberos, familiaſq. adduximus: ſupplices tibi, & per te Caio aduoluimur, domi relicto nemine, orantes vt aut omnes ſeruetis, aut omnes internecione deleatis. Sumus, Petroni, & natura pacis cupidi & ſtudioſi, ad quam nos trahit cura alendorum liberorum ex noſtris laboribus. Caio Imperium adepto, primi ex tota Syria gratulati ſumus, Vitellio, cuius ſucceſſor es, tunc in noſtra vrbe degente, qui ſuper hac re litteras acceperat, & a nobis ad ceteras ciuitates fama lætum nuncium pertulit: primum noſtrum templum excepit pro Imperio Caij victimas; vt primum aut etiam ſolum priuaretur religione patria. Decedimus vrbibus, C
cedimus priuatis ædibus & poſſeſſionibus: ſupellectilem vel pretioſiſſimam vltro vobis in prædam offerimus, eo animo, vt nos putemus non dare, ſed accipere. Vnum pro his omnibus petimus, ne quid in templo nouetur, vtq. ſeruetur tale, quale a maioribus nobis eſt traditum. Id ſi non impetramus, necandos nos præbemus, ne videamus viui quod eſt morte grauius. Audimus, pedeſtres equeſtresq. aduerſus nos parari copias, ſi dedicationem impediamus. Nemo ita inſanit, vt ſeruus ſe opponat domino: libenter iugulabimur, cædant, mactent, fruſtatim concidant; ſine certamine ac ſuo ſanguine agant quicquid libet victoribus. Quid opus eſt exercitu? Nos ipſi egregij ſacerdotes immolabimus victimas: adducemus ad templum mulieres, vxoricidæ; fratres ſororeſq. fratricidæ; pueros puellasq. innocentem ætatem, puericidæ (tragicis vocabulis vtendum eſt in tragicis calamitatibus) Deinde in medio eorum ſtantes abluti D
cognato ſanguine (nam talia lauacra ad inferos properantibus conueniunt) admiſcebimus & proprium, noſmetipſos iugulando inſuper. Morientium hoc mandatum erit vltimum: ne Deus quidem nos accuſet, qui vtriuſque rationem habuerimus, & Imperatori debitæ reuerentiæ, & ſacrarum legum cuſtodiæ. id fiet, ſi vitam haud viuendam contempſerimus.

VII. Audiuimus priſcam fabulam e Græca litteratura profectam, tantam vim fuiſſe Gorgonei capitis, vt hac viſa, homines confeſtim verterentur in ſaxeos: id quamquam fabuloſum videatur, negari tamen non poteſt ſimile quiddam magnos nec opinatos caſus efficere. Ira domini mortem affert, aut quiddam morti proximum. Putas, Petroni, ſi (quod abſit) aliqui noſtrates viderent in templum deduci ſtatuam, non in ſaxa mutatum iri, oculis ſtupentibus, & per ſingula membra ſopito naturali motu corporis? E
Extremum, Petroni, hoc erit noſtrum votum æquiſimum: non contendimus ne imperata facias: dilationem tantum petimus; & oramus ſupplices, vt nobis liceat legatos ad dominum mittere. Fortaſsis impetrabimus, ne religio cæleſtis numinis, ne leges ſanctiſsimæ aboleantur, neve vltimis etiam poſthabeamur gentibus, quibus ſui ritus manent incolumes; ne decreta eius aui proauiq. temerentur, noſtros mores approbantia, diligenterq. confirmantia: Forſan his auditis fiet mollior: Non ſemper eædem ſunt voluntates Principum, iratorum vero vaneſcunt celerrime. Petiti ſumus calumnijs, permitte adhibeamus remedium: Durũ eſt iniudicatos damnari: Si nihil impetramus; quid vetat, ne quæ nunc vult, tunc faciat? Ante miſſam legationem noli præcidere ſpẽ tot millium, non de lucro, ſed de pietate contendentium, immo & de lucro: quod enim homini lucrum eſt ſanctitate vtilius? Hæc tum dicta ſunt magna contentione magnoq.

A magnoq. deſiderio ab honoratiſſimis, ſingultientibus & anhelis, lacrymis ſimul ac ſudore diffluentibus, vt iam Petronio ceterisq. miſerationem mouerent: erat enim mitis ingenio, & verbis factiſq. flexibilis; & videbantur æquum poſtulare: aſpectu quoque nihil erat miſerabilius.] hactenus Philo.

VIII. CHRISTIANORVM ERGA IVDAEOS OFFICIA

Sed quid tum qui erant ex Iudæis Chriſto credentes? Par eſt credere, contribulibus ſuis, ea accepta occaſione, ad memoriam reuocaſſe execrandum facinus in Chriſtum innocentiſſimum, & de omnibus optime meritum, perpetratum: quòd illum primum abiecíſſent, ac in crucem agendum ſic clamaſſent: Tolle hunc, crucifige. Nam & illud ipſum crucis Chriſti voluebatur tempus, nempe Paſchale, quo fruges in Iudæa maturæ iam erant ad meſſem, cum hæc coram Petronio facta ſunt, vt idem Philo paulo inferius tradit: Paſchali enim tempore manipulus ſpicarum[a] offerebatur. Adieciſſe in- *a Leuit. 23.*
B ſuper, quòd cum Chriſtum negantes, ſe nonniſi Cæſarem habere Regem conteſtati eſſent, iuſte modo digneq. Cæſarem ſibi iratum experirentur. Ac denique, quòd qui contempſiſſent, carceri mancipaſſent, ac flagellis ſubiecíſſent ſalutis viam admonentẽ Petrum; Petronium adire, pedibuſq. illius aduolui & colla ſubijcere cogerentur. Adhuc etiam addidiſſe, hæc ipſa & his maiora a Chriſto prædicta fuiſſe: nimirum abominationem deſolationis in templo eſſe videndam, ciuitatẽ ſanctam expugnandam, templumq. excidendum. Hæcq. & alia id genus commemoraſſe, non quidem inſultantes, ſed commiſerantes, & cum flentibus flentes: ſicut olim Ruben fratribus ſuis[b] calum- *b Geneſ. 42.*
nias patientibus in Ægypto, & hæc loquentibus; Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio] dixerat: Numquid non dixi
C vobis: nolite peccare in puerum: et non audiſtis me? En ſanguinis eius exquiritur.] Eoſdemq. rurſus tunc ſummis a Deo precibus contendiſſe putamus (vt olim Hieremias, Daniel, & alij viri ſancti fecere) ne tam cito de rebellante ſibi populo vindictam ſumeret, ſed adhuc expectaret, ſi forte admiſſi ſceleris pœnitentes, viam ſalutis ingredientes (quod fecerant plurimi) Chriſtum, quem eiecerant, auidius reciperent, ac prædicarent. Quorum precationibus etiam factum exiſtimamus, vt Caij conſiliũ irritum rederetur, & flagellum imminens differretur.

IX. PETRONII CONSILIVM IVDAEIS VTILE.

At vero quid tum Petronius (vt quod narrandum ſuſcepimus, finiamus) decreuerit, Philo perſequitur: Habita igitur, inquit, conſulatione cum aſſeſſoribus; animaduer-
D tens partim nutare & ambigere qui modo rigide aduerſati fuerant, partim præiudicare, & miſerationem non diſſimulare; gaudebat eorum voluntatibus: et quamuis noſſet iram Imperatoris implacabilem, & naturalem ſæuitiam; tamen videbatur afflatus aura quadam philoſophiæ, pietatiſq. Iudaicæ; ſiue iam ante vir doctus ex litteris aliquid hauſerat, ſiue ex quo præfecturam adeptus eſt prouinciarum Aſiæ Syriæq. in quibus oppidatim degunt Iudæi plurimi; ſiue ſuapte natura erat ad res cognitu dignas docilis. Solet autem Deus bonis viris bona ſuggerere conſilia, tum ipſis, tum Reipublicæ commoda: quod tunc quoque contigit. Quid igitur decretum eſt? Ne properarent opifices, ſed darent operam vt ſtatua ſummo expoliretur artificio, & quantum fieri poſſet exprimerent exemplaria laudatiſſima, quo ſit durabilior: Nam opera extemporanea non temere diuturna fieri; accurata ætatem ferre melius. Ceterum legationẽ mittere, non eſt conceſſum Iudæis: nec enim ipſis tutum eſſe rem committere domino, qui poſſit omnia.

X. PRAETEXTVS DILATIONIS.

E Interim poſtulatis nec annui nec renui placuit, quòd vtrumque periculoſum eſſet; ſed litteras ad Caium mitti ſine accuſatione Iudæorum, diſſimulatis eorum ſupplicationibus: cauſam autem dilatæ dedicationis referri in opifices, quibus neceſſe ſit dari certum ſpatium temporis: eas moras afferre poſſe amplioris dilationis occaſionem, & fortaſſe tandem ipſum Caium exorari ſe paſſurum. Erant enim tum maturæ ſegetes; & timendum erat ne deplorata religione, homines quoque vitam contemnerent, & vaſtatis agris ſuaſmet fruges late per campos colleſq. incenderent. Solicitabat etiam cura colligendorum fructuum tum arboreorum tum arualium. Ferebatur enim, conſtituiſſe Imperatorem nauigare in Ægyptum Alexandriam: nec videbatur veriſimile, tantũ Principem per altum mare ſe obiectaturum periculis, vel propter comitantis claſſis magnitudinem, vel propter curam corporis, facilius iter circumeunti per Aſiam & Syriam: ſic enim quotidie fore illi copiam vel conſcendendi naues, vel exſcendendi, præſertim

Universidad de Deusto
Biblioteca

sertim ducenti longas, non oneratias, quibus ora legitur vtilius: sicut onerarijs per altum fit velificatio. Erat igitur opus, pabulum & annonam parari per omnes vrbes Syriæ, præcipue maritimas: expectabatur enim ingens multitudo terra mariq. ventura, non solum ab Vrbe atque Italia, sed & ab intermedijs prouincijs, partim honoratorum, partim militarium, equitum, peditum, naualiū nec minor seruorum numerus quam militum: et requirebatur non tantum modus necessarius, verum etiam Caio digna rerum copia. Eas litteras postquam perlegit Imperator, daturus putabatur veniam, atque etiam prudentiam laudaturus eorum qui moras necterent, non in Iudæorum gratiam, sed propter conuectionem fructuum. Ea sententia comprobata, scriptæ sunt litteræ, & expeditis nuncijs traditæ assuetis itinerum compendio. A

XI. His acceptis, ille inter legendum excandescebat, vultu præferens iracundiam. Vbi vero desijt; complosis manibus, Euge Petroni, inquit, non didicisti audire Imperatorem, tumens continuatis hactenus magistratibus? Videris ne ex fama quidem Caium nosse, quem experieris non multo post. Cordi tibi sunt leges Iudæorum, gentis mihi inimicissimæ; Principis mandata negligis? Timuisti multitudinem? quasi non haberes militum copias formidatas Orientalibus, atque adeo ipsis Parthorum Regibus. Sed miseratus es? ergo minus apud te valuit Caius, quàm miseratio? Cæsaris messem? tibi breui sine excusatione ferro caput demetetur. Causaris collectionē fructuum in aduentum nostrum parandorum? scilicet si Iudæa fieret sterilis, deerant finitimæ prouinciæ, quæ victum præberent, vnius inopiam suppleturæ suis prouentibus. Sed cur tempero a manibus? cur meam voluntatem enuncio? Ille mercedem accepturus, cladem suam primus sentiat. Desino minari; irasci non desino. Tum breui mora interiecta, cuidam ab epistolis dictat responsum ad Petronium, laudans in speciem eius prouidentiam, & in prospiciendis futuris solertia: vehementer enim timebat Præsides, quod illis promptū esset res nouas moliri, præsertim in magnis prouincijs apud magnos exercitus, qualis est ad Euphratē tractus Syriæ. Delinito igitur per litteras homine, ad tempus ira regebat implacabilem. Deinde mandatum addidit, ne vllam curam præuerteret dedicationis negotio. iam enim messes conuectæ esse poterant, & cessabat illa seu vera, seu affectata excusatio. Nec multo post aduenit Agrippa Rex, more suo Caium salutaturus, plane ignarus epistolæ Petronij, quidve Caius rescripsisset: conspiciebat tamen statim e vultus nubilo, eum latentem iram coquere: retractabatq. intra se, ne quid magnum aut paruum dicto factove committerit, quod illum offenderet: cumq. nihil inueniret, colligebat id quod erat, irasci eum alijs: ac rursum cum animaduerteret illum torue in se solum intueri, metuebat; & sæpius volens rogare, cohibuit se, ne forte minas alio tendentes, temeraria curiositate in se conuerteret. B C D

CAIVS IN PETRONIVM COMMOVETVR.

XII. Tunc Caius, vt erat callidus ex aspectu deprehendere cogitationes hominum: postquam vidit timentem hæsitantemq. Dubitas, inquit, Agrippa? hanc tibi ego dubitationem eximam. Tamdiu mecum versatus, ignoras me oculis non minus quàm voce loqui solere? Boni honestiq. ciues tui, qui soli ex omni hominum genere dedignantur Caium habere pro Deo, videntur iam mortem sibi per contumaciam quærere; dum me iubente in ipsorum templo consecrari Iouis simulacrum, populariter ex vrbe agrisq. occurrerunt specie supplicum, sed re vera mandatum meū proculcaturi. Plura intonaturus erat: cum Rex anxius, & præ metu per singula momenta colore mutato, rubicundus, luridus, liuidus, a vertice ad calcem horrore corripitur; & tremore membra quatiente, solutisq. neruis collapsus fuisset, ni eum sustentassent proximi: qui iussi, domum illum retulerunt nil sentientem, & subitanea vi mali sopitum, ac stupidum. At Caius magis etiam exasperabatur in gentis odium: Si Agrippa, inquit, familiaris & amicissimus, plurimisq. deuinctus beneficijs, tantum tribuit patrijs ritibus, vt ne verbo quidem eos violari ferat, sed deliquio pene exanimatus sit: quid expectandum est ab alijs, qui nihil habent quòd se in diuersum retrahant? E

AGRIPPA DEFICIT SENSIBVS.

XIII. Agrippa vero tota die, parteq. insequentis maxima, graui sopore pressus, sui compos non erat. Tandem sub vesperam, paululum erecto capite, ægreq. diductis palpebris, caligantes etiamtum circumferebat oculos, circumstantium facies vixdum noscitans: rursumq. somno redditus, iā sanior quiescebat, vt apparebat e respiratione & corporis habitu. Aliquanto post experrectus sciscitabatur: Vbi nunc sum? num apud Caium? adest ne ipse dominus? Responsum est: Bono sis animo; domi es; Caius non

adest;

A adest: satis dormisti; erige te in cubitum, agnosce præsentes, omnes sunt domestici, amici, liberti, famuli, dilecti & tui amantissimi. Tum vero cœpit resipiscere, singulos condolere aspiciens. Cumq. medici iussissent turbam secedere, vt vnctionibus & cibo tempestiuo corpusculum eius reficerent: Scilicet, inquit, curandum est vobis de parando mihi victu delicatiore: an non sufficit misero famem pellere vsu rerum vilissimarum simplicissimarūque? quas ipse non admitterem, nisi leuis quædam spes me teneret extremi auxilij ferendi genti infelicissimæ. Hæc cum lacrymis locutus, necessario cibo contentus fuit sine opsonijs: ac ne vinum quidem sibi miscri passus, aquam tantum gustauit: Habet, inquit, miser venter quod reposcebat debitum: mihi quid faciendum, nisi Caius suppliciter interpellandus de rebus præsentibus? Sumptisq. tabellis, scribit has litteras:

AGRIPPAE COLOR NON MVTATVR.

B Ne coram te appellem, metus obstat, domine, ac reuerentia, quòd & minis terrear, & tanta maiestate sim attonitus: hæ litteræ melius preces meas indicabunt, quas supplex pro verbis offero. Omnibus mortalibus, Imperator, a natura inditus est amor patriæ, & legum patriarum religio: id quod non est opus vt te doceam, pium erga patriam, & leges eius colentem ex animo. Cuique sua, etiam si non sint, videntur honestissima, nimirum quæ affectu magis quàm ratione iudicantur a singulis. Equidem (vt nosti) Iudæus natus sum, natale solum mihi sunt Hierosolyma, vbi altissimi Dei templum sanctissimum situm est. auos proauosq. Reges habui, & ex his aliquot etiam summos Pontifices; quam illi dignitatem pluris faciebant, quàm regiam: rati quanto Deus antestat homini, tanto pontificatum regno excellentiorem: ad illius enim curam diuinas res, humanas ad huius pertinere. Huic genti, patriæ, templo cum sim C tot modis coniunctissimus, pro cūctis deprecor: pro gente, ne a vera persuasione transire cogatur ad contrariam, cum iam inde ab initio vestram familiam persancte coluerit: quatenus enim licet saluis patriæ pietatis legibus, hac parte nulli genti cedit in tota Europa & Asia; vota pro incolumitate Imperij tui faciendo, dona offerendo, mactando victimas, non solum in celebritatibus publicis, verum & quotidianas: atque ita non tam ore linguaq. iactat suam pietatem erga Cæsares, quàm re ipsa declarat propensissimum erga illos animum. XIV.

Pro sancta vero ciuitate, patria mea, hæc afferre licet: eā esse metropolim non vnius regionis Iudææ, sed & multarum, propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Ægyptum, Phœnicen, Syriam tum citeriorem, tum eam quæ Cœle cognominatur, vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, pleraſque Asiæ partes vsque Bi- D thyniam, & Ponti sinus intimos: pari modo in Europæ Thessaliam, Bœotiam, Macedoniam, Ætoliam, Atticam, Argos, Corinthumq. Peloponnesi partes præcipuas. nec tantum continentes prouinciæ plenæ sunt colonijs Iudaicis, sed & insularum celeberrimæ Euboea, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus: excepta enim parua parte Babylonis, aliarumq. præfecturarum, omnes vrbes quæ bonum agrum habent, a Iudæis incoluntur. Itaque si exorat mea patria tuam clementiam, præter ipsam. alias ciuitates demereberis plurimas, sitas in diuersis Orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas. XV.

IVDAEI VBIQVE SPARSI.

Conuenit autem tuæ fortunæ amplissimæ, collato in vnam beneficio, plurimas deuinciri alias, vt per omnes Orbis partes decantetur tua gloria, & gratiarum actionibus laudibusq. vbique omnia perstrepant. Amicorum aliquot patrias integras ciui- E tate Romana donasti; & qui modo serui fuerant, fecisti aliorum dominos; nec magis gaudent hoc beneficio qui fruuntur, quàm eius auctores. Ego quoque scio me habere herum & dominum, sed inter amicos censeri dignitate paucis secundum, benevolentia nemini, immo primum potius, vel quia mihi est hereditaria, vel quia maximis cumulata beneficijs: non audeo tamen patriæ meæ petere, non dico ciuitatem Romanam, sed ne libertatem quidem aut immunitatem: peto gratiam ipsis vtilissimam, tibi autem innoxiam: quæ enim est subditorum maior felicitas, quàm habere propitium Principem? Hierosolymis primum audita est, Imperator, exoptata tua successio, e sancta ciuitate diffusa est eius fama ad finitimas prouincias; digna est quæ impetret tuam gratiam. Quemadmodum enim maximi natu filij honoratiores sunt, quòd primi fastum patris matrisq. nomen parentibus dederint: eodem modo quoniam prima Orientalium hæc ciuitas te Imperatorem consalutauit, æquum est vt a te tracte- XVI.

tur li-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur liberalius, aut certe ne sit deteriore conditione quàm ceteræ. Hactenus pro patria A
deprecatus, postremas pro templo preces adhibeo.

XVII. DE TEMPLO AB OMNIBVS HONORE HABITO.

Hoc templum, Cai domine, iam inde ab initio nullam vmquam admisit manufactam effigiem, cum sit Deo domicilium. pictorum enim atque statuariorum opera sunt sensibilium deorum imagines: illum autem inuisibilem pingere aut fingere, nefas duxerunt nostri maiores. Agrippa tuus auus inuisit hoc templum & honorauit: Augustus quoque per litteras iussit vndecumque illuc mitti primitias, institutoibi etiam quotidiano sacrificio: honorauit id & tua proauia. Non Græcus, non barbarus, non Rex, Satrapave vllus vel infensissimus, non seditio, non bellum, non captiuitas, non vastatio, non alia res vlla vmquam tantam cladem intulit, vt contra veterem morem effigies manufacta in id importaretur: quamuis enim infensos haberet accolas, semper tamen sua religione tutum fuit, vt sacratum conditori patriq. rerum omnium. Sciebant enim violationem eius expiatam sæpe grauissimis calamitatibus. Quamobrem veriti sunt iacere impietatis semina, ne sibi perniciem inde meterent. Nec est opus externis testibus, cum possim tibi citare domesticos. B

XVIII. ROMANORVM PRINCIPVM ERGA TEMPLVM OFFICIA.

M. Agrippa tuus auus maternus Iudæam, Herode auo meo regnante, adijt, nec grauatus est a mari ad metropolim mediterraneam ascendere: cumq. spectasset templum, & decoros ritus sacerdotum, puritatemq. ciuium, delectatus est spectaculo vt mirifico & ineffabili, adeo vt inter familiaria colloquia nihil tunc in ore haberet aliud, quàm laudes templi, eiusq. ornamentorum. Ergo quamdiu hæsit ibi in Herodis gratiam, accedebat id quotidie, oblectans animum contemplatione sacri apparatus, & sacrificiorum ordine, verendæq. maiestatis in summo Sacerdote sacrato cultu ornato, præsidenteq. ceteris. Dein vbi templum donis honorauit, & ciuibus indulsit quantum potuit saluis vectigalibus; laudato Herode, ipse vicissim laudatus plurimum, ad mare deductus est, prosequentibus non vnius ciuitatis populis, & flore frondeq. illum ob pietatis admirationem aspergentibus. C

XIX. TIBERII STVDIVM ERGA IVDAEOS.

Quid alter tuus auus Tiberius Cæsar? nonne manifeste eamdem voluntatem habuit? certe per vigintitres annos, in quibus imperauit, antiquissimam religionem templi seruauit incolumem immotamq. modis omnibus: et possum quiddam in laudem eius proferre, quamuis mille sub ipso iactatus casibus. sed amica est & tibi quoque grata veritas. Pilatus erat Procurator Iudææ: hic non tam in gratiam Tiberij, quàm in odium populi, auratos clypeos dedicauit intra sanctam vrbem in Herodis regia, nulla insignes imagine, nec habentes quicquam vetitum: tantum titulus continebat nomen dedicantis, & eius cui dedicabantur. Id vbi diuulgatum est in populum; aduocatis viris quatuor regijs filijs, fortuna dignitateq. regia præditis, reliquisq. huius familiæ, atque optimatibus ceteris, orabant vt tolleretur illa clypeorum nouitas, nec violarentur ritus patrij, conseruati a superioribus Regibus & Imperatoribus. Cumq. ille aduersaretur rigide, vt erat peruicaci duroq. ingenio; conclamatum est: Desine seditiones bellaq. ciere, desine pacem profligare: Non honoratur Imperator per legum contumeliam: noli hunc iniuriæ prætextum quærere: Tiberius nihil vult temerari in nostris ritibus: aut ostende illius edictum, vel epistolam, aliudve simile; aut da, vt te omisso, per legatos oremus dominum. Id vero eum magis exasperauit, veritum ne si mitteretur legatio, cetera quoque detegeret eius crimina, venditatas sententias, rapinas, iniurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorum, crudelitatem sæuissimam. Iratus igitur homo iracundus, anceps erat animi; quòd neque demere semel dedicatas res auderet, nec subditis gratificari vellet, non ignorans Tiberij talibus in rebus constantiam. D E

XX. PRO IVDAEIS TIBERIVS RESCRIPSIT.

Quod vbi viderunt optimates, & animaduerterunt eum pœnitere cœpti, quamuis dissimularet; scripserunt Tiberio litteras humili deprecatione plenissimas. qui cognito quid dixerit Pilatus, quid minatus sit, non est opus vt dicam quantum excanduit, quamuis non commoueretur temere: res ipsa iram eius indicat. Confestim, nihil procrastinans, scribit litteras, valde obiurgando eius audaciam, iubendoq. vt sine mora clypeos tolleret. et translati sunt Cæsaream maritimam, ab Augusto proauo tuo denominatam, quo in ei sacrato templo dedicarentur, sicut factum est. ita consultum fuit & Imperatoris honori, & ciuitatis antiquis moribus. Tunc dicabantur clypei nulla picti effigie, nunc colossea statua: tunc in priuatis Procuratoris ædibus; nunc (vt fertur) po-

A tur) ponetur in intimo Sanctuario, quod semel quotannis Pontifex introgreditur ieiunij tempore, tantum odores incensurus, & ex more vota facturus, vt felix annus & pax contingat omnibus hominibus. De cetero si quis non dico plebeius Iudæus, sed sacerdos, vel summo proximus, immo is ipse Pontifex, si duobus anni diebus, vel eadem die ter quaterve introierit, capite luet absque venia. Tantam religionem adytorum voluit esse legislator, vt hæc sola inaccessa intactaq. seruarentur. Quàm multos sacrificos putas vltro mortem obituros, si videant importari statuam? Equidem puto illos, iugulatis vxoribus & liberis, postremo se ipsos mactaturos super domesticorum cadauera. Hæc sunt decreta Tiberij.

XXI. AVGVSTVS FAVIT IVDAEIS.

Quid proauus tuus, omnium quotquot vmquam fuerunt Imperatorum optimus, primus ob virtutem & fortunam Augustus cognominatus, qui pacem terra mariq. diffudit vsque ad extremos Orbis terminos? nonne postquam audiuit ab his quos de hoc templo percontabatur, nullum ibi esse simulacrum manu factum, quod visibili forma naturam inuisibilem exprimeret, religiose admiratus est? quippe qui non summis labris philosophiam gustauerat, sed plerumque in conuiuijs, quæ fere quotidiana erant, memoria retractabat quæ a philosophis didicerat, aut ex doctorum virorum, quos domi alebat, consuetudine: nam cœnæ tempus vt plurimum tribuebatur eruditis fabulis, vt non solum corpus, verum & anima suis reficeretur delicijs. Huius Augusti proaui tui cum possim exempla proferre aliquot, contentus ero duobus. Primum, cognito quòd negligerentur sacræ primitiæ, per litteras mandauit prouinciarum Asiæ Procuratoribus, vt sinerent Iudæos solos in synagogis cœtus facere: non enim hæc esse Bacchanalia, vel seditiosorum conuenticula turbandæ pacis causa, sed scholas iustitiæ B C temperantiæq. in quibus studium virtutis floreat: primitias vero quotannis conferri, vnde fiant sacrificia, missa in hoc sacra legatione ad templum Hierosolymas. Deinde edicit, ne quis sit impedimento Iudæis cœtus collectasve facientibus, aut Hierosolymas eas mittentibus more patrio. Hæc enim etsi non his verbis, in eam tamen sententiam mandata sunt per litteras. Subijciam exemplum vnius epistolæ, quo facilius credas, domine: quam C. Norbanus Flaccus scribit, indicans quid ipsi Cæsar significauerit. Epistolæ verba sunt hæc:

LITTERAE NORBANI PROCONS. PRO IVDAEIS.

C. Norbanus Flaccus Proconsul, Ephesiorum magistratibus salutem. Cæsar mihi scripsit, Iudæos, vbicumque sint, antiquo more suos cœtus facere, conferreq. pecunias quas mittant Hierosolymas: hos non vult vetari. Ideo vos certiores facio, me iubere ita fieri.] hæc Norbanus. Subdit vero Agrippa:

XXII. AVGVSTVS ERGA DEVM IVDAEORVM PRO PENSIOR.

D An non hæc manifesta fides, Imperator, voluntatis Cæsaris, quàm pie fuerit affectus erga templum nostrum, dum permittit Iudæos in publico celebrare suos conuentus propter primitiarum collationem, ceteraq. pietatis officia? Est & aliud argumentum priore non minus, ex quo liquet Augusti sententia. Iussit e suis ipsius redditibus offerri quotidie victimas rite in holocaustum altissimo Deo, quæ hodie quoque offeruntur, videlicet taurus, & agni duo: quas Cæsar altari destinauit, quamuis sciret ibi nullum simulacrum esse vel in occulto, vel in propatulo: nihilominus tantus Princeps, cogitatione philosophiæ nulli secundus, animaduertit necessum esse vt in terris eximium fanum dicaretur inuisibili Deo sine vlla effigie, vbi homines cum bona spe vota faciant. Hoc magistro vsa proauia tua Iulia Augusta, ornauit templum hoc aureis phialis, & calicibus, alijsq. donis plurimis ac pretiosissimis. Cur E tandem, cum nullum ibi esset simulacrum? Imbecilliores sunt mentes mulierum, & nihil nisi sensibile possunt percipere: at illa sicut ceteris rebus totum sexum, sic hac quoque superabat, eruditione meditationeq. assecuta quod natura negauerat; & virilem rationem adepta, in tantum euasit perspicax, vt intelligibilia magis quàm sensibilia cerneret, & hæc vmbras illorum esse censeret. Cum igitur habeas, domine, tot exempla domestica optimæ erga nos voluntatis maiorum tuorum, a quibus prognatus, & ad hoc rerum fastigium prouectus es: serua quæ illi ad vnum omnes conseruarunt. Deprecantur pro nostris legibus Imperatores apud Imperatorem, Augusti apud Augustum, aui proauiq. apud nepotem, plures apud vnum: tantum non dicentes: Noli decreta nostra, quæ in hanc vsque diem permanserunt, facere irrita. Etenim vt nihil infaustum antiquationem eorum sequatur, tamen incertitudo futuri temporis non sinit securos esse vel audacissimos, modo ne sint plane contemptores numinis.

Si vellem

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXIII. AG RIPPA RECOLIT ACCEPTA BENEFICIA.

Si vellem numerare quæ in me contulisti beneficia, dies me deficeret, nec opus est id A
me obiter facere: sed vt ego taceam, res ipsæ loquuntur. Exemisti me ferreis vinculis,
quis nescit? Obsecro, Imperator, ne me astringas grauioribus: illa partem premebant
corporis, at hæc vereor ne totam onerent animam. Impendentem mihi metum mortis
depulisti, & metu præmortuum ceu rediuiuum excitasti e funere. Velis, Imperator,
hoc beneficium esse perpetuum, ne tuus Agrippa vitam abrumpat: alioqui videbor
seruatus, non vt viuerem, sed vt nouis calamitatibus insignis morerer. Donasti mihi re-
gnum, qua sorte nulla inter mortales felicior: id cum prius vnam regionem non exce-
deret, adiunxisti mihi mox maiorem alteram, Trachonitim & Galilæam. Ergo cum
superflua ditione me auxeris, domine, noli adimere quæ sunt necessaria: noli produ-
ctum in lucem clarissimam, rursus in tenebras altissimas abijcere. Libenter cedo isti
splendori, & pristinam fortunam deprecor. Vnum peto pro cunctis ceteris, incolumita- B
tem ritus patrij. Quid enim de me loquentur vel tribules, vel vniuersi homines? Alter-
utrum enim sequetur: aut vt appeller meorum proditor, aut vt inter tuos amicos post-
hac non habear: quo vtroque quid potest esse infelicius? Nam si adhuc in amicis nu-
meror, proditionis insimulabor, si nec patriam iam indemnem, nec templum inuiola-
tum præstitero. Nam vos præpotentes soletis amicorum ad Imperatoriam opem con-
fugientium rebus consulere. Quòd si qua in re animo tuo molestus sum; noli me vinci-
re, vt Tiberius: sed ne toties vincula timeam, iube mox interimi: quid enim mihi vita
opus est, cui spes vnica salutis fuit in tua beneuolētia?] hactenus Agrippa. subdit Philo:

XXIV. Has litteras obsignatas mittit Caio; & inclusus domi expectabat anxius de euentu,
solicitusq. ne illum interpellaret parum commode: nam non mediocris periculi iecerat
aleam, nimirum de libertate saluteq. non solum terram sanctam incolentium, verum C
etiam omnium in toto Orbe dispersorum Iudæorum. Ille inter legendum nunc offen-
debatur, quòd cœpta non succederent; nunc flectebatur, vel iure ipso causæ tam bonæ,
vel adiunctis precibus. et Agrippam partim laudabat, partim incusabat: vitio verte-
bat, quòd tribules suos nimis diligeret, solos contumaciter auersantes ipsius consecra-
tionem: laudabat, quòd non celaret suam sententiam; id quod aiebat indicium genero-
si animi. Mitigatus igitur, vt videbatur, respondit clementius, & Agrippæ donauit
ceu maximam gratiam, ne fieret dedicatio. Simulq. iussit scribi P. Petronio Syriæ
Præsidi, ne quid in Iudæorum templo nouaret. Ne autem solida esset ea gratia, terro-
rem admiscuit, sic scribens:

XXV. QVID CAIVS AD PETRONIVM. Quòd si extra vnam metropolim in finitimis vrbibus quicumque volentes altaria,
templave, aut statuas, imaginesve mihi, meisq. ponere, vetiti fuerint: quisquis obsti- D
terit, plectatur continuo, aut ad me mittatur.] hæc Caius ad Petroniū. pergit Philo: Id
vero nihil aliud erat, quàm seditionum initiū bellorumq. ciuiliū, & gratiæ, quæ vide-
batur concessa simpliciter, obliqua quædam abrogatio. Nam aduersarij magis in odiū
Iudæorum, quàm in Caij honorem, repleturi putabantur totam regionem anathema-
tibus; hi contra violari suos ritus in conspectu suo non passuri, etiam si essent patientis-
simi: vt Caius, si quis se moueret, seuere puniens, rursum in templo dedicari iuberet
statuam suam. Sed diuina prouidentia iustissimi numinis factum est, vt nemo finitimo-
rum quicquam moueret, occasionemq. præberet: quamuis ne accusatione quidem vel
mediocri expectata, imminebant casus grauissimi.

XXVI. CAII INCONSTANTIA. At quid hæc quies profuit? dicat aliquis: nec enim Caius quiescebat cum ceteris,
iam pœnitens concessæ gratiæ, resuscitansq. pristinam concupiscentiam. Nam iussit E
Romæ fieri alium colossum æreum inauratum, omisso illo Sidonio, ne quem motum
excitaret in populo; vtq. nauibus transportatum per silentium, repente clam, priusq.
quam sentiretur, in templo poneret. Id autem facturus erat obiter in Ægyptum naui-
gans: tenebatur enim miro visendæ Alexandriæ desiderio; magna cura profectionem
instituens, vt ibi diu degeret, ratus consecrationem suam, quam somniabat, in hac vna
ciuitate posse succedere, atque inde huius religionis exemplum manaturum ad mino-
res ceteras, propter situm eius vrbis in regione opportunissima. Solent enim minores
vel homines, vel ciuitates, ad maiorum æmulationem se componere. Et erat alioqui
etiam inconstans ingenio; vt mox pœnitens, si quid boni fecisset, irritum infectumq.
id cuperet, vt fieret molestior ac nocentior. Verbi gratia, vinctos soluit aliquot, mox
nihil commeritos vinxit denuo, omni spe adempta iam miserrimis: alios damnauit

exilio

A exilio, mortem expectantes, non quòd conscirent sibi capitalem culpam, aut quauis
pœna dignam vel leuissima, sed ob nimiam iudicis inclementiam desperabundos. hi
rati se euasisse, lucro imputabant exilium, quo non minus gaudebant, quàm alij redi-
tu in patriam. Sed non multo post, nihil noui molientes, insulas tamquam natale
solum incolentes, ferentesq. fortiter infortunium, submissis militibus occidit vniuer-
sos, luctum inopinatum in Vrbe afferens familijs nobilissimis. Quòd si quibus dona-
uit pecuniam, postea repetebat, non vt mutuatitiam cum fœnorum fœnoribus, sed vt
furtiuam cum maximo damno eorum qui acceperant: non enim satis erat miseros
donata reddere, sed omnia sua bona supererogabant siue patrimonij hereditatumq.
iure quæsita, siue industria propria. Qui vero maxime probatos & caros ei se puta-
bant, alio modo mulctabantur suauiter prætextu amicitiæ, ingentes sumptus facien-
B do in repentinas & inconsideratas profectiones, atque in conuiuia: aliquando enim
facultates omnes in vnam cœnam insumebantur, ita vt opus esset mutuum accipere
a fœneratoribus: tantum erat splendoris & magnificentiæ. quo factum est, vt qui-
dam auersarentur eius gratias, vt non modo inutiles, sed damnosas etiam, & inesca-
trices insidiosas.

Hæc fuit eius morum inæqualitas atque inconstantia, præsertim erga Iudæos sibi XXVII.
exosos maxime: quorum proseuchas, exorsus ab Alexandria, sibi vsurpauit, & reple-
uit statuis effigiem suam referentibus, nemine non cedente ipsius auctoritati atque
violentiæ. Supererat vnum sanctæ ciuitatis templum cum iure asyli; id conabatur in CAII NOVVM CONSILIVM DE INFERENDO SIMVLACRO IN TEMPLVM.
suum proprium templum demutare cum titulo NOVI IOVIS ILLVSTRIS
C CAII. Quid ais? Tu cum sis homo, ætherem & cælum quæris insuper, non conten-
tus Imperio tot prouinciarum, insularum, gentium? Deo in terra nihil vis relinque-
re? non agrum, non ciuitatem, non fanum quidem tam modicum illi dedicatum ex
oraculis, vt ne hic supersit vllum vestigium, monumentumve pietatis ac religionis ve-
ro Deo debitæ? Egregiam de te spem facis humano generi. Ignoras te aperire fontes
malorum cunctorum, dum moliris quæ nec facere nec cogitare fas est? Libet com-
memorare hic & illa quæ vidimus audiuimusq. quando ad Reipublicæ nostræ causam LEGATI RVRSVS CAVSAM AGVNT APVD CAIVM.
agendam acciti sumus. In primo statim congressu cognouimus ex vultu gestuq. pro
iudice nos eum habituros accusatorem & aduersarium. Iudicis enim officium erat, se-
dere in optimatum consistorio, examinare causam per quadringentos annos dissimula-
tam, & tum primum reuocatam in dubium, vbi ageretur de tam multis Iudæorū Ale-
xandrinorum millibus: citare horum aduersarios, vicissim partes audire ad clepsydra-
D rum numerum: consultare cum assessoribus, palam proferre sententiam iustissimam.
At ille cum herili supercilio se gessit vt tyrannus inclementissimus. Nam his omissis
quæ modo dixi, accersit curatores duos hortorum Mœcenatis & Lamiæ, qui & inter
se & vrbi propinqui sunt, in quibus iam tribus diebus quatuorve habitauerat, vbi
nobis præsentibus agenda erat totius gentis fabula. Iubet villas omnes sibi aperiri; velle
enim se singulas diligenter inspicere. Tum nos introducti, ad primum conspectum eum
reuerenter adorauimus, & Imperatoris Augustiq. appellatione salutauimus. Ille resa-
lutauit tam comiter, vt de vita, nedum de causa, desperaremus. Ringendo enim ro-
gauit: Vos ne estis illi dijs inuisi, qui me omnium confessione deum declaratum soli
aspernamini, mauultisq. vestrum innominatum colere? Simulq. sublatis in cælum ma-
nibus, erupit in vocem quam ne audire quidem fas est, nedum perloqui verbis toti-
E dem. ac mox exorta est aduersæ partis ingens lætitia, quòd hoc audito iam tum se vi-
ctores in hac causa fore ominarentur: itaque gestiebant & exultabant præ gaudio, deo-
rum omnium ei acclamantes cognomina. His appellationibus humanam naturam
excedentibus gaudentem conspicatus Isidorus sycophanta amarulentus: Magis, in-
quit, detestareris, domine, homines istos, eorumq. tribules, si scires, eorum erga te
impietatem atque maleuolentiam: omnibus enim pro salute tua votiuas cædenti-
bus victimas, isti soli non sustinuerunt sacra facere: Cum dico isti, de cunctis Iudæis
loquor. Exclamauimus vnanimiter: Domine Cai, calumnijs petimur. Immolaui-
mus hecatombas, libatoq. ad aram sanguine, carnes domum non retulimus ad epu-
las, vt quorumdam est mos, sed integras victimas exurendas sacro igni tradidimus,
idque ter: primum, quando successisti in Imperium: iterum, quando grauem illum
morbum euasisti, cui totus Orbis condoluit: tertio, votum pro victoria Germanica.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esto, inquit, sacra feciſtis, sed alteri, nec pro me: quid igitur prodeſt? mihi certe A
non sacrificaſtis. Ibi nos horror peruaſit hac noua voce attonitos, qui se in cute quo-
que exeruit.

XXVIII. CAIVS DE IVDAEIS PORCINAE CARNIS COMPELLAT IVDAEOS.

Ille interim villas obibat, inſpectans aulas & conclauia in imis ædibus & in cœna-
culis quorumdam locorum reprehendens vitia, & mandans quid mutari vellet in me-
lius: nos vero aſſectabamur eum, ſurſum deorſum protruſi, & cauillis conuicijſq. pe-
titi ab aduerſarijs, non aliter, quàm hiſtriones in ſcenis; nam hoc quoque negotium
erat quædam fabula. Iudex perſonam accuſatoris ſumpſerat; accuſatores agebant ne-
quam iudicem, ſimultatis, non veritatis memorem. Sub tanto autem accuſatore ſimul
atque iudice neceſſarium eſt ſilentium. Nam hoc quoque quoddam defenſionis genus
eſt, præſertim quando nihil ei gratum reſpondere poteramus, linguam cohibente ritu
patrio, oriq. clauſtra imponente. Vbi vero quædam mandata dedit de ædificijs, ſe- B
rio grauiterq. interrogauit: Cur abſtinetis a porcina? Ad hanc percontationem rur-
ſus riſus magnus aduerſariorum exortus eſt, partim gaudentium, partim vt feſtiuo ſal-
ſoq. dicto arridentium, & ſic quoque captantium dominicam gratiam: adeo vt qui-
dam e famulitio moleſte ferrent tam contemptim eos ſe coram Principe gerere; quo
præſente vel ſubridere, periculoſum ſit alijs, præterquam admodum familiaribus.
Cumq. nos reſpondiſſemus, eſſe mores alibi alios, & aduerſarijs itidem vt nobis inter-
dictum vſu rerum quarumdam; alius vero quidam ſubiecisſet, multos ne agnina qui-
dem veſci vbique parabili: ridens ille, Recte, inquit, inſuauis eſt enim. His magis ir-
ridebamur ipſi anxij.]

XXIX. AEGYPTII ABSTINENT ESV OVIVM.

Haud dubium legati Iudæorum, ſic reſpondentes de his qui abſtinerent ab eſu agno-
rum, ſugillarunt Ægyptios. Thebanos enim agnis temperaſſe, nec apud eoſdem C
oues ſolitas immolari, tradit Herodotus [a]. Ad hæc ſpectare arbitramur quod in Ge-
neſi [b] ſcriptum legitur, Ioſephum dixiſſe: Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores
ouium.] Contra vero idem ſcribit Herodotus, caprarios in honore fuiſſe apud Æ-
gyptios. At ſicut ab eſu ouium, ita & caprarum eos abſtinuiſſe, his verſibus teſta-
tur Iuuenalis [c]:

a Herodot. in Eut. rpe.
b Geneſ. 46.
c Iuuenal. Satyra 15.

—— *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa: nefas illic fœtum iugulare capellæ.]

d Exod. 8.

Ad hæc item ſpectat quod habetur in Exodo [d], reſpondiſſe Moyſen Pharaoni, dicen-
ti ſibi: Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac] Non poteſt ita fieri: abominationes
enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro?] quaſi minus licuiſſet oues
in Ægypto immolare, vel hircum, vel bouem; quòd ea animalia (vt idem teſtatur He- D
rodotus) ſacroſancta apud Ægyptios haberentur. ob quam cauſam ſubdit Moyſes:
Quòd ſi mactauerimus ea quæ colunt Ægyptij, coram eis: lapidibus nos obruent.]
Sed ad Philonem reuertamur, qui hæc pergit narrare de Caio:

XXX. QVAE RELIQVA CAII CVM IVDAEIS.

Tandem non ſine ſtomachatione: Cupio ſcire, inquit, quod ius illius ciuitatis præ-
tenditis. Nobis vero exorſis orationem; cum ex primo guſtu intelligeret afferri quæ-
dam non contemnenda, & allatum iri vehementiora: abrupit ſermonem, & curſu ſe
in magnam aulam proripuit: obambulanſq. iuſſit claudi feneſtras vitro candido, ſimi-
li ſpecularibus lapidibus, quibus lux admittitur, ventus & Sol excluditur. Poſtea ad
nos lento gradu acceſſit, & moderatius iam rogauit: Quid dicitis? Nobis autem de-
inceps rem in compendium contrahentibus, rurſum procurrit in aliud cubiculum,
vbi tabulas antiquæ picturæ iubebat reponi. Cumq. ad hunc modum cauſæ noſtræ E
actio interrumperetur, immo fruſtatim concideretur; laſſi deſperanteſque, nec aliud
quàm mortem expectantes, vix animi compotes præ anxietate, ſuppliciter ad Deum
verum confugimus, vt nos e falſo nominati Dei minis eriperet. Qui nos miſeratus, fu-
rorem eius mitigauit. Itaque depoſita iam ferocia, tantum hoc præfatus; Homines iſti
non tam mihi videntur mali quàm miſeri; quia ſibi perſuaderi non ſinunt, me eſſe na-
turæ diuinæ participem: abijt, ſimulq. nos iuſſit abſcedere.

XXXI. LEGATI MALORVM TIMORE PRESSI.

Poſtquam hoc non tam iudicium quàm carcerem & theatrum effugimus (nam
quaſi in theatro exibilabamur, ſubſannabamur, & irridebamur ſupra modum: nec
ſecus quàm in carcere cruciabamur, ferebamuſq. tormenta totius animæ, dum bla-
ſphemias in Deum, & contra nos comminationes Imperatoris tam potentis audire-
mus, vnà ob rem infenſi & implacabilis, quòd inſanæ cupiditati, qua deus haberi am-
biebat,

A biebat, ſolos Iudæos aſſenſuros non putabat, ac ne poſſe quidem ei ſubſcribere) vix reſpirauimus: non quòd amore vitæ mortē horreremus, quam auide vt immortalita-
tem arripuiſſemus, ſi quidem profuturum exiſtimaſſemus noſtris legibus: ſed quòd
ſciremus noſtrum exitium fore non ſolum inutile Reipubl. verum ignominioſum etiā
(nam legatorum infortunium ſolet imputari his a quibus miſſi ſunt) ea de cauſa emer-
ſiſſemus aliquando e miſerijs. De cetero enim ſoliciti eramus, quid decreturus, quidve
pronunciaturus eſſet: quomodo enim poterat cauſam pernoſcere, qui multas eius cir-
cumſtantias ne audire quidem dignatus fuerat? An non erat oneroſum, a nobis quin-
que legatis pendere omnes Iudæos, quotquot vſquam habitant? Si enim gratificare-
tur noſtris inimicis, quanā alia quieſceret ciuitas? quænam inquilinis parceret? quæ-
nam proſeucha relinqueretur incolumis? quænam iura ſeruarentur Iudæis patrio iure
B viuentibus? Imminebat ſubuerſio, iactura, naufragiumq. priuilegiorum quæ gens ea
habebat in ſingulis ciuitatibus. Tot curis oppreſſi, ſuccumbebamus miſeri: nam qui
nobis fauere antea videbantur, prorſus deſperauerant: quapropter cum ad illum ac-
cerſiremur, ſubduxerunt ſe præ metu, quòd bene ſcirent dementiam hominis gerentis
ſe pro deo. Diximus in ſumma cauſam odij, quo Caius nationem Iudæorum proſe-
quebatur: ſupereſt vt dicamus eam, qua vſi ſumus apud eum, palinodiam.] hactenus
Philo; cetera deſunt.

XXXII. DE APIONE GRAM. LEGATO PRO ALEXANDRINIS.

Quod autem pertinet ad Apionem, vnum pro Alexandrinis legatum: huic non ſa-
tis fuit coram Caio, atque compluribus alijs, in Iudæos oraſſe: quinetiam ipſum pro
Alexandrinis & Ægyptijs aduerſus Iudæos Alexandriæ agentes, ac denique (vt verius
C loquar) omnes, commentarium conſcripſiſſe, ſciendum eſt, illudq. calumnioſum, at-
que adeo confertum mendacijs & blaſphemijs, vt nil odioſius eo videri poſſit, potiſsi-
mum miſeris Iudæis. Erat hic Ægyptius, extrema eius parte quæ [a] Oaſis dicitur,
oriundus, ac denique ciuitate Alexandrina donatus, faſtuoſus ac per omnia arrogans
homo, de quo hæc Plinius [b] Secundus: Apion quidem grammaticus hic, quem Ti-
berius Cæſar cymbalum mundi vocabat, cum publicæ famæ tympanum potius videri
poſſet, immortalitate donari a ſe ſcripſit ad quos aliqua componebat.] Gellius [c] etiam
de eodem ſic ſcribit Apione: A vitio ſtudioq. oſtentationis ſit loquacior: eſt enim ſa-
ne quàm in prædicandis doctrinis ſuis venditator.] hæc Gellius. Ceterum Ioſephus [d],
qui duos libros aduerſus eumdem Apionem conſcripſit, cunctaſq. in Iudæos ab eo
ſparſas calumnias egregie confutauit, qualis ille fuerit, ſuis coloribus pinxit: qui &
eiuſdem miſerandum interitum his paucis narrauit: Recte mihi videtur Apion pro-
D pter patriæ ſuæ leges pœnas dediſſe blaſphemiæ. Etenim neceſſario circumciſo circa
genitalia, vulnera ei facta nihil profuerunt; & putrefactis, in magnis doloribus expi-
rauit.] hactenus Ioſephus.

a Ioſeph. contra Apion. lib. 2.
b Plin. in præf. ad hiſt. Plinij Senioris.
c Gell. lib. 5. c. 14.
d Ioſeph. lib. 2. contra Apion.

XXXIII. CALVMNIAE APIONIS IN IVDAEOS.

Hæc de Apione breuiter recenſuiſſe volumus, quòd impiæ in res Iudaicas ab eo
prolatæ calumniæ, in Chriſtianos etiam, quòd ex Iudæis progeniti eſſent, ſunt illapſæ,
Gentilibus Fideles æque carpentibus, & dicterijs exagitantibus, quòd caput aſini ado-
rarent, prout Tertullianus [e] & alij antiquorū, qui calumniā refellunt, ſuis ſcriptis pro-
didere. huiuſquidem concinnator ſtrophæ fuit Apion, qui hæc inter alia execranda
E eſt commentus de Iudæis, ſic dicente Ioſepho [f]: In hoc enim ſacratio Apion præſum-
pſit dicere aſini caput collocaſſe Iudæos, & id colere, ac dignum facere tanta religio-
ne: et hoc affirmat eſſe depalatum, dum Antiochus Epiphanes & expoliaſſet tem-
plum, & illud caput inueniſſet ex auro compoſitum, multis pecunijs dignum.] hæc Io-
ſephus, qui aperti mendacij procacem hominem redarguit: cuius rei ſuſpicionem Cor-
nelium Tacitum inuexiſſe, idem putauit Tertullianus; dum ille egregie mentitus, di-
xit [g] Iudæos effigiem aſini ſilueſtris, qui aquam monſtrauerit in deſerto, in penetrali-
bus conſecraſſe. Sed de his aliàs.

e Tertul. in Apolog. c. 16.
f Ioſeph. lib. 2. contra Apion.
g Tacit. lib. 5.

XXXIV. IOSEPHVS ERRORIS ARGVITVR.

Quod vero ſpectat ad legationem Philonis ac ſociorum pro Iudæis Alexandrinis
ſuſceptam: quem finem ſortita fuerit, haud ſatis liquet; niſi quòd Caio ſequentis an-
ni exordio nece ſublato, quæ ab illo in Iudæos Alexandrinos, vel in templum de coloſ-
ſo in eo erigendo ſtatuta fuerant, omnino irrita facta eſſe intelligimus. Verū antequam
ad alias res geſtas ſtylum conuertamus, illud diſſimulare non poſſumus, quòd hæc
omnia de rebus geſtis Caij atque Petronij aduerſus Iudæos, aliter a Ioſepho narrantur,
quàm ex Philone ſunt ſuperius recitata. Neminem tamen putamus adeo imprudē-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tem, qui in his non Philoni potius acquiescendum, vt antiquiori, & qui hæc oculis spectarit, existimet, quàm Iosepho, qui hoc tempore plane insans, natus erat annos tantummodo tres: quippe qui (vt ipse de se testatur) genitus fuerit anno primo eiusdem Caij Imp. Hæc opportune ob oculos legentiũ ponimus, ac perspicue inspicienda proferimus, sicut & de alijs eius erroribus superius fecimus; vt non adeo quis miretur, si interdum videat eumdem auctorem ab Euangelistis longe dissentire, cum nec Philoni consentiat, in re præsertim tam certa, & auctoris qui interfuit, fide testata.

XXXV. IN QVIBVS IOSEPHVS A PHILONE DISCREPAT.

Nam quod primum occurrit: ecce tibi, tradit Philo, Iudæos semel tantum conuenisse Petronium in Phœnicia agentem messis tempore: Iosephus[a] vero, tempore serendorum agrorum, idq. iterum accidisse, & Ptolemaide primum, inde Tiberiade Petroniũ conuenisse affirmat. Rursum, alio argumento esse scriptas a Petronio litteras ad Caium, atque diuerso ab eo quod narrat Philo, Iosephus significat. Demeritam insuper Caij gratiam ab Agrippa occasione conuiuij, cum idem scribat Iosephus; longe aliter per Philonem rem se habere facile cognoscimus. Redditas denique a Caio ad Petronium litteras diuersas plane ab his quas Philo vere nos docuit, ipsum asserere, nemo non videt. Caium vero antea occisum esse quàm ab eo scriptæ litteræ ad Petronium peruenirent, quod & ipse ait; quis, quæso, esse commentum, ex ijs quæ ex Philone recitauimus, non intelligit? Ex his igitur alijsq. eiusdem auctoris superius notatis erroribus, quàm vacillet talis historici fides, & quàm leuiter nonnulli qui veritatem historicam vix summis labijs attigerunt, eidem plurimum tribuant, omnes facile iudicabunt. Ceterum nos tam de eo quàm ceteris auctoribus eam ducimus habendam esse rationem; vt non idcirco, quòd iterum atque iterum erroris arguantur, cetera ab eis scripta reijciamus: sed cunctis exacte discussis, ea nobis probentur, quæ non facile improbari possint; veritatemq. dixisse putemus eos qui aperti mendacij conuinci nequeant.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 11. & de bello Iud. lib. 2. c. 9.*

XXXVI. DE PHILONIS LEGATIONIBVS.

Quod insuper ad Philonem spectat; ne quis errore labatur: constat ipsum legatum bis agentem, iterum venisse Romam; primum quidem vna cum quatuor socijs, tempore Caij Imperatoris; rursum vero tempore Claudij, vt his S. Hieronymus[b] indicat verbis: Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quo legatus gentis suæ missus fuerat; cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem vrbe locutum esse cum Apostolo Petro, eiusq. habuisse amicitias, &c.] Non prætermittimus dicere, eumdem a Philone conscriptum librum de legatione ad Caium, alio etiam titulo fuisse prænotatum, nempe, de Virtutibus, vt Eusebius[c] scribit: sed per antiphrasim, vt putatur, fuit idem titulus inditus. Sed an fuerit Philo Christianorum studiosus nec ne, agemus de his inferius. ceterum Alexandrum illum Alabarchã, quem Iosephus[d] germanum Philonis fuisse dicit, sedisse vna cum Caipha summo sacerdote aduersus Apostolos, ex Actis[e] Apostolorum superius significauimus: eodem ipsum in illos fuisse animo potius quàm illis studuisse, quiuis facile conijciet; præsertim quòd nullis scriptis ipsorum expresse meminerit, cum pluries daretur occasio: verum, cum dicat Hieronymus, Petrum habuisse amicum, & de Christianis Alexandrinis scripsisse sub nomine Essæorum, aliud de eo nos opinari suadet. Scimus tamen Photium in Bibliotheca de Philone dixisse, ipsum de Christianæ legis clarissima luce ad Iudaismi tenebras defecisse. Sed quo auctore id post annos octingentos sexaginta iste prodit, quod a nullo antiquorum Patrum scitum est? Quamobrem eadem facilitate qua asseritur, confutatur: nec enim tantæ ipse æstimationis in Ecclesia Dei fuit, vt illud, *Ipse dixit*, satis sit ad irrefragabilem illi auctoritatem conciliandam: quem frequenter grauissime errasse, sæpe inferius suis locis demonstrare continget.

[b] *Hier. de Script. Eccl. c. 11.*
[c] *Euseb. histor. lib. 2. c. 5.*
[d] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 10.*
[e] *Act. 4.*

XXXVII. CLADES IVDAEORVM.

Ceterum quod pertinet ad reliquas res Iudaicas: admiratione equidem dignum est, quantopere Iudæos hoc tempore vltio diuina vexarit, non tantum his perturbationibus tum in Ægypto tum etiam in Syria agentes exagitans, sed trans Ephratem apud Babylonem habitantes maxima omnium clade afficiens: qui vero Babylone male habiti fugerunt Seleuciam, conspirantibus simul Syris cum Græcis illic agentibus, omnes supra quinquaginta millia virorum ex improuiso occisi sunt; adeo vt ne vllus quidem euaserit, nisi quem amici aut vicini seruarit misericordia. hæc Iosephus[f] pluribus. Lentis velut passibus in eos indignatio diuina procedens, sic primum & eos qui sub Romano Imperio, & qui apud externas nationes essent, afflixit. Peccauerant quidem in

[f] *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 12.*

dem in Christum non tantum qui Hierosolymis habitabant Iudæi, sed & ceteri omnes qui ex diuersis Orbis partibus ad Paschale festum illuc ex more confluxerant, omnes æque in eum insanientes, & cruci affigendum clamantes, & a Pilato istud ipsum clamoribus extorquentes. Ceterum quoniam qui Hierosolymas ac Iudæam habitabant Iudæi, longe grauius deliquisse videbantur, quòd tamdiu admoniti Christi miraculis, tantam gratiam contempsissent, nec Apostolorum prædicatione resipuissent, grauioribus relinquuntur plectendi supplicijs, illis ipsis scilicet quæ in eos obuentura Christus ante prædixerat: vasa enim illa iræ Dei in ipsos effundenda ac penitus consummanda, ad tempus dilata, diuino consilio seruabantur, vt interim ex his aliqui per Euangelij prædicationem salui fierent, sicut est in Psalmis[a]: Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant a facie arcus: vt liberentur dilecti tui.]

[a] *Psal. 59.*

XXXVIII. VOCATIO GENTIVM CVM DESOLATIONE IVDAEORVM.

Sed consideratione quoque digna res est, Deum optimum maximum eodem tempore, quo in Iudæos gladium iræ suæ cœpit exerere, Gentes sibi conciliare cœpisse, illisque (vt vidimus) ad salutem per baptismum aditum reseraſſe, cum Petrum in primis tam patenti diuinitus ostensa visione de illis admonuisset. Sed quo magis magisq. ex Gentibus colligenda propagaretur Ecclesia: quem ad hoc opus elegerat, Paulum adhuc Tarsi agentem, & (quod dictum est de Hieremia[b]) quasi sagittam electam adhuc in sua pharetra latitantem, Deus ad faciendam (quod habet Psalmus[c]) vindictam in nationibus, & increpationes in populis, educere in medium festinauit: sed hæc anno sequenti.

[b] *Hier. 1.*
[c] *Psal. 149.*

IESV CHRISTI ANNVS 43.	CLAVDII IMP. ANNVS 1.

I. CAIVS OCCIDITVR.

ANno Domini quadragesimotertio, Coss.[d] Caio Augusto quartum & Sentio Saturnino, Kal. Februarij idem Caius Augustus anno suæ ætatis vigesimonono, coniuratione Cassij Chereæ & Cornelij Sabini Tribunorum Prætorianorum militum, occiditur, cum imperasset annis tribus, mensibus decem, & diebus octo, numerando a die obitus Tiberij Imperatoris, vt testatur Suetonius[e]: licet Dio[f] annis tribus, mensibus nouem, & diebus vigintiocto ipsum Imperium tenuisse dicat. Sed longius aberrat Iosephus[g], dum Caij Imperio tantum tribuit tres annos atque sex menses: qui tamen rem gestam ceteris fusius est[h] prosecutus: quem consulat, qui ea plenius scire cupit; pro instituto autem ad certam temporum rationem exquirendam accommodato, hæc satis esse putamus. Occisi igitur (inquit Suetonius[i]) cadauer eius clam in hortos Lamianos asportatum, & tumultuario rogo semiambustum, leui cæspite obrutum est: postea per sorores ab exilio reuersas erutum, crematum, atque sepultum. Satis constat, priusquam id fieret, hortorum custodes vmbris inquietatos; in ea quoque domo, in qua occubuerat, nullam noctem sine aliquo terrore transactam, donec ipsa domus incendio consumpta sit. Perijt & vnà vxor Cæsonia, gladio a Centurione confossa, & filia parieti illisa.] hæc Suetonius. Porro tam Caius, quàm qui eum præcessit Tiberius, non sunt recepti in numerum Imperatorum, quorum Consules in iuramentis & votis concipiendis mentionem facere consueuerunt, vt auctor est Dio[k].

[d] *Dio lib. 59.*
[e] *Suet. in Caio cap. 59.*
[f] *Dio lib. 59. in fine.*
[g] *Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 10.*
[h] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 1.*
[i] *Suet. in Caio c. 59.*
[k] *Dio lib. 60.*

II. CLAVDII IMPERIVM.

Post Caiũ vero Tiberius Claudius Drusus[l] Germanicus, Drusi Neronis & Antoniæ filius, Liuiæ Augustæ nepos, annos natus quinquaginta, factione Prætorianorum militum capesit Imperium, tenuitq. annos tredecim, menses octo, & dies viginti. Quomodo autem Caio de medio sublato, excussus sit omnis timor quem Iudæis intulerat; & quonam pacto regnum olim Agrippæ a Caio delatum, eidem a Claudio sit confirmatum & auctum; & qua ratione tumultus ac turbæ aduersus Iudæos Alexandriæ agentes, quorum causa (vt vidimus) Philo cum socijs ad Caium Romam legatione functus est, eiusdem Claudij litteris hoc ipso primo anno sui Imperij compressæ sint atque sedatæ, Iosephus[m] in hæc verba describit: Claudius porro ablegatis militibus quicumque suspecti esse poterant, edictum proposuit, quo Agrippam in regno per Caium ante concesso confirmabat, collaudans simul eius operam & industriam: addita insuper Iudæa & Samaria, quòd olim ad eius aui Herodis regnum pertinuissent. his igitur velut familiæ debitas restituit: Abilam autem, & finitimã eius ditionem in

[l] *Suet. in Claudio, c. 1. 2. & 10.*
[m] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libano, quæ Lysaniæ fuerat, adiunxit de suo. Fœdus deinde Regis cũ Romano populo in æs incisum est in Vrbis foro medio.] et paulo post: Dimisit etiam Alexandrum Lysimachum Alabarchã, veterem amicum, & olim procuratorem suæ matris Antoniæ, quẽ Caius iratus vinxerat; cuius filio Marco Berenice desponsata fuerat, Agrippæ filia.

III. TVMVLTVS ALEXANDRINI SEDATI.

Per idem tempus, quòd morte Caij, Iudæi qui erant Alexandriæ animos sumpsissent, & iam ad arma ventum esset: idem Claudius per epistolam mandat Ægypti Præsidi, vt seditionem illam compescat; & ad preces Agrippæ Regis mittit edictum Alexandriam & in Syriam.] hæc cum scribat Iosephus, dicatq. ad hæc agenda persuasum Claudium non tantum Agrippæ, sed & Herodis Regum precibus fuisse: non quidem Herodes hic ille putandus est Tetrarcha, iam (vt vidimus) redactus in ordinem, & mulctatus exilio; sed alius Herodes Rex Chalcidis, eiusdem Agrippæ Regis frater, vt idem Iosephus[a] inferius declarat. Eiusdem quoque Herodis, Agrippæ fratris, memi- B
nit Dio[b] his verbis: Agrippæ regnum auxit, honores Consulares tribuit, fratriq. eius Herodi prætoriam dignitatem & principatum quemdam concessit; in Senatumq. ingredi eos, ac gratias ipsis Græce agi mandauit. hæ Claudij actiones laudatæ erant ab omnibus.] Sed iam quodnam tunc pro Iudæis edictum a Claudio datum sit, hic describamus. est autem huiusmodi:

[a] *Ioseph. antiq. lib. 20. c. 1. in fi.*
[b] *Dio lib. 60.*

IIII. EDICTA PRO IVDAEIS.

Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus Trib. potest. edicit. Quoniam cognitum habemus Alexandrinos Iudæos iam inde ab initio ius eius ciuitatis ex æquo cum Alexandrinis ceteris consecutos a Regibus, sicut patet ex instrumentis super hoc conscriptis, & constitutionibus regijs, post adiectamq. Imperio nostro per Augustum Alexandriam mansisse illis sua iura integra, conseruata per missos illo diuersis temporibus Præsides, nullamq. de eorum iure controuersiam extitisse, cum Aquila præfuit C
Alexandriæ: permissumq. eis ab Augusto, vt in defuncti Ethnarchæ locum, alium suis suffragijs substituerent, vt quisque in suis ritibus maneat, neque cogatur religionem patriam deserere: ceterum Alexandrinos concitatos contra conciues suos Iudæos Caij Cæsaris temporibus, propter insolentem illius insaniam; dum contra patriam gentis religionem, pro Deo coli ab eis postulat, & recusantibus infensus est: Volo inconcussa esse iura eorũ a Caij insania, eisq. ius esse perseuerandi in patrijs ritibus. Iubeoq. vtramque partem, quoad fieri potest, dare operam ne quid turbarum commoueatur: idq. proposito hoc edicto, ita statuo.] Atque hæc erant, quæ in illo edicto continebantur. In reliquum orbem Romanum tale missum est:

V. ALIVD CLAVDII PRO IVDAEIS EDICTVM.

Tiberius Claudius Cæsar Augustus Germanicus Pont. Max. Consul designatus secundum, edicit. Petentibus a me Agrippa & Herode Regibus mihi amicissimis, vt D
permitterem Iudæis in Imperio nostro degentibus vti suo iure quemadmodum antea, sicut & Alexandriam habitantibus concessimus: libenter precibus eorum annuimus, non deprecatorum tantum causa, sed quia ipsos dignos iudicamus hoc nostro beneficio, propter seruatam populo Romano fidem & amicitiam. Æquissimum igitur censeo, nullam ne Græcam quidem vrbem negare illis ius suum: quandoquidem & sub diui Augusti principatu conseruatum eis fuit integrum. Licebitq. in posterum Iudæis per totum nostrum Imperium sparsim habitantibus, vti maiorum suorum moribus: Quos iam nunc moneo, vt hac nostra gratia contenti, modestius se gerant, neque conspuant religiones externarum gentium: suis autem suo arbitratu viuant legibus. Atque hoc meum edictum ciuitatibus, colonijs, & municipijs Italicis, ac prouincialibus per magistratus publicari volo, ad Reges quoque atque dynastas transmitti non E
minus triginta continuis diebus ita proponendum, vt ab omnibus humi stantibus possit perlegi.

VI. IVDAEI ROMAE COHIBITI.

His edictis Alexandriam[c] & per totum Imperium dimissis, Claudius Cæsar declarauit quomodo in Iudæos animatus fuerit.] Hæc cum a Iosepho scribantur concessa esse Iudæis, qui tum Alexandriæ, tum etiam in ceteris Romani Imperij prouincijs agerent: ijs tamen qui Romæ essent, quòd frequentissimus esset populus, non eadem sunt iura concessa: sed hoc Claudij Imperij exordio primum cohibiti, demum (vt suo loco dicemus) Vrbe sunt pulsi. Dio[d] enim sub Claudij anni primi Consulibus hæc ait: Cum Iudæi adeo iterum Romæ frequentes fierent, vt difficulter sine tumultu propter multitudinem Vrbe possent exigi, non eiecit quidem eos, patrijs tamen legibus vitam tolerantes non passus est conuenire.] Nec certe mirum: nam & cetera conuenticula aboleuit

[c] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 5.*
[d] *Dio lib. 60.*

A aboleuit: Et quia intelligebat (inquit idem auctor) nihil profici, si qua re vulgo interdiceretur, nisi vita quoque eius quotidiana transformaretur; cauponum tabernas, in quas coeuntes potabant, demolitus est: edixitq. ne quis carnem elixam, aut aquam calidam venderet; in quosdamq. contra delinquentes animaduertit.] sic igitur coniurationes timens, omnino conueniendi simul occasionem quacumque ex causa amputauit.

VII. REDITVS AGRIPPAE.

Post hæc vero (inquit Iosephus) mox Agrippam ad curam sui regni misit, auctum maioribus honoribus, commendatumq. per litteras Præsidibus prouinciarum, simul & procuratoribus omnibus. Ille autem, vt re bene gesta, magna celeritate reuersus est: et quàm primum peruenit Hierosolymam, votiua sacrificia persoluit, nihil omittens eorum quæ lege præscripta sunt. Vnde & multos Nazaræos tonderi mandauit: et
B catenam auream a Caio donatam, pondere parem illi ferreæ, quæ regias manus vinxerat, monumentum aduersæ fortunæ mutatæ in prosperam, suspendit in sacrario super Gazophylacium: quæ doceret spectatores & sublimia posse corruere, & Deum valere omnia erigere denuo. Omnes enim admonebantur per hanc catenam consecratam, quòd Agrippa leui de causa priuatus dignitate, sit vinctus, pauloq. post compedibus solutus, splendidiorem quàm ante principatum adeptus sit: eam esse naturam rerum humanarũ omnium, vt celsissima quæque prolabantur facile, rursumq. inclinata restituantur in pristinum fastigium. Rite igitur votis Deo redditis, Agrippa Theophilum Anani filium submouit a summo sacerdotio, & Boethi filium Simonem cognomine Cantharam in eius locum substituit.] et post pauca: Constituto deinde pontificatu, Rex Hierosolymitis beneuolentiæ gratiam retulit, remisso eis tributo quod soliti erant
C in singulas ædes pondere: decorum putans, si non pateretur se vinci amore mutuo.] Quomodo autem in gratiam Iudæorum, Iacobũ fratrem Ioannis occiderit, & Petrum detruserit in carcerem, dicemus anno sequenti, quo ea contigisse noscuntur. Nam cum ante Paschale tẽpus occisus ab eo Iacobus fuerit, atque Petrus carceri mancipatus: non patitur temporis ratio, vt istæc omnia hoc primo anno Claudij facta fuerint: cum necdum eo anni tempore, ad nauigationem minus idoneo, Agrippa Roma recessisse putandus sit; cum præsertim illic ob dicta negotia obeunda, diutius eum apud Claudium detineri oportuerit.

VIII.

Quid insuper hoc primo anno Claudij, cum Petronio Syriæ Præsidi nondum successum esset, egerit Agrippa Rex apud eumdem aduersus Dorenses pro temerata patria religione, idem Iosephus[a] his verbis describit: Paulo post, Dorenses quidam iuuenes
D natura temerarij, religionis specie, posuerunt in Iudæorum synagoga statuam Cæsaris: quod Agrippam vehementer commouit ad iracundiam, quòd ea res perditum iret institutа patriæ. Quare sine mora ad Petronium Syriæ Præsidem profectus, questus est de Dorensium audacia: qui & ipse non minus ægre ferens hoc facinus vt impium, nouatoribus illis asperius scripsit in hanc ferme sententiam:

[a] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 5.* DORENSES TVMVLTVS.

IX. PETRONII LITTERAE AD DORENSES.

Publius Petronius, Legatus Tiberij Claudij Cæsaris Augusti Germanici, Magistratibus Dorensium. Quoniam tam audax est quorumdam vestrum insolentia, vt etiam contra edictum Claudij Cæsaris Aug. Germanici, quo Iudæi permittuntur suis legibus viuere, synagogam eorum profanauerint, illata Cæsaris statua, quod religioni ipsorum non est licitum: atque hoc facto non Iudæorum tantum pietas læsa est, sed numen etiam Cæsaris, cui rectius in proprio templo statua poneretur, quàm in alieno,
E maxime in synagoga: cum iustum sit, & Imperatoris iudicio comprobatum, vt sui quisque loci sit dominus: ne mea decreta commemorem post contemptam auctoritatem Cæsaris, qui Iudæis non tantum religionem permisit, verum etiam æquum ciuitatis ius cum Græcis cohabitantibus. His ergo de causis, eos qui contra edictum Augusti ausi sunt talia, indignantibus etiam proprijs magistratibus, hæc furore populi, non suo consensu facta esse asseuerantibus; iubeo per Centurionem Vitellium Proculum ad me duci, rationem reddituros. Magistratus autem hortor, vt si videri volunt his consensum suum non accessisse, Centurioni fontes indicent, dentq. operam ne quid turbæ aut rixæ oriatur, quam quidem captare videntur: cum contra ego & mihi cariissimus Rex Agrippa nihil æque curemus, quàm ne vlla Iudæis detur occasio excitandi tumultus, defensionis prætextu. Quo autem melius cognoscatis quænam sit super hoc negotio voluntas Augusti, adiunximus eius edictum apud Alexandrinos propositum:

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum: quod iam ante satis notum omnibus, carissimus Rex Agrippa mihi sedenti pro tribunali recitauit, ius suum postulans, & vt suis beneficium Cæsaris maneat incolume. Quamobrem iubeo, vt in posterum nullam quæratis seditionum materiam, & cæleste numen suis quisque colat ritibus. Hucusque Petronius: qui ita rem curauit, vt admissum erratum corrigeretur, & in posterum caueretur, ne quid tale quispiam audeat.] atque hæc Iosephus. Porro in locum Petronij in Syriæ prouinciam subrogatus est Marsus: cuius præfecturæ tempore quæ gesta sint, dicemus suis locis inferius. A

X.

Quod ad res pertinet Ecclesiasticas: referato semel aditu Gentibus ad Christi fidem, Antiochiæ primum ex Gentibus magna facta est accessio Fidelium ad Ecclesiam, adeo vt ibi primum Christianum nomen exortum fuerit, & feliciter propagatum: quibus vero progressibus hæc facta sint, Lucas [a] his verbis significat: Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annunciantes Dominum Iesum. Et erat manus Domini cum eis: multusq. numerus credentium conuersus est ad Dominum. Peruenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ est Hierosolymis, super istis: et miserunt Barnabã vsque ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum versati sunt ibi in Ecclesia: et docuerunt turbam multam; ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani.] hæc Lucas: cetera autem quæ postea narrat, quando sint facta, suo loco dicemus. B C

a Act. 11. PROFECTVS ECCLESIAE ANTIOCHENAE.

XI.

In sede igitur Petri, in ipsa Antiochena Ecclesia a Petro erecta, a discipulis aucta, a Barnaba multiplicata, & Pauli prædicatione cumulatissime fecundata, felicissimum nomen Christianorum est inchoatum. De his Ignatius [b] ad Magnesianos, nempe de nomine Christiano iam ante oraculo prophetico prædicato, hæc ait: Simus itaque digni cognomento quod accepimus. Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei, nec accepit prophetiam loquentem de nobis [c]: Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit, & erit populus sanctus. Antiochiæ enim primum discipuli appellati sunt Christiani, cum Petrus & Paulus Ecclesiam fundarent.] hæc Ignatius. Ioannes Chrysostomus [d] de eodem munere Antiochenæ Ecclesiæ concesso hæc ait: Sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicauit; sic inter ciuitates hæc prima, tamquam coronam quamdam admirabilem, Christianorum tulit appellationem.] et alibi sic alloquitur Antiochenos [e]: Vos autem, si quidem aliquod de honore certamen oriatur, omni ambitione contenditis, vt vel vniuerso præsideatis Orbi, illo scilicet vobis priuilegio blandientes, quòd hæc prima ciuitas Fidelibus Christianorum nomen imposuit.] D

DE NOMINE CHRISTIANO.

b Ignat. epist. 6.

c Isaiæ 62.

d Chrysost. hom. 3. ad popul. Antioch.

e Idem homil. 7. in Matth.

XII.

Qua vero occasione pristinum nomen Discipulorum sit mutatum in Christianorũ, S. Athanasius [f] hanc affert causam: Omnes, inquit, qui credebant in Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed Discipuli tantummodo vocabantur. Et quia multi nouorum dogmatum auctores extiterant, doctrinæ obuiantes Apostolicæ, omnes sectatores suos Discipulos nominabant, nec vlla erat nominis discretio inter veros falsosq. Discipulos, siue Christi, siue Dosithei, siue Iudæ cuiusdam, siue Ioannis sectatores, qui se quasi Christi Ecclesiæ fatebantur, quin potius vno Discipulorum nomine ferebantur: Tunc Apostoli conuenientes Antiochiæ (sicut horum, Luca narrante, Acta testantur) omnes Discipulos vno nomine, id est, Christianos appellant, discernentes a communi Discipulorum vocabulo, & vt diuini per Isaiam oraculi sermo compleretur, quo ait: Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum. Hanc ergo ab Apostolis traditam de nouis vtendis nominibus formam Ecclesia tenens contra diuersos hæreticos (vt sanæ fidei ratio postulat) diuersas edidit nominum nouitates.] hæc ille. Porro deductum esse nomen Christianum a Christo, & Christi a chrismate, regali nempe vnctione, nemo est qui ignoret. E

f Athanas. in disput. contra Arium.

CVR EX DISCIPVLIS DICTI SVNT CHRISTIANI.

XIII.

De huius nominis excellentia cum tam multa magnaq. a sanctis Patribus sint prædicata; vnam hanc tantum Gregorij Nysseni [g] sententiam scriptam hic referre contenti erimus: Participatione, inquit, Christi, Christiani appellationem sortiti sumus: ita & per

g Gregor. Nyss. de profess. Christ.

per consequens conuenit, omnium quoque sublimiũ nominum nos adsciscere communionem & societatem: quemadmodum in catena, qui eum qui in extremitate est annulum attraxerit, eos qui continenter inter se cohærent, per vnũ attraxerit.] Ceterũ qui aduersus Gentiles, huius nominis originis ignaros, Ecclesiastici tractatores egerunt, aliunde eius nominis interpretationem deducere consueuerunt. Occasione enim, quòd Gentiles homines, Christianos corrupto vocabulo Chrestianos, & Christum, Chrestum (quod nomen vsitatum reperitur apud Romanos) nominare consueuerunt; inde etiam eius nominis interpretationem ex Græca voce χρηστὸν, quod est, bonum & commodum, sunt aucupati: de cuius vocis significatione hæc Suidas: χρηστὸς, bonus est charitate, sed non necessitate. χριστὸς, oleo vnctus, & Christus Dominus Deus noster.] Nec aliam sane ob causam Iustinus [a] martyr in oratione ad Antoninũ Pium sic ait: Chrestiani enim esse deferimur: atqui χρηστὸν, hoc est, commodum & bonum, odisse, iniustum est.] sic enim esse legendum, ea quæ in eamdem sententiam scribit Tertullianus [b], declarant, dũ sic ait: Quæ accusatio vocabulorũ, nisi si aut barbarum aliquod sonat vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum? Christianus vero (quantum interpretatio est) de vnctione deducitur. Sed & cum perperam Chrestianus pronunciatur a vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suauitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.] Et Lactantius: Sed exponenda, inquit, huius nominis ratio est, propter ignorantium errorem, qui cum immutata littera Chrestum solent dicere, &c.] sic item legendum esse apud Suetonium [c], prout apud Lucianum etiam legitur, qui eodem vixit tempore, certum est. A B C

CHRISTIANI VNDE.

a Iust. in orat. ad Anton. Pium.

b Tertull. in Apolog. cap. 3.

c Sueton. in Claud. cap. 25. Lucian. in Philop.

XIV.

Quod vero ad hæreticos spectat: etsi (vt vidimus) ad distinctionem aliarum sectarum Apostoli Christianum nomen credentibus indiderunt: tamen haud multo post & istud ipsum ijdem æmulati sunt hæretici, qui suos sectatores, Christianos etiam appellare consueuerunt. Fecisse id primum inueniuntur Carpocratiani, vt auctor est Epiphanius [d]. Licet vero peculiare propriumq. nomen credentium fuerit, vt Christiani appellarentur: tamen alijs quoque nominibus, quibus antea ab ijsdem Apostolis, nominati reperiuntur, & frequentius dicti Fratres: qua nomenclatura sæpe vsus est Christus [e], & Apostoli frequentius; idemq. perseuerauit in Ecclesia. sic & Fraternitas, ipse Christianorum cœtus dictus reperitur. Cuius nominis, cum infamarẽtur a Gentilibus, Tertullianus [f] rationem reddidit in hæc verba: Sed & quòd Fratres nos vocamus; non alias, opinor, infamãt, quàm quòd apud ipsos omne sanguinis nomen de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus iure naturæ, matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem ad vnam lucem expauerint veritatis? Sed eo fortasse minus legitimi existimamur, quia nulla de nostra fraternitate tragœdia exclamat, vel quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatẽ. Itaque quia animo animaq. miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores: in isto loco consortium soluimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent, qui non amicorum solummodo matrimonia vsurpant, sed & sua amicis patientissime subministrant; ex illa, credo, maiorum & sapientissimorum disciplina Græci Socratis, & Romani Catonis, qui vxores suas amicis communicauerunt, quas in matrimonium duxerant liberorum causa, & alibi creandorum, nescio quidem an inuitas: quid enim de castitate curarent, quam mariti tam facile donauerant? O sapientiæ Atticæ, o Romanæ grauitatis exemplum. Leno est Philosophus, & Censor: quid ergo mirũ si tanta charitas conuiolatur?] hæc Tertullianus: his similia Athenagoras [g] Philosophus Christianus, Iustinus [h], & Minutius Felix [i], cum eamdem Gentibus calumniam illatam refellunt. Ex Platonis enim Republica erat illa ipsorum fraternitas: qui sicut conciues omnes fratres appellat [k], sic æque & vxores inter eos voluit esse communes. D E

CHRISTIANORVM DIVERSA NOMINA.

d Epiphanius hæres. 27.

e Matth. 23. Luc. 22. Ioan. 20. 21.

f Tertullian. in Apolog. c. 39.

g Athenag. orat. pro Christianis.

h Iustin. orat. ad Anton. Pium.

i Minut. in Octauio.

k Clem. Alex. lib. 5. Strom. & Lact. lib. 3. c. 21.

XV.

Rursum vero, qui olim Christiani, ijdem nominabantur Sancti: vnde Paulus ad Romanos Christianos scribens [l]: Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis.] et [m] alibi: Proficiscar Hierusalẽ ministrare Sanctis.] et illud [n]: Salutant vos omnes Sancti.] itemq. [o] Salutate omnem Sanctum.] vel cũ ait coram Agrippa Rege [p]: Multos Sancto-

l Rom. 1. m Rom. 15. n 2. Cor. 13. o Philip. 4. p Act. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sanctorum ego in carceribus inclusi.] Lucas itidem [a]: Factum est, vt Petrus dum pertransiret vniuersos, deueniret ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ.] Eo etiam nomine vsi sunt posteri, Ignatius, Philo (vt dicemus suo loco, cum de Essenis agemus) Polycarpus, Tertullianus, & alij. At demum obtinuit vsus, vt illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatioriq. fulgerent morum sanctitudine. Apud Græcos autem (vt auctor est Plutarchus [b]) Hosij, hoc est, Sancti, honoris causa dicebantur sacerdotes. Nominabantur etiam olim Christiani, Credentes: cuius nomenclaturæ plura sunt exempla. Itemq. Fideles [c]: quod nomen ad posteros dilapsum est, & frequentius vsurpatum, præsertim Romæ, vbi (vt auctor est S. Ambrosius [d]) qui baptizati sunt, Fideles nominari consueuerunt: videasq. in vsitatis eiusdem Ecclesiæ precibus Christianos fere semper appellari Fideles. Vndo & Pontius diaconus in Vita Cypriani: Quid, inquit, Christiana plebs faceret, cui de fide nomen est?]

a Act. 9.
CHRISTIANI DICTI SANCTI.
b Plutarch. de oraculor. defect. in fin.
c Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Tim. 4.
d Ambros. de sacram. lib. 1. c. 1.

XVI. Iudæi vero ignominiæ causa, quòd Dominum nostrum in titulo causæ cruci affixo Nazarenum appellatum nossent, Christianos Nazarenos nominare consueuerunt, a Nazareth oppidulo Galilææ, de quo Nathanael aliquando [e]: A Nazareth potest aliquid boni esse?] Vnde Tertullus [f] causam agens Iudæorum aduersus Paulum coram Felice Procuratore Iudææ, hæc ait: Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum.] quod nomen cum dimanasset ad posteros Iudæos, ea voce ter in die ijdem maledicebant Christianis, & Christo, vt Hieronymus [g] tradit his verbis: Ipse bonus pastor posuit animam suam pro ouibus suis, & contempsit eam; qui abominationi est genti Iudæorum, cui ter in singulos dies sub nomine Nazarenorum maledicunt in synagogis suis.] licet Epiphanius [h] dicat Iudæos id fecisse in hæreticos, qui Nazareni vocati, legem vna cum Euangelio seruabant; sic enim ait: Non solum Iudæi hos odio habent; sed exurgentes mane & meridie & circa vesperam, ter in die, quando preces perficiunt in synagogis suis, detestantur ipsos, ac execrantur, dicentes: Maledic Deus Nazarenis.] Verumtamen cum ex Apostolorum Actis perspicue appareat, omnes Christianos a Iudæis æque dictos esse Nazarenos; ad ipsos Christianos potius, quàm ad hæreticos eo nomine nuncupatos, eam pertinuisse blasphemiam existimamus.

e Ioan. 1.
f Act. 24.
CHRISTIANI DICTI NAZARENI
g Hier. in Isai. c. 49.
h Epiphan. hæres. 29.

XVII. At sicut credentium Christo fuit nomen peculiare, vt Christiani dicerentur; ita & ijsdem cognomen est inditum, vt & Catholici nominarentur. Cum enim (vt vidimus) & hæretici Christiano nomine iactanter gloriarentur: ad distinguendos veros a falsis, Catholicum est cognomen inuentum, & id quidem temporibus Apostolorum: nam eorum auctoritate, vera Dei Ecclesia in eorum Symbolo Catholica est cognominata, vt ea discriminatione nominis ab hæreticorum conuenticulis cognosceretur esse distincta. Agens Pacianus [i] aduersus Nouatianos, hæc ait de Catholico nomine: Christianus mihi nomen est: Catholicus vero cognomen. illud me nuncupat: istud ostendit. hoc probor: inde significor. Et si reddenda postremo Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romana: Catholicus, vbique vnum, vel (vt doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur.] et paulo post: Ergo qui Catholicus, idem obediens: qui obediens, idem est Christianus: atque ita Catholicus Christianus est.] hæc Pacianus. Sed de Catholico nomine alias sæpe, deq. Christiano nomine modo satis. Iam reliqua prosequamur.

CHRISTIANI DICTI CATHOLICI
i Pacian. ad Symp. Nouat.

XVIII. Eodem anno quadragesimotertio a Christi natali (vt Eusebius [k] auctor est) Thaddæus, vnus ex septuagintaduobus discipulis, Edessam Syriæ profectus, Abgarum * Regem, atque populum Edessenum ad fidem conuertit. hæc autem vt facta sint, Eusebius his verbis describit: Postquam Iesus assumptus fuit; Iudas, qui & Thomas dicebatur, Thaddæum Apostolum, vnum ex septuaginta, ad Abgarum misit: qui eo profectus, ad Tobiam Tobiæ filium diuertit. Vbi vero fama de illo passim manasset, & miraculis ab eo editis esset conspicuus; Abgaro nunciatum est, Apostolum illuc a Iesu, sicut per litteras antea scripserat, aduentasse. Cœpit ergo Thaddæus per virtutem & potentiam Dei, cuiuis morbo & languori medicari; sic vt omnes in magnam traduceret admirationem. Simulatque Abgarus magnas incredibilesq. res gestas & miracula ab eo edita audiuisset, & quo pacto per nomen & virtutem Iesu Christi quemuis morbum depelleret; confestim secum cogitare cœpit, illum eumdem esse de quo Iesus

k Euseb. lib. 1. c. 13. in fi.
* Abagarum
DE CONVERSIONE EDESSENORVM.

per

per epistolam ita significauerat: Postquam receptus fuero ad eum qui misit me, quemdam ex discipulis meis mittam ad te, qui te morbo afflictatum recreet, & ad integram valetudinem restituat. Accersito igitur Tobia, apud quem diuersabatur, dixit: Accepi virum quemdam præpotentem Hierosolymis huc accessisse, qui domi tuæ iam commoratur, multasq. in nomine Iesu facit curationes. Hic respondit: Sane quidem, domine, hospes qui huc aduenit, apud me est, & multa edit miracula. Tum ille: Adduc eum, inquit, ad me. Tobias autem recta ad Thaddæum se conferens, dixit illi: Abgarus huius loci Princeps, vbi me ad se acciuerat, iussit vt te ad ipsum deducerem, quò morbo, qui eum cruciat, curationem adhibeas. Et Thaddæus: Eamus, inquit, quoniam ad eum re vera missus sum.

Postridie ergo primo mane Tobias, assumpto secũ Thaddæo, perrexit ad Abgarum. XIX. Vt autem venit, cum iam proceres Abgari ei præsto adsisterent, extemplo in ipso ingressu magnum quoddam & illustre visum in vultu Thaddæi Apostoli elucere, Abgaro cernebatur. quod cum Abgarus conspicaretur, supplex Thaddæum adorauit. Admiratio, omnes qui aderant, amplexa est: illi enim visum, quod soli Abgaro apparuit, minime cernebant. Qui etiam a Thaddæo sciscitabatur: Tu ne vere discipulus es Iesu Filij Dei, qui sic mihi per litteras pollicitus est: Mittam ad te quemdam ex discipulis meis, qui omnem morbi tui ægritudinem leuet, & tibi tuisq. vitam largiatur? Cui Thaddæus: Quoniam, inquit, magnam fiduciam in Domino Iesu, qui misit me ad te, collocasti; ob eam causam ad te missus sum. Et rursus: Si fides, quam in illum contuleris, magis magisq. creuerit; mentis tuæ postulata tibi, vt credideris, euenient. Ad quem Abgarus: Sic, inquit, in illum credidi, vt vellem maxime Iudæos, qui eum cruci affixerunt, exercitu ad eam rem collecto, prorsus e medio tollere, si Romanorum Imperium non esset meo instituto impedimento. Et Thaddæus: Dominus noster, inquit, & Deus Iesus Christus voluntatem sui Patris expleuit: quod vbi ab illo factum fuit, ad Patrem denuo assumptus est.

CONGRESSVS THADDAEI CVM ABGARO.

Cui Abgarus: Et ego, inquit, in illum credidi, & in Patrem eius. Tum Thaddæus: Propterea, inquit, in nomine ipsius Domini Iesu manum super te pono. Quod vbi fecerat, euestigio morbo & calamitate, qua diuexabatur, releuatus est. Abgarus igitur magnopere propterea miratus, quòd sicut de Iesu auribus acceperat, sic per discipulum eius & Apostolum Thaddæum, qui illum absque medicamentis & herbis integræ valetudini restituisset, re ipsa comperiebat. Atque non modo hunc, sed Abdum etiam filium Abdi, podagræ doloribus oppressum, ad pristinam valetudinem reduxit. Qui cum Thaddæum adiret, abiecit se ad pedes illius: cuius manum cum corpori suo haberet impositam, quod ei in optatis erat, assecutus, penitus conualuit. Complures item alios illorum conciues idem Apostolus ex morborum molestijs eripuit, magnas res gessit & cum primis admirabiles: verbum Dei passim diuulgauit. Post ista Abgarus: Tu Thaddæe, inquit, virtute Dei hæc facis, nobisq. magnam excitas admirationem: verum deinceps de aduentu Iesu, quo pacto contigerit, & de eius potentia, & qua tandem virtute factitauerit ea quæ fama & creber hominum sermo ad nos pertulit, mihi, quæso, oratione explica. XX.

THADDAEI MIRACVLA.

Et Thaddæus: In præsentia, inquit, silebo: sed quoniam ad verbum Dei prædicandum missus sum, cras mihi omnes ciues tuos congrega, & inter illos palam verbum Dei exponam, ipsumq. vitæ sermonem inter eos disseminabo: atque adeo de aduentu Iesu, qua ratione acciderit, de eius ad terras missione, & cur a Patre in mundum missus sit, vberius disseram. Quinetiam de virtute rerum ab illo gestarum, de mysterijs quæ in mundo locutus sit, qua vi & potentia ipsa transegerit, de noua & inaudita eius prædicatione, de abiectione & contemptu sui ipsius, de humilitate exterioris hominis, qui cuiusque oculis patebat; quo pacto etiam se ipsum deiecerit, mortem obierit, atque adeo diuinitatem aliqua ex parte imminuere visus sit; quæ a nefarijs Iudæis perpessus, quomodo in crucem actus, qua denique ratione ad inferos descenderit, maceriamq. quæ longo ævi spatio integra & immota constitisset, diruperit; vt surrexeritq. post triduũ, & mortuos, qui multis sæculis obdormissent, excitauerit; quatenus etiam solus descenderit ille, sed cum ingenti multitudine ad Patrem suum ascenderit; quo pacto ad dexteram Dei Patris cum gloria in cælis assideat; quemadmodum cum splendore & potentia ad sententiam de viuis & mortuis ferendam venturus sit, aperte explanabo. Ab- XXI.

garus

Universidad de Deusto
Biblioteca

garus ergo præcepit, vt prima luce ciues sui in vnum conuenirent, Thaddæum concionantem attente audituri. Paulo post, auro tum cælato, tum rudi & informi illum donari mandauit. At ille respuit, sic fatus: Si nostra prorsus dereliquimus, quo modo accipiemus aliena? Ista quadragesimotertio anno post Christum natum gesta sunt. Quæ sane non absque fructu & vtilitate ex Syriaca lingua ad verbum conuersa, opportune sint in hunc locũ conclusa.] hæc Eusebius, a quo tamen in eo S. Hieronymus [a] dissentit, quòd hunc Thaddæum non ex septuagintaduorum discipulorum, sed ex duodenario Apostolorum numero fuisse tradit.

[a] Hieronym. in Matth. c. 10.

IESV CHRISTI ANNVS 44. — CLAVDII IMP. ANNVS 2.

I. AGRIPPA PERSEQVITVR CHRISTIANOS.

SEquitur annus Domini quadragesimusquartus, adnotatus Consulibus [b] Claudio Augusto secundum & C. Licinio Largo: quo Iacobus Apostolus, filius Zebedæi, Ioannis frater ab Agrippa Rege Iudæorum occiditur. Rem gestam Lucas summatim complexus, hæc ait [c]: Eodem tempore misit Herodes Rex (*sic enim appellat Agrippam cognomento Herodem*) manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.] hæc enim facta esse hoc anno ante Paschale tempus, superius ostendimus. Erat Agrippa Rex Iudaicæ religionis obseruantissimus, vt liquet ex his, quæ tum a Philone, tum a Iosepho de ipso sunt scripta, quæ a nobis suis locis sunt superius recitata: quamobrem perfacile fuit Iudæis, Christianæ fidei hostibus, ipsum aduersus Christi Ecclesiam concitare. Hic ergo diuerso plane a priore consilio rem aggreditur. Prima enim post necem Stephano illatam concitata in Ecclesiam persecutio omnes Christi fideles exagitauit, præter Apostolos; qui (vt ex Luca vidimus) expulsis ceteris, soli permissi sunt Hierosolymis agere. quæ vero hoc anno ab Agrippa est conflata vexatio, in ipsos tantum Ecclesiæ vertices, sanctos Apostolos, est furore bacchata: ratus nimirum ille, si fundamenta conuelleret, omnem desuper molem constructam paruo dirutum iri negotio. Sic igitur cum induxisset in animum, & (quod Lucas ait) misisset manum, vt affligeret quosdam de Ecclesia, a Iacobi nece rem crudeliter auspicatur. Quod vero ad ipsum Iacobum pertinet: cum Hispaniarum Ecclesiæ [d] omnes ex æquo profiteantur, eumdem Apostolum antea in Hispanias esse profectum, illicq. primum prædicasse Euangelium, & aliquot collegisse discipulos: nihil amplius quod de ea re dicamus habemus, quàm quæ sunt a nobis in Martyrologio Romano [e] notata; quæ consulat qui hæc cupit. Hic enim tantum agere de eius martyrio, in animo est; quod eo clarius atque celebrius reputatur, quòd primus inter Apostolos tantam gloriam promeruisse cognoscitur. Haud dubium est ante aciem ipsum dimicando stetisse, qui primus omnium strenue fortiterq. verbi gladio pugnans, gloriosus occubuit.

[b] Dio lib. 60.
[c] Act. 12.
[d] Breuiar. Toletan. initio. S. Isidori.
[e] Martyr. Rom. Notat. die 25. Iuly.

II. IACOBI MARTYRIVM.

Quæ vero martyrium eius præcesserint, ex Clemente Alexandrino libro septimo ὑποτυπώσεων hæc Eusebius [f]: De isto Iacobo Clemens dicto libro historiam plane memorabilem inserit, eamq. narrat, quasi ex traditione maiorum acceptam: nimirum, eum ipsum qui Iacobum in iudicium adduxisset, cum testimonium Christo illum tam libere perhibentem cerneret, ea re commotum, se esse Christianum ingenue confessum esse. Igitur ambobus vna ad supplicium ductis, hunc inter eundum a Iacobo postulasse veniam sibi concedi. Iacobum autem paululum rem animo complexum, dixisse: Pax tibi. illumq. osculatum esse: et sic tandem vtrumque securi percussum vitam deseruisse.] hæc ex Clemente Eusebius. Sunt & alia plura, quæ licet incerto auctore scripta [g] ferantur, non tamen prorsus contemnenda putamus: nam quod habent de conuersione magorum Phileti & Hermogenis, alij plerique adstipulantur: horũ namque meminit Paulus ad Timotheum [h] scribens: Scis, inquit, hoc quòd auersi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Philetus, & Hermogenes.] de Phileto etiam sequenti capite in hæc verba, de hæreticis loquens: Sermo eorum vt cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, & subuerterunt quorumdam fidem.] Sicut enim Simon magus, licet initiatus esset sacro baptismo, tamen ad magiam reuersus, contra Apostolos bellum inijt;

[f] Euseb. hist. lib. 2. c. 8.
[g] Passiones Apostol. in Iacobo.
[h] 2. Tim. 1. & 2.

inijt; ita etiam & dicti magi Philetus & Hermogenes feciſſe visi sunt, dum primo per Iacobum ad fidem conuersi, inde vero a fide excidentes, aduersus Ecclesiam pugnantes, hæresim statuerunt. Quod vero aliorum relatione sanctus Hieronymus [a] recitat, immolatum Iacobum die secunda Paschatis; haud constare posse videtur: nam ex his quæ sanctus Lucas scribit, erroris arguitur, dum ait [b], Herodem necis Petri cupidissimum, ab ea tamen abstinuisse vsque ad dies Azymorum elapsos. Religiosiorem quidem hac ex parte Agrippa ceteris Iudæis se præbuit: nam illi ipso Paschatis die Christum (vt dictum est) in crucem agendum curarunt; hic vero, quòd dies essent Azymorum, a nece Petri Apostoli abstinendum putauit. Sed quibus persuasionibus eum detruserit in carcerem, de eius nece spectaculum post dies Paschales populo exhibiturus; idem Lucas [c] rem gestam fusius prosecutus, his verbis describit:

[a] Hier. in Ezechiel. c. 43.
[b] Act. 12.
[c] Act. 12.

III. PETRVS IN CARCEREM TRVDITVR.

Videns autem Herodes quia placeret Iudæis, apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum ad custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.] Acceperat a Claudio Agrippa non regnum tantum plurium prouinciarum accessionibus auctum, sed ius etiam in res sacras, nimirum in templum & sacerdotium: sicq. non solum ex animi sui sententia summos Pontifices dimouet & creat; sed arbitratus se (quod prædixerat Dominus) obsequium præstare Deo, Apostolorum verticem Petrum, quasi nouis dogmatibus solicitantem populum, e medio tollere festinat. Magno sane terræmotu Ecclesia Christi tunc concuti visa est, dum ipsa petra in Ecclesiæ fundamento locata, tanta agitatione quassari conspiceretur. Hinc tum iuges illæ Fidelium omnium (quod & mirandum est) pro Petro ad Deũ preces effusæ. Nam etsi alios complures Apostolorum carceri mancipatos sæpe legamus; de nullo tamen ipsorum vniuersam Dei Ecclesiam adeo solicitam fuisse reperimus, sicut de Petro, vtpote communi omnium parente atque pastore. Sed audiuit Deus orationem eorum, & vinctum suum non despexit.

IV.

Cum enim (inquit Lucas) producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: et custodes ante ostium custodiebant carcerem.] Vnde, quæso, tanta hæc diligentia, & tam exquisita custodia? Iã alias ante decennium Iudæi experimento didicerant, Angelum [d] Domini Petrum ac ceteros Apostolos simul vinctos eduxisse de carcere. timens igitur Herodes, ne quod semel factum erat, iterum eueniret, stulte admodum tot artibus Dei consilium ac sapientiam eludere conatus est. Sed quid tum ille qui reprobat consilia [e] Principum? Ecce (inquit Lucas) Angelus Domini adstitit; & lumen refulsit in habitaculo: percussoq. latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum: existimabat enim se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltro aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicũ vnum: et continuo discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.]

[d] Act. 5.
[e] Psal. 32. PETRVS AB ANGELO LIBERATVR.

V. LOCVS CARCERIS.

Errant, mea sententia, qui putant Herodianum carcerem hunc, in quem detrusus est Petrus, extra Hierosolymitanam ciuitatem fuisse positum in suburbijs, eo quòd dicat Lucas de Angelo & Petro e carcere educto: Venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem: quæ vltro aperta est eis.] nescientes Hierosolymam ciuitatem vsque ad tempus huius, de quo est sermo, Agrippæ Regis, duplici fuisse circumdatam muro; ipsum vero Agrippam & tertium addere aggressum esse, sed non absoluisse. Cum igitur Petrus e carcere ab Angelo ductus per portam ferream ingressus sit ciuitatem; dicere possumus carcerem Herodianum inter primum & secundum murum extitisse. Ceterum Iosephus [f] tam in primo quàm in secundo muro testatur fuisse erectas munitissimas turres; in quarum vnam, ad delinquentes coercendos mancipatam, Petrus coniectus, ac vinctus, fuit a militibus custoditus. Nisi potius affirmare

[f] Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

velimus (quod magis placet) portam ferream fuisse ostium carceris, non portam ciuitatis: ex quo pateret aditus ad ciuitatem: non quòd esset extra ciuitatem positus carcer; sed sicut & Iosephus frequenter ciuitatem solet appellare eam Hierosolymorum partem quæ media est sita inter montem Sion & templum, ita Lucas eodem sensu dicat portam ferream ducere ad ciuitatem, hoc est, in eam ciuitatis ampliorem regionem quæ communi loquendi vsu proprie ciuitas diceretur; carcerq. situs esset vel iuxta templum in ea fortasse munitissima turri quæ dicebatur Antonia, vel alio aliquo loco extra ciuitatem (vt dictum est) non tamen extra mœnia totius vrbis posito. A

VI. Angelus igitur Petrum e carcere non ad fugam, sed ad triumphum velut educens, non foras, sed intra ciuitatem, per portam quæ ferrea dicta est, quamuis clausam, sed diuina virtute reseratam, perduxit; vt sic liber pastor relictus, solicitum de se gregem inuiseret. De hac ferrea porta Petro patefacta hæc Arator diaconus[a]: B

a Arat. in Act. Apost. lib. 1.

Ferrea quid mirum si cedunt ostia Petro?
Quem Deus æthereæ custodem deputat aulæ,
Ecclesiæq. suæ faciens retinere cacumen,
Infernum superare iubet, &c.]

PETRVS INVISIT SVOS. Venit ergo (inquit Lucas) ad domũ Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium ianuæ, processit puella ad videndum, nomine Rhode.] moris quidem fuisse antiquis appendi malleum ianuis ad signum dandũ, testatur Plutarchus de Curiositate. Sed pergit Lucas: Et vt agnouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intro currens nunciauit stare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent ostium, viderunt eum, & obstupuerunt. Annuens autem eis manu vt tacerent, narrauit quo modo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nunciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abijt in aliũ locum.] hæc Lucas de liberatione Petri: cuius vincula, velut nobilissimæ victoriæ gloriosa trophæa, omniũ fere sanctorum Patrum egregijs celebrata præconijs, in Ecclesia sunt perpetua memoria consecrata. C

VII. De Petri enim vinculis Augustinus[b] in illa verba: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam] Dignus certe, inquit, qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. De hoc ait sermo diuinus: Et ponebant infirmos suos, vt vmbra saltem transeuntis Petri obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædã pertranseũtis, quanto magis gratia nunc permanentis? Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Vt vmbra, inquam, transeuntis Petri obumbraret eos. Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere potuit in se vim salutis; quanto magis de corpore meruerũt attrahere salubritatis ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax post triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes, martyrem reddiderunt. Felices catenæ, quæ nudatis pene ossibus inhærentes, viuas reliquias de sanguinis sudore, iam attrita carne, rapuerunt; tactusq. membrorum cruciatus sui sanctificat instrumentum; in quo dum afflictio crescit ad pœnam, causa pœnæ proficit ad gloriam. Felicia vincula, quæ reum suum vsque ad Christi crucem non tam condemnatum, quàm consecratum, miserunt.] hæc Augustinus de vinculis Petri: licet non de illis quibus hoc anno vinctus est Hierosolymis (nondum enim ea reperta fuerant, quæ temporibus Theodosij Iunioris Aug. in lucem sunt prodita) sed de illis quibus Romæ est detentus in carcere, antequam crucis subiret supplicium. D E

b Aug. de sanct. serm. 29.

DE PETRI VINCVLIS.

VIII. At de his quibus vinctus est Hierosolymis, tandem Romam translatis, hæc cecinit Arator diaconus[c]:

c Arator in Act. lib. 1.

EX VINCVLIS PETRI LIBERTAS.

---------- manet omne per æuum
Pignoris huius apex, & sideris obtinet instar,
Corpore quod Petrus sacrauit, & Angelus ore.
His solidata fides, istis tibi Roma catenis

Perpetuata

Perpetuata salus: harum circumdata nexu
Libera semper eris: quid enim non vincula præstant,
Quæ tetigit qui cuncta potest absoluere? &c.]

Quomodo autem hæc ipsa Petri vincula fuerint asseruata, fideliter custodita, ac denique inuenta, Metaphrastes[a] ex antiquioribus monumentis in lucem prodidit: ea enim in manus deuenisse cuiusdam ex Agrippæ familiaribus, sed in Christũ credentis, sicq. per manus per quatuor delata sæcula fuisse, ac tandem patefacta, tradit. Sed de eorum inuentione agemus suo tempore. Postquam igitur Petrus sic elapsus, Ecclesiam quæ collecta erat in domo Mariæ (vt vidimus) visitasset, aliaq. complura, quæ paulo post recensebimus, peregisset; Romam versus direxit iter; atque hoc ipso secundo anno Claudij Imperatoris, sed in fine ipsius, Romam veniens, ac prædicans Euangelium, eam erigere cœpit Ecclesiam. Sedenim quomodo hæc singula facta sint; enarratis prius quæ antea contigerunt, temporum ordine referemus.

a Metaphr. die 1. August. apud Sur. tom. 3.

IX. Quid interim sic elusus Herodes? Ait Lucas[b]: Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cũ requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci] ad supplicium scilicet: eos enim iussu Herodis fuisse suffocatos, auctor est Petrus[c] martyr Episcopus Alexandrinus: Propter quos, inquit, nulla culpa in Petrum refertur: licebat enim eis, viso quod est factum, effugere: sicut nec imputatur Christo mors infantium:] hæc ipse. Quid vero post hæc Agrippa egerit, sic narrat Lucas: Descendensq. a Iudæa in Cæsareã, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyrijs, & Sidonijs. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum Regis, postulabant pacem, eo quòd alerentur regiones eorum ab illo.]

AGRIPPA ANIMADVERTIT IN CVSTODES.

b Act. 12.

c Petr. Alexan. can. 13. apud Theod. Balsa.

X. Mirabitur certe aliquis eiusmodi appendicem ad historiam de Petro ab Angelo de carcere in libertatem vindicato, a Luca additam; qui causam irarum Agrippæ in Tyrios ac Sidonios ignorarit: quam illam esse existimamus, quòd cum Petrus ab Angelo liberatus, Hierosolymis recessisset, in eas Palæstinæ maritimas regiones venit, ac ibi positas inuisit Ecclesias atque composuit; nam & vnum ex his qui ipsum sequebantur, presbyterum Sidonijs dedit Episcopum, aliaq. in alijs eiusdem & adiacentis regionis locis multa tanto Apostolo digna constituit. hæc autem ex antiquioribus chartis Metaphrastes[d] in hæc verba descripsit: Liberatus a vinculis, cum ab Hierosolymis venisset Cæsaream Stratonis, & ex ijs qui sequebantur eum presbyteris, Episcopum ei constituisset, venit Sidonem: vbi cum multos curasset, & Episcopum constituisset, venit Berythum: in qua etiam cum vnum eorum qui sequebantur, ordinasset Episcopum, venit Biblym: deinde Tripolim, vbi apud Marsonem virum quemdam prudentem diuertit; quem cum Fidelibus, qui erant Tripoli Phœniciæ, Episcopum constituisset, venit Orthosiam: deinde Antandrum; deinde in insulam quæ dicitur Aradus; inde Balanæas; & illinc Panta: deinde Laodiceam; in qua cum multos, qui morbis laborabant, & vexabantur a dæmonibus, curasset, Ecclesiamq. congregasset, & Episcopum constituisset, venit Antiochiam Syriæ ciuitatem.] Sicq. in hunc modum relegit auctor loca ad quæ Petrus accessit, cum liber e carcere Hierosolymis egressus, eam Syriæ partem Antiochiam vsque peragrauit: eamq. fuisse causam existimamus, quòd Cæsaream se Agrippa contulerit, & in Tyrios ac Sidonios commotus fuerit. Quæ vero post hæc Lucas subinfert de eiusdem Agrippæ obitu, suo quo contigerunt tempore enarrabimus. A B C D E

d Metaphr. die 29. Iunij. Sur. tom. 3.

DE PETRI ITINERE.

XI. Idem qui supra auctor addit, tunc Antiochia profectum Petrum in Cappadociam venisse, Tyanamq. eiusdem prouinciæ ciuitatem diuertisse, indeq. abijsse Ancyram Galatiæ; illic mortuum suscitasse, baptizasse credentes, instituisse Ecclesiam; ordinatoq. Episcopo, Synopem & Amaseam Ponti ciuitates concessisse; ac subinde Gangram Paphlagonum, postea vero Claudiopolim, ac inde Nicomediam & Nicæam Bithyniæ ciuitates petijsse: post hæc redijsse Antiochiam, inde Hierosolymam. At nos quod ad Hierosolymam spectat, secus sentimus; quin potius eum Romam versus iter direxisse, asseueramus. Sed & errat, dum ante festum Paschale, post solutum Petrum a vinculis, ea contigisse scribit. Nam post Paschales dies Petrum esse liberatum, Acta testantur. Nec est quod dici possit, hæc sequenti anno facta fuisse: nam (vt omnes consentiunt) hoc anno secundo Claudij Petrus Romam aduenit.

Auctor ille quidem (mea sententia) quæ diuersis tẽporibus a Petro sunt facta, in vnum colligens, imprudenter in hoc vnum tempus reiecit. Ceterum nulla est dubitatio, eas prouincias non tantum a Petro fuisse visitatas, sed & Ecclesias in eis institutas, & Episcopos ordinatos: nam & Prochorum Nicomediæ ab eo datum Episcopum, & alios alibi, idem auctor testatur. A

QVOS EPISCOPOS PETRVS ORDINAVIT.

XII.

Nec prætermittimus dicere, eumdem Petrum Apostolum Byzantijs etiam & alijs eiusdem prouinciæ locis primos dedisse Episcopos. Id enim egregie profiteturAgapetus Papa illis litteris, quas de Menna a se ordinato Episcopo Constantinopolitano scripsit ad Petrum, quæ postea fuerunt in Quinta [a] Synodo recitatæ; in quibus hæc leguntur: Et hoc dignitati suæ (*Mennæ scilicet*) addere credimus, quòd a temporibus Petri Apostoli, nullum alium vmquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum manibus nostræ sedis ordinatũ. Et forsitan ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum, instans res tanta prouenit, vt illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinauit.] hæc Agapetus: cuius auctoritatem, in Synodo præsertim œcumenica recitatam, maioris esse ponderis existimamus, quàm recentiorum Græcorum, vt Nicephori, vel aliorum, qui dixerunt eas Ecclesias ab Andrea Apostolo institutas, ab eodemq. Episcopos illis datos: quod recentiores Græcorum in Menologio, & vterque Nicephorus, ille Episcopus Constantinopolitanus in Chronico, & alter cognomento Callixtus [b], tradiderunt. Porro constat non fuisse Byzantium primam sedem eius prouinciæ institutam, sed Heracleam. Vnde Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniæ, agens aduersus Acacium: Cuius, inquit, sedis Episcopus? cuius metropolitanæ ciuitatis Antistes? Nonne parochiæ Heracleensis Ecclesiæ? &c.] Sed de his hactenus. B C

[a] *Quinta Syn. Act. 2.*

[b] *Niceph. Call. hist. lib. 2. c. 7.*

XIII.

DE DIVISIONIS APOSTOLORVM TEMPORE.

Antequam vero de Petri Romam agamus aduentu, operæpretium existimamus & de cæterorum Apostolorũ in diuersas Orbis prouincias profectione paulo fusius atque accuratius agere: ac primum, quo potissimum anno eadem acciderit, diligentiori studio perquirere. In his perue stigandis plurimum laboris subijmus, multumq. temporis insumpsimus: sed quem secure siue ex Græcis, siue ex Latinis auctoribus sequeremur, inuenimus neminem. Nam nulla in primis ratio habenda est apocryphi illius scripti, quod Melitonis [c] Sardensis Episcopi nomine circumfertur, quo proditur, anno secundo ab ascensione Domini, Apostolos per Orbem diuisos, in externis prouincijs Euangelium prædicasse: neque enim hæc nostra confutatione indigent, quæ ex Actis Apostolicis perspicue refelluntur. Apollonij vero, quod Eusebius [d] recitat, testimonium, inhibuisse Christum Apostolis, ne ante annum duodecimum a sua ascensione recederent Hierosolymis; an solida firmitate subsistat, superius dixisse meminimus: sed id est diligentius expendendum. Ex eius namque sententia dicendum esset, non ante annum quartum Claudij Imperatoris Apostolos in prouincias abijsse. ceterum omnium testimonio certum exploratumq. habetur, iam anno secundo eiusdem Augusti, Petrum Apostolorum Principem venisse Romam. Rursum eiusdem Apollonij sententia confutari posse videtur Marci Euangelistæ auctoritate: quem cum constet scripsisse Euangelium anno sequenti, vt suo loco inferius demonstrabimus; se illud scriptis consignasse post diuisos in orbem terrarum Apostolos, illis verbis in fine [e] positis, satis aperte significat, quibus ait: Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.] qua ratione saltem biennio ante tempus ab Apollonio definitum, Apostolos in Orbis prouincias esse profectos, liquido satis apparet. D E

[c] *Apud Bed. in retract. in Act. Apost. c. 8.*

[d] *Euseb. hist. lib. 3. c. 17.*

[e] *Marc. 16.*

XIV.

Cum igitur ante sequentem annum, quo Marcus suum scripsit Euangelium, Apostolos iam per mundum diuisos fuisse constet; nec ante præsentem annum id contigisse ex Actis Apostolorum satis perspectum habeatur: necessario fateri cogimur, hoc ipso secundo Claudij anno id factum esse. Sicut enim post necem Stephani, vniuersi qui erant Hierosolymis discipuli dispersi sunt (vt ait Lucas [f]) præter Apostolos: ita etiam secunda hac in Ecclesiam excitata persecutione, occisoq. Iacobo Apostolo, & Petro eodem supplicio condemnato, sed diuina virtute elapso, factam esse Apostolorum dispersionem, seu potius dicere velimus diuisionem, par est credere. cum enim quo loco in Iudæa consisterent, persequente illos Agrippa, non haberent; a Iudæis sic pulsi, ad exteras gentes, vt diuina fuerat reuelatione Petro demonstratum, sunt profecti. Vnde

[f] *Act. 8.*

Ioannes

Ioannes Chrysostomus [a] in hanc sententiam: Apostoli, inquit, prædicauerunt Iudæis, longoq. temporis spatio cæsi & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in Gentes profecti sunt.] Quod ad diem pertinet, decimaquinta Iulij in aliquibus Martyrologijs [b] eius rei perpetua memoria consecrata reperitur. His itaque de tempore profectionis Apostolorum in prouincias enarratis; quid, cum profecturi essent, communi consilio coeuntes ante statuerint, aperiendum est. A

[a] *Chrysost. hom. 70. in Matth. c. 21.*

[b] *Bed. Vsuard. & alij ea die.*

Sane quidem etsi ab Agrippa excitata vexatio Apostolos compulit externas quærere regiones: tamen de prædicando Euangelio Gentibus, iam tunc Apostolos inijsse consilium diximus, cum diuina præuia reuelatione, ostensa Petro lintei cælitus demissi visione, apertum est Ecclesiæ ostium Gentibus. Ea etiam occasione (vt vidimus) Matthæus primus omnium Euangelium Iudæis Palæstinis, quos relicturi essent, Hebraice conscripsit. Tunc etiam Catholicæ fidei consulturi, quid singuli essent prædicaturi Gentibus, ne vlla ex parte aliqua vel apparens inter eos in annunciatione Euangelij diuersitas esset; quosdam fidei canones, quibus vniuersam Christianam fidem perstringentes firmarent ac stabilirent, constituerunt: quos proprio nomine Dei Ecclesia nominare consueuit Symbolum Apostolorum: vel quòd singuli ex eis ad eum perficiendum attulerint suum symbolum; qua ratione ante necem Iacobi dicendũ est illud esse confectum: Vel quoniam qui Christiani essent, eo Symbolo, velut tessera militari data, dignosci possent. De his enim agens Ruffinus hæc ait [c]: Discessuri Apostoli ab inuicem, normã prædicationis in commune constituerunt; ne forte alij ab alijs abducti, diuersum aliquid his qui ad fidẽ veniebant exponerent. Ergo omnes in vno positi, & Spiritu sancto repleti, breue istud futuræ (sicut diximus) prædicationis indicium, conferendo in vnum quod sentiebat vnusquisque, componunt, atque credentibus hanc dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & iustissimis ex causis appellare voluerunt. Symbolum enim Græce indicium dici potest, & collatio, hoc est, quod in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in vnum conferendo vnusquisque quod sentit. B C

DE SYMBOLO APOSTOLORVM.

[c] *Ruffin. in præfat. exposit. Symb. Apostolorum.*

XV.

Indicium autem vel signum idcirco dicitur, quia illo tempore (vt Paulus Apostolus dicit, & in Actis Apostolorum refertur) multi ex circumcisis Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicuius vel ventris gratia ad prædicandũ proficiscebantur, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes: idcirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is qui Christũ vere secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hæc seruari ferunt: quoniam & armorum habitus par, & vocis sonus, & sermo vnus est, atque eadem instituta bellandi; ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latine signa vel indicia nominantur: vt si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolũ, prodat si sit hostis, an socius. Idcirco denique hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt; vt certũ esset, hæc neminem ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Discessuri ergo (vt diximus) ad prædicandum, istud & vnanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuere: non sicut filij Noe discessuri ab alterutrum, turrem ex latere cocto & bitumine construentes, cuius cacumen ad cælum vsque pertingeret: sed munimenta fidei, quæ starent aduersus faciem inimici, ex lapidibus viuis & margaritis Dominicis ædificantes: quæ neque venti impellerent, neque flumina subuerterent, neque tempestatũ ac procellarum turbines permouerent. Merito igitur illi ab inuicem separandi, turrim superbiæ ædificantes, linguarum confusione damnati sunt, vti ne vnus quidem posset aduertere proximi sui loquelam: isti vero qui turrem fidei construebant, omnium linguarum scientia & agnitione donati sunt; vt illud peccati, hoc fidei probaretur indicium.] hucusque Ruffinus. D E

SYMBOLVM TESSERA CHRISTIANITATIS.

XVI.

Hieronymus [d] de eodem hæc ad Pammachium: Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, &c.] Itemq. apud Augustinum hæc leguntur: Quod Græce Symbolum dicitur, Latine Collatio nominatur: Collatio ideo, quia collata in vnum totius Catholicæ legis fides, Symboli colligitur breuitate; cuius textum vobis modo, Deo annuente, dicemus. Petrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Ioannes dixit: Creatorem cæli & terræ. Iacobus dixit: Credo & in Iesum Christum Filium eius

[d] *Hier. epist. 61.*

SINGVLORVM APOSTOLORVM SINGVLAS SENTENTIAS.

XVII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnicum Dominum nostrum. Andreas dixit: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. Philippus ait: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Thomas ait: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis. Bartholomæus dixit: Ascendit ad cælos, sedet ad dexterā Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Iacobus Alphæi: Credo & in Spiritū sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam. Simon Zelotes: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Iudas Iacobi: Carnis resurrectionem. Matthias compleuit: Vitam æternam. Amen.] hæc apud Augustinum [a]: quamuis an sit ille sermo S. Augustini, a quibusdam reuocetur in dubium: sed cuius sit, nihil interest, cum de singulis duodecim Apostolorum distinctis elogijs suppetant etiam aliorum testimonia. Nam de ijsdem singulorum Apostolorum sententijs hæc etiam S. Leo Papa [b] ad Pulcheriam Augustam: Ipsius Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententijs, tam instructa sit in munitione cælesti, vt omnes hæreticorum opiniones solo possint gladio detruncari.] eadem Venantius [c] Fortunatus, & alij [d] tradunt.

a Aug. de temp. serm. 115.

b Leo epist. 96.

c Venant. Fort. in præfat. expos. Symboli.

d Albin. Flac. de Offic. Eccl. c. 22. Raban. de inst. cleric. lib. 2. c. 56. & alij.

XVIII. Hoc ipsum Symbolum Catholica Ecclesia semper adeo est venerata, vt in SS. Concilijs œcumenicis [e] quasi basis quædam & fundamentum totius structuræ Ecclesiasticæ consueuerit in primis recitari. De Romana autem Ecclesia, quàm sincere & illibate illud absque alia aliqua additione seruauerit, Ruffinus hæc dicit [f]: Illud non importune commendandum puto, quòd in diuersis Ecclesijs aliqua in his verbis, primo scilicet Symbolo inueniuntur adiecta: in Ecclesia autem vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum: pro eo, arbitror, quòd neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus apud eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt, publice, id est, Fidelium populo audiente, Symbolum reddere: et vtique adiectionem vnius saltem sermonis eorum quæ præcesserunt, non admittit auditus: in ceteris autem locis (quantum intelligi datur) propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ nonnullæ doctrinæ sensus videatur excludi.] hæc Ruffinus. Et Vigilius [g] contra Euthychē de veritate Symboli citans Romanam Ecclesiam, sic ait: Vniuersitas profitetur credere se in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum Filium eius Dominum nostrum. Huic capitulo ob id iste calumniatur: Cur non dixit: In vnum Deum Patrem, & in vnum Iesum Christum Filium eius, iuxta Nicæni decretum Concilij? Sed Romæ & antequam Nicæna Synodus conueniret, a temporibus Apostolorum vsque ad nunc, & sub beatæ memoriæ Cælestino, cui iste rectæ fidei testimoniū reddidit, ita Fidelibus Symbolum traditur: nec præiudicant verba, vbi sensus incolumis permanet.]

e Act. Cōc. Chal ce. 1. Ephes. Constantinop. 2. & aliorum.

f Ruffin. de expos. Symbol. in præfat.

g Vigil. lib. 4.

XIX. Hoc igitur Symbolum Apostolicum non solum cunctis ad baptismum venire cupientibus, primum omnium traditur, & ab eisdem proxime baptizandis exigitur, sed assidue a quolibet Christiano recitandum esse, admonet Augustinus [h], dum ait: Cum autem tenueritis Symbolum, vt non obliuiscamini, quotidie dicite quando surgitis, quando vos collocatis ad somnum. Reddite Symbolum vestrū, reddite Domino, commemorate vos, vos ipsos non pigeat repetere: bona est repetitio, ne subrepat obliuio. Ne dicatis: Dixi heri, dixi hodie, quotidie dico, teneo illud bene. Commemora fidem tuam; inspice te: sit tamquam speculum tibi Symbolum tuum; ibi te vide, si credis omnia quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua. Sint diuitiæ tuæ, sint quotidiana quodammodo indumenta mentis tuæ. Numquid quando surgis, te vestis? sic & commemorando Symbolum tuum, vesti animam tuam, ne forte eam nudet obliuio.] hæc Augustinus. Ambrosius [i] item de eodem hæc in eamdem sententiam: Symbolum quoque specialiter debemus, tamquam nostri signaculum cordis, antelucanis horis quotidie recensere: quo etiam, cum horremus aliquid, animo recurrendum est. Quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prœlio?] Hactenus de Symboli institutione & eius vsu.

h Aug. hom. 12. QVANTAE EFFICACIAE SYMBOLVM APOSTOL.

i Ambr. lib. 3. de virginib. a. tom. Rom. edit. fol. 357. c

XX. His igitur sic ab Apostolis institutis, & sicut Symbolo, ita etiam alijs absque scriptis traditionibus Ecclesiæ impartitis, diuiserunt sibi ad quas singuli proficiscerentur orbis terræ prouincias. Omittimus hic recensere quæ de ea re in pseudo-Prochoro [k] commenta leguntur. ex quo fortasse acceperunt, qui sorte prouincias tradunt esse diuisas, vt Socrates [l] scribit, & alij. Nec illis assentimur dicentibus, pro ratione linguarum muneris impertiti, cuique illam esse tributam prouinciam: quasi velint Apostolos, etsi linguarum

k Habetur tom. 2. Biblioth. sanct.

l Socrat. lib. 1. c. 19. & alij eum secuti.

guarum omnium donum accepissent, peculiari tamen alicuius prouinciæ eorū quemque vsum fuisse sermone. At sicut non admittunt Patres [a], post acceptum Spiritum sanctum, qui illos doceret omnia, ac cuncta suggereret, Apostolos res agendas tanti præsertim ponderis sorti commisisse: ita eosdem omnes omnibus linguis æque locutos esse consentiunt. Dicimus ergo, aliarum exemplo rerum quæ ab ipsis sunt gestæ, hæc eadem omnia de diuisione prouinciarum Spiritus sancti speciali instinctu esse peracta. Si enim de Paulo & Barnaba, antequam simul mitterentur ad prædicandum Gentibus Euangelium, dixit (quod habet Lucas [b]) Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos] quomodo non magis, cum omnes mittendi essent Apostoli, quo singuli profecturi essent, declarauit idem Spiritus sanctus? Quin etiam cum singulorum ordinationes nonnisi præcedentibus prophetijs & specialibus admonitionibus Spiritus sancti (vt suo loco dicemus) ab Apostolis fieri consueuerint: numquid in tanto tantæq. molis negotio eum consulere neglexerunt? Si insuper ad hominem vnum baptizandum missus est Angelus [c] ad Philippum, & quo iturus esset admonuit: numquid cum ad totius humani generis salutem mittendi essent Apostoli, quo singuli profecturi essent, Dominus per Angelum, vel aliter diuinitus desijt demonstrare?

SPIRITVS SANCTI INSTINCTV FACTA DIVISIO PROVINCIARVM.

a Chrysost. in Act. Bed. Oecumen. Glos. & alij.

b Act. 13.

c Act. 8.

XXI. Omnia diuinus ille Spiritus moderabatur, neque sine illius instinctu aliquis illorum quicquam agere præsumebat, quāuis animo concepisset. Hæc cum pluribus sint exemplis monstrata, adhuc accipe quæ de Paulo ac socijs scribit Lucas [d]: Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: et non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem: et visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis.] His ergo & alijs exemplis admoniti, dicimus, singulos Apostolorum in eas Orbis regiones esse amandatos, ad quas Spiritus sanctus priuato instinctu voluit eos proficisci.

SPIRITVS SANCTVS IN OMNIBVS CONSVLTOR.

d Act. 16.

XXII. De hac item Apostolorum profectione hæc Iustinus [e] martyr: Hierosolymis duodecim viri profecti sunt in mundum, atque hi quidem indocti, & minime eloquentes: Dei autem virtute humano generi denunciauerunt, a Christo missos se esse qui cunctos Dei verbum docerent.] Et Ioannes Chrysostomus, de ijsdem agens, hæc ait [f]: Peragrarunt Apostoli orbem terrarum, & infirmum inuenientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum ad stabilitatem reuocarunt, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Erant nudi quidem sæculo, sed induti Christum; pauperes, sed diuites; pecunia indigentes, sed regnum cælorum possidentes; non habentes humana solatia, habentes autem Dominum Deum suum: Ego enim, inquit, vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Peragrarunt vniuersum orbem terrarum oues simul cum lupis. Quis vidit? quis vmquam pastor oues mittit in medio luporum? sed magis si viderit lupos, congregat oues. At vero Christus e contrario fecit: oues ad lupos; & vulneratæ a bestijs non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem conuersi sunt.] et post multa: Mira virtus erat, piscatorem, publicanum, pellionem nudis præceptis mortuos suscitare, morbos expellere, mortem abigere, philosophorum linguam mutam facere, rhetorum ora constringere, apud Principes & Reges versari, barbaris, Græcis, & vniuerso humano generi imperare: nam & hoc illi verbo perfecerunt.] hæc Chrysostomus.

DEI VIRTVS IN PRAEDICATIONE APOSTOLORVM.

e Iustin. in ora. ad Antonin.

f Chrys. aduer. Gentiles.

XXIII. Sed quæ essent in totius terrarum orbis vastissima illa silua monstra ferarum atque portenta, quæ nec fingere satis potuit scriptorum Gentilium vanitas, ad quæ perdomanda e Galilæa piscatores sunt missi: vt in præsentia dicere prætermittamus de singularum gentium superstitione, accipe quæ de complurium illarum moribus Theodoretus [g] summatim collegit (licet ante eum Hieronymus sit fusius prosecutus libro secundo contra Iouinianum scripto) Persicæ, inquit, nationes, quæ iampridem Zaradæ legibus regebantur, matrum, filiarum, sororū connubijs susq. deq. commixtæ, remq. iustissimam arbitrantes id quod erat facinus iniustissimum, audita piscatorum lege & accepta, Zaradæ leges vt iniquitatem maximam conculcarunt, Euangelicamq. protinus temperantiam complexæ sunt: quiq. prius, edocente illo, didicerunt mortuorum

g Theodoret. de curat. Græcar. affect. lib. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum corpora canibus depaſcenda volucribuſq. porrigere; tunc iam, cum cœperunt in Chriſtum credere, ab eiuſmodi immanitate abhorrent, & mortuos ſuos terræ infodiunt: neque curant Principum leges, quibus id fieri prohibetur; neque tortorum ſæuitiam perhorreſcunt: magis enim timent Chriſti iudicium; cumq. præſentia cuncta irrideant, ſomniare magis gaudent quæ non videntur, eaq. demum reuerentur & timent. Has itaque nouas leges acceperunt a promulgatoribus Galilæis; quiq. non timuerunt Romanorum potentiam, ſeſe vltro crucifixi hominis imperio ſubdiderunt. Atque vt hi Romanis legibus viuerent, neque Auguſtus ipſe impetrauit, neque Traianus, qui Perſarum regna ſubuertit: et tamen Apoſtolorum monumenta Perſæ homines, tamquam cælitus allata fuerint, venerantur.] et paulo poſt:

SVBACTAE AB APOSTOLIS GENTES CHRISTI LEGE VIXERE.

XXIV.

Maſſagetæ miſerrimos eſſe homines arbitrati, qui alio mortis genere quàm violenta nece decumberent; quiq. idcirco legem de mactandis ſenibus comedendiſq. tulerunt: poſtquam piſcatorum leges ſutorumq. acceperunt, abominabiles illas dapes ac hoſtias pertæſi ſunt. Tibareni quoque ſoliti olim ſeniores de altis rupibus dare præcipites, legem iniquiſsimam conſciderunt, Euangelica lege accepta. Neque amplius Hyrcani, neque Caſpij ipſi alunt canes hominum cadaueribus, neque Scythæ vna cum mortuis hominibus viuos infodiunt, quos olim viuentes illi dilexerant. Tantam morum mutationem piſcatorũ leges inuehere potuerunt.] hæc pauca ex multis inſinuaſſe ſatis credimus, vt ex his qualis eſſet tunc orbis terrarum facies intelligatur, magiſq. Chriſti potentiam admiremur, qui per paucos abiectoſq. homines, tot Orbis monſtra domuerit, ac ſuo iugo nec tantum corpore, ſed animo ea ipſa ſubegerit. Cum autem complures ex Gentibus frenum Romani Imperij accepiſſent; tamen nec vi, nec ſuaſionibus adigi potuerunt, vt Romanis legibus viuerent: Nam (quod idem auctor addit) neque Æthiopes, qui ſunt Ægyptijs Thebaniſq. contermini, neque multæ item Iſmaeliticæ nationes, non Lagi, non Sanni, non Anaſgi, non quamplurimi alij barbari, Romanorum dominatu accepto, vllis Romanis legibus in conuentionibus ſuis vtuntur. At noſtri illi piſcatores, & publicani, ſutorq. ille noſter cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt: neque ſolum Romanos, & qui ſub Romano viuunt Imperio, ſed Scythas quoque, ac Sauromatas, Indos præterea, Æthiopas, Perſas, Seras, Hyrcanos, Cymmerios, Germanos, & Britannos (vtq. ſemel dicatur) omne hominum genus, nationeſq. omnes induxerunt Crucifixi leges accipere, non armis vſi, non infinita vi militum delectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, vtilitate: quod ſane ipſum non ſine magno quidem ſui periculo faciebant, ſed in ſingulis ciuitatibus frequenter paſsi iniurias, flagraq. paſsim a quouis hominum genere ſubeuntes.] hæc ille, & alia plura id genus.

XXV.

Sed vt in quas ſinguli ſint profecti prouincias, tandem cognoſcamus: quæ ea de re a ſanctis Patribus vel alijs ſcripta reperimus, in medium afferemus. Ac in primis de Petro dicendum, quem hoc anno ſecundo Claudij Imp. veniſſe Romam, communis omniũ ſententia eſt: id enim Euſebius in Chronico in primis teſtatur, id ipſum S. Hieronymus, ac denique ceteri omnes qui de ea re hiſtoriam conſcripſerunt. hæc enim habet Euſebius [a]: Anno ſecundo Claudij, Petrus Apoſtolus, cum primum Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur; vbi Euangelium prædicans, vigintiquinque annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat.] et Hieronymus [b]: Petrus poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum qui de circumciſione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibiq. vigintiquinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum annum Neronis.] eadem de tempore & reliqui omnes conſcripſere: vt nulla de his relicta ſit dubitatio, vel penes eos contradictio. Sicut & de eiuſdem Petri Romam aduentu eadem omnes fere rerum Eccleſiaſticarum veteres ſcriptores & confirmarunt, & perpetuis monumentis decorarunt; vt Irenæus [c], Tertullianus [d], Hippolytus [e], Cyprianus [f], Arnobius [g], Lactantius [h], Optatus [i], Hieronymus [k], Ambroſius [l], Auguſtinus [m], Seuerus [n], Prudentius [o], Philaſtrius [p], Oroſius [q], Proſper [r], Maximus [s] Taurinenſis, Petrus [t] Chryſologus, Arator [u], ac ceteri Latinorum, qui de rebus Eccleſiaſticis commentarios edidere: ex Græcis vero Papias [x], Caius [y], Dionyſius [z] Corinthiorum, Petrus Alexandrinus [a], Euſebius [b], Chryſoſtomus [c], Cyrillus [d] Alexandrinus, Theodoretus [e], Sozomenus [f], & ceteri iuniores

a Euſebius in Chronic.
b Hier. de Scrip. Eccl. in Petro.
c Iren. lib. 3 c. 1.
d Tertul. de præſcript.
e Hippol. apud Pruden. in Peristeph.
f Cyprian. de unit. Eccleſ. & alijs locis.
g Arnob. aduerſ. Gentes, & in Pſal. 106.
h Lactant. lib. 4. c. 21.
i Optat. contra Parmen. lib. 2.
k Hier. de Scrip. Eccleſ.
l Ambroſ. ſerm. in natal. Apoſt. & alibi.
m Aug. ſerm. 7. in natal. Apoſt. & alijs locis.
n Seuer. hiſt. lib. 2.
o Prud. in Peristeph.
p Philaſt. de hæreſ. c. 30.
q Oroſ. lib. 7. c. 6.
r Proſper de prad. lib. 4. c. 12.
s Max. ſer. 1. & 3. in nat. Apoſt.
t Petr. Chryſol. ſerm. in natal. Apoſt.
u Arator in Act. Apoſt.
x Papias apud Euſeb. lib. 2. c. 13.
y Caius apud Euſe. lib. 2. c. 24.
z Dionyſ. apud Euſe. lib. 2. c. 24.
a Pet. Alexand. can. 2.
b Euſeb. lib. 2. c. 14. 17.
c Chryſ. hom. de Petro & Paulo. d Cyril. epiſt. ad Celeſtin.
e Theod. lib. 1. hær. fab. in Simone. & epiſt. ad Leonem.
f Sozom. lib. 4. c. 14.

niores: ac denique, ne in re toto cælo perſpicua laboremus, id ipſum SS. œcumenicæ Synodi, idem etiam Romani Pontifices ſuis epiſtolis, Imperatores ſuis edictis: ac (vt vnico tantum verbo rem abſoluam) tanta de Petri Romam aduentu memoria, omni ſcriptionum genere meruit conſecrari, adeo vt nec cuiuſuis perfrictæ frontis hæreticus, vel ſchiſmaticus, eorum qui ante noſtrum ſæculum vixerint, auſus fuerit de eo vel leuiter quidem dubitationem mouere.

Sic igitur ad totius mundi principem ciuitatem princeps Apoſtolorum mittitur, & ad primariã vrbem Orbis primus paſtor iure dirigitur: de quo hæc S. Leo [a]: Cum duodecim Apoſtoli, accepta per Spiritum ſanctum omniũ locutione linguarũ, imbuendũ Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarũ partibus, ſuſcepiſſent: beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperij: vt lux veritatis, quæ in omnium gentiũ reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totũ mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines in hac vrbe non eſſent, aut quæ vſquam gentes ignorarent quod Roma didiciſſet? Hic conculcandæ philoſophiæ opiniones: hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates: hic confutandi dæmonum cultus: hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum quicquid vſquam fuerat vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo vrbem tu beatiſſime Apoſtole Petre venire non metuis; & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato, ſiluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum, conſtantior quàm cum ſupra mare gradereris, ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caiphæ domo expaueras ſacerdotis ancillam. Numquid autem iudicio Pilati, aut ſæuitia Iudæorum, minor erat vel in Claudio poteſtas, vel in Nerone crudelitas? Vincebat ergo materiam formidinis vis amoris; nec æſtimabas terrori cedendum, dum horum ſaluti conſulis, quos ſuſceperas alendos. Hunc ergo intrepidæ charitatis affectum iam tunc profecto conceperas, quando profeſſio tui amoris in Dominum trinæ interrogationis eſt ſolidata myſterio. Nec aliud ab hac mentis tuæ intentione quæſitũ eſt, quàm vt paſcendis eius quem diligeres, ouibus cibũ, quo ipſe eras opimatus, impenderes. Augebant quoque fiduciã tuam tot ſigna miraculorum, tot dona chariſmatum, atque experimenta virtutum. Iam populos, qui ex circumciſione crediderant, erudieras: iam Antiochenam Eccleſiam, vbi primum Chriſtiani nominis dignitas eſt orta, fundaueras. Iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras: nec aut dubius de prouectu operis, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas.] hæc Leo. Et Arnobius in illud Pſalmi: Poſuit terram fructiferam in ſalſuginem] hæc item ait: Sed per Petrum in ſalſugine litterarum poſitam Romam, fecit eam fructum afferre.] et infra: Poſuit deſertum ab aquis, quæ peccata lauant: Poſuit in ſtagna aquarum: Abundant aquæ baptiſmatis; martyrum pœnitentiæ, eleemoſynarum abundantia in deſerto iſto, quod ante Petri aduentum ſiccum fuit & aridum, hoc nunc excultum eſt, cum conſtitueretur in eo ciuitas Eccleſiæ, in qua quotidie ſeminantur agri, & plantantur vineæ, vt fiãt fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit vt multiplicarentur.] hæc Arnobius de inſtitutione Eccleſiæ Romanæ facta per Petrum.

XXVI. DE PETRO ROMAM MISSO.

a Leo ſerm. 1. in nat. Apoſt.

Quod vero ad rei geſtæ hiſtoriam pertinet: quibus itineribus, quibus ve ſocijs comitatus Petrus Romam aduenerit, neminem qui deſcribat, inuenimus, præter vnum Metaphraſtẽ [b], qui Petri iter Antiochia Romam relegens, ordinatas etiam ab eo Eccleſias in via ſummatim recenſuit. Sed quòd certo auctore ea ſcripta careant, & in multis fide vacillent, haud in omnibus probantur: vt cum ait, ante diſceſſionem Antiochia altercatum eſſe cum eo Paulum, tumq. contigiſſe quod idem Paulus ſcribit ad Galatas. Sed eas diſſenſiones longe poſt hæc tempora factas eſſe, ſuo loco dicemus. Sic etiam cum auctor ait, Paulum & Silam a Petro inuentos eſſe Corinthi: ceterũ Paulum & Silam alio tempore ſimul coiſſe, ex Actis Apoſtolorum ſuo loco monſtrabimus: Vel cum dicit, Cornelium Centurionem a Petro Epiſcopum Ilij ordinatum; cum ex his quæ ſuperius dicta ſunt, conſtet ipſum Cæarienſi Eccleſiæ in Palæſtina fuiſſe a Petro præfectum. His igitur alijſq. ab eo ſcriptis offenſus, libentius ea hic referre abſtinui. Quod vero idem auctor dicit, Petrum a Chriſto admonitum, veniſſe Romam ad Simonem ma-

XXVII. PETRI ITINERARIVM HAVD CERTAE FIDEI.

b Metaphr. die 29. Iunij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem magum confutandum; res est quæ altiori indiget inspectione; agemus de ea fusius suo loco inferius. Porro veniſſe vna cum Petro Antiochia Romam Marcum in primis, qui postea ab eodem Petro acceptum scripsit Euangelium; Apollinarem, qui ab eodem postmodum Rauennati est præfectus Ecclesiæ; Martialem, qui est inde missus ad Gallias; Rufum Capuæ factum Episcopum, Pancratium Tauromenij, Marcianum Syracusis datum Episcopum, & alios cum eis; eorumdem Acta testantur: licet de Marciano & Pancratio iam antea, cum adhuc Petrus moraretur Antiochiæ, in Siciliam fuisse missos, Metaphrastes [a] affirmet; cuius etiam testificatione habetur expressum, Petrum in Italiam nauigantem, in Siciliam appulisse.

[a] Metaphr. die 29. Iunij.

XXVIII. De ceteris locis, ad quæ Petrus Romam venturus diuertit; nobilia in ijs remanserunt antiquitatis vestigia, sed traditione potius quàm scriptura firmata. Nã (vt omittamus de singulis dicere, quæ nondum nobis explorata habentur) est Neapoli in Campania percelebris memoria, vbi idem Princeps Apostolorum, cum Neapolim nauigio delatus esset, vna cum suis Missam celebrauit. Traduntinsuper, ipsum Neapoli soluentem, vi ventorum delatum esse Liburnum, indeq. Pisas proxime positas conscendisse, ibiq. ex more incruentum sacrificium obtulisse: quem locum, tantæ rei memoria celebrem, a posteris summo honore habitum esse constat: Inde vero Romam veniſſe: licet in aliquibus manu scriptis, quibus res gestæ Marci Episcopi Atinæ narrantur, Petrum pedestri itinere Neapoli Romam veniſſe, & Atinam ad Marcum gentilem suum Galilæum hominem diuertisse, scriptum habeatur. Sed de rebus tam antiquis & incertis quid potissimum affirmare debeamus, non satis constat. De Romana vero Ecclesia a Petro instituta, cui & Episcopus præfuit, dicemus anno sequenti, quo id fieri contigit. His vero sic de Petro narratis, iam de ceteris est agendũ Apostolis, & ad quas orbis terrarum partes quisque eorum accesserit (quantum licet antiquorum scriptorum auctoritate) reliquum est vt eo dicamus ordine, quo a Luca [b] eorum nomina recensentur in Actis: ac primum de Ioanne est instituenda narratio.

[b] Act. 1.

XXIX. Ioannes igitur Zebedæi filius, frater Iacobi, migrauit in Asiam, Minorem scilicet; easq. prouincias, in quibus & Petrus (vt vidimus) Euangelium prædicauerat, & Ecclesias complures erexerat, prædicatione Euangelicæ veritatis excoluit. Vna vero cum Ioanne profectam esse sanctissimam Dei genitricem Mariam Virginem, & Ephesi apud eum habitasse, epistola synodica [c] sacrosancti Concilij Ephesini ad Clerum Constantinopolitanum data, non obscure ab illo sancto Episcoporum cœtu significatur, dum illic agitur de damnatione Nestorij his verbis: Quare & Nestorius impiæ hæreseos instaurator, in Ephesiorum ciuitate, quam Ioannes Theologus & sacra Virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt, constitutus, a sanctorum Patrum & Episcoporum cœtu vltro se ipsum abalienans, malæq. conscientiæ reatu impeditus, ad illum sese adiungere non audens; post trinam citationem, sacræ Synodi sententia, diuinoq. sanctorum Patrum iudicio condemnatus, omniq. sacerdotali dignitate exutus est.] Magdalenam etiam vna cum Lazaro Ephesi egisse, aliqui [d] tradiderunt: sed his de Magdalena repugnant quæ superius dicta sunt. At quæ de migratione Dei genitricis Ephesum sunt narrata, ab Epiphanio [e] haud facile admittuntur, qui ait: Equidem cum Ioannes in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit scriptura quòd abduxerit secum sanctã Virginem.] hæc ipse. ceterum complura tradita habentur sine scriptis. De profectione vero Ioannis in Asiam meminerunt Origenes [f], Eusebius [g], Gregorius [h] Nazianzenus, Ioannes [i] Chrysostomus, qui & ait [k]: Corpore autem habitauit Asiam, vbi antiquitus omnes philosophorum sectæ philosophatæ sunt: idcirco is locus dæmonibus obnoxius est, & admodum formidabilis. In medio autem inimicorum claruit; illorumq. fugata caligine, arcem euertit quammunitissimam.] Complures ibi erexit Ecclesias, quarum sic meminit Tertullianus [l]: Habemus & Ioannis alumnas Ecclesias: nã & Apocalypsin eius Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum ad originem recensus, in Ioannem stabit auctorem.] Septem enim illæ in Asia positæ, quarum ipse meminit in Apocalypsi, ab eo fundatæ traduntur; nimirum Ecclesia Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ.

[c] Act. Ephes. to. 2. cap. 26. edit. Pelsan.

[d] Notation. in Mart. Rom. die 22. Iulij.

[e] Epiph. hæres. 78.

[f] Orig. lib. 3. in Genes.

[g] Euseb. hist. lib. 3. c. 1.

[h] Greg. Nazian. ad Arian.

[i] Ioan. Chrysost. hom. in 2. Apost.

[k] Ioan. Chrysost. hom. 1. in Ioan.

[l] Tertull. lib. 4. contr. Marcion.

[m] Iren. lib. 3. c. 3. in fin.

XXX. ECCLESIA EPHESINA. Sed quod pertinet ad Ecclesiam Ephesinam: a Paulo fundatam, a Ioanne curatam esse, auctor est Irenæus [m]. Multa sunt quæ in pseudo-Prochoro de Ioannis in Asia gestis, ac præsertim Ephesi, scripta leguntur, sed prorsus commentitia ac fabulosa, indigna plane

plane quæ hisce chartis nostris inserantur: vt inter alia plura, quæ habet de templo Dianæ [a] Ephesiæ Ioannis virtute prostrato: nam constat integrum permansisse vsque ad Gallieni Imp. tempora, quando (vt auctor est Iulius [b] Capitolinus) a Gothis est expilatum & concrematum. Porro res ab eo gestas in Phrygia, ac præsertim Hierapoli, vbi permansit vsque ad Philippi aduentum, recitat Metaphrastes [c]. Ceterum Ioannem non semper in Asia permansisse, sed & alias Orientis regiones Euangelium prædicando peragrasse, multa sunt testimonia. Ad Parthos enim ascendisse, titulus suæ ipsius primæ epistolæ, quæ olim ad Parthos inscripta legebatur, facile monstrat. Sed adhuc vlteriores Orientis partes penetrasse, & Basforas Christiana fide imbuisse, accepimus certa ac fide digna relatione religiosissimorũ [d] Patrum Societatis IESV, qui nostris temporibus ad Indos Euangelicæ prædicationis causa profecti, hæc ex eiusdem populi a maioribus accepta traditione didicerunt. Hæc de Ioanne. De Iacobo autem eius germano nihil est quod dicamus, quem (vt vidimus) ante profectionem Apostolorum ad Gentes, ab Herode Agrippa constat esse necatum.

[a] Prochor. c. 7.

[b] Iul. Capit. in Gallien.

[c] Metaphr. die 5. Septembr.

[d] Ex litteris ab ipsis script. anno Domini 1555.

[e] Orig. lib. 3. in Genes.

[f] Euseb. hist. lib. 3. c. 1.

[g] Greg. Nazian. orat. in Arian.

[h] Chrysost. hom. de 12. Apostol.

[i] Niceph. histor. lib. 2. c. 39.

[k] Niceph. lib. 8. cap. 6.

[l] Nicephorus in Chron.

[m] Rom. 16.

[n] Abdias in Andrea.

[o] Apud Hier. de Scrip. Eccles.

[p] Doroth. in Synopsi.

[q] Niceph. lib. 2. c. 39. Metaphr. die 15. Nouem.

[r] Chrysost. hom. de 12. Apostol.

[s] Idem qui supra Niceph. & Metaphr.

[t] Isid. de vit. & obitu sanct.

[u] Orgen. in Genes. lib. 3.

XXXI. Andreas, qui sequitur ordine, ad Scythas missus traditur ab Origene [e] & Eusebio [f]. In Græciam vero inde descendisse, & in Epirum veniſſe, testatur Gregorius Nazianzenus [g], atque Chrysostomus [h]: sed ex iunioribus Græcis Nicephorus [i] hæc de Andreæ peregrinatione: Sorte, inquit, ea prouincia obtigit, vt ad Gentes mitteretur, in Cappadociam scilicet, Galatiam, & Bithyniam: quibus peragratis, ad eam quoque accessit quæ Anthropophagorum dicitur, & ad Scytharum solitudines, ad vtrumque Pontum Euxinum, orasq. Septentrionales, ad ipsum quoque Byzantij solum; deinceps Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, & Achaiam peragrauit: in quibus prouincijs omnibus longo tempore sermonibus diuinis, prodigijsq. mirificis Christum glorificans, tandem a Proconsule Ægea in crucem est actus.] et alibi [k]: Thraciam, Macedoniam, & Euxinum prouincias sortitus, Byzantij Christum prædicauit: et cum a Zeuzippo tyrannidem ibi tenente ad necem quæreretur, Argyropolim transijt, atque ibi biennium conuentus agens, permultos ad Christi fidem perduxit: ceterum sacra in eo loco fundata æde, & Stachi Episcopo creato, Synopem conscendit.] Sed fide nutant hæc ob apertum mendacium de Zeuzippo tyranno: nullus enim incumbebat tempore Claudij tyrannus in Thracia, quam prouinciam Præses summa pace moderabatur. Rursum vero Nicephorus [l] Episcopus Constantinopolitanus hæc in eamdem sententiam: Primus, ait, Andreas Apostolus præco Byzantijs fuit Euangelij: extruxit ædem, in qua precibus pijs imploraretur Deus, vltra regionem Argyropolis; & ordinauit Episcopum Stachim, cuius meminit Apostolus ad Romanos [m].] Ecclesiam quoque Niceæ in Bithynia fertur erexisse [n], illicq. Callixtum primum Episcopum ordinasse. At hæc ex apocryphis accepta sunt; nam eas Ecclesias a Petro esse erectas, superius est demonstratum. Scribit Sophronius [o], Andream non tantum missum ad Scythas (quod testantur ceteri) sed ad Sogdianos, Sacos, & Æthiopas: idq. ipsum affirmat Dorotheus [p].

XXXII. DE PHILIPPO APOSTOLO. Philippus quintus ordine Asiam Superiorẽ Euangelio traditur [q] excoluisse, demum Hierapoli annos natus octogintaseptem martyrium subijsse; quod & Ioannes Chrysostomus [r] tradit: eumdemq. aliquam partem Scythiæ peragrasse, & vna cum Bartholomæo aliquo temporis spatio Euangelium annunciasse ferunt [s]. Apud Isidorum [t] legitur, Philippum Gallos etiam Christiana fide imbuisse, quod & in Breuiario Toletano institutionis S. Isidori legitur. Sed Galatis, loco Gallis, esse restituendum, diximus in Notationibus ad Romanum Martyrologium.

[x] Euseb. lib. 3. cap. 1.

[y] Greg. Nazian. hom. ad Arian.

[z] Chrysost. hom. de 12. Apostol.

XXXIII. DE THOMA APOSTOLO. Thomas Apostolus in primis ad Parthos profectus est, vt auctor est Origenes [u], & Eusebius [x]. Eumdem Indos penetrasse, tradit Gregorius [y] Nazianzenus. In Æthiopiam quoque perrexisse, testatur Ioannes Chrysostomus [z], cum ait: Thomas dealbat Æthiopas.] Thomæ adscribitur [a] quod ait Theodoretus, Parthos, Persas, Medos, Brachmanos, Indos, aliasq. nationes finitimas Christi Euangelium suscepisse. Ad Taprobanam quoque insulam venisse, Nicephorus [b] tradit: qui tamen apocrypha quædam de Thoma abire ad longe positos populos detrectante, & Domino illi apparente, cum scribat, ab ijs nos abstinuimus. Sunt alia incerti auctoris, tamen Ioannis [c] Chrysostomi, sed falso, nomine insignita, quibus fertur, Thomam tres illos magos, qui Christi præsepe adiere, baptismo initiasse, ac socios in prædicatione Euangelij secum duxisse: id ipsum apud Sophronium [d] æque legitur & alios. Qui apud Indos reperti sunt Chri-

[a] Theodoret. de verit. Euangel. lib. 9. & Clem. recog. lib. 9. c. 8.

[b] Niceph. lib. 2. c. 40.

[c] Apud Chrys. hom. 2. in Mar. oper. imperfect.

[d] Apud Hieron. de script. Eccles. Oecumen. in Act. Apostol.

stiani

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtiani in regione Narſingenſium, firma certaq. traditione affirmant Thomam Apoſtolum in illis regionibus Euangelium prædicaſſe, Eccleſias erexiſſe, ac cetera quæ ad Chriſtianorum inſtitutionem pertinent, conſummaſſe. Id ipſum profiteri qui in Indiæ regione Chranganore dicta & alijs adiacentibus locis agunt, Oſorius Siluenſis [a] Epiſcopus, qui res Indicas luculentiſſime ſcripſit, teſtatur. A

[a] Oſor. hiſt. lib. 3.

XXXIIII. DE BARTHOLOMAEO APOST.

Bartholomæus in Maiorem Armeniam profectus, Lycaonas eius prouinciæ populos veritatem Euangelicam docuit, & ad pietatem inſtituit, vt eſt auctor Chryſoſtomus [b]. Albanos inſuper fide Chriſtiana imbuiſſe, tradit Sophronius [c]: citerioremq. Indiam penetraſſe, Origenes [d] teſtatur; id ipſum Socrates [e] quoque & alij. Certam fidem de his fecit Pantænus philoſophus Chriſtianus, qui peregrinatus ad Indos, memoriam de Bartholomæi prædicatione virentem adhuc reperit: quin & Matthæi Euangelium ab ipſo, antequam illuc proficiſceretur, deſcriptum, ibi inuentum, ac acceptum ſecum detulit, cum Alexandriam redijt. id Euſebius [f], Hieronymus [g], & alij recentiores, qui ab his ipſis acceperunt, affirmant. B

[b] Chryſoſt. hom. de 12. Apoſt.
[c] Apud Hieron. de Script. Eccl.
[d] Orig. in Geneſ. lib. 3.
[e] Socrat. lib. 1. c. 15.
[f] Euſeb. hiſt. lib. 5. c. 10.

XXXV. DE MATTHAEO APOST. ET IACOBO.

Matthæum ad Æthiopiam miſſum eſſe, auctor eſt Socrates [h], ex Origene [i] puto, qui id ipſum tradit. Quæ de ipſo ſcribit Nicephorus [k], vt commenticia prætermittimus. Qui ſequitur nonus ordine Iacobus Alphæi, frater Domini, idemq. Iuſtus dictus, non legitur in externas profectus eſſe prouincias: ſed qui (vt vidimus) Hieroſolymorum creatus eſſet Epiſcopus, ne Iudæi, quorū cauſa munus illud ſuſceperat, omnino derecti haberentur, loco conſtitit, nec ſicut ceteri ad Gentes in diuerſas Orbis partes abire permiſſus eſt. Tanta enim eum tamq. conſpicua ſanctitate effulſiſſe tradunt, vt quamuis Iudæorum magiſtratus in ceteros ſæuirent Apoſtolos, ipſi tamen nullum negotium faceſſerent, ſed honore potius proſequerentur: id quidem non Hegeſippus [l] tantum Apoſtolorum temporibus proximus, ſed & Ioſephus [m] Iudæus teſtatur, dum ait, tanta eum apud vniuerſum populū æſtimatione claruiſſe, vt propter illatam ipſi necem exiſtimauerint Hieroſolymam exciſam, & Iudaicum populum acerbiſſima omnium clade afflictatum eſſe. At de eius vitæ inſtitutione plura inferius, cum de eius martyrio ſuo loco agemus.

[g] Hieronym. de Script. Eccl. in Pantæno.
[h] Socrat. lib. 1. c. 15.
[i] Orig. in Geneſ. lib. 3.
[k] Niceph. lib. 2. c. 41.
[l] Hegeſip. apud Euſeb. lib. 2. c. 22.
[m] Ioſeph. antiq. lib. 20.

XXXVI. DE TRIBVS IACOBIS.

Sed quod ad præſentem ſpectat inſpectionem: qui putarunt Iacobum Alphæi dictum, a fratre Domini eſſe diuerſum: in alias & ipſum, vt ceteros, prouincias amandatum tradunt; idq. nullius prorſus auctoris certo teſtimonio, ſed ex animi arbitrio, vt feciſſe videtur Nicephorus [n]. et licet ipſe primo de duobus tantum Iacobis ſententiam aſtruat; tamen dum de Iacobi Alphæi rebus geſtis atque martyrio agit, refert quædam mirum in modum inter ſe diſcrepantia, atque prorſus abhorrentia ab his quæ Hegeſippus fideliſſimus auctor de eodem Iacobo, vno eodemq. cum fratre Domini, ſcriptorum egregijs monumentis poſterorum memoriæ commendauit; ac tertium quempiam Iacobum videtur introducere. Fuit quidem ante Nicephorum quorumdam ſententia, tres fuiſſe Iacobos in Euangelio recenſitos, Iacobum ſcilicet Zebedæi, alium dictum Alphæi, tertium vero fratrem Domini, cognomento Iuſtum. qui hæc tradiderunt, tertium quem diximus Iacobum, extra numerum duodenarium Apoſtolorum imprudenter quidem nimis conſtituunt. Sed ſatis ad eius ſententiæ confutationem eſſe videtur, ſi vnde eſt deducta, repetatur origo. Ex reiectis enim illis Clementis nomine ſcriptis Recognitionum libris de tribus Iacobis auctoritas ſemel ſumpta, in nonnullos eſt inconſultiſſime propagata. Putarunt aliqui eamdem ſententiam ex eiuſdem Clementis [o] Conſtitutionibus, ſed apocryphis, roborari, dum hæc ibi ex perſona Apoſtolorum recitata habentur: Nos ergo, qui digni facti ſumus vt eſſemus teſtes aduentus eius cum Iacobo fratre Domini, & alijs ſeptuagintaduobus, & ſeptem diaconis, &c.] quibus verbis volunt Iacobum fratrem Domini extra numerum Apoſtolorum conſtitutum. Sed mea ſententia, magis eadem verba Iacobum monſtrant incluſum. nam cum extra numerum ſeptuagintaduorum Iacobus illic poſitus recenſeatur, plane conſtat inter duodecim adnumeratum: alioqui (quod abſurdum eſt dicere) non tantum non inter Apoſtolos, ſed neque inter diſcipulos Iacobus frater Domini locum haberet. Vnde (vt ex his patet) quòd ibi Iacobus ſingulariter nominetur, non eſt factum vt e numero duodenario excluderetur; ſed potius ſecundum energiam quamdam, quòd frater eſſet Domini, nominatus. D E

[n] Niceph. lib. 2. c. 3. & c. 40.
[o] Clem. Conſtit. lib. 2. c. 59.

XXXVII.

Ceterum ſi attendamus ea quæ de his Patres dixerunt, omnis dubitationis tolletur

ſcrupulus.

A ſcrupulus. Nam S. Hieronymus [a] in Iſaiam, cum illorum recitat ſententiam qui quatuordecim numerabant Apoſtolos, & poſt duodenarium numerum Iacobum fratrem Domini & Paulum addebant; agens [b] contra Heluidium, duos tantum fuiſſe Iacobos, alterum Zebedæi, Alphæi alterum, eoſdemq. Maiorem & Minorem dictos, alijſq. differentijs inter ſe diſtinctos, affirmat, ac probat. Sed an non plus ſatis Paulus Apoſtolus [c] monſtrat Iacobum fratrem Domini vnum ex duodecim fuiſſe, cum ſcribens ad Galatas ait: Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini?] Euſebius [d] item ex Clemente Alexandrino nonniſi duos Iacobos fuiſſe tradit, dum ſic ait: Duos item Iacobos fuiſſe ferunt: vnum cognomento Iuſtum, qui de templi faſtigio præceps deiectus, fullonis vecte cæſus occubuit: alterum, qui capite abſciſſo migrauit e vita.] Sed agamus de ceteris.

[a] Hier. in Iſai. c. 17. DVO TANTVM IACOBI.
[b] Idem aduerſ. Heluid.
[c] Galat. 1.
[d] Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 1.

B Simon Chananæus, qui & Zelotes reperitur dictus, quem & Iudam etiam nominatum eſſe Hieronymus [e] ſæpe teſtatur, in Meſopotamiam profectus, populis illis Euangelium annunciauit: in Perſidem etiam tandem abijſſe tradunt [f]: addunt [g] alij Ægyptum, Africam [h], & Britanniam; vt Nicephorus & Dorotheus, quos ſequi viſi ſunt Græci in ſuo ipſorum Menologio: ſed hæc abſque aliquo antiquorum teſtimonio. Quod vero ſpectat ad Africanam Eccleſiam: ea contentio inter Catholicos Africanos & Donatiſtas oborta eſt, quo potiſſimum tempore Euangelium cœperit in Africa prædicari. Affirmabant [i] iſti, poſt Apoſtolos id eſſe factum; ſic enim Petilianus dicebat: De nobis dictum eſt: Erunt primi, qui erant nouiſſimi. Ad Africam enim poſtmodum Euangelium venit; & ideo nuſquam litterarum Apoſtolicarum ſcriptum eſt, Africam credidiſſe.] Repugnat his Auguſtinus, necnon Saluianus [k] Maſſilienſis, C qui conſtanter affirmant Africanos ab Apoſtolis Euangelium accepiſſe. Si qua fides adhibenda eſt Metaphraſti [l]; is Petrum Apoſtolum poſt Romanam Eccleſiam ordinatam, ceteraſq. complures in diuerſis locis erectas, Carthaginem tandem veniſſe tradit: ſed cum multa hic admiſceat commenta, nullam prorſus in his meretur fidem. In libello qui fertur nomine Hippolyti, de Septuagintaduobus diſcipulis, nominatur inter alios neſcio quis Laudatus, quem dicit creatum Epiſcopum Carthaginenſem.

XXXVIII. DE SIMONE APOSTOLO.

[e] Hier. in epiſt. ad Galat. c. 4. & contra Heluid.
[f] Beda in retract. in Act. Apoſt.
[g] Iſidor. de vit. & obitu ſanct.
[h] Nicephor. lib. 2. c. 40. Dorotheus in Synopſi.
[i] Aug. de vnit. Eccl. c. 15.
[k] Saluian. de prouid. Dei lib. 7.
[l] Metaphr. die 29. Iunij.

Ceterum Auguſtinus [m] videtur profiteri Afros a Romana Eccleſia Euangeliū accepiſſe: ſic enim ait, diſputans contra Donatiſtas: Cum ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, & ceteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctū, &c.] D Innocentius Papa ſcribens ad Decentium, nonniſi a Petro miſſos eſſe dicit in Africam, qui populum illum imbuerent Euangelio. Gregorius Papa [n] itidem, ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem ſcribens, hæc habet in eamdem ſententiam: Scientes præterea vnde in Africanis partibus ſumpſerit ordinatio ſacerdotalis exordium, laudabiliter agitis, quòd ſedem Apoſtolicam diligendo, ad officij veſtri originem prudenti recordatione recurritis.] Sed vnde digreſſi ſumus, reuertamur. Quod ad Simonem pertinet: errare certum eſt illos [o], qui hunc ipſum in vnum conflant cum Simeone, qui Iacobi frater, eidem in ſede Hieroſolymitana eſt ſubrogatus Epiſcopus: quem Euſebius ex Hegeſippo plane ab illo diſtinctum eſſe demonſtrat, dum illum Mariæ Cleophæ & Alphæi filium eſſe dicit. Beda [p] aliquando errore lapſus, quòd putaſſet duos illos vnum eſſe Simonem, ſe ipſum correxit. Sed de eadem controuerſia, E necnon de Iudæ nomine eidem indito a nonnullis, agemus inferius opportuniori loco pluribus.

XXXIX. AFRICANA ECCLESIA A PETRO ERECTA.

[m] Auguſt. epiſt. 162.
[n] Greg. regiſt. lib. 3. epiſt. 32.
[o] Sophron. & auctor de vit. & obitu ſanct.
[p] Beda in retract. in Act. Apoſt.
[q] Niceph. hiſt. lib. 2. c. 4.
[r] Euſeb. lib. 1. c. 13.
[s] Hier. in Mat. c. 10.
[t] Beda in retract. in Act. Apoſt.

Iudas vero, qui & Thaddæus eſt dictus, & ipſe in Meſopotamia Euangelium prædicaſſe dicitur [q], multaq. egiſſe in Arabia & Idumæa, alijſq. adiacentibus regionibus. Sed ſicut de Simeonibus, ita etiam de Thaddæis duobus videtur facta confuſio: nam quem in Syriam Edeſſam ad Abgarum Regem miſſum tradit Euſebius [r], illum ex numero ſeptuagintaduorum fuiſſe affirmat; quem tamen fuiſſe Apoſtolum ex numero duodecim, multi ſunt arbitrati, & inter alios Hieronymus [s], & Beda [t]; qui quod prius dixerat, retractauit. Duos Thaddæos æque ponunt Nicephorus [u] atque Dorotheus.

XL. DE THADDAEO APOST.

[u] Niceph. hiſt. lib. 2. c. 40. Dorotheus in Synop.
[x] Sophron. apud Hier. de Script. Eccleſ.

Matthias, qui in locum Iudæ eſt ſubrogatus, in Æthiopiam poſt Iudæam Euangelij cauſa profectus eſſe traditur: id quippe Sophronius [x], Nicephorus [y], & alij hos ſecuti dixerunt. Sed de diuiſione & profectione Apoſtolorum ad prædican-

XLI. DE MATTHIA APOST.

[y] Nicephor. hiſt. lib. 2. c. 40.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum Euangelium Gentibus, hactenus: res sane est perdifficilis inuestigatu, ac potius (mea sententia) breuitate tractanda, quàm fabulis inuoluenda, atque commentis exaggeranda.

XLII. ACTA DIVERSORVM APOSTOLORVM.

Quod vero pertinet ad res ab ipsis gestas, postquam ab inuicem semel separati sunt: res quidem æque perobscura est. Cum enim Apostolorum nomine tam facta quàm scripta reperiantur esse supposititia; nec, si quid de illis a veris sinceriſq. scriptoribus narratum sit, integrum & incorruptum omnino remanserit: in desperationem plane quamdam animum deijciunt, posse vmquam assequi quod verum certumq. subsistat. Age vero, de his pro viribus orationem instituamus, & quæ de Apostolis apocryphâ, vel omnino reiecta scripta esse probantur, in medium adducamus. Atque in primis inter hæc adnumerandum est Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur Clementis, siue quod Recognitionum titulo inscribi solet, aut quod Athanasius in Synopsi Clementinâ appellat. Rursus extabant Actus nomine Andreæ, Actus nomine Thomæ, Actus nomine Philippi, Actus Pauli & Theclæ: quos omnes Gelasij [a] censura proscripsit. Addit Athanasius [b] Circuitus Ioannis. Agens de his Philastrius [c], factitatum ab hæreticis tradit, vt falsa Acta Apostolorum nomine scripserint: sed & Manichæi, quæ ab Andreæ discipulis de rebus gestis a Ponto in Græciam scripta erant, alia addentes, alia vero detrahentes, corruperunt.

a Gelas. in Cōc. Rom. de lib. apocryphis.
b Athanas. in Synopsi.
c Philast. de hæres. c. 89.

XLIII.

Tractans Innocentius [d] Papa de his commenticijs Apostolorum Actibus, auctores qui eos confinxerunt, prodit, dum ad Exuperiū scribens hæc ait: Cetera quæ sub nomine Matthiæ, siue Iacobi Minoris, vel sub nomine Petri & Ioannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide & Leonide philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solum repudianda, verum etiam noueris esse damnanda.] at de his quæ ad dictum impostorem Leucium spectant, hæc Gelasius [e]: Libri omnes, quos fecit Leucius discipulus diaboli, apocryphi.] fuisse hunc secta Manichæum, atque Actus Apostolorum scripsisse, Augustinus [f] eos refellens testatur. Ceterum longe ante tempora Manetis hæresiarchæ, ab ipsis fere Apostolorum temporibus conficta sunt falsa Acta Apostolorum: nam de Encratitis hæc scribit Epiphanius [g]: Vtuntur & scripturis primo loco quæ dicuntur Andreæ, & Ioannis Actiones, atque Thomæ.] Rursum Circuitus Petri ab Ebionitis deprauatos esse, idem auctor testatur [h]: sed non hæc tantum præsumpserunt, verum etiam & alia falsa Acta Apostolorum scripserunt, multaq. in eis aduersus Paulum Apostolum mendacia coacerauarunt, vt idem Epiphanius [i] scribens contra Ebionæos tradit his verbis: Actus vero Apostolorum alios esse dicunt, in quibus habentur multa impietate ipsorum referta.] sequitur dicere de his quæ in Paulum scripserunt. Priscillianistas hæreticos etiam falsa Acta Apostolorum commentos esse, eaq. Memoriæ Apostolorum titulo prænotasse, auctor est Orosius [k].

d Innoc. epist. 3.
e Gelas. in decret. de lib. apocryphis.
f Aug. de fide contra Manich. c. 4. & 38.
g Epiph. hæres. 47.
h Epiph. hæres. 30.
i Epiph. ibid.
k Oros. epist. ad Aug. de errorib. Priscillian.

PSEVDOHISTORICI.

XLIV.

Præter autem reiectas illas Recognitiones Clementis, quæ hactenus extant, feruntur etiam Abdiæ Babylonij nomine Vitæ quædam Apostolorum, itemq. sub Prochori nomine Actus Ioannis Euangelistæ, necnon incerto auctore Passiones Apostolorum: quo titulo a Seleuco (puto potius Leucio Manichæo) fertur esse liber conscriptus, de quo hæc habentur posita in libello de Natiuitate S. Mariæ, qui Hieronymo falso adscribitur: Quidam, inquit auctor, Seleucus (seu Leucius) qui Passiones Apostolorum conscripsit, hunc libellum composuit. Sed sicut de virtutibus eorum & miraculis per eos factis vera scripsit, de doctrina eorum plura mentitus est. Legi manuscriptam [l] epistolam nomine Meliti Episcopi Laodicensis, qua significatur a prædicto Leucio conficta esse trium tantum Apostolorum Acta, nimirum Ioannis, Andreæ, & Thomæ.]

l in Bibliothec. Vat. nu. 234.

XLV. HAERETICI LABEFACTARVNT HISTORIAS.

Rursus quæ Lini nomine scripta habetur Passio Petri Apostoli, Manichæismo repetitur infecta, vt suo loco inferius perspicue demonstrabimus. Sed qua ratione ea omnia vel his similia Augustinus refellat, audiamus: disputans enim contra Marcionitam, sic ait [m]: Sane de apocryphis iste posuit testimonia, quæ sub nominibus Apostolorum Andreæ Ioanniſq. conscripta sunt: quæ si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia, quæ ab illorum temporibus per Episcoporum successiones certissimas vsque ad nostra deinceps tempora perseuerat.] et alibi contra Faustum agens [n]: Legunt, inquit, scripturas apocryphas Manichæi, a nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas: quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi

m Aug. contra aduers. legis lib. 1. c. 20.
n Aug. contra Faustū lib. 22. c. 79.

recipi merèrentur, si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent.] Vides igitur, quanto cum periculo prodendæ veritatis, absque delectu res gestæ Apostolorum legantur ac recitentur; & quàm sit difficile e tot mendaciorum lacunis puram defæcatamq. haurire veritatem: Vt merito os Domini is dicendus sit, qui (vt Propheta [a] ait) mundum ab immundo, & pretiosum a vili noueris separare: ac iure in his legendis, Apostoli [b] sententia seruanda sit, dicentis: Omnia probate: quod bonum est, tenete.]

a Hierem. 15.
b 1. Thess. 5.

XLVI. SCRIPTA SVPPOSITA NOMINE APOSTOLI PETRI.

Sed ex quo semel de his agere cœpimus: recensitis iam his quæ de rebus gestis Apostolorum sunt falso suppositа, eas etiam enarremus, quæ Apostolorum nomine sunt editæ, scriptiones. Et vt ab his quæ Principi Apostolorum adscriptæ sunt, auspicemur: Petri nomine (inquit Hieronymus [c]) feruntur quinque libri, quorum primus Actuum Petri inscribitur, alius Petri Euangelium, tertius Prædicationes Petri, quartus Apocalypsis, quintus Liber Iudicij] recensetur eosdem Eusebius [d]: Clemens [e] Alexandrinus tam ex eo qui Petri Prædicatio, quàm eo qui dicebatur Petri Apocalypsis, fragmenta recitat, & post ipsum Origenes. In aliquibus ecclesijs Palæstinæ, in die parasceues, quædam recitari solita ex Petri nomine edita Apocalypsi, auctor est Sozomenus [f]. Qui inscriptus erat commentarius, Euangelium Petri, primus omnium Serapion [g] Episcopus Antiochenus, quòd hæreses contineret, & ab hæreticis probaretur conscriptus, ipso Fidelibus interdixit. Eum vero librum, cuius erat titulus, Iudicium Petri, Ruffinus existimauit eumdem esse cum eo qui inscribitur, Liber Pastoris, de quo fusius suo loco dicendum. Cuius vero est inscriptio, Doctrina Petri, ab Origene [h] reijcitur.

c Hier. de Script. Eccl. in Petro.
d Euseb. hist. lib. 3. c. 3.
e Clem. Alex. lib. 6. Strom.
f Sozom. hist. lib. 7. c. 19.
g Euseb. lib. 5. c. 20.
h Origen. in Pentateuch.

XLVII. SCRIPTA NOMINE PAVLI.

Pauli quoque nomine multa fuere suppositа: ac primum Euangelium, itemq. Apocalypsis, quæ damnat Gelasius [i]: ea enim occasione, quòd Paulus interdum dicat, Secundum Euangelium meum] falsum nomine Pauli fuit editum Euangelium. Sed & quòd scribens ad Corinthios [k], se a Deo reuelationes accepisse testatus sit, & ad Galatas [l] etiam suam citet reuelationem: eius quoque nomine Reuelationes sunt editæ: qui quidem commentarius rursus quasi e terra reuulsus, Theodosij [m] Imperatoris temporibus apparuit; sed quòd fabulas contineret hæreticorum, est rursum obliuione sepultus. A Caianis hæreticis confictum fuisse librum, quem dicebant, Ascensum Pauli, occasione inuenta, quòd idem Apostolus se dicat ascendisse vsque ad tertium cælum & audiuisse arcana verba, testatur Epiphanius: quo libro Gnosticos hæreticos vsos esse, idem affirmat. Actus insuper Pauli, tamquam ab eo scripti ferebantur, quorum meminit Origenes [n]. Neque vero hæc edita solummodo Pauli nomine sunt; sed & aliæ, vltra canonicas, additæ fuerunt epistolæ, nempe tertia ad Corinthios, tertia ad Thessalonicenses, & rursus alia ad Laodicenses titulo prænotata: sed de hac aliàs.

i Gelas. in decret. de lib. apocryphi.
k 2. Cor. 11.
l Galat. 2.
m Sozom. lib. 7. c. 19.
n Orig. in Ioan. tom. 27.

XLVIII. ALIORVM APOSTOLORVM NOMINE EDITA SCRIPTA.

Ioannis quoque Apostoli nomine editi sunt ab hæreticis commentarij, vt aliæ Reuelationes longe diuersæ ab his quæ totius Catholicæ Ecclesiæ sunt receptæ consensu: quas a Cherintho esse confictas, auctor est Caius [o]. Libellus itidem de Transitu Virginis, eiusdem nomine esse vulgatus traditur, atque refellitur [p]. Andreæ Apostoli nomine etiam constat fuisse editum Euangelium, quod Gelasius [q] damnat. Sub titulo Thomæ Apostoli item fuit ab hæreticis scriptum Euangelium, quod respuit Athanasius [r], & alij. Thomæ etiam nomine inditam Apocalypsim, vna cum dicto pseudo-Euangelio, Gelasius [s] aspernatur. Insuper & Bartholomæi Apostoli nomine vsi hæretici, Euangelicam confinxerunt historiam, quam æque cum ceteris idem Gelasius reijcit. A Dionysio [t] citatur sententia Bartholomæi; vnde autem eam acceperit, ignoramus. Iacobi Alphæi quoque nomine hactenus pseudo-Euangelium circumfertur, quod iam olim ab eodem Gelasio proscriptum est. Adhuc etiam Matthæi titulo editus erat liber de Infantia Saluatoris; qui a Valentinianis hæreticis, secundum ea quæ scribit Irenæus [u], putatur fuisse conscriptus; damnatur & idem a Gelasio [x]. Philippi Apostoli itidem nomine inscriptum fuisse pseudo-Euangelium, quo vtebantur Gnostici hæretici, auctor est Epiphanius [y]. Nec vero pepercerunt Thaddæo, cuius quoque nomine pseudo-Euangelium peruulgarunt, quod æque cum ceteris Gelasius improbat. Matthiæ itidem falso nomine ediderunt Euangelium commenticium, quod idem ille Pontifex merito damnat: eius meminit Origenes [z], Eusebius [a], & Clemens Alexandrinus [b]. eidem tribuuntur Traditiones illæ, quarum meminit Clemens Alexandrinus [c], & Eusebius [d]. At vero neque desijt inscribi Barnabæ spurium a spurijs & obscœnis ijsdemq.

o Caius in dialog. disp.
p Aug. serm. 35. de sanct.
q Gelas. in decret. de lib. apocryphis.
r Athanas. in Synopsi.
s Gelas. vbi sup.
t Dionysius de myst. Theolog.
u Iren. lib. 1. c. 17.
x Gelas. vbi sup.
y Epiph. hæres. 26.
z Orig. hom. 1. in Lucam.
a Euseb. lib. 3. c. 25.
b Clem. Alex. Strom. lib. 7.
c Clem. Alex. Strom. lib. 2. & 3.
d Euseb. lib. 3. c. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Clem. Alex. Strom. lib. 3. b Epiph. hæres. 62.

hæreticis Euangelium: quod vna cum eo quo Valentiniani [a] hæretici & Sabelliani [b] vsi A
sunt pseudo-Euangelio, quod dicebatur Ægyptiorum, nomine (credo) Marci confictum, detestatur summo iure Gelasius. Ad hæc, Stephani quoque nomine nobilitatas Reuelationes ediderunt, quas idem qui supra Gelasius condemnat.

XLIX.

c Epiph. hæres. 26. d Epiph. hæres. 38. e Theod. lib. 1. hæret. fabul.

Addiderunt & Gnostici librum titulo Stirpis Mariæ, horrendis confarcinatum mendacijs, vt Epiphanius [c] docet. Sed quod omnia superat genera portentorum, Caiani hæretici (vt de his scribunt Epiphanius [d] & Theodoretus [e]) nomine Iudæ proditoris, quem laudabant, pseudo-Euangelium composuere. At vero non singulorum tantum Apostolorum hærerici sua ipsorum scripta, sed & communi omnium nomine consignarunt: ferebatur enim volumen, cuius erat titulus, Doctrina Apostolorum; quod

f Athan. in Synopsi.

Athanasius [f] damnat: Itemq. liber, qui dicebatur, Sortes Apostolorum; & alius, Laus Apostolorum: quos proscribit Gelasius. ea autem commentos esse Cherinthianos, B
Ebionitas, Valentinianos, Gnosticos, & alios hæreticos, sed præ ceteris Manichæos,

g Cyrill. Cateches. 6. h Leo serm. 4. de Epiph. i Idem Leo epist. 93. c. 13.

constat: de quibus, præter illa quæ Cyrillus [g], Augustinus sæpius agens contra ipsos, & alij testati sunt, hæc S. Leo [h]: Apostolicas paginas, quædam auferendo, quædam inferendo, violauerunt Manichæi ipsi, confingentes sibi sub Apostolorum nominibus, & sub verbis Saluatoris ipsius multa volumina falsitatis.] Idemq. [i] de his ad Turibium Episcopum Asturicensem scribens, hæc ait: Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis sint in illis quædam quæ videantur habere speciem pietatis; nunquam tamen vacua sunt venenis; & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuobrant.] hæc S. Leo de apocryphis ab hæ- C
reticis per Hispanias sparsis: quibus etiam adnumerat S. Hieronymus Ascensionem Isaiæ, & Apocalypsin Eliæ, ab ijsdem hæreticis promulgatas, de quibus hæc ait: Apocryphorum deliramenta conticeant, quæ ex occasione huius testimonij ingeruntur Ecclesijs Christi. De quibus vere dici potest, quòd sedeat diabolus in insidijs cum diuitibus in apocryphis, vt interficiat innocentem.] Et iterum: Insidiatur in apocrypho, quasi leo in spelunca sua: insidiatur vt rapiat pauperem. Ascensio enim Isaiæ & Apocalypsis Eliæ hoc habent testimonium. Et per hanc occasionem, multaq; huiusce modi, Hispaniarum & Lusitaniæ deceptæ sunt mulierculæ oneratæ peccatis, quæ ducuntur desiderijs varijs, semper addiscentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes, vt Basilidis, Balsami, atque Thesauri, Barbelonis quoque & Leusiboræ, ac reliquorum

k Hieron. in Isa. c. 64.

nominum portenta susciperent.] hæc Hieronymus [k]. D

L.

CHRISTI NOMINE SCRIPTA CONFICTA.

l Aug. de consens. Euang. lib. 1. c. 9. & 10.

Sed quid amplius? Non tantum (vt vidimus) Apostolorum nomine aspidum oua (quod aiunt) fouenda suppositurunt; sed Christi Redemptoris nostri quoque nomine librum de Magia ad Petrum & Paulum Apostolos scriptum fuisse, quidam, siue hæretici, siue Gentiles fuerint, horrende plane ac nefarie mentiti sunt. quos [l] Augustinus turpissimi ac patentissimi mendacij arguit, dum sic ait: Ita isti desipiunt, vt in illis libris, quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama vbique pererebuit. Quod existimando, se ipsos produnt quid diligant, & quid affectent: quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita nouerat, quæ non solum disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ Reip. administratio iure condemnat. Et certe qui tales Christi libros legisse se affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur? Quid quòd etiam diuino iudicio sic errant quidam eorum qui talia Christum scripsisse vel credunt, vel credi volunt, vt eosdem libros ad Petrũ & Paulum dicant tamquam epistolari titulo prænotatos? Et fieri potest, vt siue inimici nominis Christi, siue qui eiusmodi execrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putauerunt, talia sub Christi & Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic execrati sunt, vt etiam a pueris, qui adhuc puerili-
ter in gradu lectorum Christianas litteras norunt, merito rideantur. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitauerunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur; tamquam ad illos, qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur: et occurrit eis Petrus, & Paulus. Credo quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt; quia merita Petri

& Pauli

A & Pauli etiam propter eumdem passionis diem celeberrimum solemniter Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos eius non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto eo tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius, quem post passionem suam, post resurrectionem, post ascensionem, post missum de cælo Spiritum sanctum, post multorum Iudæorum conuersionem, & mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi & martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, & eos qui in Christum crediderant, grauiter persequeretur, de cælo vocauit, & suum discipulum & Apostolum fecit. Quomodo igitur potuit libros, quos, antequam moreretur, eum scripsisse putari volunt, ad discipulos tamquam familiarissimos, Petrum & Paulum, scribere, cum Paulus nondum

MOS PINGENDI CVM CHRISTO APOSTOLOS.

B fuerit discipulus eius?] hæc & alia Augustinus ad eam impostura arguendam. Hisce igitur omnibus tam de Christo Domino, quàm de eius Apostolis, hæreticorum quisquilijs simul collectis, & in angulum velut reiectis; iam expeditiori ad reliqua, quæ ad historiam pertinent, parata via, alacrius ad cursum orationis habenas laxemus.

LI.

a Hier. de Scriptoribus Ecclesiast. in Petro. b Metaphr. die 29. Iunij.

Vt vnde digressi sumus, ad Petri scilicet Romam hoc anno aduentum, reuertamur: Hieronymus [a] ea de causa ipsum Romam venisse testatur, vt Simonem magum magijs suis populo illudentem expugnaret. Metaphrastes [b] his consentiens, hæc scribit: Visus est ei Dominus in visione, dicens: Surge Petre, vade ad Occidentem: opus enim habet vt tuis illustretur facibus: et ego ero tecum.] De accessu vero Simonis magi ad Vrbem, deq. diuino, quem sibi magicis artibus comparauit, honore; Iustinus philosophus pro Christianis coram Antonino Pio Imperatore causam perorans, hæc

DE ADVENTV SIMONIS MAGI IN VRBEM.

C ait [c]: Simon quidam Samaritanus, in vico cui nomen Githon est, natus: hic sub Claudio Cæsare efficacium dæmonum arte in Imperiali vrbe vestra Roma, propter magicas quas exhibuit virtutes, deus habitus est, & statua apud vos veluti deus honoratus: quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem, SIMONI DEO SANCTO. ac Samaritani prope omnes, ex alijs autem nationibus perpauci illum quasi primum deum esse confitentes, adorant quoque.] et post multa hæc de eodem: Nec satis fuit malis dæmonibus ante aduentum Christi fabulari de filijs quos Ioui affingunt: sed postquam apparuit inter homines natus, & celebratus est iuxta Prophetarum vaticinia, videntes eum expectatum, & per fidem agnitum in omnibus gentibus, rursum (quod supra diximus) commenti sunt alios, quos vulgo adorandos proponerent, vt Simonem & Menandrum

c Iust. Apolog. pro Christ. ad Antonin. Pium.

D Samaritanos: qui magicis artibus multos ad fraudem seduxerunt, etiam nunc huic errori obnoxios. Nam (vt iam diximus) in vestra vrbe terrarum domina sub Claudio Cæsare Simon magus Senatum populumq. Romanum in tantum admiratione sui stupefecit, vt haberetur pro deo, & receptus in deorum numerum honoraretur dicata sibi statua.]

LII.

d Iren. lib. 1. c. 20.

Irenæus [d] eadem his affert verbis: Cum adhuc magis non credidisset Deo, & cupidius intendit contendere aduersus Apostolos, vti & ipse gloriosus videretur esse, & vniuersam magiam adhuc amplius inscrutans, ita vt in stuporem cogeret multos hominum: quippe cum esset sub Claudio Cæsare, a quo etiam statua honoratus esse dicitur propter magiam: hic igitur a multis quasi deus glorificatus est, &c.] Rursus etiam Tertullianus [e] in Apologetico Romanis exprobrat, quòd inter ceteros homines

QVANTO IN VRBE SIMON HONORE AFFECTVS.

e Tertul. in Apolog. c. 13.

E inter deos relatos, Simonem magum statua donatum, Sancti Dei titulo insignita, adorent. sic enim ait: Cum Larentinam publicum scortum, velim saltem Laidem, aut Phrynen, inter Iunones & Cereres ac Dianas adoratis; cũ Simonem magum statua, & inscriptione, Sancti Dei, inauguratis, &c.] Post hos Eusebius [f] relegens quæ tum a Iustino tum Irenæo sunt dicta de Simonis artibus, Apostoli Petri virtute sæpe repressis, ac demum Romæ, quo eum est persecutus, extinctis, hæc ait: Quapropter neque impia Simonis contra Christum coniuratio, neque alterius cuiusquam eorum qui tum in lucem prodierunt Apostolorum temporibus, se sustentare poterat: nam illustre veritatis lumen, & diuinus ille sermo, qui modo Dei aspirante numine, in humanum genus splendorem suum effuderat, inq. terris quasi pubescens viguerat, & cum proprijs ac suis Apostolis versatus erat, omnes id genus conatus strenue euicit profligauitque.

f Euseb. lib. 2. c. 12. 13. & 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIII. Etenim (vt exemplo rē illustremus) præstigiator ille, quem antea posuimus, velut a diuino & admirabili fulgore oculis mentis penitus præstrictis, extemplo (cum iam antea in illis sceleribus, quæ nefarie & perdite conscisuerat, a Petro Apostolo in Iudæa manifeste deprehensus fuisset) longissimum iter terra mariq. instituens, ab Oriente ad Occidentem vsque, quasi profugus vagatus est: istumq. viuendi modum solum sibi ex sententia fore arbitratus, sic tandem ad vrbem Romam profectus (cum iam ibi diabolica vis & potentia ad hominū perniciem excubans, magno subsidio illi veniret) breui suum institutum eo perduxit, vt ab illis statua in eius venerationem erecta, honoraretur vt deus. Ceterum ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia illi processerunt: nam euestigio, sub ipso Claudij Imperio, benigna & propitia Dei totius huius vniuersitatis rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem ac præpotentem & reliquorum omnium Apostolorum propter virtutis amplitudinem facile principem Petrum Romam versus, ad eiusmodi pestiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quasi manu deduxit. Qui quidem vt generosus & strenuus Dei dux, diuinis armis obtectus munitusque, eximia & pretiosam tamquam mercaturam veri luminis mente sola comprehensi, ab Oriente ad Occasum vsque deportauit: ipsamq. regni cælorum prædicationem, cælestem scilicet lucem, & salutarem animarum doctrinam palam diuulgauit. Sic ergo cum diuinus sermo ad Romanos peruenisset, vesana Simonis potentia extincta est, & homo ipse actu tum vna penitus profligatus.] hucusque de Simone mago & Petri ad Vrbem aduentu Eusebius.

PETRVS ROMAM MISSVS AD DEBELLANDVM SIMONEM.

LIV. Sed licet statim Simonem profligatum dicat; non tamen hæc eo sunt sensu accipienda, vt tunc sub Claudio ex aere, quem volatu petierat, desuper lapsus, cadens in terram extinctus fuerit: sicut ex recentioribus aliquis deceptus esse videtur, scribens Simonis lapsum temporibus Claudij accidisse: quod non aliunde probare nisus est, nisi ex eo (vt diximus) quòd Eusebius statim post Petri aduentum ad Vrbem, Simonem esse profligatum describit. Sed qui fugatus est tempore Claudij Simon, sub Nerone, qui Magis addictissimus, eos ab extremis vsque Orbis partibus perquirebat, iterum Romam petijt, nouisque artibus, nempe Icario volatu, populum in sui admirationem adducere sibiq. conciliare studuit. Sane Suetonius [a] a Nerone tradit exhibitum in spectaculis Icarium volatum; quem quidem neminem sine magia attentare præsumpsisse, par est credere: quæ enim de Dædali & Icari volatu a poetis sunt scripta, esse poeticas fictiones, neminem dubitare putamus. Vt hæc vero mortalis homo vsu probaret, non sine magicæ artis experimento adduci potuisse, facile credi potest: sed quod magia pollicebatur, diuina resistente virtute, irritum esse factum, monstrauit euentus.

ONVPHRIVM SVGILLAT AVCTOR.

[a] Sueton. in Neron. c. 12.

SVB NERONE LAPSVS SIMONIS.

[b] Philastr. lib. de haref. in Simone c. 30.
[c] Seuer. lib. 2. hist.
[d] Hegesip. lib. 2. c. 2.
[e] Max. ser. in natal. Apost.
[f] Pētr. in Petro.
[g] Prosp. de promis. c. 13.
[h] Greg. Tur. lib. 1. c. 25.
[i] Niceph. hist. lib. 2. c. 36.
[k] Metaphr. die 29. Iunij.

D Volatum igitur illum Simonis, tempore Neronis contigisse, & non Claudij, Philastrius [b] in primis testatur; id ipsum Seuerus [c], Hegesippus [d] ille iunior, qui scribit de excidio Hierosolymorum, Maximus [e], liber [f] de Pontif. Rom. qui fertur nomine Damasi, Prosper [g] Aquitanus, Gregorius [h], Nicephorus [i], & alij recentiores omnes, vno excepto Metaphraste [k], qui ad Claudij potius quàm ad Neronis tempora rem gestam referre visus est: sed sicut in alijs multis ibi a se positis errare eum certum est, ita & in his esse hallucinātum constat. Porro rei gestæ seriem suo loco narrabimus, eamq. certioribus rationibus declaratam firmatamq. reddemus.

LV. Hic vero cum actum sit de statua inter duos pontes (nimirum in insula Tiberina, quæ & Æsculapij dicta est) Simoni titulo diuinitatis dicata: opportune occurrendum putamus quorumdam virorum, eruditorum tamen, de ea re dubitationi; in quorum E mentes irrepsit aliquando scrupulus, an quæ a Iustino ac ceteris Patribus de statua Simoni ibidem loci dicata sunt dicta, vere subsistant, ac veritati innitantur. Vt autem res adeo antiqua, tot tantorumq. scriptorum illustrata ac probata testificatione, reuocaretur in dubitationem, eiusmodi præcessit occasio. Ante annos puto quinque, Gregorio XIII. Rom. Pontifice, in eadem insula Tiberina, e ruderibus lapis est effossus, tali inscriptione notatus: seruatur hactenus idem in horto religiosorum Mendicantium in eadem insula posito:

DE STATVA SIMONIS ET TITVLO.

SEMONI SANGO DEO FIDIO SACRVM
SEX. POMPEIVS S. P. F. COL. MVSSIANVS
QVINQVENNALIS DECVR. BIDENTALIS
DONVM DEDIT

A præsefert lapis ipse basim, super quam statua locata esset, sed exigua; nec enim cum valde angusta sit, capax fuisse videtur alicuius simulacri hamanæ staturæ similis. Ex hac igitur inscriptione, tali loco reperta, dubitatio eiusmodi animos illorum pulsauit: num nominis similitudine Iustinus sit lapsus, vt Simoni mago dedicatum esse simulacrum existimarit, quod Semoni Sango deo Fidio legebatur inscriptum. Sed antequam vlterius progrediamur; vt hæc elucidemus, aliqua ad explicationem eiusdem inscriptionis afferamus.

LVI. Quinam fuerint dij Semones, ex Varrone Fulgentius [a] sic explicat: Semones dici voluerunt deos, quos nec cælo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut Priapus, Hipporea, Vertūnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ veneratione, sicut Varro in Mystag. ait: Semoneq. inferius derelicto, deum depinnato attollam
B orationis eloquio.] hæc Fulgentius. Sangus vero Sabina lingua Hercules dicebatur, vt auctor est idem Varro [b]: idemq. in antiquis lapidibus Sancus scriptus reperitur, sicut & in inscriptione Reatina: SEMIPATRI SANCO] et Propertius [c]:

Sic Sancum Tatiæ composuere Cures.]

et Ouidius:

Quærebam Nonas Sanco Fidio ne referrem.]

Legimus & inscriptionem lapidis nuper reperti in Quirinali, in hortis Clericorum regularium, apud ecclesiam sancti Siluestri, his litteris exaratam, qua Sangum dici, & distinctum esse Sangum a Sancto, quo nomine etiam Herculem dictum volunt, facile potest intelligi:

[a] Fulgent. de priſco ſer.
[b] Varro de ling. Latin. lib. 4.
[c] Propert. lib. 4. de Hercūle fin.

C SANGO SANCTO SEMON.
DEO FIDIO SACRVM
DECVRIA SACERDOTVM BIDENTALIVM
RECIPERATIS VECTIGALIBVS

Sed de sacerdotio Bidentalium consule Gellium [d]. De ara erecta Romæ Semoni Sango meminit Dionysius [e] Halicarnassæus: cui numini (ait Verrius) propter viam fit sacrificium, quod fit proficiscendi gratia: in quo mos erat, vt si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur, vt Macrobius admonet.

[d] Gell. lib. 16. cap. 6.
[e] Dionyſ. lib. 2.

LVII. Ceterum quod ad diluendam concitatam falsam suspicionē pertinet: nulla quidem vel leuis saltem suspicio Iustini animum mouisse potuit, vt vel coniectura aliqua opinaretur Simoni mago simulacrum illud esse dicatum, quod Semoni Sango ea erat inscriptione sacratum. Et vt omittamus dicere de diuersorum nominum differen-
D tijs; iam cunctis notissimum erat, neminem inter deos fuisse recens recipiendum, nisi ex S. C. nec absque eiusdem auctoritate licuisse cuiquam rem sacram facere, statuas vel aras erigere. Quamobrem cum nec nomen Imperatoris, nec Senatus (vt in ceteris) sed cuiuspiam tantum illius collegij sacerdotis magistratu fungentis, donum illud offerentis, esset nomen expressum; nulla potuit in Iustini animum suspicio ascendere, vt Simoni mago in deorum numerum recepto ea fuerit statua consecrata.

LVIII. Ad hæc: Quonam pacto, quæso, in his Iustinus decipi potuit, qui non tantum Gentilium philosophiæ, sed & ipsorum theologiæ eruditione non leuiter tinctus, vel mediocriter imbutus, sed egregie excultus & apprime eruditus erat, vt plane declarant eius commentarij non modo ad Antoninum Pium, & ad Senatum Romanum, sed ad Gentiles ipsos sermo exhortatorius scriptus? Sed & quomodo idem ipse non ea de
F Simone mago plus certo Romæ diu multumq. versatus explorata habuit, quæ non in angulo, vel coram eius rei ignaris locutus est, sed ad ipsum Romanum Imperatorem, ac filios Cæsares, necnon Romanum Senatum conscripsit? Vel quonam pacto tam aperte testatus, a Senatu populoq. Romano Simonem deū habitum, & statua honestatū, cum hæc mox subdit? Quocirca vt sacer quoque Senatus & populus Romanus vna vobiscū postulata hæc nostra cognoscant; petimus vt si quis inter eos doctrinis illius detineatur, vero cognito, fraudem erroris effugere valeat; & statuam, si vultis, abolete.] hæc ipse Iustinus. Nunc vero dicant, velim, qui suspicantur eū de statua Semonis Sangi esse deceptum: numquid inter duos pontes tantum, an in vno Vrbis loco simulacrum eiusmodi visebatur, cuius cultus & superstitio ab ipsis fere Vrbis cunabulis a Sabinis illata, cum nomine creuerat? certe fuisse etiam in Quirinali eiusdem idoli cultum, secunda, quam posuimus, inscriptio demonstrat. Quid ergo Iustinus vnum ab Imperatore &

DILVTIO OBIECTORVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Senatu petit abolendum, cum plura in Vrbe essent eiusdem idola, eodemq. nomine simulacra notata? Sic enim Romæ creuerat superstitio, vt Dio[a] de his Claudij temporibus agens, hæc dicat: Omnes iam ædes, omnia opera statuarum & donariorum essent plena, &c.] A

a Dio lib. 60.

LIX. Hæc ipsa itaque etsi ad tollendam omnem de ea re suspicionem satis superq. videri possint; adhuc tamen & alia subinferimus. Iam vidimus, per Semonem Sancũ Gentiles Herculem intellexisse: cuius simulacrum sic consueuisse effigiari, vt a ceteris dijs distinctum absque vlla alia inscriptione, ipso solo intuitu facile cuiusnam esset, ab omnibus cognosci posset, omnes credo etiam intelligere. Ceterum non in imagine Herculis,

SIMON VT IVPPITER COLI VOLVIT.

sed Iouis Simonem, & scortum suum Helenam in Mineruæ effigiem formatam adorari solitos, auctor est Irenæus[b], qui sic ait: Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Iouis, & Selenæ (aliter Helenæ) in figuram Mineruæ, & has adorant.] Augustinus[c] eadem in hæc verba: Iouem se credi volebat, Mineruam vero meretricem quamdam Selenem, quam sibi sociam scelerum fecerat: imaginesq. & suam & eiusdem meretricis discipulis suis præbebat adorandas, quas & Romæ tamquam deorum simulacra auctoritate publica constituerat: in qua vrbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit.] hæc Augustinus: ex quibus omnis plane suspicio tollitur, vt in imagine Semonis Sangi dei Fidij, Herculis scilicet, potuerit Iustinus decipi, qui probe nouerat, Simonem gentilem suum (nam & ipse Samaritanus erat) in effigie Iouis coli. Sed de his satis. B

b Iren. lib. 1. c. 20. fine.
c Aug. ad Quodvultdeum de haref. 1.

LX. Agens Orosius de Petri hoc anno in Vrbem aduentu, multa simul bona tunc Romæ diuinitus esse concessa testatur: et inter alia admiratione quiddam dignum, scilicet quod hoc ipso anno secundo Claudij (vt auctor est Dio[d]) accidit de Camillo Scriboniano Præfecto Dalmatiæ; quo aduersus Claudium rebellante, & milites ad defectionem solicitante, ipsa signa militaria, Aquilæ dicta, sic solo affixa manserunt, vt nulla vi militum dimoueri loco possent. Quo prodigio immutatus militum animus, in auctorem seditionis arma conuertit: sicq. ingens bellum ciuile excitatum, ex insperato diuinitus fuit sedatum. Itaque (inquit Orosius[e]) propter aduentum Apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, vixdum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hanc exorientem tyrannidem, & consurgens istud ciuile bellum neget quisquam diuinitus fuisse compressum, qui præteritis temporibus de compressione bellorum ciuilium simile probarit exemplum?] addit & id genus alia: quibus & adijcere potuisset (& ea quidem insignia) quæ hoc ipso anno facta esse Dio[f] testatur: nimirum Mauros primum a Suetonio, inde a Gneo Sidio admirabili quodam modo aqua diuinitus impartita (licet magiæ res sit adscripta) fuisse penitus sub Romana ditione redactos: quando eamdem Mauritaniam in duas prouincias, Tingitanam, & Cæsariensem, Claudius Imperator diuisit, eisq. equestris ordinis præfecit Romanos homines. Iam & paulo ante Sulpitius Galba Cattos vicerat; & inter alia eius victoriæ insignia, Aquilam militarem, quæ sola e Variana clade supererat, ab hostibus vindicarat. Quo item tempore & P. Gabinius Marsos superauit. Hæc omnia Dio[g]. Sed his, quasi leuibus, non attendimus. C D

QVAE FELICIA HOC ANNO ROMANIS ACCIDERE.

d Dio lib. 60. Suet. in Claudio c. 13. Plin. lib. 3. epist. 16.
e Oros. lib. 7. c. 6.
f Dio lib. 60.
g Dio ibid.

LXI. Cum vero Romam peruenisset Petrus; antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad contribules suos diuertisse Iudæos, existimamus. Incolebant illi regione Transtiberinam iam ab Augusti temporibus, vt auctor est Philo[h], cui & Ethnici scriptores consentire videntur, vt Martialis[i], & alij, quorum superius mentio facta est. Ceterum vbi Petrus Euangelium prædicans, Gentilibus Romanis innotuit, non amplius apud Iudæos permissus est agere, sed a Pudente senatore, qui Christo credidit, in domum suam exceptus est, quæ erat in Viminali, vbi postea Titulus est erectus, Pastoris nomine nuncupatus. Quæ autem ab eo post hæc acta sint; quomodo scilicet verbi Dei prædicatione complures ad Christi fidem conuertit, atque Romanam erexit Ecclesiam: sequenti anno, quo id fieri contigit, suo loco fusius enarrabimus; interea vero reliqua hoc anno gesta recensere pergamus. E

PETRVS ROMAE APVD PVDENTEM.

h Philo de legat. ad Caium.
i Martial. lib. 2. Epigr.

LXII. Hoc igitur eodem anno secundo Claudij Imperatoris, vniuersus terrarum orbis in-

DE FAME TOTIVS ORBIS.

genti fame vexatur, illa nimirum quam prænunciarat apud Antiochenos Christianos Agabus propheta, de quo sic scribit Lucas[k]: In his autem diebus superuenerunt ab Hierosolymis prophetæ Antiochiam: et surgens vnus ex eis, nomine Agabus, significabat

k Act. 11.

A cabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.] hæc Lucas. Scimus Eusebium[a], & qui eum est secutus, Orosium[b], & complures alios asserere, dictã de fame Orbis cladem incidisse in annum quartum Claudij Imperatoris: re tamen accurate perspecta, secundo potius quàm quarto eiusdem Imp. anno eam contigisse comperimus. Dio enim Cassius[c], qui ex Vrbis Fastis Romanam historiam per singulos annos contexuit, nullam aliam sub Claudij Imperio factam esse famem recenset, nisi hoc secundo anno Claudij, quo egregiam ab Imperatore dicit nauatam operam, ne Vrbs fame periret: tunc enim Romanum portum extruendi initum ab eo esse consilium tradit. commendat & Suetonius[d] eiusdem Imperatoris in annona procuranda solertiam. Sic igitur, Dione auctore, quem magis consentire Actis a Luca conscriptis reperimus, hoc ipso anno secundo Claudij eam ab Agabo prophetа B anno præterito prædictam totius Orbis famem referimus.

a Eusebius in Chron.
b Oros. lib. 7. c. 6.
c Dio Cass. hist. lib. 60.
d Sueton. in Claudio c. 18.

Meminit & eiusdem tam diræ famis Iosephus[e] his verbis: Cum enim per id tempus ciuitas graui fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopia; Regina Helena ex suis alios misit Alexandriam, comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum; qui copiam ficuum passarum inde adueherent: quibus omnibus breui reuersis, cibos egenis distribuit, atque hoc beneficio memoriam immortalem sibi apud nostram gentem peperit. Filius quoquo eius Izates, comperto quanta fame laboraret ille populus, multum pecuniæ misit Hierosolymitanorum primatibus.] hæc Iosephus, qui de eadem Helena, quam Adiabenorum dicit fuisse Reginam, quomodo vna cum filio ad Iudæorum religionem transierit, paulo superius prolixam recenset historiam. Verum quoniam Paulus Orosius[f] & alij eum secuti, eamdem Reginam eiusq. filium ad Christiana fidem conuersos esse testantur; vtriusnam partis sint potiora iura, est exacte perue- C stigandum. Vt igitur res ipsa certior habeatur, quomodo a Iosepho[g] describatur, in primis hic recitemus.

LXIII.

DE MVNIFICENTIA HELENAE REGINAE ADIABENORVM.

e Ioseph. antiq. lib. 20. c. 2.
f Oros. lib. 7. c. 6. Ado in Chron. & alij.
g Ioseph. antiq. lib. 20. c. 2.

Per idẽ tempus, inquit, Adiabenorum Regina Helena & Izates eius filius ad religionem Iudæorum se contulerunt propter talem causam.] et infra: Eo tempore, quo Izates apud Spasini castrum agebat, Iudæus quidam mercator, Ananias nomine, familiaritatem nactus regiarum mulierum, docebat eas veri Dei cultum ritu Iudaico: per has deinde cum Izatæ innotuisset, ipsum quoque in eamdem opinionem traducit: accitumq. a patre in Adiabenam comitatus est, magnis precibus pertractus. Forte autem acciderat, vt etiam Helena ab alio quodam Iudæo instituta, leges diuinitus traditas complecteretur. Izates porro nouus Rex postquam in Adiabenam reuersus offendit D fratres & cognatos in vinculis, tulit id ægerrime. Et cum occidere hos, aut vinctos seruare, vetaret pietas: contra, affectos iniuria dimittere, parum tutum videretur, ne quando de vindicta cogitarent: partem eorum vna cum proprijs filijs Romam ad Claudium Cæsarem misit, partem ad Artabanum Parthum, futuros vtrobique obsides. Cognito deinde quòd mater multum delectaretur Iudæorum moribus, dedit operã vt & ipse ad eam religionem transiret. Cumq. existimaret se non esse perfectum Iudæum, nisi circumcideretur, paratus erat & hoc facere. Quod postquã mater resciuit, conabatur impedire, periculosum esse dictitans: Multum enim eam rem alienaturam subditorum animos, si eum ad externos ritus descisceere cognoscerent; neque vllo pacto laturos Iudæum in regio solio. Sic illa aliquantisper cupiditatem eius retinuit. Rex cum Anania contulit consilium: qui matris sententiã comprobans, minatus est se eũ relicturum, nisi ab E hoc proposito desisteret: timere enim se, ne si occulta perferrentur in vulgus, ipse abriperetur, daturus pœnas, vt auctor omnium, qui non docenda Regem docuerit. Licere autem etiam absque circumcisione Deum pie colere, si Iudæorum instituta placeant: in hoc magis sitam religionem, quàm in circumcisione corporis: daturumq. Deum veniam, si necessitate coactus signaculum id omitteret, metu ne qua exoriatur subditorum defectio. His verbis tum persuasit Regi quod voluit.

QVOMODO HELENA AD IVDAEOS TRANSIIT.

Aliquanto autem post (nondum enim cupiditas hæc exciderat) alius quidam Iudæus LXV. e Galilæa profectus, Eleazarus nomine, legis valde peritus habitus, eum ad rem perficiendam impulit: ad salutandum enim Regem admissus, cum eum offendisset legentem sacra Moysis volumina; Nescis, inquit, o Rex, quantam iniuriam legi, & per hanc Deo facias: nec enim satis est decreta eius nosse, sed præstat imperata eius facere. Quamdiu manebis incircumcisus? Si numquam legisti legem circumcidi iubentem, nunc certe

DE CONVERSIONE REGIS AD IVDAISMVM

lege,

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege, vt scias quanta sit impietas eam omittere: His auditis, Rex non distulit negotium; A
sed secedens in aliud cubiculum, accito chirurgo, fecit quod iussus est. Deinde accersita
matre & Anania, indicauit eis quid actū sit: quos continuo stupor ac metus non me-
diocris corripuit, ne si res peruenire ad vulgi notitiā, Rex principatum amitteret, non
ferentibus populis imperium viri alienis religionibus dediti: sibi quoque videbant im-
minere periculum, vt consciis & auctoribus eius consilij. Sed Deus prouidit, ne eue-
niret quod illi timuerant: nam ex multis periculis & ipsum Izatem eripuit, & eius li-
beros, & in rebus dubijs & desperatis incolumitatem eis expediens, & ostendens quòd
ad se respicientibus, sibiq. vni fidentibus, pietatis fructus integer maneat.] hæc Iose-
phus; qui & subdit de accessu eorum Hierosolymam ad templum, hoc ipso anno, quo
fames illa magna ingruebat.

LXVI.

Certe dum hæc mecum reputo, & altercationes illas inter eos de circumcisione, ne- B
cessaria esset nec ne, mente considero; illæ ipsæ mihi visæ sunt, quæ inter Apostolos diu
agitatæ fuerunt vsque ad Concilium Hierosolymis celebratum, de quo suo loco dice-
mus. Nec quemquam Iudæorum vmquam reperi, qui absque circumcisione posse sal-
a Genes. 17. uari quempiam affirmaret, lege [a] expresse dicente: Masculus, cuius præputij caro cir-
cumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fe-
cit.] Hæc (inquam) ipsa me in eam partem magis adducunt, vt existimem hos (vt scri-
bit Orosius) fuisse Christiana fide imbutos. Verum nec id quidem auderem omnino af-
firmare; præsertim cum vnde id acceperit Orosius, non inuenerim: eadem enim recī-
SEPVLCHRVM HELENAE ET FILII. tans Eusebius [b], nihil præter quod a Iosepho est dictum, apponit. De eadem Helena
b Euseb. lib. 2. hist. c. 12. idem scribit Iosephus [c], struxisse sibi ac filio honorificum sepulchrum, tribus py ramī- C
c Ioseph. antiq. lib. 20. c. 2. dibus nobilitatum, tertio stadio ab vrbe Hierosolymitana dissitum: quæ (dictu certe
d Euseb. lib. 2. c. 12. mirabile) post tot clades ac funera Hierosolymorum, adhuc temporibus Constantini,
immo & Theodosij, extabant integra. Nam de his Eusebius [d]: Helenæ vero, cuius apud
hunc scriptorē fit mentio, columellæ illustres illæ quidem & eximiæ in suburbijs Æliæ
e Hier. epist. 27. ciuitatis cernuntur.] et S. Hieronymus [e], cum agit de Paula: Ad læuam, inquit, Mau-
soleo Helenæ derelicto, quæ Adiabenorum Regina in fame populum frumento iuuerat;
ingressa est Hierosolymam.]

LXVII.

DE COLLECTA FACTA ANTIOCHIAE.

Ea igitur vrgente fame, qui erant Antiochiæ Christiani, collectas pecunias ad Chri-
stianos qui erant in Iudæa, per Barnabam & Saulum miserunt. Tenebantur quidem
maiori inopia adstricti Christiani, qui in Palæstina erant, ceteris omnibus: nam in ea
quæ post necem Stephani in eos est excitata, persecutione, loco pulsi; si quæ illis resi-
f Hebr. 10. dua erant bona, amiserunt: de his enim meminit scribens Paulus [f] ad Hebræos, cum ait: D
Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis.] quorum causa idem Apostolus
g Act. 11. postea, cum esset in Macedonia, ab Ecclesijs collectam item exegit. De hoc itaque pio
fraternæ charitatis officio ab Antiochenis exhibito, hæc scribit Lucas [g], post relatam ab
Agabo prænunciatam famem: Discipuli, inquit, prout quis habebat, proposuerunt sin-
guli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mitten-
tes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.] Quòd vero mox post hæc narrata, de Ia-
cobi martyrio & Petri carcere Lucas subdat historiam; non sic accipiendum quis pu-
tet, vt ante aduenerit fames illa: sed quòd meminisset de Agabi prophetia; de ea ab illo
prædicta, quæ sequenti anno subsecuta est, fame, adiunxit historiam.

LXVIII.

Hæc prima pro indigentibus fratribus reperitur in Ecclesia ex multorum collatione
ad vsum pauperum facta collecta. Paulus (vt diximus) & in his multus fuit: nam & in- E
dicebat, & colligebat, atque (vt hic etiam fecisse traditur) ad fratres perferebat egentes.
VSVS COLLECTARVM IN ECCLESIA. Ex eiusmodi sacris Apostolicis institutionibus remansit in Ecclesia Romana laudabilis
h Leo ser. 2. 3. 5. de collect. i Serm. 5. illa consuetudo, vt ipse Romanus Pontifex pro concione ad certā diem faciendas collec-
tas indiceret; quod demonstrant complures S. Leonis [h] Papæ sermones, Pro collecta,
inscripti: idēq. [i] in vno ex illis hæc ait: Et ideo, dilectissimi, satisfiat Apostolicis institu-
tis: et quia die Dominica prima est futura collectio, omnes vos deuotioni voluntariæ
præparate, vt vnusquisque secundum sufficientiā habeat in sacratissima oblatione con-
k 1. Cor. 16. sortium.] consueuit namque die Dominico collecta fieri in Ecclesia ex Apostolica insti-
tutione: Paulus enim eam regulam præscripsit Corinthijs, dicens [k]: De collectis au-
tem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam
sabbati, &c.]

Cum

A Cū vero eiusmodi laudabilis consuetudo Constātinopoli exoleuisset, Ioannes Chry- LXIX.
sostomus diligentius restituendam curauit, dum de ea re insignem habuit [a] orationem; a Chrysost. ser. de eleemos. & de collat.
qua etiam more maiorum Dominico esse faciendam die præcepit: idemq. etiam me-
minit de antiquo ecclesiarum vsu, qui hactenus perdurabat, vt & in ecclesijs essent GAZOPHYLACIA IN ECCLESIIS.
Gazophylacia, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur, quæ a Cypriano [b] Corbona nun- b Cypr. lib. de oper. & eleem.
cupantur, qui de his ait: Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis,
quæ Corbonam omnino non respicis.] In quos vsus collatæ eleemosynæ insumeren-
tur, subdit his verbis: Cumq. vniuersa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur;
dat illa, quam oportebat accipere.] Paulinus [c] mensam appellat locum in ecclesia c Paulinus epist. 32.
positum ad recipiendas Fidelium eleemosynas; qui de earum vsu agit his verbis: Hoc
exemplo, dilectissimi, cauere debemus, ne damnum animæ & dispendium salutis
B adeamus, negligentes in ecclesia positam a Domino mensam indigentibus, quam de-
spicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus.] et paulo post: Non pa-
tiamur ergo mensam Domini & nobis vacuam, & egentibus inanem relinqui, & visui
stare tantum, non vsui.]

Sed ante hos omnes Iustinus [d] martyr hæc quoque de collatæ pecuniæ vsu: Quod ita LXX.
colligitur, apud Præpositum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & d Iustin. orat. ad Anton. Pii.
his qui propter morbum vel aliam aliquam causam egent, quiq. in vinculis sunt, & PECVNIA OBLATA IN QVEM VSVM EROGARI DEBEAT.
peregre venientibus hospitibus: et (vt simpliciter dicam) indigentium is omnium cura-
tor est.] Sed & Tertullianus [e] de ijsdem agit in hæc verba: Neque enim pretio vlla res e Tertull. in Apolog. c. 39.
Dei constat. etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemptæ re-
ligionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, si
C modo velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert.
Hæc quasi depositа pietatis sunt: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis vo-
ratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisq. & pueris & puellis re ac parenti-
bus destitutis, iamq. domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui
in insulis, vel in custodijs, dumtaxat ex causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.
Sed eiusmodi vel maximæ dilectionis operatio notam nobis inurit penes quosdam: Vi-
de, inquiunt, vt inuicem se diligunt.] hucusque Tertullianus.

Erant itaque (vt dictum est) eiusmodi Gazophylacia in quotidianum pauperū vsum LXXI.
destinata. ceterum si quæ noua necessitas emersisset, quæ consuetarum eleemosynarum INDICENDAE NOVAE COLLECTAE CAVSA.
collationem excederet: tunc Episcopus nouam inter Fideles collectam indicebat. Est de f Cyprian. epist. 60.
his exemplum Cypriani [f] Episcopi Carthaginensis, qui quantumlibet (vt nuper vidi-
D mus) haberet in vsum pauperum in ecclesia paratam Corbonam ad eleemosynas exci-
piendas, nouo tamen superueniente casu de Christianis a barbaris captis pecunia redi-
mendis, collectam indixit; cuius exemplo id ipsum ceteri collegæ Episcopi præstitere:
ex qua ingentem vim pecuniarum collectam misit ad redimendos captiuos, vt eius epi-
stola ad fratres coepiscopos scripta testatur.

Cum vero postea iam ardens illa charitas Christiana tepesceret: cum aliqua vrgeret LXXII.
necessitas, sic indicebatur collecta, vt etiam veluti iure regio exigeretur, compellerен- COLLECTA AB INVITIS IVSSA EXIGI.
turq. laici ad eiusmodi præstandam collationem. Est enim de his exemplum apud g Gregor. regist. lib. 7. epist. vlt.
S. Gregorium Papam [g] sic ad Constantium Mediolanensem Episcopum pro Philagrio
scribentem: Indicauit præterea dictus portitor, quòd collecta facta inter alios ciuitatis
Ianuensis habitatores, ipse dare pariter compellatur: et miramur, quòd qui magis mi-
E sericordia dignus est, vobis præsentibus prægrauetur. Quod si ita est, denuo ab eo per
quemlibet exigi vestra sanctitas non permittat. Quia eum quem cæcitas sua grauat, in-
humanum nimis est in collatione affligere: cui, si esset magna necessitas, debuit ex col-
latione misereri.] hæc Gregorius. Ad hæc spectat illud Concilij Turonensis [h] decretum, h Concil. Turon. 2. c. 5.
quo Episcopi in hunc modum voluerunt pauperibus esse consultum: Vt vnaquæque ci-
uitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires: vt
tam vicini presbyteri quàm ciues omnes suum pauperem pascant: quo fiet, vt ipsi pau-
peres per ciuitates alienas non fatigentur.] hæc canon.

Sed vt ad proposita de collecta Hierosolymam perferenda redeamus: perdurauit ea LXXIII.
pia consuetudo in Ecclesia Catholica, vt maiorum exemplo, Christiani ex pluribus lo- VSVS COLLIGENDI PECVNIAM ET MITTENDI HIEROSOLYMAM.
cis ad eos qui Hierosolymis essent egentes, mitterent eleemosynam. Quam quidem
laudabilem consuetudinem ad Theodosij tempora perdurantem nequissimus Vigilan-

tius

Universidad de Deusto
Biblioteca

tius est conatus euertere: quem ardenti zelo Hieronymus [a] redarguit; qui & inter alia: Hac in Iudæa, inquit, vsque hodie perseuerante consuetudine, non solum apud nos, sed & apud Hebræos; vt qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum & totius Orbis foueantur ministerijs.] Sed de collectis iam satis. A

[a] Hieron. ad Vigilant.

LXXIV.

Nunc vt ad reliquas res gestas Orientalis Ecclesiæ redeamus: vidimus, auctore Luca [b], tempore ingentis illius famis quæ vniuersum peruasit Orbem (quā anno secundo Claudij, non autem quarto, vt multi opinati sunt, contigisse, superius demonstrauimus) Barnabam [c] & Saulum in Iudæam Antiochia missos esse, vt collectam deferrent pecuniam Christianis in Iudæa habitantibus: quos eo peracto officio, iterum Antiochiam reuersos esse, assumpto secum Hierosolymis Marco; ac denique admonente Spiritu sancto, communi illius Ecclesiæ consensu, accepta manus impositione, ad prædicandum Euangelium mancipatos, Lucæ Acta testantur. Hæc autem eodem anno secundo Claudij, quo profecti sunt Hierosolymam, contigisse, veritati magis consentaneum esse videtur; nec eos diutius Antiochiæ esse moratos. Nam cum Lucas ibi tradat, eos Antiochiæ annum integrum, antequam Hierosolymam peterent, esse versatos: si redeuntes illuc, longiori tempore ibidem permansissent, æque (quod prius fecerat) id dixisset, vt par est credere. Sed audiamus ipsum: Barnabas, inquit, & Saulus reuersi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, in quibus Barnabas, & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus, dixit illis Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesq. eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi a Spiritu sancto abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum.] hæc Lucas. Eo quidem tunc ipso ritu tum Saulum tum Barnabam initiatos esse Apostolatu, nemo est qui dubitet. vnde Chrysostomus [d] de Paulo: Ordinatur in Apostolum, vt cum potestate prædicet.] Quoniam vero ijdem super numerum duodenarium ad Apostolatum fuerunt allecti, ea de causa idem Paulus [e] se abortiuum nominat, hoc est, extra numerum: tradit enim Suetonius [f], Senatores illos appellari vulgo solitos abortiuos, qui supra numerum per gratiam in Senatum allegebantur. Cum itaque quibus ritibus initiarentur qui mittendi essent Apostoli, Lucas satis expressisse videatur; necessario nobis & ex instituto incumbit, de eiusmodi Apostolicis institutionibus ab Ecclesia postea vsu receptis atque seruatis, paulo fusius agere. B C D

[b] Act. 11.
[c] Act. 11. 12. & 13.
DE APOSTOLATV PAVLI ET BARNABAE.
[d] Chrysost. in Act. Apost. hom. 27.
[e] 1. Cor. 15.
[f] Suetonius in Oct. Auio, c. 35.

LXXV.

Et quod in primis occurrit: cum eiusmodi ordinationem factam dicat Lucas monente Spiritu sancto; multis constat exemplis, hæc officia nonnisi præcedentibus diuinis reuelationibus ab Apostolis peragi solita. vnde Paulus [g] ad Timotheum scribens, eadem illa quæ in sua ipsius ordinatione præcesserant, in memoriam reuocans, ait: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.] et iterum: Hoc præceptum commendo tibi, secundum præcedentes in te prophetias.] Cuius quidem gratiæ nec Ecclesia postea expers fuit, quoties humana affectio cessauit & gratia. vnde Ioannes Chrysostomus [h]: Tunc quidem nihil fiebat humanum: sacerdotes enim ex prophetia veniebant. et ita quidem vt pridem fiebat, ita & nunc fiet etiā, quoties ab humana passione alieni, huiusmodi electiones celebramus; cum nihil omnino sæculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus.] E

[g] 1. Tim. 5.
ORDINATIONES QVALES FIERI SOLITAE A B APOSTOLIS.
[h] Chrysost. hom. 5. in 1. epist. ad Timoth.

LXXVI.

Ijsdem insuper sacris Apostolicis institutis stabilis firmaq. a cunctis regula obseruanda proponitur, quæ & hactenus in Ecclesia Catholica inuiolabili obseruatione tenetur, qua potissimum Catholici ab hæreticis discriminantur: nimirum, vt cuiusuis meriti atque præstantiæ vir fuerit, non sua sponte prædicationis munus suscipiat; sed donec ab Ecclesia mittatur, ab eaq. sacris functionibus initietur, sicq. initiatus, prædicationi Euangelij mancipetur, expectet. Ecce tibi Paulus (vt modo de Barnaba taceamus) quantumlibet a Deo Patre & Christo eius Filio ad obeundum munus Apostolatus esset electus (quod & ipse [i] testatur sic dicens: Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem) & vt in eius electione ac probatione vniuersa ostendatur Trinitas operata, vero certoq. Spiritus sancti suffragio ad idem ministe-

APOSTOLATVS NON SPONTANEVS.
[i] Galat. 1.

A ministerium assumi iussus: idem ipse tamen qui tantus erat, nisi ab Ecclesia sacris initiatus antea ritibus, ab eademq. missus, non est profectus.

Eiusmodi sacra functio, qua quis in aliquem Ecclesiasticum ordinem cooptatur, Ordinatio a maioribus dici consueuit, Ordinesq. gradus illi, quos sic initiati pro distinctione munerum Ecclesiasticorum assequi consueuerunt: vox ipsa tam in veteri Testamento quàm nouo frequentius vsurpata, & ad discriminationem laicorum adhibita est. Sicut enim olim non tantum apud Iudæos, qui diuina lege regebantur, sed apud Gentiles ipsos, inter sacra atque profana, & inter sacros & non sacros viros distinctio est semper adhibita; ita & in Ecclesia Christi idem naturali & diuino iure probatus vsus permansit, Christi Domini nostri in primis auctoritate firmatus, ac penitus stabilitus, dum e fideli populo Apostolos duodecim, & discipulos septuagintaduos electos, eosdem sacris functionibus mancipauit. Quod & constat ab Apostolis esse factum, dum liquet ab eis ordinatos Episcopos, Presbyteros, atque Diaconos: sicq. vt ministeriorum, ita & nominum est facta distincto; ac primum generalis illa, laicorum, & clericorum. Laici enim communis populus dictus est: nam λαὸν, idem esse apud Græcos quod apud Latinos populum, omnes intelligunt; & κλῆρον, idem esse quod sortem, nomen ab Apostolis acceptum. nam & Petrus [a] de Iuda: Sortitus est, inquit, sortem ministerij huius.] idemq. [b] ad Simonem magum, munus imponendi manus ab eodem Petro pecunia expoſcentem: Non est, inquit, tibi pars, neque sors in sermone isto.] Idemq. clerus, qui est a populo communi distinctus, generali nomine Ordinis appellatur. Vnde Tertullianus [c]: Differentiam, inquit, inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per ordinis consessum sanctificatus a Deo.] B sanctificatum ait a Deo honorem per ordinis consessum tributum, quòd in ordine Ecclesiastico esset secundum diuersos gradus officiorum distinctio, & honoris prærogatiua, adeo vt generalis ordo clericorum in plures esset distinctus ordines, quibus singulis esset specialis adscripta functio, & ministerium attributum. Et licet in noui Instrumentis diuinis scripturis nonnisi de Episcopis, Presbyteris, ac Diaconis ab Apostolis ordinatis mentio habeatur; aliorum quoque ordinum ab illis institutos esse ministros, nullus certe negare poterit, qui Ignatij (vt taceam modo de Dionysio, atque Clemente, quorum scripta in controuersiam adducuntur, de quibus alias pluribus) epistolas legerit, quas, nullo prorsus dissentiente, Catholica semper suscepit Ecclesia. Cum enim eodem tempore, quo Apostoli, ipsum vixisse constet; quas recenser institutiones Ecclesiasticas, haud ab alijs quàm ab ipsis Apostolis traditas esse atque probatas, nemo D iure inficiabitur.

[a] Act. 1.
[b] Act. 8.
[c] Tert. exhort. ad castit.

LXXVII.
DE ORDINIBVS ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

Ignatius [d] igitur eiusmodi numerat Ecclesiasticos ordines & officia, sic scribens ad Antiochenos: Saluto, inquit, sanctum Presbyterorum collegium; saluto sacros Diaconos.] & paulo post: Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores: saluto Custodes sacrorum vestibulorum, &c.] hæcq. omnia ministeria ex Apostolica institutione fluxisse, satis demonstrat, dū superius eosdem Antiochenos allocutus, hæc ait: Pauli & Petri fuistis discipuli: ne perdatis depositum.] Porro Ignatius inter illa non ordines tantum, sed & officia quædam recensuit Ecclesiastica, nempe Cantorum, & Laborantium: sed sicut non omnes recensuit ordines, ita etiam nec officia; nam idem scribens [e] ad Polycarpum, de Cursore eligendo, eiusdemq. ab illis distincto ministerio, hæc ait: Decet, beatissime Polycarpe, Concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habetis & impigrum, vt possit diuinus appellari Cursor, & huiusmodi creare, vt in Syriam profectus, laudibus celebret impigram charitatem vestram.] E

LXXVIII.
ORDINES ECCLESIASTICI.
[d] Ignatius epist. 11.
[e] Ignatius epist. 11.

Si tantam videmus esse adhibitam diligentiam in Cursore deligendo, qui Episcoporum ad Ecclesias perferret litteras; quid in sacris ipsis ordinibus Ecclesiasticis ab illis factum putamus esse censendum? Ceterum eiusmodi munus postmodum non fuisse per se distinctum, sed iniunctum Lectoribus, Acolythis, ac Subdiaconis, Cyprianus [f] demonstrat, dum ad suos scribens, hæc ait: Quoniam oportuit me per clericos scribere (scio autem nostros plurimos absentes esse, paucos vero qui illic sunt, vix ad ministerium quotidiani operis sufficere) necesse fuit nouos aliquos constituere, qui mitterentur. Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum confessorem.] idemq. [g] alibi per Acolythum se ad Cornelium Papam litteras dedisse

LXXIX.
DE MINISTRIS TABELLARIIS.
[f] Cypr. epist. 24.
[g] Cypr. epist. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

significat. Quodnam vero fuerit Laborantium officium, diximus superius, cum de Diaconis actum est; horum scilicet muneris fuisse curare corpora defunctorum. Addit Gelasius [a] alia etiam officia Ecclesiastica, nempe Notariorum, ac Defensorum munera, quibus probatis clericis ad superiores ordines aspirare licebat: idemq. meminit de Acolythi ordine, qui prætermittitur ab Ignatio: ait enim: Si his omnibus, quæ sunt prædicta, fulcitur; continuo Lector, vel Notarius, aut certe Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus.]

a Gelas. epistol. ad Episc. Lucaniæ c. 3. & dist. 77. si vult de relig. & seq.

LXXX. Præterea vero (vt diximus) ordines Ecclesiasticos constat ab officijs fuisse distinctos, septemq. numero stabilitos, videlicet Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, atque Presbyterorum: quos omnes (vt vidimus) excepto illo Acolythorum, recenset Ignatius; de quo non tantum Gelasius, quem nuper citauimus, meminit, sed longe ante ipsum Cornelius [b] Papa, scribens ad Fabium Episcopum Antiochenum, aitq. in Romana Ecclesia ordinari solitos quadragintaduos Acolythos. Cyprianus [c] itidem de Acolytho meminit. Recensentur ijdem omnes septem ordines Ecclesiastici in Romano Concilio [d] Siluestri Papæ tempore celebrato, & Concilio quarto Carthaginensi [e]: sed dum ibi vel alibi Cantor seu Psalmista adijcitur, officium potius quàm ordinem in Ecclesia designari certum est; dum eum non ordinari ab Episcopo, sed sola iussione Presbyteri illud obire munus posse, Patres qui eidem interfuere Concilio declararunt. Erant ijdem septem ordines singulis distincti gradibus & officijs, minoresq. subiecti maioribus, ordinatione hierarchica instituti. vnde idem Ignatius [f] ad Smyrnenses: Laici Diaconis subijciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri.] et ad Tarsenses [g]: Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis. Qui hunc ordinis decorem seruauerint, pro eorum animabus ego libens meam commutauero, & Dominus sit cum eis perpetuo.] hæc Ignatius, a diaconatu auspicatus hierarchicum ordinem, quòd ceterorum inferiorum licet sit certum officium, nullum tamen in subiectos esset ius atque potestas.

SEPTEM ORDINES ECCLESIASTICI.

b Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 33.

c Cypr. epist. 55.

d Cõcil. Rom. c. 7

e Conc. Carthagin. c. 2. & seq.

f Ignatius ad Smyr. epist. 10.

g Ignat. epist. 7.

LXXXI. Aduersus autem illos qui omnia promiscue agi volunt in Ecclesia, nullamq. adhiberi sexus vel ordinis distinctionem, Tertullianus [h] ex antiquis præscriptisq. in Ecclesia Catholica institutis, his verbis exclamat: Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt: nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras laicus; nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt.] hæc ipse aduersus Gnosticos talia factitantes.

h Tertullian. de præscrip. c. 41.

ECCLESIA SINE ORDINVM DISTINCTIONE QVALIS.

LXXXII. Sacri vero ordinis institutio non a recentioribus tantum, sed ab antiquioribus etiam sacramentum est appellatum. vnde Tertullianus [i], cum agit de æmulatione diaboli: Qui ergo, inquit, ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit.] Apud Cyprianum [k] item hæc verba leguntur: Docetur quæ sit baptismi & ceterorum sacramentorum stabilitas: nam baptismum repeti, Ecclesiasticæ prohibent regulæ: nemo sacros ordines semel datos iterum renouat.] Augustinus [l] itidem in hunc modũ, cum agit de baptismo & ordinibus sacris: Si enim, inquit, vtrumque sacramentum est, quod nemo dubitat: cur illud non amittitur, & istud amittitur? Neutri sacramento facienda iniuria est.] et alibi [m] sæpius hæc repetit. At Gregorius Nyssenus [n], dum de vi sacramentorum agit, hæc de ordinatione sacerdotum: Eadem item vis etiam sacerdotem augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri a tempore superiori vnus e multitudine ac plebe esset, repente redditur præceptor, præses, doctor pietatis, mysteriorum latentium præsul; eaq. contingunt ei, cum nihil corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille sit qui erat, inuisibili quadam vi ac gratia inuisibilem animam in melius transformatam gerens.]

i Tert. de præscr. c. 40. Gibi scholion Pamelij.

ORDINIS SACRAMENTVM.

k Apud Cypr. de lapsor. ped.

l Lib. 2. contra epist. Parm. c. 13.

m De bono coniug. c. 24.

n Gregor. Nyss. orat. de baptism.

LXXXIII. Quibus autem ritibus sacris hæc fierent, aliqua saltem ex parte adumbrata habentur a Luca [o] in ordinatione Pauli & Barnabæ, de qua agimus; cum sacrificium in primis atque ieiunium præcessisse demonstrat. Nam quod habet Latina versio, Ministrantibus

SACRI RITVS IN ORDINATIONE EXHIBITI.

o Act. 13.

A strantibus illis, Græce (vt scripsit Lucas) legitur, λειτουργούντων, id est, Sacrificantibus. Certe quidem non sine sacrificij incruenti ministerio eiusmodi sacras ordinationes solitas celebrari, antiqui omnium Ecclesiarum Rituales libri significant. Subsecutam ad consummationem mysterij manus impositionem, eadem Acta declarant: quod & in aliorum ordinatione sæpius factitatum esse, multis Paulus demonstrat exemplis; vt cum scribit ad Timotheum [a], dicens: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.] ac rursum [b]: Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.] item q. cum dicit [c]: Manus cito nemini imposueris.] Tradi solere per manus impositionem Spiritum sanctum, nec ignorauit Simon magus, cum Petrum & Ioannem allocutus, sic dixit [d]: Date & mihi hanc potestatem, vt cuicumque imposuero manus, B accipiat Spiritum sanctum.]

a 1. Tim. 4.

b 2. Tim. 1.

c 1. Tim. 5.

d Act. 8.

Ceterũ eiusmodi ritus imponendi manus super eos quos sacris officijs manciparent, exemplum ex antiqua lege Apostoli accepisse videntur. Nam sicut ipsos sacrorum ministrorũ ordines ex veteri Testamento mutuatos esse Apostolos Hieronymus docet his verbis [e]: Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento: quod Aaron, & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & presbyteri, & diaconi vendicant in Ecclesia] ita etiam eos huiusmodi manus imponendi sacram functionem inde deduxisse constat: nam imponendas esse manus ab Aaron & filijs eius super eos qui sacerdotio Leuitæ initiarentur, in diuinis legibus [f] satis habetur expressum. Verum quantũ vmbræ atque figuræ veritas præstat, tanto vberiori gratiarum affluentia in noui sacerdotij ordine hæc sunt ab Apostolis ministrata, & ab Ecclesia Catholica C ex Apostolica institutione retenta: sane quidem ex Apostolorum traditione Episcoporum ordinationes in Ecclesia fieri, S. Cyprianus [g] confirmat.

ANTIQVVS VSVS IMPONENDI MANVS.

e Hier. ad Eustochium epist. 85.

f Exod. 29.

g Cypr. epist. 68.

Porro eumdem ritum impositionis manus Pontificum, diabolus æmulus operum Dei, in idololatriæ superstitionis Pontifices olim transtulit, vt auctor est Liuius [h], qui agens de Numæ ordinatione, super caput eius ab Augure sacerdote esse manus impositas tradit. Vnde iure queritur Tertullianus [i], multa quæ sunt ex lege diuina statuta, a diabolo in superstitionis cultum esse transfusa, eaq. enumerans ait: Huius sunt partes inuertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysterijs æmulatur. Tingit & ipse quosdam vtique credentes & fideles suos: expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc initiat Mithræ: signat illic in frontibus milites suos, celebrat & panis oblationem, & imaginem resurrectionis inducit, D & sub gladio redimit coronam. Quid? quòd & summum Pontificem in vnis nuptijs statuit? habet & virgines, habet & continentes? Ceterum si Numæ Pompilij superstitiones reuoluamus, si sacerdotalia officia, insignia, & priuilegia, si sacrificalia ministeria, & instrumenta & vasa ipsorum sacrificiorum, ac piaculorum & votorum curiositates consideremus: nonne manifeste diabolus morositatem illam Iudaicæ legis imitatus est? Qui ergo ipsas res, de quibus sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter affectauit exprimere in negotijs idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio gestijt, & potuit instrumenta quoque diuinarum rerum, & sanctorum Christianorum sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis profanæ & æmulæ fidei attemperare.] hæc Tertullianus: quæ descripsisse voluimus aduersus eos qui calumniam faciunt Catholicis Christianis, quòd a Gentilium superstitione sacros ritus acceE perint: quos (vt vidimus) ex diuinis legibus sumptos, Apostolica traditione seruandos accepit Ecclesia. Quòd si vero aliqua ex illis non habeantur in antiquis Scripturis diuinis expressa; satis constat non omnia illis esse scriptis tradita, sed complura traditione esse commissa.

LXXXV.

h Liu. decad. 1. lib. 1.

i Tertul. de præscrip. c. 40.

AEMVLATVS DIABOLVS SACROS RITVS.

Sed quid? Non licuit quæ apud Gentes superstitioso cultu impie agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre, vt maiori diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, Christus ab omnibus honoraretur? vt inter alios feciſſe constat Magnum illum Gregorium, ob præclaras ab eo res gestas cognomento Thaumaturgum, qui Gentiliũ ferias superstitionibus cumulatas, in festa ac celebritates sanctorum martyrum commutauit, vt his verbis Gregorius [k] Nyssenus significat, dicens: Descendit rursus ad vrbem, & omni circa regione vndique peragrata & perlustrata, additamentum & quasi corollarium studij erga numen diuinum instituebat; apud omnes

LXXXVI.

GENTILICII RITVS IN ECCLESIAM ALIQVANDO TRANSLATI.

k Gregor. Nyss. orat. de vita S. Greg. Thaumaturgi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vbique populos sanciens, vt nomine eorum qui pro fide decertassent, dies festi atque A
solemnes conuentus celebrarentur: cumq. alij in alium locum corpora martyrum deduxissent, per anniuersarium circuli ambitū congregati lætabantur, in honorem martyrum ferias agentes.] et paulo post: Cum animaduertisset, quòd propter corporis voluptates simplex & imperitum vulgus in errore simulacrorum permaneret: quo maxime id quod præcipuum est interim in ijs assequeretur, nempe vt vanis superstitionibus relictis, ad Deum conuerterentur; permisit eis, vt in memoriam sanctorum martyrum sese exhilararent & oblectarent, atque in lætitiam effunderentur.]

LXXXVII. In eodem sensu Theodoretus[a] de Gentilium ferijs in honorem martyrū pie sancteq. translatis hæc addit: Dirutorum templorum materia, templis arisq. martyrum excitatis, expiata est: suos enim mortuos Dominus noster in templa pro dijs vestris induxit: ac illos quidem cassos gloria, vanosq. reddidit; suis autem martyribus honorem B
illum dedit. Pro Pandijs & Diasijs & Dionysijs, hoc est, Iouis, Liberiq. patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijsq. sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur.] Ea quippe licentia, qua deorum delubra in ecclesias Christianorum sunt laudabiliter commutata, alij quoque ritus Gentilium a nobis benedictionibus expiati, diuino sunt cultui consecrati. An
b Act. 17. non id Apostolorum exemplo? Nonne[b] Paulus Athenis cum esset, superstitionis aram Ignoto Deo dicatam, super quam impietatis victimæ cædebantur, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mira quadam prudentia visus est transtulisse? Rursum
c 1. Cor. 18. si quæ idolo immolata essent, non vetuit idem Apostolus[c] Fidelibus manducare, nisi
d Rom. 14. cum ex ea re frater infirmus scandalum pateretur: Omnia quidem, inquit[d], sunt munda: sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.] extincto autem penitus iamdiu superstitioso idolorum cultu, cum omnis simul cessasse videtur occasio offendiculi; cur' aliquibus ex illis vti non liceret: cum præsertim non priuato vsu, sed communi totius Ecclesiæ consuetudine aliquid commune cum Ethnicis vsurpatur? C

LXXXVIII. Sed quoniam in hæc semel incidimus, aliqua obiter dicamus de his quæ apud Hebræos æque ac Gentiles, ac demum Christianos, aliquando seruata esse reperiuntur. Commune cum his fuit Gentilibus[e], vt in sacris veste candida vterentur. Cadauera aspicere, sicut antiquæ legis sacerdotibus, ita & Pontifici maximo superstitionis Gentiliciæ, id testante Dione[f], vetitum erat. Baculi, annuli, mitræ vsus communis fuit Christianis Episcopis & Orientalibus aliquibus sacerdotibus, quorum meminit Philostratus[g]. Primitias etiam a Gentilibus solitas dijs offerri, sicut a Iudæis Deo D
vero, auctor est Censorinus[h]. Nefas fuisse Diali Flamini fermentum farinæ admixtum attingere, sicut Paschali tempore Iudæis, & mortuum tangere, tradit Gellius[i]. Insuper sicut Flamen quotidie feriatus[k] erat; ita & quòd clerici quotidie Deo vacare debeant, feriati sunt dies singuli, ob idq. ijdē Feriæ nomine dies singulos nominare consueuerunt. Offerre & vouere decimas apud Gentiles etiā, sicut Iudæos, obseruatum inue-
nies apud Dionysium[l]. Ieiunia ab ijsdem Gentilibus adhiberi solita ad diuinum numen placandum, idem auctor[m] affirmat: vtq. ipsi quoque haberent regale sacerdotium, constituebant Regem, qui etiam sacerdotio fungeretur, & ea de re Rex sacrificus[n] diceretur. Non licuisse Pontifici aliquē occidere, sicut nec sacerdotibus veri cultus, apud Suetonium[o] testatum reperies. Ne in creandis sacerdotibus sors adhiberetur, vel pretium, vtq. ijdem essent ab vrbanis negotijs liberi, æque a Gentibus ac ab ipsis Christia- E
nis obseruari solitum, Dionysius[p] tradit. Auspicari diem a media nocte, ijsdem commune[q] fuit. Bigamiam in sacerdotio Pudicitiæ fuisse vetitam, auctor est Liuius[r]: laudatam ab ijsdem monogamiam, toleratam bigamiam, Valerius[s] tradit. In dedicatione templorum multa fuisse Gentilibus cum pietatis cultoribus similia, ex Suetonio[t] intelliges. Nuptias consensu parentum contractas, esse legitimas, ceteras clandestinas improbatas, sicut apud Christianos seruatur, apud Romanos iudiciali sententia esse definitum, in Liuio[u] facile inuenies. Vigilias insuper anniuersarias habes apud Suetonium[x]. Lustralem aquam, asperſionem[y] sepulchrorū, lumina[z] in ijsdem parare, sabbato[a] lucernam accendere, cereos in populum distribuere[b], & vt ad sacram mensam accedentes omnes ex animo odia dimitterent, & inimicis reconciliarentur, habetur expressum apud Valerium[c]. Sunt & alia fortasse plura, quæ in præsentiarū memoriam effugiunt,

a Theodoret. Euang. quæst. lib. 8. de mart.
QVOMODO PROFANA SANCTA FIANT.
b Act. 17.
c 1. Cor. 18.
d Rom. 14.
e Val. lib. 1. c. 1. Philostr. lib. 2.
f Dio hist. lib. 54.
g Philostr. lib. 3.
h Censor. de die natal. c. 1.
i Gell. lib. 10. c. 15.
k Gell. ibid.
l Dionys. Halic. lib. 1.
m Dionys. lib. 1.
n Liu. decad. 1. lib. 2.
o Suet. in Tit. c. 9.
p Dionys. lib. 2.
q Censor. de die natal. c. 19.
r Liu. decad. 1. lib. 10.
s Valer. lib. 2. cap. 1.
t Suet. in Vesp. c. 7.
u Liu. decad. 1. lib. 10.
x Suet. in Vesp. cap. 9.
y Iuuenal. satyr. 6. & alij.
z Suet. in Octauio, c. 98.
a Seneca lib. 14. epist. 83.
b Macrob. in Saturnal.
c Valer. Max. lib. 4. c. 2. 3.

A effugiunt, quæ ijsdem (vt diximus) rationibus pie sancteq. a Christianis absque vlla superstitione seruantur. Sed de his modo satis.

Hoc quoque anno Domini quadragesimoquarto, Claudij vero secundo, quo (vt LXXXIX.
dictum est) Paulus, monente Spiritu sancto, segregatus in Euangelium, Apostolatus munere insignitus est; raptus ad tertium cælum, mirifica illa, Deo reuelante, cognouit, quæ non fas est homini loqui. Hæc omnia anno hoc contigisse, ex his quæ ipsemet scribit ad Corinthios[a], colliguntur, dum ait: Si gloriari oportet (non expedit quidem) a 2. Cor. 12.
veniam ad visiones, & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptū huiusmodi vsque ad tertiū cælum. Et scio huiusmodi hominē, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit: quoniam raptus est in Paradisum: et audiuit arcana verba, quæ non licet ho-
B mini loqui.] hæc de his ipse. Quæ cū facta dicat annis quatuordecim ante id tēpus quo posteriorem illam ad Corinthios scribebat epistolam; ipsamq. scriptam constet (vt suo loco susius explicabimus) anno Domini quinquagesimo octauo, Neronis vero secundo: satis certum exploratumq. habetur, hoc ipso anno Christi quadragesimoquarto, Claudij vero secundo, eumdem Paulum tam mirificis esse a Deo auctum muneribus, quibus eum corroborari voluit, antequam tanti ponderis munus obiret. Quænam autem illa fuerint quæ audiuit vel vidit: ne frustra inuestigando laboraret humana præsumptio; ineffabilia esse dixit. Verumtamen (quantum ex his quæ scribit ad Galatas[b], consequi possumus) Gentium conuersionem inter alia ipsi esse ostensam puta- b Galat. 2.
mus, qui ad Gentes ab Apostolis esset mittendus Apostolus: quod postea, cum iterum vna cum Barnaba & Tito Hierosolymam venit, est feliciter adimpletum; vnde me-
C rito se illuc ascendisse secundum acceptam reuelationem testatur his verbis: Deinde post annos quatuordecim (*a quonam tempore illi sint numerandi, suo loco dicemus*) itерum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem: et contuli cum illis Euangelium, quod prædico Gentibus.] Sic igitur eodem anno, quo prædicandi Euangelij munus Paulus suscepit, tam insignes reuelationes accepit.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI ANNVS	CLAVDII IMP. ANNVS
45.	1.	3.

D SEquenti anno, qui secundum a nobis initam rationem numeratur a Christo nato I.
quadragesimusquintus, Claudio Augusto[c] tertium & L. Vitellio Coss. durante c Dio lib. 60.
tamen adhuc anno secundo eiusdem Claudij Imperij, decimoquinto Kalend. Februarij a Petro Apostolorum Principe Romana Ecclesia instituitur, ac sedes in ea Pontificia erigitur. Ea quippe dies in tantæ rei perennem memoriam anniuersaria celebritate consueuit antiquitus celebrari: qui quidem pristinus vsus non in Vrbe tantum, sed & vniuerso Christiano orbe in annos singulos repetitus (licet interdum alicubi prætermissus, sed restitutus[d]) in hodiernum vsque sanctissime perseuerat. In anti- d Pauli Papæ IV. diplom.
quis[e] enim sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritualibus libris hæ preces ea die recitari soli- e Breuiar. vet. Roman.
tæ erant: Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento Apostolo tuo Petro principatum Romæ vrbis tribuisti, vnde se Euangelica veritas per tota mundi re-
E gna diffunderet: præsta, quæsumus, vt quod in orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuersitas Christiana deuotione sequatur.] Inerat[f] & priuata sacra præfatio ad f In sacr. S. Gregorij.
eius diei solemnitatem accommodata, in sacris Missis solita recitari. Antiquiora quoque Martyrologia eiusdem rei plenissimam fidem adstruunt: ac denique sanctorum Patrum[g] conciones, quas in eiusdem diei celebritate in Ecclesia perorarunt, tantæ g Aug. serm. 15. 16. de sanct. & aliorum.
rei egregia monumenta, celeberrimum fuisse eiusce diei sacræ cultum apud omnes Christianos, indicant. Vniuersali enim Ecclesiæ consuetudine antiquitus præscriptum est, vt eius diei, qua quis alicui sedi fuerat præfectus Episcopus, anniuersaria solemnitas ageretur: eumdemq. morem tam in Orientali quàm etiam in Occidentali Ecclesia viguisse, plurima de eo scripta exempla testantur, quæ alibi adnotauimus[h]. Sed qua h Not. in Martyrolog. Rom. die 18. Ianuarij.
die vniuersalis Ecclesiæ Episcopus sedi Romanæ præficitur, eadem ab vniuersis quoque Ecclesijs merito celebratur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

II. Quantumlibet autem a ceteris Apostolis, quin & ab ipso Petro aliæ pluresq. fuerint in Christiano orbe Ecclesiæ institutæ; vnam tantū numero omnes efficiunt, eamdemq; Catholicam dici debere, Apostoli Symbolo docuerunt; de qua & Ignatius [a]: Vna est, inquit, Ecclesia, quam suis sudoribus & laboribus fundauerunt Apostoli a finibus terræ vsque ad fines in sanguine Christi.] et Irenæus [b]: Ecclesia in vniuersum mundum disseminata, quasi vnam domum habitans, & similiter credit his, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet quasi vnum possidens os. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est: et neque hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi constitutæ: sed sicut Sol creaturæ Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen seu prædicatio veritatis vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionis veritatem venire, &c.] Tertullianus [c] de his hæc in eamdem sententiam: Apostoli primo per Iudæam contestata fide in Iesum Christum, & Ecclesijs institutis, dehinc in Orbem profecti, eamdem doctrinā eiusdem fidei nationibus promulgarunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt: a quibus traducem fidei, & semina doctrinæ, ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant. Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad suam originem censeatur, necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio.] et paulo post de eiusdem vnitatis principio: Si hæc ita sunt; constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentē, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo susceperit.] hæc ille.

a Ignat. epist. ad Philadelph.

b Iren. lib. 1. c. 2.

ECCLESIA VNA.

c Tertul. de præscript. c. 20.

III. Porro licet omnes ab Apostolis Ecclesiæ institutæ, eo sensu Apostolicæ dictæ sint, vt Ephesiorum, Corinthiorum, Thessalonicensium, & aliæ fere innumeræ; ac secundum ea quæ ab eodem auctore dicta sunt, & cæteræ quæ ab ijsdem sunt propagatæ, etiā Apostolicæ dici debeant: tamen eiusdem sententia, quòd Ecclesia vna est, Apostolicam etiam vnam esse confiteri necesse est: quæ cum sit toto Orbe diffusa, optime diuino consilio prouisum est, vt alicubi eius caput certo loco consistat: ne cum de fide alijsve rebus ad statum religionis Christianæ spectantibus oboritur controuersia, in multas scindi, quæ vnitatis compagine iuncta vna erat, necesse sit. Si igitur ex Apostolicis omnibus vna est conflanda, atque vna demonstranda Ecclesia; eam non alterius esse posse; quàm eius qui inter Apostolos primatum gerebat, nemo non videt, nisi qui sua ipsorum malitia excæcantur & offunduntur, & (quod est in Psalmis [d]) oculos habent, & non vident. Audi quàm plane, quàm distincte hæc omnia tibi suggerit Cyprianus [e]:

VNA ECCLESIA APOSTOLICA ROMANA.

d Psal. 113.

e Cypr. de vnit. Eccles.

IV. Hoc erant (inquit) vtique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio prædiți & honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur. Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia & cathedra vna monstretur. Et pastores sunt omnes, sed grex vnus ostenditur, qui ab Apostolis omnibus vnanimi consensione pascatur. Quam vnam Ecclesiam etiam in Cantico [f] canticorū Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Hanc vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur & resistit; qui cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit? quando & beatus Paulus Apostolus hoc idem doceat, & sacramentum vnitatis ostendat, dicens: Vnum corpus, & vnus spiritus, vna spes vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus. Quam vnitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus; vt Episcopatum quoque ipsum vnum atque indiuisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida præuaricatione corrumpat. Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quo modo Solis multi radij, sed vnum lumen: & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: & cum de fonte vno riui

f Cant. 6.

DE VNITATE ECCLESIAE FIRMA ASSERTIO.

plurimi

A plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine. Auelle radium Solis a corpore, diuisionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte præcide riuum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia Domini luce perfusa, per Orbem totū radios suos porrigit, vnum tamen lumen est quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis separatur: ramos suos in vniuersam terram copia vbertatis extendit: profluentes largiter ritos latius expandit: vnum tamen caput est, & origo vna, & mater vna, fœcunditatis successibus copiosa: illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur.] hæc & alia Cyprianus.

V. Qui & hæc eadem vberius prosecutus, iterum atque iterum monstrat hanc vnā Ecclesiam in Petri cathedra cognoscendam. Vnde idem scribens ad Corneliū Romanum

B Pontificem, hæc ait [a]: Post ista, adhuc insuper pseudo-Episcopo sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent & ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est; a schismaticis & profanis litteras ferre; nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides (Apostolo prædicante) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.] et ad Antonianum de Cornelij Papæ ordinatione [b]: Factus est, inquit, Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorū pene omnium testimonio, de plebis quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cum nemo ante factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret.] hæc ipse pluribus.

a Cypr. epist. 55. DE ROMANA ECCLESIA.

b Cypr. epist. 52.

VI. Rursum vero eum debere dici Catholicum, qui eidem Romanæ Ecclesiæ, Petri sedi communione coniungitur; illum vero esse hæreticum, qui ab eiusdem cathe-

C dræ est communione diuisus, idem Cyprianus sæpe testatur: nam ad Cornelium [c] Papam hæc de his quos optabat eiusdē Pontificis communioni coniungere: Scimus nos hortatos eos esse vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent & tenerent.] et ad Antonianum [d] eodem argumento: Scripsisti etiam vt exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem; vt depositā omni solicitudine, iam sciret te secum, hoc est, cum Catholica Ecclesia communicare.] quo contra, hæreticum habendum esse qui cum eodem Romano Pontifice non communicat, scribens ad Magnum [e], multis significat, & præsertim cum dicit: Ecclesia vna est, quæ vna & intus esse & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter sacerdotij honorem martyrio quoque Dominus glorificauit; Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest.] Hæc ipsa longe ante Cyprianum Irenæus [f]: Quoniam, inquit, valde longum est, in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquā oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique Fideles; in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.] hæc Irenæus.

c Cypr. epist. 45. CATHOLICVS AB HAERETICO QVO SIGNO DIGNOSCENDVS.

d Idem epist. 52.

e Cypr. epist. 76.

f Iren. lib. 3. c. 3.

VII. His insuper addimus quæ Optatus [g] Mileuitanus de cathedra Petri egregie sane in

E hanc sententiam locutus est: Igitur negare non potes, scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas est appellatus: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet: vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima dedotibus. Sedit prior Petrus, cui successit Linus, &c.] et post recensitam successionem Romanorum Pontificum, ea ratione conuincit schismaticos esse extra Ecclesiam Catholicam, quòd nullus ipsorū Episcopus eidem Romanæ cathedræ communicet. Ac tandem hæc contra eosdem schismaticos: Vnde est ergo, ait, quòd claues regni vobis vsurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris præsumptionibus & audacijs sacrilegio militatis?] et inferius: Igitur de dotibus supradictis cathedra est

g Optat. lib. 2. contra Parm.

COMMVNICATIO CVM ROMANA ECCLESIA QVEMQVE PROBAT CATHOLICVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dra est (vt supra diximus) prima, quam probauimus per Petrum nostram esse.] ac A
paulo post: Et per cathedram Petri, quæ nostra est, & ceteras dotes apud nos esse.]
[a] Hieronymus epist. 57. Eadem quoque ratione S. Hieronymus [a] hæc ad Damasum: Egò nullum primum nisi
Christum sequens, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione consocior: su-
per illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum
comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio.] et
paulo inferius: Quicumque tecum non colligit, spargit: hoc est: qui Christi non est,
[b] Idē epist. 58. Antichristi est.] et sequenti rursum [b] epistola: Ego interim clamito: Si quis cathe-
[c] Hieron. Apolog. aduersus Ruffin. dræ Petri iungitur, meus est.] et aduersus Ruffinum [c]: Fidem suam quam vocat? eam
ne, qua Romana pollet Ecclesia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur?
Si Romanam responderit: ergo Catholici sumus, qui nihil de Origenis errore trans-
tulimus.] B

VIII. Hæc igitur cum Hieronymus sæpius repetat & inculcet, & primatus Petri & Ec-
clesiæ Romanæ sit fidelis assertor: iam quomodo illa sint eiusdem auctoris accipienda
[d] Hier. epist. 85. OBIECTIO SOLVITVR, ET ELVCIDATVR LOCVS S. HIERONYMI. verba, quibus aduersarij struunt calumnias, satis perspicuum esse potest: dum sic [d] ait
de his quæ ad ordinem spectant: Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod pres-
byter non faciat? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius Orbis existimanda
est. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & Iudæa, & omnes barbaræ
nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulā veritatis. Si auctoritas quæ-
ritur, Orbis maior est Vrbe. Vbicumque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij,
siue Constantinopoli, siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis; eiusdem meriti, eiusdem
est sacerdotij. Potentia diuitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel
inferiorem Episcopum non facit: ceterum omnes Apostolorum successores sunt.] Sed C
hæc quidem dicit ipse de his quæ sunt muneris sacerdotij: in qua quidem functione si-
cut nihil præter ordines plus Episcopus quàm presbyter habet, ita multo minus nihil
est quod plus alio quilibet Episcopus sibi vendicet. Verum quanto plus ceteris ipse
S. Hieronymus Romano Episcopo deferat, superius ipsiusmet loca recitata declarant.
Sed institutam de Catholici nominis signo orationem prosequamur.

IX. S. Ambrosius etiam & ipse vno signo e sede Petri petito, ex ipsius, inquam, Roma-
næ Ecclesiæ communicatione, qui veri Catholici habendi essent, esse solitum inuesti-
gari, demonstrat, dum hæc de Satyro fratre scribit: Aduocauit ad se Episcopum, nec
[e] Augustī. epist. 105. & contra epist. Manich. cap. 4. vllam veram putauit nisi veræ fidei gratiam: percontatusq. ex eo, Vtrum cum Episco-
pis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conueniret? &c.] Augustinus [e] item ex
Petri cathedra per successionem Romanorum Pontificum demonstratam, Catholicos D
discriminat ab hæreticis: et id ipsum aduersus schismaticos [f] Donatistas, Catholicos
[f] Augustī. contra par. Don. Psal. occinere docuit. Vna igitur hac tessera, hoc vno symbolo, hoc vno denique rogato &
reddito nomine, qui Catholici essent, quive hæretici, semper innotescere consueue-
runt: nempe, vt ille absque alia controuersia Catholicus censendus esset, qui se Romanæ
Ecclesiæ communicare profiteretur; ac ille contra esset conclamandus hæreticus, qui
ab eadem Petri cathedra probaretur esse diuisus. Præter illa quæ in eam sententiam
sunt ex antiquioribus Patribus recitata, aliæ plane innumera de his exempla suppe-
terent; sed non patitur instituti ratio, hic ea singulatim recensendo, in his diutius
immorari.

X. Sed illud vnum sic habeto: adeo hæc certa atque explorata haberi, vt antiquo vsu il-
lud esset receptum, tam apud nostros quàm apud externos, has voces, Romanus, & E
ROMANVM NOMEN IDEM QVOD CATHOLICVM. Catholicus, absque distinctione vsurpari solitas, ita vt idem esset dicere, Romanus, quod
Catholicus: idq. monstrari potest, non tantum nostrorum testimonio & exemplo, sed
etiam hostium assertione. Ecce quippe Theodosius Iunior Imp. in ea epistola, quam
[g] Synod. Ephes. tom. 5. c. 10. edi. Poltan. scripsit ad Acacium Episcopum Beroeensem, hæc ait: Vosq. probatos Romanæ reli-
gionis sacerdotes esse, manifesto argumento declarate.] extat hæc epistola in Actis sa-
[h] Vict. de persecut. Vandal. lib. 1. crosanctæ Synodi Ephesinæ [g]. Addam & de Arianis exempla. Victor Vticensis [h] hæc
a Iocundo Ariano homine ad Theodoricum Arianorum Regem in Africa refert dicta:
Poteris, inquit, eum diuersis afflictionibus interficere: nam si gladio peremeris, inci-
[i] Greg. Turon. de glor. mart. cap. 79. pient Romani martyrē prædicare.] et Gregorius Turonensis [i] ex persona eorumdem:
Quid putatis (dicebat vnus ex illis) quod nunc isti Romani dicant?] et alibi de Aria-
[k] Eod. lib. c. 25. no Principe [k]: Cogitauit intra se dicens: Quia ingenium est Romanorum (Romanos
enim

A enim vocitant homines nostræ religionis) vt ita accidat, & non sit virtus Dei.] et in-
ferius [a] ex persona itidem Ariani hominis hæc ad suos dicentis: Si consenseritis dictis [a] Eod. lib. c. 30.
meis, exercebimus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero] hoc est, Ca-
tholico sacerdote. Alia ad hæc addenda essent exempla: sed parcius agimus, quòd
alio tendat oratio: diuertimus enim ad hæc, occasione Romanæ Ecclesiæ hoc anno (vt
dictum est) a Petro Apostolo institutæ, cui præfuit annos viginti quatuor, menses quin-
que, & dies vndecim. Sed de his reddemus rationem inferius, cum de eiusdem Petri
agemus martyrio.

XI. Ceterum ipsa prima Pontificia sedes Petri, cathedra (inquam) lignea, dignum pla-
DE PETRI CATHEDRA LIGNEA. ne tantæ rei eximiumq. monumentum, quamplurimis semper miraculis illustrata, a
B maioribus asseruata, in eiusdē Petri basilica Vaticana recondita hactenus custoditur, &
certis diebus populo visenda exponitur. Consueuerunt enim maiores, tanti memores
beneficij, quòd Apostolica prædicatione e tenebris, quibus erant offusi, ad lucē plane
diuinam euecti essent, etiam ipsas sedes ligneas quibus Apostoli insedissent, summa
omnium diligentia custoditas, veneratione prosequi. Sit satis ad eius rei exemplum
Hierosolymorum Ecclesia, quæ licet tot tantisq. Iudæorum casibus fuerit exagitata;
sedem tamen ipsam, cui ipsorum primus Episcopus Iacobus insedit, vsque ad Constan-
tini tempora integram esse seruatam, auctor est Eusebius [b]. Id ipsum de sede Marci [b] Euseb. lib. 7. c. 14.
Alexandriæ factum esse, suo loco dicemus. Nec tamen illud de his dicere præterimus,
quod ad hanc rem etiam spectare videtur: maiores scilicet nostros, egregios pietatis cul-
tores, vt qui probe scirent loco Christi (quod sæpe monet Ignatius) esse habendos
Episcopos, sedes illas, quibus illi in ecclesia, cum sacras synaxes agerent, insiderent,
C vt diuinum thronum, velis egregie ornare consueuisse, easdemq. tegere velamento.
Id plane innuit Pontius diaconus in Cypriani martyrio, cum ait: Sedile autem erat for-
tuito linteo tectum, vt & sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur.] Et Augu-
[c] Aug. ad Max. Episc. Don. epist. 203. stinus [c] ad Maximinum Episcopum Donatistam: In futuro, inquit, iudicio nec apsi-
des gradatæ, nec cathedræ velatæ adhibebuntur ad defensionem.] Apsides sane gra-
datas cum dixit, sedes Episcoporum sublimiori attolli fastigio solitas esse significat. Et
Pacianus Episcopi sedem linteatam nominat in epistola secunda ad Sympronium. Sed
hæc satis ad insinuandos antiquos Ecclesiæ mores, cui plane rei nos ex instituto lecto-
ri deuinximus.

XII. In hunc igitur modū Romana cathedra stabilita, cessit Petrus Ecclesiæ Antiochenæ,
& alium in suum locum Episcopum subrogauit. Id quidem factum esse hoc ipso tertio
D Claudij imperatoris anno, ac Domini quadragesimoquinto, Eusebius testatur in Chro-
nico: vbi etiam anno superiori (vt a nobis positum est) Petri Romam aduentum con-
tigisse tradit. Qui vero dixerunt [d], eum tunc cum discessurus esset Antiochia, eidem ci-
[d] Chrysost. hom. de S. Ignat. & Metaph. die 29. Iunij. uitati successorem Episcopum ordinasse; eo sensu audiendi sunt, quasi dicere velint, Pe-
trum successorem sibi delegisse, cum sedem Antiochenam reliquit. Non enim putan-
dum est, Petrum antea se abdicasse, nulla existente causa; nisi cum Romæ sibi erexit ac-
cepitq. cathedram. Nec propterea quòd inde recesserit, opus fuit alium sibi sufficere;
quod nec alias fecerat, cum (vt vidimus) sæpe recessit, ac iterum redijt: nam & sic in-
de modo discessit, eo nempe reuersurus. Redijt enim Antiochiā, eam inuisens Ecclesiam,
quando inter ipsum & Paulum illæ, de quibus suo loco dicturi sumus, subortæ sunt
contentiones. Satis Antiochenæ Ecclesiæ se absente videbatur esse consultum, quòd ibi
E Barnabam reliquisset. Barnabas enim (quod ex Actis [e] superius dictū est) Antiochiam [e] Act. 11.
BARNABAS CVRAT ECCLESIAM ANTIOCHENAM. profectus, cum vberes fructus ex conuersione Gentium Euangelica prædicatione col-
legisset, & vberiores se collecturum speraret, tot laboribus impar sibi visus, Tarsum
accessit, indeq. Saulum adductum secum Antiochiam duxit: quem cum annum inte-
grum, vsque scilicet ad famem illam ingentem obortam, illic permansisse, Lucas [f] te- [f] Act. 11.
[g] Chrysost. hom. de transl. S. Ign. tom. 5. edit. Paris. statur: sane quidem in annum secundum Claudij eosdem perseueraſſe illic constat, at-
que illuc iterum redijsse, & vsque ad præsentem annum mansisse, vt ex his quæ dicturi
sumus in fine præsentis anni, liquido apparebit.

XIII. Sed quem potissimum sedi Antiochenæ suum successorem instituerit, Euodium
EVODIVS AN IGNATIVS SVERIT SVBROGATVS. ne, an Ignatium, res non est absque aliqua controuersia: quandoquidem Ioannes
Chrysostomus [g], ciuis Antiochenus, & eius Ecclesiæ olim clericus, aperte profitetur,
primum omnium a Petro eidem sedi fuisse præfectum S. Ignatium: testatur id ipsum

Theodo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Theod. in immut. dial. 1.
[b] Quint. Synod. Act. 1.
[c] Eusebius in Chron. & hist. lib. 3. c. 16.
[d] Hier. de Scrip. Eccl. in Ignat.
[e] Ignat. epist. 12.

Theodoretus [a], cum ait: De illo enim Ignatio omnino audisti, qui per magni Petri dexteram pontificatum susc epit.] Felix quoque Romanus Pontifex in epistola quam scripsit ad Zenonem Imperatorem, quæ est recitata in quinta [b] Synodo Constantinopolitana, plane testatur S. Ignatium dextera Petri esse ordinatum eiusdem Antiochenæ sedis Episcopum. Porro non Eusebius tantum [c] & Hieronymus [d] perspicue testantur, post Petrum & a Petro institutum primo loco sedisse Euodium, ac Euodio fuisse subrogatum Ignatium; sed & idem ipse Ignatius [e] scribens ad Antiochenos, id ipsum firmiter aperteq. demonstrat, cum ait: Mementote Euodij beatissimi patris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula Ecclesiæ vestræ sortitus est.] hæc itaque cum ille ipse profiteatur, alijs non opus est testibus. Verum enimvero vnde eiusmodi oborta sit occasio controuersiæ, exquirere, non otium putamus. A

XIV.

[f] Clemens Cæsl. lib. 7. c. 46.

EVODIVS PRIMVS POST PETRVM EPISC. ANTIOCH.

Legimus apud Clementis [f] Constitutiones, quibus interdum vsi sunt viri sanctissimi necnon eruditissimi, Antiochenæ Ecclesiæ a Petro Euodium, a Paulo vero Ignatium esse creatos Episcopos; nec sane vnum post alium, vt de ceteris ibi dicitur, sed simul. Quod quidem tunc factum fuisse videtur, cum dissensio illa inter Fideles qui ex circumcisione, & eos qui ex Gentibus ad fidem venerant, esset concitata: quocirca quamdiu illa perdurauit, illud remedium fuisse adhibitum, vt vterque sederet; alterq. eorum præesset ijs qui ex circumcisione, alter vero ijs qui ex Gentibus ad Ecclesiã venissent. Ceterum eo tandem sublato distinctionis pariete, ac sub vno eodemq. pastore vtraque collecta Ecclesia, non amplius duobus, sed vno tantum fuit opus Episcopo. Tunc igitur in eadẽ præfectura remansisse videtur Euodius, cui libenter cessisset Ignatius, vt Clemens Lino: meritoq. ea de causa idem ipse in dicta epistola ad Antiochenos ipsum Euodium primum post Apostolos fuisse illius sedis Episcopum tradit, nullam sui rationem habens, quòd ea occasione sedisset, & eidem loco cessisset, quantumlibet a Petro (vt præcitati volunt) institutus esset. Sed quòd agamus coniectura, nihil certi de his affirmare audemus. Ceterum præfecturam Ecclesiæ Antiochenæ Euodio hoc anno collatam esse, Eusebius in Chronico tradit. Qua ratione erroris arguitur Suidas [g], & si qui alij dixerunt tunc discipulis esse inditum nomen Christianum, cum Petrus Euodium Antiochenæ Ecclesiæ creauit Episcopum: nam longe ante hæc tempora Christianum nomen esse inuentum, superius est demonstratum. B C

[g] Suid. verbo Nαζαραῖος.

XV.

Sicut autẽ stabilita sede Romana, Petrus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum illi præficiendo prospexit: ita etiã memor Ecclesiarũ, quas in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, scilicet Minori, & Bithynia erexerat, suam primã ad eas scripsit epistolam: quam quidem hoc ipso anno, antequam Marcus ab eodem Petro Alexandriam mitteretur, esse conscriptã, ex eo facile colligi potest, quòd in ea hæc posita habeantur in fine: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.] quem hoc ipso anno tertio Claudij Alexandriam amandatum, Alexandrinam collegisse Ecclesiam, Eusebius non obscure demonstrat in Chronico. Opportuna enim illa videbatur oblata occasio aduentus Philonis Iudæi Alexandrini in Vrbem, qui sub Caio primum (vt vidimus) pro Iudæis Alexandrinis legatione functurus, vna cum socijs Romam se contulit; ac iterum sub Claudio Romam venit, quando & gentilem suum Petrum Euangelium prædicantem Romæ cognouit, & familiarissime cum ipso versatus est, vt Hieronymus [h] his verbis declarat: Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quò legatus gentis suæ missus fuerat: cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem Vrbe locutum esse cum Petro Apostolo, eiusdemq. habuisse amicitias, & ob hanc causam etiam Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis.] hæc Hieronymus de Philonis cum Petro Romæ consuetudine ac amicitiæ vsu: qua quidem ex re coniectura ducimur, redeuntem Philonem Alexandriam, Marcum sibi a Petro commendatum secum perduxisse. Sed de Marco iterum. D E

MARCVS QVANDO A PETRO MISSVS ALEXANDRIAM.

[h] Hier. de Scrip. Eccl. in Philone.

XVI.

DE PRIMA PETRI EPISTOLA.

Quòd vero sicut hoc anno, ita etiam Romæ eadem a Petro epistola scripta fuerit, Patres omnes qui de ea re sermonem habuerunt, expresse testati sunt; quod & ex illis eiusdem epistolæ verbis collegerunt, quibus in fine dicitur: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta.] per Babylonem enim Romam intellexisse, absque vlla dubitatione confirmant. Sed ab his dissentiunt Nouatores, quòd permolestè accipiant, ex canonicis diuinisq. Scripturis etiam Petri Romam aduentum reddi testatum. Sed primum per Babylonem a Petro Romam significatam esse, maiorum auctoritate monstremus;

A stremus; ac subinde quàm insigniter delirent, qui de alia Babylone ea esse dicta verba contendunt, perspicue aperiemus. Eusebius [a] vbi de Marci Euangelio ex Papiæ & Clementis auctoritate sermonem instituit, hæc addit: Constat Petrum huius Marci mentionem facere in priore epistola, quam Romæ texuisse dicitur: quam quidem epistolam ibi perscriptam ostendit, dum ciuitatem illam, verbi translatione, Babylonem appellat, hoc modo: Salutat vos Ecclesia nostræ electionis consors, quæ est Babylone, & Marcus filius meus.] Eadem Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis in Marco his verbis: Meminit huius Marci & Petrus in epistola prima sua, nomine Babylonis figuraliter Romam significans.] In Apocalypsi [b] Ioannis eodem notatam esse nomine, in confesso est apud omnes. vnde & Tertullianus [c]: Sic & Babylon apud Ioannẽ nostrum B Romanæ vrbis figuram portat, proinde & magnæ, & regno superbæ, & sanctorum debellatricis.] Vnus idemq. Spiritus, quo afflati, locuti sunt sancti viri Dei, eodem symbolico nomine Romam significauit: quinetiam & in diuinis Scripturis per Babylonem sæpe Romanum adumbratum esse Imperium, eruditus lector inueniet. In hanc sententiam Augustinus [d] hæc ait: Ne multis morer, condita est Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis.] docet enim pluribus, tunc conditam Romam esse, cum intercidit regnum Assyriorum. De his quoque cumulate Orosius [e].

[a] Eusseb. hist. lib. 2. c. 14.
[b] Apoc. 17.
[c] Tert. aduerss. Iud. c. 9. & cõtr. Marcion. lib. 3. c. 13.
[d] Aug. de Ciuit. Dei, lib. 18. c. 22.
[e] Oros. lib. 7. c. 2.

XVII.

PETRVS ROMAM APPELLAT BABYLONEM.

Nec vero me imprudenter dicturum existimo, si his addiderim, Petrum non esse vsum proprio Vrbis nomine, quòd Hierosolymis fuga lapsus e carcere, vbi ageret, non ab omnibus percipi vellet. Sane quidem studuisse admodum Claudium Imperatorem Agrippæ Regi Iudæorum, qui Petrum vinxerat mox coram populo trucidatis nominibus homines appellare, vsitatum fuisse videatur apud Apostolos. Vnde C Paulum [f], cum ait: Liberatus sum de ore leonis] per leonem significasse Neronem, nullus dubitat. Præter hæc etiam, per Babylonem esse Romam significatam, licet quis nolit, fateri compellitur. Nam cum Petrus dicat: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone] cum de illa quæ est apud Assyrios Babylone nullo modo possit intelligi: quandoquidem (vt vidimus) constat Iosephi [g] auctoritate, eodem Caij Augusti tempore, quo tam dira Iudæi tum Alexandrini tum Palæstini patiebantur, eos qui agebant in Babylone, & apud Assyrios, Iudæos fuisse expulsos, ac denique trucidatos: necesse est affirmare, Petrum per Babylonem Romã intellexisse. Nec est alia Babylon, de qua Petrus potuerit dixisse; nam quæ apud Ægyptios Babylon erat, obscurus plane locus, non ciuitatis nec oppidi dignus nomine, castellum a Strabone [h] & alijs nominatur, sic nempe dictum, quòd a quibusdam Babylonijs fuisset erectum, locus natura munitus. At dicere velle, Petrum de hac in Ægypto posita intellexisse, insignis sane fatuitas & nimium absurda res esset: quandoquidem cum multa alia hæc opinari prohibeant, quodammodo id potissimum vetat, quòd nullam reperiri constet in Babylone quæ est in Ægypto, Ecclesiam collectam: cum multa enim Concilia edita reperiantur cum adiectione nominum Episcoporum Ægyptiorum, in nullis horum, nec in alijs scriptorum monumentis alicubi reperitur nominatus Episcopus Babylonis in Ægypto. D

[f] 2. Tim. 4.
[g] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 12.
[h] Strab. lib. 17.

XVIII.

VRBS ROMA DIVERSA AB ECCLESIA ROMANA.

Sed quid Nouatores isti? Licet hic negent per Babylonem Romam intelligi; tamen quod in Apocalypsi de Babylone multa nefanda prodantur, eoq. nomine Romanam vrbem significari certissimum sit; cunctas illas blasphemias in Romanam tunc vrbem congestas, quòd in ea idololatria & impietatis cultus præ ceteris Orbis locis vigeret, E in Romanam conuertunt Ecclesiam, calumniosissime simul & imperitissime, nullam temporum diuersorum nec rerum rationem habentes. Sane quidem dum Petrus ait: Ecclesia quæ est in Babylone] Ecclesiam ibi positam non esse Babylonem ipsam, plane declarat, diuersaq. ratione censeri ipsam Ecclesiam a loco, vbi dicitur esse collecta. Nec per somnium quidem quis vmquam inueniet Romanam Ecclesiam esse Babylonis nomine nuncupatam, sed ipsam tantummodo ciuitatem; ac id quidem non semper, sed cum impietate referta aduersus ipsam Ecclesiam bellum gereret. Vnde Hieronymus [i] de his agens, hisce verbis Romam compellat: Sed vt ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, Vrbs potens, Vrbs Orbis domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum: Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos: serua quod diceris:

[i] Hieron. aduers. Iouin. lib. 2.

Virtus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Virtus te excelsam facit, nam voluptas humilem. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam. Habes exempla Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de idolo deriuatum est.] A

XIX. Scimus eumdem Hieronymum [a] alibi in eamdem Vrbem stomachatum, Babylonem appellasse, cum persecutionem in ea passus, inde recedens, Hierosolymam redijsset; atque dixisse: Cum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritum viuerem, &c.] Sed quid postmodum alibi ille [b] idem, cum agit de Romanæ Ecclesiæ Fidelibus? Romanæ, inquit, plebis laudatur fides, testimonio videlicet Apostolico. Vbi alibi tanto studio & frequentia ad ecclesias & martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui, Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? Non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ; sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum.] Idem ad Marcellam scribens vt Bethlehem migret, post explicatum illud de ciuitate Romana Ioannis in Apocalypsi testimonium; Cecidit enim, cecidit Babylon magna] de Ecclesia ibi posita ista subdit: Est quidem, inquit, ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum & martyrum, est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides; & Gentilitate calcata, in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum.] hæc Hieronymus: de quibus satis. B

[a] Hier. in præf. de Spir. sancto. [b] Hier. in præf. lib. 2. in epist. ad Galat.

IMPROBATVR VRBS, LAVDATVR ECCLESIA.

XX. Cum hæc de tempore primum ac subinde de loco prioris Petri epistolæ sint pluribus disputata: ad quosnam ea scripta fuerit, hic pluribus agere in prima editione prætermisimus; sed absque vlla dubitatione hanc datam esse ad Hebræos, inferius cum de posteriori Petri epistola egimus, affirmauimus. Ne autem hac de re dubitare quis possit, assertam semel sententiam tum Patrum auctoritate obsignatam, tum alijs firmissimis rationibus demonstratam relinquere, æquum putamus. Scriptam quidem hanc fuisse epistolam Petri ad Iudæos iam redditos Christianos, testantur Eusebius [c], S. Athanasius [d], Didymus [e], ac denique (ne in his longius distrahar) omnes tum Græci tum Latini scriptores, qui ea de re consulto tractarunt: adeoq. vt nec vnum hactenus inuenerimus, qui ad alios quàm ad Iudæos eam esse conscriptam, asseruisse reperiatur. Sed ad hæc confirmanda, accipe rationes, & quidem firmissimas, vtpote ipsius Petri auctoritate subnixas, quibus refragari non liceat, quòd ei contradicere sit religio. Certum quidem est, Petri ipsius assertione, ad illos priorem a se datam esse epistolam, ad quos posteriorem ipse conscripsit: etenim sic in ea de priori meminit [f]: Hanc vobis, carissimi, secundam scribo epistolã.] Porro eamdem posteriorem ab ipso esse datam ad Hebræos, ipsemet ad finem ipsius disertis verbis insinuat, dum mentionẽ habet Pauli epistolæ ad ipsos Hebræos datæ, prout interpretes omnes ostendunt, & nos inferius demonstraturi sumus; ad quos se quoque eam dare epistolam profitetur. C D

[c] Euseb. hist. lib. 3. c. 1. [d] Athanas. in Synops. [e] Didym. in epist. canonic. [f] 2. Petr. 3.

XXI. Rursum vero cum in ipsa prioris epistolæ inscriptione manifeste declaret Petrus, se scribere Christianis aduenis dispersionis: nonnisi Iudæos potuit verbis illis intellexisse: etenim nullam hactenus Christianorum Gentilium quis inueniet factam esse dispersionem, sed tantummodo Iudæorum (vt superius diximus) tempore martyrij S. Stephani, cuius dispersionis iterum meminit S. Lucas [g] in Actis. Nec est quòd obijci possit, dispersionẽ Iudæorum factã fuisse [h] tantummodo per regiones Iudææ atque Samariæ: nam ex ijsdem Actis [i] satis apparet, eorumdem aliquos perrexisse etiã Antiochiam, atque in Cyprum: immo & constat Ananiam vnum ex illis peruenisse [k] Damascum: vt patens sit, eos egressos esse Iudææ terminos. Verum non hoc sensu accipiendum puto quòd scripta sit a Petro illa epistola ad fratres dispersionis, quasi illi aliqua persecutione dispersi fuerint; sed quòd soliti sint vocari Iudæi dispersionis illi qui in diuersis Orbis partibus longe a Iudæa habitarent, dispersi dicti, quòd non cũ alijs in Iudæa degerent, sed in diuersis regionibus pro animi cuiusque libitu loca colerent: quo sensu ab Euangelista [l] dictum de Christo ex Caiphæ prophetia, quòd Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.] Qua etiam ratione Iacobus in suæ epistolæ [m] inscriptione habet: Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione] hoc est, Iudæis omnibus qui in diuersis Orbis regionibus habitarent: nam nulla alia hoc tempore contigit hostilis duodecim tribuum dispersio. Ceterum cum constet nullam legi dispersionem Christianorum Gentilium, sed dumtaxat Iudæorum: cum scribat Petrus ad Christianos dispersionis; ad Iudæos credentes E

[g] Act. 8. 11. [h] Act. 8. [i] Act. 11. [k] Act. 9. [l] Ioan. 11. [m] Iac. 1.

A dentes scribere, certum est. Quòd insuper illis vendicet prophetias [a], quòdq. feminas eorum filias Saræ nominet, certe quidem eosdem fuisse Iudæos ostendit. [a] 1. Petr. 1. & 3.

Sed & in eo quod de ijsdem ait [b]: Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: Qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti, &c.] de eodem plane populo loqui significat, qui iuxta Oseæ [c] oraculum (ad quod alludit) a Deo fuerat reprobatus, cum sub typo filiorum fornicationum, de eorum altero dictum: Voca nomen eius, Absque misericordia: quia non addam vltra misereri domui Israel] & de altero: Voca nomen eius, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester.] Hoc quidem statu Iudæi tunc erant: adueniente autem Christo, eum secuti, ex non populo facti sunt populus eius, ac pariter misericordiam adepti. Cum vero citatur idem locus Oseæ [d] ab Apostolo Paulo [e], non solum quæ de reB probatione Iudæorũ ab eodem Propheta dicta sunt, ipse recitat, sed & quæ de vocatione Gentium, nimirum quod subditur: Et erit in loco vbi dictũ est eis, Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viui.] secundum quã quidem additionẽ recte Patres omnes de reprobatione Iudæorũ, & vocatione Gentiũ, tum Oseã, tum Paulũ intellexisse tradunt. iuxta quam item considerationem, hæc S. Hieronymus [f], cum interpretatur Pauli verba ex Osea desumpta: Vocabo non plebem meã, plebem meam. Hoc loco Iudam significat. Et non dilectam, dilectam; & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Israeliticum populum. Et erit in loco vbi dictum est eis, Non plebs mea vos, &c. Gentes demonstrat in Christo credituras.] hactenus verba S. Hieronymi. Quòd vero Petrus non scriberet ad Gentes, sed ad Iudæos, ea tantum citauit Oseæ verba, quæ dicta de Iudæis erant. Nam Iudæos & Israelitas a Deo reprobatos intelligi C per illa verba, Non populus, Non misericordiam consecuta: cum id expresse Propheta testetur, nulla opus est interpretatione. Porro qui per reprobationem non iam populus, neque misericordiã consecuta filia dicebantur: ijdem ad Christum conuersi, ait Petrus: Qui aliquando non populus, nunc populus: Qui non misericordiam consecuti, nunc misericordiam consecuti.] Recte igitur omnium rata habetur Patrum sententia asserentium Petri tum priorem tum posteriorem epistolam esse ad Iudæos conscriptam. Oportuit hæc addidisse in hac posteriori editione ad diluenda quæ ab aliquo objiciebantur. Sed prosequamur ex instituto Apostolicas traditiones, quæ ex Apostolicis scriptis tamquam e fonte manarunt. b 1. Petr. 2. c Ose. 1. d Ose. 1. e Rom. 9. f Hier. in epist. ad Rom. 9.

XXII. Quòd enim idem Apostolus in fine epistolæ, illos ad quos scribit, admonet vt salutent se inuicẽ in osculo sancto: nostri instituti ratio postulat, vt de antiqua ab Apostolis D instituta Christiana salutatione osculo sancto impartienda (quod pertinet ad antiquos Ecclesiæ mores) paulo fusius agamus. Non enim id Petrus tantum, sed & Paulus faciendum præcepit, vt cum ad Romanos [g], vel ad Corinthios [h] iterum, aut ad Thessalonicenses [i] scripsit epistolas. Id ipsum etiam facere suis epistolis consueuit Ignatius [k], cum diuersas ad suos daret. Cum vero ijdem Principes Apostolorum salutationem mutuam non osculo tantum, sed sancto plane dandam esse præscripserint; diuersam sane eam ab illa fuisse, quam Gentiles inter se consueuerunt impartire, certum est. Quodam enim vsu receptum erat, quoties sibi obuiarent inter ambulandum amici, se inuicem osculo salutare. quam quidem consuetudinem vt permolestam, & frequentibus occursionibus fastidium afferentem [l], Tiberius lege sancita tollendam curauit: sed (quod probauit euentus) plus lege valuit inolitus vsus. vnde Martialis, qui vixit temporibus E Domitiani, hæc ad Linum [m]: XXIII. SALVTATIO IN OSCVLO SANCTO.

Bruma est, & riget horridus December:
Audes tu tamen osculo niuali
Omnes obuius hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.]

Et ad Bassum [n]:

Effugere non est, Basse, basiatores:
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc, vsquequaque, quacumque.] et inferius de his plura.

g Rom. 16. h 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. i 1. Thessal. 5. k Ignat. epist. ad Antioch. & ad Tarsenses. l Suet. in Tib. c. 34. m Martial. lib. 7. epig. n Martialis lib. 11.

Erant quidem eiusmodi oscula, pacis & amoris symbola: quæ non tollenda, sed moderanda inter Christianos curarunt Apostoli, dum eos se inuicem salutare debere osculo sancto, sæpe admonuerunt. Illa plane sancta oscula dicta esse reperiuntur, quæ XXIV. DE OSCVLO PACIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in sacris conuentibus illorum verborum adiuncta salutatione, Pax tecum, adhiberi consueuerunt. Agens de his Iustinus[a] martyr, hæc ait: Precibus finitis, mutui nos inuicem osculo salutamus.] Post osculum sequi administrationem Eucharistiæ, susius tradit. Origenes[b] de eiusmodi Apostolica institutione & Ecclesiæ vsu hæc scribit: Ex sermone Pauli (scilicet cum dicit: Salutate vos inuicem osculo sancto) mos in Ecclesia traditus est, vt post orationes osculo se inuicem suscipiant fratres. hoc autem osculum sanctum appellat Apostolus: quo nomine illud docet primum, vt casta sint oscula quæ in ecclesijs dantur; deinde vt simulata non sint, sicut fuerunt Iudæ. Osculum vero fidele primo castum sit, deinde pacem in se simplicitatemq. habeat in charitate non ficta.] hucusque Origenes. Hæc admonuit[c] Athenagoras Christianus philosophus, his scilicet verbis: Tam accurate temperare osculum, seu potius adorationem salutationis oportet: ne si quo modo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna vos vita proscribat Verbum.] Agens de eodem Tertullianus[d], illud appellat signaculum orationis.

a Iustin. orat. ad Antoninum Imp.
b Orig. in epist. ad Rom. c. 16.
c Athenag. orat. ad Christ.
d Tertull. lib. de orat.

XXV. DVPLEX OSCVLI GENVS.

Cyrillus[e] Hierosolymitanus discriminans sacrum osculum a profano, sic ait: Nec hoc ita accipias, quasi osculum illud sit huiusmodi, quale in foro inter omnes amicos esse consueuit; neque enim tale est. Hoc igitur osculũ animos mutuo conciliat, & omnem malorũ obliuionem illis spondet: signũ igitur est hoc osculum reconciliationis animorũ, vniuersæq. iniuriarũ memoriæ deletæ.] et post aliqua: Igitur osculum hoc, quo in sacris vtimur, reconciliatio est, atque idcirco sanctũ, de quo & Paulus dicit: Salutate vos inuicem in osculo sancto. Et Petrus inquit, In osculo dilectionis.] Chrysostomus[f] post multa in hanc sententiam dicta, hæc addit: Quin de hoc osculo sancto aliud quoque afferri potest. Quid tandem? Templũ Christi sumus: itaque templi vestibula & aditum osculamur, cũ alij alios osculamur. An non cernitis, quotnã homines etiam huiusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manũ admouentes? Ac per has portas & ianuas ingressus est Christus, & ad nos ingreditur, cum communicamus. Nostis enim vos qui mysteriorum participes estis, quid dicam. Neque enim vulgari quodam honore os nostrum afficitur, cum corpus Dominicum excipit; eaq. præsertim de causa tũ mutua oscula iungimus. Audiant qui obscœna loquuntur & qui conuicia proferunt, & horrescant, cogitantes quale os deturpent ac dedecorent. Audiant qui obscœne osculantur, &c.] De adiunctione vero illorum verborum, quibus osculando pax impartitur, hæc Augustinus[g]: Post orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis, dicitur, Pax vobiscum: et osculantur se inuicem Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum a corde illius non recedat.] hæc ipse.

e Cyrill. Catech. myst. ag. 5.
f Chrysost. hom. 30. in epist. 2. ad Corinth. c. 13.
g Aug. ser. 83. de diuersis.

XXVI. ADHIBITA CAVTELA PERICVLO.

Nec vero quis putet hæc ita promiscue tunc agi solita esse, vt viri feminas, & feminæ viros sic indistincte se mutuo, impartito osculo, salutarent. Nam (vt suo loco dicemus) in ecclesia seorsum viros a mulieribus agere consueuisse, certissimum est. At quoniam ea nihilominus adhibita cautela, adhuc inter se inuicem osculantes siue viros, siue feminas, fraus aliqua, arte diaboli, aliquando irrepsisse videretur; in nonnullis ecclesijs sacram osculari tabellam mutauit vsus, & quidem laudabilis. Nam & prudentiores Gentiles vitasse dicuntur osculum formosorum, vt de Agesilao Plutarchus tradit eo libro qui De audiendis poetis inscribitur. et apud eumdem reperies in Amatorio, Cleomachum eiusmodi osculo percitum prodegisse vitam. Quamobrem magna cautela emendata sunt hæc apud Christianos, penes quos omnia sancta, omnia pura præstanda erant: quòd osculo, quo anima ad labiorum progressa ostia, coniungitur animæ, interdum in alium transfundi contingeret, ac deperire, secundum ea quæ ex Platonis versibus recitat Gellius[h]. Quod vero ad Ecclesiam Dei pertinet: haud recens in mutuis illis osculis, per se sanctis, aliquando se immiscuit libidinis turpitudo, sed antiquitus etiam: quod non tantum Athenagoræ locus superius citatus innuit, sed & Clemens[i] Alexandrinus, dum acriter in prauum quemdam vsum inuectus, hæc ait: Dilectio autem non in osculo censetur, sed in benevolentia. Illi autem nihil aliud osculo, quàm ecclesias conturbant, cũ ipsam intus non habeant amicitiam. Etenim hoc vtique turpem mouit suspicionem, & maledicentiam, quòd imprudenter osculo vterentur, quod esse oportebat mysticum: id sanctum vocauit Apostolus.

h Gell. lib. 19. c. 11.
i Clem. Alex. Pædag. lib. 3.

Regno

Regno digne gustato, ore modesto & clauso benevolentiam animi ostendamus, per quod maxime se exerit mansuetudo morum. Est autem aliud quoque osculum incestum, veneno plenum, sanctitatem simulans. An nescitis, quòd etiam phalangia si ore tantum tangant, graues dolores hominibus afferunt?] hæc ille. Ait autem alibi idem Clemens[a] de modo osculandi: Non ergo temere pueris præcipimus, auribus eos apprehendentes, vt osculentur eos qui ad ipsos attinent; hoc vtique tacite significantes, ingenerari per auditum sensum dilectionis.] et Plautus[b]:

Sine te prehendam auriculis, sine dem suauium.] et Tibullus[c]:

—— natusq. parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.]

a Clem. Alex. Strom. lib. 5.
b Plaut. in Pœnul.
c Tibull. lib. 2.

At hæc remota procul fuisse ab osculo sancto putamus: nullum enim vmquam de his legimus penes Christianos exemplũ. Et hactenus de moribus Ecclesiæ in osculo sancto.

XXVII. APOSTOLICA SALVTATIO.

Rursus vero, quòd idem Petrus Apostolus in fine eiusdem epistolæ, sicut & in exordio eius, gratiam impartiendo, salutet; sicut in secunda etiam epistola fecisse constat: et quòd insuper eadem salutatione vtatur sæpe Apostolus Paulus, atque ad Thessalonicenses scribens, hæc dicat in fine[d]: Salutatio, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi cũ omnibus vobis. Amen.] quòdq. etiam Ioannes[e] eadem salutatione vtatur: plane significatur, Apostolorum exemplo in Ecclesiam introductum, vt in Apostolicis litteris gratia salutando impartiatur: nam Ignatius etiam in salutatione eodem vsus est charactere, & ceteri post eum Episcopi Antiocheni. Vnde Gregorius[f] Papa scribens ad Anastasium Episcopum Antiochenum, hæc ait in fine: Amen: Gratia. quæ videlicet verba de scriptis vestris accepta, idcirco in meis epistolis pono, vt de S. Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed & noster: sicut enim magistrum eius Apostolorum Principem habemus communem, ita quoque eiusdem Principis discipulum nullus habet priuatum.] in epistola enim Ignatij ad Ephesios eadem duo verba scripta reperiuntur, a ceteris autem excidisse putantur.

d 2. Thessal. c. vlt. in fin.
e 2. Ioan. 1.
f Greg. epist. 37. indict. 13.

XXVIII. GRATIA ET PAX IN SALVTATIONE.

Ex Apostolica igitur traditione & exemplo manauit, vt Romanus Pontifex Apostolicis litteris quempiam salutando, vna cum Apostolica benedictione gratiam impartiatur. Institutio hæc est quidem Apostolica: nam vsque ad Christi ascensionem, pacis tantum verbo aliquem salutare moris fuit, vt in antiquo[g] Testamento plura exempla suppetunt, & in[h] nouo de Christo, qui eodem pacis nomine salutare consueuit discipulos; quos, vt eodem etiam modo, cum in alienas domos introirent, in eis agentes salutarent, admonuit[i]. Perseuerauit vero idem vsus apud Iudæos, vt pacis nomine salutarent. Vnde Tertullianus[k]: Nam & hodie, inquit, Iudæi in pacis nomine appellant, & retro in scripturis sic salutabant.] Sed (vt idem auctor ait) eidem pacis nomine salutationi Apostoli & gratiam addiderunt, immo & præmiserunt: quòd videlicet tam sublimis gratiæ restitutæ per Christũ generationi humanæ annunciatores essent. Hactenus de Petri epistola; quam absque aliqua dubitatione, totius Catholicæ consensu Ecclesiæ semper receptam fuisse constat; quamq. a Marco Euangelista ex Hebræo fuisse translatam, affirmare videtur Hieronymus[l], dum postquam egit de Euangelio a Marco conscripto, sed a Petro accepto, hæc ait: Denique & duæ epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraq. verborũ. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum, diuersis eum vsum interpretibus.] Plane dum apud Petrum Marcus fuit, functum fuisse munere interpretis, omnes affirmant. Sed de interpretis munere agemus paulo inferius.

g Genes. 43. Iud. 6. & 19. 3. Reg. 25. 1. Paral. 12. Tob. 12.
h Luc. 2. 24. Ioan. 14. 20.
i Marc. 10. Luc. 10.
k Tertull. aduers. Marcion. lib. 5. c. 5.
l Hier. epist. 150. quæst. 11. ad Hedibiam.

XXIX. MARCI EVANGELIVM.

Marcus igitur, quem, quòd vnice eum diligeret, Petrus in dicta epistola filium suum appellat, hoc eodem anno, antequam Alexandriam proficisceretur, Euangelium scripsit: Sed qua ratione ad id agendum impulsus, & an Latinè vel Græce scripserit, a nobis est exquirendum: at quæ ad rationem temporis ac loci spectant, ex instituto ante omnia examinanda proponimus. Cum enim (vt nuper diximus) Eusebij[m] constet auctoritate, Marcum anno tertio Claudij, Olympiadis ducentesimæquintæ tertio anno, Christi vero quadragesimoquinto, Alexandriæ Euangelium annunciare cœpisse; eiusdemq. auctoris & aliorum testimonio liqueat, antequam Roma mitteretur Alexandriam, ipsum sacrum Euangelium conscripsisse: plane compellimur dicere, hoc ipso anno, post scriptam a Petro eam epistolam, Marcum id præstitisse.

m Eusebius in Chron.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cui quidem veritati Euthymius [a] & alij adstipulantur, qui tradiderunt, scriptum esse A
a Marco Euangelium post annum decimum a passione Christi. Vnus tantum ab his
discrepat Irenæus [b], dum ait, id factum a Marco post obitum Petri & Pauli Apostolo-
rum: cui sane omnes merito aduersantur: potissimum cum certum sit, Marcum Euan-
gelistam ante eosdem Apostolos martyrio esse defunctum, nimirum anno octauo Ne-
ronis; quod Hieronymus [c] & alij omnes testantur. Sicut autem in his quæ ad tempus
spectant, omnes ab Irenæo dissentiunt, ita etiam de loco scribendi omnes Chrysosto-
mo [d] contradicunt, qui ait, Marcum in Ægypto, rogantibus discipulis, scripsisse Euan-
gelium: cui in primis obijcimus Athanasium Alexandriæ & totius Ægypti Episcopum
diuersa plane ab eo scribentem: ipse enim in Synopsi ad Constantem Augustum hæc
scripta habet de Marci Euangelio Romæ edito: Euangelium secundum Marcum Ro-
mæ ab Apostolo Petro prædicatum est, editum vero a beato Marco Apostolo, & ab B
ipso Alexandriæ postea in Ægypto, & in Pentapoli, & in Libya prædicatum.] hæc
Athanasius, cui ceteri scriptores libenter assentiuntur; cum præsertim alij, qui longe ante
Athanasij tempora in Ecclesia floruerunt, id egregie testati sint, vt Papias, & Cle-
mens Alexandrinus, qui & causam simul eiusmodi ab eo susceptæ prouinciæ prodide-
runt, vt Eusebius [e] tradit his verbis, cũ agit de prædicatione Petri a Romanis susceptæ:
Tanta, inquit, pietatis lux eorũ mentibus, qui Petrum audiebant, affulsit, vt non eius
sermoni omnino auscultando, non doctrinæ diuinæ prædicationis minime scriptis pro-
ditæ attendendo contenti acquiescerent; sed a Marco Petri comite, cuius Euangelium
esse fertur, multis varijsq. precibus contenderent, vt monumentũ illud doctrinæ, quam
sermone & verbo illis tradidisset, etiam scriptis mandatum apud eos relinqueret. C
Nec prius hominem ab se dimittunt, quàm ipsorum postulatis obsecutus, opus absol-
uisset. Hanc igitur Euangelij secundum Marcum scribendi causam præcessisse memo-
rant. Cum ergo Petrus Apostolus, diuina Spiritus sancti reuelatione suggerente, intelli-
geret illud opus editum esse; ferunt eum propenso & alacri illorum hominum studio
magnopere fuisse delectatũ, hancq. scripturam auctoritate sua ratam fecisse, quo in ec-
clesijs passim perlegeretur. Clemens in sexto libro ὑποτυπώσεων, cui etiam testis accedit
Papias Hierapolitanus Episcopus, eamdem tradit historiam.] hæc Eusebius.

XXX. Sed quid insuper a Papia scriptum, quod & a Ioanne presbytero de Marci Euangelio
acceperat [f], ideni recenseat, audiamus. sunt hæc Papiæ verba ab Eusebio repetita: Il-
lud presbyter mihi dicebat: Marcus, qui fuit interpres Petri, quæcumque tenebat me-
moria, scripsit quidem accurate, sed tamen non eo ordine quo erant a Domino dicta,
factave. Neque enim Dominum audierat ille quidem, neque erat eum comitatus: sed D
postea (vt dixi) comes Petri fuit: qui quidem non Domini sermones & præcepta, ea
narrandi serie quam Dominus in illis tradendis tenuisset, dicebat: sed eam in prædican-
do rationem sequebatur, quam ad auditorum animos instituendos opportunã accom-
modatamq. censuit. Quare in eo neutiquam errauit Marcus, quòd quædam, sicut me-
moriæ ea ante mandauerat, litteris prodidit: quandoquidem hoc vnum mente & co-
gitatione sedulo prospexit, vt nec quicquam eorum quæ audiuisset, prætermitteret;
nec falsi aliquid ijsdem omnino interponeret. Ista quidẽ a Papia narrantur de Marco.]
hucusque Eusebius. prædicta itaque ratione, Marci nomine editum Euangelium cre-
didisse aliquos fuisse Petri, Tertullianus [g] & alij æque testantur. Intexamus & his Cle-
mentis [h] Alexandrini verba de eodem Marci Euangelio Romæ conscripto: Marcus,
inquit, Petri sectator, prædicante Petro Euangelium palam Romæ coram quibusdam E
Cæsarianis equitibus, & multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, vt pos-
sent, quæ dicebantur, memoriæ commendare; scripsit ex his quæ a Petro dicta sunt
Euangelium, quod secundum Marcum vocatur.] hæc ille: ijsdem consentientia Hie-
ronymus [i] tradit.

XXXI. Epiphanius [k] autem in his a Papia discrepat, quòd existimauit Marcum vnũ fuisse
ex septuagintaduobus discipulis. Ceterum Beda [l] Papiæ magis consentiens, ait Marcum
natione Hebræum, genere sacerdotali fuisse progenitum, vnumq. ex illis fuisse sacer-
dotibus, qui post Christi ascensionem crediderunt Domino; de quibus Lucas ait:
Multa turba sacerdotum obediebat fidei.] In reliquis Epiphanius consentiens his
quæ ad Marci Euangelium spectant, hæc ait: Post Matthæum secutus est Marcus, ius-
sus a sancto Petro Romæ Euangelium edere: et vbi scripsisset, mittitur a sancto Petro in

Ægyptio-

a Euthym. in præfat. super Matth.
b Irenæus lib. 3. cap. 1.
c Hier. de Script. Eccl. in Marco cap. 8.
d Chrysost. hom. 1. in Matth.
e Euseb. hist. lib. 2. c. 14.
QVAE RATIO MARCO SCRIBENDI EVANGELIVM.
f Euseb. hist. lib. 3. c. vlt.
ABEODEM MARCO INITA SCRIBENDI RATIO.
g Tertull. lib. 4. contra Marcion.
h Clem. in epist. Petri, habetur tom. 6. Bibliothec. sanct.
i Hier. de Scrip. Eccl. in Marco, & epist. 150. quæst. 11.
MARCVS II NVMERO LXXII. DISCIPVLORVM.
k Epiph. hæres 51.
l Beda 1 proœm. comment. super Marc.

A Ægyptiorum regionem. Hic autem vnus erat de septuagintaduobus dispersis ob ver-
bum quod dixerat Dominus: Nisi quis ederit carnem meam, & biberit meum sangui-
nem, non est me dignus: velut Euangelij verba legentibus clare indicatur. tamen per
Petrum reuocatus, dignus euadit impleri Spiritu sancto, & Euangelium tradere.]
hæc Epiphanius. Sed quod ait, Marcum fuisse ex numero septuagintaduorum disci-
pulorum, haud receptum videtur ab alijs; qui a Petro eum tradunt genitum in Euan-
gelio, nec vidisse Dominum. Id Hieronymus [a], id ipsum Theodoretus in præfatione
historiæ sanctorum Patrum, id denique omnes qui locum illum Petri primæ epistolæ
sunt interpretati, quo dicit: Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Mar-
cus filius meus.] Quòd vero Augustinus [b] de Marco dicat, fuisse breuiatorem Matthæi;
non ita accipiendum est, vt Euangelium a Matthæo editum Marcus redegerit in com-
B pendium; sed quòd multa, quæ a Matthæo essent fusius enarrata, Marcus secundum
quod a Petro accepisset, breuiori narratione contracta descripserit; cum alioqui ea quæ
a Petro prolixiori sermone, vt suam negationem, prolata audisset, vberius quàm Mat-
thæus, scriptis mandarit.

a Hier. in Isai. cap. 65. & de Script. Eccl. in Marco.
b Aug. de consens. Euang. c. 2.

Quòd vero tam Papias [c], quàm Irenæus [d], Hieronymus [e], ac denique recentiores XXXII.
Marcum Euangelistam dicunt fuisse interpretem Petri: quænam functio hæc esset, di- MARCVS INTERPRES PETRI.
ligentius sane perquirendum ac inuestigandum est. Adeo enim necessarium esse vide-
batur Apostolis interpretis ministeriũ, vt licet Petrus, amandato Marco Alexandriam,
ipso caruerit, tamen alium adhuc fuerit nactus interpretem, nempe Glauciam, vt au-
ctor est Clemens [f] Alexandrinus. Sane quidem apud Apostolum Paulum eodem fun-
ctum esse munere Titum, S. Hieronymus [g] tradit scribens ad Hedibiam: immo eius
C officio adeo Paulum opus habuisse, vt absentia Titi non modicum detrimentum eiuſ-
dem prædicationi attulerit, idem ipse ad Corinthios scribens his verbis testatur [h]:
Cum venissem Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset
in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem
meum: sed vale faciens eis, profectus sum in Macedoniam.] Hæc non alia causa acci-
disse putauit Hieronymus, nisi quòd sicut Petrus Marco, ita & Paulus Tito vteretur
interprete: in cuius aduentu se magnopere gauisum esse testatur, cum ait [i]: Sed qui
consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi.] Quæ autẽ (inquit Hie-
ronymus [k]) fuit tanta consolatio, & quæ requies spiritui in præsentia Titi: quem quia
non inuenit, vale faciens eis profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus, Apo-
stolum Paulum virum fuisse doctissimum, & eruditum ad pedes Gamalielis: cumq.
D haberet scientiam sanctarum Scripturarum, & sermonis diuersarumq. linguarum gra-
tiam possideret, vnde ipse gloriatur in Domino, & dicit [l], Gratias ago Deo meo, quòd
omnium vestrum linguis loquor: diuinorum sensuum maiestatem digno non poterat
Græci eloquij explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut & beatus
Petrus Marcum, cuius Euangelium, ipso narrante, & illo scribente, compositum est.]
hæc Hieronymus.

c Papias apud Euseb. vbi sup.
d Iren. lib. 3. c. 1.
e Hier. de Script. Eccl. in Marco.
f Clem. Alexan. Strom. lib. 7.
g Hier. epist. 150. quæst. 11.
h 2. Cor. 2.
i 2. Cor. 7.
k Hier. epist. 150. quæst. 11.
l 1. Cor. 13.

Sed quid? num qui, docente Spiritu sancto, linguas omnium didicerat gentium, XXXIII.
ad explicationem Græci sermonis indigebat interprete? cum præsertim constet Pau-
lum non tantum Hebraicis litteris, sed & Græcis fuisse excultum? nam cum opportu-
num sibi visum est, Græcos citasse auctores certum est. Sed non imus inficias, Hebræo
homini, quantumlibet Græcis litteris erudito, haud licuisse Græcam pronunciationem
E facile assequi: nam Iosephus [m] Iudæus, qui suos commentarios Græce conscripsit, qui
& plerosque Græcorũ in eo genere antecelluit, hæc de se ipso testatur: Græcanicæ quo-
que litteraturæ non sine profectu dedi operam: quamuis exquisitam pronunciandi ra-
tionem assequi per patriam consuetudinem non licuit. Nostri enim homines non susci-
piunt eos qui multas perdidicerunt linguas, quòd studium profanum apud eos habea-
tur, & seruis commune cum ingenuis: solos autem sapientes suo suffragio pronunciant,
qui legis & sacrarum litterarum tantam assecuti sunt peritiam, vt eas etiam interpreta-
ri valeant.] hæc Iosephus de vsu linguæ Græcorum.

m Ioseph. antiq. lib. 20. c. vlt. in fin.
DE INTERPRETIS MVNERE.

Nunc autem quod pertinet ad Apostolos: cum vna cum ceteris linguis & Græcam XXXIV.
fuerint diuinitus assecuti, Deiq. dona perfecta sint; eos nihilominus Græcam linguam INTERPRETATIO SERMONIS.
ea facilitate qua Hebræam pronunciasse, mihi facile persuadeo; nec ea de causa quem-
quam illorum indiguisse interprete iudico. Aliam ergo exquirere causam opus est,

Universidad de Deusto
Biblioteca

qua verius eos eguisse eiusmodi interpretibus cognoscatur. Adnumeratur inter charis- A
matum dona interpretatio etiam sermonum : nam Paulus [a] cum ea recenset , alijs
dari dicit prophetiam, alijs discretionem spirituum, alijs genera linguarum, alijs inter-
pretationem sermonum : quæ quidem tunc necessaria esse videbatur, cum quis linguis
locutus esset : quod idem Apostolus pluribus monstrat, scribens ad Corinthios [b], vt
cum ait : Maior est qui prophetat , quàm qui loquitur linguis : nisi forte interpretetur,
vt Ecclesia ædificationem accipiat.] et paulo post : Et ideo qui loquitur lingua, oret vt
interpretetur.] inutile enim fuisse loqui linguis sine interprete , multis admonet : vnde
& tacere iubet tales in Ecclesia , cum deesset interpres.

[a] 1. Cor. 12.
[b] 1. Cor. 14.

XXXV. DONVM LINGVARVM AD QVID DARETVR

Sed qualenam fuerit huiusmodi interpretis munus, assequi minime licet, nisi prius
quid fuerit loqui linguis , exacte intelligamus. Collatum a Deo linguarum donũ fuis-
se non tantum ad vtilitatem audientium, sed etiam in signum, demonstrat Paulus ; qui B
de se ipso eadem ex causa [c] : Gratias ago, inquit, Deo meo, quòd omnium vestrum lin-
gua loquor.] scriptum quippe apud Isaiam [d] fuisse testatur : Quoniam in alijs linguis,
& labijs alijs loquar populo huic .] vnde & subdit : Linguæ in signum sunt non Fideli-
bus , sed infidelibus.] Ceterum sicut alia miracula non semper , sed cum postularet ne-
cessitas, erant exhibenda ; ita & linguarum donum non temere ostentandũ : aliter lin-
guæ donum in signum infidelibus datum vt crederent, in ipsorum scandalum versum
esset : quod his verbis idem Paulus [e] significat, dicens : Si ergo conueniat vniuersa Ec-
clesia in vnum, & omnes linguis loquantur , intrent autem idiotæ , aut infideles : non
ne dicent : Quid insanitis ?] Rursum si quis Apostolorum, lingua illorum apud quos
concionaretur, vtputa , coram Romanis Latine , vel inter Græcos Græce loqueretur ; C
eiusmodi potius dicebatur prophetare, quàm loqui linguis ; idq. perinde erat, ac de re-
bus diuinis pro concione differere, omnibus audientibus . Nam secundum ea quæ tra-
dit Paulus , tunc quis loqui linguis dicebatur, cum ab his qui aderant , non intelligere-
tur ; prophetare vero , cũ omnes qui adessent , ea perciperent . vnde idem Paulus : Qui
enim loquitur lingua , non hominibus loquitur , sed Deo : nemo enim audit . Spiritus
autem loquitur mysteria . Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem ,
& exhortationẽ, &consolationem . Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat : qui au-
tem prophetat , Ecclesiam Dei ædificat.] Sic igitur loqui linguis , non erat tantum ex-
ternarum nationum vti sermone , sed & sublimia loqui mysteria , quæ non ab omni-
bus intelligerentur . vnde & Lucas [f] de his qui Spiritu sancto repleti fuerant,& lingua-
rum donum acceperant: Loquebantur, ait, varijs linguis Apostoli .] sed quid ? magna-
lia vtique Dei , profunda ,scilicet & arcana mysteria . Sic Paulus : Sapientiam , inquit, D
loquimur inter perfectos .]

[c] 1. Cor. 14.
[d] Isaiæ 28.
[e] 1. Cor. 14.
[f] Act. 2.

XXXVI.

Porro hac ex parte , linguæ non erant in signum infidelibus, qui non intelligentes
quæ dicerentur (vt idem ait Paulus) potius scandalizarentur, quàm ædificarentur : sed
illud potius , quòd Iudæi homines, vel alij ,qui linguarum dono essent imbuti , omni-
um gentium idiomate loquerentur . Sed sic loquentibus non erat opus interprete ,
cum proprio illorum quibus loquerentur, vterentur sermone : nisi (quod ait Theo-
doretus [g]) cum inter eos , vtputa , Græcos Græce concionarentur , alij rursus diuersa-
rum nationum essent in auditorio , qui Græcum ignorarent sermonem ; his tunc satis-
faciebat interpres . Verum tunc maior interpretum incumbebat necessitas, cum quæ
ab Apostolis dicta essent captu difficilia , interpretes elucidarent . Certe quidem quàm
sublimis esset Apostolicus sermo , vel ex his aliqua ex parte metiri licet ; quòd scriben- E
tes illi epistolas , licet ad hoc scriberent , vt quæ litteris mandarent, ab omnibus intel-
ligerentur , & opere perficerentur ; tamen multa in eis esse obscura , quæ non vno vel
altero , sed pluribus interpretibus eguerint , nemo non videt . Quid igitur accidisse pu-
tandum , cum linguis , hoc est , de Deo sublimia loquerentur ; cum id accideret, quan-
do humile genus dicendi ex industria affectarent ? nam de se Paulus [h] : Non potui vo-
bis loqui quasi spiritualibus , sed quasi carnalibus. Tamquam paruulis in Christo ,
lac vobis potum dedi, non escam : nondum enim poteratis ..] ac rursum [i] : Sed in
Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui , vt & alios instruam : quàm decem mil-
lia verborum in lingua.] Verum quantumlibet ipse Paulus ac ceteri Apostoli sic lo-
quendo , audientium vtilitati consulerent ; patiebantur tamen interdum diuina , cum
diuinus Spiritus eorum mentes attollens , sublimia per eos loqueretur . vnde & idem

[g] Theod. in epist. 1. ad Cor. c. 14.
[h] 1. Cor. 3.
[i] 1. Cor. 14.

APOSTOLICVS SERMO SVBLIMIS.

Paulus

A Paulus : Qui , inquit , loquitur lingua , non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim
audit . Spiritus autem loquitur mysteria .]

Ad hæc, neminem puto existimaturum , Apostolos , cũ gentibus prædicarent Euan- XXXVII.
gelium , alijs vsos fuisse linguis ab his quibus gentes illæ vterentur, quibus Dei verbum
annunciarent: inutilis enim & ostentantium res potius quàm Apostolorum visa fuisset:
quod vitio dat Paulus Corinthijs ; a quo etiã eos reuocare conatus est . hinc Theodore-
tus : Reprehendit , inquit, Apostolus illorum (*Corinthiorum scilicet*) gloriæ cupiditatem,
& deinde vsum docet . Id enim datum erat prædicatoribus propter diuersas hominum
voces ; vt qui ad Iudæos veniebant , illorum lingua vtentes , diuinam afferrent prædi-
cationem ; & cum Persis rursus differentes, & cum Scythis, Romanis, & Ægyptijs, sin-
gulorum vocibus vtentes, Euangelicam doctrinam prædicarent. Superuacaneum erat
B ergo ijs qui Corinthi differebant, vti voce Scytharum , vel Persarum, vel Ægyptiorum,
qui illos audire nequibant .] hæc ille . Quod igitur in alijs reprobatum est ab Apostolis,
ipsos factitasse , turpe est opinari . Sic ergo hac ex parte non fuit illis opus habere secum
interpretes , cum illorum ad quos profecti essent, vterentur sermone . Vnde (sicut dixi- MVNERA INTERPRETVM.
mus)duplici tantũ ex causa illis inseruiebãt interpretes: Vel cũ alicui genti ipsis loquen-
tibus, puta Romanis, in auditorio essent alij qui Latinum sermonem , quem illis loque-
rentur Apostoli , penitus ignorarent ; tunc enim officium desiderari videbatur inter-
pretis : Vel cum captu difficilia ijdem (vt diximus) Apostoli locuti fuissent, tunc erat in-
terpretis eadem explanare . His etiam addere possumus interpretationem Apostolica-
rum epistolarum : nam licet ad vnam vel aliam illæ darentur Ecclesiam , opera tamen
interpretũ communes omnibus reddebantur: vt dictum est nuper de Petri epistolis,quæ
C ex Hebræo a diuersis interpretibus in aliam linguam versæ,sparsæ sunt in Ecclesiam : vt
etiam dicere possumus de epistola Pauli ad Hebræos scripta Hebraice , a Barnaba , vel [a] Clemẽs Alex. in annot. in epist. Pet. in fi. to. 6. Bibl. san.
Luca (vt auctor est Clemens [a] Alexandrinus) Græce reddita . Sed de interpretibus hac-
tenus : ad Marcum iterum redeamus .

Cum omnium sententia constet Marcum Euangelium scripsisse Romæ dum esset: XXXVIII.
Græce ne , an vero Latine scripserit , dubitatum est a pluribus . Hieronymus [b] scribens [b] Hieron. epist. 125. MARCVS NVM GRAECE VEL LATINE SCRIPSERIT.
ad Damasum , eius potius videtur fuisse sententiæ , vt Marcus Græce scripserit , dum
ait : De nouo nunc loquor Testamento , quod Græcum esse , non dubium est , excepto
Apostolo Matthæo,qui primus in Iudæa Euangelium Christi Hebraicis litteris edidit.]
Id ipsum Augustinus [c] his verbis : Horum sane quatuor solus Matthæus Hebræo scri- [c] Aug. de consens. Euang. lib. 1. cap. 2.
psisse perhibetur eloquio , ceteri Græco .] Porro vetus liber de Romanis [d] Pontificibus, [d] To. 1. Concil. in Petr.
D qui fertur nomine Damasi , Marcum Latino sermone Euangelium suum scriptis man-
dasse , non obscure significat . Itemq. Græci [e] & Syri in eam procliuiores videntur fuisse [e] Not. Genebr. in Chron.
sententiam : neque aliud voluisse videtur Gregorius Nazianzenus [f] , dum ipsum Italis [f] Greg. Nazianzen. in carm. de quat. Euang.
scripsisse Euangelium testatur his versibus :

Marcus at Ausoniæ Christi miracula genti
Hæc memorat , Petri nixus sermone fideq.]

Suadet hoc ipsum & ea potissimum ratio, quòd Marcus cum esset (vt pluribus dixi- XXXIX.
mus)interpres Petri: si in gratiam Romanorum(quod habetur exploratissimum) Euan-
gelium scripsit ; quænam fuberat causa , vt Græce potius quàm Latine scriberet ? cum
præsertim Tiberij Imperatoris auctoritate [g] & exemplo eadem Græca lingua Romæ [g] Suet. in Tiber. cap. 71.
apud optimos iam exolesceret ; & Latina (vt satis superius narratum est) Græca post-
E posita , principem locum sibi in omnibus vendicaret : nam & Claudius Imperator , sub GRAECA LINGVA ROMAE VILESCIT.
quo a Marco scriptum est Euangelium , non tantum non permisit Romanis Græco ali-
quando loqui sermone ; sed & Græcum hominem , Latini prorsus sermonis ignarum,
Græce loquentem , magistratus abdicatione damnauit : quod Suetonius tradit his ver-
bis [h] : Splendidum virum, Græciæq. prouinciæ principem,verum Latini sermonis igna- [h] Suet. in Claudio cap. 16.
rum , non modo albo Iudicum erasit , sed etiam in peregrinitatem redegit : nec quem-
quam nisi sua voce , vtcumque quis posset,ac sine patrono rationem vitæ passus est red-
dere .] Hæc cum scribat Suetonius ; quænam, quæso, causa Marcum mouere potuit , vt
scribens non solum Romanis , sed Italis omnibus , Græce potius quàm Latine Euan-
gelium scriptum tradiderit ? Non igitur Marcus in Senatorum aliorumq. nobilium Ro-
manorum ciuium , qui Græcas litteras callerent , quos Græce loquentes pœnam sequi
cognosceret , neque etiam in imperiti vulgi gratiam illud Græce scripsisse potuit, penes

quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod Græcus sermo vilescebat, vsu meretricio infamatus. Vnde Iuuenalis [a]: A

a Iuuenalis Satyr. 10.

Nam quid rancidius, quàm quòd non se putat vlla
Formosam, nisi quæ de Thusca Græcula facta est:
De Sulmonensi mera Cecropis: omnia Græce:
Cum sit turpe magis nostris nescire Latine.
Hoc sermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effutiunt animi secreta. Quid vltra? &c.]

XL. Apud honestiores secus; qui etiam si Græce loqui vellent, vtplurimum nescirent: nam quid putandum de ceteris, si, qui Græcorum prouincijs præficerentur magistratus, Græce loqui nescirent? Certe quidem nec omnes ipsos Romanos, qui Græcorum prouincijs administrandis præficiebantur, calluisse Græcorum linguam, ea quæ scribit Philostratus [b] in Apollonio, satis declarant; qui ipsum hisce verbis allocutum esse B Vespasianum Imperatorem testatur: Nunc de ducibus aliquid restat dicere, qui ad populos gubernandos proficiscuntur, non sane de his quos ipse dedita opera mittis; his enim ex optimorum numero lectis magistratus dabis: sed de his loquor, qui sorte magistratus accepturi sunt: hos enim gentibus, ad quas gubernandas eos mittes, accommodatos esse dico oportere; quòd fors patitur, vt qui Græce sciunt, Græcis præsint; qui autem Romane loquuntur, his præsint qui eamdem locutionem habent. Cur autem id mihi in mentem venerit, explicabo. Dum in Peloponneso versarer, vir Græciæ præsidebat ignarus Græcæ linguæ: ita vt nec ipse Græcos, nec ipsum Græci loquentem vllatenus intelligerent. errabat igitur ipse plerumque, & in multis etiam fallebatur: socij namque, & iudiciorum ministri pecunia corrupti, peruerse causas iudicabant, calumnias in Præsidem velut in seruum referentes.] hæc ille: quæ recitasse non piguit, vt C ex his intelligamus, Græcorum linguam pene exoleuisse in Vrbe; cum qui prouincijs præficerentur Romani, eamdem discere non curarent. Ex his itaque perspicuum reddi potest, magis fuisse consentaneum, vt Marcus Romanis scripturus Euangelium, Romana lingua, non Græca vsus fuerit.

NOBILIORES LATINE POTIVS QVAM GRAECE LOQVEBANTVR

b Philostr. in Apollonio lib. 5.

XLI. Præterea si (quod dictum est superius, omnium fere antiquorum Patrum testificatione) Marcus ex Petri prædicatione quod excepit Euangelium scripsit: cum certum sit, Petrum Romanos homines nonnisi lingua Romana esse allocutum: quo modo esse potuit, vt quæ Latine dicta audiebat, Latinis scribens, Græce potius describeret: cum alioqui, etiam si Petrus alio idiomate, puta Græco vel Hebraico vsus esset, quòd ipse (vt dictum est) munere fungeretur interpretis, Latina illa reddere debuisset? Interpretis enim munus est, ea quæ peregrina lingua dicta sunt, in ipsorum linguam, quorum D gratia munus subijt, quàm facillime potest, reddere. Ad hæc insuper alia ratione prudens lector, qui Græcas litteras calleat, intelliget Marcum scripsisse Latine: nam si Græcum eiusdem Euangelij textum exacte disquirat, reperiet in eo esse nonnullas Græcas voces improprias, quas cognoscet ex Latino originali esse in Græcum semilatine translatas; quas singulas enumerare, non est præsentis vel instituti, vel otij, præsertim cum eas disertissimum virum Guiglielmum Sirletum Cardinalem Bibliothecarium adnotasse sciamus. His igitur prope necessarijs rationibus non solum suademur, sed obstricti ferme deuincimur, atque plane cogimur affirmare, Euangelium Marci ab eo Latine potius quàm Græce esse conscriptum. Fertur [c] traditione magis, quàm antiquorum certo testimonio, ipsum Marcum Euangelium suum, quod Romæ Latine scripserat, cum Aquileiæ moraretur, missus illuc a Petro ad eam erigendam Ecclesiam, in Græcum E transtulisse; ipsumq. originale Aquileiæ diutius asseruatum, Venetias demum esse translatum. Sed de Marci Euangelio satis.

MARCI EVANGELIVM E LATINO IN GRAECVM TRANSLATVM.

c Petr. Episc. Aquil. in catal. lib. 4. cap. 86.

XLII. De Marco rursum illud etiam quæritur: num hic, qui Euangelium scripsit, idem sit cum eo qui a Luca [d] dicitur filius Mariæ, Ioannes nominatus, cognomento Marcus, apud quem Hierosolymis Ecclesia colligebatur: ac etiam num ille Marcus, qui a Paulo [e] Apostolo consobrinus Barnabæ est appellatus, vnus idemq. sit cum altero eorum: de hoc enim Paulus scribens ad Colossenses, hæc ait: Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ.] quorum nominum expressione, atque distinctione, redarguitur Nouatoris insciti a, qui legens eumdem Paulum ad Philemonem hæc scribentem, Salutat te Marcus, Aristarchus, Demas, & Lucas] ille, expuncto commate inter Marcum & Aristarchum posito, Marcum alium quempiam introduxit cognomento

d Act. 12.
e Coloss. 4.

MARCI PLVRES.

A gnomento Aristarchũ. Item quæritur, an alium præter nominatos sit reperire Marcum.

Ad has perplexas de Marci nomine ambiguitates tollendas, illud primum disquirendum nobis est, num Ioannes cognomento Marcus idem sit cum illo qui dictus est Marcus consobrinus Barnabæ. Vnum quidem eumdemq. fuisse Ioannem Marcum, & Ioannem consobrinum Barnabæ, satis Lucas persuadet, dum ait [a], Ioannem adhæsisse Paulo & Barnabæ, cum illi Antiochiæ accepissent Apostolatum; illumq. esse cognominatum Marcum, idem Lucas [b] inferius docet: Cuius occasione, quòd semel recessisset ab eis, & Paulus illum amplius recipere noluisset, orta dissensione inter eos, Barnabas (sic dispensante Spiritu sancto) cum relicto Paulo Marcum assumpserit, eumdemq. in patrium solum Cyprum secum perduxerit; euidens est coniectura, eumdem Marcum Barnabæ consobrinum fuisse. Hæc ex diuinis Scripturis in hunc modum testata, Alexander [c] Græcus auctor, qui Acta Barnabæ est prosecutus, confirmat; qui & sanguinis B coniunctionem inter ipsos intercedentem recenser.

a Act. 13.
b Act. 15.

DE MARCO CONSOBRINO BARNABAE.

c Apud Metaph. die 11. Iunij.

Ex his plane erroris redarguitur Dorotheus, qui in sua Synopsi quamplurima consarcinauit mendacia, dum distinguens Marcum consobrinum Barnabæ a Ioanne cognomento Marco, illum quidem Ecclesiæ Apollonidis, hunc vero Byblidis præpositum dicit Episcopum. Ex ijsdem igitur (quod obseruatione dignum est) & illud compertum habetur, eumdem Ioannem cognomento Marcum a Paulo aliquando reiectum, ab eodem iterum postea fuisse susceptum; eumdemq. vna cum Paulo in prædicatione Euangelij egregiam nauasse operam, id Paulo attestante; cum ad Colossenses scribens hæc ait [d]: Salutat vos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus consobrinus Barnabæ, de C li quo accepistis mandata, & Iesus, qui dicitur Iustus: qui sunt ex circumcisione: hi solum adiutores mei in regno Dei, qui mihi fuerunt solatio.] hæc Paulus, Romæ dum esset. Accersiuerat illum Paulus, scriptis item Romæ litteris ad Timotheum his verbis [e]: Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in ministerio.] Ad Philemonem item [f] Roma scribens, eumdem Marcum, vna cum ceteris, adiutorem suum appellat.

XLIII.

XLIV.

MARCVS ITERVM SECVTVS PAVLVM.

d Coloss. 4.
e 2. Tim. 4.
f Ad Philem. in fin.

His igitur in hunc modum perspicue elucidatis, ea remanet dubitatio inuestiganda, an idẽ Ioannes cognomento Marcus consobrinus Barnabæ, vnus idemq. sit cum Marco, qui Romam proficiscentem Petrum secutus, Euangelium scripsit, quem Petrus filium suum appellat. Equidem qui in his peruestigandis non habuerint exactam in primis temporum ac rerum gestarum rationem, errore labi, licet inuiti, coguntur. Nam Hieronymus in commentario in Pauli epistolam ad Philemonem, vbi de dicto Marco D fit mentio: Marcum, inquit, ponit, quem puto Euangelij conditorem.] affirmat hoc ipsum idem qui supra Alexander in Actis Barnabæ, Nicephorus [g], & si qui alij recentiores. Ceterum cum hoc ipso tempore, quo Marcus Euangelista Romæ agebat, & inde Alexandriam concessit, & in prædicatione Euangelij in Ægypto diutius est commoratus, quin (quod ait Athanasius [h]) & in Libya & Pentapoli Euangelium prædicauit: eodem, quinimmo hoc ipso, vel saltem superiori anno (vt paulo inferius demonstrabimus) Ioannes ille cognomento Marcus Hierosolymis [i] Paulo & Barnabæ adhæserit; eosdemq. ad prædicationem Euangelij postea secutus fuerit; indeq. Barnaba a Paulo diuiso, Hierosolymam primo, ac inde Cyprum petierit, ac demum (vt dictum est) ad Paulum redierit: plane constat, ex temporum, locorum, ac rerum diuersitate, eosdem inter se esse distinctos. Nouerunt hoc ipsum & maiores: Basilius [k] enim, eo tempore quo E Paulus Romæ agebat, quocum (vt diximus) aderat Marcus consobrinus Barnabæ, Marcum Euangelistam Alexandrinam Ecclesiam excoluisse testatur. Apud Isidorum [l] quoque, diuersum esse Marcum Euangelistam a Ioanne qui cognominatus est Marcus, legimus. Ex his igitur corrigendi sunt, qui dixerunt Marcum Euangelistam illum esse, qui filius Mariæ Ioannes dictus, Marcus cognomento est appellatus.

MARCVS EVANGELISTA DIVERSVS A CONSOBRINO BARNABAE.

g Niceph. lib. 2. cap. 15.
h Athanas. in Synopsi.
i Act. 12. & 13.
k Basil. aduers. Eunom. lib. 5.
l Isid. de vit. & obitu sanct.

Rursus de eodem Marco idem qui supra Alexander [m] reperitur errasse, cum eum annis tantum nouem Alexandriæ sedisse testatur: nam secundum Eusebij Chronicon, ab hoc anno quo Alexandriam perrexisse ait, vsque ad octauum annũ Neronis, quo martyrio occubuit, non nouem, sed decem & nouem interiacent anni. Sed & illa ore vulgi potius decantata, quàm maiorum auctoritate asserta fabella reijcitur, qua dicitur, Marcum adeo repugnasse ne Episcopus fieret, quantumlibet esset rogatus a Petro, vt ea de causa pollicem sibi ipse præsciderit: hoc etenim, quod a quodam anachoreta factum esse con-

XLVI.

m Apud Metaphrast. die 11. Iunij.

DE MARCO COMMENTVM REFELLITVR.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse constat, Marco Euangelistæ imprudenter nimis adscribitur. Nicephorus[a] etiam haud recipitur, dum eumdem Marcum Euangelistam, quem Petrus (vt vidimus) nominat filium, prognatum dicit ex Petri sorore: haud enim assentiri possumus istæc absque aliqua antiquorum testificatione asserentibus. Quod spectat ad Ecclesiam in Ægypto a Marco collectam, de ea agemus inferius pluribus. Illud in præsentiarum præterisse non liceat; Alexandrinam Ecclesiam ea etiam de causa primum locum post Romanam obtinuisse, quòd Marcus eamdem Petri nomine id statuentis erexit; quod Gelasius testatur his verbis[b]: Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco eius discipulo & Euangelista consecrata est: ipse enim a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & martyrium consummauit.] hæc Gelasius. Ac de Marco hactenus.

[a] *Nicephor. lib. 2. cap. 43.*

[b] *Gelasius in decret. de lib. apocryph.*

A

XLVII. FVNDATIONE ROMANAE ECCLESIAE IDOLOLATRIA DECRESCIT.

Quod ad res profanas attinet; consideratione quidem dignum existimanus, quòd hoc ipso anno, quo Romanam Ecclesiam a Petro erectam fuisse monstrauimus, multa a Claudio Imperatore, nonnisi impellente numine, facta esse noscuntur aduersus Gentilium superstitionem: nimirum abrogata fuisse complura sacrificia atque festa in venerationem deorum solita celebrari. testatur id Dio[c] his verbis: Post hæc Claudius tertium Consul multa sacrificia, multasq. ferias abrogauit: nam maior anni pars in his absumebatur, non sine magno Reipubl. detrimento. Igitur eas, & reliqua omnia quæ poterat, contraxit.] hucusque Dio. Hæc licet ille alia ex causa, quam animo concepisset, fecisse credatur: nihilominus Deo impellente illud videtur opus aggressus, quod Petrus consummaturus in Vrbem aduenerat. Videas itaque, nonnisi nutu diuino quodammodo accidisse præsagium, vt cum primum Christiana fides a Petro Romæ plantata coalescere cœpit, idololatria decrescere atque minui inciperet: accidisseq. vt sicut olim apud Philistæos, cum in templo Dagon Arca fœderis est collocata, idolum suam imbecillitatem cadendo monstrauit; ita etiam Ecclesia Romæ fundata, mox suorum rituum superstitiosa impietas iacturam pati ibi cœperit.

[c] *Dio lib. 60.*

B

C

XLVIII. CAII OMNES ABOLITAE IMAGINES.

Rursus hoc eodem anno illud idem auctor accidisse testatur: quòd cum antea, mandato Imperatoris, omnia Caij simulacra sublata fuissent; sancito nunc edicto, quæcumque numismata viderentur eiusdem Caij effigie consignata, conflari sunt iussa, quorum materiam Messalina Augusta in statuam Mnestei histrionis transfundi præcepit. Diuinum plane atque æqua lance pensatum iudicium: nimirum, vt, qui suam statuam titulo Iouis ære conflatam in templum Dei inferre parasset, ipse in cunctis suis imaginibus infame dispendium pateretur. Quantumlibet enim Iudæi ob necem Christo illatam grauiora pati commeruissent; tamen quoniam in Dei Hebræorum contumeliam Caius ea parabat, digna sententia præsumptum eius facinus punitum fuit.

D

IESV CHRISTI ANNVS 46. — PETRI ANNVS 2. — CLAVDII IMP. ANNVS 4.

I. PETRVS MITTIT IN PROVINCIAS DISCIPVLOS.

ANno, qui sequitur, a Christo nato quadragesimosexto, C. Crispino secundum & T. Statilio Tauro Consulibus, stabilita iam sede Romana, Petrus Apostolus, cui vniuersi gregis cura a Domino commissa erat, ad ceteras Occidentalis orbis partes admouens oculos, vt apud omnes prædicatio Euangelica illucesceret, discipulos, quos habebat, in diuersas prouincias amandauit. Velut enim a Sole radij, & e fonte riui, a sede Petri longe lateq. fides Christiana diffusa, vbique est feliciter propagata: quod Innocentius[d] Papa ad Decentium scribens his verbis significat: Quis enim nesciat, aut non aduertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc vsque custoditur, ab omnibus debere seruari; nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum? præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, insulasq. interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes? Aut legunt, si in his prouincijs alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse? Quod si non legunt, quia nusquam inuenitur; oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, a qua

[d] *Innoc. epist. 1.*

E

eos

A eos principium accepisse, non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus studeant, caput institutionum videantur omittere.] hæc Innocentius.

II. DISCIPVLI MISSI A PETRO.

Quinam vero fuerint, qui diuersis temporibus ad diuersas instituendas Ecclesias a Petro sunt missi discipuli, & ordinati Episcopi: licet scriptorum inopia obscurum pene remanserit; aliquot tamen, quos recensitos inuenimus, hic enumerasse voluimus. Habuit[a] a Petro institutos Episcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum; Capua Priscum; Neapolis Aspren, aliter Asprenatem; Tarracina Epaphroditum; Equicolæ populi Marcum, alium tamen ab Euangelista; Ptolemæum Nepe; Romulum Fesulæ; Paulinum Luca; Rauenna Apollinarem; Verona Euprepium; Patauium Prosdocimum; Ticinum Syrum; Aquileia post Marcum, Hermagoram; in Gallijs Lemouicenses, Tholosani, & Burdegalenses Martialem; Tungrenses, Colonienses, & Treuerenses Maternum, necnon Valerium; Rhemenses Sixtum; Arelatenses Trophimum; Senonenses Sabinianum; Cenomanenses Iulianum; Vienna & Maguntia Crescentem; Catalaunum Memmium; Bituricenses Vrsinum; Aruernenses Austremonium; Sanctonenses Eutropium; Germania Eucharium, Egistum, & Marcianum; Hispania Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indaletium, Cæcilium, Hesychium, Euphratium, & alios. In Britannia etiam Petri opera Euangelium penetrasse tradunt, haud mirum: ea enim insula anno superiori a Claudio subiugata, ad prædicationem Euangelij patuit aditus. Multa his scimus addenda fuisse de compluribus alijs, qui a Petro missi dicuntur discipuli: sed temperantius agimus, consultius existimantes ex multis pauca referre, quàm multa incerta, ac nobis non satis explorata coaceruare. Quantum vero temporis Petrus Romæ permanserit, receptior ea videtur esse sententia, vt vsque ad nonum Claudij annum, quo eius edicto Iudæi Roma sunt pulsi, ibi prædicans Euangelium, egerit. Sed de his suo loco fusius agemus inferius.

[a] *De his omnibus diximus in Not. ad Roman. Martyrolog.*

B

C

III. DE INTERITV AGRIPPAE REGIS.

Hoc eodem anno quarto Claudij inchoato, Agrippa Rex Iudæorum (vt Iosephus[b] testatur) cum egisset sui regni annum septimum, quorum quatuor sub Gaio, tribus vero sub Claudio regnauit, miserando interitu vita functus est: cuius obitum Lucas[c] mox post necem Iacobi, & carcerem Petri, recensuit, vt Dei vindictam aduersus eum in vltionem admissorum facinorum declararet. Sic ergo rem gestam breui compendio perstringens, ait: Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat, Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo: et consumptus a vermibus, expirauit.] hæc Lucas. Iosephus vero rem gestam pluribus prosecutus[d], sic ait: Agrippa Matthiæ adempto pontificatu, successorem dedit Elioneum Cithæi filium. Iamq. tertium Iudææ totius regni (*a Claudio enim integrum acceperat*) annum exegerat, cum peruenit in vrbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est: vbi solemnes ludos celebrauit pro salute Cæsaris: ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat ex tota prouincia.

[b] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 7.*

[c] *Act. 12.*

[d] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 7.*

D

IV. AGRIPPA VT DEVS COLITVR.

Eius celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radijs orientis Solis perculsa, & diuinum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum honore incutiebat spectantibus: moxq. adulatores pernicioſi alij aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes vt faueret propitius: hactenus enim vt hominem reueritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius. Hanc impiã adulationẽ nec ille castigauit, nec repulit: pauloq. post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxq. vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordijs indoluit. secuta sunt ventris tormina statim a principio vehementia. Conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit, ego ille vestra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium: et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cælestis numinis: neque enim male viximus, immo tanta felicitate, vt omnes me beatum prædicent. Hæc locutus, crescente dolore, discruciabatur.

E

V. DIVINA VLTIO IN AGRIPPAM.

Propere igitur relato in regiam, rumor sparsus est, breui esse moriturum: quamobrem confestim totus populus vna cum vxoribus atque liberis saccum indutus, more patrio, supplicabat Deo pro salute Regis, omnia miscens lamentis & eiulatibus. Rex autem in celsiore decumbens cubiculo, & in faciem stratos humi prospiciens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciens, non temperabat sibi a lacrymis. Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente confectus, vitam finiuit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium. Quatuor enim annos sub Caio Cæsare obtinuit regnum; primum in Philippi tetrarchia per triennium, cui quarto demum anno accessit & Herodis tetrarchia: tribus deinde annis sub Claudio Cæsare præter iam dictã ditionem, in Iudæa quoque regnauit & Samaria, simulq. Cæsarea.] et paulo post: Superstites autem ei fuerunt filius quidem vnus Agrippa, annum agens decimumseptimum; filiæ vero tres: ex quibus Berenice nupta erat Herodi patruo, nata annos sexdecim: reliquæ duæ tum etiam virgines erant, Mariamne, & Drusilla: hæc septennis a patre desponsata Iulio Archelao Chelciæ filio, illa decennis Epiphani filio Comagenorum Regis Antiochi.]

VI. Sed antequam cetera prosequamur, quæ contigerunt post mortem Agrippæ; de ipsius moribus, & obseruantia rerum Iudaicarum, hæc quæ idem Iosephus enarrat, audiamus: sic enim ait: Agrippa mitissimo fuit ingenio, in exteros omnes æque beneficus, liberalis, & humanus, in suæ gentis homines benignus, & promptus ad adiuuandos præ ceteris in necessitatibus: quapropter libenter & continue degebat Hierosolymis, institutorum ac rituum patriæ seruator religiosissimus: purus enim erat a contaminamentis omnibus, nec vlla dies ei præteribat absque sacrificio. Accidit aliquando, vt quidã Hierosolymita legis peritus, nomine Simon, aduocata concione per Regis absentiã agentis tum Cæsareæ, criminaretur illum vt impurum, & arcendum templi aditu, quòd nonnisi dignis pateat. Id vbi Præfectus vrbis illi significauit per litteras, confestim accersiuit hominem: a quo fortuna repertus in theatro, assidere sibi eum iussit: moxq. sedata voce, ac placide, Dic mihi, inquit, quid tibi non probetur ex his quæ facimus? Qui cum nihil haberet quod diceret, precatus est veniam. Tunc Rex, citius quàm quisquam opinaretur, reconciliatus est, clementiam magis quàm iram decere Reges existimans, & lenitatem magis, quàm celsitudinem: itaque dimisit eum non sine munere.] hæc de Agrippæ moribus Iosephus: qui ea quæ post ipsius interitum acciderunt, enarrare pergit in hunc modum:

AGRIPPAE REGIS MORES.

VII. Postquam autem cognitum est excesisse Agrippam, Cæsarienses & Sebasteni (*sunt hi Samaritani*) beneficiorum eius obliti, pessimam ei retulerunt gratiam, conuicia non dicenda iactantes in defunctum. Militum quoque vulgus, qui tum forte aderant, protractas e palatio filiarum statuas vnanimiter detulerunt in lupanaria, eisq. (vt poterant) illudebant modis, quos turpe sit eloqui: instructisq. per loca publica epulis, conuiuia celebrabant coronis redimiti, & delibuti vnguentis, libantes interim Charonti, & sibi inuicem propinantes præ gaudio quod ex obitu Regis conceperant.] et paulo post: Filius porro defuncti Agrippæ Romæ erat eo tempore, educabaturq. apud Claudium Cæsarem: qui audito Agrippæ obitu, & contumelijs quibus eum Cæsarienses ac Sebasteni post mortem affecerant, illius quidem causa indoluit, ingratis autem populis vehementer iratus est. Confestim igitur voluit successorem paterni regni Agrippam iuniorem mittere, simul vt iureiurando satisfaceret. Sed liberti & amici, qui multum apud eum poterant, dissuaserunt, negantes tutum admodum adolescenti & vixdum egresso pueritiam tantum regnum committere, cui administrando sit impar, quod viriles etiam posset grauare humeros.

IGNOMINIA AFFECTAE AGRIPPAE FILIAE.

VIII. Cumq. visi essent æquũ dicere, Cæsar Præsidem Iudææ totiusq. regni misit Cuspium Fadum, defuncto hoc honoris tribuens, ne Marsum Syriæ Præsidem inimicum in regnum eius induceret. Ante omnia autem Fado iniunxit, vt Cæsarienses & Sebastenos acriter castigaret, propter inflictam mortuo iniuriam, contumeliasq. illatas adhuc iuuenibus: Alam vero Cæsariensium & Sebastenorum cum quinque illis cohortibus ablegaret in Pontum illic militaturas: militesq. e Romanis legionibus Syriam tuentibus delectos in eorum locum substitueret. Nec tamen ei iussioni satisfactum est: missa enim legatione, flexerunt Claudiũ, vt manere eos in Iudæa permitteret: qui sequentibus temporibus maximarum calamitatum Iudæis fuerunt initium, & seminarium belli exorti, Floro Præside: quamobrem Vespasianus victor (vt paulo post dicetur) eos ex illa regione alio transtulit.] hæc Iosephus [a]; additq. in locum Vibij Marsi Syriæ Præsidis subrogatum fuisse Cassium Longinum.

PRAESIDES SYRIAE.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 20. c. 1.*

IX. Ceterum Agrippæ defuncti Regis frater Herodes Rex Chalcidis, ius in templum, quod

A quod olim suo germano concessum fuerat, a Claudio obtinuit: quod idem auctor testatur his verbis: Eodem tempore & Herodes Dynasta Chalcidis, defuncti Agrippæ frater, petijt a Cæsare potestatem in templum & sacrum ærarium, iusq. eligendorum summorum Pontificum: impetrauitq. hæc omnia, ita vt etiam posteris eius idem ius manserit vsque ad belli Iudaici exitum. Ipse vero Herodes, Canthara in ordinem redacto, Iosepho Canæi summum pontificatum contulit.] hæc Iosephus; licet mirum in modum confundat ordinem temporum, qui hæc de Herode referat ante annum quinti Consulatus Claudij, qui fuit eius Imperij annus decimus; itemq. ante famem illam toto Orbe grassatam, quæ (vt vidimus) anno secundo Claudij accidit, facta esse ponat. Quamobrem cum auctorem in his quæ temporis sunt, sibi ipsi minus constantem, sed valde contradicentem sequi non liceat; quod coniectura suadet,

IVS IN TEMPLVM HERODES OBTINET.

B amplectimur.

X. Quòd enim morte Agrippæ Regis extinctum simul esset cum illo priuilegium de iure templi, nec in Agrippam iuniorem illud esset collatum; Herodem haud diu post fratris obitum illud a Claudio impetrasse putamus. Rursus vero in successione Iudæorum Pontificum idem sibi ipsi Iosephus contraria scribere plane conuincitur, dum Agrippam Regem, antequam moreretur, Matthiam, qui Simoni Cantharæ fuerat subrogatus, in ordinem redegisse testatur [a], inq. locum eius substituisse Elioneum Cithæi filium: paulo post [b] vero ab Herode Agrippæ fratre in locum Cantharæ ab ipso priuati suffectum esse Iosephum tradit, nulla de Elioneo habita mentione; cum tamen Cantharam constet ante Matthiam pontificatum gessisse. Sed hæc satis de Iudaicarum rerum præsentis anni statu.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 19. c. vlt.*
[b] *Ioseph. antiq. lib. 20. c. 1. in fine.*

C XI. Dum hæc agerentur in Iudæa, Paulus & Barnabas, qui (vt diximus) anno superiori solemni ritu ad prædicationem Euangelij Apostolatum acceperant, cum assumpto secum Ioanne, qui cognominatus est Marcus, peragrassent Seleuciã, atque inde Cyprum nauigassent, ac venissent Salaminam, vniuersamq. demum insulam perambulassent; Paphum denique venientes, Sergium Paulum Proconsulem nacti, ad fidem Christi conuertunt. Cum autem hic dicatur Proconsul; & auctore Strabone [c], & alijs, exploratum habeatur, Cyprum non proconsularem, sed prætoriam factam esse prouinciam: cur a Luca Sergius Paulus non Prætor, sed Proconsul nominetur, ea videtur esse ratio, quòd eadem prætoria prouincia sæpe honoris causa data est administranda Ciliciæ Proconsuli, vt inter alios Publio Lentulo [d]: quod non illi tantum, sed & successoribus æque esse concessum, par est credere; nam nullibi me legisse memini aliquem insu-

[c] *Strab. lib. 14. in fine.*
[d] *Sigon. collegit lib. 1. de antiq. iur. prouin. c. 14.*

D læ Cypri Prætorem. Sic igitur Sergium Paulum Proconsulem nominatum esse putamus, quòd etiam Ciliciam proconsularem prouinciam administraret. Cum vero sui natura esset per se distincta prouincia, eademq. prætoria dicta, nec alteri cuipiam subiecta: ex eo etiam æque factum est a Patribus, vt Cypri [e] Ecclesia sub nulla alia metropoli censeretur, neque sub Tarsensi Ciliciæ, neque sub Antiochena Syriæ, vel alijs: licet Petrus Fullo hæresiarcha Episcopus Antiochenus eam Antiochenæ Ecclesiæ subijcere conatus sit, nulla alia ratione, nisi quòd Euangelium accepisset ab his qui Antiochiæ fuerant ordinati, Paulo & Barnaba: sed frustratus est suo conatu, vt suo loco dicemus.

[e] *Alex. in Barnaba apud Metaphras. die 11. Iunij.*

Quod ad conuersionem Proconsulis spectat, quam attigimus; plenius Lucas [f] his enarrat verbis: Cum perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum, inuene-

XII.

[f] *Act. 13.*

E runt quendam virum magum pseudoprophetam, Iudæum, cui nomen erat Barieu, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbũ Dei: resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere Proconsulem a fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas? et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns Solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ; & circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini.] hactenus de his Lucas. Tantum autem abfuit vt Elymas magus cæcitate percussus aliquando resipuerit, vt magis ac magis in Euangelicam doctrinam insaniens (quod testatur Dionysius [g]) librum ediderit aduersus Pauli prædicationem & Christi fidem.

DE ELYMA MAGO.

[g] *Dionys. de diuin. nom. c. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cetera autem quæ de prædicatione Pauli & Barnabæ scribit Lucas vsque ad Concilium Hierosolymitanum, quod anno nono Claudij esse celebratum monstrabimus: cum, quo potissimum anno singula sint facta, certa assertione affirmari non possit; ea quam coniectura demonstrat, vtentes ratione, quod singulis annis gestum putamus, quantum fas est ordine temporum prosequemur. A

XIII. A Papho[a] igitur nauigantes Paulus & Barnabas, Pergen Pamphiliæ venerunt: Ioannes vero, qui eos sequebatur Antiochia, Hierosolymam est reuersus. Inde vero Antiochiam Pisidiæ peruenerunt: vbi ingressi synagogam die sabbati, quo conuentus Iudæorum fieri consueuit, rogantur ab his qui synagogæ præerant, si haberent exhortatorium sermonem, illum dicerent coram populo. Eiusmodi quoque consuetudo, vt peregrini Episcopi ad concionandum inuitarentur ab eius ciuitatis, ad quam venissent, Episcopo, diu permansit in Ecclesia, immo & canone[b] legitur stabilita. Vnde de ea re conquestus est Gregorius[c] Nyssenus, quòd ab Helladio Episcopo Cæsarienſi ad id agendum non fuerit inuitatus. Sic inuenies obseruatum[d] apud Ambrosium, sic Alexandriæ[e] a Cyrillo eius sedis Episcopo. Ex quibus authentica probantur, quæ in apocryphis apud[f] Clementem leguntur in hæc verba, de Episcopo peregrino dum agitur: Si Episcopus vna cum Episcopo sedeat, eumdem ab illo obtinens honorem; rogabisq. eum, o Episcope, vt sermones habeat apud populum ad docendum accommodatos (peregrinorum enim exhortatio & admonitio valde accepta & vehementer vtilis esse consueuit: Nullus enim propheta, inquit, acceptus est in patria sua) permittes enim ei Eucharistiam offerre: coges eum, vt vel populo benedicat.] hæc ibi. Inde est etiam quod habet[g] Eusebius, S. Polycarpum Smyrnæ Episcopum, Romam sub Aniceto Pontifice venientem, ab eo inuitatum, vt sacrificium sacræ Eucharistiæ offerret. Sed reliqua videamus. B C

PEREGRINI EPISCOPI INVITARI SOLITI AD CONCIONANDVM.

a Act. 13.
b Concil. Carthag. 4. c. 36.
c Greg. Nyss. ad Amphiloch.
d Ambr. ser. 48. veter. edit.
e Cyril. hom. 7. & 8.
f Clemen. Const. lib. 2. c. 62.
g Euseb. hist. lib. 5. c. 24.

XIV. Concionatus ergo Paulus in synagoga, multos Iudæorum ad fidem Christi perduxit: inuitatusq. in sequens sabbatum de ijsdem iterum verba facere, cum id præstitisset, & coram frequentissimo vniuersæ ciuitatis populo peroraſſet; inuidentes Iudæi quòd Gentibus aditus pateret ad fidem, grauissimas turbas in Apostolos concitarunt. Tunc Paulus & Barnabas hæc contestati coram ipsis dixerunt: Vobis oportebat quidem primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes, sicut præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Audientes autem Gentes, gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.] Subdit de Iudæis, qui aduersus Apostolos concitarunt mulieres religiosas, & primos ciuitatis, qui eiecerunt eos extra fines suos: Quare exeuntes (secundum præceptum Domini[h]) excussserunt puluerem de pedibus suis in testimonium contra illos. Non enim id tantum faciendum aduersus illos qui eos non reciperent, admonuerat Dominus, sed & ritum quemdam, quo agendum esset, præscripserat; vt idem Lucas, qui hæc scripsit, ex verbis Domini recensuit, sic dicentis[i]: Si non susceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem, qui adhæsit nobis de ciuitate vestra, extersimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquauit regnum Dei.] D

PAVLVS CONTESTATVS IVDAEOS TRANSIT AD GENTES

h Matth. 10. Marc. 6. Luc. 10.
i Luc. 10.

XV. Consueuerant Iudæi, maledictionem aliquam imprecando, in aerem puluerem spargere, vel e se excutere. Est de hoc exemplum in primis apud Esdram[k], vbi hæc leguntur: Insuper excussi sinum meum, & dixi: Sic excutiat Dominus omnem virum qui non compleuerit verbum istud de domo sua, & de laboribus suis sic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit vniuersa multitudo: Amen.] et in ipsis Actis[l] Apostolorum de Iudæis in Paulum clamantibus, & execrantibus, hæc leguntur: Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aerem, &c.] Quid vero significet puluerem de pedibus excutere; cum multæ afferantur causæ, relinquimus interpretibus pertractandum. Nos Actorum historiam prosequentes, & Pauli & Barnabæ itinera relegentes, quid Iconij, quæ Lycaoniæ est ciuitas, quo Antiochia pulsi venerunt, sint passi, in annum sequentem, quem aggredimur, quia tunc ea contigisse putamus, reijcimus. E

k 2. Esdr. 5.
l Act. 22.

SEquenti anno Domini quadragesimoseptimo, Coss.[a] M. Vinucio secundum & T. Statilio Coruino, auspicante Claudio iam quintum sui Imperij annum, Paulus & Barnabas pulsi (vt dictum est) Antiochia Pisidiæ, venientes Iconium Lycaoniæ ciuitatem, quid illic egerint, Lucas summatim prosecutus, & multa præteriens, hæc tantum ait[b]: Factum est autem Iconij, vt simul introirent synagogam Iudæorum, & loquerentur, ita vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Qui vero incredduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt & ad iracundiam concitauerunt animas Gentium aduersus fratres. Multo igitur tempore remorati sunt fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Diuisa est autem multitudo ciuitatis: et quidam erant cum Iudæis, quidam vero cum Apostolis. Cum autem factus esset impetus Gentilium & Iudæorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent, & lapidarent eos, intelligentes confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ Lystram & Derben.] hæc Lucas de rebus a Paulo & Barnaba gestis Iconij: qui cum multo tempore eos ibi moratos esse, & in diuersa studia ciues fuisse diuisos testetur, adeo vt omnia vbique turbis plena essent; haud dubium rem attentius consideranti esse potest, plurima ab eodem prætermissa fuisse. Meminit ad Timotheum[c] scribens ipse Paulus, vnico licet verbo, de rebus quas passus est Iconij, cum eas commemorans ait: Tu assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quales persecutiones sustinui.] Sed a nullo certius faciliusq. quàm ab ipso Paulo monstrari potest, non omnes res eius gestas Lucam esse prosecutum: nam si quis ea quæ ad Corinthios[d] scribit de rebus a se perpessis, conferat cum his quæ in Actis Apostolorum de Paulo a Luca sunt scripta; plane intelliget Pauli ærumnas ab eo maiori ex parte fuisse prætermissas, atque silentio penitus obuolutas. I. B

a Dio histor. lib. 60.
b Act. 14.
QVID PAVLVS PASSVS ICONII.
c 2. Tim. 3.
d 2. Cor. 11.

Ceterum quod spectat ad res Iconienses, de quibus est sermo: qualia quantaue ibidem Paulus sit passus, S. Theclæ res gestæ memoriæ a maioribus perpetuis scriptorum monumentis commendatæ, aliqua saltem ex parte declarant. Sed quoniam Acta quædam Theclæ nomine & Pauli ab Asiano presbytero quodam (vt auctor est Tertullianus[e]) constat fuisse conficta, & sua ipsius confessione falsa omnino probata atque conuicta; diligentiori studio, quænam illa fuerint, disquirenda sunt. Sed quid de his Tertullianus scripserit, vt accurate omnia perueſtigentur, hic in primis apponamus. sunt hæc igitur eius verba: Quòd si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Theclæ ad licentiam mulierum docendi tinguendiq. defendunt: sciant in Asia presbyterũ, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, conuictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.] hæc Tertullianus. Hieronymus[f] eumdem citans auctorem, hæc ait: Igitur περὶ βάπτισμος Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale est enim, vt indiuiduus comes Apostoli inter ceteras eius res hoc solum ignorauerit?] Hos secutus[g] Gelasius, Acta Theclæ & Pauli inter apocrypha iure recensuit. Sed quoniam feruntur Acta passionis Theclæ, quæ passim leguntur: an illa ipsa sint, quæ prædictorum iudicio damnantur, inspiciamus. II. C

DE ACTIS S. THECLAE.

e Tertul. de baptism. c. 17.
f Hieronym. de script. Eccles. in Luc. c. 7.
g Gelas. Rom. in decret. de lib. apocryph.

Quantum ad ea, quæ Tertullianus primum, deinde Hieronymus de Actis Pauli & Theclæ scripserunt: satis perspectum habetur, Theclam Euangelium prædicasse & baptizasse, illis Actis spurijs contineri, insuper & (quod addit Hieronymus, qui eadem Acta legisse videtur) baptizati Leonis fabulam: quæ quidem procul abhorrent ab Actis illis quæ passionis Theclæ nomine inscripta leguntur: adeo vt nullam pati calumniam debeant, quasi Ecclesiastica censura censeantur esse damnata. Sed si quis ea scilicet ratione, eadem reijcienda esse existimet, quòd Lucas nec leuem de his fecerit mentionem, rursumq. Hieronymi[h] in eamdem sententiam verba velut spicula quædam intorqueat, dicentis: Quale est enim, vt indiuiduus comes Pauli (*Lucas videlicet*) III. D

h Hieronym. de script. Eccles. in Luca.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inter ceteras eius res hoc solum ignorauerit?] Ad hæc refellenda, satis esse possunt quæ superius dicta sunt; multa eademq. perinsignia, quorum ipse de se Paulus meminit, fuisse a Luca prætermissa: adeo vt inanis prorsus reddatur illa argumentatio, sua natura alioqui inualida: Lucas ea non scripsit; igitur non sunt facta. Sed quoniam a nullo æquius ac vehementius quàm a Hieronymo poterit Hieronymus refutari; quid idem ipse alibi in contrariam sententiam pro nostra causa dixerit, recitemus. In commentarijs quos scripsit in epistolam [a] ad Galatas, dum agit de perualgata illa inter Petrum & Paulum oborta Antiochiæ contentione, quam Lucas silentio prætermisit, vt nec per nutum eius meminerit, hæc ait: Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit: et non esse contrarium, si quod alius dignum putarit relatu, alius inter cetera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum; quod Lucas penitus omisit.] hæc Hieronymus; quibus non solum in contrarium obiecta refelluntur, sed nostra validius confirmantur. Verum nec illud admittimus, Lucam perpetuũ fuisse comitem Pauli: quando enim Lucas Paulo primum inhæserit, suo loco dicemus: vt satis pateat, ipsum his temporibus, quibus Antiochia Syriæ missus, quas idem recenset Lucas regiones perlustrauit, eidem nequaquam adhæsisse: vt nec sit adeo mirandum, si quæ non vidit, generatim tantum complexus, maiore ex parte silentio præterierit.

DE S. LVCA OBIE CTIO SOLVITVR.

[a] Hier. in epist. ad Galat. c. 2.

IV. His igitur in hunc modum obiectionibus satisfactum cum sit; reliquum est, vt quibus testimonijs Theclæ passionis historia fulciatur stabiliaturque, in medium adducamus; ordinemque, quo est scripta, sequentes, eamdem testatam ac digne probatam reddamus. Habetur in primis in ea mentio de Onesiphoro Pauli hospite: qui quidem esse putatur is, quem idem Paulus honorificentissime laudat, ad Timotheum [b] scribens. Præterea agitur in eadem historia de Triphæna: quæ & illa creditur, quam, ad Romanos [c] idem Apostolus scribens, salutari mandat. ijdem enim tunc Romæ agebant, sicut & plerique alij discipulorum, qui ex Oriente eo migrasse noscuntur, vt inter alios Aquila & Prisca, quorum idem Apostolus meminit. Continet etiam eadem historia, Theclam Pauli prædicatione ad fidem Christi esse conuersam. id ipsum a Gregorio [d] Nysseno, atque alijs omnibus qui de ea scripserunt, testatũ habetur. hæc enim ille ait: Talem myrrham olim Paulus infundebat ex ore suo mixtam cum puro pudicitiæ lilio in sanctæ virginis aures: ea vero erat Thecla, quæ præclare animo suo defluentibus de lilio guttis, hominem externum morte opprimit, omni cogitatione cupiditateq. extincta.] hæc ille.

THECLAE ACTA GERMANA.

[b] 2. Tim. 1.

[c] Rom. 16.

[d] Greg. Nyss. in Cant. hom. 4.

V. Legitur & in illa, Theclam iam viro desponsatam, amore pudicitiæ, sponso nuncium remisisse. Ecce quàm belle huic veritati Epiphanius [e] in primis adstipuletur, his verbis: Thecla, inquit, incidit in Paulum sanctum, & a nuptijs exoluitur, cum curatorem siue sponsum haberet formosissimum, primarium vrbis, valde diuitem, generosissimum, ac illustrissimum. In vita contemnit terrena Sancta illa, vt cælestium potens fiat.] his in nullo contradicentia loquitur Faustus [f] apud Augustinum in hæc verba: Iam timeo Apostolo, ne dæmoniorum doctrinam intulisse tunc Iconium videatur, cum Theclam oppigneratam iam thalamo, in amorem sermone suo perpetuæ virginitatis incendit.] hæc Faustus: cuius assertiones omnes cum ab Augustino refellantur, nec ad hanc rẽ (vt alias facere solitus est contra Manichæos) de apocrypha historia quicquam exceperit, vt de Actis Thomæ, Andreæ, & aliorum; plane eidem non inuitus consensisse videtur.

THECLA SPONSVM RELINQVENS ADHAESIT CHRISTO.

[e] Epiph. hær. 78.

[f] Aug. contra Faust. lib. 30. c. 4.

VI. Quòd insuper in prædicta de passione Theclæ historia narratum habes; ipsam, vt custodem carceris, quo Paulus Iconij detinebatur inclusus, sibi conciliaret, gemmis ac muliebri mundo distractis, pecuniam inde acceptam illi donasse, vt ad Pauli colloquium sibi pararet aditum: hoc ipsum Ioannes Chrysostomus [g] profitetur his verbis: Audi de beata Thecla: Illa, vt Paulum videret, aurum suum dedit: tu autem, vt Christum videas, nec obolum das.] idem alibi [h]: Quære Paulum tamquam Thecla, vt audias quæ per ipsum tibi dicuntur.]

THECLA DISTRAHIT GEMMAS.

[g] Chrysost. in Act. Apost. hom. 25.

[h] Chrys. ad Antioch. hom. 22.

VII. Rursum vero quæ in eadem historia de ira sponsi in eam concitata leguntur, quòd ipso accusante, ac crudeliter vrgente, Thecla damnata fuit ad bestias, quæ mansuetæ diuinitus factæ illi blandiebantur; ab Ambrosio [i] egregie descripta habentur, cum his verbis alloquitur virgines: Thecla doceat immolari, quæ copulam fugiens nuptiarum, & sponsi

[i] Ambr. de Vir. lib. 2.

A & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum virginitatis veneratione mutauit: namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret virorum, ac vitalia ipsa sæuo offerret leoni; fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificantẽ sono, quòd sacrum virginis corpus violare non posset. ergo adorabat prædam suam bestia, & propriæ oblita naturæ, naturam induerat, quam homines amiserant.] hæc ibi: et ad Simplicianum scribens, hæc in eamdem sententiam: Inter leones virgo exultauit, & prodeuntes bestias expectauit intrepida.] repetit & eadem de leonibus in epistola ad Vercellensem Ecclesiam, sic dicens: Quo munere venerabilis Thecla etiam leonibus fuit, vt ad pedes prædæ suæ stratæ impastæ bestiæ sacrum deferrent ieiunium, nec procaci oculo virginem, nec vngue violarent aspero.] hæc omnia Ambrosius.

THECLA A SPONSO ACCVSATA DAMNATVR.

B Quòd præterea & ignes Thecla subijsse, ac illæsa remansisse, in eadem quoque scribatur historia: Cypriani [a] ea ad Deum obtestatione sic habes testatum: Assiste nobis, sicut Paulo in vinculis, & sicut Theclæ in ignibus.] et alibi: Libera me de medio huius sæculi, sicut liberasti Theclam de medio amphitheatro.] Itemq. S. Zeno Episcopus Veronensis in sermone de timore, hæc de Thecla: Aduersus Theclam accusator acerrimus linguæ exerit gladium, cum suis sibi ministris publicæ leges inseruiunt. Stimulis acuitur feritas in ferocitatem: et tamen mitior hominibus inuenitur. Ne quid scenæ tam diræ inhumanitatis deesse videatur; immittuntur etiam marina monstra. Lacinijs omnibus expoliatur puella, vestitur incendio. Inter tot instrumenta mortis, spectatore metuente, secura calcat genera vniuersa terrorum. Incolumis, quasi Orbe subacto, de illo feralis caueæ loco iam non miserabilis, sed mirabilis funereo habitu excedit, victi

C sæculi triumphum reportans, quam tot supplicijs omnes crediderant perituram.] hucusque Zeno.

VIII.

[a] Cypr. orat. pro mart. & orat. in die passion.

THECLA SVPERAT IGNEM.

Gregorius Nazianzenus de eadem sic dixit: Non te fugit, Theclam ignium & bestiarum impetum euitasse.] Rursum alibi [c] his versibus:

IX.

[b] Greg. Nazian. ad virg. exhor.

[c] Idem in præcept. ad virgin.

THECLA LEONES SVPERAT.

Quis Theclam necis eripuit flammæq. periclo?
Quis validos vngues vinxit, rabiemq. ferarum?
Virginitas. O res omni mirabilis æuo!
Virginitas fuluos potuit sopire leones:
Dente nec impuro generosos virginis artus
Ausi sunt premere, & rigido discerpere morsu.]

Hæc eadem Maximus [d] Taurinensis in hæc verba: Theclam flammarum globos euasisse cognoscis.] Addam & illa quæ pertinere ad eamdem rem videntur, pia scilicet sanctorum martyrum [e] Terentij & sociorum in hunc modum concepta verba: Qui Danielem de ore leonis eripuisti, & de manu Pharaonis Moysen seruasti, & sanctã Theclam ab igne & theatro & feris & bestijs taurinis defendisti, &c.] non tantum leonibus fuisse obiectam, sed & tauris alligatam, vt illis in diuersa actis, sic discerperetur, eadem eius passionis Acta testantur. His similes preces leguntur in rebus gestis S. Iulianæ [f], in Prato [g] spirituali, ac denique illis precibus quæ ex ritu Ecclesiastico dici consueuerunt, cum quis Fidelis ex præsenti vita est proxime migraturus. Quòd insuper in eadem legatur historia, pugnanti Theclæ diuina virtute astitisse personam, puto Angelum, humana imagine vultum Pauli præseferentem; id ipsum probatum habes in Actis S. Febroniæ [h], quæ S. Brienna accurate conscripsit.

D

[d] Max. serm. de S. Agnete.

[e] Apud Metaphrast. die 10. April.

[f] Metaphr. die 21. Decembr.

[g] Prat. spirit. c. 20.

[h] Metaphr. die 25. Iun.

E Præter hæc omnia, tandem scias, eumdem Hieronymum, quem aduersari vidimus mentitis illis Actis Theclæ & Pauli superius recitatis, eidem historiæ de passione Theclæ egregie adstipulari. In ea enim dum legitur, ipsam Apostoli cupidam Antiochiam Pisidiæ accessisse, quo illum profectum esse audierat; ab eodemq. iussam ad propria reuerti, ne (quod idem ait [i]) poneret offendiculum Euangelio: hæc ipsa, inquam, Hieronymus [k] ad Oceanum scribens, probans, ait: Thecla post tentationem passionis, Antiochiæ a Paulo prohibetur pariter pergere: nemo cum vxore pergit ad bellum, &c.] Sed miramur eam epistolam inconsulte nimis in tomum nonum vna cum spurijs esse reiectam: fortasse quia in ea ex Vita S. Martini sit acceptum exemplum. Sed quid mirum, cum post annos vigintitres ab obitu Martini Hieronymus vixerit? cum præsertim auctore Seuero, certum sit, res ab eo gestas, adhuc ipso Mar-

X.

THECLA CVPIDA PAVLI.

[i] 1. Cor. 9.

[k] Hieron. tom. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tino viuente, esse editas. Ex consensione præterea eius epistolæ cum ea quam ad Eustochium dedit de custodia virginitatis, in qua etiam, sicut in illa, meminit de agapetis virginibus, facile quisque poterit intelligere esse Hieronymi; licet non a Hieronymo tantum, sed a Sophronio etiam (vt præsefert eius titulus) scripta inueniatur. A

XI. ACTA THECLAE A BASILIO SCRIPTA.

Adhuc insuper, quæ in eadem de Thecla historia scripta habentur de Falconilla (quæ potius irrepsisse in eam, quàm originaliter scripta fuisse videantur, iureq. in controuersiam deduci possint) ne ipsa quidem carent auctoritate sanctissimi atque doctissimi viri Ioannis Damasceni, qui eius meminit in ea oratione, quam de his qui in fide ex hac vita decesserunt, conscripsit. Quoniam vero is qui habetur præ manibus de Theclæ passione scriptus commentariolus, sine nomine fertur; nullum ob id ipsa historia solidæ auctoritatis dispendium pati debet: quandoquidem quæ eo continentur, tam Græcorum quàm Latinorum Patrum, quos recensuimus, pari consensione firmantur; immo & sunt in omnibus consentientia, quæ Græce scripta habentur a Basilio Episcopo Seleuciæ, extantq. Romæ in bibliotheca Sfortiana, ac rursus alia in Vaticana bibliotheca, descripta vero a Metaphraste ex antiquioribus monumentis. Si vero de rebus tam antiquis recentiores non spernis, multa de ea testata habes ab Aldelmo in suis, quos tam metro quàm soluta oratione de Virginitate conscripsit, libris. Insuper & Vuitichindus Saxo, monachus Corbeiensis, nobilis suorum temporum historicus, scripsit (vt tradit Sigebertus [a]) egregio poemate eiusdem Theclæ passionem. B

[a] Sigebert. de Vir. illustr. c. 130.

XII. THECLA PROTOMARTYR.

Sunt insignia de Thecla præconia: Protomartyr enim a permultis cognominatur, quòd prima omnium seminarum pro Christi nomine in certaminis campum fide roborata descenderit, & impietate aduersariorum prostrata, triumphum retexerit. Quamobrem Isidorus Pelusiota ad Sandalarias [b] scribens, eamdem eiusmodi præclaro exornat elogio: Adde muliebrium victoriarum ac trophæorum caput, hoc est, illam omnibus laudibus celebratam Theclam, quæ tamquam immortalis pudicitiæ columna prostat; quæq. e media turbidarum affectionum tempestate, tamquam fax incensa, ad portum ab omnibus fluctibus immunem appulit.] hæc Isidorus [c], qui & ad Tarasium scribens, eamdem Protomartyrem dicit. Insuper, honoris causa, eadem tamquam nobilissimo titulo, Pauli primogenita nuncupatur. Hæc, inquam, in ore omnium Græcorum versatur, a cunctis immensis ac diuinis in cælum laudibus extollitur, cui primum locum inter feminas martyres tribuunt: vt inter alios Gregorius Nazianzenus facere videtur, dum inuehitur in Iulianum Apostatam: Non victimas, inquit, pro Christo cæsas veritus es? Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, &c.] sic & Epiphanius [e], Ambrosius [f], Hieronymus [g], Chrysostomus [h], Seuerus [i], & alij. C D

[b] Isid. lib. 1. epistola 87.
[c] Isidor. lib. 1. epist. 160.
[d] Greg. Nazian. orat. 1. in Iulianum.
[e] Epiphan. hæres. 79.
[f] Ambr. de Vir. lib. 2.
[g] Hieronym. ad Eustoch. epistol. 22.
[h] Chrysost. orat. in sanct. Apost.
[i] Seuer. in vit. S. Mart. lib. 2. c. 16.

XIII. DE THECLAE MEMORIA FREQVENTATA.

Hinc etiam vsu venit, vt cum quid superexcellens de femina Patres dictum vellent, eam Theclæ nomine insignirent. Sic videas & Hieronymum [k] celeberrimam illam, cum adhuc sibi constaret, Melaniam seniorem Theclæ nomine decorasse: sic quoque videas præstantissimam illam virginem Macrinam, Basilij & Gregorij Nysseni germanam, ob egregium sanctitatis meritum, Theclam esse dicendam, per cælestè nuncium [l] præmonstratum. Eius vero tumulum, qui erat Seleuciæ, multis miraculis illustratum, totius Orientis celebri populorum concursu visitari solitum, tum ipsa Acta, tum etiam sanctorum Patrum testimonia declarant. Gregorius Nazianzenus [m] illuc peregrinatus, diutius mansit: sunt & de alijs exempla complura, quæ apud Theodoretum [n], Euagrium [o], Nicephorum [p], Procopium [q], Sophronij [r] Pratum spirituale, Nicænam [s] Synodum secundam, & alios auctores testata habentur. Hæc de Thecla satis: cuius passionis Acta superius citata si quis exacte consideret, facile intelliget Paulum cum Barnaba Iconij diutius egisse: et quod dicit Lucas [t], eosdem multo ibi tempore commoratos; in his multos menses, & fortassis anni spatium insumptum esse cognoscet. merito igitur cetera, quæ de ijsdem Apostolis Lucas scripsit, in sequentem annum enarranda reijcimus. E

[k] Hier. in Chron.
[l] Greg. Nyss. in vit. S. Macrinæ.
[m] Greg. Arsilyt. in vit. Gregor.
[n] Theodor. hist. SS. Patr. c. 29.
[o] Euagr. lib. 3. c. 8.
[p] Niceph. lib. 10. c. 8.
[q] Procop. lib. 1. de ædif. Iustin. Imp.
[r] Prat. spirit. c. 180.
[s] Nican. 2. Conc. act. 1.
[t] Act. 14.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 48. PETRI ANNVS 4. CLAVDII IMP. ANNVS 6.

ANnus adest qui Domini quadragesimusoctauus numeratur, & Coss. [a] C. Valerio Asiatico & M. Valerio Messala Fastis adscribitur: quo, secundum superius a nobis initam temporum rationem, Paulus & Barnabas Iconio recedentes, postquam vniuersam Lycaoniæ regionem, Euangelium prædicantes, circuissent, Lystram venerunt: vbi Paulus claudum (vt ait Lucas [b]) ab vtero matris suæ, sanitati diuina virtute restituit. Tantæ tunc rei nouitate populus concitatus; iamq. omnes non homines ipsos, sed esse deos existimantes, Barnabam nimirum Iouem, Paulum vero Mercurium; afferentes victimas, tauros videlicet coronatos, ijsdem sacrificare tentarunt. Id cum Paulus & Barnabas cognouissent, ingenti dolore perculsi, suas sibi tunicas conscindentes (mos enim erat Iudæis, vt alias diximus sæpius, cùm ingentem audirent blasphemiam, sua præ dolore conscindere vestimenta) vi magna restiterunt: hominesq. se esse mortales, sed qui Deum verum illis annunciarent, docentes, vix tandem concitatum populum a cœpto reuocarunt studio. hæc omnia pluribus S. Lucas. I. PAVLVS ET BARNABAS DII HABENTVR. B

[a] Dio lib. 60.
[b] Act. 14.

Sedenim quàm facile sit, populum tumultibus agitatum, leuibus etiam impulsionibus in contraria ferri, edocuit ac demonstrauit euentus: nam quos paulo ante vt cælestia numina victimis venerari voluerant, mox furore & vesana iracundia perciti atque correpti penitus, alterum ex ipsis, Paulum scilicet, lapidibus obruere, & ad internecionem ducere conati sunt. Qua vero id occasione sit factum, Lucas insinuat, rem gestam his verbis describens: Superuenerunt enim quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi: et persuasis turbis, lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem, & postera die profectus est cum Barnaba Derben.] hæc Lucas de his quæ facta sunt Lystræ. Meminit huius suæ lapidationis Paulus, vt de nobilissimo quodam sui Apostolatus insigni, cum scribens ad Corinthios [c], ea quæ eatenus passus esset, per singula relegens, ait: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter: a Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, &c.] II. PAVLVS LAPIDATVS. C

[c] 2. Cor. 11.

Sed accidit quidem quod de se idem Apostolus ad eosdem scribit Corinthios [d]: Tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deijcimur, sed non perimus.] Etenim diuinitus confortatus, Lystram, vbi fuerat lapidatus, reuersus, illuc iterum vna cum Barnaba Euangelium prædicauit. Quid vero post hæc ambo egerint, idem Lucas narrat his verbis [e]: Cumq. euangelizassent ciuitati illi (*Derben scilicet*) & docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, confirmantes animas discipulorum, exhortantesq. vt permanerent in fide, & quoniam per multas tribulationes oportet intrare in regnum Dei. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.] hæc Lucas. at quæ post hæc sequuntur, suo loco dicturi sumus. Ceterum in his quæ diximus, consummandis, colligendis, erigendis, ordinandisq. tot Ecclesijs, non minore quàm anni vnius temporis spatio illos opus habuisse, qui cuncta exacte considerarit, facile iudicabit. III. PAVLVS ITERVM LYSTRAM. D E

[d] 2. Cor. 4.
[e] Act. 14.

Eodem anno a Christo nato quadragesimooctauo, Olympiade ducentesima sexta, anno secundo, sanctissimam Dei genitricem Mariam assumptam esse in cælum, Eusebius habet in Chronico his verbis: Maria Virgo Christi mater ad filium in cælum assumitur, vt quidam fuisse sibi reuelatum scribunt.] Non possumus non vehementer mirari, tantæ rei historiam, vel saltem tempus migrationis eius sic a scriptoribus prætermissum, vt opus fuerit, non quod scriptorum monumentis testatum esset, sed horum penuria, quid huic vel illi de ea re fuerit reuelatum, inuestigare, & vt facit Eusebius, historicam veritatem incertorum hominum reuelationi committere. Tolerandum tamen esset, si omnes, quibus de ea re diuinitus facta dicitur demonstratio, æque in eamdem sententiam conspirarent, vel si vnius aut saltem alterius anni spatio inter se inuicem IV. IN CERTVM TEMPVS ORITVR DE GENITRICIS MARIAE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cem dissiderent: at monstrosa quædam inter eos discrepantia reperitur; cum alij, licet incerti, quos citat Eusebius, id accidisse dixerint anno (vt vidimus) Domini quadragesimooctauo, post annos scilicet a Dominica passione quatuordecim; rursum vero cuipiam probatæ sanctitatis demonstratum cælesti visione tradatur, post annum elapsum a passione Christi, & totidem dies quot intercurrunt ab eo tempore vsque ad decimamquintam mensis Augusti, ex hac vita migrasse, ac demum post alios quadraginta dies, nono videlicet Kal. Octobris, vna cum corpore assumptam fuisse in cælum. cui reuelationi qui fidem adhibuerunt, non tantum dicta die (vt facit Ecclesia) decimaquinta Augusti eiusdem celebrant assumptionem, sed & aliam, quam secundam dicunt, assumptionem dicta die IX. Kalend. Octobris ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Sed hæc ab Ecclesia minime recepta esse[a] noscuntur.

a Antonin. in 3. parte Hist. cap. 147.

V. AVCTORES DVBII MAIORIBVS INCOGNITI.

Rursum alij, istæc de reuelationibus prætermittentes, certorum auctorum testimonio certum annum eiusdem assumptionis adstruere conati sunt. Sed cum quæ citant, eadem scripta nec nobis nec maioribus cognita fuerint, in eamdem de impostura suspicionem adducuntur: cum præsertim non sit eorum vna eademq. sententia, sed plane diuersa. Siquidem Nicephorus[b] ex Euodio eam vixisse tradit annos quinquagintanouem. Epiphanius[c] presbyter Hippolytum quemdam Thebanum citat, qui dicit eam vixisse annos nouem post Christi passionem, eamq. decessisse anno Domini quadragesimotertio, suæ vero ætatis quinquagesimoseptimo (secundum quod dicitur pepe-risse Dominum Redemptorem annum agens decimumquartū) Sed nec his assentiens ipse Epiphanius, eam ex hac vita migrasse tradit annos natam septuagintaduos. Verum enimvero si quæ ab his auctoribus dicta sunt, maioribus nostris cognita & explorata fuissent; non ex incertorum auctorum reuelatione, si certos quos sequeretur habuisset, eius obitus annum Eusebius consignasset; nec quòd mortua fuisset, Epiphanius se affirmare non posse, testatus esset; vel non fuisse mortuam, aliqui temere tradidissent. Ex ijsdem, puto, auctoribus Cedrenus[d] etiam affirmat, eam ex hac vita decessisse, cum ageret annum suæ ætatis septuagesimumsecundum; refert tamen aliquorum fuisse sententiam, quòd clauserit humanæ vitæ diem anno ætatis suæ quinquagesimooctauo: sunt hæc enim verba ipsius: Tradit sanctam animam Domino ac filio & Deo suo annos nata septuagintaduos: quidam tradunt, quinquagintaocto. vixit ergo viginti-quatuor annos post Christi ad cælum ascensum.]

b Niceph. lib. 2. c. 5. & 21.

c Sermone de Deipar. Græc.

d Cedren. in compend. in Tib.

VI. DE DIONYSII SENTENTIA.

Quemnam autem ex his omnibus potissimū sequamur, ambiguum nobis est. Nam siue Eusebij sectemur sententiam, quòd ipsa Dei genitrix diem obierit anno sexagesimosecundo suæ ætatis, vel quod alij traditione quadam affirmant, anno sexagesimotertio, siue etiam cum alijs sentientes, anno quinquagesimoseptimo, octauo, vel nono: nullatenus ei conuenire possunt quæ scribit Dionysius de Diuinis nominibus, qui præceteris auscultandus esset; dum affirmare videtur, se vna cum Petro, Iacobo, ac ceteris Apostolis, simulq. Hierotheo, interfuisse funeri eius: cogeremurq. ea Dionysij verba in illum accipere sensum, quo Hilduinus accepisse videtur. Ait enim Dionysius[e]: Apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (vt nosti) & plerique alij ex sanctis fratribus nostris ad contuendū corpus illud, quod auctorem vitæ Deumq. receperat, conuenissemus; aderat autem frater Domini Iacobus, & Petrus, supremum decus, & antiquissimum Theologorum culmen: vbi post contuitum placuit vt infinite potentem diuinæ virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo: Ille denique (*Hierotheus videlicet*) vt nosti, post Apostolos omnibus alijs doctoribus superior erat, &c.] Quæ quidem Dionysij verba Hilduinus[f] non de sacratissimo corpore Dei genitricis, sed de venerando sepulchro quod continuit corpus Iesu, esse dicta existimauit, sic dicens: Ostendit se apud sanctam ciuitatem penes sepulchrum Iesu, vitæ principis, a Iacobo fratre Domini, & Petro Theologorum principe, necnon a Theologo Ioanne vna cum præfato Hierotheo, & sancto Timotheo, alijsq. quamplurimis sanctis fratribus audisse disputationem, & fidei sacramentum, quomodo ab omnibus tenebatur Theologis de diuinitate & humanitate Domini Saluatoris. sed & ex consequentibus, suppresso nomine, Paulum his interfuisse demonstrat.] hæc ipse.

e Dionys. de Diuin. nom. lib. 2. c. 3.

f Hilduin. in Areopag.

VII. Si igitur aliquo antedictorum anno Dei genitricem esse defunctam dixerimus, nequaquam potuit Dionysius eius funeri interfuisse: ipse enim nedum hoc anno, vel sequenti, sed nec vsque ad quinquagesimumsecundū annum Domini (vt ex his quæ diximus

ximus, & quæ suo loco dicturi sumus, habita exacta temporum ratione, constabit) cum Paulus Athenas venit, est conuersus ad fidem. Imm ex Luca, qui mira diligentia ex eo tempore cuncta loca ad quæ Paulus accessit, & t. mpora quibus in eis permansit, vsque ad eius Hierosolymam aduentum relegit, liquido apparet, ipsum non ante annum Domini quinquagesimumseptimū Hierosolymam venire potuisse. cui ætati si quatuordecim vel quindecim addas annos, quibus (vt dictū est) sanctissima Virgo vixit, cum peperit Saluatorem: manifeste colliges, ipsam eo anno, quo Paulus nouissime Hierosolymam venit, egisse ætatis annū septuagesimumsecundum, quo ipsam ex hac vita migrasse, Epiphanius presbyter, & Cedrenus, quos retulimus, affirmarunt: quibus si consenserimus, eisdem æque aptari possunt quæ scribit Dionysius, vt de sacrosancto Dei genitricis corpore voluerit intellexisse: quo quidem sensu accepisse noscuntur verba illa Græci omnes. Iuuenalis enim Hierosolymorum Episcopus, cuius orationem ea de re coram Marciano Augusto habitam Nicephorus[a] recitat, locum illum Dionysij ad verbum recitans, de Dei genitricis corpore illum esse locutum explicauit: sic & Ioannes Damascenus[b], Andreas[c] Cretensis, Epiphanius[d] presbyter, Metaphrastes[e], Euthymius[f], Maximus[g], Glycas[h], & alij.

a Nicephor. lib. 15. c. 4.

b Ioan. Damascen. ser. de dormit. S. Deiparæ.

c And. Cret. ser. de dormit. Deipar.

d Epiph. ser. de eodem.

e Metaphr. die 15. Augusti.

f Hist. Euthym. citata a Ioan. Damasc.

g Max. Alex. in schol. præfat.

h Glycas in Annal.

VIII. Sed rem ipsam paulo accuratius perueſtigemus: et quo hæc faciliora & certiora reddantur, afferamus hic ipsius Dionysij verba, quæ sic Græce leguntur: Επὶ καὶ παρ' ἀυτοῖς τοῖς θεολήπτοις ἠλίκῃ ἐφέρομεν ἐπίνοια καὶ ἡμεῖς, ὡς οἶδα, καὶ ἀυτὸς, καὶ πολλοὶ τῶν ἱερῶν ἡμῖν ἀδελφῶν ἔλθ' ἐπὶ τὸν ζωαρχικὸν, καὶ θεοδόχου σώματος ταφὴν, καὶ θεοδόκου σύμβολον θαυμάν, &c.] Quæ Dionysij vltima verba proculdubio errasse denotant eos, inter quos fuit Anastasius[i], qui interpretati sunt carnem Christi diuinitatem continentem: nam eo tempore, quo Christus cruci affixus est, & ex mortuis resurrexit, nondum Dionysius, sed nec Paulus ad Christum conuersus erat. Alia fuit interpretatio Hilduini (vt diximus) vt non de corpore Dei genitricis, sed de sepulchro Dominici corporis sint ea verba accipienda: cui magnopere fauet Matthæus Galenus in sua ad Areopagitica præfatione: licet ipse existimet eadem rectius accipi posse de ædibus Ioannis Euangelistæ, in quas sanctissima Virgo recepta est. Sed dicat, velim, vterque, quænam subfuerit ratio, vt non tantum Hierotheus ac Dionysius, sed & Apostoli antea per Orbem dispersi, ad contuendum sepulchrum Dominicum, vel Ioannis ædes, conuenerint, atque ad illa contuenda vel laudanda omne tunc studium & vim spiritus adhibuerint? Numquid non aliàs sæpe viderant, atque vberius laudare potuerant? Esto quòd Hierotheus & Dionysius, vel si qui alij Apostolorum discipuli, qui numquam hactenus vidissent, eo conuenerint, & ad eius præconia fuerint diuinitus excitati: Quid de Apostolis dixerimus, qui multos annos (vt vidimus) post ascensionem Domini Hierosolymis manentes, & sepulchrum Christi & ædes Ioannis præ oculis semper habentes, tunc potissimum ad ea contuenda aduenerint, & ad laudanda recens excitati fuerint? Sed & in eo Galenus manifestissime videtur errasse, dum eumdem Apostolorum & aliorum conuentum tunc Hierosolymis factum existimat, quando Paulus (vt ipse scribit[k]) assumpto Tito profectus est Hierosolymam: nam eo tempore nondum Paulus Athenas accesserat, nec Dionysium ad fidem conuerterat, vt ex iam dictis apparet. Immo consulat ipsa Acta a Luca conscripta; & manifeste videbit, post Dionysij conuersionem numquam Paulum venisse Hierosolymam potuisse, nisi cum collectam deferens, illuc veniens, a Iudæis detentus est atque ligatus.

i Anast. in præf. ad Carol.

k Galat. 2.

IX. Sed iam cetera, quæ ad rei gestæ historiam pertinent, prosequamur: quæ quidem cum neque ex canonicis scriptis, neque ex antiquorum Patrum testimonijs roborentur; non omnia quæ in eo genere a diuersis sunt scripta, hic recitabimus; sed delectu habito, ea potius quæ maiorum traditione ad posteros sunt delapsa, eademq. probatorum auctorum postea scriptorum monumentis consignata, in medium afferemus. Nec quis putet derogatum quicquam gloriæ eius, quòd istæc adeo obscura remanserint: quippe quæ, vt Sol alter, radiorum suorum fulgoribus splendens, non tantum nulla valuerit offundi ob scriptorum inopiam densa caligine, sed in his tenebris multo splendidius iubar eius effulserit. Etenim quænam pars est orbis Catholici, vbi eius transitus & assumptionis celebritas celeberrimo cultu annua quaque die non repetatur? Nam secundum propheticum illud a se dictum, & ab Euangelista scriptum oraculum, Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes] omnes prorsus

IX. MARIA VIRGO SVA LVCE CLARISSIMA.

superatæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

superatæ sunt temporum tenebræ, amplissima ipsa sua gloria illustrata: vt eo maioribus appareat cumulata laudibus, & aucta præconijs, quo minus illa acceperit aliunde. Sed iam rem ipsam aggrediamur. A

X. De his quæ spectant ad mortem eius a diuersis conscripta: alia sunt vt erronea ab Ecclesia Catholica prorsus reiecta; alia vero vt apocrypha atque delira itidem improbata; alia rursus cum multorum scriptis, tum etiam pia Fideliũ traditione recepta. Reijcit S. Ecclesia in primis Collyridianorum deliria, & Antidicomarianitarum commenta: quorum illi putarunt illam non similem nobis humanæ fuisse naturæ consortem, sed diuinæ, sicq. vt Deum fuisse penitus mortis expertem: quos refutat abundantius Epiphanius[a] in Panario. Idem tamen agens[b] contra Antidicomarianitas, qui sanctissimæ Dei genitricis virginitatem infamare conati sunt, nec illud concedens quòd commendata Ioanni apud eum semper manserit (abutebantur plerique ea licentia in occasionem peccati, dum apud se deuotã aliquam virginem retinere, eo exemplo concessum putarent) in eam incidit disputationem; An ex Scripturis sanctis elici possit, ipsam esse defunctam? cumq. ex illis nec quòd mortua, nec quòd absque morte fuerit in cælum translata, satis expressum haberetur; ipse rem integram relinquens, neutrum definire præsumpsit. B

QVAE IMPROBATA, QVAE VERO PROBATA SINT DE S. MARIAE OBITV.

a Epiph. haeres. 79.
b Epiph. haeres. 78.

XI. Sed reddamus singula ipsius verba, quo eius sententiam facilius assequamur: sic enim ait: Quando hoc factum erat, & assumpsit eam Ioannes ad se ipsum, non amplius mansit apud ipsum. Sed etsi videntur quidam errasse, quærant vestigia Scripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ, neque an mortua, vel non mortua sit, neque an sepulta sit, aut non sepulta. Et quidem cum Ioannes in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit Scriptura quòd abduxerit secum sanctam Virginem: sed simpliciter siluit propter miraculi excellentiam, vt ne ad stuporem perduceret hominum mentem. Ego enim non audeo dicere; sed cogitans, silentium mihi impono. Fortassis enim alicubi etiam vestigia inuenerimus Sanctæ illius ac beatæ, sicut neque inuenire datur mortem ipsius. Alicubi enim Simeon dicit de ipsa: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, quo reuelentur multorũ cordibus cogitationes. Alicubi vero in Apocalypsi dicit, quòd draco festinauit ad mulierem quæ genuit masculum, & datæ sunt ipsi alæ aquilæ, & assumpta est in desertum, ne ipsam arriperet draco. Fortasis autem potest id de ipsa accipi & impleri: non autem omnino definio hoc, & non dico quòd immortalis mansit, neque affirmo quòd mortua sit: excesit enim Scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit propter vas pretiosum & excellentissimum; vt ne quis in suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Siue igitur mortua est, non nouimus: siue sepulta est, non copulata fuit carni. absit.] hæc Epiphanius: qui cum ageret aduersus hæreticos carnis spurcitijs illam sanctissimã atque omni labe purissimam calumniantes; ipse contra, quo magis illorum procaciam retunderet, eo excellentiæ efferre conatus est, vt sicut Enoch olim translatus, vel Elias igneo curru in sublime eleuatus est, sic diceret ipsam absque obitu e terrenis ad cælestia assumptam fuisse: cum præsertim visio ab ipso citata ex Ioannis Apocalypsi de muliere, cui, quo alio transuolaret, datæ sunt alæ, eidem sacramento satis esse accommodata videretur. C D

EPIPHANII SENTENTIA.

XII. Hæc tamen quantumuis aliquo iure, ratione, atque exemplis firmare quoquo modo potuisse videretur, modeste tamen abstinuit; & ad neutram partem inclinans, satis esse censuit, vel hac ex parte sublimem illam Dei genitricis excellentiam hostibus demonstrasse; & quam illa procul fuerit ab omni carnis illecebra, quæ nec an mortua fuerit, posset ex diuinis Scripturis ostendi, eisdem insinuasse. Ceterum condonandum illi, si (quod & alijs sanctissimis atque eruditissimis viris sæpe accidisse reperitur) dum ardentiori studio in hostes inuehitur, vehementiori impetu in contrariam partem actus, lineam videatur aliquantulũ veritatis esse transgressus. Catholica quippe Ecclesia nullam de obitu Dei genitricis dubitationem admittit; sed quam nouit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat. Sic nec recipit quorumdam sententiam, qui Simeonis oraculo persuasi, quòd ei dixerat, Tuam ipsius animam pertransibit gladius] eam martyrio vita functam tradiderunt[c]. Et reiecit apocrypha illa, quæ de illius transitu & assumptione scripta erant: decreto[d] enim Romani Concilij, cui Gelasius Papa præfuit, inter apocrypha adnumeratur libellus de transitu Mariæ Virginis. sed a quo ille scriptus fuerit, cum non dicatur; siue auctoris titulo E

CATHOLICA VERITAS DE S. MARIA VIRG.

c Apud Ambr. in Luc. c. 2. apud Isidor. de vit. & obit. sanct. c. 68. & Bed. in Luc. cap. 2.
d Cap. Sancta Romana. diss. 15.

A titulo illum editum fuisse existimamus; cui postea otiosus quispiam præfixerit honestum titulum Melitonis Sardensis Episcopi: qui quidem commentariolus, Bedæ[a] etiam iudicio refutatur: sed miratus sum vehementer Tritthemiũ inter Melitonis lucubrationes illum adnumerasse, ac de Melitone plus sibi vendicasse, quàm S. Hieronymum[b], qui illius scripta recensens, nihil prorsus eiusmodi numerat: cum præsertim quæ in eo scripta habentur, tanto viro indignissima iudicentur; quippe qui multa contineat quæ Apostolorum Actis (vt notat Beda) repugnent: et quamuis in edito recenter volumine aliqua ad censuram Bedæ sint emendata, multa adhuc habet fatua, delira, atque auribus Christianis indigna.

a Bed. in retract. in Act. c. 8.
b Hier. de Scrip. Eccl. in Melit.

Quod autem pertinet ad libellum illum, seu epistolam[c] ad Paulam & Eustochium de assumptione beatæ Mariæ, Hieronymi nomine prænotatam; eam non modo non B esse Hieronymi, sed nec Sophronij, cuius idem Hieronymus[d] meminit (vt aliqui existimarunt) iudicium omnium eruditorum appello. Videre est enim auctorem eo commentario totum esse in insectando ac impugnando dogmate Nestorij, quem longe post Hieronymi ac Sophronij tempora vixisse, nulla est dubitatio. Sed enim hic auctor post multa contra Nestorij & Eutychij errores disputata, habet hæc verba: Hæc idcirco dixerim tantisper de fide incarnationis Christi, carissimæ; quia, quòd plures Orientalium circumeunt suis fæcibus obuoluti, moneri debuistis, ne suo obnubilare vos velint obscuritatis eloquio, vel Græco turbine Latinam confundere puritatem.] Sed quàm egregie mentiatur, ex eo apparet, quòd nullam ætate Hieronymi de incarnatione Christi obortã hæresim, quam impugnat, esse constet: nam Apollinaris error diuersi generis erat. Hinc videas manifestam hominis impostoram, qui ad promerendam fidem, Hieronymi, Paulæ, & Eustochij nomina est eo opere nundinatus: sed hæc C clarius demonstrabunt quæ paulo inferius dicturi sumus. Hæc de his quæ pertinent ad apocrypha scripta: quo etiam iure censenda sunt cetera, quæ licet ab alijs sint relata auctoribus, non aliunde tamen quàm ex dictis noscuntur esse accepta: vt quæa Nicephoro[e] in primis recensentur de palmæ ramo eidem Dei genitrici morienti in victoriæ signum allato; quæ & in dicto libello Melitonis[f] nomine scripto leguntur.

XIII. DE SCRIPTO HIERONYMI NOMINE.

c Tom. 9. epistol. 10.
d Hieronym. de Script. Eccl. in Sophron. c. 134.
e Niceph. lib. 2. c. 21. & lib. 15. c. 14.
f Melit. de trãsf. Virg. c. 3.

Quæ item ab ipso[g], & olim (vt ipse refert) a Iuuenale Episcopo Hierosolymorum traduntur de Apostolis eodem momento collectis e diuersis Orbis regionibus, Hierosolymam ad obitum eius per aera in sublime delatis, eodem Melitonis[h] apocrypho contineri, certissimum est; quod etiam Beda[i] cognouit. Rursus etiam quæ habentur[k] de miraculo facto in Iudæum, qui feretrum, quo illa ad sepulturam ferebatur, est conaD tus euertere, in eodem item apocrypho[l] leguntur. Sed hæc cum dicimus, non sic impugnamus, quasi minime vera esse potuerint; quandoquidem non sit impossibile apud Deum omne verbum: sicut nec ob eam causam, quòd ibidem[m] feratur eadem resurrexisse, & vna cum corpore esse assumpta in cælum, id negamus, vel in dubium reuocamus accidisse; quæ præsertim Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus non ex scripto aliquo commentario, sed potius ex antiqua & veneranda maiorum traditione se accepisse testatus[n] sit. Quæ autem addit Nicephorus[o], occasione Thomæ absentis relatum fuisse ab Apostolis Dei genitricis sepulchrum; ea quidem apud dictum Melitonem non leguntur, verum eadem ex traditione maiorum a Iuuenale esse relata testatur. Addiderunt alij & de cingulo eidem Thomæ ab eadem Dei genitrice Maria cælitus misso: sed quam fidem mereantur quæ non tantum non in probatis antiquis auctoE ribus, sed nec in ipsis apocryphis scripta leguntur, quiuis facile iudicabit. Sic videas ipsam, quæ circumfertur historia de transitu Virginis, omni ex parte vacillare, meritoq. a Gelasio, Beda, & alijs eruditis inter apocrypha recensitam. Hæc dixerimus ob nonnullos, qui dum apocrypha mordicus defendenda suscipiunt, nec id quod conantur efficiunt, & veris quæ adstruunt, fidem derogant.

XIV. QVAE TRADITIO DOCVIT, CVSTODIENDA.

g Niceph. lib. 2. c. 21. & lib. 15. c. 14.
h Melit. de trãsf. Virg. c. 4. 5.
i Bed. in retract. in Act. c. 8.
k Nicephor. vbi sup. lib. 2. c. 21. & alij.
l Melit. vbi sup. c. 1 2. c. 3. 14.
m Eod. lib. c. 17. 18.
n apud Niceph. lib. 15. c. 14.
o Nicephor. lib. 2. c. 28.

Sed ostendam hoc vno exemplo in rebus ipsis de quibus agimus, quanto cum præiudicio sint apocrypha pro veris accepta. Vsuardus[p] & Ado in suis Martyrologijs, putantes scriptionem illam de transitu beatæ Mariæ Hieronymi esse germanam; rursumq. id esse ratum in Ecclesia, quod ille sensisset, existimantes; quasi ex sententia Ecclesiæ, hæc in hunc modum descripta posuerunt XVIII. Kal. Septembr. Dormitio sanctæ Dei genitricis Mariæ: cuius sacratissimum corpus etsi non inueniatur super terram, tamen pia mater Ecclesia eius venerabilem memoriam sic festiuam agit, vt pro conditio- XV. CORRIGVNTVR VSVARDVS ET ADO.

p Vsuard. 15. Augusti. Ado eod. die.

Universidad de Deusto
Biblioteca

conditione carnis eam migrasse non dubitet. quo autem venerabile illud Spiritus san- A
cti templum nutu & consilio diuino collocatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum
pietate nescire, quàm quid friuolum & apocryphum inde tenendo docere.] hæc ipsi.
Sed dum se apocryphum vitare putant, in deterius lapsi sunt. At vnde tandem hæc ab
eis accepta, vnde deducta? Non aliunde certe, quàm ex illo non dicam tantum apo-
crypho libro, sed impostura, Hieronymi nomine peruulgata, vel recens a quibusdam,
vt Erasmo, falso adscripta Sophronio: ibi enim hæc eadem fere verba, vel quæ eam-
dem prorsus sententiam reddant, habentur: Propter cautelam, salua fide, pio magis
desiderio opinari oporteat, quàm inconsulte definire quod sine periculo nescitur.]
hæc ibi, & alia plura in eamdem sententiam; vt illud supra: Quid horum verius cen-
seatur, ambigimus: anima ne tantum, vel iuncta corpori sit in cælum recepta.] Lau- *a Ioan. 3.*
danda forte modestia, nisi esset labefactata mendacio. Si enim, sententia a Domini, qui B
a semetipso loquitur, mendax est; quanto magis qui falso, quo aliquam aucuparetur fi-
dem, sese Hieronymum simulauit; vt quem constat post Nestorij vixisse tempora, tam
familiariter Paulam & Eustochium allocutus videatur? Ex his itaque videas, quales
sint eius merces, quas nonnisi hisce offusas tenebris licuerit venditare, cum sincera ve- *b Ioan. 8.*
ritas luce gaudeat. Non enim tantum (quod ait Dominus b) qui facit veritatem, sed
& qui dicit, venit ad lucem. Itaque ex his plane intelligis, quæ impostor ille, quisquis
fuerit, commentus est, non secundum ea quæ sentiret Ecclesia, sed præter illius senten-
tiam conatum esse: cum alioqui magnam commeruisset laudem, si perspicue de his in
eamdem cum illa consensionem scripsisset.

XVI. Sed Vsuardum & Adonem ad institutam semel orationem iterum reuocemus. Vn-
de, quæso, vobis ista nomenclatura nouiter vsurpata, vt Dormitionem, non Assum- C
ptionem dicatis? cum præsertim pridie eius diei ambo dixissetis, Vigilia Assumptionis;
cur non potius vestra sententia, Vigilia Dormitionis? cur hæc inconstantia sermonis? *c Galat. 5.*
Cogor equidem cum Apostolo dicere c: Currebatis bene; quis vos impediuit? An for-
tasse moti estis exemplo Græcorum, qui item Dormitionem dixerunt? Sed nec vobis
eiusmodi suffragatur exemplum: cum alioqui Ioannes Damascenus, & alij qui Dor-
mitionem dixerunt, eam tamen vna cum corpore in cælum esse assumptam, aperte te-
stati sint; nec, vt vos, id affirmare dubitauerint. At sane (vt liquido apparet) nihil ad
hæc vos impulit, nisi Hieronymi, quam putabatis, auctoritas. Hinc excusatione aliqua
digni essetis, quòd Hieronymi nomine decepti estis; si Romanæ Ecclesiæ, quod seque-
remini, exemplum defuisset. An non præcedebant quæ sectari debuisseris, Romani
ASSVMPTIO TRANSITVS VIRGINIS NOMINATVS. Martyrologij vestigia antiquissima, in quo non Dormitio, sed Assumptio dicitur? qua D
voce semper Romana Ecclesia vsa est, vt est videre in Ordine Romano, Sacramenta-
rio sancti Gregorij, alijsq. antiquis Ritualibus & Missalibus libris. Ecquid, rogo vos, sibi
vult, quòd dum aliorū omnium recolit Ecclesia sanctorum natiuitatis, nempe migra-
tionis ex hac vita celebritatem, natalē diem nominare consueuit, vel migrationem, vel
aliquando dormitionem; cum vero agit de obitu sanctissimæ Dei genitricis Mariæ,
non natalitium, non dormitionem, nec migrationem vocat, sed Assumptionem ap-
pellat? nisi quoniam non solius animæ ad Deum transitum, sed & corporis simul euc-
tionem voluit significare? Sicut enim cum Christi anima vnà cum carne cælos pro-
pria, non aliena virtute conscendit, Ascensionem vocat; ita Dei genitricis migratio-
nem, quòd non suapte virtute, sed filij gratia a mortuis resurrexerit, & in cælum euc-
ta fuerit, proprietate loquendi maluit Assumptionem Ecclesia appellare.

XVII. Porro non hi tantum ea epistola commenticia, Hieronymi nomine scripta, vel So- E
phronio falso attributa, sed & alij complures eorumdē auctoritate decepti sunt, quòd
dixerint: Plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid friuolum &
apocryphum inde tenendo docere.] vt inter alios auctor ille sermonis qui hactenus
Augustini nomine latuit (est autem trigesimusquintus de Sanctis) sed falso: cum enim
citetur ab eo Isidorus, alium ab Augustino esse auctorem, certum est: ille, inquam, ea-
dem Hieronymi auctoritate perculsus, nec verbum proferre de assumptione cum cor-
pore ausus est. Sed dicant velim, vbinam, aut quando, vel quo saltem leui signo id
quod dicunt, Ecclesia professa sit se nescire; cum alioqui, licet nullum de ea re decre-
tum edixerit, in ipsis sacris Ecclesiasticis precibus, quas ea die publice recitare consue-
uit, id affirmasse sæpius videatur, Versibus, Responsorijs, Antiphonis, & Lectionibus?

In quam

A In quam sententiam cum Patres omnes, qui de ea re egerunt, æque conspirent, & Scho- ECCLESIA QVID PROFESSA.
lasticorum a classis pariter consentiat, nullus remanet dubitandi de ea re locus: adeo vt *a Thom. Benauent. Antonin. Alb. Mag. Ricard. de S. Vict. Vgo de S. Vict. & alij omnes recentiores.*
perfrictæ frontis & procacis sit animi indicium, Ecclesiæ vniuersalis vsui & tot Patrum
sententijs non acquiescere; maximamq. omnium esse temeritatem his omnibus contra-
dicere. Cum præsertim quæ Hieronymi vel Sophronij nomine inscripta est epistola, *b Aug. serm. de sanct. 34. & 35. & tom. 9. tract. 8. & tom. 10. 83. in Append. edit. Louan.*
quam refellimus, ac proinde Augustino b sermones de Assumptione falso adscripti, quos
merito Louanienses schola reijcit in angulum, vel quæ id genus sunt aliæ apocrypho-
rum quisquiliæ, quæ potius detrahant, quàm probent veritatem, eadem omnia alia
adhuc confutentur ratione, vt manifestæ arguantur falsitatis.

Quomodo, quæso, auctor ille, qui se Hieronymum esse mentitus est, dicit Dei ge- XVIII.
nitricis sepulchrum eo tempore, quo viuebat Hieronymus, desuper terram omnibus SEPVLCHRVM DEI GENITRICIS INCOGNITVM.
B fuisse perspicuum? Qua enim ratione Epiphanius Hierosolymis sæpe versatus (vt de eo
tradit Hieronymus c) se ambigere ait, an mortua fuerit, si eius sepulchrum ob oculos *c Hier. ad Pammach. epist. 61. d Hier. epist. 27.*
omnium positum, perspicuum omnibus factum esset? Vel quomodo de eo mentionem
facere Hieronymus d prætermisisset, qui relegens cuncta Palæstinæ loca quæ S. Paula
Roma veniens inuisit, & vt taceam de Christi sepulchro, alia cuncta quæ ibi erant me-
moria digna monumenta recenset, vt duodecim Patriarcharum, Iosue, Eleazari filij
Aaron, Elisæi, Abdiæ, Michææ, Ioannis Baptistæ, Lazari, necnon & mausoleum He-
lenæ Adiabenorum Reginæ, quæ tempore Claudij populum fame laborantem pauit?
Quis adduci potest, vt credat vnum tantū Dei genitricis sepulchrum a Paula spretum,
vt non inuiserit; vel Hieronymo mente excidisse, vt non meminerit; cum præsertim
agens de Gethsemani in libro de locis Hebraicis, vnam tantum illic erectam ecclesiam,
C vbi Dominus in horto orauit, affirmet, nec de contiguo eidem loco Dei genitricis se-
pulchro vel verbum faciat? Ex his igitur manifestior redditur hominis impostura, qui
nomine eiusdem Hieronymi dictam epistolam scripsit ad Paulam, dum hæc ait: Mon-
stratur autem sepulchrum eius cernentibus nobis vsque ad præsens in vallis Iosaphat
medio, quæ vallis est inter montem Sion & montem Oliueti posita; quod tu, o Paula,
oculis aspexisti: vbi in eius honorem fabricata est ecclesia miro lapide tabulata, in qua *e Euseb. in Vit. Const. lib. 3. c. 24. & sequentib. Socrat. lib. 1. cap. 13. Sozom. lib. 1. cap. 1. Theodor. lib. 1. c. 15. 16. 17.*
sepulta fuisse (vt scire potestis) ab omnibus ibidem prædicatur, sed nunc vacuum esse &
mausoleum cernentibus ostenditur.] hæc egregius ille mendaciorum concinnator; qui
non ex his tantum quæ diximus arguitur patentis mendacij, sed etiam ex Eusebio e &
alijs qui egerunt de locis sanctis, Constantini temporibus repertis, & ædificijs illustra-
tis, cum nullus eorum vel leuem saltem de sepulchro Virginis fecerit mentionem.

D Quamobrem haud multum ante tempora Iuuenalis, sepulchrum illud fuisse re- XIX.
pertum, ex his dictis adducimur vt credamus. Qui f enim loca illa intuiti sunt, ea- *f Burchar. 1. par. c. 7. §. 47.*
demq. fideliter descripsere, sane testantur, post cladem Hierosolymitanam a Roma-
nis illatam, sepulchrum Dei genitricis ruina propinquorum ædificiorum sic fuisse
coopertum & obrutum, vt per gradus circiter sexaginta pateat ad illum locum descen-
sus. Et qui nostris temporibus illuc peregrinati sunt, testantur illud in petra excisum
esse, & instar sepulchri Domini, natiui lapidis cohærentia loco immobiliter inhærere: *g Niceph. lib. 15. c. 14. Ioan. Damasc. ser. 2. de dormit. Deip. prope fin.*
meminit & Beda de Locis sanctis, sepulchrum Dei genitricis suis temporibus vacuum
cerni in dicto loco: vnde & miramur, quomodo illud dicatur g Constantinopolim fuis- REPERTVM VACVVM SEPVLCHRVM S. MARIAE.
se translatum. Cum vero tandem ipsum Dei genitricis sepulchrum inuentum est sine
eius corpore: eius inuentionis occasione, quòd vacuum sit repertum, de eius in cælum
E cum corpore assumptione exhibitum est scribendi argumentum: antea autem nemo
(quod repererim) eiusmodi scribendi genus attigit. Nam sicut qui fertur esse Augusti-
ni sermo, alterius potius auctoris esse putatur, ita qui Athanasij nomine inscribitur,
alicui alteri potius adscribendum existimauimus, quàm Athanasio: nam cum ibi au-
ctor multus sit in confutando Nestorij dogmate, de quo tunc esset controuersia, & vr-
gere Monothelitas conetur, plane alius ab Athanasio esse conijcitur. Si enim ea ab
Athanasio scripta fuissent, Cyrillus eiusdē Ecclesiæ Episcopus, & alij Patres qui Ephesi-
no Concilio aduersus Nestorium interfuere, & cuncta quæ a sanctis Patribus scripta essent
volumina, vt illius hæresim impugnarent, euoluerunt, nequaquam adeo laborassent,
sed nullo negotio quid de incarnatione Verbi sentiendum esset, vna illa tanti Patris
edita homilia occlusissent ora omnium blasphemantium.

Non ignoramus Glycam Siculū, recentiorem historicum, vt Athanasij homiliam il- XX.
lam ci-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iam citasse: sed cum auctor eo sermone se ea conari testetur aduersus blasphemias hæ- A
reticorum; doceat fuisse temporibus Athanasij, vel ante, qui sicut duas naturas, ita duas
personas in Christo prædicarent, & negarent Mariam matrem Dei esse dicendam, quos
ibi auctor impugnat: cum alioqui sciamus Athanasium [a], quòd non esset suo tempore
ea de incarnatione Verbi exorta agitataq. controuersia (etsi semper eadem senserit quæ
in sacrosancto Concilio Ephesino postea reperiuntur esse decreta) non adeo explicite
ijsdem prorsus vocibus vsum esse; quas ad excludendum penitus dogma Nestorij, Pa-
tres qui eidem Synodo interfuerunt, oportuit dilucidius declarasse. Cum tamen auctor
ille post Synodum ea scripsisse ex hoc ipso manifeste cognoscatur; cum secundū quod
definitum fuerat in eodem Concilio Ephesino, duas prædicet in Christo naturas in vna
persona inconfuse, indiuise, & inconuertibiliter simul vnitas.

[a] Athan. de Incar. Verb. Citatus a Cyrillo lib. ad Reginas. Vid. in Concil. Ephes. to. 1. c. 5. edit. Peltan. pag. 70.

XXI. Quas quidem voces ad insinuandas naturæ diuinæ cum carne vnionis proprietates, a B
Patribus tunc primum inuentas, nemo res illas exactius perscrutatus inficias ierit: si-
cut aduersus Monothelitas ab eodem auctore illa apposita verba: Duas prædicamus
voluntates, sed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, sed vnum volentem
secundum vnitatem personæ: contra, duas voluntates & duas operationes secundū pe-
culiarē vtriusque naturæ rationem. hoc igitur modo incarnationis mysteriū prædican-
tes, hæreticorum blasphemias repudiamus, in quibus ipsos relinquentes transimus.]
Sed quos hæreticos, præter Monothelitas, in quos agit? Doceat, si quis his refragatur,
alios tempore Athanasij vel ante extitisse hæreticos, qui adeo explicite negarent in
Christo duas voluntates atque operationes, vt oportuerit ita distincte ab Athanasio
confutari; quos & obstinate in errore persistentes, ita redargutos, in eadem hæresi mer-
sos, vt desperatos ipsum (vt ait) sic opus fuerit reliquisse? C

XXII. Sed & illud obserua: Quidnam est, quòd ibidē auctor adeo detestetur dici Christum
hominem Deiferum; nisi quia Nestorius primum his abusus est vocibus, quibus etiam
ante Patres Nicæni Concilij, S. Basilius, & alij vsi sunt, vt Theodoretus Anathematis-
mis contra Cyrillū affirmat. Cum igitur vt Christum hominē Theophorum dicere ab-
horrerent postea Patres, Nestorius in causa fuerit, vt pluribus docet Cyrillus in libro de
Incarnatione Vnigeniti, capite vigesimosecundo, & vigesimotertio: necesse est affirma-
re, auctorem qui in dicta homilia easdem detestatus est voces, ipsum post Nestoriū ex-
titisse: cuius causa, nempe vt eius hæresis impugnetur, in quinto Cyrilli Anathematis-
mo vna cum alijs in Concilio Ephesino recepto ita definitū habetur: Si quis Christum
Deiferum hominem audet dicere, & non potius Deum secundum veritatem, &c. ana-
thema sit.] Quonam pacto, quæso, exhorruisse potuit Athanasius dicere Christū homi- D
nem Deiferū, qui (quod minoris efficaciæ est) dixerat Christum hominem Dominicum
in expositione Fidei ad finem, & in sermone maiori aduersus Apollinarē, qui citatur in
Concilio Lateranensi sub Martino Papa & martyre, secretario quinto? Quibus omni-
bus videas non esse Athanasium sermonis illius auctorem, sed aliquem alium qui vixit
post Nestorij tempora, vigente hæresi Monothelitarum.

XXIII. Consultus de eadē homilia quid sentiret, eruditus vir Antonius Agellius, ad superio-
ra ista addidit: Angelicas Hierarchias in ternos ordines distributas, apud neminē ex illis
veteribus reperias, nisi apud solū Dionysiū, cuius opera Athanasij tempore erāt ignota.
itaque vbi de Angelis agūt, nomina illi quidē vsurpant quæ apud B. Paulū reperiuntur;
Hierarchias Angelorū, ternasq. distinctiones nusquam commemorant. Deinde illud me
maxime permouet, quòd etymologiā vocis οὐσίας leuiter admodū ac pene pueriliter au- E
ctor exequitur, vt indignissimū sit eam tanto viro tribuere, sic dictam οὐσίαν quasi ἰοῦσαν.
Atqui vox ἰοῦσα nusquam apud Græcos reperitur: dicunt enim ἰοῦσσα, cū æqualitatem
significant: et οὐσία non ἀπὸ τῆς ἰούσης, sed a femineo potius participio ὄσα deducitur. Fe-
re idem peccat, nisi etiam periculosius, in explicanda appellatione τῆς ὑποστάσεως, quasi
de eo dicatur qui sub alio stat, hoc est, alteri sit subiectus: cū hypostasis etiam de Patre
dicatur, qui sub nullo stat, cū a nemine habeat originem.] hæc ipse. Licet vero & alij viri
eruditi idē sentiant: tamen quòd sub nomine Athanasij cusus extet sermo ille, nec cuius
auctoris sit, possit facile demonstrari; donec legitimus eius scriptor inueniatur, sub no-
mine remaneat Athanasij in Breuiario, secundum Prætoris interdictum, Vti possidetis,
ita possideatis. Hæc idcirco dixisse voluimus, quòd existimemus Catholicam verita-
tem labefactari potius, quàm hisce fallis allegationibus adiuuari. Ceterum quisquis fue-

rit au-

A rit auctor ille, certe constat non ex triuijs vulgarem fuisse hominem, sed plane insigni-
ter eruditum, ac pietate præstantem: sicut & duos illos sermones, qui Augustini nomine
editi sunt, licet ipsius non sint, tamen (quod ex illis licet animaduertere, & vt est in pa-
rœmia, Ex vnguibus leonem) clarissimorū Theologorū esse opus, non veremur asserere.

Demum vt de his dicendi finem faciamus: sicut tam ex Græcorum quàm Latino- XXIV.
rum omnium (perpaucis exceptis, qui ea epistola decepti sunt) assertione, ita etiam ex ASSERTIO DE MARIAE ASSVMPTIONE.
Romanæ Ecclesiæ vsu recepto firmiter constanterq. asserimus ac profitemur, ipsam
sanctissimam Dei genitricem Mariam vna cum sacratissimo illo corpore, quo impar-
tita est Deo carnem, in cælum esse receptā. Quod quidem haud adeo mirū vel nouum
videri debet; cū si cetera in illam collata pensentur beneficia, hoc leuius censendū videa-
tur, quod & alijs plurimis constat fuisse diuina liberalitate concessum. Quòd si Chri-
B sto resurgente ex mortuis, multa subinde (vt ait Euangelista [a]) sanctorum corpora sur- [a] Matth. 27.
rexerunt, & introierunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis; quos, penetrans
ille cælos, duxit secum in altum, captiuam (vt est apud Paulum [b]) ducens captiuitatem: [b] Ephes. 4.
quid, inquam, tam mirum, tam nouum, vt matri concessum sit, quod compluribus
seruis constat fuisse tributum? Sunt & aliæ innumeræ rationes, immo & sanctorū ora-
cula Prophetarum, quæ non id suadeant solum, sed & affirmare compellant: quæ cum
ab alijs pluribus sint recensita, in illis diutius non immorabimur. Hactenus de assum-
ptione Dei genitricis Mariæ; quam quidem non sic recensuimus hoc anno, quasi affir-
mare velimus, hoc ipso anno esse defunctam, & in cælum assumptam; sed quòd hoc
anno ponatur ab Eusebio, nobisq. quonam anno certo decesserit, sit inexploratum. Sed
C quo tempore cœpta sit celebrari in Ecclesia solemnitas Assumptionis Dei genitricis,
egimus in Notationibus ad Romanum Martyrologium.

Fertur eiusdē Dei genitricis epistola ad Ignatium reddita, eiusdemq. Ignatij vna ad XXV.
ipsam scripta, duæ vero ad Ioannem Euangelistā de eadē ipsa loquentes. Sed Hierony- DE SCRIPTIS S. MARIAE.
mus [c], & alij antiquiores, qui eiusdem Ignatij recensuerunt epistolas, eas non nouerunt. [c] Hier. de Script. Eccl. in Ignat.
Traduntur & aliæ ab ipsa ad alias scriptæ ciuitates: quas cunctas, cū careant Ecclesiæ
auctoritate, nonnisi in apocryphorum classem reiiciendas esse, omnes facile iudicabunt.

Describitur Dei genitricis effigies a Nicephoro [d] ex Epiphanio, vt ait, in hæc verba: XXVI.
Mores autem, formæq. & staturæ eius modus talis (vt inquit Epiphanius) fuit: Erat in [d] Niceph. lib. 2. c. 23.
rebus omnibus honesta & grauis, pauca admodum eaq. necessaria loquens, ad au- EFFIGIES DEI GENITRICIS MARIAE.
diendum facilis, & perquam affabilis, honorem suum & venerationem omnibus ex-
hibens: statura mediocri, quamuis sint qui eam aliquantulum mediocrem longitudi-
D nem excessisse dicant. Decenti dicendi libertate aduersus homines omnes vsa est, sine
risu, sine perturbatione, & sine iracundia maxime. Colore fuit triticum referente: capil-
lo flauo, oculis acribus, subflauas tamquam oleæ colores pupillas in eis habens: super-
cilia erant ei inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia florida, & verborum suā-
uitate plena: facies non rotunda & acuta, sed aliquanto longior, manus simul & digiti
longiores. Erat denique fastus omnis expers, simplex, minimeq. vultum fingens, ni-
hil molliciei secum trahens, sed humilitatem præcellentem colens. Vestimentis, quæ
ipsa gestauit, coloris natiui contenta fuit; id quod etiamnum sanctum capitis eius ve-
lamen ostendit. Et, vt paucis dicam, in rebus eius omnibus multa diuinitus inerat gra-
tia.] hæc ille, qui & superius [e] Domini Iesu describit effigiem. Sed in his non immo- [e] Niceph. lib. 1. c. 40.
ror, cum ex pictura aliqua prototypa hæc potius descripta, quàm ex viuentis ipsius
E imagine esse videantur accepta. Ceterum alibi [f] testatur, S. Lucam Euangelistam Dei [f] Niceph. lib. 14. c. 2. & lib. 15. c. 14.
genitricis pinxisse imaginem: sed & Saluatoris effigiem ab eodem coloribus esse effi- [g] Metaphr. 18. Octob. in Luca.
giatam, tradit Metaphrastes [g].

Hoc eodem anno quadragesimooctauo, ijsdemq. Coss. Cuspius Fadus Iudææ Pro- XXVII.
curator negotium fecit Iudæis de stola pontificia, olim illis reddita, quam rursus in STOLAE PONTIFICIAE CAVSA IVDAEIS NEGOTIVM FACTVM.
Romanorum Præsidum ditionem vendicare curauit. Rem gestam in hunc modum
Iosephus [h] describit: Accitis deinde Pontificibus, & Hierosolymitanorum primati- [h] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 1.
bus, mandatum Cæsaris eis exposuit, vt talarem tunicam, & sacerdotalem stolam,
quam solum summum Pontificem induere fas est, in castellum Antoniam depone-
rent, vt esset in Romanorum potestate, quemadmodum olim fuerat. Illi vero non
audentes contradicere, rogabant tamen Fadum & Longinum (venerat & ipse Hiero-
solymam cum copijs, timens ne ad Fadi postulata Iudæi molirentur noui aliquid)

Universidad de Deusto
Biblioteca

primum vt legatos sibi ad Cæsarem liceat mittere, qui ab eo petant sacræ stolæ seruandæ ius: deinde vt expectetur super postulatione rescriptum illius. Responsum est, permissuros vt legati mittantur, si prius darentur obsides: cumq. prompte liberos suos dedissent, legati profecti sunt. Agrippa iunior defuncti filius, qui tum forte apud Claudium agebat (vt diximus) cognito qua de causa venissent, rogauit Cæsarem, vt Iudæis sacræ stolæ custodiam petentibus annuere dignaretur, & Fado super hoc negotio scribere. Tum Cæsar, vocatis ad se legatis, ait se hoc eis concedere, hoc enim se illius donare precibus. cui responso talem epistolam addidit: A

XXVIII. CLAVDII IMP. EPISTOLA AD IVDAEOS.

Claudius Cæsar Germanicus Tribunitiæ potestatis Cons. designatus IIII. Imp. X. PP. Hierosolymitanorum magistratibus, Senatui, & populo, totiq. Iudæorum genti salutem.

Quoniam Agrippa alumnus meus pijssimus, quem ego domi educo, adduxit ad me vestros legatos, gratias agentes quòd sedulo genti vestri prouideam; roganteſq. enixe, vt pontificalem stolam & coronam vobis seruare liceat: Concedo quod petitis, quemmodum ante vir optimus & mihi carissimus Vitellius concesserat: vestræq. voluntati annuo, primum motus pietate propria, & quia placet religiosum esse more suæ patriæ: deinde vt gratificer Herodi Regi, & iuniori Aristobulo, quos & mihi deuotissimos noui, & vestri studiosissimos, meritoq. illorum amicitiam plurimi facio. Scripsi autem de hac re & Cuspio Fado Procuratori meo per Cornelium Ceronis, Tryphonem Theudionis, Dorotheum Nathanaelis, ac Ioannem Ioannis filium. Datæ quarto Kalend. Iul. Ruso & Pompeio Siluano Coss.] hactenus Claudij epistola, & de stola pontificia negotium. B

XXIX. Porro litteræ Claudij in nomine Consulum & in titulo deprauatæ noscuntur, dum primo Siluanus pro Silano ponitur, & Rufus pro Valerio Asiatico, qui hoc anno Consulatum gesserunt: Pompeius enim & Rufus, qui in eis ponuntur, post hæc tempora creati sunt Coss. nempe Pompeius anno nono Claudij, Rufus vero anno decimo. Ceterum constat, longe ante esse scriptam eam epistolam, nimirum cum Herodes Rex Chalcidis, cuius in ea mentio habetur, adhuc viueret; quem, teste eodem Iosepho, constat vita functum octauo eiusdem Claudij anno. Quod rursum se ad Cuspium Fadum scripsisse, eadem epistola Imperator significet: plane demonstrat, illam hoc anno, dum adhuc esset in magistratu, & non post tres annos, cum alius (vt suo loco dicemus) Iudæam procuraret, scriptisse: hoc enim vel sequenti anno missus est successor Fado Tiberius Alexander, eius Alexandri filius (vt idem Iosephus [a] testatur) qui Alabarchiæ magistratum gessit Alexandriæ, omnium in ea vrbe suo tempore ditissimi, qui etiam erga Deum pietate superauit filium desertorem paternæ religionis. Hæc cum scribat Iosephus, addatq. hoc tempore famem illam ingentem contigisse, quæ anno secundo (vt vidimus) Claudij facta est: quàm toto cælo (vt aiunt) erret, perspicuum est. C D

[a] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3. TIBERIVS ALEX. PROCVRATOR IVDAEAE.

XXX. At quoniam Alexandri Alabarchæ mentio facta est: quod pertinet ad Alabarchiæ functionem; fuit eiusmodi magistratus in Ægypto nobilis, cuius curæ commissa erat salis dispensatio, dicebaturq. Alabarcha, salis præfectus. De homine hoc magistratu fungente, & Romæ statuam inter triumphales habente, sed quæ tamen, vtpote Iudæi hominis, contemptui omnibus esset, Iuuenalis [b] putatur satyrice ceciniſſe his versibus:

[b] Iuuenalis satyr. 1.

Atque triumphales, inter quas ausus habere
Nescio quis titulos Aegyptius, atque Alabarches,
Cuius ad effigiem tantum non meiere fas est, &c.] E

DE ALEXANDRO ALABARCHA.

Erat (vt diximus) dictus Alexander Ægypti Alabarcha germanus Philonis Hebræi, qui functus est ad Caium pro Iudæis Alexandrinis legatione: in cuius fortasse honorem illa erat erecta statua: nam quem Tiberius in carcere detinuerat, Caius soluit, atque honorificentissime habuit. Sed ad res gestas sub procuratione Tiberij reuertamur.

[c] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3.

Hoc tempore (inquit Iosephus [c]) Herodes Rex Chalcidis, quem dictum est impetrasse a Claudio ius in sacerdotes & templum, Iosephum Camidæ filium priuauit summo pontificatu, eiq. succedere iussit Ananiam Nebedæi filium. Functus est autem suo magistratu Tiberius biennio, vsque scilicet ad Herodis obitum, annum vero Claudij Imperatoris octauum.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 49. PETRI ANNVS 5. CLAVDII IMP. ANNVS 7.

Circumacto anno Domini quadragesimooctauo, qui sequitur quadragesimusnonus Consules [a] habuit Claudium Augustum quarto & L. Vitellium tertio: quo tempore, secundum a nobis institutum temporis ordinem, Paulus [b] & Barnabas, peracto peregrinationis suæ circulo, Antiochiam Syriæ redierunt. id Lucas his verbis narrat: Transeuntes Pisidiam, venerunt in Pamphiliam: et loquentes verbum Dei in Pergen, descenderunt in Attaliam, & inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus quod compleuerunt. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis.] hæc Lucas. Quomodo autem oborta Antiochiæ inter Fideles dissensione, Paulus & Barnabas venerint Hierosolymam, dicemus post annum sequentem, quo illorum occasione habitum fuisse Concilium Apostolorum de abolenda circumcisione, certa ratione monstrabimus. I.

[a] Dio lib. 60.

[b] Act. 14. PAVLVS ET BARNABAS REVERSI ANTIOCHIAM.

B

Eodem anno Romæ cum in dies magis magisq. propagaretur Christiana religio, ipsaq. Gentilium superstitio ea de causa nonnihil inciperet posthaberi, Claudius Imperator ex S. C. aruspicum disciplinam restituendam curauit. Id enim Tacitus [c] his verbis tradit: Retulit deinde ad Senatum super collegio aruspicum, ne vetustissima Italiæ disciplina per desidiam exolesceret.] et paulo post: Et quia externæ superstitiones valescant; & læta quidem in præsens omnia, sed benignitati deum gratiam referendam: ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterarentur: factum ex eo Senatusconsultum, viderent Pontifices, quæ retinenda firmandaq. aruspicum.] hæc Tacitus: quem per externas superstitiones, Christianam quoque religionem in Vrbe iam ante quinque annos disseminari cœptam significare voluisse, nullus iure poterit dubitare. Ceterum non sua tantum restituere ac roborare, sed & nostra labefactare ac penitus infringere conatus est, dum vna cum Iudæis Christianos, qui in Vrbe erant, loco expulit, vt inferius post sequentem annum dicemus. II.

[c] Tacit. lib. 11. CLAVDIVS PROSPICIT GENTILICIAM SVPERSTITIONI.

C

D

IESV CHRISTI ANNVS 50. PETRI ANNVS 6. CLAVDII IMP. ANNVS 8.

Sequitur ordine annus Domini quinquagesimus, A. Vitellio & L. Vispanio Coss. quo Claudio agente octauum annum in Imperio, Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ maioris Regis germanus (vt Iosephus tradit [d]) vita functus est. sunt enim hæc Iosephi verba: Tiberio Alexandro succeſſit Ventidius Cumanus: quo tempore idem Herodes Agrippæ magni frater vita excessit, anno octauo principatus Claudij.] et alibi [e]: Post obitum, inquit, Herodis, qui regnauit in Chalcide, Claudius Agrippam, Agrippæ filium, in patrui sui regno constituit. Alterius autem prouinciæ susceperit curam post Alexandrum Cumanus, sub quo oriri cœperunt tumultus, & denuo Iudæos calamitas comprehendit. Nam exorta [f] seditione Hierosolymis, multi Iudæorū desiderati sunt: cuius causam primum explicabimus. Instante Paschæ festo, per quod nostris hominibus vesci panibus infermentatis mos est, concurrentibus vndique ad solemnitatem turbis plurimis, veritus Cumanus ne inde nasceretur motus aliquis, iussit cohortē vnam armatam stare supra templi porticus, cohibituram tumultum, si quis forte existeret: nam idem & alij ante illum Præsides factitarunt festiuitatum temporibus. Eius festi die quarta, miles quidam ostendit populo nuda genitalia: qua contumelia furentes vociferabantur, non se affectos iniuria, sed ipsum Deum, quem honoraret ea celebritas: et quidam audaciores in Cumanum iactabant conuicia, dicentes ab illo submissum petulantem illum militem. I.

[d] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3. HERODIS OBITVS, CVMANI PROCVRATIO.

[e] Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 11.

[f] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3. 4.

E

His auditis Cumanus & ipse non mediocriter irritatus est; rogabat tamen vt desinerent mouere seditionem festo tempore. cumq. illi adeo non parerent, vt maioribus II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SEDITIO ET CLADES IVDAEORVM.

etiam impeterent eum conuicijs; iubet totum exercitum cum armis conuenire in Antoniam castellum templo imminens, vt supra docuimus. Vulgaris multitudo, viso aduentu militum, territa, cœpit magno impetu fugere: et cum essent angusti viarum exitus, rati a tergo hostem insequi, comprimebant se inuicem inter fugiendum, & conculcabant in angustijs, ita vt perirent plurimi: viginti enim millia extinctorum illo tumultu numerata sunt: versaq. in luctum festa lætitia, omnes sacrificiorum & precationum obliti, dederunt se lamentis & eiulatibus: tantam cladem intulit vnius militis impudentia.] hæc Iosephus: licet parum sibi constans, alibi [a] numerans in compressione necatos, dicat supra decem millia hominum esse extincta. Sed quid ad hæc additum sit mali, cœptam persequens idem Iosephus [b] orationem, ait:

[a] Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 4.
[b] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 4.

III. NOVA CAVSA ADDITA.

Vix hic luctus desierat, cum aliud malum accidit. Quidam enim, qui ex illa turba fugientes euaserant, in publica via, centeno ab vrbe stadio, Stephanum Cæsaris seruum iter facientem aggressi sunt latrocinio, omnesq. eius diripuerunt sarcinas. Quo audito, Cumanus confestim eo misit milites, iussos vt vicos loco propinquos diriperent. In hac populatione miles quidam libros Mosaicos in quodam vico inuentos protulit, eosq. lacerauit in conspectu omnium, multis debacchatus & in legem & in gentem totam conuicijs. Hoc vbi ad Iudæos perlatum est, facto concursu agmine magno petunt Cæsaream, in qua tum Cumanus agebat, supplicantes, vt non suâ, sed læti numinis vlciscereturiniuriam. Tum Præses veritus defectionem populi, de amicorum consilio, militem illum violatorem legis securi ferijt; atque hoc modo tumultum iam repullulantem sedauit.

IV. DISSIDIA INTER SAMARITANOS ET IVDAEOS.

Post hæc [c] vero inter Samaritas & Iudæos oritur dissidium, initijs talibus. Mos erat Galilæis per dies festos Hierosolymam petentibus, iter facere per Samariam. Aliquando igitur cum transirent vicum Samaritanorum ditionis, qui Nais dicitur, in Magno campo situs, commissa inter viatores & vicanos pugna, multi Galilæorum desiderati sunt. Id indigne ferentes eorum primates, Iudæos ad arma concitauerunt, hortantes vt se in libertatem assererent: seruitutem enim etiam per se molestam, tum vero fieri intolerabilem, si cum subditorum iniurijs coniuncta sit. Cumq. magistratus lenire eos conarentur, pollicerenturq. se Cumano persuasuros, vt pœnas de cædis auctoribus sumeret: vulgus, contemptis pacificationibus, arma corripit, adscito in auxilium Eleazaro Dinæi filio: is ex professo latro, multis iam annis in montibus errans, vicos Samaritanorum incendijs & rapinis vastauerat.

[c] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 5.

V. QVID CVMANVS IN IVDAEOS.

At Cumanus, cognitis quæ gesta fuerant, assumit Sebastenorum alam, & quatuor cohortes peditum, armatisq. iam Samaritanis, contra Iudæos proficiscitur: quos assecutus, multos perimit, plures viuos captos abducit. Tum vero Hierosolymitanorum primi genere atque honoribus, vt viderunt ad quantam calamitatem ventum esset, induti sacco, & capita sparsi cinere, modis omnibus conabantur flectere multitudinem, præ oculis ei ponentes diruendam patriam, & templi incendium, liberosq. cum vxoribus captiuos abducendos, vt profanis nationibus seruiant: rogabantq. vt mutato consilio, abiectis armis, quiescerent in posterum, & suas quisque domos repeterent. His verbis tandem persuasi, dilapsi sunt: latrones vero ad loca munita reuersi sunt denuo. atque eo tempore vniuersa Iudæa repleta est latronum receptaculis. Porro Samaritanorum primates Vinidium Quadratum Syriæ Præsidem, tunc Tyri agentem, conueniunt, & Iudæos accusant, quòd vicos eorum diripuerint, addentes se non tam ægre ferre propriam iniuriam, quam contemptam Romanorum potestatem, ad quorum cognitionem spectaret de iniurijs prouincialium decernere: nunc istos, quasi nulli essent magistratus Romanorum, vicinos infestasse incursionibus: quamobrem nunc se venisse, vt vindictam impetrarent a Præside. hæ fuerunt Samaritanorum querelæ. Iudæi contra & seditionis & pugnæ causam in Samaritanos transferebant, sed maxime in Cumanum, qui muneribus illorum corruptus, tantam cædem dissimulanter tulerit.

VI. IVDAEI CIVES PIXI.

His auditis, Quadratus iudicium distulit, dicens se prolaturum sententiã, postquam præsens apud Iudæam rei veritatem exactius cognouerit. Ita tum infecto negotio, discessum est. Paulo vero post Quadratus venit in Samariam: vbi cum iussisset reos causam suam dicere, comperit Samaritanorum culpa tumultum illum excitatum. Cognito deinde quòd & Iudæorum quidam res nouas moliti sint, in crucem egit quos Cumanus viuos ceperat. Inde protectus in vicũ Lyddam instar vrbis amplum, sedens pro tribunali,

tribunali, Samaritanorum causam audiens, didicit a quodam Samarita, Dorcum Iudæorum primatem cum alijs quatuor socijs Iudæos ad defectionem solicitasse: quos Præses affecit supplicio: Ananiam vero summum Pontificem, & Ananum ducem vinctos Romam misit, vt apud Claudium Cæsarem facti sui rationem redderent: primores etiam Samaritanorum, atque Iudæorum, simulq. Cumanum Procuratorem, & Tribunum Celerem ire in Italiam iussit ad Imperatorem, vt sub eo iudice decerneretur de his, quas inter se habebant, controuersijs. Ipse veritus ne nouum aliquid Iudæi molirentur, adijt Hierosolymam: vbi pacata inuenit omnia, populumq. occupatum patrio festo, & operantem sacrificijs. credens igitur nihil nouaturos, reliquit agentes festa, & Antiochiam repetijt.

VII. CVMANVS MVLCTATVR EXILIO.

Cumanus porro & Samaritæ Romam missi, statuta die iubentur causam suam dicere. comparauerant autem fauorem sibi libertorum & amicorum Cæsaris: quorum opera vicissent aduersarios Iudæos, nisi Agrippa iunior tum Romæ degens, & Iudæorum primores premi fauore potentum videns, multis precibus obtinuisset ab Agrippina vxore Claudij, vt marito persuaderet, legitime causam cognoscere, & in deprehensos tumultus auctores iustam proferre sententiam. Claudius igitur his precibus præmollitus, auditis partibus, vt comperit a Samaritanis factum tumultus principium; eos qui tum ad iudicium venerant, supplicio tradidit, Cumanum vero mulctauit exilio; Celerem autem Tribunũ iussit perductum Hierosolymam, inspectante toto populo, raptari per vias, atque ita enecari hominem. Procuratorem deinde in Iudæã misit Claudium Felicem, fratrem Pallantis.] hactenus Iosephus de rebus Iudaicis: quæ tamen non omnia hoc anno contigerunt. Cum enim Iudæis dicat adfuisse Agrippinam Claudij vxorem; eam, auctore Tacito [a], constat anno sequenti a Claudio in vxorem acceptam, Messalinamq. Augustam, sed re vera moribus nobile scortum, hoc anno iussu Claudij esse occisam, Verannio & Pompeio Coss. Immo cum de iudicio inter Iudæos & Samaritanos dicat interpellatum fuisse Quadratum Syriæ Præsidem; equidem ex his quæ sub eo sunt gesta, satis apparet, non ante secundum ab hinc annum fieri potuisse: nam sequenti anno adhuc in magistratu perseuerasse C. Casium Longinum, auctore Tacito [b], satis exploratum habetur; nec de Tito Vinidio Quadrato est apud eum vlla mentio, vsque ad quintum Consulatum Claudij, tertio post hunc anno Fastis adscriptum. Ceterum cum Iosephus in vnum omnes coniecisset quæ sub Cumano sunt obortæ inter eos clades, licet pluribus re vera diuersisq. annis illæ accidissent; nos tamen, in hoc ipsum secuti, in eumdem modum hic ea cuncta descripsimus.

[a] Tacit. lib. 12.
[b] Eod. lib. 12.

VIII. IOSEPHI CORRIGVNTVR ERRORES.

Sed patentis erroris nihilominus idem Iosephus [c] arguitur, dum ait esse damnatum Romæ Cumanum, ac inde Claudium Felicem Pallantis liberti Claudij Augusti germanum missum esse in Iudæam. Nam Felix (si Tacito fidem præbemus, quem certe, in his præsertim quæ ad Romanos pertinent magistratus, quiuis eruditus Iosepho facile anteferet) simul cum Cumano in eam prouinciam missus est, sic ea inter eos diuisa, vt Felix Samariam administraret, Cumanus vero reliquam prouinciæ partem: sed (vt idem auctor tradit) Cumanus a Quadrato Syriæ Præside in prouincia est damnatus, simul considente inter iudices Felice. Sed quo hæc clariora reddantur, libuit hic describere eiusdem Taciti verba, quæ sunt huiusmodi: Interim Felix intempestiuis remedijs delicta accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars prouinciæ habebatur; ita diuisis, vt huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ parerent, discordes olim, & tum contemptu regentium minus coercitis odijs. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, & aliquando prælijs congredi, spoliaq. & prædas ad Procuratores referre. Hiq. primo lætari: mox glisscente pernicie, cum arma militum interiecissent, cæsi milites. Arsissetq. bello prouincia, ni Quadratus Syriæ rector subuenisset. Nec diu aduersus Iudæos, qui in necem militũ præruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent. Cumanus & Felix cunctationem afferebant: quia Claudius, causis rebellionis auditis, ius statuendi etiam de Procuratoribus dederat. Sed Quadratus Felicem inter iudices ostentauit, receptum in tribunal, quo studia accusantium deterrerentur. Damnatusq. flagitiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus, & quies prouinciæ reddita.] hactenus Tacitus sub Coss. Sulla & Othone, anno Domini secundum initam a nobis temporis rationem quinquagesimoquarto. Ex his videas Iosephum ignorasse causam primariam illarum dissensionum, & multos inuoluisse simul errores.

[c] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 5.

Hoc

Universidad de Deusto
Biblioteca

IX. LVSTRVM CVM CENSV. *Tacit. lib. 11.*

Hoc eodem anno (vt idem Tacitus[a] est auctor) iussu Claudij Imperatoris conditum est lustrum, quo censa sunt ciuium LXVIIII. centena & XLIIII. millia. Hæc vero idcirco referimus, vt videas in quantæ vastitatis pelagus Galilæus piscator rete prædicationis immiserit.

IESV CHRISTI ANNVS 51. PETRI ANNVS 7. CLAVDII IMP. ANNVS 9.

I. IV

EVoluto eius anni circulo, nouis Coss. C. Pompeio & Q. Verannio, nouus incipit annus, qui numeratur Domini quinquagesimusprimus, Claudij vero Imp. nonus: quo (vt auctor est Orosius[b]) edicto Claudij, Iudæi Roma pulsi sunt. Id enim Iosephi testimonio se scribere testatur, dum ait: Anno eiusdem nono expulsos per Claudium Vrbe Iudæos, Iosephus refert: Sed me (addit) magis Suetonius[c] mouet, qui ait hoc modo: Claudius Iudæos, impulsore Christo *, assidue tumultuantes Roma expulit. Sed vtrum contra Christum tumultuantes Iudæos coerceri & comprimi iusserit, an etiam Christianos simul, velut cognatæ religionis homines, voluerit expelli, nequaquā discernitur.] hæc Orosius, Suetonium interpretatus, qui subobscure ea scripsit, vt rerum nostrarum haud satis certus, quòd in eis parum versatus esset. Quoniam vero prædicantes Apostoli fidem Christi, nullo in populo vehementius quàm a Iudæa gente (quod in Paulo nuper vidimus) sunt impugnati: haud dubium est, eosdem aduersus Petrum Romæ Euangelium prædicantem, illudq. in dies magis inter Gentiles etiam propagantem, turbas sæpius concitasse; rursumq. alios Christianæ religioni studentes, eisdem fortiter restitisse. Sicq. inuicem altercantibus, assiduisq. concertationibus dissidentibus, quòd Christi fidei occasione concitatæ sunt turbæ, Christo impulsore factum esse, Suetonius existimauit: ratus nimirum, eos qui Christi fidem sectarentur, a Christo ad id esse persuasos, quem & sub Pilato in crucem actum, ac post mortem rursum viuere, eius sectatores prædicarent. Ceterum non tantum Suetonio auctore, quem citat, exploratum habetur, Iudæos a Claudio Roma esse expulsos; sed & Lucæ Euangelistæ testimonio id firmissime comprobatur, ac certum redditur Christianos etiam, qui ex Iudæis Christi fidem sectati essent, ex Vrbe procul abire iussos esse. Dum enim agit de Pauli aduentu Corinthum, meminit de Aquila Pontico, Iudæo genere, sed fide Christiano: quem dicit nuper venisse ex Italia cum vxore Priscilla, eo quòd[d] præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos a Roma.

b Oros. lib. 7. c. 6.

c Suetonius in Claudio c. 25.

* Chresto

IVDAEI ROMA EXPVLSI ATQVE CHRISTIANI.

d Act. 18.

II. DE TEMPORE EXPVLSIONIS IVDAEORVM EX VRBE.

Quod vero ad tempus pertinet: quo potissimum anno eiusmodi aduersus Iudæos fuerit promulgatum edictum, antiquiores omnes[e], quos viderim, Orosio assentientes, factum id tradunt hoc ipso anno nono Claudij imperantis. Qua autem ratione ex recentioribus quidam[f], & is quidem primus, aduersus omnium sententiam dicere sit ausus id accidisse anno sexto eiusdem Principis, non inuenimus; cum eiusdem Euangelistæ testimonio apertissime redarguatur, dum Aquilam & Priscillam nuper dicit ex Italia occasione Claudij edicti recessisse, & Corinthum venisse. Quo modo ergo anno sexto Claudij, Iudæi Roma sunt pulsi, si eius occasione, qui cū ceteris Vrbe eiecti sunt, Aquilam & Priscillam nuper ex Italia Corinthum appulisse Lucas testatur, & quidem (vt ponit) post aduentum Pauli Corinthum, quem non ante nonum annum Claudij accidere potuisse, nec ipse negat? Qua, inquam, ratione anno sexto Claudij Iudæos Roma pulsos esse tradit, si hoc anno nono Claudij (vt ait[g]) Paulus Corinthum veniens, Aquilam & Priscillam inuenit illuc nuper (quod ait Lucas) eius edicti occasione ex Italia esse profectos? Hæc itaque licet satis superq. confutata habeantur; tamen & ex his quæ proxime dicturi sumus de tempore quo celebratum est ab Apostolis Hierosolymitanum Concilium, magis perspicua fient.

e Beda de sex ætat. Ado in Chron. Marian. Scot. lib. 2. & alij.

f Panuin. in Fastis.

g Idem in Fastis.

III. PETRVS REDIT HIEROSOLYMAM.

Expulsum vero fuisse cum ceteris Iudæis Romæ commorantibus etiam Petrū Apostolum (nisi alia aliqua occasio inde eum ante abduxerit) nulla est dubitatio: quem hoc ipso anno Hierosolymorum interfuisse Concilio, Lucæ testimonio[h] exploratum habetur. Nam quod ait S. Leo in Natali Apostolorum, Petrum non cessisse Claudio vel Neronis non sic accipiendum est, vt edicto cum alijs pulsus, illi haud acquiescendum putarit; sed quòd potius, dum Romæ mansit, illis licet inuitis, Euangelium intrepide prædi-

h Act. 15.

A prædicarit. Metaphrastes[a] (si qua tamen fides adhibenda est illi sine maiorum auctoritate loquenti) tradit, Petrum, cum Roma recessisset, in Africam nauigasse, & Carthaginensem erexisse Ecclesiam, ac ibidem reliquisse Crescentem discipulum, qui illam administraret: inde Alexandriam concessisse, erectaq. Ecclesia Alexandrina, ibiq. Marco instituto Episcopo, ac Thebis Rufo, Hierosolymam profectum esse.

a Metaphr. die 29. Iunij.

Sed iam de ipso Hierosolymis congregato Concilio agamus. Causam vero, qua istiusmodi Concilium fuerit ab Apostolis celebratum, Lucas[b] his verbis sic explicat: IV. DE CONCILIO HIEROSOLYMITANO.

b Act. 15.

Quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres: Quia nisi circūcidamini secundum morem Moysi, non poteritis saluari. Facta ergo seditione non minima Paulo & Barnabæ aduersus illos, statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs ad Apostolos & presbyteros in Hierusalem, super hac quæstione. Illi ergo deducti ab
B Ecclesia, pertransierunt Phœnicen & Samariam, narrantes conuersionem Gentium: et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Hierosolymam, susceptī sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & senioribus.] hactenus Lucas de causa eius habendi conuentus; cetera autem postea. Quinam hi fuerint, qui eiusmodi cierunt turbas, & de circumcidendis Gentilibus, qui Christo credidissent, acerrime altercarentur; vt cognoscantur, non ineptum est Epiphanium[c] citare, atque talia docentem in medium adducere: ait enim, antesignanum horum omnium fuisse Cherinthum hæresiarcham, qui & ipse aduersus Paulum & Barnabam, quasi legem propugnaturus, Hierosolymam petijt: sunt vero hæc Epiphanij verba:

c Epiph. hæres. 28.

Verū hæc tunc quidē tractata sunt ac commota a dicto pseudoapostolo Cherintho: V. MOLITIONES CHERINTHI.

C quemadmodū etiam alias seditionē tum ipse tū socij eius excitauerunt in ipsis Hierosolymis[d], cum Paulus redijt cum Tito: et hic dixit, quòd viros præputiatos secū adduxisset, & de hoc facto protulit: Inquietauit, inquit, locū sanctum. Quapropter etiam Paulus dicit[e]: Sed neque Titus qui mecū erat, cū esset Gentilis, compulsus est circumcidi: sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu: vt nos in seruitutē redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij maneat apud vos. Et præputiatis præcipiens, dixit[f]: Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.] et inferius[g]: Antiochiæ, &

d Galat. 2.

e Galat. 2.

f Galat. 5.

in alijs locis hi pseudoapostoli prædicabant: Nisi circumcisi fueritis, & legem Moysi seruaueritis, non poteritis saluari. Tunc non vulgaris turbatio facta est, velut dictum est. Et hi sunt qui a Paulo dicti sunt pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.] hæc Epiphanius. Hoc ipsum Philastrius[h], sic dicens: Hic sub
D Apostolis quæstionem seditionis commouit, dicens debere circumcidi homines: cuius causa contra ipsum & hæresim eius decreuerunt de suis Actibus Apostoli sententiam, non debere iam homines Iudaismo, id est, circumcisioni, alijsq. talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de Gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Saluatorem.] hæc Philastrius.

g 2. Cor. 11.

h Philastr. de hæres. 87.

Sed antequam de his quæ in eodem Apostolorum Concilio Hierosolymis acta sunt, narrationem instituamus; illud in primis perueſtigandum nobis est, quo potissimum anno illud fuerit celebratum; & quæ ratio reddi possit, vt hoc anno illud coactum fuisse dicamus. Hoc vt intelligamus, illud scire debemus, cum Epiphanium, tum Hieronymum, ac denique omnes Ecclesiasticos tractatores absque vlla controuersia pro constanti habuisse, hunc ipsum Pauli aduentum Hierosolymam, cuius (vt vidimus) Lucas
E in Actis meminit, illum ipsum esse, de quo idem Paulus ait, scribens ad Galatas[i]: Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto Tito. Descendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem ab illis qui videbantur aliquid esse: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.] VI. DE TEMPORE CONCILII HIEROSOLYMITANI

i Galat. 2.

Cum enim eadē intercesserit causa, nempe de abolenda circumcisione tractatio; & eodem loco eædem personæ interfuisse dicto conuentui, nimirum Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, tum a Luca, tum a Paulo narrentur, qui etiam Ioannem addit: nulla superest dubitatio, de vno eodemq. Concilio Paulum & Lucam esse locutos. His in hunc modum stabilitis, quærendum remanet, a quo tempore illi numerandi sint quatuordecim anni, post quos Paulus se Hierosolymas ascendisse testatur; an a tempore ipsius Pauli conuersionis, cuius antea ipse meminit[k]; an vero post triennium a sua vo-

VII. DE TEMPORE ADVENTVS PAVLI HIEROSOLYMAM.

k Galat. 1.

catione

Universidad de Deusto
Biblioteca

catione, quando (vt ait) Hierosolymam venit. Equidem ratio suadet, dictum annorum numerum inchoandum esse a suæ vocationis tempore; sicut etiã illud triennium quod dixit, ab eodem tempore esse numerandum, omnes æque consentiunt: huiusq. sententiæ Beda [a] & alij eum secuti fuerunt. Si igitur a sui conuersione elapsos dicit annos quatuordecim, cum Hierosolymam ea ex causa venit; consterq. ex his quæ superius dicta sunt, ipsum Paulum ad Christum esse conuersum anno Domini trigesimosexto; dicere opus est, hoc ipso anno, qui numeratur ab eius conuersione decimusquintus, expleto iam (vt vult) decimoquarto, ipsum Hierosolymam concessisse.

a Beda in Act. cap. 1. Glos. ordin. & alij.

VIII. Ceterum quoniam S. Hieronymus [b] aliam videtur inijsse eiusdem annorum numeri rationem, existimans principium numeri deducendum ab illo exacto triennio, sicq. ea assertione dicendum, dictum Concilium celebratum esse anno a Christo nato quinquagesimoquarto, Claudij duodecimo, decimoseptimo a Pauli conuersione, vt ipse numerat: an autem hæc possint aliqua ratione subsistere, exactori studio exquirendum putamus. Si dixerimus post annos decem & septem, ex quo a Domino vocatus est Paulus, Concilium esse Hierosolymis celebratum, sicq. anno Domini (vt dictum est) quinquagesimoquarto, Claudij vero duodecimo: cum constet Claudium regnasse tantummodo annos tredecim, menses octo, & dies viginti: quonam modo cuncta quæ recensentur a Luca ab hoc Actorum capite decimoquinto vsque ad vigesimumprimum, quo Paulus vinculis alligatus describitur, quod contigisse sub Nerone, suo loco dicemus; quo modo, inquam, tot Pauli res gestæ duorum ad summum annorum spatio consummari potuerunt? cum præsertim eiusdem Lucæ [c] testimonio constet, post hæc acta Hierosolymis, ipsum permansisse Corinthi anno cum dimidio, rursumq. tres annos egisse Epheti; quod eiusdem Pauli [d] assertione, id ipsum Ephesijs pro concione in memoriam reuocantis, exploratissimum habetur. His igitur compulsi rationibus, a Hieronymi sententia recedere cogimur, ac cum alijs affirmare, quatuordecim illos annos, post quos idem Apostolus se Hierosolymam venisse tradit, non ab illo exacto triennio numerandos esse, sed ab ipsius vocatione: ita vt ab eo tempore vsque ad aduentum eius Hierosolymam ad Apostolos, non anni decem & septem (vt idem vult S. Hieronymus) sed tantum quatuordecim interceserint. Hæc de his quæ ad tempus pertinent, satis.

b Hier. in epist. ad Galat. c. 2.

SENTENTIA S. HIERONYMI EXAMINATVR.

c Act. 18.

d Act. 20.

IX. Illud insuper, antequam de rebus in Synodo gestis agamus, perquirere, haud otiosum erit: vnde scilicet acciderit, vt cum iam diuisos per Orbis prouincias Apostolos fuisse constet, eosdem hoc anno Hierosolymis statuto Concilio interfuisse Lucas [e] testari videatur, cum ait: Conueneruntq. Apostoli & seniores videre de verbo hoc.] Sed illud primum monendum, non haberi certum omnes illic præsentes fuisse Apostolos, sed tantum Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, & Barnabam, qui nominantur. Immo cum idem Paulus [f] Apostolus illud dicat: Iacobus, Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis] nec præter hos aliquem alium nominet Apostolorum; a quibus, si interfuissent, idem pacis symbolum accepisset (nam nullum erat inter Apostolos schisma, vt quod hi fecissent, reliqui agere detrectarent) facile eo adducimur, vt credamus, nominatos tantum Apostolos dicto sacro conuentui interfuisse. Quod autem ad eos, qui recensiti fuerunt, Apostolos spectat: Iacobum, quòd esset institutus Hierosolymorum Episcopus, Iosephi Iudæi auctoritate, Hierosolymis consedisse, exploratum habetur. De Ioanne, quem Ephesum migrasse dictum est, inde Hierosolymas aduenisse, haud magnum negotium fuit. De Petro vero, intelleximus eum necessitate ipsa coactum, Roma recedere debuisse.

e Act. 15.

f Galat. 2.

X. Verum hac in re quod accidit Paulo, id etiam ceteris euenisse putamus: Paulus [g] enim scribit, quòd reuelatione ante admonitus, Hierosolymam venerit: Ascendi, inquit, secundum reuelationem.] Par est enim credere, Petrum ac Ioannem, & si qui alij longe abfuissent, eodem monẽte diuino Spiritu, Hierosolymã petijsse. Si enim filij Israel (quod habetur in libro Numeri [h]) nonnisi ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium itidem Dei figebant tabernaculum: quomodo eos non magis quos Spiritus sanctus impleuerat, eodem moderante atque regente Spiritu, iter agere, loco sistere, ire ac redire consueuisse dixerimus? Tractanda siquidem erat omnium grauissima causa, An scilicet vna cum Euangelio Lex quoque seruanda esset, vt qui ex Gentilibus ad Christianam religionem se transferrent, ex Legis Hebraicæ præscripto circumcidi deberent, & aliorum legalium obseruatione obligari. Aderant (vt vidimus) pseudoapostoli

g Galat. 2.

h Num. 9.

stoli pro lege Moysi acerrime concertantes, & partem aduersam strenue oppugnantes. Apostolico igitur hæc erant discutienda consessu, definienda consensu, atque auctoritate firmanda.

Quoniam vero complures Iudæorum, qui Christi fidem suscepissent, paternæ legis & auitarum æmuli traditionum, ijs qui Moysi legi patrocinarentur, studuisse potius visi sunt: idcirco eodem diuino Spiritu suadente, seorsum ab illis de his agere, consultius, ad vitandas contentiones, Paulus [a] æstimauit: ne forte (inquit Hieronymus [b]) Fidelibus, qui ex numero Iudæorum Legem putabant seruandam esse, & sic credendum in Dominum Saluatorem, fidei scandalum nasceretur. Aduersus quos adeo obniti visus est Paulus, vt (quod ait) nec ad horam huiusmodi legali subiectioni sibi cedendum esse putauerit: cui & ceteros annuisse Apostolos, certum est: nam quem secum duxit, Titus [c] Gentilis homo sic in præputio susceptus est, vt nequaquam circumcidi compulsus sit.

XI.

a Galat. 2.

b Hieronymus in epist. ad Galat. c. 2.

c Galat. 2.

Iam vero ipsa Synodica acta, quæ Lucas scriptis consignata reliquit, inspiciamus: ipse enim in primis causam eiusmodi cogendi conuentus præmittens, sic ait [d]: Cum veniissent Hierosolymam Paulus & Barnabas, suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis, & senioribus, annunciantes quanta fecisset Deus cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos: præcipere quoque seruare legem Moysi. Conueneruntq. Apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire Gentes verbum Euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.] Hactenus Petri sententia, quam primus, vt Princeps Apostolorum, dixit, immo rem ipsam sui prærogatiua suffragij visus est definisse. Nam (quod ait Hieronymus [e] scribens ad Augustinum) in sententiam eius Iacobus Apostolus & omnes simul presbyteri transierunt, nec seruandam ab illis esse circumcisionem, neque cetera quæ pertinent ad legem Moysi, æque omnes senserunt.

XII. CONCILIVM APOSTOLORVM.

d Act. 15.

e Hier epist. 89.

Præceptum namque abstinendi a carne cum sanguine, quod Iacobus addidit, non Iudæis priuatim, sed gentibus omnibus, mox vt Noe egressus ex arca est, a Deo est imperatum [f]. Quod vero ad reliquorũ immundorum esum spectat: quoniam (vt dictum est superius) per ea Gentes significatæ erant: cum eædem ad Ecclesiam, Domini voluntate, essent admissæ; nulla amplius habenda erat ratio animalium immundorum, quòd iam impleta figura omnino cessasset. Vnde & apud Midraistelim in explicatione illius versus Psalmi, Dominus soluit compeditos] futurum esse dicitur, vt adueniente Messia, Hebræi cibos omnes absque delectu comesturi sint.

XIII. PRAECEPTVM DE SVFFOCATO.

f Genes. 9.

Sed quid post hæc factum sit, prosequitur Lucas: Petro ea locuto, Tacuit, inquit, omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in Gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens: Simon narrauit quemadmodũ primum Deus visitauit sumere ex Gentibus populũ nomini suo. Et huic concordant verba Prophetarũ, sicut scriptũ est: Post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculũ Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigã illud: vt requirant ceteri hominum Dominum, & omnes Gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Notum a sæculo est Domino opus suum. Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos vt abstineant se a contaminationibus simulacrorum, & fornicatione, a suffocatis, & sanguine. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur.] hæc Iacobus. His auditis, placuit (vt Lucas ait) Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba Iudam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum.] epistola autem fuit eiusmodi:

XIV. DECRETA LEGATIO AD ANTIOCHENOS.

Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex

XV.

Gentibus

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPISTOLA APOSTOLORVM.

Gentibus salutem. Quoniam audiuimus,quia quidam ex nobis exeuntes,turbauerunt A vos verbis,euertentes animas vestras, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cũ carissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. Visum est enim Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.] hactenus litteræ Apostolicæ ex Concilio Hierosolymitano: quod, ea data epistola, absolutum fuisse, Lucas, qui ad res Antiochenas vertit stylum, significare videtur.

XVI. Ceterum Paulus ad Galatas[a] scribens addit,eiusdem Concilij decreto sibi & Barnabæ esse iniunctam prædicationem ac patrocinium Gentium, Petro autem, Iacobo, & Ioanni relictam curam illorum qui ex circumcisione ad fidem venissent: id enim idem Paulus his verbis testatur[b]: Cum vidissent, quòd creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes) & cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis; vt nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem: tantum vt pauperum memores essemus. Quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.] hæc Paulus, qui & ipse post hæc de rebus Antiochiæ gestis narrationem instituit. B

a Galat. 2.
DISTINCTIO APOSTOLATVVM.
b Ibidem.

XVII. Verum antequam ad ea transeamus, in elucidandis nonnullis quæ in dicto conuentu vidimus esse peracta, paulisper necesse est immorari. Ac primum in eo quod spectat ad præceptum de suffocatis non edendis: ea verba fuisse postmodum superaddita, non vero ab Apostolis tradita seu posita, quorumdam antiquorum fuit sententia. Hinc Ireneus[c] in primis eumdem locum Actorum bis citans, semper suffocatum prætermittit, sed aliud addit, dicens: Placuit Spiritui sancto & nobis, nullum amplius vobis pondus imponere, quàm hæc quæ sunt necessaria: vt abstineatis ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione: et quæcumque non vultis fieri vobis, alijs ne faciatis: a quibus vos custodientes, bene agitis, ambulantes in Spiritu sancto.] hæc ipsa itidem paulo superius cum eodem additamento de non faciendo alteri quod quis fieri sibi non vult. Ceterũ quod pertinet ad suffocata: Tertullianus[d] in eumdem ferme modum, exceptis scilicet dictis verbis, sic legit: Visum est Spiritui sancto & nobis, nullum amplius vobis adijcere pondus, quàm eorum, a quibus necesse est abstineri, a sacrificijs,& a fornicationibus,& sanguine: a quibus obseruando,recte agitis, vectante vos Spiritu sancto.] Cyprianus[e] item in eumdem pene modum, his verbis: Abstinete vos ab idololatrijs, & sanguinis effusione, & fornicatione.] Pacianus[f] antiquus Theologus, & ipse ita legens,inde sic ait: Hæc est nõui Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, hæc nobis capitalis periculi conditione legauit, &c.] C

c Irenæus lib. 3. cap. 12.
DE PRAECEPTO SVFFOCATORVM.
d Tertull. de pudic. c. 12.
e Cyprianus ad Quirin. lib. 3. in fine.
f Pacian. de pœnitent. & confess.

XVIII. Reperitur & eadem lectio apud Ambrosium[g], apud quem & hæc leguntur: Hæc tria mandata sophistæ Græcorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum,adulterarunt scripturam, quartum mandatum addentes, & a suffocato obseruandum: quod puto nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia iam supra dictum erat quod addierunt.] hæc ille. Gaudentius Episcopus Brixianus, in tractatu de Machabæis, ea verba, Et suffocato] adiecta esse per interpretationem, significare videtur, dum ait: Beatus Iacobus cum ceteris Apostolis decretum tale constituit in Ecclesijs obseruandum: Vt abstineatis vos, inquit, ab immolatis, a fornicatione, & a sanguine, id est, a suffocatis.] Cur autem hæc potissimum ab Apostolis sint prohibita, pluribus idem prosequitur. Rursum etiam Augustinus[h], illa de suffocatis esse adiecta per interpretationem, affirmare videtur, dum ait: In Actibus Apostolorum hoc lege præceptum ab Apostolis, vt abstinerent Gentes tantum a fornicatione, & ab immolatis, & sanguine; id est, ne quicquam ederent carnis, cuius sanguis non esset effusus: quod alij non sic intelligunt, sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet.] D

g Ambr. in epist. ad Galat. c. 2.
ADDITAMENTVM EX INTERPRETATIONE.
h Augustin. contra Faust. lib. 32. cap. 13.

XIX. At Græci semper eo modo legisse reperiuntur, prout etiam nunc habet communis Editio Latinorum cũ verbis illis: Et suffocato.] quinetiã vsu receptũ fuisse videtur olim in Ecclesia,vt Fideles ab esu sanguinis abstinerent. vnde Tertullianus[i] hæc ait aduersus E

i Tertul. in Apolog. c. 9.

Gentes:

A Gentes: Erubescat error vester Christianis, qui ne animaliũ quidem sanguinem in esculentis habemus; qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum, botulos etiam cruore distentos admouetis.] hæc Tertullianus. Blandina martyr apud Eusebium[a] hæc in Gentiles: Multum erratis, o viri, quòd putetis infantium carnibus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium sanguine vtuntur.] Et Minutius Felix quoque in Octauio hæc in eamdem sententiam: Nobis homicidium nec videre fas, nec audire: tantumq. ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum sanguinem in cibum nouerimus.] ABSTINENTIA A SANGVINE.

a Euseb. h. l. lib. 5. c. 1.

Sed qua ex causa sint iussi Gentiles æque ac Iudæi a sanguine abstinere: illa affertur potissima: nimirum, vt aliquo, licet in re leuissima, remanente vsu legalium, Iudæi ac B Gentiles in vnum Christum, lapidem angularem, facilius necterentur. Origenes[b] vero contra Celsum agens, hanc adducit causam: Suffocata, inquit, fuerunt sanguine non expresso de mortuo: quæ vtique dæmonum esse asserunt cibum, vt ex eius nidore hi pascantur. hæc idcirco prohibet sermo ne in cibum sumantur, ne forte dæmonum cibis enutriamur; proinde ne nobiscum istiusmodi spiritus coalantur,si suffocatis vescamur.] hoc licet commentum sit: tamen quoniam penes Gentiles ea opinio inualuerat, vt sic omnes crederent; iure ac merito, vt idololatriæ quoddam symbolum ab Apostolis vna cum prædictis suffocata fuisse vetita,ipse putauit Origenes: qui inter Gentiles versatus, & in Gentilem hominem rerũ illarum peritissimum hæc cum scribat; non quæ essent risu digna & aperti arguenda mendacij (vt fuissent, si quæ apud ipsum, ceterosq. Gentiles, aduersus quos omnes commentarios illos elaborabat, aliquid habuissent dubitationis) eum scriptis consignasse, par est credere. C

b Origen. contr. Celsi. lib. 8.
RATIO ABSTINENDI A SVFFOCATIS.

XXI. Augustinus[c] contra Faustum cum non ex verbis ipsis, sed potius ex interpretatione (quod diximus) Christianos a suffocatis ea ratione abstinuisse dixisset; hæc in priorem sententiam addit: Et si hoc tunc Apostoli præceperant, vt ab animalium sanguine abstinerent Christiani,ne præfocatis carnibus vescerentur:elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, & nequaquam obseruantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter obseruarent: simul & admonerentur, in ipsa arca Noe, quando Deus hoc iussit, Ecclesiam omnium Gentiũ fuisse præfiguratam: cuius facti prophetia, iam Gentibus ad fidem accedentibus, incipiebat impleri. Tum sancto vero illo tempore, quo illi duo parietes, vnus ex circumcisione, alter ex præputio venientes, quamuis in angulari lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus distinctius eminebant. At vbi Ecclesia Gentium talis effecta est, vt in ea nullus Israelita carnalis appareat: quis iam hoc Christianus obseruat, vt turdos vel minutiores auiculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu a ceruice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, a ceteris irridentur.] hæc Augustinus. D

c Augustin. contr. Faust. lib. 32. cap. 13.

XXII. Ceterum non apud omnes ipsius Augustini tempore exoleuerat eiusmodi vsus abstinendi a sanguine & suffocato: immo a multis, ac præsertim Græcis, veluti ex institutione Apostolica retinebatur; cum illud, Abstinere a sanguine] etiã si defuissent illa verba in textu, Et suffocato] tamen communi omniũ consensu de esu sanguinis animalium esse dictum intelligeretur: nam hæc de eadem re habentur in Apostolico canone sexagesimosecundo[d]: Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quicumque ex sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine animæ eius, aut a bestijs abreptũ, aut suffocatum; deponitor. Si vero laicus sit; a communione excluditor.] sed de Apostolicis canonibus alias erit nobis disputatio. Certe in Crescioniana Collectione, omnium antiquissima, quinquaginta tantummodo adnumerati habentur canones Apostolorum, quos Dionysius Romanus Abbas, cognomento Exiguus, in Latinum vertit: ceteri enim a Græcis putantur dolose suppositi. Eius canonis auctoritate Theodorus sic more suo in Latinos inuehitur, dicens: Nota, inquit, canonem propter Latinos, qui suffocata indiscriminatim comedunt.] Sed & suffragabatur Græcis auctoritas Gangrensis Concilij[e], in quo hæc scriptis mandata habentur: Si quis carnem edentem (præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum) cum religione & fide, condemnat, velut spem propter huiusmodi præceptionem non habentem; anathema sit.] E

d Tom. 1. Conc. apud Theodor. Balsam. c. 63.
GRAECI TENACIORES ANTIQVI PRAECEPTI.
e Concil. Gangren. c. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXIII. Quàm mordicus vero Græci (vt de illis in primis agamus) eiusmodi institutiones de sanguine non comedendo tenuerint, non tantum complures ipsorum canones, sed & sanctiones Imperatoriæ facile monstrant. Leo[a] enim Imp. in hæc verba ad Stilianum sacrorum Officiorum Magistrum rescripsisse legitur: Simul olim legislatori Moysi, sanguine vescendum non esse, mandauit Deus: simul ab istiusmodi cibo abstineri debere, a præconibus gratiæ est constitutum. Et quamquã tum veteris, tum nouæ gratiæ tempore illa res vilis habita sit & nefaria: eo tamen contumaciæ, immo vecordiæ homines processere, vt neutri legi aurem præstent merigeram. At contra alij lucri, alij gulæ causa, summa cum impudentia mandatum contemnunt; in escamq. qua vesci vetitum est, sanguinem conuertunt. Perlatum est enim ad aures nostras, quòd intestinis tamquam tunicis illum infarctum, velut consuetum aliquem cibum, ventri præbeant. Quod tolerari non debere, Imperatoria nostra maiestas rata; neque tam impio, soli gulæ inhiantium hominum, inuento, nunc præcepta Dei diuina, nunc Reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens: iubet, ne quis id scelus, neque ad vsum suum, neque vt emptores detestando cibo contaminentur, vllo modo exercere audeat. At sciat quicumque dehinc diuinum mandatum contemnere, sanguinemq. in cibum conuertere (siue vendat, siue emat) deprehensus fuerit, se bonorum publicationi subijciendum, & vbi acerbum in modum flagris cæsus, ac cute tenus fœde detonsus erit, perpetuo patriæ exilio mulctandum esse. Quo quidem in iudicio neque ciuitatum magistratus citra criminationem dimittendos censemus: sed vt & ipsi (neque enim, si illi conuenienti alacritate magistratum gessissent, id scelus commissum esset) quòd negligenter socorditerq. subditis præfuerint, decem librarum auri mulctam sustineant.] hæc Leo.

[a] *Leo Nouel. Const. 55.* LEONIS IMP. CONSTITVTIO DE SVFFOCATIS

XXIV. Quod vero ad Latinos pertinet; est canon Concilij Aurelianensis[b] secundi, suffocatis vesci prohibens. Ex Concilio Carthaginensi hæc item recitantur in Synodo Vormatiensi[c]: Animalia, quæ a lupis seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis & canibus: nec ceruus, nec capra, si mortui inueniantur.] et infra: Aues vero & alia animalia si in retibus strangulantur, non comedenda.] Ceterum non tantum ab esu sanguinis Gentiles ad Christum conuersos abstinuisse, sed a quibusdam animalibus, quæ lex interdixit & natura abhorrere solita est, constat; quæ notat Zacharias[d] Papa scribens ad Bonifacium. Sed quod pertinet ad suffocata: in antiquo Theodori Pœnitentiario, quod habemus apud nos manuscriptum, iniunctam pœnam inuenimus his qui vesci præsumpsissent suffocatis. Sed (quod dictum est superius) Christiani, quod instituissent Apostoli compaginationis causa (sicut in parietibus videmus fieri, dum vt superinducendus nouus priori constructo firmius inhæreat, prominentes relinquuntur lapides, qui velut nexus quidam recens erectum sibi coniungant) firmiter retinentes, a sanguinis esu laudabiliter omnes æque abstinuerunt: ea vero postmodum cessante causa, quidam id ipsum præstare destiterunt; quidam vero, Apostolici culminis reuerentia, illud ipsum institutum aliquandiu retinendum putarunt; quod demum totius Occidentalis Ecclesiæ consensu est æque laudabiliter antiquatum.

APVD LATINOS ABSTINENTIA A SVFFOCATIS.
[b] *Concil. 2. Aurel. c. 20.*
[c] *Concil. Vormat. c. 65.*
[d] *Zach. ad Bonif. tom. 3. Conc. noua edit.*

XXV. Denique quòd eadem epistola Apostoli sint contestati, nihil vltra imponere oneris velle ipsis Gentibus in Christum credentibus, nisi vt ab illis paucis abstineant: non sic accipiendum est, vt in ceteris delinquendi liberas laxarint habenas: Sed (quod Origenes[e] ait) quoniam quidem cetera crimina sæculi legibus iudicantur, superfluum videbatur ea nunc diuina lege prohibere, quæ sufficienter humana lege plectuntur: illa sola de quibus lex humana nihil dixerat, religioni videbatur conuenire decernere. ex quo apparet, iudices mundi partem maximam Dei legis implere.] At de his hactenus, quæ ex instituto (quòd pertineant ad mores Ecclesiæ) prætermisisse non licuit.

[e] *Orig. in epist. ad Rom. c. 2. 3. lib. 9.*

ALIA PRAECEPTA CONIVNCTA.

XXVI. Sed quod in eodem Concilio ab Apostolis statutum fuisse diximus, nempe Paulo ac Barnabæ curam Gentium esse mandatam, Petro autem & ceteris qui aderant Apostolis iniunctam Iudæorum ad fidem venientium solicitudinem: nihil quis existimet contra diuinam institutionem esse sancitum; quasi cura totius gregis olim (quod vidimus) Petro a Christo commissa, huius decreto Concilij fuerit limitata, vel subtracta prædicatio ad Gentes illi diuinitus impartita, quando ostenso illi cælitus linteo, dictum fuit: Occide, & manduca.] quo signo (vt ipse in hoc eodem conuentu testatus est) accepit a Deo Apostolatum in Gentes: nam ait: Viri fratres, vos scitis quoniam

niam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire Gentes verbum Euangelij, & credere.] Deliræ plane mentis est, existimare ab Apostolis esse labefactatum, quod a Deo sciuerant institutum. Nulla ergo abrogatio iuris concessi, vel prouinciarum facta est in eo Concilio limitatio.

XXVII. IVRISDICTIONIS NVLLA FACTA DIVISIO.

Non enim ea sic est facta diuisio, vt alter ab alterius abstineret Apostolatu: alioqui & transgressor Apostolicæ sanctionis Paulus plane habendus esset, qui non occasione quadam aliquando diuertit ad Iudæos, sed (quod Lucas[a] demonstrat) ipso primo ingressu, vbi Iudæi conuentum agerent, requirebat, illisq. Euangelium prædicabat: sic enim Philippis fecisse videmus, sic Thessalonicæ etiam[b] sæpius, Athenis itidem, & Corinthi[c], itemq. Ephesi[d] frequenter; nam tres menses ibi sermones habuit in synagoga cum Iudæis: id ipsum Troade[e], ac denique Romæ; vbi licet minus liberum illi esset ex more synagogas Iudæorum adire, quòd retineretur sub custodia, tamen ipse continuo primores Iudæorum accersiuit, vt illis Euangelicam gratiam impartiretur. Sicq. videas ipsum, cui cura Gentium credita erat, primum omnium quæsisse Iudæos ad fidem adducere, atque in ea functione non modo (quod lege[f] permissum erat) derelictas post messem spicas tantum collegisse, vel transeundo conuulsisse, sed in messem adhuc integram immisisse falcem, atque Iudæis primum, inde vero Gentilibus Euangelium prædicasse. Quod & ipse apud Ephesios[g], pro concione eos alloquens, his verbis professus esse videtur, dum ait: Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis, docens vos publice, & per domos, testificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.] Sed hæc ipsa idem Apostolus in omnibus ferme suis epistolis sæpius manifestat. Similiter & Petrus videtur fecisse in Gentibus: nam quo iure Paulus, cui Gentes commissæ erant, id sibi concessum putauit, eodem & Petrus, immo & potiori, vt cui totius Ecclesiæ regimen creditum esset, idem licite vsurpauit.

[a] *Act. 16.*
[b] *Act. 17.*
[c] *Act. 18.*
[d] *Act. 19.*
[e] *Act. 20.*
[f] *Leuit. 19. 23*
[g] *Act. 20.*

XXVIII. Videas ex his igitur, non iurisdictionem, nec populos esse diuisos, sed procurationem quamdam, atque illorum patrocinium fuisse distinctum atque discretum: ceterum tam Iudæorum quàm Gentium prædicationem fuisse inter eos communem constat. Vnde & S. Hieronymus[h] in hanc sententiam hæc ait: Occulta hic oritur quæstio. Quid igitur? Petrus si inuenisset ex Gentibus aliquos, non eos adducebat ad fidem? Aut Paulus si ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptisinum prouocabat? Quæ ita soluitur, vt dicamus, principale singulis in Iudæos & Gentes fuisse mandatum; vt qui defendebant legem, haberent quem sequerentur; qui legi gratiam præferebant, non deesset eis doctor & præuius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, vt Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent.] hæc Hieronymus.

[h] *Hier. in epist. ad Galat. c. 2.*

XXIX. Hoc sensu manifestum est accipienda esse ea quæ dicta sunt; nempe Paulo creditum esse Euangelium Gentium; Petrum vero circumcisionis ministerio, velut honestissimo omnium titulo, nobilitatum. Nam præ excellentia ipse Christus, qui venit omnes homines saluos facere, apud quem non est distinctio Iudæi & Græci, dictus est tamen minister circumcisionis, sic dicente Paulo[i]: Dico Christum ministrum fuisse circumcisionis.] augustior plane titulus: nam (vt idem ait Paulus[k]) horum erat adoptio filiorum, gloria, testamentũ, & legislatio, & obsequium, & promissa; Gentes autem super misericordia honorare Deum.] Sed sicut Christus Dominus noster sic dictus est minister circumcisionis, vt tamen esset pastor omniũ atque saluator: eodem modo & Petrus sic circumcisionis administer est appellatus, vt tamen a Domino[l] constitutus vniuersi gregis pastor esset ac moderator. Vnde & S. Leo[m]: De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq. Ecclesiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multiq. pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.]

APOSTOLATVS NOBILIOR IVDAEORVM QVAM GENTIVM.
[i] *Rom. 15.*
[k] *Rom. 9.*
[l] *Act. 9.*
[m] *Leo serm. 3. de sua assump.*

XXX. Quod vero de Paulo est dictum a Domino: Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel] non id quidem, mea sententia, sic dictum est, vt vltimo loco illi iniuncta esset Iudæorum conuersio, primo vero Gentilium: nam aliter sensisse & fecisse videtur idem Paulus, qui (vt vidimus) post hæc, & antea, cum vna cum Barnaba Antiochiam Syriæ profectus est, semper synagogas primum ingressus, Iudæis Euangelium prædicabat: qui & de hoc ipso Iudæos Antiochiæ Pisidiæ commorantes, & prædicationi resistentes, sic contestatus

PAVLVS CVR DICTVS APOSTOLVS GENTIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatus eſt [a]: Vobis primum oportebat loqui verbū Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.] ſed illa verba a Domino ſciendum prophetice eſſe dicta: nimirum quòd eius prædicatione magna futura eſſet ex Gentibus ad Chriſtianam religionem acceſſio: et hoc eſſe quod idem [b] ait: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.] quocumque enim iſſet, & Euangelium prædicaſſet, Gentes obſequentes, Iudæos vero ſemper ſibi aduerſantes inuenit: qua ex cauſa Doctor Gentium, Apoſtolatum accepiſſe ad Gentes dicitur: nam ex conuerſione credentium nomen Apoſtolatus ſe accepiſſe demonſtrat, dum ad Corinthios ſcribens [c] ait: Non ſum Apoſtolus? Nonne opus meum vos eſtis in Domino? &c.] hæc Paulus Gentiles alloquens. At hæc ſatis: iam cera proſequamur.

a Act. 13.

b Galat. 2.

c 1. Cor. 9.

XXXI. Datis ab Apoſtolis ex Concilio litteris ad Gentiles Chriſtianos, qui erant Antiochiæ, per Iudam & Silam: Illi, inquit Lucas [d], dimiſſi deſcenderunt in Antiochiam: et congregata multitudine, tradiderunt epiſtolam. quam cum legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione. Iudas autem & Silas, & ipſi cum eſſent prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a fratribus ad eos qui miſerant illos. Viſum eſt autem Silæ ibi remanere: Iudas autem ſolus abijt. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & euangelizantes cum alijs pluribus verbum Domini.] hæc Lucas: qui cetera quæ Antiochiæ eo tempore facta ſunt, vt contentiones inter Petrum & Paulum (vt verbis vtar S. Hieronymi [e]) hiſtoriographi licentia prætermiſit, ſicut & alia multa quæ Paulus in ſuis epiſtolis recitat, ac præſertim ipſas, de quibus agimus, res Antiochenas, in hæc verba de his ſcribens ad Galatas [f]: Cum autem (*abſoluto ſcilicet ipſo de quo agit, conuentu Apoſtolorum Hieroſolymis celebrato*) veniſſet Cephas Antiochiam: in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Prius enim quàm venirent quidam a Iacobo, cum Gentibus edebat: cum autem veniſſent, ſubtrahebat & ſegregabat ſe, timens eos qui ex circumciſione erant. Et ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in eam ſimulationem. Sed cum vidiſſem quòd non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus ſis, Gentiliter viuis, & non Iudaice; quomodo cogis Gentes Iudaizare? &c.] oſtendit pluribus non ex lege iuſtificari hominem, ſed per fidem Chriſti.

DE REBVS GESTIS PAVLI ANTIOCHIAE.

d Act. 15.

e Hier. in epiſt. ad Galat. c. 2.

f Galat. 2.

XXXII. Siſte gradum, lector: hic plane eſt lapis offenſionis, hic petra ſcandali, in quem complures impegiſſe noſcuntur: qui enim hiſtoriam captu difficilem, nulla alia adhibita diligentioris ſtudij conſideratione, curſim legentes ſunt interpretati, eo inſaniæ progreſſi ſunt, vt vel Paulum temeritatis arguerent, quòd in Petrum non tam libere quàm procaciter ſit inuectus; vel hypocriſis nomine ſugillent Petrum, quòd ageret ſimulate; vel vtrumque condemnent, quòd non in eamdem fidei regulam conſentirent. Primus igitur reperitur fuiſſe Marcion hæreſiarcha eius ſententiæ, necnon Valentinus nouæ hæreſis promulgator. Hic ex dicta contentione auſus eſt ſugillare Apoſtolorū ignorantiam, quòd adhuc aliquid eis defuerit ad perfectā de rebus Chriſtianæ religionis ſcientiam conſequendam; aliamq. Euangelij formam ſuperinductam a Paulo citra eam quam præmiſerant Petrus & ceteri; prout Tertullianus [g], qui eius confutat temeritatem, & retundit procaciam, teſtatur. Marcion vero, qui non recipiebat Apoſtolos, eius occaſione contentionis, ipſos non inceſſiſſe recta via ad veritatem Euangelij, exclamare ſolitus erat, tamquam in præuaricatores atque ſimulatores: quem idem refellit Tertullianus [h].

CALVMNIAE IN APOSTOLOS.

g Tertull. de præſcript. c. 23.

h Tert. aduerſ. Marc. lib. 4. c. 3.

XXXIII. Rurſum Porphyrius [i] impietatis magiſter, hæc eadem legens, in Paulum inuehitur, eumq. procacitatis arguit, quòd Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem, ac ratione conſtringere quòd male fecerit; id eſt, in eo errore fuerit, in quo fuit ipſe, qui alium arguit delinquentem. Inſuper poſt ipſum Iulianus Apoſtata, non in Paulum, ſed in Petrum effutire eadem ex cauſa iurgia atque blaſphemias non pepercit. Nam de eo inquit Cyrillus [k]: Cauillatur & eximium inter ſanctos Apoſtolos Petrum, quem & hypocritam eſſe dicit, & per Paulum reprehenſum, eo quòd interdum Græcorum moribus viuere ſtuduerit, interdum etiam Iudæorum; ignorans omnino artificioſiſſimam in illis diſpenſationem.] Audiuimus & recentiores Nouatores ijſdē fere verbis inſectatos eſſe eumdem Apoſtolorū Principem Petrum

i Hier. ad Aug. epiſt. 89.

CVMVLANTVR CALVMNIAE.

k Cyril. conſtit. Iulian. lib. 9. in fine.

Petrum, ſed non alio certe, quàm quo Iulianus, afflatos ſpiritu. Multo his verecundior, quem iam citauimus, Porphyrius, qui reueritus Apoſtolicum culmen in Petro, illi vt parcat, in Paulum contumeliarum plauſtrum exonerat. Rurſum vero Tertullianus [a], & alij complures inconſtantiæ vitio iure reprehenſum eſſe Petrum dicunt, quòd pro perſonarum qualitate victum variaret, timens eos qui erant ex circumciſione Fideles.

a Tertul. contr. Marcion. lib. 3. cap. 3.

At vero non hi tantum a linea Catholicæ fidei aberrantes, cum talia de Petro ſcriberent, in offenſionis lapidem offenderunt; ſed (quod quiſque mirari debet) S. Auguſtinus, vertex Theologorum, dum exemplo Petri Cyprianū errantem excuſat, Petrum in crimen adducit, cum ait: In ſanctis Scripturis didicimus Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulabat, de circumciſione agere ſolitum, a poſteriore Paulo Apoſtolo eſſe correctum.] et infra: Si potuit, inquam, Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere Gentes Iudaizare: cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea tota Eccleſia tenuit, cogere hæreticos & ſchiſmaticos denuo baptizari?] hæc Auguſtinus [b]; vbi tamen affirmat, Petri Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum: eadem & inferius [c] habet, qui & alibi [d] reprehendit in Petro eius ſtudium non rectum imponendi ſuper humeros Gentium iugum Legis. Rurſumq. [e] in libro, quem de Agone Chriſtiano conſcripſit, eum in ſuperſtitioſam prauamq. ſimulationem lapſum eſſe teſtatur.

XXXIV.

b Aug. de Bapt. contr. Donatiſt. lib. 2. c. 1.

c Aug. lib. 6. c. 2. 1014.

d Auguſt. lib. de mend. c. 1. 5.

e Auguſt. lib. de agon. Chriſtian. cap. 30.

Ex his plane apparet quàm ſcaber ſit hic locus, quem nec Auguſtinus (venia tanti Patris dixerim) inoffenſo pede pertranſijt. Ceterum complures tam Græcorum quàm Latinorum antiqui Patres Petrum ab omni labe peccati immunem reddunt: horumq. alij illum etiam ab omni ſuſpicione erroris ea ratione liberant, dum Cepham illum quem Paulus a ſe reprehenſum ſcribit ad Galatas, non fuiſſe Petrum, ſed vnum dicunt ex numero ſeptuagintaduorum diſcipulorum, citantes Clementem [f] Alexandrinum huius aſſertionis auctorem. Eiuſmodi Cepham Dorotheus [g] in Caria factum Epiſcopum tradit. Rurſus in epiſtolis quæ Martialis eſſe dicuntur, auctor ipſe Cephas cognominatus habetur, dum ipſis eiuſmodi titulus inſcriptus legitur: Seruus Dei, & Apoſtolus Ieſu Chriſti, Martialis Cephas, omnibus fratribus, &c.] Poſſent hæc quidem de altero Cepha ea adiuuari etiam coniectura, quòd in eadem epiſtola Paulus [h], cum agit de Petro, eum non Syriace Cepham, ſed Petrum tertio nominat. Verum hæc non admittimus: nam cum inferius Cepham recenſeat vna cum Iacobo, & Ioanne, qui (vt ait) videbantur eſſe columnæ; de Petro intellexiſſe, nulla eſt dubitatio. Vnde & Hieronymus [i]: Alterius, inquit, neſcio cuius Cephæ neſcire nos nomen, niſi eius, qui & in Euangelio, & in alijs Pauli epiſtolis, & in hac quoque ipſa modo Cephas, modo Petrus inſcribitur.] et inferius: Si propter Porphyrij blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe; infinita erunt de Scripturis emendanda diuinis, quæ ille qui non intelligit, criminatur.] hæc Hieronymus; quaſi velit a Clemente nouum excogitatum eſſe Cepham, vt Petrum ſuſpicione criminis liberaret. Verum nullius nota impoſturæ iure poteſt in Clementem inferri, qui diſcipulus fuit Pantęni, & longe ante Prophyrij ætatem vixit, nimirum ſub Seuero, Porphyrius vero ſub Diocletiano, ac denique Conſtantino imperante mortuus eſt.

XXXV.

PLVRES CEPHAS INTRODVCTI.

f Clemen. Alex. apud Euſeb. lib. 1. c. 12.

g Doroth. in Synopſi.

h Galat. 1. 2.

i Hier. in epiſt. ad Galat. c. 2.

Fuit aliorum ſententia, Petrum & Paulum ex compoſito eiuſmodi inter ſe ſimulaſſe diſſidium, quo vtilitati diſcipulorum ambo ea arte conſulerent: nam quia ea de cauſa (vt ex Luca dictum eſt) multæ obortæ eſſent Antiochiæ contentiones inter Chriſtianos qui ex Gentibus credidiſſent, & eos qui ex circumciſione ad fidem veniſſent: rati ſunt non auſuros amplius mutire eos qui legalia in cibis eſſe ſeruanda contenderent, ſi Petrum ea de cauſa a Paulo palam reprehenſum eſſe, ac Petrum non contradicentem, ſed aſſentientem illi vidiſſent: ſicq. quod alibi de ſe ait Paulus [k], Cum aſtutus eſſem, dolo vos cepi] ea ſimulatione proſpicerent, vt qui ex circumciſione eſſent, in officio continerentur. Simulate enim cuncta a Petro acta fuiſſe, ipſius Pauli verba ſignificare videntur, dum cuncta ab eo geſta, ſimulationem iterum idem Paulus appellat, ſic dicens [l]: Et ſimulationi eius conſenſerunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas adduceretur ab eis in eam ſimulationem.] Fuerunt huius ſententiæ aſſertores Origenes, Didymus, Apollinaris, Euſebius Emeſenus, Theodorus Heracleotes, quos omnes ſanctus Hieronymus [m] citat: adde his Ioannem Chryſoſtomum [n], qui in eamdem ſententiam abijt,

XXXVI.

k 2. Cor. 12.

l Galat. 2.

m Hieronym. ad Aug. epiſt. 89.

n Chryſoſt. in epiſt. ad Galat. c. 2. & de ſacerd.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Theod. in epist. ad Galat. cap. 2. b Cassian. collat. 17. c Theophyl. in dict. epist. c. 2. & Oecumen. in dict. epist. c. 2. e Act. 16. f Act. 18. g Act. 21.

itemq. Theodoretum[a], Cassianum[b], Theophylactum[c], Oecumenium[d], & fortasse alios, hac nimirum omnes persuasos ratione: Quomodo enim, inquiunt, fieri potuit, vt Paulus serio reprehendisset in Petro, quod sæpius ipse, oblata eadem occasione, facturus esset? vel potius quomodo postea crebrius factitasset, quod in Petro coram Ecclesia tam acriter reprehendisset? Ipse quidem Paulus (vt inferius suis quibusque locis dicemus) Iudaicos ritus, cum sibi ad profectionem Euangelij visum est opportunum, repetijt, ac sæpius iterauit; vt cum Timotheum ex patre Gentili[e] natum circumcidit; vel cum secundum Iudaicum Nazaræorum morem[f] totondit caput in Cenchreis; aut quando Hierosolymam reuersus, ad conciliandam sibi gratiam Iudæorum, antequam ingrederetur in templum, se purificauit[g] cum illis. A

XXXVII. Cum igitur horum sententiam sanctus Hieronymus inter Latinos sectatus, eamdem roborare conatus esset; S. Augustinus eidem vehementissime restitit, vtro citroq. datis litteris[h], magnaq. dissensione diu inter vtrosque certatum est: illud Augustino in primis aduersus Hieronymum contendente, nullum ab Apostolo ad Galatas scribente compositum esse mendacium, nec Apostolo licuisse mentiri, sicut nec cuilibet Christiano absque peccato concessum: quod Pelagiani eodem Augustini tempore inter alia praua dogmata conabantur asserere, & Pauli testimonio roborare. Certe ex suis ipsorum litteris mutuo redditis, iterum atque iterum a nobis lectis, cognitis, & accurate perspectis, numquam satis exploratam habuisse Hieronymi sententiam nobis visus est Augustinus; quippe qui in eo semper versetur, Apostolum non esse mentitum, sed eadem epistola quæ vera essent scripsisse ad Galatas. At Hieronymus non hæc dicebat, Paulum esse mentitum, & ad Galatas scripsisse mendacia: quod tunc contigisset, si quæ minime facta essent, ea perinde ac facta scripsisset, vel aliter quàm gesta fuissent: quorum neutrum Hieronymus impingit Apostolo: sed ipsum, quæ vere facta, & vt facta essent, scripsisse, nullatenus dubitauit. At longe aliud est, a Paulo vera esse narrata; aliud, ea quæ sunt vera narrata, per simulationem ex composito facta; quod Hieronymus ac citati omnes affirmabant auctores: quod absque peccati scrupulo facere licuisse, exemplo Domini comprobarunt: ipse enim vt occultaret quod faceret, sæpe ea arte laudabiliter vsus esse videtur; vt cum dixit ad suos: Vos ascendetis ad diem festum hunc, ego autem non ascendam.] sed ascendit nihilominus seorsum ab illis. Vel cum se simulauit hortulanum cum Magdalena, vel viatorem cum duobus illis discipulis Emmauntem abeuntibus, quando & finxit se longius ire. B C

h Apud Hieron. epist. 80. & seqq. vsque 97. Apud August. epist. 8. & seqq. vsque 19.

FINGERE LICVIT, MENTIRI NEQVAQVAM.

XXXVIII. Non igitur inter se pugnant, vt simul vera esse non possint, Paulum vera scripsisse; eorum scilicet quæ facta essent, puram sinceramq. historiam enarrasse; & ea ipsa quæ scripsit atque recensuit, non serio, sed simulate esse peracta. Illud affirmabat Augustinus; hoc contendebat Hieronymus: sed quamdiu alterius sensum alter minus est assecutus, tamdiu mutuis altercati sunt litteris. Sed ijdem & in eo inter se dissenserunt, dum S. Hieronymus & alij superius numerati scriptores inter Petrum & Paulum ea opportuna simulatione transacta fuisse dixerunt: S. Augustinus[i] vero nullam intercessisse simulationem, sed cuncta vere ac serio esse facta confirmat; seq. ea in re Cyprianum & Ambrosium auctores sequi profitetur: eaq. ratione dicit errasse Petrum, quòd coram Gentilibus Iudaice viueret, quo exemplo Gentes ad Iudaicos ritus seruandos adduci potuissent: licuisse tamen, si fecisset clanculum, seorsum ab illis. Sed id impugnauit Hieronymus[k], quasi aduersantem Catholicæ fidei sententiam adstruere conaretur: licere nimirum Christianis inter Iudæos Iudaice viuere. Verũ id Augustinus[l] retractans, quod indistincte dixerat, restrinxit temporis limite; nimirum Apostolorum temporibus Iudaicos ritus ab illis licite vsurpatos, postea seruantibus eos factos esse mortiferos: et quod alias contra Faustum agens dixerat, iterum professus est. D E

i Epist. 97. apud Hieronym.

DIVERSA SENTENTIA HIERONYMI ET AVGVSTINI.

k Hieronymus epist. 89.

l August. epist. vlt. ad Hieron.

XXXIX. Cum ergo ijdem auctores omnes in alterutram sententiam conspirarint, atque in eo conuenerint; vel ea cuncta esse simulate peracta, ac sic nullum fuisse Petri peccatum; vel serio esse facta, ac sic Petrum erasse: nos neutram harum sequentes, dicimus ea nec ex composito facta, nec ea faciendo Petrum vel minimum deliquisse. Non enim videmus aliqua opus fuisse fictione, vt Petrus a peccato reddatur immunis, cum alijs ijsdemq. certioribus rationibus eius innocentia testata reddatur. Ad hæc insinuanda, illud in primis statuendum, quod exploratum est omnibus, & nemo prudens negare poterit, cum sit apud omnes in confesso; Apostolos absque leuissima culpa, secundum loci & temporis

PETRVS REDDITVR AB OMNI CVLPA IMMVNIS.

A temporis rationem, vti potuisse legalibus; vt & Paulus ipse sæpe fecisse conspicitur: adeo vt hac ex parte nullum possit Petro adscribi peccatum, si cum Iudæis Iudaice aliquando vixisset, dicente de se Paulo[a]: Factus sum Iudæis tamquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: et ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem; vt eos qui sub lege erant, lucrifacerem.] Licentius enim hæc a Petro quàm a Paulo vsurpari potuisse, cum ille Iudæorum, Paulus vero Gentium patrocinium suscepisset, nemo non videt: nam ea ratione maior Petro quàm Paulo intercedebat cum Iudæis consuetudinis vsus. Si itaque nullius peccati reus est Paulus, quòd sæpe legalibus vsus est; multo minus redarguendus est Petrus, qui semel se cum illis immiscuit: non ergo ea ex causa a Paulo reprehendi meruit. Vnum illud igitur reliquum est, quod in Petro reprehendi posset; si forte, quod licite facere poterat, minus opportuno loco & tempore fecerit. Hoc B igitur attentius disquiramus: in hoc enim vno totius quæstionis vertitur cardo, an quod Petro facere licitum erat, tunc temporis prudenter fecerit. Sane quidem si factum ex euentu pensetur, imprudenter nimis illud attentatum fuisse videtur: nam exemplo Petri (quod redarguit Paulus) Gentes quodammodo cogebantur Iudaizare. Sed in vnaquaque re aliter quod principaliter geritur, aliter quod inopinato per occasionem oboritur, considerandum est. Videamus igitur causas, quibus ad id agendum Petrus compulsus sit.

a 1. Cor. 9.

XL. Si vmquam ea licentia illi vtendum erat; nullo quidem opportuniori loco vel tempore id fieri potuisse, facile intelligemus, si exacte rei gestæ historiam exquiramus: quæ est huiusmodi. Veniens Petrus Antiochiam, compositis iam rebus inter Gentiles & Iudæos, absque aliqua offensione cuiuspiam cum Gentilibus edebat. Post hæc accidit, vt C cum quidam a Iacobo Hierosolymis venirent Antiochiam, subtraxerit se a Gentilibus Christianis; & Iudæis Fidelibus inhærens, se Iudaice viuere simulauerit: cui simulationi & ceteri, qui Antiochiæ erant, consenserunt Iudæi, vsque adeo vt etiam Pauli collega Barnabas id fecerit, & Gentiles ad id faciendum eodem exemplo quodammodo cogerentur: hæc enim omnia scriptis consignata habentur a Paulo in dicta epistola ad Galatas, quæ & superius recitauimus. Ex his itaque satis liquet, Petrum institutum vitæ mutasse occasione Iudæorum, qui a Iacobo Hierosolymis venerant Antiochiam. Qua autẽ occasione id fecerit, nulla redditur, nisi quod ait Paulus: Timens eos, qui ex circumcisione erant] quod Græce habet: φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς] quod Latine æque reddi potest: Timens eos, vel eis. At licet interpres, eos, & non eis, verterit, quod secundum Latini sermonis proprietatem diuersum sensum habet, nullam tamen debet D afferre difficultatem: nam, eos, loco, eis, eumdem vsurpasse iterum in eadem epistola[b] constat, dum vertit: Timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis.] Vnde Chrysostomus[c]: Non hoc, inquit, metuens, ne veniret in discrimen: namque initio non metuerat, multo minus tum metuisset. verum illud metuebat, ne deficerent; quandoquidem ita & ipse Paulus loquitur Galatis, dum inquit: Timeo vos, &c.] Hæc idcirco, vt his retundatur temeritas dicentium, Petrum timore irrationali percitum, in errorem esse lapsum, cuius a Paulo est redargutus.

PETRVS AN OPPORTVNE SIT VSVS LEGALIBVS.

b Galat. 4.

c Chrysost. in epist. ad Galat. c. 2.

Timebat igitur Petrus, ne si ab illis nuper aduenientibus Hierosolymis, compertus XLI. esset Gentiliter & non Iudaice viuere, scandalum illis & offensionem inferret, hac nimirum in primis ex causa. Non enim sic quidem in Hierosolymitano Concilio de legalibus non vtendis prospectum Iudæis perinde ac Gentilibus fuit, vt eadẽ lex fuerit vtrisque statuta, ne legalibus vterentur; sed illud tantum (quòd dictum est) ne Gentiles, qui E ad fidem venissent, cogerentur circumcidi, ac cetera seruare legalia. Quod cum haud facile fuerit obtineri; nam (vt idem ait Paulus) seorsum ab illis qui videbantur aliquid esse, & venerant explorare an Paulus Gentiliter viueret, causam agere opus fuit; contendentibus illis, Titum, quem duxerat, circumcidi debere; quibus nec ad horam (vt ait idem Apostolus) sibi cedendum esse putauit. Si ergo illi non tantum quod optabant, in Gentiles legalia propagari, concessum sibi minus fuisse, sed & ipsos Iudæos penitus legalibus spoliatos ad Gentilitatem redactos esse intellexissent: quales turbas, quantas dissensiones eos fore concitaturos, par erat existimare? In quam quidem suspicionem facile adduci potuissent, si Antiochiam venientes, ipsum Principem Apostolorum, penes quem erat summa rerum, Gentiliter viuentem, vt faciebat, inuenissent.

PETRI DEFENSIO.

Rursum si Petrus, qui susceperat patrocinium Iudæorum, sicut Paulus Gentilium, XLII. ab ijs-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab ijsdem repertus esset cum Gentilibus manducare, & communibus cum illis cibis vti: A
PETRI PRVDENS FACINVS. plane non protectoris, sed desertoris partes agere creditus esset. His igitur, qui ad conflandas dissensiones digni iustiq. videri illis poterant esse prætextus, Petrus quamprimum sibi occurrendum existimans: cum hactenus (quod ait Paulus [a]) vixisset Gentiliter, & non Iudaice: post aduentum illorum Antiochiam subtrahebat & segregabat se a Gentilibus, timens eis qui erant ex circumcisione; & Iudæis inhærens, ritu Iudaico vtitabat; sed simulate quidem, hoc est, non ex animo, quòd videlicet aliud faceret ab eo quod habebat in mente; nimirum vt legalibus illis penitus antiquatis, omnes in libertatem Euangelicam vindicaret. Quàm prudens, & sagax, ac denique necessarium videri poterat Petri consilium, cuilibet illud accurate intuenti manifestum esse non dubito: adeo vt nec leuioris peccati culpa illi ea de re iuste possit adscribi. Sed & Petri factum qui rem ipsam proxime aspexerunt, vt Gentiles ipsi, in quorum præiudicium res agi B
videbatur, immo & Barnabas, cuius inter Apostolos ob res ab eo præclare gestas, magna erat auctoritas, non tantum æque probarunt, sed etiam imitati sunt.

a Galat. 2.

XLIII. Ceterum de his, quæ horum occasione exortæ sunt dissensiones, alia diuersa est habenda ratio, cum non eius voluntare, sed præter spem atque sententiam ea prorsus acciderint: summa enim quæ in Petro erat auctoritas, tam Iudæorum quàm Gentilium qui agebant Antiochiæ Fidelium, immo & Barnabæ ipsius, cui vna cum Paulo credita erat Gentilium procuratio, valuit animos ad istam simulationem adducere, cum omnes se id iure facturos existimarent, quod omnium pastoris exemplo actũ esse conspicerent: quamobrem per occasionem accidit, vt tam Iudæi, quàm Gentiles, ac etiam Bar-
EMERGENS OCCASIO COMMOVIT PAVLVM. nabas eorum institutor, Iudaizarent. Quibus commotus Paulus, nulla alia ratione excrescentem errorem se posse cohibere existimauit; nisi Petro, cuius exemplum ceteri se- C
cuti essent, resisteret; eumq. vt ceteri cohiberentur, coram omnibus acriter redargueret: præceps enim ac frequens ille omnium ad Iudaizandum concursus nonnisi aliquo violento remedio, quasi ex aduerso oppositio aggere, contineri posse videbatur. Vnde simulationem illam Petri, rationabili causa (vt vidimus) vsurpatam, in perniciem Gentium conuerti palam aspiciens, eam non amplius dissimulandam, sed detegendam consultius esse ratus, ipsum conueniens, ac corã omnibus redarguens, dixit: Si tu cũ Iudæus sis, Gentiliter viuis, & non Iudaice; quomodo cogis Gentes Iudaizare?] His enim egit Paulus, vt Gentiles ad Iudaizandum Petri exemplo dilabentes in officio retineret, & Iudæos quid agere de cetero deberent, eiusdem Petri exemplo commonefaceret; ac sic vno remedio vtriusque populi saluti opportune consuleret.

XLIV. His igitur in hunc modum elucidatis, cum a neutro ipsorum admissum fuisse pecca- D
PAVLI VERBORVM ELVCIDATIO. tum sit demonstratum: reliquum est vt ipsius Pauli verba consideremus, quibus crimen Petro adscribi videtur, vt cum ait: In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.] Sed cur esset reprehensibilis, eam quam superius examinauimus causam affert: nimirum quòd cum antea ibidem Antiochiæ Gentiliter vixisset, post aduentum illorum qui a Iacobo venerant Hierosolymis, illos timens cœpisset Iudaicos seruare ritus, segregans se a Gentilibus. Sed cum superius sit demonstratum, id a Petro factũ esse rationabili causa absque vlla leuioris peccati culpa; tantum reliquum est, vt quo sensu sint accipienda Pauli verba illa dicentis, Quia reprehensibilis erat] examinemus: pugnant enim hæc e diametro, Non peccauit: et, Reprehensibilis erat: vt alterutrum videatur esse necesse dicere, vel peccasse Petrum, vel esse mentitum Paulum. Sed priori diluta, de Paulo remanet soluenda quæstio; qua scilicet ratione Petrum reprehensibilem dixerit. E

XLV. In vnaquaque hominis actione duo sunt quæ considerari possunt; intentio, qua aliquid factum est; & opus ipsum, quod quale sit, ab hominibus cernitur. Prioris quidem Deus tantum, qui intuetur cor, est iudex & vindex: opus vero tantum quod videtur, humano iudicio iudicatur. Non potuit ergo Paulus reprehensibilem dixisse Petrum ex eius animi intentione, quam non inspiceret, sed tantum ex facto, quod cerneret. In quo rursum duo adhuc sunt pensanda, opus ipsum, & quod eius occasione prouenit. Sed
PETRVS PROBATVR INNOXIVS. quod ad opus ipsum spectat: illud quod permissum esset, quod & ipse Paulus sæpius facturus esset, nec a Paulo reprehendi poterat, nec eius causa Petrus reprehensibilis dici. Solum ergo restat, vt Paulus reprehensibilem Petrum dixerit, quòd occasione operis iure riteq. ex dispensatione patrati, res quæ reprehendenda merito foret, esset obortæ; nimirum quòd eius exemplo Gentes ad Iudaizandũ impellerentur: a quo quidem facto

cum

A cum & animus Petri procul abesset (nã hactenus Antiochiæ, Paulo ipso testante, Gentiliter vixerat, & dicta occasione ad Iudaicos ritus ad modicum tempus deflexerat) nec peccatum inesse potuisse, certissimum est. Sic igitur Petrus, qui a culpa innocens atque immunis erat, ex dicta occasione Paulo reprehensibilis visus est: sicut & ipse Paulus etiam alijs reprehensibilis videri potuisset; si, cum Timotheum Gentilem hominem circumcidit, vel more Nazaræorum caput totondit in Cenchreis, vel Hierosolymis se purificauit cum Iudæis; Gentiles Christiani, qui ea vidissent, ad id ipsum faciendum in Iudaismum declinantes eius exemplo fuissent impulsi: de quibus sane idem, quod ipse Paulus de Petrum imitantibus dixit, iure dici potuisset, quòd non recte ambularent ad veritatem Euangelij: sed & in ipsum Paulum quoque dici, quod ipse in Petrum, ac multo æquius; quòd, cum suscepisset patrocinium Gentium, immiscens se
B Iudaicis ritibus, suo exemplo cogeret Gentes Iudaizare; & quod in Petro damnasset, inconstanter admitteret: cum alioqui ea omnia Paulus absque vlla leuioris criminis culpa perageret. At hæc satis esse putamus ad obscurissimas illas quæstionum caligines illustrandas: vt iam clara luce, nonnisi sciens volensq. errore labatur.

Ecce iam tibi, lector, de antiquissima, atque in ore omnium versata, multisq. chartis XLVI.
tractata quæstione legitimus idemq. germanus sensus historiæ restitutus: vt non sit opus ad veritatem fictionem inducere, vel aliter Petrum vrgere crimine: sed patefacta per quam incedas regia via, ea omnia & serio facta, ac sine Petri culpa admissa esse cognoscas. Habes insuper quod de Principis Apostolorum auctoritate, quanti illa ab om- SVMMA APVD OMNES AESTIMATIO PETRI.
nibus æstimata fuerit, ex rebus gestis mirum in modum admirari possis. Acceperant enim nuper Gentiles Fideles a Hierosolymitano Concilio litteras, easdemq. non tan-
C tum Apostolorum sententia, sed diuino suffragio consignatas: scripserant enim sic: Visum [a] est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris.] Nihilominus *a Act. 15.*
his posthabitis, tanti ponderis exemplum Petri esse duxerunt, vt eumdem Petrum Iudaizantem esse potius sequendum existimarint, quàm Paulum, licet hunc scirent Gentium curam ac patrocinium suscepisse: et, quòd maius videri debet, ipse Barnabas, qui testimonio Spiritus sancti [b] Antiochiæ segregatus erat in Euangelium vna cum Paulo, *b Act. 13.*
Petro potius inhærendum putarit.

Hincq. nihil est quod mireris, cum ex iusta causa videas Paulum iusto zelo commo- XLVII.
tum, adeo libere redarguisse Petrum; ac rursum Petrum, quòd ipse eadem sentiret quæ Paulus, licet ad modicum spatium temporis dicta ex causa deflexisset, magna animi summissione Paulo obiurganti cessisse. Vnde Cyprianus [c] ad Quintum: Nec Petrus, *c Cyprianus ad Quint. epist. 71.*
D inquit, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam, cum PETRI COMMENDATA HVMILITAS.
secum Paulus postmodum de circumcisione disceptaret, vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari a nouellis & posteris sibi potius oportere: nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, facile consensit: Documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed quæ a fratribus aliquando & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potius nostra ducamus.] hæc Cyprianus: citat & recitat eumdem locum Augustinus [d] agens contra Donatistas. *d Aug. de bapt. contra Donatist. lib. 2. c. 2.*
Magna igitur dispensatione Spiritus sancti factum est, vt vehementi morbo eiusmodi violentum adhiberetur remedium, quo perfectius curaretur. Quis enim, nisi hæreti-
E cus pertinax, de his vlterius disputare præsumpsisset, quibus iam Petrus reprehensione admonitus consensisset? Vel quis sperare potuisset Iudaicos ritus introducere in Ecclesiam perpetuo seruandos, quos nec licuit Petro ad breue tempus, iusta licet ex causa, vsurpasse? Sed de his satis.

His Antiochiæ rebus peractis: Post aliquot dies (inquit Lucas [e]) dixit ad Barnabam XLVIII.
Paulus: Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Ioannem qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat, eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphilia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem. Et Barnabas quidem, assumpto Marco, nauigauit Cyprum: Paulus vero, electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus.] Non fuit hæc contentio quæ mutuam scinderet charitatem, cum ambo in *e Act. 15.*

vnam

Universidad de Deusto
Biblioteca

vnam eamdemq. sententiam conuenirent, nimirum vt quisque eorum id ageret quod Deum velle existimaret: licet enim per diuersas vias incederent, attamen in vnū eundemq. locum & punctum (vt dicitur) ambo æque tendebant. Sed vnde diuersitas? Audi Chrysostomum[a]: Sic, inquit, & in Prophetis inuenimus varias sententias, & varios mores. Erat Elias austerus, Moyses vero mitis. Et hic quoque asperior est Paulus. Sed vide etiam hoc loco eius mansuetudinem. Volebat, inquit, vt ille qui defecerat ab illis a Pamphilia, ne simul assumeretur. Sic dux quidam belli non vellet aliquem baiulum semper esse sordidum, & inter lixas: ita neque Apostolus. hoc enim & alios docuit, & illum emendauit.]

a Chrysost. hom. 34. in Act.

XLIX. MARCVS VALIDIOR REDDITVS.

Quod vero ad emendationem Marci spectat: proficuam illi fuisse eiusmodi Pauli seueritatem, certissimum est: nam qui vt desertor militiæ in hunc modum a Paulo reiectus est, maioribus deinde assumptis spiritibus, animosior redditus, posthac inter primos ordines militauit. Hunc enim illum ipsum esse Marcum superius demonstrauimus, qui postea iterum adhæsit Paulo, cuius ipse meminit scribens ad Colossenses[b]; quem & ex Oriente per Timotheum[c] Romam, vt sibi valde vtilem in ministerio, aduocauit; quem & ad Philemonem scribens, suum coadiutorem appellat. Paulum igitur non actum spiritu dissensionis, sed diuino plane afflatum fuisse, dum in Marcum in præsentiarum seuerius agere visus est, probauit euentus.

b Coloss. 4.
c 2. Tim. 4.

L. BARNABAS EXCVSATVR.

Sed quid de Barnaba? Male ne ergo (inquit Chrysostomus) fecit Barnabas? minime: quoniam valde absurdum esset hoc putare. et quomodo non absurdum, ob leuem causam dicere illud malum? Sed vide, quia primum quidem malum nullum fuit; nam quòd diuisus sit alter ab altero, magnum inde bonum prouenit. quòd si hoc non fuisset, haud facile relicturus alter alterum fuisset.] et infra: Mihi quidem videtur etiam discrete separatio illa facta, & quòd inter se dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis; ne pugnemus, distribuamus prouincias. Et ita sibi inuicem multum credentes hoc fecerunt. Volebat enim Barnabas non deijci quod a Paulo erectum: idcirco & receſſit. Volebat similiter & Paulus non infirmari quod illi visum: ea propter & ipse idem facit, ac secedit. Vtinam & nos tales secessiones faceremus, & sic ad prædicandum abiremus.] hæc Chrysostomus. Sic itaque in hunc modum Barnabas diuisus a Paulo, assumpto secum Marco, nauigauit Cyprum. Quæ autem ab eodem Barnaba gesta sint, Lucas, quòd Pauli tantum facta sit prosecutus, silentio obuoluta reliquit.

LI. DE IMPOSTORE IOANNIS NOMINE FALSA SCRIBENTE.

Quoniam vero quædam Barnabæ Acta, nomine eiusdem qui supra Ioannis cognomento Marci, ab aliquo (vt apparet) nebulone scripta circumferuntur, & ab imperitis magno applausu accipiuntur; multis quidem & apertissimis sunt coagmentata mendacijs: vt sunt ea potissimum (vt de alijs taceam) quæ Actorum Apostolorum historiæ a Luca conscriptæ repugnant. Nam auctor esse se comitem illū Pauli & Barnabæ, Ioannem nomine, cognomento Marcum, profitetur, & addit se non natura Iudæum, sed Gentilem fuisse, famulum cuiusdam idolorum Pontificis. At quis hanc non videat impostura, cum constet ipsum Marcum consobrinum fuisse Barnabæ[d], natura Iudæum, filium Mariæ[e], eumdemq. prædiuitem Hierosolymis habitasse, eiusq. domum amplissimam patuisse Apostolorum ac ceterorum Christianorum conuentibus? De se ipso rursum affirmat, ab Apostolo Paulo baptizatum esse Iconij. At quonam pacto fieri potuit, vt antiquus discipulus non adhuc esset initiatus baptismate, cum multa millia hominum, qui prædicante Petro recens credidissent, omnes pariter baptizatos fuisse, Lucas testetur? Vel quomodo a Paulo potuit Iconij baptizari, qui antequam illuc Paulus vna cum Barnaba venisset, ex Pamphilia ab eis recedens (vt idem testatur Lucas) reuersus sit Hierosolymam? Sed in his non immoramur: reiectum enim prorsus esse librum illum Abdiæ nomine prænotatum, in quo hæc Ioannis Marci nomine de rebus gestis Barnabæ scriptis mandata sunt, superius dictum est.

d Coloss. 4.
e Act. 9. 12.

LII. FALSA COMMENTA DE BARNABA.

Sed sicut hæc manifestæ arguuntur impostura; ita etiam quæ apud Recognitiones Clementis nomine vulgatas de Barnaba scripta leguntur, haud his fideliora esse noscuntur, vt quæ etiam eiusdem Lucæ Euangelistæ historiæ contradicant. Dum enim in illis dicitur, Barnabam Romam venisse, illicq. prædicasse Euangelium, ac demum abducto secum Clemente inde receſſisse, ac redeuntem in Palæstinam petijsse Cæsaream, illicq. agentem Petrum inuenisse; quàm patenter hæc Apostolorum Actis repugnent, nos perspicue demonstrabimus. Certum est enim non antea Petrum Cæsaream concessisse,

cessisse, quàm (vt eadem habent Acta[a]) Ecclesias visitans, Ioppē cum peruenisset, Cæsaream a Cornelio Centurione diuina visione admonito accersitur: sed vbi eo tempore, & antea, ac postea Barnabas ageret, eadem Acta significant. Eodem quippe capitulo[b], quo Petri circuitus in visitandis Ecclesijs a Luca describitur, de eodem Barnaba paulo superius dicitur, aduenientem Saulum Hierosolymam ad Apostolos eum introduxisse, ac post inde[c] ab Apostolis Hierosolyma missum esse Antiochiam, accersitoq. Paulo Tarso, ab eo numquam vsque ad præsentem annum receſsisse. Sed etsi ista cessarent: quonam pacto, quæso, potuit Barnabas ante Petri aduentum Cæsaream, Romam abijsse, illicq. Gentibus Euangelium prædicasse, & Clementem Romanum Gentilem hominem ad fidem Christi susciendam adduxisse; si eiusdem Lucæ testimonio exploratissimum est, nondum fuisse apertum fidei ostium Gentibus, quod primum Cæsareæ, tot præuijs visionibus, a Petro constat fuisse reseratum? Vel quomodo Barnabas nondum initiatus, nec segregatus in Euangelium, Romam, eo non missus, accedere præsumpsisset; & quod de pseudoprophetis queritur Dominus, dicens, Currebant, & non mittebam eos] ille feciſſet?

a Act. 9. 10.
b Act. 9.
c Act. 11.

LIII.

Hæc cauens Alexander[d] Græcus auctor, qui res Barnabæ prosecutus est encomiastice potius, quàm historice, aduentum Barnabæ Romam ad illud tempus retulit, quo Antiochiæ vna cum Paulo, monente Spiritu sancto, segregatus, prædicandi Euangelium munus accepit: sic enim ait: Postquam ille Antiochiam a fratribus, qui erant Hierosolymis, missus est; Antiochia recedens, exteras ciuitates peragrauit, quousque Romam venit, vbi primus Christum annunciauit.] O commentum insulsum! An non Lucas in Actis relegit cunctas prouincias, immo & singulas ciuitates, ad quas vna cum Paulo in ea peregrinatione Barnabas Euangelium prædicaturus accesit, quousque ambo opere consummato Antiochiā sunt reuersi, ac inde simul Hierosolymam petierunt, rursumq. Antiochiam redeuntes, vsque in hanc diem ibidem permanserunt? Sed etsi hæc tacuisset Lucas, demusq. non tantum Barnabam, sed Paulum, qui ab eo numquam in ea peregrinatione diuisus est, tunc cum Antiochia dimissi sunt, Romā petijsse (quod ne somniasse quidem aliquem, quis reperiet) num propterea dicendus esset Barnabas primus omnium Romæ Euangelium prædicasse? An non antea Petrus, cum vinculis solutus est, quibus ab Agrippa Hierosolymis vinctus erat, inde recedens, anno secundo Claudij (quod in confesso est apud omnes) Romam aduenit; cum tamen Paulus & Barnabas (vt auctore[e] Luca exploratum habetur) nonnisi post Agrippæ Herodis obitum, qui contigit (vt Iosephus[f] testatur) anno quarto eiusdem Claudij, Antiochiæ sacris initiati, ad prædicandum Euangelium sint amandati? Facessant igitur eiusmodi portentosa mendacia, & insana deliria, quæ ex dicto cœnoso gurgite Recognitionum, quæ sunt Clementis nomine insignitæ, deducta, non tantum dictus Alexander, sed & Dorotheus inter ceteras quisquilias suas adlegit; quæ non tantum ab eruditis viris improbanda, sed ab omnibus qui vel leuissime Ecclesiasticarum rerum peritia tincti sint (si modo rerum gestarum attendant tempora) esse procul reijcienda, non dubitamus.

d Apud Metaph. 11. Lunij.

REFELLVNTVR FALSA IACTATA DE BARNABA.

e Act. 12. 13.
f Ioseph. antiq. lib. 19. c. 7. & de bell. Iud. lib. 2. cap. 10.

LIV.

Ceterum post hæc tempora, cum Barnabas vna cum Marco Cyprum profectus est, visitatis confirmatisq. illis quæ ibi erant Ecclesijs, in Italiam nauigasse, non negarim: Romam vero concessisse, illicq. prædicasse Euangelium, quamdiu Claudius vixit, minime concesum fuisse videtur, prohibente illo Iudæos Romæ agere. Si igitur quis velit, apocryphorū auctoritate, Barnabam aliquando Romam venisse: nonnisi ad Neronis tempora eius aduentum referri posse, ex iam dictis apparet. Verum ipsum in Italiam venisse, & in Liguria prædicasse Euangelium, nobilissimamq. Mediolanensium Ecclesiā erexisse, ac longe lateq. Christi fidem feliciter propagasse, firmæ traditiones, eiusdemq. Ecclesiæ monumenta, complurium scriptorum testimonijs confirmata, fidem certam atque indubitatā faciunt. Sed in his non immoramur: tum quoniam non est nostri instituti priuatarum Ecclesiarum historiā prosequi: tum etiam quòd hæc ab alijs compluribus fusius esse tractata sciamus. Quando autem Cyprum reuersus sit, quandove martyrium consummauerit, nihil inuenimus quod antiquorum scriptorum testimonijs possimus asserere.

BARNABAS MEDIOLANENSEM ECCLESIAM EREXIT.

g Hier. de Script. Eccl. in Barnab. cap. 6.
h Orig. Periar. lib. 3.

LV. DE BARNABAE EPISTOLA.

Scripsisse Barnabam epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, auctor est sanctus Hieronymus[g]: eam ipsam citatam inuenies ab Origene[h], & Clemente Alexan-

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Clem. Alex. Strom. lib. 2. & lib. 5. Alexãdrino [a] sæpius. Tertullianus [b] insuper tribuit Barnabæ epistolã Pauli ad Hebræos: A
b Tertul. de pudic. c. 20. sed errat equidem. cũ enim nonnisi vna nomine Barnabæ olim circumferretur epistola; diuersam illã ab ea fuisse, ex locis ijs quæ ex ea dicti auctores sunt mutuati, manifestissime constat, cum illa nequaquam in Pauli ad Hebræos epistola scripta reperiantur.
c Hier. de Scrip. Eccl. in Paulo, & in epist. 29. ad Dardan. Constat tamen, nonnullos [c] auctore Tertulliano permotos, eam existimasse Barnabæ esse: sed plane diuersam fuisse eam ab illa quæ a Paulo scripta est ad Hebræos, apertissime etiam demonstrat Hieronymus, cuius tempore eadem Barnabæ nomine scripta epistola habebatur: nam cum omnia nomina Hebraica, quæ in diuinis Scripturis leguntur, idem sit interpretatus, & inter alia, quæ in epistola Pauli ad Hebræos inserta essent; nouissime
d Hier. de nom. Hebraic. in fin. [d] illa quæ in eadem epistola Barnabæ haberentur, expositi: vt ex his clare atque aperte videas, distinctas inter se fuisse illam Barnabæ, & Pauli epistolam ad Hebræos B
conscriptam, de qua inferius suo loco prolixior erit sermo.

LVI. His de Barnaba enarratis, præscriptum a Luca ordinem sequentes, quæ post hæc a Paulo gesta esse tradit, per singulos annos distincta recensere aggrediamur. sic enim
e Act. 15. ait [e]: Paulus, electo Sila, profectus est, traditus gratiæ Dei a fratribus. Perambulabat
PAVLI CVM SILA PEREGRINATIO. autem Syriam & Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum.]ad Gentes hæc Paulus: nam de illis tantum (vt vidimus) in
f Act. 16. Hierosolymorum Concilio id statutũ ab Apostolis & senioribus fuerat. Repetit eadem fere verba paulo inferius de illis Lucas, cum ait [f]: Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & senioribus qui erant Hierosolymis.] Videas in his Paulum & Silam non Euangelij tantum fuisse promulgatores, sed & legum ab Apostolis sancitarum præcones: ex quibus facile possis intelligere, quanti ponderis habitæ fuerint Apostolicæ sanctiones. Porro Apostolorum exem- C
plo, ea ad posteros, qui loco Apostolorum sunt in Ecclesijs eadem auctoritate Episcopi subrogati, dilapsa est consuetudo, vt cum ratio postulat, ad instituendam plebem sibi commissam, vel singuli in suis Ecclesijs, vel cũ in sacris conuentibus sunt in Spiritu sancto legitime congregati, tum ea quæ ad Catholicam fidem spectant, tum quæ ad bonos mores seruandos pertinent, legibus sacris edicant.

LVII. At ne hæc, quamuis ab hominibus lata, humana tantum & non diuina esse existimarentur: quàm egregie in ijsdem a se sancitis legibus Apostoli hæc apposuerunt [g] ver-
g Act. 15. LEGES ECCLESIAE A SPIRITV SANCTO. ba, dicentes: Visum est Spiritui sancto, & nobis.] Mira quidem ac diuinitus plane facta verborum coniunctio. Quoniam enim iampridem de Spiritu sancto libera promissio
h Ioan. 14. facta erat, dicente [h] Christo ad suos, Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vo- D
bis] merito ac summo iure eiusdem Spiritus sancti suffragio suas leges esse institutas ac roboratas ostenderunt. Rursus vero, quoniam non omni spiritui esse credendum, sed
i 1. Ioan. 4. an sit ex Deo, probandum esse, admonet Apostolus [i]: hæc examinare, officij esse Ecclesiæ, vt demonstrarent; ea non tantum Spiritui sancto, sed & sibi visa esse, addiderunt; vt sic admirabilem quamdam sancti Spiritus & Ecclesiæ esse coniunctionem & consensionem, verbis illis significarent. Quæ igitur ab his, qui in Ecclesia vice fungentes Apostolorum ceteris præsunt, leges statuuntur, eæ non tam ipsis quàm primo omnium auctori Spiritui sancto acceptæ ferri debent: sicuti contra, non quælibet quæ quis ex spiritu Dei esse contendit, sunt facile admittenda; sed quæ Ecclesia recipienda esse consenserit, &
k Ioan. 20. per eosdem significauerit, de quibus a Domino dictum est [k]: Sicut misit me Pater, & ego
l Luc. 11. mitto vos.] ac item [l]: Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.] ac rursum [m] E
m Matth. 16. ad eosdem: Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis.] Quibus pa-
n Rom. 13. 1. Thess. 4. 2. Thess. 3. Hebr. 13. & alijs. rendũ esse, Apostolus Paulus [n] vehementissime suis scriptis inculcat: vt & Apostolici viri, & Ignatius sæpissime, vt cum ait [o]: Decet itaque & vos obedire Episcopo, & in
o Ignatius ad Magnes. epist. 6. & ad Smyr. epist. 10. nullo illi refragari: terribile namque est tali contradicere: nec enim hunc fallit qui videtur, sed inuisibilem fallere nititur, qui non potest a quoquam falli.] et ad Smyrnenses [p]:
p Ide ad Smyr. epist. 10. Omnes Episcopũ sequimini, vt Christus Patrem.] et inferius: Honora Deum omnium auctorem & dominum, Episcopum vero vt principem sacerdotum.] Sed de legibus Ecclesiasticis alias.

LVIII. Verum quod ad dicta per Paulum & Silam promulgata Apostolorum decreta pertinet: quamdiu eadem vna cum Sila circumijt loca, quibus olim cum Barnaba Euangelium prædicauerat, de custodiendis quæ ab Apostolis statuta erant, sæpius inculcasse,

A Lucas testatur: postquam vero illos fines sunt egressi, nihil eiusmodi credentes admonuisse, Lucas (vt prius fecerat) refert: Vt ex his perspicue intelligi possit, illis tantũ, quo- SANXIT PAVLVS DIVERSA PRO DIVERSA OCCASIONE.
rum causa illa statuta erant, Paulum & Silam eadem Apostolorũ promulgasse decreta: et vt non mireris, si latuit Corinthios horum cognitio, quibus Paulus ab his diuersa vi-
a 1. Cor. 8. 10. detur dedisse præcepta; nimirũ vt tunc ab immolatis [a] abstinerent, cum inde aliquod
b 1. Thess. 4. inferretur scandalum; quo cessante, licite illis vesci possent. et Thessalonicenses [b], vt ab-
stinerent a fornicatione tantum, admonuit, dicens: Scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominũ Iesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis a fornicatione.] hæc Paulus, nullam prorsus de idolothytis & suffocato mentionem faciens.

Ex quibus cognoscas Apostolicarũ sanctionũ diuersas fuisse rationes, ac illarum ali- LIX.
quas sic esse editas, vt ab omnibus Christi fidelibus pariter seruarẽtur, vtputa Symbolũ APOSTOLICARVM SANCTIONVM DVO GENERA.
B Apostolicũ; alias vero pro ratione loci & temporis sic ab illis esse statutas, vt non omnes ijsdẽ legibus obligari voluerint, quas alicuius priuatæ causæ occasione certis locis præscripserint: vt de idolothytis dicimus, de quibus Apostoli & cũ ipsis Paulus diuersa dederunt præcepta Syriæ ac Ciliciæ populis, diuersa vero tradidit idem Paulus Corinthijs.

Simile quiddam accidit de ieiunio sabbati; & alijs pluribus, quorum vsum diuer- LX.
sum Orientalis ab Occidentalis Ecclesiæ consuetudine absque vllo fidei præiudicio fuis- DE IEIVNIO SABBATI.
se, certum est. De quibus hæc est regula [c] Augustini, vt faciat vnusquisque quod in ea
c Aug. epist. ad Ianuar. 118. Ecclesia, in qua reperitur, inuenerit. Vnde hæc idem ad Ianuarium [d]: Miror sane quòd
d Idem ad Ian. epist. 119. ita volueris, vt de his, quæ varie per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberem: cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ
C non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit.] hæc Augustinus. Gregorius [e] item hæc
e Gregor. lib. 2. epist. 41. ad Leandrum Episcopum Hispalensem in eamdem sententiam scribit: In vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa.] Sed de his hactenus. iam ad Paulum peragrantem Asiæ prouincias redeamus.

Peruenit autem Paulus (inquit Lucas [f]) in Derben & Lystram. Et ecce discipulus LXI.
quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ Fidelis, patre Gentili. Huic
f Act. 16. PAVLVS CIRCVMCIDIT TIMOTHEVM. testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant, & Iconio fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci: et assumens circumcidit eum propter Iudæos, qui erant in il-
lis locis. Sciebant enim omnes quòd pater eius erat Gentilis.] Dignum est (inquit
D Chrysostomus [g]) vt obstupescamus Pauli sapientiam, qui tantopere pugnauit propter
g Chrysost. hom. 34. in Act. circumcisionem; qui omnia mouerat, & non prius destitit, quàm correxisset confirmatum dogma. Circumcidit discipulum: non solum alios non prohibet, sed etiam ipse hoc facit: et ita omnino ad vtilitatem spectabat, & nihil cum animi præcipitatione agebat. Hunc voluit, inquit, secum egredi. Mirabile hoc, quòd & illum assumit. Propter Iudæos, inquit, qui erant in illis locis. Hæc est causa circumcidendi: non enim ferebant audire verbum ab incircumciso. Et cur? Vide opus: Circumcidit, vt circumcisionem tollat.] hæc Chrysostomus de Pauli animi consilio in circumcidendo Timotheo. Augustinus [h] vero hanc causam affert: Ideo, inquit, Timotheus, cum in præpu-
h Augustin. lib. de mend. ad Consent. c. 5. tio vocatus esset, tamen quia de Iudæa matre ortus erat, & ostendere cognatis suis debebat, ad eos lucrifaciendos, non hoc se didicisse in disciplina Christiana, vt illa sacra-
E menta, quæ legis veteris essent, abominaretur, circumcisus est ab Apostolo: vt hoc modo demonstraret Iudæis, non ideo Gentes non ea suscipere, quia mala sunt & perniciose a patribus obseruata; sed quia iam saluti non necessaria post aduentum tanti sacramenti, quod per tam longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus parturiuit. Nam & Titum circumcideret, cum hoc vrgerent Iudæi; nisi subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, vt haberent quod de ipso Paulo disseminarent, tamquam eorum veritati cesserit, qui spem salutis Euangelicæ in circumcisione carnis atque huiusmodi obseruationibus esse prædicarent, & sine his nemini Christũ prodesse contenderent: cum contra nihil prodesset Christus eis, qui eo animo circumciderentur, vt ibi esse salutem putarent. Vnde est illud [i]: Ecce ego, Paulus dico vo-
i Galat. 5. bis, quia si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.] hæc Augustinus de Pauli instituto: sed quæ subdit de Petro, superius suo loco sunt pertractata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LXII. DE TIMOTHEI GENERE ET ORDINATIONE.

At vero quod de Timotheo idem Apostolus scribit [a]: fuit hic genitus matre Eunice nomine, fuitq. illi auia Lois dicta, ambæ Fideles, & spectata virtute: in secunda enim quam ad ipsum dedit epistola, hæc ait: Recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quòd & in te.] Vnde quod Augustinus in nuper citato loco ait Paulum circumcidisse Timotheum, vt sic cognatos Iudæos ad Christianam fidem impelleret: non putamus de auia & matre ipsum intellexisse, quæ iam ante crediderant: sed de alijs Iudæis illi coniunctis. Quod vero mox idem Apostolus subdit: Propter quam causam admoneo te vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum] ipsum a se sacris initiatum fuisse significat. Manuum enim impositio (de qua superius fusius dictum est) non nudum quoddam fuit ministerium, quo consueuerant Hebræi (vt in Thalmudicis testatur Rabbi Nathan) cum quis ad docendos alios promouendus magister esset, collecto seniorum Concilio, eo prius examinato, idoneoq. reperto, omnes qui aderant, super ipsum manus imponere: sed hoc visibili signo manus impositionis impartiebatur per Apostolos gratia Spiritus sancti, vt aperte de Timotheo illis verbis Paulus ipse testatur, vel cum ad ipsum iam antea scripserat, dicens [b]: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij.] id enim non obiter factum, sed per prophetiam prius declarato diuino suffragio, a se consummatum esse significat. Quo modo autem postea ab eodem Paulo præfectus sit Ephesiorum Ecclesiæ, suo loco dicemus: interim Pauli itinera persequamur.

[a] 2. Tim. 1.

[b] 1. Tim. 4.

LXIII.

Cum hac [c] visitatione Pauli, Ecclesiæ fide confirmarentur, & abundarent quotidie numero: Transeuntes (inquit Lucas) Phrygiã, & Galatiæ regionẽ, vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniã: et non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadẽ, *ciuitatem maritimam Asiæ, quæ & Antigonia* [d] *dicta*. et visio per noctẽ Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniã, adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus euangelizare eis. Nauigantes autem a Troade, recto cursu venimus Samothraciã, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia.] Ex hoc tempore, & non antea Lucas adhæsisse Paulo videtur: id enim ex mutato ab ipso vsu loquendi facile intelligi potest. Qui enim cunctas, quas hactenus retulit, Pauli res gestas recensuit, semper in scribendo tertia persona est vsus, vt, Fecit, dixit, abijt, & his similibus: ex hoc autem tempore, mutato stylo, quòd ipse vna cum ceteris Paulo præsto esset, seipsum cum alijs adnumerans, hæc in prima persona, Quæsiuimus, venimus, & alia id genus plura in his quæ narrare pergit. Irenæus etiam [e], nonnisi ab hoc tempore, cum Paulus venisset Troadem, Lucam illi adhæsisse, monstrare videtur; quod & verius esse existimamus. Vnde ex his Hieronymus est declarandus, dum de Luca agens [f], ipsum totius peregrinationis Pauli comitem appellat indiuiduum: cum tamen nonnisi ex hoc tempore hæc de illo dici possint; nec sic quidem vt illi semper inhæserit; sed aliquando, vt occasio postulauit, abfuerit. Videas posthac ipsum, vt qui præsens esset, res singulas distincte pleneq. narrare: cum alioquin antea, eiusdem Hieronymi testimonio, grauissima prætermiserit, multaq. strictim summatimq. narrarit: vnde ex his magis magisq. fides commendetur auctoris, dum a rebus illis conscribendis quibus præsens non fuerit, abstinuerit, ac paucioribus agere potius, quàm veritatem ipsam vel in minimum discrimen adduci, aut aliqua ex parte periclitari voluerit.

[c] Act. 16.

[d] Hieron. de locis Hebraic. & Plin. lib. 5. c. 30.

LVCAS ADHAERET PAVLO.

[e] Iren. lib. 3. cap. 14.

[f] Hier. de Scrip. Eccl. in Luca.

LXIV.

De eodem Luca existimauit ibidẽ Hieronymus [g] intelligere voluisse Paulum, cum ad Corinthios [h] scribens ait: Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solum autẽ, sed & ordinatus est comes peregrinationis nostræ in hanc gratiã, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriã, & destinatã voluntatem nostram.] Verum nihil eiusmodi de ipso Luca legitur in Actis, sed potius (vt vidimus eodem Luca auctore) de Sila: qui, cum a Paulo Barnabas recessisset, electus est Antiochiæ Pauli comes in peregrinatione suscepta: cui & conueniunt illa præconia, quibus dicitur, laudem eius in Euangelio fuisse per omnes Ecclesias: nam ad Apostolicam perficiendam legationem ex Concilio Hierosolymitano vna cum Iuda, quòd primi

[g] Hieron. ibid.

[h] 2. Cor. 8.

COMES PEREGRINATIONIS PAVLI SILAS.

essent

(vt idem Lucas [a] ait) in fratribus, delectus est. Porro eiusmodi primatus nonnisi ex prædicatione Euangelij comparatus esse videtur: in quo genere si magna cum laude versatus est ante ipsius legationis functionem; quanto celebrior postea factus est, cum omnibus Ecclesijs Syriæ, Ciliciæ, & alijs Asiæ prouinciæ, Macedoniæ etiam, & Achaiæ, vna cum Paulo ablegatus Antiochia, Euangelium prædicauit? vt merito de illo Paulus dixisse videatur: Cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.] quibus sane verbis non propterea aliquis a Paulo notatus dici potest, qui scripserit Euangelium, immo nec si appellasset eum Euangelistam: nam & Philippus ab eodem Luca [b] dictus est Euangelista, non quòd Euangelium scripsisset, sed potius prædicasset. In hanc sententiam, quòd ille sic a Paulo descriptus, non fuerit Lucas, Theodoretus accessit [c]: qui tamen illum non Silam, sed Barnabam fuisse putauit, qui in prima illa peregrinatione segregatus Antiochiæ cum Paulo in Euangelium, illi vsque ad finem comes adhæsit: qui licet in secunda assumpta ab Apostolo peregrinatione ab eo discessisset; tamen antequam secundam illam ad Corinthios, in qua prædicta narrantur, Paulus scripsisset epistolam, Barnabas iterum ad ipsum redijsse videtur. Nam in prima [d] ad eosdem data epistola, eius meminit tamquam collegæ in Euangelij prædicatione, cum ait: Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi?] Quid de his quisque opinari velit, fuerit ne Lucas, an Silas, vel Barnabas, relinquimus arbitrio legentium; qui meminisse debent, Hieronymi sententiam non mediocriter roborari Ignatij testimonio, qui ad Ephesios scribens, eodem quo Paulus, Lucam præconij laudat genere, cum dicit, ipsum citans: Vt testatur Lucas, cuius laus est in Euangelio.] Sed de Luca satis: an vero fuerit ex numero septuagintaduorum, vel potius Pauli discipulus, agemus inferius, cum de Euangelio ab eo scripto instituemus narrationem.

[a] Act. 15.

[b] Act. 21.

[c] Theodoret. in 2. ad Corin. 8.

[d] 1. Cor. 9.

LXV. TEMPVS ADVENTVS PAVLI CORINTHVM.

Quod vero pertinet ad res gestas Pauli vsque ad eius aduentum Corinthum a Luca descriptas: in eis ordine temporum in Annalibus intexendis, eiusmodi est a nobis inita ratio: Quoniam idem Lucas inferius capite decimooctauo agens de aduentu Pauli Corinthum, inuenisse illic dicit Aquilam & Priscillam Iudæos, qui (inquit) nuper venerant ab Italia, quòd Claudius Imperator præcepisset omnes Iudæos Roma discedere: cum vero dictum sit maiorum auctoritate, Claudium hoc ipso anno nono sui Imperij, quæ dicta sunt in Iudæos statuisse: certe aduentũ Pauli Corinthum hoc anno, vel ad summum sequentis initio, contigisse, existimari posse videtur. Nos igitur, habita ratione ceterarum rerum, quæ a Luca descriptæ, a nobis hoc anno sunt recensitæ, in sequentem annum potius illum reijcimus: cetera vero, quæ ad illud vsque tempus in Actis facta leguntur, hoc ipso anno includimus.

XLVI. DE LYDIA PVRPVRARIA.

Eramus autem (sequitur Lucas [e]) in hac vrbe, *Philippis videlicet*, consistentes. Die autem sabbatorum egressi sumus foras portam iuxta flumen, vbi videbatur oratio esse: et sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo. Cum autem baptizata esset, & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem Domino esse, introite ad domum meam, & manete. Et coegit nos.] Consueuerant Hebræi vltra synagogas, quas intra ciuitates habebant, loca etiam in suburbijs posita, quantum sabbati haberet iter, in quæ deambulantes conuenirent, ac simul Deo preces offerrent, instituere. De eiusmodi locis Epiphanius [f] agens, hæc ait: Fuerunt quidam antiquitus orationum loci, tum inter Iudæos extra ciuitatem, tum inter Samaritas, velut etiam in Actibus Apostolorum inuenimus: vbi purpurarum venditrix Lydia Paulo occurrit, & sic quoque diuina Scriptura narrat, quòd videbatur locus orationis esse: et accesserunt, & docuerunt Apostoli mulieres, quæ illo tempore conuenerant. Sed & orationis locus est in Sicimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra vrbem in campestri regione duorum ferme signorum distantia, speciem theatri præseferens, in aere & sub dio constructus a Samaritis, qui omnia Iudæorum imitantur.] hæc Epiphanius.

[e] Act. 16.

[f] Epiph. hæres 80.

XLVII. DE PYTHONISSA LIBERATA.

Quid autem post hæc acciderit, idem Lucas declarat his verbis: Factum est autem, euntibus nobis ad orationem, puellam quamdam habentem spiritum pythonem obuiare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant

vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conuersus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Et exijt eadem hora. Videntes autem domini eius quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam perduxerunt in forum ad principes: et offerentes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi, & annunciant morem quem non licet nobis suscipere, neque facere, cum simus Romani.] Erat enim (vt dictum est) Philipporum ciuitas colonia Romanorum, & sic appellat eam Plinius [a]. Porro coloni iure Romanorum viuere cogebantur; non sic quidē municipia, quæ suis iuribus & legibus vti possent; quo genere colonijs ea præstasse, Gellius [b] pluribus docet. Cum ergo Philippenses dixerunt se esse Romanos, eaq. ex causa non licuisse sibi peregrinum morem accipere; iure colonorum eos esse locutos constat: nam etsi municipes itidem dicti sint ciues Romani, tamen quos vellent mores admittere, & quibus vellent legibus vti poterant. Cum igitur Paulus & Silas sic ante magistratus ciuitatis sisterentur: Cucurrit (inquit Lucas) plebs aduersus eos: et magistratus scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem interiorem, & pedes eorum strinxerunt ligno. Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum: et audiebant eos, qui in custodia erant.]

[a] Plin. lib. 4. c. 11.

[b] Gell. lib. 16. c. 13.

LXVIII. DE NOCTVRNIS PRECIBVS.

Hoc faciebat Paulus vna cum Sila, quod ante ipsos Dauid Rex facere consueuerat, qui media [c] nocte surgebat ad confitendum Domino; & quod Isaiæ [d] erat in optatis, cū diceret: Anima mea desiderauit te in nocte.] Hoc item a Fidelibus faciendū esse, Dei Ecclesia, Apostolorum traditione & exemplo, constituit: idq. illa præsertim ratione, quòd media nocte Dominum ad iudicandum orbem terrarum ex improuiso & quàm citissime venturum esse credebant, secundum quod dixerat [e]: Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit.] Cui veritati adstipulari videbantur carmina Sibyllina. Quamobrem (quòd Dominus admonuerat vigilandū esse) Christiani media nocte surgere ad Dei laudes celebrandas consueuerunt, prout Lactantius [f] testatur his verbis, cum de aduentu Domini ad iudicium loquitur: Tunc, inquit, aperietur cælum medium intempesta nocte & tenebrosa, vt in Orbe toto lumen descendentis Dei tamquam fulgur appareat. quod Sibylla his versibus locuta est:

[c] Psal. 11.

[d] Isaiæ 26.

[e] Matth. 25.

[f] Lactan. lib. 7. c. 19.

——— ὁππότ' ἂν ἔλθῃ
Πῦρ ἔσται, σκότος ἐν τῇ μέσῃ νυκτὶ μελαίνῃ. *hoc est: Cum veniet, ignis erit, tenebræq. in media nocte obscura.*

Hæc est nox, quæ a nobis propter aduentum Regis ac Dei nostri peruigilio celebratur: cuius noctis duplex est ratio, quòd & in ea vitam tum recepit, cum passus est, & postea orbis terræ regnum recepturus est.] hæc Lactantius.

LXIX.

At quoniam nec satis exploratum esse voluit Dominus, qua potissimum hora venturus esset, dicente ipso [g]: Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane] hac de causa non media tantum nocte (vt diximus) Fideles ad preces Deo fundendas consurgere consueuerunt, sed & alijs eiusdem noctis horis. Vnde Clemens [h] Alexandrinus: Quocirca, inquit, sæpe etiam noctu e lecto surgendum est, Deusq. est laudandus: beati enim, qui in ipsum vigilarunt, se ipsos assimilantes Angelis, quos nos ἐγρηγόρους, hoc est, vigilantes vocamus.] His itaque quatuor noctis temporibus expectandi Dominum fortasse respondent tres illæ nocturnæ preces, cum his accedunt matutinæ laudes, quæ tamen vno compendio hodie absoluuntur: licet aliam ab his diuersam ratione inijsse visi sint, qui tribus vicibus nocte orandum esse statuerunt, nimirum ipso exordio, media nocte, & in fine: prout Basilius [i], dum hæc ait: Completo vero iam die, pro ijs omnibus quæ in eo nobis data fuerunt, gratulatio succedet; eorumq. quæ vel prudenter vel imprudenter prætermissa sunt, confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusve, aut etiā corde, pro his omnibus oratione adhibita, veniā nobis a Deo comprecabimur: siquidem ad similia peccata iterum euitanda valde vtilis est præteritorū consideratio. Idcirco Dauid dicit: Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini. Tum autem primis se iam noctis intendentibus tenebris, sequetur petitio, vt quies, quam sumus capturi, ex omni perturbatione ac vitio libera sit. Qua hora etiam necessario nonagesimus recitari Psalmus debet. De tempore autem dimidiæ noctis, quòd id ad orationem necessariū sit, trāditū est nobis a Paulo & Sila in Actis. Scriptum est enim sic: Circiter autem mediam noctem Paulus & Silas laudabant Deum. Atque hoc qui-

[g] Marc. 13.

[h] Clem. Alex. in Pædag. c. 9.

DE TRIBVS NOCTVRNIS HORIS.

[i] Basil. reg. interrog. 37.

hoc quidem etiam auctor Psalmorum confirmat, sic dicens: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Post anteuertendū diluculum est, & ad orationem surgendum, cauendumq. ne dies nos in lectulo dormientes opprimat: et ille imitandus, qui dixit: Præuenerunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua.] hæc Basilius.

LXX.

Hieronymus [a] etiam, scribens ad Eustochium, nocte bis terq. surgendum demonstrat: et ad Demetriadem [b] post alias diurni temporis orandi horas: Ad vesperam, inquit, media nocte, & mane semper est exercendum.] et ad Lætam [c] hæc de eisdem noctis horis: Assueuerat exēplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, accensaq. lucerna reddere sacrificium vespertinum.] ea de causa Epiphanius [d] Psalmos, qui ea prima noctis hora cani consueuerunt, lucernales appellat, cum ait: Matutini etiam hymni in ipsa sancta Ecclesia perpetuo fiunt, & orationes matutinæ, & lucernales simul Psalmi & orationes.] De ijsdem Basilius [e] ad Amphilochium de Spiritu sancto: Visum est patribus nostris beneficium vespertini luminis non silentio suscipere, sed statim vt apparuit, gratias agere. At quinam fuerit pater illorū verborum lucernariæ gratiarū actionis, dicere non possumus: populus tamen antiquam edit vocem, & nemini vmquam ipsi impij putati sunt qui dicunt: Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Dei.] hæc ille, insinuans hæc nonnisi ex Apostolorum traditione ad Ecclesias esse perlata. De ijsdem insuper lucernarijs precibus est mentio apud Clementem [f], & Cassianum [g], qui de nocturno orandi modo librum scripsit [h]. Chrysostomus [i] etiam lucernarium illud appellat officiū, de quo ait [k]: Ad Solis occasum, quod etiam lucernarium appellamus, orandum scilicet: quia tū ob diei transitum Deo gratias agimus.] hæc ille, cum septem enumerat canonicas orandi horas, deq. tribus nocturnis orandi horis pluribus agit: de quibus & alij demum omnes tam Latini quàm Græci, qui de Ecclesiasticis sacris ritibus commentarios conscripserunt. Nocturnas conuocationes eas appellat Tertullianus [l]; quòd scilicet non priuatim in suis ædibus a singulis agerentur, sed publice omnes in vnam conuocarentur ecclesiam. vnde Ignatius [m] ad Magnesianos: Omnes, inquit, ad orandum in idem loci conuenite; sit vna communis precatio, vna mens, vna spes.] et paulo post: Omnes velut vnus quispiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare.]

LVCERNARIAE PRECES.

[a] Hier. epist. 22.
[b] Idem epist. 8.
[c] Idem epist. 7.
[d] Epiph. in compend.
[e] Basil. ad Amphil. de Spiritu sancto c. 29.
[f] Clem. Const. lib. 8. c. 36.
[g] Cassian. lib. 3. c. 8.
[h] Cassian. lib. 2.
[i] Chrysost. in psal. 118.
[k] Idem hom. 59. ad pop. Antioch. & de laud. martyr.
[l] Tertull. ad vxor. lib. 2 c. 4.
[m] Ignat. epist. 6.

LXXI.

Perseuerauit diutius & ille vsus, vt non clerici tantum, sed & populus simul in ecclesia laudes Deo canerēt: tamen quòd modo illi altiori voce, isti summissa in ecclesia orent, ea de causa mutatum videtur, quòd laici perdifficile continerentur in officio, vt in voce rhythmum, & in statu corporis decorem sacris decentem seruarent; prout pluribus queritur, cum populum obiurgat Ioannes Chrysostomus [n], qui inter alia hæc ait: Sunt quidam inter hos qui hic adsunt, quos ne vestræ quidem charitati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac Spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompositas voces emittunt, nihiloq. meliores se gerunt his quos habet insania, toto corpore tumultuantes circumacti, moresq. præseferentes a spirituali statione alienos. Miser & infelix, oportebat te cum tremore & reuerentia angelicam glorificationem resonare, cumq. terrore confessionem reddere conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare, &c.] pluribus enim insectatur eorum in orando incompositam vocem, & indecoros mores. Porro de antiquo in Ecclesia sacrarum vsu vigiliarum, de quo agimus, non solum innumera sanctorum Patrum tam Latinorum quàm Græcorum suppetunt testimonia, sed etiam scriptorum Gentilium. Ecce tibi Plinius [o] Iunior scribens ad Traianum, hæc ait: Affirmabant autem hanc fuisse summā vel culpæ suæ, vel erroris, quòd essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenq. Christo quasi Deo dicere secum inuicem.] Et Lucianus [p] ex persona Christianorum: Ad hymnos tota nocte decantandos vigilantes, talia somniamus.] Rursum Ammianus [q] Marcellinus: In statione primis tenebris obseruata custodum absentia, qui die festo Christiani ritus in ecclesia pernoctabant.] Ceterum sacrarum vigiliarum vsum non tantum (vt quidam imperite tradunt) non sublatum esse in Ecclesia ab Ambrosio, sed ab illis temporibus maiori obseruantia celebratum, & quibusdam additamentis nobiliter auctum, diximus in nostris ad Romanum Martyrologium [r] Notationibus, iterum quoque dicturi fusius suo loco inferius. Hæc de antiquis Ecclesiæ moribus, quos ex instituto harrandos suscepimus.

VSVS VIGILIARVM.

[n] Chryst. in Isa. cap. 8. hom. 1.
[o] Plin. lib. 10. epist. 97.
[p] Lucian. in Philopat.
[q] Ammianus Marc. lib. 28. in fine.
[r] Die quinta Ianuar.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LXXII. Prosequitur postea Lucas[a] de Paulo & Sila carceri mancipatis hæc scribere: Subito A
a Act. 16. vero terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem custos carceris, & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens: Nihil tibi mali feceris: vniuersi enim hic sumus. Petitoq. lumine, introgressus est, & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes: et producens eos foras, ait: Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua. Et locuti sunt ei verbum cum omnibus qui erant in domo eius. Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum, & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuo. Cumq. perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo. Et cum dies factus esset, miserunt B
magistratus lictores, dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem custos carceris verba hæc Paulo: Quia miserunt magistratus vt dimittamini: nunc igitur exeuntes ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos eijciant. Nunciauerunt autem magistratibus lictores verba hæc. Timueruntq. audito quòd Romani essent: et venientes deprecati sunt eos, & educentes rogabant vt egrederentur de vrbe. Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: et visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.] hæc Lucas de rebus gestis Philippis. Quòd autem Philippenses magistratus adeo timuerint, cum resciuissent, quos cecidissent ac carceri tradidissent, esse Romanos ciues; atque eosdem postea humaniter tractantes, ipsi venientes rogarint eos vt abirent: illud in causa fuisse existimo, C
quòd adhuc recens erat Rhodiorum exemplum, qui cum peccassent in aliquos Romanos ciues, Claudius eos libertate penitus priuarat, vt auctor est Dio[b], qui de his pluribus agit.

PAVLVS ET SILAS LIBERATI.

b Dio lib. 60.

LXXIII. Egressi Paulus & Silas Philippis, cum (inquit Lucas[c]) perambulassent Amphipolim & Apolloniam, *Macedoniæ ciuitates*, venerunt Thessalonicam, vbi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem Paulus introiuit ad eos: et per sabbata tria disserebat eis de Scripturis; adaperiens & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere a mortuis, & quia hic est Christus, quem annuncio vobis. Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibus multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.] hæc Lucas. At de suo aduentu Paulus ad

c Act. 17.

d 1. Thess. 2. eosdem Thessalonicenses postea scribens, his verbis meminit[d]: Ipsi scitis, fratres, in- D
troitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit. Sed ante passi & contumelijs affecti (sicut scitis) in Philippis, fiduciã habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Euangelium Dei in multa solicitudine.] Quanta autem alacritate animi Thessalonicenses susceperint a

QVID THESSALONICAE PAVLVS.

e 1. Thess. 1. & 2. Paulo prædicationem Euangelij, idem ipse his verbis significat, dicens[e]: Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantũ, sed in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa: sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia, & in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini non solum in Macedonia, & in Achaia; sed in omni loco fides vestra, quæ est ad Deũ, profecta est: ita vt non sit nobis necesse quicquã loqui. Ipsi enim de nobis annunciant, qualem introitũ habuerimus ad vos, & quomodo conuersi estis ad Deum a simulacris, seruire Deo viuo & vero.] et inferius: Ideo & gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, & credidistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa, in Christo Iesu: quia eadem passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Iudæis.] E

LXXIV. Sed quænam fuerit eiusmodi tribulatio, quam passi sunt Fideles Thessalonicenses,
f Act. 17. Lucas[f] ex parte saltem declarat his verbis: Zelantes autem Iudæi, assumentesq. de vulgo viros quosdam malos, & turba facta, concitauerunt ciuitatem: et assistentes domui Iasonis, quærebant eos producere in populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonem & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Quoniam hi qui

Orbem

A Orbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Iason: et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem plebem, & principes ciuitatis audientes hæc: et accepta satisfactione a Iasone & ceteris, dimiserunt eos. Fratres vero confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Beroeam.] hucusque Lucas de rebus Thessalonicæ gestis. Sed & de conuersatione Pauli & Silæ cum essent Thessalonicæ, nolumus illud præterijsse quod idem Paulus[a] ad eos scri- *a 1. Thes. 2.*
bens inculcat his verbis: Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab alijs. Cum possemus vobis oneri esse, vt Christi Apostoli: sed facti sumus paruuli in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Euangelium Dei, sed
B etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis: nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus vobis Euangelium Dei.]

RECESSIT PAVLVS THESSALONICA.

LXXV. At non solum hæc, sed & cum apud ipsos esset, omnes quæ in ipsos concitatæ sunt postea persecutiones prædixit. commemorat id ipsum Paulus[b] eadem epistola, quam *b 1. Thes. 3.*
ad ipsos scripsit, sic dicens: Nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Nam cum apud vos essemus, prædicebamus vobis, passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.] Hæc omnia cum prætermiserit Lucas, neque scribens cetera dicat se vna cum illis fuisse, neque in prima pluralis numeri persona loquatur, vt fecerat prius; par est credere (quod & ceteris Pauli discipulis Timotheo, Tito, & alijs sæpe accidere consueuit) eumdem Lucam a Paulo alio fuisse amanC datum prædicandi Euangelij gratia, ad ipsum iterum rediturum. Ex his admirabilem videas in scriptore modestiam (quod alias dictum est) tum quòd quæ præsens non vidit, compendio breui perstrinxerit, ne vel in minimo veritas periclitaretur: tum etiam quòd res a se gestas, rebus tantum Pauli narrandis intentus, obuolutas silentio præterierit.

LVCAE IN SCRIBENDO RATIO.

LXXVI. Quæ autem acciderint Paulo & Silæ, cum Thessalonica recedentes venerunt Beroeam eiusdem prouinciæ ciuitatem, idem Lucas[c] in hunc modum recenset: Cum ve- *c Act. 17.*
nissent, in synagogam Iudæorum introierunt. hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ, qui susceperunt verbum in omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honestarum, & viri non pauci. Cum autem cognouissent in Thessalonica Iu-
D dæi quia & Beroeæ prædicatum est a Paulo verbum Dei, venerunt & illuc, commouentes & turbantes multitudinem. Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque ad Athenas: et accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum; profecti sunt.] Ceteræ vero Pauli Athenis res gestæ quoniam sequenti anno accidisse reperiuntur, suo loco eadem describemus. Hoc anno ijsdem Coss. (inquit Tacitus[d]) Ituræi & Iudæi, defunctis Regibus Sohenio atque Agrippa, pro- *d Tacit. lib. 12.*
uinciæ Syriæ additi sunt: sed obitum Agrippæ ante annos quinque contigisse, Iosepho auctore, diximus.

QVID BEROEAE PAVLVS.

IESV CHRISTI ANNVS 52. PETRI ANNVS 8. CLAVDII IMP. ANNVS 10.

E

L. *e Tacit. lib. 12.* DE ADVENTV PAVLI ATHENAS.

SEquenti anno Domini quinquagesimosecundo, C. Antistio[e] & M. Suillio Coss. Paulus Athenas veniens, in synagoga Iudæorum primum, inde in Areopago Euangelium prædicauit, conuertitq. multos ad fidem Christi susciendam, & inter alios Dionysium Areopagitam, & nobilem feminam nomine Damarim. Antequam autem singula, vt gesta sunt, enarremus; ratio ex more reddenda est, cur hæc in hoc potissimum tempus a nobis reijciantur. Hæc ita se habere, tum ex antea dictis, tum etiam ex his quæ sequuntur de Paulo[f], quòd Athenis recedens, moxq. Corinthum veniens, in- *f Act. 18.*
uenerit illic Aquilam & Priscillam, qui nuper venerant ex Italia, occasione edicti Claudij, quo iusserat omnes, qui erant Romæ, Iudæos ab Vrbe secedere (quod anno superiori, nimirum nono eiusdem Imperatoris anno, promulgatum fuisse vidimus) optime

colligi

Universidad de Deusto
Biblioteca

colligi potest. Quibus consentiunt quæ de Dionysio traduntur, ipsum anno decimonono a passione Domini ad Christum fuisse conuersum. quocirca a trigesimoquarto anno Domini inchoato, quo passum fuisse monstrauimus, dictos nouemdecim annos numerare incipiendo, & ad præsentem vsque annum numerum deducendo, fateri oportet ipsum Dionysium ad Christianæ religionis cultum accessisse hoc ipso anno Domini quinquagesimosecundo. His de temporis ratione cognitis, rem gestam ex Lucæ verbis, vt se habuit, enarremus.

II.

Paulus igitur cum Athenis esset, expectans Silam atque Timotheum: Incitabatur (inquit Lucas [a]) spiritus eius in ipso, videns idololatriæ deditam ciuitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis, & colentibus, & in foro, & per omnes dies ad eos qui aderant. Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi disserebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult seminator verborum hic dicere? Alij vero: Nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse. quia Iesum & resurrectionem annunciabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt.] Erat locus ille iuxta mare, Promontorium Martis dictum; a quo nomen deductum, vt Areopagus diceretur: licet de nominе [b] alij aliam afferant causam. Iudices qui eo conuenire consueuerant ad iudicandas causas, maiores scilicet, nempe sanguinis, morum, ac religionis, a loco nomen accipientes, Areopagitæ dicebantur, fama integerrimi, virtuteq. spectatissimi, & vsu rerum perspicacissimi: nulli enim ad eum magistratum capessendum patebat aditus, nisi primum in inferiori magistratu sex virorum Thesmotheſiæ per annum meruisset: ad quem nec facilis erat accessus: nam prius de anteacta vita rationem reddere publice tenebatur; irreprehensibilisq. adinuentus, inter eos adnumerabatur: idemq. rursus in Areopagitam promouendus, qualis esset, quibus compositus moribus, & in rebus agendis solertia præditus, diligenti peruestigatione probatus, sic tandem inter Areopagitas profitebatur. Accedebat & illud, quòd qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præseferebat aspectus inuentus esset, nullis meritis, sed tantũ Genio (vt aiunt [c]) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur.

[a] Act. 17.

[b] Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. cap. 20. Isid. Pelusiota lib. 2. epist. 91. Suidas, & alij.

[c] Lucian. in Hermotimo.

III. DE AREOPAGITIS.

Cum causam cognituri Areopagitæ ac iudicaturi in Areopagum ascenderent (id enim ter tantum in mense faciebant, nimirum quarto Kal. tertio, & pridie) qui erant causam dicturi, non oratorum more, ornamento verborum ad persuadendum composito, sed simplici rei gestæ narratione id facere iubebantur; & si quando quid modicum eiusmodi lineam excessissent, præconis voce cohibiti, tacere cogebantur. ac sicut hæc fiebant, ne verborũ illecebris flecterentur; ita ne reorum miserando commouerentur aspectu, ipsa nocte, nullis admotis luminibus, iudicia exercebant, summoq. silentio tabellarem quisque dabat sententiam: vnde in paroemiam illud venit: Areopagita taciturnior. Adeoq. de illorum integritate fama percrebuit, vt cum quis iustissimum quempiam, seueriſſimum, vita innocentissimum, ac omnibus denique partibus absolutum, optimumq. virum demonstrare voluisset, Areopagitam cognomine diceret [d]. Antiquissimum plane iudicium, quod (vt Eusebius notat in Chronico) cœptum est anno mundi ter millesimo sexcentesimo nonagesimoquarto: nec vsque ad præsens tempus, quamuis a diuersis tyrannis oppressi Athenienses fuerint, extinctum est: et quantumlibet a Romanis essent subiugati, nullatenus est intermissum. Quin & Romani Proconsules Asiæ perdifficiles causas eorum iudicio definiendas committebant, vt Gu. Dolabellam fecisse, ex Valerio testatur Gellius [e]. Lucianus etiam in Hermotimo, sua quoque ætate Areopagitarum iudicio causas definiri consueuisse tradit. Collegit hæc maiori ex parte Budæus [f]. Ceterum illucescente orbi terrarum Christi lege omnium perfectissima, iam ceteras siluisse, & Areopagum cessasse, auctor est Theodoretus [g], verum non statim, sed, vt cetera alia, suis temporibus.

[d] Cic. ad Attic. lib. 1.

[e] Gel. lib. 12. c. 7.

[f] Budæus in Pandectas lib. vlt. de Sen.

[g] Theodoret. de Euangel. veritat. lib. 9. de legib.

IV. PAVLI CONCIO IN AREOPAGO.

Adductus igitur Paulus in Areopagum, iussus causam dicere: Stans (inquit Lucas) in medio Areopagi, sic ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inueni aram, in qua scriptum erat: IGNOTO DEO. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus autem qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: fecitq. ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos

minos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inueniant: quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam vestrorum poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Diuinum esse simile. Et tempus quidem ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eo quòd statuit diem, in quo iudicaturus est Orbem in æquitate, in viro in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.] hæc perorauit Paulus in Areopago.

V. ATHENIENSES TENACISSIMI DEORVM CVLTORES.

Perdifficilem sane prouinciam suscepit: qui enim fieri poterat, vt ipsi toto Orbe celebertimi, a quibus & Romani publica celebriq. legatione leges acceperant, leges in re maxima, nimirum cultu diuino, a barbaro homine, Iudæo scilicet, acciperent; vt qui prædicaretur ab eo Iudæus homo crucifixus, idem Deus esse crederetur? cum præsertim capitis supplicium immineret, si quis vel deos negaret, vel inconsulto Areopago, peregrinam religionem induceret. Nam de Anaxagora Clazomenio scriptum est [a], quòd existimantibus Athenienſibus Solem esse deum, ille cum saxum ignitum dixisset, paucorum sententia morte damnatus est. Ijdemq. aduersus Diagoram Melitum, talentum decreuerunt, si quis occideret eum, quoniam eorum mysteria deridere ferebatur. Protagoras autem, nisi cito fugisset, comprehensus occisus fuisset, eo quòd de dijs Athenienſium, an essent, reuocasset in dubium. nam eius argumenti librum cum scripsisset, in principio posuit: De dijs, neque vt sint, neque vt non sint, habeo dicere.] quamobrem cum oportuna fuga sibi consuluisset, libri eius sunt in concione combusti. Insuper feminam quamdam sacerdotem interfecerunt, quoniam eam quidam accusauit peregrinos deos colere. Et de Socrate constat, accusatum fuisse a Melito eodem crimine, dicente: Iura violat Socrates; quos ex maiorum instituto suscepit ciuitas, deos esse negans, alia noua dæmonia inducit. quam ob causam morte mulctatus est ducentis octoginta & vna sententijs.

[a] Ioseph. lib. 2. contra Apion.

VI. PAVLVS AB OCCASIONE SVMIT DICENDI ARGVMENTVM.

At Paulus admirabili quadam circumspectione diuino afflatus Spiritu causam egit: nam quoniam sciebat a multis argui, qui nouorum dæmoniorum videretur annunciator, eo quòd Iesum Christum prædicaret; vt ea culpa careret, nec noui numinis videretur inuentor, sed potius antiqui illorum cultus assertor ac prædicator, ex ipsorum theologia ad insinuandum verum Dei cultum admirabili quadam prudentia sibi aditum parefecit: et licet nequaquam illorum templa esset ingressus, ex his tamen quæ foris stare simulacra conspexerat, dicendi sumpsit exordium. Nam (vt auctor est Thucydides) Athenis in foro stabant duodecim aræ deorum. has contemplatus haud dubium Paulus, in eam intendit, cuius inscriptio erat: IGNOTO DEO. Meminit & Philostratus Ignotis dijs aras fuisse erectas Athenis, Laertius quoque in Epimenide, necnon & Pausanias ad Phalerum, vt Cælius [b] obseruauit. Id genus aram in Gallijs eadem scriptione notatam esse repertam, & in veri Dei cultum translatam, mentio habetur in epistola quæ dicitur Martialis ad Burdegalenses inscripta.

[b] Cæl. Rodig. antiq. lib. 22. c. 2.

VII. DE ARA IGNOTI DEI.

Sed quod ad Athenienſis aræ inscriptionem pertinet; hæc habet Hieronymus [c]: Inscriptio autẽ aræ non ita erat vt Paulus asseruit: IGNOTO DEO. sed ita: DIIS ASIAE, EVROPAE, ET LIBYAE, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS. Verum quia Paulus non pluribus dijs indigebat ignotis, sed vno tantum ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret illum suũ esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent: et eum recte scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant.] hæc Hieronymus. Oecumenius [d] titulum his fuisse verbis conceptum tradit: Dijs Asiæ, Europæ, & Libyæ, Deo Ignoto & peregrino.] Sed hæc haud facile admiserimus, cum apud Lucianum [e] Gentilis homo sic iuret, Per Ignotum Athenis] & non, Per Ignotos: ac rursum ex persona Triephontis: Nos autem illum Athenis Ignotum inuentum adorantes, & manus ad cælum tollentes, gratias illi agamus, vt qui digni facti fuerimus huiusmodi potestati atque virtuti subiecti esse.] Ceterum non vnam tantum aram Athenis fuisse Ignoto Deo dedicatam, sed plures, existimamus: ac proinde vtrumque verum esse potuisse; nimirum aram aliquam, de qua Paulus, extitisse, notatã Ignoti Dei inscriptione, alias vero alijs, & deorum plurium: nam qui his ipsis viuebat temporibus, quibus hæc agebantur Athenis, Apollo-

[c] Hieron. in epist. ad Tit. cap. 1.

[d] Oecumen. in Act. Apostol. cap. 7.

[e] Lucianus in Philopatr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nius Tyanæus hæc inter alia locutus est Timasio Ægyptio: Modestius enim est de omnibus dijs bene loqui, præsertim Athenis: vbi etiam Ignotorum deorum aræ dedicatæ sunt.] recitat hæc Suidas in suis Historicis in verbo Τιμασιών. Sed quod ait, Præsertim Athenis] plane demonstrat nullos populos perinde atque Athenienses fuisse deos negantium vindices. Vnde Plutarchus de Placitis philosophorum [a] hæc recte de Euripide de dijs ambiguam ferente sententiam, ait: Et Euripides tragicus poeta aperte quidem profiteri hanc sententiam non est ausus, metuens Areopagiticum iudicium, &c.] A

[a] Lib. 1. c. 7.

VIII. DE INSCRIPTIONE RATIO.

Idem qui supra Oecumenius eius inscriptionis duas affert interpretationes, sic dicens: Duas causas referunt, cur apud Athenienses inscripta fuerit ara, IGNOTO DEO. Aliqui dicunt, quòd Athenienses Philippidem miserant ad Lacedæmonios nuncios oratum vt venirent laturi ipsis auxilium aduersus Persarum exercitum Græciam inuadentem. qui cum in itinere essent, iuxta Parthenium, spectrum apparuit eis, accusantis Athenienses, quòd se neglecto, alios deos colerent: affirmabatq. se esse Pana (quem Deum vocant) & pro sua erga eos beneuolentia, auxilio affuturum promisit. Cum itaque victoria potiti Athenienses, templum illi erexissent; timentes adhuc ne aliquis alius Deus incognitus ab eis sine honore prætermitteretur, aram etexerunt cum ea, quam diximus, inscriptione. Alij vero aiunt, pestem quamdam Athenis grassatam fuisse, adeoq. illos exediſſe, vt neque sindones tenuissimas possent tolerare. Cum igitur colerent eos qui apud eos dij habebantur, nihil adiumenti senserunt. Intelligentes itaque quemdam fortasse esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, qui pestem immisisset, nouam extruxerunt aram, cum eadem supra citata inscriptione, IGNOTO DEO. cumq. illi sacrificarent, statim curati sunt. Hunc ergo Christum Iesum esse Deum omnium, dixit Paulus, quem se illis annunciare dicebat.] hæc ille. Sed ante ipsum Chrysostomus [b] de eadem ara: Athenienses, inquit, per multa tempora acceperunt deos etiam extraneos, vtpote Pana, & alios. timentes forsitan ne alius quispiam esset, quem ignorarent, ipsis quidem nondum cognitus, qui tamen alibi colatur; etiam illi aram erexerunt. et quoniã non erat manifestus Deus, inscriptum erat: Ignoto Deo.] hæc Chrysostomus. B C

[b] Chrysost. in Act. c. 17.

[c] Apud Laël. lib. 2. c. 9.

IX. QVIS DEVS IGNOTVS.

Porro de Ignoto Deo ea magis placet sententia; vt, quoniam placitis antiquorum philosophorum, vt Trismegisti [c] & aliorum, quinetiã & Sibyllinis [d] oraculis receptum erat, vnum Deum esse inuisibilem, imperceptibilem, eumdemq. innominatum & ineffabilem; ne cui numinũ diuinus honor deesse videretur, aram eo titulo illi erexerint. At quantumlibet Deum ipsum sic cognouissent; tamen (vt de his ait Paulus [e]) non sicut Deum glorificauerunt: quippe qui & impurissimis creaturis itidem diuinum impartirentur honorem; maioriq. affici videbatur iniuria sic cultus cum ceteris ab ipsis Deus, quàm ab illis qui eum penitus ignorassent. D

[d] Tertull. in Apolog. cap. 40. Clem. Alexan. aduers. Gentes. Euseb. de prap. lib. 8. c. 5. lib. 11. cap. 8. 9. lib. 14. cap. 3. 6.

X.

Appositè igitur ad eos Apostolus Paulus: Quod vos ignorãtes colitis, hoc ego annuncio vobis] ac proinde vos ad veræ cultum religionis instituo. At vero quid ad hæc illi? Cum audissent (inquit Lucas [f]) resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum. Quidam vero viri adhærentes ei, crediderunt: in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij cum eis.] Hic ille Dionysius, qui annos natus vigintiquinque, Heliopoli dum esset in Agypto vna cum Apollophane philosopho, admirandum Solis illud deliquiũ quod tẽpore passionis Christi contigit, videns; causam tamen, quantumlibet rerum naturalium scientia polleret, ignorans; quòd res esset quæ omnem excederet naturæ terminum, admiratus est, vt ipse scripsit ad Apollophanem [g], quæ superius suo loco & ordine recitauimus: cuius quidem rei occasione facilior reddita sibi est ad Christianam religionem amplexandam via. Præter illa quæ de rebus Athenis gestis, a Luca sunt scriptis mandata, feruntur alia quædam ab Hilduino [h] addita, accepta (vt profitetur) ab antiquioribus, quos recensèt, scriptoribus: quæ quidem licet non in omnibus nobis probentur, tamen ne quid subtraxisse ab auidis legentium animis videamur, hic eadem voluimus describisse: cum alioqui sic comparati simus, vt velimus pauca potius, sed solida certaq. fide constantia prosequi, quàm multa congerere, quæ fide vacillent ac nutent. Accidit enim, vt cum sine delectu cuncta quæ de vnaquaque re possunt inueniri consarcinantur, cetera quoque quæ sunt

DE DIONYSIO AREOPAGITA.

[e] Rom. 1.

[f] Act. 17.

[g] Dionys. epist. 11.

[h] Hilduin. in Areopag. apud Sur. die 9. Oct.

A sunt vera, in discrimen adducantur. Sed quænam ea sint quæ ab eodem auctore sunt scripta, videamus.

XI. DE REBVS PAVLI ATHENIS GESTIS.

Ante omnia Paulum ad fidem Christi capessendam perduxisse ait Apollinem quemdam nobilissimum pariter & eruditissimum Athenienſem ciuem; eaq. occasione Paulum sisti iussum esse in Areopago: vbi præter illa quæ dicta sunt a Luca, hos sermones inter Paulum & Dionysium habitos esse, idem auctor testatur, sic dicens: Dionysium specialiter cœpit interrogare Paulus, quid coleret, & quibus numinibus in tam spatioso & venerabili loco seruiret. Cui respondit Dionysius: Deos quos coluerunt parentes nostri, quorum virtute & solertia mater terra continetur, hos colimus & adoramus. Aras quas vides, Martis, & Herculis, Mercurij, & Priapi nomine & honore sacratæ sunt. Dum vero Paulus singula altaria & simulacra falsorum deorum perB lustrasset, inter ceteras aras reperit altare vnum cui erat titulus superscriptus: DEO IGNOTO. Et conuersus ad eum Paulus, interrogauit illum, dicens: Quis est ille Deus incognitus? Ad quem Dionysius: Adhuc, inquit, non est ipse Deus demonstratus inter deos, sed est incognitus nobis, & sæculo venturo futurus. Ipse enim est Deus qui regnaturus est in cælo & in terra, & regnum eius non accipiet finem. Subiungens itaque Paulus, ait: Homo ne erit, an spiritus? Respondens Dionysius, dixit: Verus Deus, & verus homo, & ipse renouaturus est mundum; sed adhuc incognitus est hominibus, quoniam apud Deum in cælo eius conuersatio est. Et ait Paulus: Illum Deum prædico vobis, quem incognitum appellatis. Natus enim ex Maria virgine, passus sub Pontio Pilato, pro salute humana mortuus, resurrexit: cælosq. ascendens, sedet a dextris Dei Patris, verus Deus, & verus homo, per quem facta sunt omnia: et venturus est in fine sæculi iudex omnium quæ geruntur. Qui notus est iam in Iudæa Deus, & magnum in Israel & sanctum nomen eius. Quamobrem quem incognitum vsque nunc habuistis, modo cognoscite: quia ipse est Deus solus, & præter eum non est alter: qui nos de morte sanguinis sui pretio reduxit ad vitam: qui cælum & terram, hominem scilicet & Angelos, in vnitate regni sui coniunxit: qui mortificat iustus, & viuificat pius: qui claudit & nemo aperit, aperit & nemo claudit. Hæc & alia plura Paulo prædicante, & templa singula perlustrante, commendando Iesum Christum Dei filium Deum verum esse, quæ amica curiositate Athenienses propter ipsam nouitatem officiosissime acceptabant: Dionysius veram doctrinam & dogma salutis audiens, & nihil esse idola quibus seruiebat, immo magis dæmonia quàm deos esse cognoscens; sanctum vero Spiritum, & verba vitalia in Pauli doctrina euidentissime sentiens, diuiD no lumine corde tactus, eidem Paulo cessit, & ab illo expetijt quatenus pro illo ipsius Dei, quem prædicabat, misericordiam precaretur, & illius cultor verus & suus mereretur esse discipulus.

XII. PAVLVS ATHENIS CAECVM ILLVMINAT.

Postero autem die, cum Paulus ageret iter, cæcus quidam cœpit eum obsecrationis vocibus compellare. Sanctus autem Apostolus crucis signum clausis a natiuitate eius oculis imposuit, dicens: Christus Dominus & magister noster, qui oculis lutum imposuit cæci nati, & lumen restituit ei, ipse te potentia sua illuminet. Quem mox videntem his est verbis affatus: Vade, inquiens, ad Dionysium, & dic ei, quia Paulus seruus Iesu Christi ad te me misit, vt memor sponsionis tuæ ad eum venire non differas, quo baptismum salutis accipiens, ab omnibus possis absolui nexibus delictorum. Is autem qui lumen receperat, obedienter verba iubentis impleuit, & ad Dionysium properans, E Pauli ei verba per ordinẽ renunciauit. Dionysius vero electionis gratia iam præuentus, vt secum respexit non ante habitis luminibus contuentẽ, ait ad eum: Es ne tu ille, quem cæcum natum cuncti cognouerunt affines? Cui ille respondit: Ego nempe sum, cui cæco nato hactenus Sol non luxit: sed ipse Paulus, cuius tibi defero mandata salubria, Iesu Christi magistri sui inuocata virtute, sanitatis mihi lumen indulsit. Qui protinus surgens cum omni domo & Damari vxore sua (quam vt sumeret more terrenæ nobilitatis, propter amorem susciendæ caræ sobolis, eum sui coegere parentes) ad mandata properat S. Pauli: credensq. fideliter, & abnegatis erroribus Paganorum, sacri est baptismatis vnda respersus; ac sic demũ se tradidit eius magisterio plenius imbuendum; inq. sanctæ Trinitatis fide, & incarnationis, passionis, & resurrectionis Domini nostri, seu cunctis arcanis Ecclesiasticæ sanctitatis affatim vt comes eius inseparabilis, quocumque gressum moueret, a beato Paulo per triennium est institutus. Thessalonica, magi-

stro

Universidad de Deusto
Biblioteca

stro obsequendo, reuertens, ab eodem beato Paulo Apostolo Athenienſium est ordinatus Antiſtes: ac deinde, ipso iubente, Christi Euangelium prædicauit, eamdemq. ciuitatem & maximam partem patriæ ad fidem veritatis conuertit.] hæc auctor, quorum fidem penes eum relinquimus.

XIII. DAMARIS CONIVX DIONYSII.

Ceterum in his quæ ad Damarim feminam, quam ad fidem Christi a Paulo Lucas tradit adductam, pertinent: plurium sententia Patrum receptum esse videtur, illam fuisse coniugem Dionysij Areopagitæ. Id quidem in primis testatur Ambrosius [a], consentit Augustinus [b], & confirmat Ioannes Chrysostomus [c]; quos & ceteri, qui de ea re scripserunt, sectati sunt. Chrysostomus enim hæc ait: Rursus Areopagita ille, superstitiosissimæ ciuitatis illius ciuis, nonne vna cum vxore, audita tantum Pauli concione, illum secutus est?] hic videas nullam de miraculo haberi mentionem: sicut & Ambrosius eos simplici Pauli disputatione, non miraculis, victos esse affirmat. Quod vero spectat ad Apollinem, quem primum omnium Athenienſium a Paulo ad fidem perductum idem auctor testatur: si eadem esse vera dixerimus; alium plane diuersum hunc ab illo esse cuius idem Paulus [d] ac Lucas [e] meminerunt, certissimum est: nam eodem Luca [f] auctore, constat illum fuisse natura Iudæum, ciuitate Alexandrinum.

a Ambros. epist. ad Vercellen.
b Augustin. de semin. serm.
c Chrysost. lib. de sacerd.
d 1. Cor. 1. 2.
e Act. 18.
f Act. 18.

XIV.

Dum adhuc Paulus Athenis ageret, Timotheus & Silas, quos ex Luca [g] vidimus remansisse Beroeæ, Athenas ad Paulum venerunt: qui eos in Macedoniam ad eas confirmandas Ecclesias amandauit. Nam de Timotheo, quem misit Thessalonicam, idem Paulus [h] ad Thessalonicenses scribens, hæc ait: Vos enim estis gloria nostra & gaudium. Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis: et misimus Timotheū fratrem nostrū, & ministrū Dei in Euangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. Nam cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut & factū est, & scitis. Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendam fidem vestram: ne forte tentauerit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.] hæc Paulus. Ex his igitur tā Athanasius [i], quàm etiam Theodoretus [k], & si qui alij, existimarunt Paulum, sicut Athenis misit Timotheum Thessalonicam, ita etiam dum ibidem moraretur, scripsisse ad eosdem Thessalonicenses primam epistolam. Verum ex his quæ idem Paulus & Lucas scripserunt, Corinthi potius eam datam a Paulo fuisse, exploratissimum est. Nam cum Paulus eam non prius se scripsisse testetur, quàm post Timothei Thessalonica ad se reditum, dum ait [l]: Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram, &c.] constetq. auctore Luca [m], reuertentem Timotheum Thessalonica vna cum Sila, conuenisse Paulum Corinthi agentem: eam non aliunde quàm Corintho, vbi mansit annum & sex menses (vt idem scribit Lucas) missam esse, affirmare necesse est. Haud enim multum temporis mansisse Paulum Athenis, putandum est; quòd Lucas longas moras aliquibus significare verbis solitus sit: qui discessionem eius Athenis, & aduentum Corinthum, ac cetera ibi ab Apostolo gesta his verbis recenset:

g Act. 17.
h 1. Thess. 2. 3. TIMOTHEVS MITTITVR THESSALONICAM.
i Athanasius in Synopsi.
k Theodoret. in præfat. in epist. Pauli.
l 1. Thess. 3.
m Act. 18.

XV.

Post hæc, inquit [n], egressus Paulus Athenis, venit Corinthum: et inueniens quemdam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius (eo quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos a Roma) accesit ad eos: et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis.] hæc Lucas. At non tantum Corinthi, sed & alijs in locis vbi Paulus consisteret, manuum suarum artificio victum quæritasse, certum est: id etenim fecisse Thessalonicæ [o], eius testimonio superius demonstrauimus: hoc ipsum postea Ephesi cum moraretur egisse, etiam ipse testatur, cum eos contestatus [p] hæc ait: Ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.] et ad Corinthios [q] scribens: Laborabamus, inquit, operantes manibus nostris.] Porro sui instituti rationem hanc aliquando reddidit, cum ait [r]: Non inquieti fuimus inter vos: neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus. Non quasi non habuerimus potestatem, sed vt nosmetipsos formā daremus vobis ad imitandū nos. Nam & cū essemus apud vos, hoc denunciabamus vobis: quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose

n Act. 18.
PAVLVS OPERATVR MANIBVS.
o 1. Thess. 2.
2. Thess. 3.
p Act. 20.
q 1. Cor. 4.
r 2. Thess. 3.

curiose agentes. Iis autem, qui eiusmodi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducent.] Ne igitur aliquam, vel leuem saltem, occasionem captantibus daret oblatrandi, ac dicendi, Euangelij prædicationem, prætextum quemdam honestum fuisse Orbis circumeundi, opsonandi, lucri captandi gratia, ac quæstus faciendi; sic sibi temperandum a necessario quoque cibo Apostolus existimauit, idq. ceteris suis discipulis imitandum proposuit: quod non a se tantum, sed & a Barnaba inuiolabiliter esse seruatum, scribens ad Corinthios [a] his verbis declarat, dum eiusdem instituti itidem rationem affert, ac dicit: Numquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?] et paulo post: Aut ego solus, & Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendijs vmquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte eius non manducat?] et post multa id genus inculcata: Sed, inquit, non vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Christi.]

a 1. Cor. 9.

XVI. ABSQVE MERCEDE PRÆDICATIO.

Certe quidem, si antiquo Romanorum iure, nempe lege Titia, cautum erat, ne quis ob causam orandam (vt tradit Tacitus libro vndecimo) pecuniā donumve accipere: quanto magis ab his abstinere debuissent qui Christi Euangelium prædicassent, ac præsertim Iudæi, qui (vt vidimus auctore Iosepho [b]) nuper sub Tiberio, quòd pietatis specie ex eis quidam pecuniam corrasissent a Fuluia, fuerant eius criminis insigniter infamati, atque eam ob causam omnes ab Vrbe turpiter eiecti? Ceterum iure illis concessum fuisse, sumere victum ab ijs quibus Euangelium prædicarent, cum Paulus pluribus docet, tum etiam ipse Dominus id faciendum monuerat [c]: Edentes, inquit, & bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua.]

b Ioseph. antiq. lib. 18. c. 5.
c Luc. 10.

XVII. PROFESSORES OMNES OPIFICES.

Sed vnde acciderit, vt Paulus nobilitate insignis, & eruditione præclarus, opificium, quod exerceret, didicerit; ex his quæ complures antiqui Rabbini scripserunt, facile intelligemus. Inter alios enim Scemahaia & Althalion communem quamdam legem præscriptam illis fuisse tradunt, qui sacras vellent litteras profiteri, vt manuale quodpiam opificium addiscerent, quo victum quærerent. Legi enim consueuerunt eiusmodi institutiones in prima lectione primæ hebdomadis Azymorum. Rabbi Gamaliel quoque in doctrina fratrum, quæ inscribitur, Haod, vehementer commendat, vt sacras litteras addiscentes, opus aliquod manuale exercerent; quod qui facere prætermisissent, procliuiores ad peccandum futuros esse affirmat. Inter alios nobiles antiquos Rabbinos legitur Rabbi Iochanna sutoriam, Rabbi Iudam pistoriam artē exercuisse, & alios alia id genus. Ex eiusmodi igitur institutione prouenisse existimamus, vt Paulus sacris litteris excultissimus, aliquod manuum opificium didicerit; quod ad victum sibi comparandum, cum Euangelium prædicaret, vbicumque locorum consisteret, exercuerit. Ceterum apud Ægyptios, Græcos, Lydos, Persas, aliasq. his adiacentes regiones, ignominiæ adscribi solitum, tradit Herodotus in Euterpe, si quis manuum opificium excoluisset; ac nonnisi ignobiliores apud eos esse mechanicis opificijs mancipatos.

XVIII. PAVLI OPIFICIVM.

Sed quodnam istiusmodi fuerit, Lucas [d] (vt vidimus) aperte docet, dum tradit Paulum, cum venisset Corinthum, ea ex causa apud Aquilam & Priscillam habitare voluisse, quòd eiusdem cum illis, nempe scenofactoriæ artis opifex esset. Porro ars illa scenofactoria dicebatur, quæ ex pellibus facienda consueret tabernacula, quibus milites vterentur in castris: de quibus Tacitus [e]: Retentus est omnis exercitus sub pellibus.] Assutis itidem pellibus & nautæ vtebantur ad naues operiendas, vt Cæsar [f] in suis commentarijs tradit. De eiusmodi Pauli opificio hæc Origenes [g]: Paulus arte erat faber tabernaculorum.] et paulo inferius: Sicut illi ex piscatione piscium piscatores hominum facti sunt; ita & iste a faciendis tabernaculis terrenis ad cælestia construenda tabernacula translatus est.] De eodem Chrysostomus [h] hæc eleganter: At, inquit, tabernaculorum texendorum artifex hic, non Siciliam modo, atque Italiam, verum vniuersum terrarum orbem, verbum Dei prædicans, peragrauit; cum interim artem non intermitteret, sed vel tū quoque pelles consueret, & officinæ suæ præesset. neque enim ea res patricios aut magnates offendebat: idq. iure optimo. Non enim artes ac studia, sed conficta dogmata despicabiles reddere solent præceptores.] hæc ipse.

d Act. 18.
e Tacit. lib. 13.
f Cæsar. cōment. de bell. ciuil. lib. 3.
g Orig. hom. 17. in lib. Num.
h Chrysost. hom. 2. in epistol. ad Roman.

XIX.

Ad hæc, sciendum nec ceteros Apostolos opus manuum prætermisisse, cum locus & tempus id concessisset; qui & alios ad hoc ipsum faciendum hortati sint: nam hæc

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Clem. Const. lib. 2. c. 67.

APOSTOLI OPIFICES.

[b] Ignat. epist. 7. ad Tarsens. [c] Iustin. de vit. Christiana. [d] Epiph. hær. 80.

apud Clementem [a] leguntur: Qui in Ecclesia iuuenes estis, curate in omnibus rebus necessarijs sedulo ministrare: cum omni sanctitate operi vestro vacate, vt omni tempore & vobis & egentibus suppeditare possitis, ne Ecclesiam Dei onereris. Etenim nos quoque vacantes verbo Euangelij, subcisiuas operas non negligimus: alij enim ex nobis piscatores sunt, alij scenarum artifices, alij agricolæ, nec vnquam otiósi sumus.] Ad hoc ipsum spectare videtur quod ait Ignatius [b]: Nemo inter vos otiosus sit.] et Iustinus [c] martyr: Pudor, inquit, ille in vitio est, vt vereamur, si ipsi manibus nostris opus fecerimus, ne quis nos miseros & auxilio destituto, esse suspicetur.] Epiphanius [d] hæc in eamdem sententiam: Ex ipsis Dei sacerdotibus quidam vnà cũ prædicatione verbi, imitantes sanctum ipsorum post Deum in Christo patrem, Paulum inquam, sanctum Apostolum, etiam ipsi pro viribus, tametsi non omnes, attamen plures proprijs manibus operantur, qualemcumque tandẽ iuxta proportionẽ dignitati & Ecclesiasticæ curæ assiduitati conuenientẽ repererint artem: quo cum verbo & prædicatione conscientia ipsa gaudeat, dũ etiam per manus proprias fructum affert, & sibi ipsi suppeditat, fratribusq. ac indigentibus impertit ministerij fructum, ex primitijs inquam, & oblationibus, & ex manuũ labore partis, propter excellentem affectionem erga Deum, proximis vltro impartiens. Quamquã ipsi ad hoc non cogantur, neque deputati sint, sed iustitiæ labores & operationem Ecclesiasticam habeant, & secundum iustitiã alantur; verum propter excellentem voluntatis promptitudinem ipsi hoc faciant.] hæc Epiphanius.

XX.

[e] Ibidem paulo superius.

MONACHI OPEROSI.

Idem & de monachis omnibus id ipsum factitantibus hæc scribit [e]: Laborant proprijs manibus, ad impartiendum etiam indigentibus: quemadmodum etiam in singulis monasterijs, tum in Ægyptiorum regione, tum in alijs omnibus sic laborant ad iustitiam, velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificij, in ore vero guttas mellis, cum propria hymnifera voce vniuersorum Dominum iuxta proprium sensum laudant.] Sed scripsit de his egregium commentariolum Augustinus [f], quo acriter inuectus est in vagos ac desides monachos, opera manuum prætermittentes: qui tamen eius videtur esse sententiæ, vt non semper vel vbique Paulus operatus sit manibus suum artificiolum, sed cum a prædicatione verbi daretur otium; cetero autem tempore non tantum ab offerentibus accepisse, id exposcente necessitate, sed etiam litteris suis id præcepisse pro alijs faciendum; vt cum scribit ad Galatas [g]: Communicet, qui catechizatur, verbum ei qui se catechizat in omnibus bonis.] vel cum collectam faciendam indicit Ecclesijs Macedoniæ, & Antiochiæ, & Achaiæ pro fratribus, qui in Iudæa agentes, paupertate grauissima premerentur. Agit de ijsdem & Cassianus [h] pluribus, & alij.

[f] Aug. de oper. monach. c. 14. 15. 16.

[g] Galat. 6.

[h] Cassian. lib. 10.

XXI.

[i] Act. 18.

DE REBVS GESTIS PAVLI CORINTHI.

Quid interea Paulus prædicans Euangelium Corinthi egerit, Lucas [i] sic narrat: Disputabat, inquit, in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Iesu, suadebatq. Iudæis & Græcis. Cum venissent autem de Macedonia Silas & Timotheus, instabat verbo Paulus, testificans Iudæis esse Christum Iesum. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego, ex hoc ad Gentes vadam. Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Titi Iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ. Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: et multi Corinthiorum audientes credebant, & baptizabantur. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: propter quod ego sum tecum, & nemo apponetur tibi vt noceat te: quoniã populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autẽ ibi annum & sex menses, docens apud eos verbũ Dei.] hæc Lucas: qua vero occasione inde recesserit, prosequitur dicere: sed nos de his suo loco inferius. Baptizauit Paulus Corinthi dictum Crispum, necnon & Caium, simul & Stephanæ domum, cum alioqui quamplurimos fide Christiana imbuisset: sed (quod ipse [k] testatur) cum eius munus non fuerit baptizare, sed euangelizare, ab ea functione temperauit.

[k] 1. Cor. 1.

XXII.

[l] 2. Cor. 12. DE 1. EPIST. AD THESSALONICENSES.

De ceteris rebus a Paulo tam longo spatio temporis gestis Corinthi, cũ Lucas, vt qui (quod diximus) absens esset, vix ea tribus fere verbis perstrinxerit: ex his quæ ipse Paulus ad eosdem Corinthios scripsit, ea in omnibus admiranda ac excellentia fuisse, possumus facile coniectari; sic enim ait [l]: Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, & prodigijs, & virtutibus. Quid est enim quod minus habuistis præ ce-

præ ceteris Ecclesijs?] Corinthi dum esset, post aduentum Silæ atque Timothei ex Macedonia, cuius (vt nuper vidimus) meminit Lucas [a], scripsit Paulus primam epistolam ad Thessalonicenses: in ea enim de eiusdem Timothei aduentu his verbis meminit [b]: Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annunciante nobis fidem & charitatem vestram, & quia memoriam nostri habetis, &c.] Inscribitur epistolæ titulus non solũ Pauli nomine, sed & Timothei, & Siluani, qui cooperatores erãt Pauli in Euãgelio.

[a] Act. 18.

[b] 1. Thess. 3.

XXIII.

[c] Tacit. Annal. lib. 12.

COLONIA AGRIPPINA.

Quod vero pertinet ad statum Romani Imperij: hoc anno, ijsdemq. Coss. (vt auctor est Tacitus [c]) Agrippina Germanici fratris Claudij filia, quam post interitum Messalinæ idem Claudius Augustus vxorem acceperat, Augustæ titulo augetur; eiusq. filius Domitius ab eodem Imperatore adoptatus in familiam Claudiam, Nero Claudius est appellatus. Quo etiam anno eadem Agrippina Augusta in oppidum Vbiorum, in quo agente illic cum exercitu Germanico patre genita est, coloniam duci iussit; cui nomen hinc est inditum, vt ex ipsius vocabulo Colonia Agrippina sit dicta.

IESV CHRISTI ANNVS 53.	PETRI ANNVS 9.	CLAVDII IMP. ANNVS 11.

I.

[d] Act. 18.

DE SECVNDA EPIST. AD THESSALONICENSES.

[e] Chrysost. in epist. 1. ad Thess. [f] Theodoret. in præf. epist. Paul.

ANno Christi quinquagesimotertio, Coss. Claudio Augusto quintum & Cornelio Scipione Orfito, cum Paulus adhuc Corinthi ageret (annum enim vnum & menses sex illic transegisse, auctor est Lucas [d]) scripsit secundam epistolam ad Thessalonicenses: haud enim multo post primam a Paulo scriptã hanc fuisse (quòd eamdem cum illa habeat inscriptionem, qua significatur ab ijsdem Paulo, Siluano, & Timotheo missam esse) Chrysostomus [e] & Theodoretus [f] testantur; quamuis hic velit Athenis esse scriptam, sicut (vt putat) & primam. Sed quemadmodum illã Corinthi scriptam esse, perspicue demonstrauimus, & non Athenis, vnde discesserat; ita etiam secundam Athenis datam esse, impossibile est affirmare: quandoquidem Athenis recedens, & Corinthum veniens (vt vidimus) annum cum dimidio ibi mansit; nec (vt ex Luca apparet) amplius reuersus est Athenas, sed abijt Ephesum. Sic igitur tam primam quàm secundam ad Thessalonicenses datas fuisse Corintho, verius existimamus. Sed nec assentimur etiam in hoc Athanasio [g], qui eam Roma a Paulo missam fuisse putauit.

[g] Athanas. in Synopsi.

II.

PSEVDOAPOSTOLI STVDENTES LVCRO.

[h] 2. Thess. 2.

Porro eius scribendæ epistolæ ea præcessit occasio: quòd pseudoapostoli quidam ex his quos alibi idem Paulus stigillat, quæstum pietatem putantes, cum audiuissent Thessalonicenses auidius ceteris Euangelium accepisse; quo illos ad sua largienda redderent promptiores, iam instare diem Domini (nouissimũ videlicet mundi finem) tradebant: quod etiam sibi diuinitus reuelatum esse affirmabant; immo & mentita epistola nomine Pauli interposito, id facilius eisdem suadere eiusdem Apostoli auctoritate studebant. Hæc cum accepisset Paulus, malis his quanto citius festinans occurrere, secundam ad ipsos scribens epistolam, cum ad toleranda mala quæ a Gentilibus ac Iudæis paterentur, esset hortatus, mox hæc ipsa subiunxit [h]: Rogamus autem vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum: vt non cito moueamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini: neque quis vos seducat vllo modo.] Denique admonet, vt se subtrahant a fratribus inordinate ambulantibus, his nimirum, qui nihil operantes, sed curiose agentes, ex Euangelio pecuniarum lucrum captabant.

III.

[i] Ibidem.

[k] Chrysost. in 2. epist. ad Thess. homil. 4.

DE TRADITIONIBVS APOSTOLORVM.

[l] Basil. ad Amphiloch. de Spiritu sanct. c. 29.

At vero non eos tantum sic per epistolam admonitos voluit, sed in memoriam reuocat quæ per sermonem, cum apud illos esset, eisdem tradidisset; moxq. addit [i]: Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.] Hinc (inquit Chrysostomus [k]) perspicuum est, quòd non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio? nihil quæras amplius.] hæc ille. Basilius ante Chrysostomum sic explicans eumdem locum, hæc ait [l]: Apostolicum autem arbitror esse etiam in non scriptis traditionibus perseuerare. Laudo enim (inquit ad Thessalonicẽses) vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodũ tradidi vobis, traditiones continetis.] hæc Basilius ad Amphilochiũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Epiph. hær. 61. et Epiphanius[a]: Oportet, inquit, & traditione vti: non enim omnia a diuina Scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt; quemadmodum dicit S. Apostolus: Sicut tradidi vobis. et alibi: Sic doceo, sic tradidi Ecclesijs. et, Si continetis, nisi frustra credidistis.] Sed & in eumdem sensum eadem verba a plerisque alijs accepta esse noscuntur. Porro non ex recitato tantum loco hæc accipiuntur: sed (vt vult Epiphanius) insinuat id ipsum, de traditione scilicet non per scripturam, sed per sermonem accepta, idem Apostolus ad Corinthios[b] scribens, cum ait: Laudo autem vos fratres, quòd per omnia memores mei estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.] et post alia: Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, &c.] Sed quando vel quomodo hæc illis tradidit? certe ijs ipsis temporibus cum apud illos esset; nec per scripturam, sed per sermonem monens ipsos, & ad fidem instituens. Quæ igitur non scriptura, sed sermone tantum seruanda esse commonuisset, traditiones nominauit: quæ etiam, quòd fideliter sincereq. custodienda essent, alibi scribens ad Timotheum, depositum appellauit, sic dicens[c]: O Timothee, depositum meum custodi.] ac iterum[d]: Bonum depositum custodi.] Apostolicum depositum traditiones esse, Irenæus[e] tradit. Ceterum non tantum aliqua sic suis sermone tradidisse, sed & alia se sermone traditurum, ad Corinthios scribens, sic ait[f]: Cetera autem, cum venero, disponam.] Vnde intelligi datur (inquit Augustinus[g]) quia multum erat, vt in epistola totum illū agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per Orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.]

b 1. Corim. 11.
c 1. Tim. 6.
d 2. Tim. 1.
e Iren. lib. 3. c. 3.
f 1. Cor. 11.
g Aug. ad Ianuar. epist. 118. cap. 6.

IV. Quoniam vero ex his dictis exploratum satis habetur, sanctos Apostolos alia scriptis per epistolas tradidisse, alia sermone tantum, eorum quæ obseruare deberent, Ecclesias admonuisse: ex his accidit, vt Christiana religio ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ iure duplici regeretur, nimirum scripto, & sine scripto, legibus videlicet, & consuetudine: quod cuique bene institutæ Reipublicæ commune fuit. Lacedæmones enim, Athenienses, Romanos, & alios, ad bene administrandam Rempublicam, tum scriptis, tum non scriptis legibus, & ijs quæ maiorum consensione probatæ, ac communi vsu receptæ essent, vsos esse, perspicuum est omnibus. De iure enim Romanorum cum agit Vlpianus[h] I. C. Hoc, inquit, ius nostrum constat aut ex scripto, aut sine scripto, vt apud Græcos, τὸ νομικὸν οἱ μὲν ἔγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι.] immo vt Budæus restituit: τὸ μὲν ἄγραφον, τὸ δὲ νομικόν.] Et Plato[i] de legibus, ἄγραφα νόμιμα appellari dicit a quibusdam ius non scriptum. Quod si verserur in his quæ ad religionem spectant, morem a Romanis dici solitum, auctor est Sex. Pompeius[k] Festus, dum ait: Mos, est institutum patrium pertinens ad religiones moresq. maiorum.] inde illa nata locutio, Agi aliquid more maiorum, vel, Esse in moribus, quæ ab antiquis scriptoribus sæpe inuenitur vsurpata. Sed enim & Hebræos non tantum legibus diuinitus institutis, sed & traditionibus vixisse, quas dicunt δευτερώσεις, manifestum est.

ECCLESIAE IVS SCRIPTVM, ET NON SCRIPTVM.
h l. 6. ff. de Iust. & iur.
i Plat. de legib. lib. 6.
k Festus de ver. signific.

V. Porro leges non scriptas, scriptis consignatis, antiquitate præstare, nullus dubitat. Si enim cuncta iura ad suum principium reuoces; a Deo insitas in mente hominum naturæ leges antiquiores esse atque nobiliores, vt primarium quemdam fontem, ex quo omnium optimarum legum fluxere riui, facile inuenies. Vnde Philo[l] hæc in eamdem sententiam: Prisci illi ante leges sigillatim proditas, non scripto iure vsi, pari felicitate ac facilitate vixerunt: vt merito quis dicere possit, leges scriptas nihil aliud esse, quàm vitarum patrum commentarios, in quibus eorū dicta factave narrantur. nam illi scholas nullas frequentauerant, nullis præceptoribus vsi fuerant; sed a se ipsis instituti doctiq. ordinem naturæ sunt secuti: quæ lex est proculdubio antiquissima omniū; quam ipsi ius summum fasq. rati esse, totam vitam suam vltro ei subdiderunt.] hæc Philo.

IVS NON SCRIPTVM ANTIQVIVS.
l Philo lib. de Abraham.

VI. Verum non omnium traditionum atque consuetudinum eadem est ratio, sed plane diuersa: nam secundum quod ex diuersis principijs emanarunt, diuerso etiam iure censendas esse, Euangelica auctoritas admonet. Illæ nimirum, sententia Domini, sunt improbatæ traditiones, quæ aduersus legis diuinæ militarent institutia; vt cum Dominus ait[m]: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?] In quam sententiam idem Dominus citans Isaiam[n]: Bene, inquit, prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut dictum est: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorū longe est a me: in vanū autem me colūt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

TRADITIONES QVAE IMPROBATAE.
m Matth. 15. & Marc. 7.
n Isai. 29.

Relin-

A Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionē hominum, baptismata vrceorum & calicū, & alia similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene irritū facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.] De his similibus, quæ legi Dei repugnarent, loquitur Paulus ad Colossenses[a], cū ait: Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundū Christum.] et Petrus[b]: Scientes, inquit, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis.] non quidem (prout Manichæi garriebant) intelligens de scripturis veteris Testamenti, sed de dictis seniorum traditionibus, quæ superstitione quadam pietatis specie adumbrata irritarent potius, quàm roborarent diuinam legem; de quibus hæc apud Clementem[c] leguntur: Quædam sunt in traditionibus seniorum, quæ δευτερώσεις appellantur:

a Coloss. 2.
b 1. Pet. 1.
c Clem. Const. lib. 1. c. 7.

B solum autem historiæ causa illa lege, vt cognoscas & glorifices Deum, qui te a talibus & tantis vinculis liberauit.]

VII. DE TRADITIONIBVS IVDAEORVM.

Quando vero Iudæi eiusmodi vanas traditiones subinduxerint, hæc apud Epiphanium[d] leguntur: Discea quo tempore ipsos accusat quòd hoc faciunt. Quando vero traditio & inuentio seniorum ipsis contigit? nimirum Danielis post reditum ex Babylone, Achibæ vero etiam ante captiuitatem Babylonicam facta est, filiorum autem Assamonæi temporibus Alexandri & Antiochi, centum nonaginta annis.] hæc ille. At Hieronymus[e] in diuersam sententiam hæc, quæ & superius recitauimus, ait: Duas domos Nazaræi, qui Christum ita recipiunt, vt obseruationes legis veteris non amittant, duas familias interpretantur, Sammai & Hillel, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, quorum susscepit scholam Achibas, quem magistrum Aquilæ proselyti au-

d Epiphanius hæres. 42.
e Hieron. in Isa. cap. 8.

C tumant: et post eum Meir, cui successit Ioannan filius Zachæi, & post eum Eliezer, & per ordinem Delphon; & rursum Ioseph Galilæus, & vsque ad captiuitatem Hierusalem Iosue. Sammai igitur & Hillel, non multo prius quàm Dominus nasceretur, orti sunt in Iudæa: quorum prior, dissipator, interpretatur: sequens vero, profanus: eo quòd per traditiones, & δευτερώσεις suas, legis præcepta dissipauerint.] et ad Algasiam[f]: Quantæ traditiones Pharisæorum sint, quas hodie vocant δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, euoluere nequeo: neque enim libri patitur magnitudo; & pleraque tam turpia sunt, vt erubescam dicere.] et paulo post: Præterea quia iussum est[g] vt diebus sabbatorum sedeat vnusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet in loco in quo habitat: si quando eos iuxta litteram cœperimus arctare, vt non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta seruare; solent respondere,

f Hieron. epist. 151. q. 10.
g Exod. 16.

D & dicere: Rab Achiba, & Simeon, & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis, vt bis mille pedes ambulemus in sabbato; & de loco, in quo quis fuerit occupatus, non recedendum.] Hæc & alia de seniorum traditionibus.

VIII. DVPLEX GENVS TRADITIONVM IVDAEORVM.

Has tum Christus, tum Apostoli redarguerunt; non quia ab hominibus traditæ, sed quòd contra Dei legem superstitiosæ & turpes essent: sed & quòd illi sua præcepta Dei legi præponerent. Audi, quæso, quæ apud Thalmud in Gheruuire, secundo capite scripta leguntur: Fili mi solicitior esto, obseruator scilicet, verborū ac præceptorum Rabbinorum, quàm legis.] ac item: Quicumque præuaricatus fuerit eorum verba, reus est mortis.] rursumq. Quicumque contemnet vel deridebit Rabbinorum verba, bulliente stercore pœnas luat.] hæc ibi. At quomodo non execrādæ ac penitus explodendæ eiusmodi seniorū traditiones, immo horrendæ blasphemiæ? Ceterum quæ piæ fuissent ac

E sanctæ, Domini sunt ore laudatæ, immo in exemplū adductæ, vt constat de Rechabitis: cuius rei gestæ historiam Hieremias[h] Propheta exacte descripsit: qui & in fine quantam ea de re, quòd parentum traditioni obedierint, apud Deum gratiam promeruissent, hæc subdit: Pro eo quòd obedistis præceptis Ionadab patris vestri; quòd scilicet non biberitis vinum, nec ædificaueritis domos ad habitandū, nec vineam agrumve possidere volueritis, nec seminaueritis, sed habitaueritis in tabernaculis: Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.] Sed quid hoc, nisi stabilisse Rechabitarum traditiones, vt perpetuo integræ permanerent? Iam, quod reliquum est, de ipsis Apostolicis traditionibus agamus.

h Hierem. 35.

IX. Vidimus multa ab Apostolis esse tradita, quæ non fuerunt scriptorum monumentis consignata: quæ quidem haud putanda sunt penitus excidisse, sed ministrata ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

illis (quod ait Paulus [a]) non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, A
sed in tabulis cordis carnalibus scripta esse. Quinetiam si ipsam petamus rerum originem, plane inueniemus Christianam religionem primum omnium traditionibus institutam, inde vero scriptis esse firmatam. nam & Tertullianus [b]: Certe, inquit, prior anima quàm littera, & prior sermo quàm liber, & prior sensus quàm stylus.] Antequam enim Matthæus primus omnium scriberet Euangelium (quod contigisse monstrauimus non ante annum Domini quadragesimumprimum) non alio certe modo, quàm traditionibus, Euangelica prædicatio infundebatur in corda credentium. Ac primum quoque fidei Symbolum Apostolicum nequaquam ab Apostolis reperitur fuisse scriptis mandatum, sed (vt superius, cum de eo egimus, demonstrauimus) his qui crederent, ore tenus traditum.

a 2. Cor. 3.

b Tertul. lib. de test. anim. c. 1.

ANTE TRADITIO, QVAM SCRIPTVRA.

X. Errant igitur, qui quodam furore perciti, obstinato ac pertinaci animo negant quic- B
quam esse in Ecclesia recipiendum, quod non fuerit Apostolica scriptione testatum: nam hac sua ipsorum lege adstricti, nec ipsum Symbolum Apostolicum, nisi resiliant a pertinaci mentis proposito, recipiendi habent aliquam facultatem. Fuit sententia ista Arianorum peculiaris, ex quibus Maximus his verbis eam apud Augustinum [c] inculcat: Si quid de diuinis Scripturis protuleris, quod commune est cum omnibus, necesse est vt audiamus: hæ vero voces, quæ extra Scripturam sunt, nullo casu a nobis suscipiuntur.] Qui igitur his se arctant & premunt angustijs, ab omni etiam fidei regula excidant necesse est: nam (vt vidimus) Apostolicum ipsum Symbolum reijcere, sua ipsorum sententia compelluntur: immo nec ipsis Apostolicis scriptis, quibus tantummodo innitendum existimant, aliquo iure vti possunt, nisi prius traditionibus inhæreant. Nã vnde acceperunt hæc illa ipsa esse quæ ab Apostolis & Euangelistis sunt scripta, & C
non potius illorum nomine dolose supposita, nisi auctoritate Ecclesiæ, quæ sancito tandem canone, quænam illa essent, & a quibus scripta, in Nicæno [d] Concilio promulgauit? Vnde hac ratione Augustinus [e]: Ego, inquit, Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.] Sed vnde hæc illa adeo firmiter & absque alia dubitatione constituit? non quidem ex simplici scriptorum titulo: quandoquidem multa alia Euangelia, Epistolæ, Actus, & Reuelationes erant (vt vidimus) Apostolorum titulo prænotata, quæ respuit: sed hæc ipsorum esse germana, non aliunde quàm Ecclesiastica traditione potuit didicisse.

c Aug. contra Max. in princ.

d Nicen. Cõcil. citat Hieron. in præfat. in lib. Iudith.

e August. contr. epist. Manich. cap. 5.

XI. Ex his igitur videas quanti ponderis sit ipsa traditio, vt ex ipsa noui Testamenti scri-
ECCLESIA PROBAT SCRIPTA ET TRADITIONES. pta omnia auctoritatem acceperint: quam qui non admittunt, ab ipsis etiam canonicis scriptis excidant necesse est. Cum itaque scripturarum fundamentum sit ipsa traditio; eo conuulso, totam desuper structam molem collabi, quis non facillime credet? D
Esto igitur firmum ratumque, non tantum scriptis, sed & traditionibus Apostolorum Dei Ecclesiam semel fundatam, cœpisse ijsdem coalescere & propagari; ipsosq. Fideles, sicut illis, ita & istis pariter obligari; in eoq. istas excellere, quòd illa, nisi traditione firmentur, non subsistant, hæ vero etiam sine scriptis suam obtineant firmitatem. Vn-

f Iren. lib. 3. c. 4.

IN QVO TRADITIO SCRIPTVRAE PRAESTET. de Irenæus [f]: Quid, inquit, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis: nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quem tradiderunt ijs quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in vnum Deum credentes fabricatorem cæli & terræ & omnium quæ in eis sunt, per Iesum Christum.] E
et paulo post: Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt; quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conuersationem propter fidem, perquàm sapientissimi sunt, & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, castitate, & sapientia. Quibus si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens; statim concludentes aures, longo longius fugiunt, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem ne in conceptionem quidem mentis admittunt quodcumque eorum portentiloquium est: neque enim congregatio fuit apud eos, neque doctrina instituta.] hæc Irenæus.

XII. Hæc eadem & Tertullianus [g] in hæc verba: Hæc, inquit, si nulla scriptura determi-

g Tert. de coron. milit. c. 3.

nauit, certe consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim

A do enim vsurpari quid potest, si traditum prius non est? Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an & traditio non scripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla præiudicent aliarum obseruationum, quas sine vllius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt a baptismate ingrediar: Aquam adituri, ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo & pompæ & angelis eius: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exq. ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiæ sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorũ manu quàm præ-
B sidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten vsque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum eiusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix: rationem traditioni, consuetudini, fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo qui perspexerit, discres.] hactenus de his Tertullianus: nec quidem
C ex officina Montani; quippe qui ea recensеat quæ longe ante Montani tempora, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, Ignatij, Iustini martyris, Irenæi, & aliorum antiquorum testimonio constat fuisse vsu recepta, atque obseruatione firmata, prout iam de singulis ipsi diximus suis locis superius, vel inferius dicturi sumus. Immo & eiusdem Tertulliani sententia, videamus vnde ipse Ecclesiæ traditiones deducat: sic enim alibi ait, disputans contra Marcionem [a]: Quòd si post Apostolorum tempora adulterium veritas passa est circa Dei regulam: ergo Apostolica traditio nihil passa est suo tempore circa Dei regulam; & non alia cognoscenda est traditio Apostolorum, quàm quæ hodie apud ipsorum Ecclesias editur.]

RITVS ECCLESIAE EX TRADITIONE.

a Tertul. contra Marc. lib. 1. cap. 21.

Vt igitur non vnius vel alterius antiquorum Patrum esse monstremus de Apostoli- XIII.
cis traditionibus, de quibus est sermo, assertionem, sed omnes æque in eamdem sententiam conspirasse, pariterq. eidem Catholicæ veritati adstipulatos esse: ab antiquio-
D ribus petamus narrationis exordium, &, vt instituti patitur ratio, singulorum hic testimonia afferamus; vt e quibus fontibus traditionum riui fluxerint in Ecclesiam, perspicue intelligamus. Res quidem maximi ponderis (vt quæ basis quædam & fundamentum totius Ecclesiasticæ œconomiæ esse videatur) est propensiori studio pertractanda. quamobrem a lectore veniam deprecamur, si intercepto cursu narrationis historicæ, hic paulo diutius immorabimur: nam & hoc ipsum a nobis ratio instituti exigit.

DE TRADITIONIBVS TESTIFICATIO SS. PATRVM.

Dicendum de Matthia Apostolo in primis esset, quem de traditionibus scripsisse vo- XIV.
lumen, auctor est Clemens Alexandrinus, qui ipsum sæpius citat, nimirum libro secundo Stromatum, necnon tertio, & septimo. sed quoniam excidit liber ille, quo etiam
E vsi esse noscuntur hæretici; an germanus Matthiæ fuerit, certum quid affirmare non possumus, sicq. libentius abstinemus. At de Ignatio nulla est tergiuersatio, cuius epistolas [b] vt legitimas semper est antiquitas venerata. de eo hæc scribit Eusebius [c]: Cum iter per Asiam faceret, licet attentissima cura a satellitibus, qui illum ductabant, obseruaretur; Ecclesias tamen cuiusque ciuitatis, ad quam forte proficisceretur, familiaribus colloquijs, pijsq. hortationibus confirmauit: ac primum, vt hæreses, quæ iam tum primo nasci & emergere cœperunt, maxime præcauerent, sedulo admonuit: deinde hortatus est, vt Apostolorum traditioni mordicus adhæresceret; quam quidem asseueranter testificatus, quo tutius posteritati seruaretur, necessario scriptis mandandam existimauit.] hæc de eo Eusebius. Sed mea quidem sententia, non priuatum aliquem commentarium Ignatius de traditionibus scripsit, sed quòd in omnibus illis suis vndecim, quas ad diuersas Ecclesias dedit, epistolis, Apostolicas traditiones in plurimis voluit esse testatas; vt in primis hierarchicum in Christi Ecclesia ordinem,

TRADITIONES APOSTOLORVM SCRIPTAE AB IGNATIO.

b Eusebius hist. lib. 3. c. 30. & Hier. de Script. Eccl. in Ignat.

c Eusebius hist. lib. 3. c. 30.

singulorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

singulorum Ecclesiæ ministrorum distincta officia, conuentus publicos, sacratissimæ Eucharistiæ ministrationem, sacrificij immolationem, obseruationem diei Dominici, aliasq. festiuitates, Quadragesimæ ieiunium, viduarum cœtum venerandum, sacrum collegium earum virginum quæ perpetuam virginitatem excolerent, & se ipsas Deo consecrassent, & alia huiusmodi.

XV. ASSERTORES TRADITIONVM APOSTOLICARVM.

De Polycarpo, & ipso Apostolorum discipulo, hæc scribit Irenæus [a]: Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia, constitutus Episcopus, quē & nos vidimus in prima nostra ætate (multū enim perseuerauerat, & valde senex glorioſissime & nobilissime martyriū faciens, exiuit de hac vita) hic docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera.] meminit in fine de eius epistola scripta ad Philippenses. Dionysius Areopagita insuper in his multū versatus est eo libro quem scripsit de Ecclesiastica Hierarchia: at quoniam an eius sit commentarius ille, multi dubitarunt, agemus de ea re pluribus suo loco inferius. De Hegesippo testatur Eusebius [b], ab eo quinque libris scriptas esse Apostolicas traditiones: sic enim ait: Iste enim sinceram & minime fucatam Apostolicæ prædicationis traditionem quinque libris illo quidem scribendi genere maxime simplici ac summisso litteris persequi aggrediens, tempus quo ipse floruit, aperte indicat.] Sed & apud Iustinum [c] martyrem, cum agitur de Christianis, quòd ad Orientem versi orare consueuerint, hæc leguntur in fine: Porro a quibus orationem Ecclesia accepit, ab ijsdem quoque vbi orare solerent, consuetudinem accepit, a sanctis nimirum Apostolis.] id ipsum Origenes, Basilius, & (vt paulo post dicemus) ceteri attestantur. Porro Iustinus ipsum ritum sacræ Eucharistiæ celebrandæ, non aliunde quàm ex Apostolica traditione acceptum, in oratione ad Antoninum Pium exacte descripsit.

a Iren. lib. 3. c. 3.

b Euseb. hist. lib. 4. c. 8.

c Apud Iustin. lib. Quæst. & resp. q. 118.

XVI. IRENAEVS VINDEX TRADITIONVM APOSTOLICARVM.

Irenæus [d] Iustino fere æqualis (eodem enim sæculo vixit) ceteris locupletius de his visus est agere: nam traditionibus potissimum agens aduersus hæreticos, hæc tandem habet: Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesijs custoditur, prouocamus eos qui aduersantur traditioni: dicunt se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem: Apostolos autem admiscuisse ea quæ sunt legalia, Saluatoris verbis.] et paulo post: Euenit itaque, neque scripturis iam, neque traditioni consentire eos.] ac sequenti capite sic: Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia adest perspicere omnibus qui vera velint audire: et habemus adnumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos; qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria sciuissent Apostoli, quæ seorsum & latenter ab reliquis perfectos docebant; his maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant.]

d Iren. lib. 3. c. 2. 3. 4.

XVII. ROMANA ECCLESIA CVSTOS APOSTOLIC. TRADITIONVM.

Agens deinde de successoribus Apostolorum, meminit de Romana Ecclesia, atque traditionibus eidem creditis, in hæc verba: Sed quoniam, inquit, valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones: maximæ & antiquissimæ & omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporū peruenientem vsque ad nos, indicantes, confundimus eos qui quoquo modo vel per sui placentiam malā, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiā, hoc est, eos qui sunt vndique Fideles; in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.] prosequitur enumerare Petri successores vsque ad sua tempora: agensq. de Clemente, eum tradit non tantum scriptis, sed & traditionibus (epistola ad eos scripta) composuisse Corinthiorum dissensiones. Denique hæc de Ecclesia Ephesiorum: Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, a Paulo quidem fundata, Ioanne autē permanente apud eos vsque ad Traiani tempora, testis est verus Apostolorū traditionis. Tantæ igitur ostensiones cum sint hæ, non oportet adhuc quærere apud alios veritatē, quam facile est ab Ecclesia sumere: cum Apostoli, quasi in depositoriū diues, plenissime in eā contulerint omnia quæ sunt veritatis.] hæc Irenæus.

Qui

XVIII. QVANTVM DEFERENDVM TRADITIONIBVS EX TERTVLLIANO.

A Qui proximus post Irenæum Tertullianus adnumeratur, quàm egregius adstipulator eiusdem veritatis extiterit, nuper vidimus: quantum insuper traditioni detulerit, vt sine ipsa Christianus quis esse non possit, hæc accipe: hisce enim verbis Marcionem traditiones negantē exagitat [a]: Si, inquit, Propheta es, prænuncia aliquid: Si Apostolus, prædica publice: Si Apostolicus, cū Apostolis senti: Si tantum Christianus es, crede quod traditum est: Si nihil istorum es, merito dixerim, Morere: nam & mortuus es, qui non es Christianus, non credendo quod creditum Christianos facit.] et paulo post: Porro quod traditum erat, id erat verum, vt ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo quod erat traditum rescindens, quod erat verum rescidisti. Nullo iure fecisti. Sed plenius eiusmodi præscriptionibus aduersus omnes hæreses alibi vsi sumus] nimirum in libro de Præscriptionibus, vbi hæc Tertullianus [b]: Nunc solū disputandum est, quibus competat fides ipsa; cuius sint Scripturæ; a quo, per quos, & quando, & quibus sit B tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Vbi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.] et post multa sequenti capite de his agens hæc addit: Quid autem Apostoli prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per eadem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viua (quod aiunt) voce, quàm per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo susceperit: reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarū, & Apo- C stolorum, & Christi, & Dei.] hæc Tertullianus, qui & aduersus Marcionem [c] hæc in eamdem sententiam: His fere compendijs vtimur, cum de Euangelij fide aduersus hæreticos expedimur, defendentibus temporum ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & auctoritatem Ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem: quia veritas falsum præcedat necesse est, & ab eis procedat, a quibus tradita est.]

a Tert. de carn. Christi c. 2.

b Tert. de præscript. c. 19. 21.

c Tert. aduers. Marcion. lib. 4. c. 5. in fine.

XIX. EX CLEMENTE ALEXANDRINO

Huic coniungimus Clementem Alexandrinum, qui ijsdem cum Tertulliano temporibus Seueri & Antonini eius filij claruit [d]: ipse enim hæc in Stromatibus [e] in primis habet: Qui veram quidem beatæ doctrinæ seruabant traditionem, statim a Petro, & Iacobo, & Ioanne, & Paulo, sanctis Apostolis, filius a patre accipiens (pauci autem sunt patribus similes) ad nos quoque, Deo volente, peruenerunt, illa a maioribus data & Apostolica deposituri semina.] hæc Clemēs, non de scriptis ab illis epistolis intelligens, D sed & de non scriptis per manus traditis obseruationibus: alioqui his omnibus quatuor Euangelia præposuisset: nam paulo superius viua voce, & animata (vt ait) oratione magistrorum, qui a maioribus ea acceperant, ea se assecutum esse testatur. Idemq. hæc libro quarto: Cognitio autem ipsa est, quæ per successionem ad paucos ex Apostolis absque scriptis tradita peruenit.] et libro septimo: Quomodo ergo si quis fiat bestia ex homine, similiter atque hi qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo Dei esse, & Domino fidelis esse perdidit, qui aduersus Ecclesiasticam recalcitrauit traditionem, & in humanarum hæreseon desiliuit opiniones.] hæc Clemens; de quo etiam hæc Eusebius [f]: In libro, inquit, quem de Paschate composuit, fatetur se a familiaribus suis compulsum, vt traditiones, quas a veteribus presbyteris accepisset, litteris proderet ad posteritatem.]

d Hier. de Scrip. Eccl. c. 38. 53.

e Clem. Alexan. Strom. lib. 1.

f Euseb. hist. lib. 6. c. 11.

XX. EX ORIGENE.

E Huius discipulus Origenes hæc etiam de traditionibus, quas Ecclesiasticas obseruationes appellat, sic [g] dicens: Sed & in Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ omnibus quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet. Nam quòd, verbi gratia, genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad solam Orientis partem conuersi orationem fundimus, non facile cuiquam puro ratione compertum. Sed & Eucharistiæ siue perficiendæ, siue eo ritu quo geritur, explicandæ, vel eorum quæ geruntur in baptismo verborum, gestorumq. & ordinum, atque interrogationum & responsionum, quis facile explicet rationem? Et tamen omnia hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea & exequimur, vt a magno Pontifice atque eius filijs tradita & commendata suscepimus.] et in Leuiticum ait [h]; Secundum Ecclesiæ obseruantiam, etiam paruulis baptismum dari.] Sed per obseruantiam Ecclesiæ, intellexisse Apostolicam traditionem,

g Orig. hom. 5. in Num.

h Orig. in Leuit. cap. 8.

alibi

alibi declarat his verbis: Pro hoc & Ecclesia ab Apostolis traditionem susceptit, etiam paruulis baptismum dare.] A

XXI. STEPHANVS PAPA CVSTOS TRADITIONVM.

Stephanus Papa, idemq. martyr, etsi eius scripta exciderint, tamen ex ipsis fragmentum, quod recitat Cyprianus [a], quàm constans assertor Apostolicarum traditionum & earum acerrimus propugnator extiterit, facile monstrat: sic enim dicebat aduersus omnes qui ex vniuerso Christiano orbe viri eruditissimi atque sanctissimi impugnabant baptismum hæreticorum, quod hactenus ex antiqua traditione Ecclesia non respuebat: NIHIL INNOVETVR: NISI QVOD TRADITVM EST] agatur scilicet. Hac vna ille sententia & Apostolicæ vocis tonitruo a summa arce culminis pastoralis intonans, non solum Africanorum omnium, sed & Orientalium Episcoporum molitiones atque conatus disiecit, & munimenta illorũ ex mille Scripturæ diuinæ locis coagmentata & male contexta penitus dissipauit: vt tunc potissimum Ecclesia Catholica experta sit, qualis quantaq. vis fuerit antiquæ traditionis, cum opus fuit innumeras diuinæ Scripturæ sententias perperam intellectas, quæ resistere viderentur, vni cedere traditioni: de qua hæc Augustinus [b]: Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur.] Ceterum Cyprianus non adeo vecors fuit, vt Apostolicæ traditioni repugnandum esse censeret; sed quòd existimaret eam humanam esse potius corruptelam, vt quæ sibi videbatur esse diuinis Scripturis aduersa. quare & illa verba mox subdit: Vnde est ista traditio? vtrũ ne de Dominica & Euangelica auctoritate descendens, an de Apostolorũ mandatis atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, Deus testatur.] Quòd si Cyprianus certior redditus esset, illam re vera fuisse Apostolicam traditionem, nec aduersam diuinis Scripturis; sanis sinceriscq. dogmatibus haud dubium acquieuisset; quod & Augustinus affirmat. Verum quàm egregius adstipulator sit Cyprianus Apostolicarum ac ceterarum Ecclesiæ traditionum, præsertim in ritu ministrandorum sacramentorum, mille prope locis erudite Pamelius adnotauit. B C

[a] Cyprianus ad Pomp. epist. 74.

[b] Augustin. de baptis. contr. Donat. lib. 5. c. 23.

XXII. ATHANASIVS TRADITIONVM ASSERTOR.

Ex his vero, qui in Ecclesia claruerunt post Ethnicos Imperatores temporibus Constantini, Magnus Athanasius est facile princeps, qui & traditionum Ecclesiasticarum est grauissimus assertor; cum aduersus ingruentes Arianorum turbines, Filij Dei diuinitatem labefactantes, traditionis scuto potissimum sit tutatus Catholicam veritatem: nam quoties de nouitate vocis Ariani calumniam faciebant, ipse mox eos ad traditionem Ecclesiasticam prouocabat; ipsosq. hostes adegit, licet inuitos, veritatem Catholicam profiteri. vnde hæc ipse [c] de Eusebio Cæsarienſi: Quod maioris admirationis est, Eusebius ex Cæsarea Palæstinæ cum pridie abnegasset, in eamdem sententiam postridie subscripsit; quam etiam Ecclesiæ legendam misit, dicens eam esse Ecclesiæ fidem, & patrum traditionem.] post multa vero sic: Ecce, inquit, nos demonstramus istiusmodi sententiam a patribus ad patres quasi per manus traditam esse.] Rursum agens contra Paulum Samosatensem, hæc ait [d]: Qui ea quæ vltra vires suas sunt, indagat, in præcipiti consistit: qui vero traditionibus inhæret, extra periculum versatur. Suademus igitur vobis, quod & nobis ipsis suademus, vt traditam fidem retineatis, & auersemini profana nouitatis verba, & idem reliquis præcipiatis, vt exhorreant tanti mysterij inquisitionem.] D

[c] Athanas. de Synod. Nican. contra Arian. decret.

[d] Athan. de incar. Verb. contr. Paul. Samosat.

XXIII. EVSEBIVS TRADITIONVM PROFESSOR.

Ipse item Eusebius [e], qui tunc viuebat, cum sanioris esset mentis, hæc de traditionibus: Moyses in tabulis inanimatis, Christus autem in mentibus vita præditis perfecta noui Testamenti documenta descripsit. Eius vero discipuli, ad magistri sui nutum, auribus multorum doctrinam suam commendantes, quæcumque quidem veluti vltra habitum progressis a perfecto ipsorum magistro præcepta fuerant, ea ijs qui capere possent, tradiderunt: quæcumque vero ijs conuenire arbitrabantur, qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationibusq. indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim litteris, partim sine litteris, quasi iure quodam non scripto, seruanda commendarunt.] hæc Eusebius. Sed & qui huic proximus tempore accedit Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, cum de sacris mysterijs Ecclesiasticis quinque orationes mystagogicas habuisset, hæc ait in fine: Retinete has traditiones, & sine vllius offendiculo vosmet seruate.] Sed a quo traditas? legat qui originem earum scire E

[e] Euseb. de demonst. Euang. lib. 1. c. 8.

A scire cupit, & inueniet eas acceptas esse maiori ex parte ex Missa Iacobi Apostoli eiusdem ciuitatis olim Episcopi.

XXIV. HILARIVS TRADITIONVM DEFENSOR.

Qui eodem vixit tempore Hilarius [a], hæc de Gallis: O vos beatos & gloriosos, qui perfectam atque Apostolicam fidem conscientia & professione retinentes, conscriptas fides hucusque nescitis. Non enim eguistis littera, qui spiritu abundatis: neque officium manus ad scribendum desideraſtis, qui quod corde a vobis credebatur, ore ad salutem profitebamini. Nec necessarium habuistis Episcopi legere, quod regenerati neophyti tenebatis. Sed necessitas consuetudinem intulit, exponi fides, & expositis subscribi. Vbi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur.] hæc Hilarius. Dicant ergo Nouatores, Gallorum sordes (illos compello qui sunt adeo a progenitoribus antiquis degeneres) qua fronte sine scriptis per manus traditas Ecclesiæ traditiones impugnent & respuant; si amplius trecentis annis, vsque ad Hilarij tempora, Gallicana Ecclesia, eademq. celebris, totoq. Orbe spectata, sine scripto tradita fide, ac per manus accepta, absque aliquo religionis præiudicio, immo maximo omnium integritatis exemplo, vsa est? Intelligant a quibus desciuerint, & quibus in eo turpiter inhæserint, nimirum Arianis, Macedonianis, Aerianis, vel his similibus; qui quòd traditionibus impugnarentur, nullam sententiam, immo ne vocem quidem admittere in animum induxerunt, quæ non reperiretur ex diuinis Scripturis accepta. Sed hæc omittamus. B

[a] Hilar. lib. de Synod. contr. Arianos.

XXV. BASILIVS TRADITIONVM PRAEDICATOR.

Basilium [b] iam præstat audiamus, qui hæc habet scribens ad Amphilochium de Spiritu sancto: Dogmata, quæ in Ecclesia seruantur & prædicantur, partim ex scripta doctrina habemus [c], partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus: quæ vtraque ad pietatem eamdem vim habent; & nemo his contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum iurium experientiam habet. Si enim aggredimur non scripto proditas consuetudines veluti non magnam vim habentes reijcere, imprudentes etiam ipsis principalibus Euangelij partibus damnum inferemus, immo ipsam Euangelij prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Veluti, exempli causa (vt eius quod primum & communissimum est, primam mentionem faciam) figura crucis signare eos qui in nomen Domini nostri Iesu Christi spem habent, quis scripto docuit? Ad Orientem conuersos nos esse, dum oramus, quæ scriptura nos docuit? Inuocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, quis sanctorum scripto nobis reliquit? Non enim his contenti sumus, quorum Apostolus aut Euangelium meminit; sed & ante & postea alia quædam dicimus, velut magnum robur ad mysteria habentia, & doctrina scripto non prodita assumpta. Benedicimus aquam baptismatis, & oleum vnctionis, insuperq. ipsum qui baptizatur: ex quibus scriptis? nonne a tacita & arcana traditione? Ipsam vero oleo illitionem quæ doctrina scripta docuit? aut ter mergi hominem, vnde est? Reliqua item quæ circa baptisma fiunt, renunciare satanæ & angelis eius, ex qua sunt scriptura? nonne ex hac non publicata & arcana doctrina, quam in minime onerosa & solicito silentio patres nostri conseruarunt? Recte illi, vtpote docti mysteriorum reuerentiam & auctoritatem silentio custodire: quæ enim ne aspicere quidem fas erat non initiatis, horum doctrinam quomodo par erat in litteris, velut in triumpho, ostentare?] hæc Basilius; qui & alia etiam multa in eamdem sententiam inculcat: ac tandem hac ipsa non scripto tradita Apostolorum traditione de Spiritu sancto blasphemias Macedonij refellens, veram sinceramq. a maioribus diuinitatem eius traditam adstruit, atque confirmat, vt dicendum sit more maiorum: Gloria Patri & Filio cum Spiritu sancto: & non vt illi dicebant, In Spiritu sancto. Nam & superius: Quicumque enim per morum constantiam antiquitatis auctoritatem nouationibus prætulerunt, & patrum traditionem inuiolatam per regiones ac ciuitates conseruarunt, hac voce vsi sunt.] et alibi [d]: Nos confitemur, quod etiam traditum accepimus, cum Patre & Filio locatum esse Spiritum paraclitum.] C D E

[b] Basil. de Spiritu sancto ad Amphil. c. 27.

[c] Basil. de Spiritu sancto c. 7.

[d] Basil. epist. 78.

XXVI. GREGORIVS NAZIANZENVS TRADITIONVM PROFESSOR.

Basilio iungimus Gregorium Nazianzenum [e], qui agens in Iulianum Apostatam, in eumdem inuehitur, quòd Ecclesiasticas traditiones in Gentilium vsum transferre satageret: Quas, inquit, traditione acceptas in hanc vsque diem seruauimus.] Huic adnectimus Gregorium Nyssenum, qui ad Ablauium hæc scribit: Sin autem nostra oratio præposita quæstione infirmior arguatur: traditionem quidem, quam a patribus per

[e] Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iul.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus per successionem accepimus, seruabimus in perpetuum firmam & immotam.] A

XXVII. EPIPHANIVS TRADITIONVM ADSTIPVLATOR.

Sed videamus quid de eadem re senserit Epiphanius: ipse enim aduersus Aerium agens, de præscriptorum dierum ieiunio Ecclesiæ consuetudine receptorum hæc ait[a]: Quis autem magis de his nouit, hic ne seductus homo (*Aerius videlicet*) qui etiã nunc supersit, & hucusque in mundo versatur; aut qui ante nos testes fuerunt habentes ante nos traditionem in Ecclesia, quiq. etiam a patribus suis traditum acceperunt; quemadmodum etiam hi a suis patribus didicerunt, qui ante ipsos fuerunt, quomodo Ecclesia acceptam a patribus suis veram fidẽ vsque huc continet, itemq. traditiones?] Idem inferius, postquam egit de memoria & precibus pro defunctis ad Deum exhiberi solitis, hæc rursum de traditionibus inculcat: Ecclesia necessario hoc perficit, traditione a patribus accepta. Quis autem poterit statutum matris dissoluere, aut legem patris? velut Salomon dicit: Audi fili sermones patris tui, & ne repudies statuta matris tuæ: B ostendens per hoc, quod & in scriptis & sine scriptis docuit Pater, hoc est, Deus, & Vnigenitus, & Spiritus sanctus. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta in se posita indissolubilia, quæ irritari non possunt. Cum itaque ordinata sint in Ecclesia statuta, & bene se habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus est rursus etiam hic seductor.] Idem hæc habet in Compendiaria doctrina: At vero, inquit, de statutis ipsis & traditionibus eiusdem Ecclesiæ, rursus necessariũ est me breuibus apponere earumdem traditionum formam ex parte, &c.] subinfert de diuersis ordinibus in Ecclesia narrationem, de diebus festis, obseruatione ieiuniorum, mysterijs Ecclesiasticis, & alijs sacris ritibus ex traditione manantibus. Sed non prætermittendum, quòd idem[b] agens aduersus Melchisedecianos, hæc ait: Termini nobis positi sunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & Apostolorum traditiones, & Scripturæ sanctæ, & successiones doctrinæ, & vndiquaque veritas Dei munita est.] C

[a] Epiph. hæres 75.

[b] Epiph. hæres 55.

XXVIII. HIERONYMVS TRADITIONIBVS SVFFRAGATVR.

Sed & ad tam certam patentemq. veritatem adstruendam Hieronymus etiam suum suffragium affert in hæc verba ad Lucinium[c] scribens: Ego illud te breuiter admonendum puto, traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, vt a maioribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem, aliorum contrario more subuerti.] Idemq. alibi[d], sed ex persona Luciferiani, quæ æque ab Orthodoxo probentur: An nescis, inquit ille, etiam Ecclesiarum esse hunc morem, vt baptizatis postea manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus sanctus? Exigis vbi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret: nam & multa, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis vsurpauerunt: velut in lauacro ter D caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem; die Dominico & per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare, & ieiuniũ soluere; multaq. alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicat.]

[c] Hier. epist. 22.

[d] Hier. aduers. Luciferian.

XXIX. AMBROSIVS ET CHRYSOSTOMVS TRADITIONVM TESTES.

Ambrosius insuper, cum agit de celebritate Paschali: Scriptura, inquit, diuina nos instruit, & traditio maiorum.] Idemq. in libris quos scripsit de his qui initiantur diuinis mysterijs, ac de Sacramentis, vel alijs locis, quid aliud præstitit, nisi vt quæ hactenus sine scripto tradebantur de ea re Apostolicæ traditiones, ipse scriptione easdẽ consignaret? Chrysostomus etiam (quod superius recitauimus) illud ipsum de eadem re statuit axioma: TRADITIO EST? NIHIL QVAERAS AMPLIVS.] Idẽ sacros illos ritus, qui adhibentur in venerandis mysterijs, ab Apostolis Ecclesiæ traditos affirmans, ait[e]: Non frustra hæc ab Apostolis sunt legibus constituta; vt in venerandis, inquam, atque honorificis mysterijs memoria eorum fiat qui decesserunt. Nouerant hinc multum ad illos lucri accedere, multumq. vtilitatis.] Porro quod statuerunt Apostoli, hoc ex Dei voluntate eos fecisse; his, quæ mox subinfert, demonstrat: Vult enim, inquit, Deus nos nobis mutuum auxilium afferamus, &c.] E

[e] Chrysost. in epist. ad Philippens. hom. 3.

XXX. AVGVSTINVS TRADITIONVM DEFENSOR.

Multa insuper in hanc eamdem consensionem ex Augustini diuersis tractatibus & epistolis essent addenda: sed illam vnam satis putamus esse sententiam, qua velut funiculo quodam Apostolicarum traditionum latitudinem metitur, sic dicens[f]: Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.] hæc Augustinus, qui eadem fere sæpius repetit, vt cum ait[g]: Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem: sicut multa non inueniuntur in litteris eorũ, neque in Concilijs posterorum; & tamen

[f] Aug. de baptis. contra Donat. lib. 4. c. vlt.

[g] Augus. lib. 2. cap. 7.

A & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.] et ad Ianuarium[a]: Illa, inquit, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.]

[a] Ad Ianuar. epist. 118.

XXXI. CONCILIA TRADITIONES SECVTA.

Ceterum quæ in sacris sunt Concilijs instituta, nec ipsa quidem recens fuerunt inuenta; sed quæ & Patres ipsi a maioribus acceperunt sine scriptis, vt accuratius seruarentur, scriptis consignarunt. Vnde Vincentius[b] Lirinensis, qui eodem cum Augustino vixit sæculo, hæc ait: Denique quid vmquam Ecclesia aliud Conciliorum decretis enixa est, nisi vt quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? B quod antea securius colebatur, hoc idem postea solicitius excoleretur? Hoc, inquam, semper, nec quicquam præterea, hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica quid perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem non nouum fidei sensum, nouæ appellationis proprietate signando?] hæc ille. at de his hactenus: instituti quippe ratio non patitur his diutius immorari. Satis namque nobis visum de Apostolicis traditionibus Patrum testimonia vsque ad Augustini tempora attulisse: omnes enim, qui posterioribus temporibus vixere, cum sit certum eadem sensisse, superfluum videtur alijs testibus eadem consignasse.

[b] Vincent. Lirin. de hæres. cap. 22.

XXXII. TRADITIONVM DEFENSORES.

C Desiderari adhuc quid posset, vt Nouatores ista impugnantes refelleremus: sed qui plura cupit, ab his petat, qui eius argumenti commentarios conscripserunt, eosq. adeat, tum maxime inter alios reuerendissimum Lindanum Episcopum Ruremundensem, quem ob egregiam eruditionem toto Christiano orbi spectatam, & vitæ sanctitatẽ, plurimi facio: viuit adhuc, non sibi, sed Catholicæ Ecclesiæ, iam mille de prostratis hostibus coronis auctus; aliasq. in dies maiores, & fortasse martyrij, vt qui ante aciem quotidie aduersus hostes cominus dimicet, sibi comparaturus. Est & R. P. Robertus Bellarminus Politianus, qui multos annos in his summa cum laude versatus est, Romæ publice docens; & hoc ipso anno, quo hæc nostra cudimus, suas de Controuersijs Christianæ fidei disputationes aduersus hæreticos, ab eruditis omnibus auide expectatas, & iam acceptas, & mirifice prædicatas, edidit: nobilissimum plane D opus, quod instar turris illius quam[c] Dauid ædificauit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei & omnis armatura fortium, in Ecclesia habeatur. Hæc summatim in genere de traditionibus dixisse sat erit: inferius vero de singulis priuatim pro Apostolicorum scriptorum & rerum gestarum occasione, suis locis ac temporibus plenius agendum erit.

[c] Cant. 4.

XXXIII. DE GALLIONE PROCONSVLE.

Sed iam ad ceteras Pauli res gestas Corinthi redeamus, a quibus occasione secundæ epistolæ ad Thessalonicenses ibi scriptæ diuertimus. Curabat tunc Achaiæ prouinciam L. Iunius Gallio Proconsul (facta enim erat Achaia proconsularis prouincia ex lege Clodia, vt Cicero[d] auctor est) erat hic germanus L. Annæi Senecæ, vt ipse testatur[e], qui & de eius ex Achaia profectione meminit[f], & alias de eo: nam ad ipsum inscripsit librum De remedijs fortuitorum, ac alterum De vita beata. Cum enim Seneca a Mes- E salina Augusta, Claudij vxore (vt tradit Dio[g]) iniuste damnatus exilio, post illius necem ab Agrippina item Augusta restitutus, & Neroni, quem Claudius (vt vidimus) anno præterito adoptauit, præceptor datus esset; in eius gratiam Achaia prouincia Gallioni eius germano est tributa.

[d] Cic. orat. in Pison.

[e] Senec. in præf. lib. 4. quæst. nat.

[f] Idem lib. 18. epist. 101.

[g] Dio lib. 60.

XXXIV. PAVLVS DVCTVS AD GALLIONEM.

Hic igitur cum Corinthi ageret, Iudæi ex more in Paulum turbas excitantes, sistendum eum curarunt ante eiusdem tribunal. Quid autem tunc factum sit, Lucas[h] his verbis significat, sic ab exordio rem gestam narrans: Gallione autem Proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, o viri Iudæi, recte vos sustinerem: si vero quæstiones sunt de verbo & nominibus legis vestræ, vos ipsi videritis: iudex ego horum nolo esse. Et minauit

[h] Act. 18.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cos a tribunali. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem synagogæ, percutiebant eum ante tribunal, & nihil horum Gallioni curæ erat.] hæc Lucas de rebus gestis coram Gallione: qui quidem vel in eo laude dignus, quòd licet proconsulari auctoritate etiam de religione agere ac iudicare minime prohiberetur (quippe qui plenissimam iurisdictionem haberet, & omnium partes iudicum, qui Romæ quasi magistratus vel extra ordinem ius dicerent, ad ipsum pertinerent, vt Vlpianus [a] de officio Proconsulis scripsit) tamen tantum detulit religioni Hebræorum, vt ipse a iudicio abstinens, in illos totam causam refunderet; sed plus quàm decebat: nam licet Sosthenem ante tribunal illi percuterent, vim publicam non cohibuit, nec (vt par erat) vltus est: quinetiam (licet Lucas non dicat) affirmat Ioannes Chrysostomus [b], ipsum quoque Paulum coram tribunali, spectante Gallione, fuisse verberatum ab ijsdem Iudæis.

[a] l. 7. ff. de offi. Proconſ.

[b] Chryſoſt. præf. in 1. epiſt. Pauli ad Corinth.

XXXV.

Post hæc omnia idem Paulus (inquit Lucas [c]) cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.] Paulum, non Aquilam totondisse ex voto caput in Cenchreis *, Hieronymus & Augustinus affirmat (erant enim Cenchreæ, vt auctor est Strabo [d], Corinthiorum Orientem versus nauale.) Beda [e] ambiguam esse lectionem cum dicat, hæc addit: Falluntur mendositate codicis, qui dicunt Aquilam cum Priscilla vxore sua esse attonsum: in Græco enim euidenter ναζιδραις, id est, attonsus, numero singulari habetur.] Extant sane in nostra bibliotheca Acta Apostolorum peruetusta litteris grandiusculis exarata, in quibus plurali numero ita legitur: Se totonderant in Cenchreis caput: habebant enim votum.] Attamen inhærendum Vulgatæ nuper restitutæ, quæ (vt posuimus) ducta parenthesi, cum ita legit: Nauigauit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchris caput] nonnisi de Paulo intelligendum esse declarat. Porro caput tondere, & sic votum soluere, erat Nazaræorum, de quibus scribitur in libro Numeri [f]. Sed cur id non est factum Hierosolymis in templo? ille fortasse accidit casus, quo ibidem [g] illico caput tondendum esset, cum coram Nazaræo aliquis moreretur. Qui sic erant Nazaræi voto obligati, nominabant se ipsos Corban, hoc est, Dei donum (vt Iosephus [h] affirmat) quòd sic se ipsos Deo dicassent. Porro eiusmodi votum Nazaræorum nuncupare & exoluere quoque mulieres consueuisse, idem Iosephus [i] affirmat, cum agit de Berenice, de qua nos suo loco inferius agemus.

[c] Act. 18.

* Cenchris

[d] Strab. lib. 8.

[e] Bed. in retrac. in Act. c. 18.

VOTVM NAZARAEORVM.

[f] Num. 6.

[g] Num. 6.

[h] Ioſeph. antiq. lib. 4. c. 4.

[i] Ioſeph. de bello Iud. lib. 2. c. 15.

IESV CHRISTI ANNVS 54.	PETRI ANNVS 10.	CLAVDII IMP. ANNVS 12.

I. Habuit sequens annus Coss. Faustum Sullam & Siluium [k] Othonem, quibus adnotatur annus Domini quinquagesimusquartus, quo (vt ex iam dictis apparet) Paulus Apostolus Ephesum primum venit, non quidem permansurus: quippe qui in Syriam proficiscendi, soluens Corintho, inijsset consilium: eaq. nauigatione per eam partem Ægei maris, quod Icarium dicitur, appulit (quæ se offerebat in via) Ephesum: vbi diebus aliquot manens, non est passus se diutius detineri; sed in Syriam soluens, Cæsaream Palæstinæ primum, ac inde Antiochiam accessit: postea vero Ecclesias Minoris Asiæ peragrauit: ac tandem his omnibus expeditis, non minori quidem quàm vnius anni spatio (vt ex his, quæ dicentur inferius, facile apparebit) Ephesum redijt. Sed audiamus Lucam, qui hæc omnia mira breuitate perstringens, ait [l]: Deuenit Ephesum, & illos (*Aquilam & Priscillam scilicet*) ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis vt ampliori tempore maneret, non consensit: sed valefaciens, & dicens; Iterum reuertar ad vos, Deo volente; profectus est ab Epheso. Et descendens, Cæsaream ascendit, & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam. Et facto ibi aliquanto tempore, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem, & Phrygiam, confirmans omnes discipulos.] et inferius: Factum [m] est autem, cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum.] hæc Lucas de Pauli itinere, licet de rebus tunc ab eo gestis omnino sileat. De Cæsarea & Antiochia ciuitatibus, ad quas Paulus Epheso recedens profectus est, iure existimauit Chrysostomus [n] de Antiochia Syriæ totius metropoli

[k] Tacit. Annal. lib. 12. PAVLI PEREGRINATIO.

[l] Act. 18.

[m] Act. 19.

[n] Chryſoſt. hom. 40. in Act.

metropoli esse intelligendum, sicq. non de alia Cæsarea, quàm ea quæ est in Syria Palæstina, esse accipiendum. Beda [a] autem in Acta, Cæsaream Cappadociæ profectum esse dicit Apostolum. sed cum [b] Lucas dicat Paulum in Syriam nauigasse; de quanam Cæsarea & Antiochia intellexerit, nulla videtur esse posse dubitatio.

[a] Bed. in Act. c. 18.

[b] Act. 18.

II. PAVLVS IN GALATIA.

Quod vero spectat ad Galatas, quibus & Petrus Euangelium prædicauit: ad hos veniens Paulus, magno ab illis exceptus est plausu, & honorificentissime habitus, proinde vt idem Paulus [c] ad eos postea scribens his verbis declarat: Scitis autem quia per infirmitatem carnis euangelizaui vobis iampridem, & tentationem vestram in carne mea non spreuistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum.] et paulo post: Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi.] hæc Paulus; qui & superius testatur se illis Euangelium prædicasse, cũ ait [d]: Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit.] Dum vero Paulus Syriam & Asiam peragraret: Iudæus quidam (subdit Lucas [e]) Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis. Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt Iesu, sciens tantum baptisma Ioannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumsperunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres scripserunt discipulis vt susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multum his qui crediderant, ostendens per Scripturas, esse Christum Iesum.] hæc Lucas de Apollo. Porro Apostolum Paulum annum integrum in hac peregrinatione insumpsisse, tam ex his quæ dicta sunt, quàm etiam his quæ sequenti anno dicturi sumus, facile apparebit.

[c] Galat. 4.

[d] Galat. 1.

[e] Act. 18.

III. DE PHILIPPI MARTYRIO.

Hoc eodem anno, Olympiade ducentesimaseptima, anno quarto (inquit Eusebius [f]) Philippus Apostolus Christi apud Hierapolim Asiæ ciuitatem, dum Euangelium populo nunciaret, cruci affixus, lapidibus opprimitur.] Hæc cum scribat Eusebius, diuersa ab his narrantur apud Hippolytum, Græce scriptum auctorem, de Septuaginta-duobus discipulis. Fertur enim ibi Philippus Apostolus passus sub Domitiano Imperatore. Tradit & Metaphrastes [g] ipsum martyrio vita functum esse anno ætatis suæ octogesimoseptimo. De mortis genere discrepat ab Eusebio Nicephorus [h], & alibi idem Metaphrastes [i]: sed nec horum alicui assentitur incertus auctor, qui scripsit Passiones Apostolorum; qui tamen in eo consentit Eusebio, dum affirmat post passionem Domini Philippum annis tantum viginti Euangelium prædicasse, & anno ætatis suæ octogesimoseptimo (quod non creditur) obijsse, sed de martyrio ne verbum quidem. Ceterum, quod spectat ad theologiam Phrygum: non Martem, nec serpentem (vt citati fabulantur auctores) colebant; sed quos Eusebius [k] alibi deos describit. In his igitur præstat pauca dicere, quàm multa commenticia coagmentare. Quod vero auctore Eusebio exploratum habetur, ipsum Hierapoli martyrium consummasse, omnes æque consentiunt: nam & Ioannes Chrysostomus [l] ad sepulchrum eius alludens ait: Philippus Hierapolim conseruat miraculis.] Sed quòd apud Isidorum [m] legitur, eumdem Philippum Gallis Euangelium prædicasse; Galatis esse restituendum, diximus in Notis ad Martyrologium Romanum. Quòd vero Philippo Apostolo nonnulla adscribantur quæ esse noscuntur Philippi diaconi, differemus inferius, cum de eodem diacono sermo erit.

[f] Euſebius in Chron.

[g] Metaph. die 5. Septemb.

[h] Niceph. lib. 2. c. 39.

[i] Metaph. die 15. Nouemb.

[k] Euſeb. de præp. Euang. lib. 2. cap. 4.

[l] Chryſoſt. hom. in 12. Apoſt.

[m] Apud Iſid. de vit. & obit. ſanctor. c. 75.

IV. MATHEMATICI PVLSI AB VRBE.

Quod ad res Romanas huius anni pertinet: auctor est Tacitus [n], hoc anno ijsdem Coss. factum esse Senatusconsultum de pellendis Italia mathematicis, occasione (vt apparet) Iunij Scriboniani, qui finẽ Principis per Chaldæos scrutatus esset: inuisum plane Principibus genus hominum: sed humana curiositas agebat, vt quos sæpius edicta Imperatorum exagitabant, ijdem reuocarentur in Vrbem.

[n] Tacit. Annal. lib. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 55.	PETRI ANNVS 11.	CLAVDII IMP. ANNVS 13.

I. Anno post hæc Domini quinquagesimoquinto, D. Iunio [o] & Q. Haterio Coss. Paulus Apostolus [p] peragratis superioribus partibus Asiæ, venit Ephesum; vbi (vt ipse

[o] Tacit. Annal. lib. 12.

[p] Act. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Act. 20. ADVENTVS PAVLI EPHESVM.

(vt ipse testatur [a]) docens Ephesios, tribus annis mansit: sic enim, dum ipsos postmodum Mileto accersiuit, est allocutus: Propter quod vigilate, memoria retinentes quoniam per triennium nocte ac die non cessaui cum lacrymis monens vnumquemque vestrum.] Sed antequam res Pauli Ephesi gestas enarrare aggrediamur; eiusdem triennij temporis spatium quando cœperit ac desierit, vt certa ratio habeatur, primũ omnium ex more esse disquirendum, necessarium existimamus: quod assequi facile possumus, si certum tempus, quo Epheso Hierosolymam venturus recesserit, intelligamus. Mansisse Paulum Ephesi etiam post obitum Claudij Imperatoris, & magnam partem primi anni Neronis, certis quidem rationibus tam ex ipsius Pauli quàm Lucæ scriptis acceptis, satis aperte demonstrari posse videtur. Lucas [b] in Actis, dum agit de rebus Pauli gestis Ephesi, quæ contigerunt anno tertio commorationis illius ibi, consilium inisse Paulum inde proficiscendi, ac Hierosolymam primum, deinde Romam eundi, testatur his verbis: His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam, dicens: Postquam ibi fuero (*erant hæc verba Pauli*) oportet me & Romam videre.]

b Act. 19.

II. RATIO TEMPORIS DISQVIRITVR.

At hæc de petendo Romam Paulus animo decreuisse non potuit viuente Claudio; nam nec licuit: eius enim edicto (vt vidimus) Iudæi omnes Vrbe sunt pulsi, nec vsque ad eius obitum data est licentia illuc remeandi: quo extincto, liberum fuit cuique Iudæorum Romam petere, ac ibi agere. Sic igitur anno tertio Pauli commorantis Ephesi, quando hæc animo decernebat, extinctum fuisse Claudium, & regnasse Neronem, consentaneum rationi est affirmare. Verum non discessit Paulus Epheso statim vt Nero factus est Imperator: nam ille sequenti die ab obitu Claudij, nimirum pridie Idus Octobris, Imperium adiuit; ipsum autem Paulum decreuisse vsque saltem ad diem sequentis Pentecostes Ephesi commorari, ipsiusmet testificatione habetur expressum; ait enim scribens Epheso ad Corinthios [c]: Permanebo Ephesi vsque ad Pentecosten.] Cum igitur ex his satis liqueat, egisse Paulum Ephesi vsque ad octauum saltem mensem primi anni Neronis Imperij, qui numeratur Domini quinquagesimusseptimus: vt illic triennio iam inchoato manserit; hoc ipso anno Ephesum eum venisse, necesse est affirmare. Licet enim ipse dicat Paulus, se triennio Ephesi esse commoratum: non sic intelligendum, vt tribus integris annis ibi permanserit; sed (quod ex Luca colligitur) duobus impletis annis, ac tribus insuper mensibus: nam & ipse totius illius temporis rationem subducens, ait trium mensium spatio docuisse in synagoga, biennio autẽ in schola Tyranni. Sic igitur qui hoc anno Domini quinquagesimoquinto Ephesum venit, quinquagesimoseptimo post Pentecosten inde recessit, anno primo Neronis Imp. Ceterum non vltra illud Neronis tempus, ipsum Ephesi egisse, quæ de eo dicturi sumus inferius, declarabunt. Hæc satis ad temporis rationem: iam Pauli res gestas Ephesi prosequamur.

c 1. Cor. 16.

III. RES GESTAE PAVLI EPHESI.

Cum venisset Paulus Ephesum (inquit Lucas [d]) & inuenisset quosdam discipulos, dixit ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus est, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. erant autem omnes viri fere duodecim.] Hos putat Ioannes Chrysostomus [e] fuisse aduenas Iudæos ex Asia, qui Hierosolymam ad diem festum olim cum accessissent, baptismate Ioannis fuerant baptizati, nec de rebus postea ibi gestis quicquam acceperant. Post hæc vero ingressus Paulus (inquit Lucas [f]) synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine; discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per bienniũ: ita vt omnes, qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles.] hæc Lucas. Fortasse hic ille Tyrannus sophista, quem scribit Suidas libros decem edidisse de statu & diuisione orationis.

d Act. 19.

e Chrysost. in Act. hom. 40.

f Act. 19.

IV.

Quod ad res gestas pertinet: ecce tibi Lucas biennij (quod mireris) res gestas Pauli duobus fere tantum verbis summatim perstrinxit: cum constet ipsum quamplurima ibi pas-

PAVLVS QVID EPHESI.

sum esse a Iudæis: quod non aliunde quàm ex ipsiusmet assertione exploratum habetur. Ephesios enim nouissime allocutus, hæc ait [a]: Vos scitis a prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Deo cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum.] Sed quænam hæ fuerint insidiæ, Lucas scribere prætermisit. Maxima sane illa fuisse certamina, ex eo possumus coniectari, quòd Paulus coram Ephesijs suas quas illic est passus ærumnas commemorans, nihil eorum meminit quæ passus est a Gentilibus per Demetrium argentarium: quæ licet grauia fuerint, tamen respectu eorum quæ est a Iudæis perpessus, vt leuia prætermisit. Si igitur nullam habuit rationem eorum quæ a Gentilibus sunt illata, vt nec eorum coram illis meminerit; quanta putanda sunt illa fuisse, quæ (vt ait) acciderunt ex insidijs Iudæorum? Rursus vero idem Paulus in ea quam ad Corinthios scripsit [b], priore epistola, de his quæ Ephesi passus est, vt re memorabili, sic meminit: Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?] magnas sane se illic ærumnas sustinuisse spe resurrectionis, dictis verbis insinuat.

a Act. 20.

b 1. Cor. 15.

V. PAVLVS EPHESI AN DAMNATVS AD BESTIAS.

Fuit quorumdam sententia [c], Paulum Ephesi damnatum ad bestias, sed Dei gratia ab earum dentibus liberatum: rem gestam ex quibusdam Pauli Actis, quæ & citat Origenes [d] in Periarcho, Nicephorus [e] his narrat verbis: Verum enimvero qui profectiones Pauli descripserunt, cum quamplurima alia eũ simul & feciſse & passum esse, tum hoc quoque, cum Ephesi esset, de eo memoriæ mandarunt. Cum ibi principem locum Hieronymus obtineret, multa cum libertate Paulus est concionatus: quare Hieronymus illum bene quidem & diserte dicere, sed orationem eius non esse eorum temporum testatus est. Plebs quidem certe per insolentiam & furorem, Paulo compedibus iniectis, carceri eum includit, vt leonibus vorandus obijceretur. Ibi tum Eubula & Artemilla, clarorum Ephesi virorum coniuges, fidem edoctæ a Paulo (noctu enim ad eum veniebant) diuini lauacri gratiam ab eo petunt. Itaque virtute diuina, atque angelici satellitij ministerio, caliginem noctis exuberantia splendoris illustrante, Paulus ferreis compedibus liberatus, illas diuino baptismo ad littus maris initiat: et cum id nemo omnium, quibus custodiæ cura mandata fuerat, sensisset, ad vincula rursum sua, in quibus leonibus esca asseruabatur, redit. Sed enim ingenti magnitudine & robore intolerando leo contra ipsum immissus, in arenam quidem ille procurrit, sed mox ad Pauli pedes consedit. Et cũ itidem aliæ immanes feræ immitterentur, ne tangere quidem vlla sacrum corpus ad orationem erectũ atque compositum sustinuit. His ita actis, derepente fragore multo vehemens quædam supra naturæ ordinem grando decidens, multorum simul & virorum & ferorum animalium comminuit capita, ipsiusq. Hieronymi aurem amputat: qui deinde cum suis per Paulum Deo conciliatus, salutiferum susscipit lauacrum: leo autem ille profugus in montes proximos euadit. et Paulus inde in Macedoniam & Græciam transmittit: mox rursum per Macedoniam vadens, Troadem & Miletũ contendit, atque ita tandem Hierosolymam proficiscitur. Mirandum vero non est, Lucam hanc Pauli cum belluis pugnam reliquis eius Actis non inseruisse. Nam etsi ex Euangelistis solus Ioannes Lazari resuscitationem commemorat, minus tamen de fide veritateq. eius ambigendum.]

c Ambros. in 1. epist. ad Corin. c. 15. & alij, vt Theodoret.

d Origen in Periarch. lib. 1. c. 2.

e Niceph. lib. 2. c. 25.

VI. PAVLVS QVOMODO PVGNAVIT CVM BESTIIS.

Hæc Nicephorus, licet non aliunde quàm ex scriptis apocryphis: quorum fides cum vacillet, diligentiori studio, an veritate subsistant, perueſtigandum est: cum præsertim Ioannes Chrysostomus [f], & alij eum secuti, Paulum non de bestijs, sed hominibus ferinos habentibus animos intellexisse existimarint: sic enim & Ignatius huic simili vsus dicendi genere, scribens ad Romanos, ait: A Syria Romam vsque, terra mariq. cum bestijs depugno, noctu diuq. alligatus decem leopardis, quæ est militaris custodia; qui & beneficio affecti, peiores fiunt.] Quin & ipse Paulus alias cum Romæ esset, scribens ad Timotheum [g] his verbis: Dominus mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: et liberatus sum de ore leonis] per leonem significare voluit Neronem, vt interpretes omnes summa consensione confirmant; nec est aliquis qui dicat Paulum Romæ ad leonem fuisse damnatum. Rursum vero considerandum est, quòd tradat idem Paulus, se Ephesi pugnasse cum bestijs, non autem se traditum bestijs: diuersa quippe ratio vtriusque pœnæ est habenda. damnari enim dicebantur ad ludum, qui in theatrum immittebantur armati cũ bestijs

f Chrysost. in epist. 1. ad Corinth. hom. 40.

g 2. Tim. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pugnaturi; bestijs vero absque pugna mox deuorandi alij tradebantur. sunt plura exemplа vtriusque supplicij, sed in his modo non immorandum. Cum itaque dicat Paulus se pugnasse cum bestijs; metaphora potius per bestias homines prauos significare voluisse, quàm gladio accinctum cum leone in theatro pugnasse, omnes arbitror perfacile intelligere. A

VII.

Ad hæc, cum constet dictum supplicium vilioribus tantum personis lege [a] solitum irrogari: Paulus, qui aliàs flagellis cædendus, se esse Romanum ciuem [b] excepit, quanto iustius & opportunius se ea exceptione liberare potuisset; cum præsertim (vt ipse scribit ad Romanos [c], & Corinthios [d], & Lucas in Actis [e] testatur) iam animo concepisset, Hierosolymam primum, ac denique Romam proficisci? Atque demũ si Paulus eiusmodi supplicio affectus esset: non putamus ab ipso omitti debuisse, cum scribens post duos annos ad Corinthios [f], suorum certaminum coronas texuit: qui enim cetera, ac multa his minora enumerat, eum non facile credimus, quod esse præclarius videbatur, silentio obuolutum reliquisse. Ex his videas, quanta cautela apocrypha sint admittenda, etiam si ex Scripturis diuinis aliquam sibi videantur fidem adsciscere. Vnde magis placet sententia Tertulliani [g], qui ait Apostolum per ea verba significare voluisse Asiaticas pressuras; & Chrysostomi [h], qui eadem sentire videtur. At vero nec assentimur Theophylacto [i], qui existimauit Paulum illis verbis significare voluisse illas pressuras, quas vltimo anno commorationis suæ Ephesi passus est instigatione Demetrij argentarij [k]: nam eo tempore quo scripsit primam epistolam ad Corinthios, qua de pugna cum bestijs meminit, nondum ea de Demetrio contigerant: quod ea ratione facile demonstrari posse videtur, quòd Lucas, antequam illa recenseat, hæc de eo dicat: His expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia, & Achaia, ire Hierosolymam.] nec aliter Paulus in dicta prima epistola ad Corinthios [l]: Veniam autem, inquit, ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniam pertransibo.] et paulo post: Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten.] Sic itaque ex his liquet, ea quæ postea subdit Lucas de turbis per Demetrium excitatis, post dictam epistolam scriptam ad Corinthios contigisse vltimo anno commorationis Pauli Ephesi. Ex quibus omnibus inferimus (vt diximus) multa eademq. insignia de his quæ Ephesi passus est Paulus, a Luca esse prætermissa. Hæc satis de his quæ Paulus duobus primis annis passus est Ephesi: cetera autem inferius suo loco dicenda erunt.

[a] l. 3. ff. ad l. Corn. de sicar.
[b] Act. 16. & 22.
[c] Rom. 15.
[d] 1. Cor. 16.
[e] Act. 19.
[f] 2. Cor. 11.
[g] Tertul. de resur. car. c. 48.
[h] Chrysost. hom. 40. in Act. Apost.
[i] Theophyl. in 2. ad Cor. 15.
[k] Act. 19.
[l] 1. Cor. 16.

VIII. DE PAVLI SVDARIIS.

Quod vero ad miracula, quæ ibi operatus est, spectat: Lucas [m] res magnas paucis perstringens, hæc ait: Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.] hæc Lucas. Meritoq. non communes ac passim fieri solitas has appellat virtutes, quæ per sudaria & semicinctia, cũ Pauli corpus tetigissent, Ephesi edebantur. Mirari visus est & ipse Dominus, quando vestis suæ fimbriæ tactu sensit ex se virtutem exisse, ac rogans dixit [n]: Quis me tetigit?] Quin & maiores hæ virtutes videri poterant, quæ non vestium tunc corpori Apostoli inhærentium, sed earum quæ aliquando Pauli corpori adhæsissent, tactu æditæ sunt. Vt merito de suis olim ipse Dominus dixerit [o]: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.] Appareat & in his, sicut olim, sanctificationis vnguentum, quod (vt est in Psalmo [p]) in capite positum descendit in barbam, & defluit vsque ad oram vestimenti eius: eodem modo cum Spiritus sanctus suis charismatibus perfundit animam, non tantum illam ea virtute sanctificari, sed redundantia & excrescentia superfluentis mensuræ ac exuberantis gratiæ, quæcumque illi inhærent, diuina virtute perfundi; & ea quidem, quæ terrenis pariter atque cælestibus imperans, dæmones cruciet & ad fugam compellat, & supra naturæ vires morbo languentes restituat sanitati; vt de sudarijs & semicinctijs Pauli testatur Lucas, quæ a corpore eius delata languores curabant, & prauos dæmones abigebant. B D E

[m] Act. 19.
[n] Luc. 8. Matth. 9. Marc. 5.
[o] Ioan. 14.
[p] Psal. 132.

IX. SACRARVM RELIQVIARVM VSVS.

Videas in his igitur, tam Domini quàm Pauli Apostoli exemplo & auctoritate, cultum sacrarum reliquiarum in Ecclesia institutum, stabilitum, eũdemq. ab Euangelistis scriptis testatum, atque miraculis comprobatum: vt non sit qui iure calumniã facere possit, si exemplo hæmorrhoissæ, & aliorum, qui (quod ait Marcus [q]) tangentes eamdem Domini fimbriam sanabantur, atque Ephesiorum credentium, Christi, Pauli, ac ceterorum sanctorum quisque Fideliũ reliquias petat, vt ex illis hauriat illam gratiam, quam

[q] Marc. 6.

quam illi olim sunt fide præuia consecuti. Dicant Hagiomachi (si qua tamen in eis vmbra saltem Euangelicæ veritatis reliqua sit) si eadem ipsa Christi vestimenti fimbria extaret hodie, siq. illa ipsa Pauli sudaria & semicinctia haberentur, atque ob ipsorum oculos ponerentur: quid, quæso, facturi essent? auersarentur ne? Si eo temeritatis & procaciæ peruenissent vt execrarentur, certe non aliorum quàm malorum dæmonum se participes esse significarent, eorumdemq. se consortes esse profiterentur, qui eadem sudaria Pauli ac semicinctia exhorrescentes potius quàm illa pati sustinentes, ab obsessis diu corporibus fugiebãt. Penes quos igitur Catholica veritas, an apud eos qui ex Euangelistarum præscripto, Domini & Pauli auctoritate, hæmorrhoissæ & aliorum ac denique maxime piorum Ephesiorum exemplo, sanctorum reliquias, vt aliquam inde salutem hauriant, quo decet cultu & honore prosequuntur; an apud eos, qui eas, vt dæmones, detestantur? O quàm profundo barathro, obscurissima offusi caligine, detinentur, qui hæc tam patentia, ac toto cælo perspicua non intelligunt. An fortasse quæ sunt diuinitus concessa orarijs & semicinctijs, eadem negauerimus Pauli ossibus attributa? vel hæc omnia Paulo priuatim, & non ceteris sanctis omnibus communicata dixerimus? Appello omnium quotquot fuerunt vmquam ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ Patrum sententiam, si quid ab his contrarium vmquam senserint. A B C

X. IMPVGNATORES SACRARVM RELIQVIARVM QVI.

Ex his vero qui extra classem Catholicorum per diuersarum hæresum abrupta præcipitia se dederunt, primus omnium impugnator diuinitatis Spiritus sancti Eunomius, non alio certe quàm satanico spiritu afflatus, diuini Spiritus hostis, cultum sacrarum reliquiarum ausus est impugnare: quem perditissimus Vigilantius, & inde Claudius Taurinensis, ac demum ceteri hæreticorum satellites sunt consectati. Vnde Gennadius [a]: Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, perinde ac si Christi membra sinceriſsime honoranda, & basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit; non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur.] At (quod maius est) extant ipsæ fimbriæ Christi, & Pauli sudaria & semicinctia, non quidem in thecis aureis asseruata, sed in diuinæ Scripturæ thesauro fidelius custodita, & æternitati diuinitus consecrata, quorum tantum aspectu ipsa perfidia & impietas refellatur.

[a] Gennad. de Eccles. dogm. c. 72.

XI. MIRACVLA EX RELIQVIIS.

Sed his missis, nos interim (quod nostrarum est partium) ipsarum Ecclesiasticarum traditionum fontes aperientes, & vnde illæ primum fluxerint demonstrantes, qui inde purissimi dimanauerint latices, qua possumus breuitate narremus. Cum igitur (vt ait Lucas [b]) deferrentur a corpore Pauli eius sudaria & semicinctia, recedebant languores, & spiritus nequam egrediebantur.] Non ferentes tangebant solum (inquit Chrysostomus [c]) sed & accipientes apponebant. Idcirco Christus non permittit illum abire in Asiam, obseruans (vt quidem opinor) tempus hoc] nimirum vt Catholicum dogma de cultu sacrarum reliquiarum tanto exemplo & auctoritate stabiliretur. Quòd vero idem Chrysostomus [d] alibi iterum rem exaggerans, dicat vestibus & vmbra Pauli mortuos surrexisse; id quidem in his quæ ad vmbram spectant, more rhetorum amplificando potius, quàm vt ex authentica probari posset historia, locutum esse opinamur: nam id Petro tantum fuisse concessum speciali quadam prærogatiua, superius dictum est. Ceterũ quod ad vestes pertinet, ac mortuos excitatos: quis dubitat ea contingere facile potuisse? Quid enim tam mirum videri debet, si admotis sudarijs Pauli, mortui ad vitam resurrexissent, cum scribat Gregorius, caligula S. Honorati defunctum puerum esse reuocatum ad vitam? Sed & alia his similia exempla complura suppetunt. D E F

[b] Act. 19.
[c] Chrysost. hom. 41. in Act.
[d] Chrysost. hom. 6. in epist. 1. ad Corinth. & hom. 8. in epist. ad Roman.
[e] Vide notata nobis in Rom. Martyr. die 15. Iunij.

XII. DE VELIS ADMOTIS RELIQVIIS SANCTORVM.

Ex eiusmodi igitur exemplis inhæsit Fidelibus pia ac religiosa traditio, vt cum minus liceret ipsa sanctorum sepulchris condita corpora tangere, sudaria vel aliquod aliud velum eisdem desuper admouerent, quod dicebatur sanctuarium [e], siue brandeum. Quantam autem inde virtutem haurirent eiusmodi vela admota sanctorum tumulis, loculis testis est Gregorius Papa [f] scribens ad Constantiam Augustam, & alij. Porro non solum velamina atque panniculos, sed & vestimenta languentium ac defunctorum, sacris altaribus, vbi essent reliquiæ martyris, superpositа, ad restituendos incolumitati ægrotantes, & ad vitam defunctos, accepisse virtutem, fidelissimus testis est S. Augustinus, qui ad arguendam Gentilium impietatem, complurium miraculorum suo

[f] Gregor. lib. 3. epist. 30. Ioan. Diac. in Vit. Gregor. lib. 2. c. 42. Greg. Turon. de glor. martyr. c. 28.

tempore

Universidad de Deusto
Biblioteca

tempore in Africa editorum catalogum texuit: eamdemq. gratiam floribus, qui ijsdem sacrarum reliquiarum loculis admoueri consueuerunt, impartiri solitam, pluribus idem monstrat [a] exemplis.

[a] *Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.*

XIII. PVLVIS EX SEPVLCHRIS SANCTORVM COLLECTVS MAGNAE VIRTVTIS.

Sed quid hæc memorem, cum non tantum sudaria & semicinctia, velamina, vestes, flores, & frondes, & si quæ alia sacris admota reliquijs tantam operandi miracula vim consequi consueuerint, sed ipse puluis & situs, quo (vt accidit) sanctorum sepulchra aliquando obducerentur, vel etiam circumaspergerentur, eadem virtute pollerent? Fidem horum integram faciunt Patres fere omnes, & in primis Gregorius Nyssenus [b], qui de ciusmodi consuetudine puluis colligendi hæc ait: Si quis puluerem, quo conditorium, vbi martyris corpus quiescit, oblitum est, auferre permittat: pro munere puluis accipitur, atque tamquam res magni pretij condenda terra colligitur.] Ceterum quot quantaue miracula ex collecto puluere circa sanctorū sepulchra iacente Deus operari consueuerit, verax testis est Gregorius Papa [c], qui fideli certaq. attestatione refert, ex puluere collecto ex altaris crepidine mortuum esse reuocatum ad vitā. Multa etiam id genus, & de his quæ ipse expertus est, scribit Gregorius Turonensis [d].

[b] *Greg. Nyssen. orat. in laud. magni Theodori.*

[c] *Greg. dialog. lib. 3. c. 17.*

XIV. DE OLEO LAMPADVM INCENSARVM IN SEPVLCHRIS SANCTORVM.

Insuper quæ a sanctorum loculis sunt penitus separata, sed tamen in ipsorum impenduntur honorem, eamdem edendi miracula facultatem sunt diuinitus assecuta; vt oleum, quo ex more in Ecclesia antiquitus obseruato, lampades circa sepulchra martyrum solent incendi: eo enim vnctum cadauer filij Irenæi esse reuocatum ad vitam, S. Augustinus [e] est auctor. Theodoretus [f] itidem ingentia plane miracula de eodem oleo ex lychnis ad martyrum sepulturas suspensis collecto, scriptis tradidit. Venantius Fortunatus [g] admirabilem sane gratiam ex oleo lampadis consecutus, id carmine cecinit: cui etiam rei adstipulatur Paulus Diaconus [h]. Sed in his non immorandum: satis enim superq. erit de his tanto viro dignam Gregorij Nazianzeni [i] sententiam protulisse, qua hæc dicit de sanctis martyribus: Quorum corpora idem possunt quod animæ, siue manibus contrectentur, siue honorentur: quorum vel solum sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora.] et alibi [k]: Est adeo, inquit, frequens horum luctæ certaminumq. veneratio, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum ossium, totius ad honorem sufficiant: et nonnullorum saltem appellationem reliquiarum omnino expertem, scio locis certis inditam esse pro toto martyre, quæ, tamen eamdem vim obtinuerit. O rem prodigiosam! salutem affert sola recordatio.] hæc Gregorius.

[d] *Greg. Turon. de miraculis S. Martin. lib. 2. c. 1. lib. 3. c. 12. lib. 4. c. 32. 33. & seq. De glor. martyr. lib. 1. c. 62. lib. 2. c. 24. 32. 45.*

[e] *Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.*

[f] *Theodoret. in hist. SS. Patrum c. 21. in Iacobo.*

[g] *Venant. Fort. in Vit. S. Mart. lib. 4.*

XV. CVR SINT RELIQVIAE SANCTORVM DIVISAE.

Cum igitur eamdem virtutem in exigua parte reliquiarum martyris, quæ in toto sit corpore, inesse, experimento ipse testetur: inde euenit, vt corpus vnius martyris in plures interdum partes diuidi soleret, recondiq. in diuersis altaribus, quæ sepulchra sunt martyrum, vt auctoritate diuinæ Scripturæ [l] constat: indeq. fortasse accidit, vt cum vnius eiusdemq. martyris diuersis in locis reliquiæ conditæ haberentur, & æque ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ, vnius eiusdemq. martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur. Tolerabilis error, cui non hominum impostura, sed exuberans diuina largitas præbuit occasionem: dum quòd ob virtutis præstantiam diuersis in locis sit vnius eiusdemq. martyris erecta memoria, vel excitatum sepulchrum (quod esse consueuit sacrum altare) quisque apud se corpus illius haberi est opinatus. At si licet sacra profanis conferre, Dionysius Halicarnassæus [m] de pluribus Æneæ sepulchris hanc affert rationem, sic dicens: Quòd si quem perplexum facit, quòd Æneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec possit nisi vno esse conditus: cogitet hanc dubitationem esse vulgarem; & intelligat, quòd quamuis vnicus locus capiat corpora talium, apud multos tamen monumenta eis facta sunt, in gratiam acceptam vtilitatis cuiuspiam.] hæc ille: quæ quidem de sanctis martyribus multo magis potuerunt accidisse; cum præsertim non satis esset ob accepta a sanctis martyribus beneficia memoriam illis erigere, nisi etiam ipsorum [n] reliquijs consecraretur altare, quod esse sepulchrū martyrum consueuit. qua ratione Basilius [o] ait, Quadraginta illos martyres dici esse conditos in varijs ciuitatibus, quia quælibet ipsarum partem aliquam reliquiarum possideret. Sed hæc obiter de earum virtute.

[l] *Paul. Diacon. de gest. Longob. lib. 2. c. 9.*

[m] *Dionys. Halic. lib. 1.*

[n] *Concil. African. c. 50.*

[o] *Basil. orat. in 40. martyr.*

XVI.

Quod vero ex ratione instituti nobis propositum est: reliquum esse videtur, vt traditionem de sacrarum reliquiarum cultu ex Christi fimbria in Ecclesia demonstratam,

stratam, de Pauli sudarijs & semicinctijs confirmatam, ac de reliquijs martyrum amplissime propagatam, per singula tempora breuiter demonstremus. Quàm autem diligenti studio a nonnullis pars aliqua instrumentorum passionis Dominicæ ac sepulturæ eius fuerit asseruata, diximus superius suo loco, dicturi & inferius, quando postulabit occasio. Quanta insuper diligentia vincula ipsa, quibus tum Hierosolymis tum Romæ vinctus est Petrus, recondita fuerint, & in honore habita, consule nostras Notas in Romanum Martyrologium [a]. Si igitur ipsa dirarum instrumenta pœnarum, quòd, licet nonnisi ad cruciatus inferendos, martyrem tetigerint, tantum virtutis & gratiæ ex eius membris hauserunt, vt ex eis innumera fere miracula edita referantur; quod & de vno ex lapidibus, quo Stephani protomartyris brachium percussum est, Augustinus testatur [b]: quid dicendum de ipsiusmet martyris reliquijs sacratissimis, quas sub sacro altari, in quo incruentum immolaretur sacrificium, condi consueuisse, & Ioannes annuit in Apocalypsi [c], & totius Catholicæ Ecclesiæ antiquus vsus demonstrat? Inde flagrans semper desiderium incesit mentes Fidelium, potiundi sanctorum virorum reliquijs.

[a] *Martyr. Rom. die 1. Aug.*

[b] *Aug. serm. 31. 32. de diuers. edit. Louan. pag. 488. 489.*

[c] *Apoc. 6.*

XVII.

Sed aliquot id demonstremus exemplis, & quidem Apostolorum, eorumdemq. successorum temporibus. Ipso enim tempore quo Petrus & Paulus Romæ sunt passi, testatur [d] Gregorius Orientales Christianos Romam venisse, vt ipsorum, tamquam suorum gentilium, reliquias vindicarent; sed diuino miraculo impeditos, eas secum portare nequiuisse. Rursus etiam cum martyrium in theatro Romæ Ignatius consummasset, mox eo quo licuit solemni ritu Fidelium humeris Antiochiam vsque venerandum corpus eius delatum est: quod non tantum antiqua Martyrologia, & Græcorum Menologia, sed Ioannes Chrysostomus [e] & ipse Antiochenus, cui hæc certiora esse poterant, testatur multis, ac præsertim his verbis: Roma stillantem eius sanguinem excepit; vos reliquias eius suscepistis. vos episcopatu eius gauisi estis; illi martyrio sunt lætati. certantem illi, vincentem, ac coronatum conspexerunt; vos perpetuo illum posidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed maiori cum gratia restituit.] et paulo inferius: Sanctum illum omnes ex ordine ciuitates ab Vrbe relatum suscipientes, humerisq. gestantes, Antiochiam vsque sunt comitatæ, martyrem coronatum concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes.] Idem multa post hæc de miraculis a sepulchro eius scaturire consuetis enarrat. De reliquijs Polycarpi huic æqualis hæc Smyrnensis [f] Ecclesia: Sic nos postea ossa eius potiora lapillis pretiosis, auroq. puriora, ex cineribus selecta, eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusque. Vbi sane nobis aliquando in vnū coactis, Dominus præstabit, vt celebrem eius martyrij diem, instar natalis festi, cum exultatione & gaudio quantum fieri potest maximo recolamus.]

[d] *Greg. lib. 3. epist. 30. DE TRANSLATIONE CORPORVM SANCTORVM.*

[e] *Chrysost. hom. in laud. Ignatij tom. 5. col. 1529. edit. Parisien.*

[f] *Apud Euseb. hist. lib. 4. c. 14.*

XVIII. CVLTVS PROPENSIOR SACRARVM RELIQVIARVM.

Sed sicut Christianorum fuit, martyrum reliquias colligere & venerari; ita Gentilium, illas disijcere & profanare: prout Ecclesiæ Lugdunensis [g] epistola de martyribus apud se passis sub Marco Aurelio Antonino & L. Vero affirmat his verbis: Postea ab impijs illis & facinorosis carnificibus illorum corpora exusta, inq. cineres redacta, in Rhodanum fluuium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quo nullæ quidem illorum reliquiæ amplius super terram restarent.] Consueuerant Christiani, eiusdem cultus causa, sanctorum martyrum extinctorum, qui in cœmiterijs sepeliebantur, loca frequenter adire: ad quæ accedere si legibus persecutorum Imperatorum essent aliquando vetiti; cessante persecutione, ea adeundi cum esset facta potestas, frequentiori cœtu eadem (vt est apud Eusebium [h]) frequentare. Sed non est quòd in singulis de ea re exemplis enarrandis immoremur: cum non reperiantur Acta martyrum, in quibus hæc eadem semper non inueniantur nouis exemplis esse testata. Quòd si, quid post persecutiones Gentilium Imperatorum sit factum, requiras: nullū plane inuenies scriptorum Orthodoxorum (ne singulos enumerando molesti simus) qui cultus sacrarum reliquiarum non sit fidelis ac constans assertor. Quinetiam si Ethnicos Christianorum hostes consulas: quantumlibet hæc illi subsannarent, apud illos plus satis inuenies expressum quis de ea re mos Christianorum fuerit, & quæ consuetudo in Ecclesia inoleuerit. Ecce tibi Eunapius [i] Sardianus Alexandriæ asseruari ait condita capita martyrum, quos Christiani vt sanctos colerent, ijsdemq. genua submitterent, seq. illorum sepulchris prosternerent, legatosq. precum apud Deum eosdem habere dicerent. Hæc ille; licet ob

[g] *Apud Euseb. hist. lib. 5. c. 1.*

[h] *Eusebius lib. 7. capite 2.*

[i] *Eunap. in Vit. Philosoph.*

licet ob demolitum Serapidis templum, in Christianos insensissimus, dictos martyres multis exagitet contumelijs.

XIX. RELIQVIAE SANCTORVM A MAIORIBVS PROBARI SOLITAE.

Ceterum magnam esse a maioribus adhibitam diligentiam, ne quorumlibet, qui fidei causa interfecti viderentur, reliquiae vt martyrum colerentur, sed illorum tantum, quos probasset Ecclesia; egregie expressum habes ab Optato Mileuitano, dum agit de Lucilla famosissima femina Donatistarum patrona, quam a Cæciliano Archidiacono reprehensam dicit, quòd ante Eucharistiæ sumptionem os nescio cuius hominis mortui, si martyris, nondum tamen vindicati, ori admoueret: hoc est, cultum illum non opportuno tempore exhiberet reliquijs hominis cuiusdam extincti, sed nondum ab Ecclesia inter martyres recepti. Qualiter autem in primis auctoritate Primatis Episcopi, subtilissimaq. inquisitione adhibita, quibus cultus martyrum exhibendus esset, diligentissime tractaretur, etiam persecutionis instante procella, habes apud Augustinum [a] de Actis martyrum delatis ad Mensurium Episcopum Carthaginensem temporibus Diocletiani. Insuper sicut a Cæciliano improbatus est cultus martyris nondum recepti, ita & ab Augustino [b] notati sunt circulatores quidam monachi, qui quæstus causa distraherent reliquias quasdam, quas dicerent esse martyrum. Porro quàm accurate atque perspecte prouiderint Episcopi Africani, temporibus Augustini, vt nonnisi certis sanctorum reliquijs memoriæ martyrum consecrarentur, neve inanibus superstitionibus & reuelationibus plebs ignara deciperetur, docet canon [c] Concilij Carthaginensis.

[a] *Aug. in breu. collat. die 2. c. 13.*
[b] *Aug. de oper. monach. c. 28.*
[c] *Concilij Carthagin. quinti c. 14.*

XX. ACCVRATA DISQVISITIO SACRARVM RELIQVIARVM.

Quanta etiam cura ac diligens studiū fuerit Romanorū Pontificum, ne quid de his, quod inexploratum esset, admitteretur; exemplum habes de Gregorio Papa [d] in hunc modum rescribente ad Augustinum: Fecimus quod petisti, quatenus populus, qui in loco quondam sancti Sixti martyris, corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerte non debeat. Mihi tamen videtur, quia si corpus, quod a populo cuiusdam martyris esse creditur, nullis illic miraculis coruscat, & neque aliqui de antiquioribus existunt, qui se a parentibus passionem eius audisse fateantur; ita reliquiæ, quas petisti, seorsum condendæ sunt, vt locus, in quo præfatum corpus iacet, modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, & incertum venerari.] hæc Gregorius. At vero quid longe post Gregorium statuerit de eadem re Innocentius Papa Tertius, habes expressum in Concilio Lateranensi [e]. Quòd si aliquando in eumdem cultum aliquis irrepsisset error, non ex traditione maiorum, sed priuato aliquorum instinctu; Deus non permisit illum diu latere, sed alicui sancto viro rem aperire non præter- misit, vt veritate prodita, falsitas appareret; quod & de S. Martino [f] Seuerus scribit. Quamobrem sancta Ecclesia eam cautelam adhibendam esse existimauit, vt nulla ecclesia dedicaretur, nisi vbi nullum corpus humatum fuisse constaret, vt apparet in epistolis de consecratione ecclesiarum a S. Gregorio [g] ad diuersos scriptis. At hæc in præsentiarum de traditionibus sacrarum reliquiarum dixisse, satis esse existimamus, dicturi de ijsdem frequentius suis locis in posterum: nam de his crebrius agere, Annales Ecclesiastici passim suppeditantes argumentum, nos admonent. Sed iam quæ ad rerum gestarum historiam pertinent, prosequamur.

[d] *Greg. lib. 12. cap. 9.*
[e] *Concil. Lateran. c. 2.*
[f] *Seuer. in Vit. S. Mart. c. 2.*
[g] *Greg. lib. 2. epist. 9. & alij.*

IESV CHRISTI ANNVS 56. — PETRI ANNVS 12. — CLAVDII IMP. ANNVS 14.

I. DE FILIIS SCEVAE CVRANTIBVS IN NOMINE IESV ENERGVMENOS.

ADueniente anno Domini quinquagesimosexto, quo M. Asinius Marcellus & M. Acilius Auiola Coss. creati sunt, Paulus iam annum secundum agebat Ephesi: cum non tantum eius prædicatione, sed noua occasione filiorum Sceuæ Principis sacerdotum, in nomine Iesu eijcientium dæmonia, magna facta est ad Christianam religionem accessio. Rem gestam his verbis Lucas Euangelista describit [h]: Tentauerunt quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Iesu, dicentes: Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Iudæi Sceuæ Principis sacerdotum septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Iesum noui, & Paulum scio: vos autem qui

[h] *Act. 19.*

qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factū est omnibus Iudæis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: et cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Iesu.] hæc Lucas. Cum vero Iudæorum non ignobiles viri, sed filij Principis sacerdotum exorcistas agerent; arcanum fuisse a maioribus traditum ministerium dæmones expellendi, nec commune omnibus, facile potest intelligi.

II. DE EXORCISTIS IVDAEIS.

Qui primus omnium hæc docuit Hebræos, Salomonem fuisse, Iosephus [a] affirmat, qui & hac de re mira quædam scriptis mandauit, sic dicens: Præstitit autem Deus etiam Salomoni, vt contra dæmones artem ad vtilitatem hominum & eorum curas ediscere. Incantationes enim instituit, quibus adstricti dæmones, ne denuo redeant, effugantur. Et hæc cura hactenus apud nos multum præualere dignoscitur. Vidi etenim quemdā Eleazarū de gente nostra, præsente Vespasiano, & eius filijs, & Tribunis, alioq. simul exercitu, curantem eos qui a dæmonibus vexabantur, dæmoniaci naribus admoto annulo habente sub signaculo radicē a Salomone monstratā: deinde per nares odorantis dæmoniū abstraxit, & repente cecidit homo. Postea id adiurauit ne amplius rediret, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab illo inuentas recitans. Volens autem satisfacere ac probare præsentibus Eleazarus hanc se habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem aut peluim aqua plenum, & dæmonio imperabat, vt ab homine egressum ea auerteret, & videntibus præberet indicium quòd hominem reliquisset. Quo facto, sapientia Salomonis cunctis innotuit.] hæc Iosephus, qui & alibi [b] de radice quadam admirabilem virtutem habente pellendi dæmones pluribus agit. Non tantum vero his vtebantur Iudæi artibus ad obsessa a dæmonibus corpora liberanda: sed erat apud illos in confesso, per virtutem nominis tetragrammaton, si cui illud scire ac fari licuisset, quemlibet eam facultatem aduersus dæmones assequi posse, vt testatur Epiphanius [c] agens aduersus Ebionæos, cum de Iosepho Iudæo homine narrat historiam: qui nec adhuc credens (vt feciſſe vidimus filios Sceuæ) in nomine Iesu a dæmone obsessum hominem liberauit. Quod signum (inquit Epiphanius) vt notum factum est Iudæis qui illic erant, multus rumor sequebatur ex his qui dicebant: Iosephus gazophylacijs apertis, & inuento nomine Dei scripto, eoq. lecto, magna signa facit. Erat quidem verum quod ab ipsis dicebatur, sed non sic velut ipsi suspicabantur.] hæc Epiphanius.

[a] *Ioseph. antiq. lib. 8. c. 2.*
[b] *Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 25.*
[c] *Epiphanius hæres. 30.*

III. NOMINIS IESV VIRTVS.

Hoc itaque de ineffabilis Dei nominis virtute esse traditum, non ignorantes Sceuæ filij, videntesq. tum a Paulo, tum a ceteris Christianis in nomine Iesu hæc eadem & alia miracula factitari; & ipsi ad dæmones expellendos eodem vtendum sibi nomine, vt diuinitus reuelato, existimarunt. Iustinus [d] martyr in ea disputatione disertissima, quam habuit cum Tryphone, hæc habet in eamdem sententiam: Per nomen siquidem istius ipsius Filij Dei, & primogeniti creaturæ omnis, & ex virtute geniti, perpessionibusq. obnoxij hominis facti, & sub Pontio Pilato a populo vestro crucifixi & mortui, qui & a mortuis resurrexit, & in cælum ascendit, dæmonium omne adiuratum vincitur, & in ditionem redigitur. Sin vos per nomen quoduis, qui vobis fuere, Regum, aut iustorum, aut Prophetarum, aut Patriarcharum adiuretis, non subijcitur vobis dæmonium aliquod. Ceterum si quis vestrum adiuret per Deum Abrahæ, & Deum Isaac, & Deum Iacob (nam is Christus est) fortasse subijciatur. Exorcistæ certe quidem seu adiutores vestri iam arte quadam, dixi, veluti Gentes in adiuratione vtuntur, & thymiamata & vincula adhibent.] hæc Iustinus.

[d] *Iustin. dialog. de verit. Christ. relig.*

IV. DE ADIVRATIONE DAEMONVM

Quòd vero Sceuæ filij (vt habent Acta) per Iesu nomen adiurantes dæmones, non illis absque adiuratione præciperent: existimauit Origenes [e], non ex Christi Euangelio, sed potius ex ritu Iudaico adiurationes eiusmodi proueniſſe, quibus Christiani etiam vterentur: sic enim ait: Quæret aliquis, si conuenit vel dæmones adiurari. Et qui respicit ad multos qui talia facere ausi sunt, dicet, non sine ratione fieri hoc. Qui autem aspicit Iesum non modo imperantem dæmonibus, sed etiam potestatem dantem discipulis suis super omnia dæmonia, & vt infirmitates sanarent: dicet, quoniam non est secundum potestatem datam a Saluatore adiurare dæmonia: Iudaicum est enim. Hoc etsi aliquando a nostris tale quid fiat, simile fit ei, quod a Salomone scriptis adiurationibus solent dæmones adiurari. Sed ipsi, qui vtuntur adiurationibus illis, aliquoties nec idoneis con-

[e] *Orig. in Mat. tract. 35.*

neis constitutis libris vtuntur, quibusdam autem & de Hebræo acceptis adiurant dæmonia.] Hæc cum deducat Origenes ex eo quod ait: Sicut Christiano homini ex Euangelij præscripto non licet omnino iurare, sic nec etiam quempiam adiurare] sicut falsa est illa propositio, ita etiam quæ inde est deducta conclusio. A

V. EXORCISMORVM PROBATVS VSVS.

Verum cum inter credentium signa illud adnumeretur [a], vt in nomine Iesu Fideles dæmonia eijciant: consueuisse Christianos, sic adiurando, dæmones pellere; non solum quem nuper recitauimus, Iustinus martyr, sed & ceteri antiquorum Patrum affirmant. Immo non adiurationibus tantum, sed aliquibus maiorum traditione probatis ritibus id legitime fieri posse, Domini nostri in primis admonemur exemplo: quippe qui cum solo nutu (ne dicam verbo) ab obsessis corporibus propria virtute dæmones pellere potuisset; nihilominus aliquando signa quædam, quæ exorcismi vim viderentur habere, adhibenda putauit: vt cum sanaturus esset habentem dæmonium surdum & mutum, apprehendens eum de turba seorsum (inquit Marcus [b]) misit digitos suos in auriculam eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire.] qui etiam & ad exorcismum spectare ieiunium & orationem monstrauit [c], & sine illis id minime licuisse Apostolis, quamuis antea cum missi fuissent ad prædicandum [d], accepissent a Domino virtutem & potestatem super immundos spiritus. B

a Marc. 16.
b Marc. 7.
c Marc. 9.
d Marc. 6.

VI. e Marc. 16. f Tertull. de coron. mil. cap. 11. ORDO EXORCISTARVM. g Tertull. de idolatr. c. 11. in fine. h Ignat. ad Antiochen. epist. 12. i Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 35. k Concil. Rom. sub Siluest. c. 2. & 7. l Concil. Laodic. c. 24. m Concil. Carthag. 4. c. 7. n Hier. in epist. ad Tit. c. 3. o Conc. Laodic. cap. 26. p Concil. Carthag. c. 7.

At licet non discipulos tantum, sed & credentes omnes pellendi dæmones a Domino gratiam consecutos esse, Euangelica veritas [e] attestetur, & exemplo sæpius monstratum sit, laicos homines dæmones eiecisse, quod & de militibus testatur Tertullianus [f], qui & parentes exorcizare filios solitos dicit [g]: tamen fuisse peculiare munus ordinis ad hoc opus in Ecclesia instituti, sanctorum Patrum attestatione exploratissimum est, & in primis Ignatij [h] Apostolorum discipuli, qui inter ceteros Ecclesiasticos ordines & officia recenset exorcistas. Cornelius Papa scribens ad Fabium Antiochenum [i], in Romana Ecclesia institutos dicit exorcistas & lectores vna cum ostiarijs quinquaginta duos: Concilia præterea Romanum [k], Laodicenum [l], & Carthaginense [m] inter ordines Ecclesiasticos adnumerant exorcistas, sicut & Hieronymus [n]. Insuper in prædicto Concilio Laodiceno [o] statutum est, ne, qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in ecclesijs quàm in domibus exorcizare præsumant. Immo ne quid superstitionis in exorcismos irreperet, consultum est, vt ordinandus exorcista de manu Episcopi libellum acciperet, in quo scripti essent exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, siue baptizatum, siue catechumenum] vt habetur in Concilio Carthaginensi [p], & antiquis Ecclesiæ Ritualibus libris. Inuehitur Tertullianus [q] in feminas quæ exorcizare præsumerent, sic dicens: Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, exorcismos agere, &c.] C D

VII. QVID MAIORES DE EXORCISMIS g Tertullian. de præscript. c. 41. r Iustin. de Veri. Christ. religionis. s Tertullian. ad Scapul. c. 2. t Tertullian. in Apologet. c. 23.

Quod vero ad antiquũ exorcismorum vsum spectat: Iustinus martyr [r] non tantum loco superius citato, sed & ante, hæc ait: Eius nominis (*Iesu videlicet*) potentiam dæmones tremunt & reformidant; & hodie quoque illi per nomen Iesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, qui Iudææ procurationem egit, adiurati nobis parent.] Item de his Tertullianus [s] ad Scapulam in hunc modum: Dæmones non tantum respuimus, verum & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est.] et alibi [t]: Edatur aliquis, inquit, sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet: iussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æque producatur aliquis ex his qui de Deo pati existimantur, qui aris anhelantes, numen de nidore concipiunt. nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes; ibidem Christiani procacissimi sanguinem fundite.] Et Cyprianus [u] in eamdem sententiam: O si audire velles (*sit enim compellat Demetrianum Africæ Proconsulem*) & videre, quando a nobis dæmones adiurantur, & torquentur spiritualibus flagris, & verborum tormentis de obsessis corporibus eijciuntur: quando eiulantes & gementes voce humana, & potestate diuina flagella & verba sentientes, venturum iudicem confitentur. Veni & cognosce vera esse quæ dicimus. Et quia sic deos colere te dicis; vel ipsis, quos colis, crede. aut si volueris & tibi credere; de te ipso loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus obsedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcauit. Videbis nos rogari ab eis quos tu rogas, timeri E

u Cyprian. ad Demetr.

meri ab eis quos tu adoras: videbis sub manu nostra stare vinctos, & tremere captiuos, quos tu suspicis & veneraris vt dominos. Certe vel sic confundi in istis erroribus tuis poteris, quando conspexeris & audieris deos tuos, quid sint, interrogatione nostra statim prodere, & præsentibus licet vobis, præstigias illas & fallacias suas non posse celare.] hæc Cyprianus; qui & ad Donatum [a]: Facultas, inquit, datur, immundos & erraticos spiritus, qui expugnandis se hominibus immerserint, ad confessionem minis increpantibus cogere; conflictantes, eiulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur, occulta plaga, pœna manifesta.] A

a Cypr. ad Donat. epist. 2.

VIII. DÆMONES RESISTENTES EXORCISMIS. b Tertul. lib. de anima. c. 57.

Verum aliquando dæmones mendacijs confictis eludere conatos esse exorcistarum assultus, Tertullianus [b] declarat his verbis: Hanc quoque fallaciam spiritus nequam sub personis defunctorũ delitescentis, nisi fallor, etiam rebus probamus: cum in exorcismis interdum aliquem se ex parentibus hominem sui affirmat, interdum gladiatorem, vel bestiarium, sicut & alibi Deum, nihil magis curans quàm hoc ipsum excludere quod prædicamus, ne facile credamus animas vniuersas ad inferos redigi, vt & iudicij & resurrectionis fidem turbent. Et tamen ille dæmon postquam circumstantes circumuenire tentauit, instantia diuinæ gratiæ victus, id quod in vero est, inuitus confitetur.] Insuper (sicut experti sunt Apostoli [c]) dæmones pertinacissime inhærere corporibus solitos, vt nulla exorcismorum vi expelli valeant, Origenes [d] ostendit, hæc dicens, cum explicat librum Iosue: Tale aliquid intelligere possumus, quia dicit: Permansit habitare Amorrhæus in ipsis. Verbi gratia: Si inimica virtus dæmonis ex amaritudinis turma veniens, obsideat alicuius corpus, perturbet, ac decipiat mentem; adhibeantur autem multæ orationes, multa ieiunia, multæ exorcistarum inuocationes; & ad hæc omnia surdus dæmon in obsesso corpore permaneat & persistat, tolerabilius ferens exorcistarum pœnas, & adhibita sibi ex Dei nominis inuocatione tormenta, quàm discedere ab homine quem impudenter obsidet & nequiter: ita etiam hic intelligendum est in istis qui dicuntur Amorrhæi, qui permanent & persistunt habitare in Elom.] B C

c Marc. 9.
d Orig. in Iosue hom. 24.

IX. VIS MAGNA IN EXORCISMIS. e Cypr. de idol. vanit.

Plurimum vero conferre fidem obsessi, vt exorcismi vim sibi insitam operentur, Cyprianus [e] in primis his verbis testatur: Adiurati per Deum verum a nobis, statim cadunt, & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & operatione maiestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propugnantis extendi, eiulare, gemere, deprecari; vnde veniunt, & quando discedunt (ipsis qui se colunt audientibus) confiteri; & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat.] hæc Cyprianus. eadem fere Minutius Felix [f], sic dicens: Ipse Saturnus, & Serapis, & Iuppiter, & quicquid dæmonum colitis, victi dolore, quod sunt, eloquuntur; nec vtique in turpitudinem sui, non nullis præsertim vestrum assistentibus, mentiuntur. Ipsis testibus, esse eos dæmonas, de se verum confitentibus credite: adiurati enim per Deum verum & solum, inuiti miseris corporibus inhorrescunt, & vel exiliunt statim, vel euanescunt gradatim, prout fides patientis adiuuat, aut gratia curantis aspirat.] Habes apud Prudentium [g] exorcismi formam quamdam his versibus expressam: D

f Minutius in Octauio.

g Prudent. in Apotheosi contra Iudæos.

torquetur Apollo
Nomine percussus Christi; nec fulmina verbi
Ferre potest: agitant miserum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei resonant miracula Christi.
Intonat Antistes Domini: Fuge callide serpens,
Exue te membris, & spiras solue latentes:
Mancipium Christi fur corruptissime vexas:
Desine, Christus adest, humani corporis vltor:
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat, & notos suspirat Iuppiter ignes.] E

X. Ceterum quantumlibet virtus Christi præ ceteris Iudæorum ac Gentilium ritibus ad pellendos dæmones potentior visa sit: tamen non defuerunt impostores & circula-

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVAESTVARII EXORCISTAE.

tores eamdem artem profitentes, circumire vrbes, superstitionibus & incantationibus vti, eoq. exercitio instar medicorum curantium corpora, quæstum facere, & corradere hinc inde pecuniam. De his enim, & non Christianis exorcistis, loquitur Vlpianus, cum ait [a]: Non tamen si incantauit, si imprecatus est, si (vt vulgari verbo impostorum vtar) exorcizauit: non sunt ista medicinæ genera: tametsi sint qui hos sibi profuisse cum prædicatione affirment.] hæc ille, cum negat eiusmodi hominibus de eorum mercede ius esse dicendum: ex quo certum est, de alijs potius quàm de Christianis intellexisse, qui nonnisi gratis, absque aliqua conuentione stipendij, eiusmodi officium impendere consueuerunt.

a l.1. ff. de var. & extraord. cognit.

XI.

CHRISTIANI A GENTILIBVS DICTI IMPOSTORES.

Verum quod ait, verbum, Exorcizare, esse impostorum; haud dubium est, fugillare voluisse Christianos, quorum ipse erat infensissimus hostis, vt suo loco dicemus. Gentiles enim sic contumeliæ causa nominare consueuisse Christianos, Hieronymus testatur [b], cum ait: Vbicumque viderint Christianum, vsurpant statim illud de triuio: Ὁ γραικὸς ἀπάτης, scilicet, O Græcum impostorem.] et alibi [c]: Si tunica non canduerit, statim illud e triuio: Impostor & Græcus est.] Græcos enim Ethnici appellabant Christianos (vt tradit Tertullianus) ea de causa, quòd cum Christianam amplecterentur religionem, abiecta toga, pallium, quod erat philosophorum indumentum, superuestiebant. At impostor etiam Christus Redemptor noster a Iudæis est nominatus: nam apud Matthæum [d] legitur: Recordati sumus quòd seductor ille, &c.] pro seductore, impostorem esse legendum, alij [e] tradiderunt. Multum plane conferunt ad dictum Vlpiani responsum intelligendum, quæ sanctus Iustinus martyr scribit in oratione ad Gentiles, qua demonstrat, non Christianos tantum, sed & incantatores ac circulatores exorcizare consueuisse: sed Christianos ceteris omnibus in ea re efficienda virtute præstitisse, monstrat his verbis: Hoc ipsum ex his quæ sub aspectu vestro fiunt, intelligere potestis. Complures siquidem dæmonum intemperijs correptos homines per Orbem totum & hanc vestram vrbem, quos alij incantatores & venefici curare non potuerunt, permulti hominum nostrorum, Christianorum inquam, per nomen Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi adiurantes, sanarunt, atque etiam nunc sanant, exarmantes & exigentes ab hominibus, quos illi obsederunt, dæmones.] hæc Iustinus.

b Hier. epist. 10. ad Fur.
c Hier. epist. 19. ad Marcell.
d Matth. 27.
e Bud. in Pandect. l. 4. ff. de aedil. edict.

XII.

EXORCISMI ANTE BAPTISMVM.

Verum quod ad Christianæ religionis exorcistas spectat: non tantum eorum munus erat, eos qui patenter a dæmonibus arriperentur, sed & illos qui latenter hæc paterentur, exorcizare. Omnes enim homines, cum natura nascantur filij iræ, donec Christi baptismate in nouam transeant creaturã, dæmonis detinentur imperio: quamobrem antiquus Ecclesiæ vsus fuit, vt omnes, antequam sacro baptismate imbuerentur, expurgarentur exorcismis, ac sic in nouam per baptismum creaturam transferrentur. De huiusmodi exorcismo loquitur Cyprianus [f], sic scribens ad Magnum: Hodie etiam geritur, vt per exorcistas voce humana, & potestate diuina, flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus; & cum exire se, & homines Dei dimittere sæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallat; & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodem mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cum autem ad aquam salutarem atque baptismi sanctificationem venitur, scire debemus & fidere quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus diuina indulgentia liberatur.] agunt de ijsdem exorcismis baptismum præcedere solitis Cyrillus [g] Hierosolymorum Episcopus, Optatus [h], Gregorius Nazianzenus [i], Basilius ad Amphilochium, Ambrosius [k], Chrysostomus [l], Augustinus [m] frequentissime, ac ceteri omnes, & præsertim hi qui scripserunt de diuinis officijs: quod quidem in vniuersa totoq. Orbe diffusa Ecclesia seruari solitum, Gennadius [n] testatur his verbis: Illud etiam quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu: cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontẽ vitæ adeant, quàm exorcismis & exufflationibus clericorum ab eis spiritus immundus abigatur; vt tunc vere appareat quoniam princeps huius mundi mittatur foras, & quo modo prius alligetur fortis.] At de exorcismi traditione satis.

f Cypr. epist. 76.
g Cyril. catech. mystag. 2.
h Optat. lib. 4.
i Nazianzen. orat. de baptis.
k Ambros. de sacram. lib. 2. c. 5.
l Chrysost. hom. de Ada et Eua.
m August. de pec. orig. lib. 2. c. 4. & alijs in locis.
n Gennad. de Eccles. dogm. c. 30.
o Dionys. de Eccles. hierar. c. 3.

XIII.

OB PECCATVM INTERDVM ENERGVMENI.

Ceterum illud vnum non prætermittimus, non Gentiles tantum, sed & Christianos, cum præsertim post baptismum in peccatum aliquod capitale incidissent, vexari a dæmonibus consueuisse, vt Dionysius [o] & Cyprianus [p] testãtur. sic enim ait Cyprianus:

p Cypr. epist. 76.

Sæpe

Sæpe nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte quatiuntur: vt manifestum sit, diabolum in baptismo fide credentis excludi; si fides postmodum defecerit, regredi.] hæc Cyprianus, de his loquens qui per apostasiam exciderunt a fide: cũ tamen interdum accidere soleat occulto Dei iudicio, vt innocentes pueri ac puellæ, diuino permissu, arripiantur a dæmone, vt tum Augustinus agens contra Pelagium, tum Gregorius Papa in Dialogis tradunt. Sed de his modo hactenus. Iam vero quid post filiorum Sceuæ casum contigerit (vt res ipsa postulare videtur) narrationis ordine prosequamur.

XIV.

Non Iudæos tantum, atque etiam Gentiles, noui casus timore perculsos (quod superius dictum est) nomen Domini Iesu præconijs extulisse, sed & Christianos ipsos magnam ex ea re fuisse vtilitatem consecutos, idem Lucas tradit his verbis [a]: Multiq. credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos.] Diuersam plane hanc fuisse peccatorum confessionem ab illa quam ad Ioannis baptismum venientes [b] agere consueuerant, certum est: nam illa præcedebat baptismum, hæc autem eorum qui credidissent ac baptizati essent, erat confessio delictorum: Credentium enim nomine, nonnisi baptizatos, & Christianos iam factos, Lucam nominare consueuisse, exploratissimum est. Iam eiusmodi confessionis delictorum faciendæ Dominus iecerat fundamenta, cum Apostolis dimittendi peccata tradidit potestatem, dicens [c]: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.] Immo & in alijs innumeris diuinæ Scripturæ locis apparent confessionis impressa vestigia; atque etiam ab ipso rerum omnium principio, vt in Adam, cum ab eo est a Deo confessio requisita, videatur quodammodo imperata. Sed hæc omnia referre prætermittentes, antiquissimum vsum eius in Ecclesia (quod nostri instituti ratio postulat) veterum Ecclesiasticorum scriptorum testificatione demonstrabimus.

a Act. 19.
CHRISTIANI CONFITEBANTVR PECCATA.
b Luc. 3.
c Ioan. 20.

XV.

DE CONFESSIONE PECCATORVM.

Confessionem igitur delictorum a Deo primitus, cum iure naturæ ab Adam, tum etiam postea lege scripta mille modis a populo duræ ceruicis exactam, atque a Christo in Ecclesia, tradita hominibus potestate dimittendi peccata, stabilitã atque præceptam, Ephesi insuper coram Paulo vsu receptam, ac denique in Ecclesia fuisse omni tempore frequentatam, certissimum est. Cuius probandæ rei etsi nulla alia suppeterent testimonia, ipsa necessitas id fateri compellit. Cum enim non sit homo qui non peccet, & tradita sit a Christo hominibus potestas dimittendi peccata; qui vult sibi, quæ commisit, peccata dimitti, ea vt aperiat potestatem habentibus absoluendi, necesse est. Incumbit & sacerdotibus necessario eadem singillatim perquirere: quoniã non soluendi tantum, sed & retinendi peccata facultatem sunt consecuti: qua vt vtantur, & intelligant quæ relaxare, quæve debeant retinere, singula singulorum opus est peccata audiant. Ceterum non desunt de eiusdem rei vsu innumera Patrum testimonia: nos autem, ex more, quæ sunt antiquiora tantummodo recensebimus; reliqua vero, vt cunctis notissima, absque iactura aliqua, silentio libentius prætermittemus.

XVI.

ANTIQVORVM PATRVM AS-SERTIO.

Habet in primis Dionysius [d] ad Demophilum scribens (de cuius commentariorum fide agemus postea) hæc quæ sequuntur verba: Tu vero (vt tuæ litteræ indicant) procidentem sacerdotem sacerdoti, impium (vt ais) atque peccatorem, nescio quo pacto contra disciplinæ ordinem adstans calce abiecisti, ac repulisti: cum ille quidem verecunde (quod oportuit) fateretur se ad peccatorum remedia quærenda venisse. Neque exhorruisti insuper & sacerdotem optimum lacerare conuicijs, miserabilem eum dicens, qui pœnitentem atque impium iustificasset.] Irenæus [e] de Rhodanensibus feminis scribit, quæ lapsæ in hæresim, ad Ecclesiam redeuntes exomologesin facerent; & de Cerdone hæresiarcha tradit [f], sæpe exomologesin feciisse, sed iterum sua praua dogmata docuisse. Fecit & exomologesin item Romæ corã Zepherino Pontifice Natalius hæreticus, vt Eusebius [g] ex antiquioribus scriptoribus recitat. Facturus itidem eam erat & Marcion, nisi morte præuentus, impeditus fuisset; quod Tertullianus [h] asserit. Porro nihil aliud esse exomologesin facere, quàm sua confiteri peccata, tum ex eiusdem vi vocis, tum etiam ex antiquo vsu recepto monstratur: non enim Græci tantummodo, sed & Latinorum plerique, vt Tertullianus, Cyprianus, & alij, exomologesin, pro confessione peccatorum, vsurpare consueuerunt, ab ipsa vocis significatione ἐξομολόγησις: nam ἐξ, præpositio, idem est, quod, foris, & ὁμολογία, quod

d Dionys. epist. 8.
e Iren. lib. 1. c. 9.
f Iren. lib. 3. c. 4. in fin.
g Eusebius lib. 5. c. 27.
h Tertull. de præscrip.

Universidad de Deusto
Biblioteca

(vt declarat Suidas[a]) confessio, sic dicta a verbo ἐξομολογοῦμαι, hoc est, foris dicere, vel fateri. hac igitur voce vsi sunt maiores, quam Lucas in nuper citato Actorum loco in dicta, de qua agimus, historia, pro confessione peccatorum vsurpauit, Graece sic scribens[b]: Ἐξομολογούμενοι καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν.] qua etiã significatione hæc Tertullianus[c]: Exomologesis est petitio veniæ: quia qui petit veniam, delictum confitetur.]

[a] *Suid. in verbo ὁμολογία.*
[b] *Act. 19.*
[c] *Tertull. de orat. c. 6.*

XVII. At idem non solum ipsam peccatorũ confessionem nominat exomologesin, sed alibi omnes actus pœnitentiæ, qui ipsam confessionem sequuntur, dum ait[d]: Tantum releuat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumaciæ. Huius igitur pœnitentiæ secundæ & vnius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio est; vt non sola conscientia præferatur, sed aliquo etiam actu administretur. Is actus, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidẽ vt ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis, prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccauit, tristi tractatione mutare: ceterum pastum & potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque vero ieiunijs preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesq. ad Dominum Deum tuum, presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. hæc omnia exomologesis.] et paulo post (ne putes de confessione Deo tantum secreto facienda, & non homini, ipsum intellexisse) hæc subdit: Plerosque tamen hoc opus, vt publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre, præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.] hæc ipse: ac denique cum multis laboret, vt eum a bono auertentem tollat pudorem, hæc addit: Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras.] loquitur (sententia omnium) Tertullianus de publico actu, sed tamen secretorum peccatorum confessione, quam absolutio consequatur. vnde & subdit: Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet (*per ironiam*) si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. Adeo ne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palam absolui?]

[d] *Tertul. de pœnit. c. 8. 9.*

QVAE SIT EXOMOLOGESIS.

XVIII. Ex his igitur omnibus constat, ex sententia Pamelij[e], viri eruditissimi, aliorumq. disertorum virorum Orthodoxorum, Rhenani, & aliorũ complurium, tres integras partes Ecclesiasticæ pœnitentiæ haberi a Tertulliano expressas; nimirum pœnitentiam illam, quæ præcedere solet confessionem delictorũ, quam contritionem vsitatiori vocabulo appellare consueuimus; ac quæ subsequebatur, confessionem coram sacerdotibus publicam de publicis, vel secretam de secretis, vt egregie idem notat Pamelius[f]; ac denique actus illos pœnitentiæ, quos exomologesin Tertullianus nominat, communi vero vsu loquendi dicimus satisfactionem. Sed hæc planiora paulo post videbimus in Cypriano. Est de confessione secreta eiusdẽ Tertulliani[g] locus in libro de Baptismate, vbi primum agẽs de confessione peccatorum publica, quæ præcedere solebat baptismum, mox de secreta in Ecclesia vsitata scribit in hæc verba: Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiunijs, & geniculationibus, & peruigilijs orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, vt exponant etiam baptismum Ioannis. Tingebantur, inquit, confitentes delicta sua. Nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates, aut turpitudines nostras.] hæc ille. At vnde, quæso, calumnia illa a Gentilibus in Christianos conflata, cum dicerent (vt tradit Minutius Felix[h]) ipsos adorare solitos virilia sacerdotum; nisi quòd illi ad eorum genua procumbentes, suaq. illis confitentes peccata, summisse veniam deprecarentur? ex ea enim secreta verborũ facta prolatione, necnon & ex more ad genua inclinatione, penes illos qui non intelligerent, sed res omnes in deteriorem partem acciperent, eiusmodi nefanda inualuit existimatio.

[e] *Pamel. in Tert. de pœnit. c. 9. not. 53.*
[f] *Idem in Tert. not. 1. de pœnit.* CONFESSIO SECRETA IN VSV MAIORIBVS.
[g] *Tertul. lib. de baptis. c. 20. vide & ibi not. Pamel. 130.*
[h] *Minut. Fel. in Octauio.*

XIX. De eadem item confessione peccatorum in Ecclesia fieri solita scribit Cyprianus in libro

in libro de lapsis, cum ait[a]: Denique quanto & fide maiores & timore meliores sunt, qui quamuis nullo sacrificij, aut libelli facinore adstricti, tamen quoniam vel hæc cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam paruis licet & modicis vulneribus exquirunt.] hoc ipsum est quod alibi dicit[b]: Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinẽ ad exomologesin veniant, & per manus impositionem Episcopi & cleri ius communicationis accipiant: nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseuerante, nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum; & nondum pœnitentia acta, nondum manu eis ab Episcopo & clero imposita, Eucharistia illis datur.] Eadem fere alibi in hæc verba[c]: Ante actam pœnitentiam, iam ante exomologesin grauissimi atque extremi delicti factam, ante manũ ab Episcopo & clero in pœnitentiã impositam, &c.] atque iterum[d]: Exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita.] vel cum ait: Nulla exomologesi criminis facta, despectis Episcopis atque calcatis.] ac item[e]: Agat pœnitentiam plenam: postea exomologesi facta, ad Ecclesiam redeat.] Facit & illud[f]: Apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest. Qui ex toto corde pœnituerint, & rogauerint, in Ecclesiam debent interim suscipi.]

[a] *Cyprian. de lapsis. edit. Pamel. pag. 244.*
[b] *Cypr. epist. 10.*
[c] *Idem epistol. 11. ad Martyr.*
[d] *Cypr. epist. 15.*
[e] *Cypr. epist. 52.*
[f] *Cypr. epist. 52. in fine.*

XX. Quæ omnia Cypriani loca, & alia, ex quibus peccatorum confessio coram sacerdotibus fieri solita, & eorumdem satisfactio, exomologesis nomine nuncupata, manifeste monstratur, Pamelius eruditis notationibus illustrauit, atque insigniter locupletauit, & ex his omnibus hæc colligens ait[g]: Discimus ex eiusdem sanctissimi martyris scriptis, hunc olim in Ecclesia seruatum ordinem, vt primum fieret confessio criminum apud sacerdotes Dei. hanc sequebatur pœnitentia, quæ & præcesserat: pœnitentiam excipiebat exomologesis, quam subsequebatur impositio manus Episcopi, aut cleri. hac facta, dabatur Eucharistia sic reconciliato.] Eiusmodi manus impositione absolutionem impartiri solitam, non tantum ex his dictis colligitur, sed ex eo etiam quod idẽ Cyprianus in libro de lapsis sic scribit: Confiteantur singuli, quæso, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio eius potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.] et alibi scribens ad Cornelium Papam[h]: Ipse, inquit, permisit, qui legem dedit, vt ligata in terris, etiam in cælo ligata essent; solui autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur.] hæc & alia alibi[i] pluribus in eamdem sententiam; quibus ostenditur, necessitatem impendere, vt absolutio delictorum ab Ecclesia impartiatur.

[g] *Pamel. in Tertull. lib. de pœnit. not. 53.* ABSOLVTIO PECCATORVM PER SACERDOTES.
[h] *Cypr. epist. 54.*
[i] *Collegit loca Pamel. in Cypr. epist. 54. not. 17.*

XXI. Verum quòd in aliquibus locis superius citatis habetur expressum de manus impositione Episcopi & cleri: exhibebantur ea in reconciliatione publici pœnitentis: non quòd omnes absoluerent; id namque muneris fuisse Episcopi, vel eo absente, presbyteri, certum est[k]: sed vt omnes per manus impositionem ratam se habere illius reconciliationem ostenderent. De hac reconciliatione idem loquitur Cyprianus, dum deficientibus presbyteris, indulget vt diaconus tempore ingruentis necessitatis possit reconciliare pœnitentem, sic dicens[l]: Si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint; non expectata præsentia nostra, apud presbyterum quemcumque præsentem; si vero presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologesin facere delicti sui possit, vt manu ei in pœnitentiam imposita, veniat ad Dominum cum pace.] Concedit Cyprianus, vt necessitate exposcente, diaconus, non quidem propria auctoritate, sed ex mandato Episcopi reconciliet publicum pœnitentem: sicut videmus etiam hodie legum auctoritate & vsu receptum, vt ipsum ministeriũ absoluendi ab excommunicatione cuique etiam inferioris ordinis clerico demandetur, vt qui eo argumento scripsere commentarios, pluribus docent. De eadem porro absolutione & Ecclesiæ reconciliatione meminit Hieronymus[m], sic scribens: Sacerdos imponit manum subiecto, reditum sancti Spiritus inuocat; atque ita eum qui traditus fuerat satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, indicta in populum oratione, altario reconciliat.]

[k] *Ambros. lib. 1. de pœniten. & alij omnes.* MANVS IMPOSITIO IN PVBLICA POENITENTIA.
[l] *Cypr. epist. 18.*
[m] *Hier. aduers. Luciferian.*

XXII. Ceterum in eamdem cum Cypriano sententiam, de non restituendis lapsis, nisi facta exomologesi, conspirasse in omnibus Romanam Ecclesiam, Clerus Romanus[n] ad illum scribens egregie profitetur; immo ea omnia non vt recenter inuenta & excogi-

[n] *Apud Cypr. epist. 21.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

ABSQVE EXOMOLOGESI NON RECIPI POENITENTEM

tata, sed more maiorum cuncta peragi tradit, sic dicens: Nec hoc nobis nunc nuper consilium cogitatum est, nec hæc apud nos aduersus improbos modo superuenerunt repentina subsidia: sed antiqua hæc apud nos seueritas, antiqua fides, disciplina legitur antiqua.] et certe quidem: nam de Fabiano Papa haud pridem defuncto recens exemplum præcesserat, qui Philippum Christianum Imperatorem ad exomologesin faciendam adegit; nec prius illi communionem ecclesiasticam est impartitus, quàm confessionem fecerit peccatorum, vt Eusebius his verbis testatur [a]: Fama est, hunc, *Philippum videlicet Imperatorem* (Christianus namque erat) cum precationum in die postremæ vigiliæ Paschatis vna cum multitudine in ecclesia particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare, quàm se confessus fuisset, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumq. pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocauisset: Episcopumq. dixisse, eum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti Episcopo morem gessisse, & ingenuam modestiam, ac religiosam piamq. affectionem re ipsa declarasse memorant.] hæc Eusebius. Merito igitur Clerus Romanus, scribens dictam epistolam ad Cyprianum, eadem semper esse obseruata demonstrat; quæ & in futurũ illibata custodiri cupiens, hæc addit: Absit ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & neruos seueritatis euersa fidei maiestate dissoluere, vt cum adhuc non tantũ iaceant, sed & cadant euersorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum vtique non prosutura præstentur.] At vero quid mirum, si quod (vt ex Actorum constat historia [b]) fecerunt Ephesi coram Paulo Christiani, id ipsum vbique locorum coram ceteris Apostolis, vel ab eis ordinatis Episcopis, credentes, culpæ obnoxij factitarent?

[a] *Euseb. lib. 6. cap. 27.*

[b] *Act. 19.*

XXIII. Sedenim quid insuper de his scripserit Origenes, qui & ipse ad Decij tempora peruenit, audiamus: agens enim de septem modis, quibus ex diuinæ Scripturæ præscripto remittuntur peccata: Est, inquit [c], adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lauat peccator in lacrymis stratũ suum, & fiunt ei lacrymæ suæ panes die ac nocte, & cũ non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam, secundum eum qui ait: Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem cordis mei.] et alibi [d]: Pronunciationem iniquitatis, id est, confessionem peccati frequentius diximus. Vide ergo quid doceat nos diuina Scriptura: quia oportet peccatum non celare intrinsecus. Fortassis enim, sicut hi qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris aut phlegmatis stomacho grauiter & moleste imminentia, si vomuerint, releuantur: ita etiam hi qui peccauerunt, si quidem occultant & retinent intra se peccatum, intrinsecus vrgentur, & propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati: si autem ipse sui accusator fiat; dum accusat semetipsum & confitetur, simul euomit & delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligenter, cui debeas confiteri peccatum tuum: proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam: vt ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit & misericordem, si quid consilij dederit, facias & sequaris: si intellexerit & præuiderit talem esse languorem tuũ, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipse facile sanari; multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.] hæc Origenes, qui & paulo inferius inuehitur in eos qui absque peccatorum facta purgatione ad Eucharistiam sumendam temere accedunt, illud facere negligentes, quod Paulus [e] admonuit, dicens: Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat] vel illud: Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.] Quibus sane verbis duplicis generis fuisse peccatorum confessionem insinuat, alteram secretam, publicam alteram coram Ecclesiæ conuentu, si criminis qualitas id exigeret. De his etiam alibi in hæc verba: In grauioribus criminibus semel tantum vel raro pœnitentiæ conceditur locus: ista vero communia peccata, quæ frequẽter incurrimus, semper pœnitentiã recipiunt, & sine intermissione redimũtur.] Cur autem publica pœnitentia non adeo facile iterari solita esset, declarat Augustinus [f] scribens ad Macedoniũ.

[c] *Orig. in Leuit. homil. 2.*

[d] *Orig. in Psal. 38. homil. 2.*

PECCATORVM CONFESSIO COMMENDATVR.

[e] *1. Cor. 11.*

[f] *Aug. epist. 54.*

Ex his

XXIV. Ex his omnibus satis certum exploratumq. habetur, ab ipsis Apostolorum temporibus peccatorum confessionem coram sacerdotibus, siue priuatim, siue publice, numquam esse intermissam; viguisseq. eiusmodi disciplinam in Ecclesia Catholica, maiorum obseruatione vsuq. receptam, atque probatam. At Decij temporibus fuisse in ecclesijs presbyteros pœnitentiarios, qui confessionem peccatorum audirent, nec negant qui hostes sunt pœnitentiæ: auctoritate enim Socratis ac Sozomeni Græcorum historicorum, sed Nouatianorum, apertissime id testantium, liquet. Ait enim Socrates [a]: Ab illo tempore, quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerunt, recusaueruntq. cum his qui tempore persecutionis regnante Decio concitatæ lapsi erant, communicare: Ecclesiarum Episcopi canoni adiunxerunt, vt in singulis ecclesijs presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quo, qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur] immo (quod ait paulo inferius) particulatim confiterentur.] hæc Socrates. Porro eamdem peccatorum confessionem fuisse secretam, Sozomenus [b] his verbis significat: Etenim cum prorsus non peccare, naturæ sit humana diuinioris: pœnitentibus autem, quamuis frequenter deliquissent, veniam dare, Deus iusserit; & ad impetrandam denique veniam confiteri peccata, necessarium sit: odiosum (vt credibile est) sacerdotibus ab initio visum fuit, tamquam in theatro audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quammaxime spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præfecerunt: cui accedentes qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille vero pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus absoluebat, vt a se ipsi commissorum pœnas exigerent.] hæc ille, licet aliter ac perperam habeat lectio Sozomeni apud Cassiodorum in Tripartita [c], dum ait, antiquis Pontificibus visum esse, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta panderentur. Nam si hoc verum est, quid opus erat (vt subdit) ad hoc opus deligi presbyterum secretum seruantem?

SOCRATIS ET SOZOMENI ASSERTIO DE PRESBYTERIS POENITENTIARIIS.

[a] *Socrat. lib. 5. c. 19.*

[b] *Sozom. lib. 7. c. 16.*

[c] *Lib. 9. c. 26.*

XXV. Quod vero pertinet ad tempora Decij: dicendum est potius, tunc excrescente lapsorum numero, pœnitentiariorum presbyterorum etiam numerum esse auctum, quàm tunc recenter institutum: quandoquidem (vt vidimus superius & exemplis & testimonijs) longe ante Decij tempora frequens erat vsus exomologesis in Ecclesia. Consultius quidem Sozomenus, nullum certum definiens eius rei temporis principium, cum agit de Romana Ecclesia: Romani, inquit, sacerdotes ab ipso inde exordio etiam ad nostram vsque memoriam custodiunt, *hoc ipsum scilicet*.] Sed quod ad numerum spectat: non vnum, sed plures presbyteros pœnitentiarios in vna ecclesia ad suscipiendos pœnitentes & ipsorum peccatorum confessionem audiendam fuisse præfectos, demonstrat Dionysij [d] Alexandrini epistola ad Fabium Antiochenum, dum Serapionem lapsum, in extremis laborantem, dixisse ait nepoti suo: Aliquem ex presbyteris aduoca ad me.]

POENITENTIARIORVM AVCTVS NVMERVS.

[d] *Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 29.*

XXVI. In ceteris vero quæ scribit Socrates, a Nectario Episcopo Constantinopolitano sublatum esse presbyterum pœnitentiarium, occasione oborti scandali, quod recensetur; insuper quod dicit, ab eodem datam esse liberam potestatem, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet; ac, quod est maximum omnium, canonem illum de presbytero pœnitentiario in singulis ecclesijs præficiendo, apud alias sectas firmum ratumq. mansisse; eos vero qui fidem Consubstantialis tenebant, necnon Nouatianos presbyterum pœnitentiarium reiecisse: hæc omnia nonnulli, quamlibet occasionem captantes, vt Catholicam veritatem impugnent, tam facile admittunt, vt ex his affirmare audeant, pœnitentiam per sacerdotes in Ecclesia ministrari solitam, temporibus Nectarij prorsus esse sublatam, ac penitus abrogatam. Sed tanta hæc Socrati testanti præstanda est fides, quanta ceteris hæreticis de suis dogmatibus tractantibus: quippe Nouatianus secta cum fuerit, quàm vere ac sincere hæc scripserit aduersus pœnitentiam in Ecclesia administrari solitam, quemlibet puto posse facile iudicare.

DE NECTARII FACTO CONTROVERSIA.

XXVII. Ceterum hæc quæ dicimus de Socrate, non esse calumniam, sed apertissimam veritatem; nec tam aliorum testimonio, quàm sui ipsius professione probari ipsum fuisse secta Nouatianum; quæ paucis dicturi sumus (haud enim hæc tam manifesta longo indigent sermonis inuolucro) nullo negotio declarabunt. Cum enim nulla eos laudandi,

SOCRATES SECTA NOVATIANVS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dandi, & ea quæ ijdem Nouatiani dixissent, affirmandi, occasionem prætermiserit: Nicephorus [a] hæc intelligens, eum esse Nouatianum, non semel, sed iterum iure clamat. Sed istud ipsum sua sponte dilucidius profitentem audiamus. Agens enim de S. Ioanne Chrysostomo Nectarij successore, eum [b] sugillat, quòd pro concione sæpe ea verba dixisset: Si millies lapsus pœnitentiam egeris, in Ecclesiam ingredere] extant huiusce modi vel alia plura id generis in homilia secunda eiusdem in Psalmum quinquagesimum: quæ redarguens Socrates, se proculdubio eadem cum Sisinnio tum Nouatianorũ Episcopo, qui eo argumento aduersus eumdem Ioannem Chrysostomum librum conscripsit, sensisse, absque vlla ambiguitate declarat. Verum quoniam & Sozomenum eamdem prorsus causam fouisse certum est: quàm manifeste deliret vterque, erit perfacile demonstrare. Cum enim ambo in eam conueniant sententiam, vt sublato a Nectario presbytero pœnitentiario, Ecclesia (quod ait Socrates [c]) eiusmodi exemplũ fuerit imitata, vel (quod ait Sozomenus [d]) omniũ fere Ecclesiarum Præsules id ipsum sectati fuerint: quàm id a veritate sit alienũ, paulo inferius apertissime declarabimus, cũ multis exemplis adductis, quid a ceteris Ecclesijs fuerit obseruatũ, aperiemus.

[a] Nicepb. lib. 6. c. 37. & lib. 9. c. 13.
[b] Socrat. lib. 6. c. 19.
[c] Socrat. lib. 6. c. 19.
[d] Sozom. lib. 7. c. 16.

XXVIII. At quoniam ambo rursus in eamdem conspirant sententiam, dicuntq. sublato presbytero pœnitentiario a Nectario, permissum cuique, vt secundũ animi sui consilium ad diuina participanda mysteria posset accedere: licet hæc de Nectario, vt ab hominibus qui faueant Nouatianis dicta, fide vacillent: tamen si velimus esse vera, & fidem de his Socrati adhibendam putemus; Nectarium a Nouatianis fuisse deceptum, affirmare oportet; vt qui illis vteretur familiarissime, quos etiam in rebus quæ spectant ad fidem aliquando consuleret, & illorum opem aduersus alios hæreticos imploraret; cum alioqui non deessent in ea Ecclesia Catholici, quos docuisset Gregorius Nazianzenus, in cuius sedem ipse successerat. Iactat hæc idem Socrates [e] de suis Nouatianis, Agellio Episcopo, & Sisinnio Lectore, quòdq. ab eo requisiti, præsto fuerint. Scimus & Gregorium Nazianzenum, cum solutus munere pastorali, quietus Nazianzi in rure paterno ageret, aduersus eumdem Nectarium per litteras acerrime expostulasse, quòd Arianos, Macedonianos, Eunomianos, atque Apollinaristas, quæ vellent, libere Constantinopoli tractare permitteret. Quonam stomacho de his ille ad eum scripserit, eius epistolæ exordium facile manifestat; est enim huiusmodi [f]: Dei cura & prouidentia, quæ ante tempora nostra Ecclesias tueri solebat, vitam hanc deseruisse in vniuersum videtur.] Ex his igitur facile potest intelligi, ex quo fonte deductum fuerit, quod dicunt, arbitrio suæ conscientiæ, absque exomologesi coram presbytero facta, cuique relictum, vt, cum vellet, sacram sumeret Eucharistiam: nec Eudæmonem illum, quin potius cacodæmonem, quem hæc illi consuluisse dicit Socrates, nec alium quàm Nouatianæ sectæ hominem fuisse, credendum est.

NECTARIVS VSVS NOVATIANIS.

[e] Socrat. lib. 5. c. 10.
[f] Extat in edit. Billiana post orat. in s. Pentecost.

XXIX. Esto igitur hæc fuisse a Nectario Nouatianorũ consilio instituta: mendacissime certe addit Socrates, omnes qui essent fidei Consubstãtialis, Catholicos scilicet, cũ Nouatianis pari consensione canonem illũ de presbyteris pœnitentiarijs in singulis Ecclesijs præficiendis abrogasse; sed apud alias sectas, nempe hæreticos, illum firmũ ratumq. mansisse. Nam non tantum ex his quæ diximus, aperti mendacij redarguitur, sed alijs certissimis argumentis eiusdẽ impostura detegitur. Qui enim eodem Theodosij tempore cũ Nectario vixerunt, & qui futuris temporibus successerunt, quinã vsus fuerit Ecclesiæ Orientalis in impartienda Eucharistia, suis ipsorũ scriptis satis aperte ac firmiter testatũ reliquerũt. Ecce tibi in primis Gregorius Nyssenus, qui non modo ijs tẽporibus viuebat, quibus ea accidisse idẽ Socrates narrat [g], nimirũ sub Consulatu Titiani & Symmachi, sed etiam adhuc superstes erat vltimo anno eiusdẽ Theodosij Imperatoris: nã interfuisse reperitur illi Synodo Constantinopolitanæ, quæ celebrata est anno decimosexto & vltimo Theodosij Imperatoris, Arcadio tertiũ & Honorio secundum Coss. vt eiusdem Synodi Acta [h] declarant: Hic, inquã, Gregorius inter omnes Orientales Episcopos, qui tunc temporis viuebant, insigni eruditione ornatissimus, & ob præclaras res gestas æstimatione facile princeps, egregiam epistolam, quæ a Græcis [i] inter canonicas est recensita, scripsit ad Latoium Mitilenes Episcopum, qua quosdam canones, quos pœnitentiales appellare consueuimus, instituit; vt confitentium peccatorum examinato pondere, ex eorum præscripto illis pœnitentia iniungeretur. In vltima quidem sua senectute eam scripsisse videtur Gregorius, quippe qui in fine ad eumdem, ad quem scribit Episcopũ, hæc dicat:

ABSQVE PECCATORVM CONFESSIONE EVCHARISTIAM NON DARI.

[g] Socrat. lib. 5. c. 18. 19.
[h] Apud Theodor. Balsam. pag. 890.
[i] Apud Theodor. Balsam. in addit. pag. 63.

Debes

Debes enim, vt gratus filius ei qui te secundum Deum genuit in senectute, per tuas orationes alimentare.] Sic igitur, quàm manifeste ex his quæ scribit Gregorius Nyssenus dicti Nouatiani historici mendacij arguantur, nemo non videt.

XXX. Sed iam ad Ioannem Chrysostomũ veniamus, qui Nectario in Episcopatu successit; & videamus, num & ipse, quod scribit Socrates fecisse Nectarium, suo arbitrio reliquerit omnes, vt absque pœnitentia, suæ tantum conscientiæ testimonio, communicarent; quidq. ipse sacerdotes alloquens, de hac re dicat [a], audiamus: Non parua, inquit, vobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis. Sanguis enim eius de manibus vestris requiretur. Si dux igitur quispiam, si Consul ipse, si quis diademate coronatus indigne adeat, cohibe, coerce: maiorem tu illo habes potestatem.] et post multa [b]: Si ipse pellere non audes, mihi indica: non permittam ista fieri: animam prius tradam meam, quàm Dominicum alicui corpus indigne: sanguinemq. meum effundi potius patiar, quàm pretiosissimum illum sanguinem præterquàm digno concedam. Quòd si quis venerit cum sordibus ignoranter, nulla vestra culpa est, si multam prius adhibueritis diligentiam: nam hæc mihi de notis & manifestis disputata sunt; quibus emendatis, cito etiam ignotos Deus notificabit.] repetit eadem alibi ijsdem ferme verbis. Ex quibus videas quàm aperte refutentur dicta a Socrate, de licentia impartita, vt quiuis suæ conscientiæ arbitrio ad percipiendam Eucharistiam accederet.

[a] Chrysost. in Mat. hom. 83. DE SYMBOLA EVCHARISTIA CENSVRA.
[b] Chrysost. ad popul. Antioch. homil. 60.

XXXI. Ceterum fuisse in Ecclesia temporibus Ioannis Chrysostomi presbyteros pœnitentiarios, idem Ioannes Chrysostomus sæpe demonstrat: nam cum de pœnitentium classe meminerit, presbyteros etiã, apud quos illi agerent exomologesin, in ea Ecclesia fuisse ad illud opus adscriptos, affirmare necesse est: sic enim ait [c]: Adstantem audis præconem, atque dicentem: Quotquot estis in pœnitentia, omnes orate. Quicumque non participes fiunt, in pœnitentia sunt. Quid stas, si es in pœnitentia? sumere non debes: qui namque non communicat, est ex pœnitentibus.] nec aliud insinuat, cum alibi ait: Causa [d] tui presbyter sedet, causa tui rectus stat doctor laboribus & afflictione affectus.] Præcedere consueuisse peccatorum confessionem sacræ Eucharistiæ sumptionem, alio loco demonstrat his verbis [e]: Tempus quidem confessionis æque & lotis baptismate, & illotis profanisq. incumbit: illis quidem, vt post patentium criminum vulnera, pœnitentia interueniente, curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur; his vero, vt ablutis in baptismo maculis, ad Dominicam mensam munda iam conscientia accedant.] Ceterum eiusmodi delictorum confessionem nonnisi sacerdotibus fieri solitam, ab eisdemq. absolutionem criminum impartiri debere, sæpe demonstrat [f], dum tantã a Deo illis præstitam facultatem dimittendi peccata vehementer exaggerat. Nec aliud significat, cum ait, se non tantum die, sed nocte paratum esse, vt pœnitentes peccatores excipiat [g]: Si quando, inquit, contigerit ex vobis peccare aliquem, accedite ad me dormientem, &c.] nimirum vt peccatorum soluatur vinculis.

VSVS ECCLESIAE CONSTANTINOPOLITANAE SVB IOANNE CHRYSOSTOMO.
[c] Chrysost. ad popul. Antioch. homil. 61.
[d] Chrysost. in Matth. hom. 32.
[e] Chrysost. in Matth. hom. 10.
[f] Chrysost. de sacerd. lib. 3. & alijs multis in locis.
[g] Apud Metaph. in vita Chrysost. ex hom. in Act. Apostol.

XXXII. His igitur sic se habentibus, si quando (quod & sæpius est inuenire) idem Chrysostomus hortatur, vt Deo confiterentur peccata, non hominibus, nec velut in theatro panderent ea: non a secreta certe, sed a publica illa absterruit peccatorem propalatione, cuius occasione Nectarius (vt vidimus) pœnitentiarium presbyterum in ordinem redegerat: recens quippe erat exemplum; qua ex causa istud ipsum sæpius inculcauit, vt cum ait [h]: Admoneo te vt assiduo confiteare: neque enim in theatrum duco conseruorum tuorum, nec te cogo peccata tua hominibus nunciare: conscientiam tuam Deo expone, eiq. ostende vulnera tua.] et alibi: Non tantum, inquit, peccatores esse dicamus, sed etiam ipsa peccata specialiter singula computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Reuela Domino viam tuam: ante Deum tua confitere peccata. Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri.] hæc & alia id genus sæpe Chrysostomus [i]; quæ interdum ex Græco in Latinum ab Erasmo perperam reddita, occasionem erroris ceteris tribuerunt: vt illud, quod habetur in homilia quarta de Lazaro Græce scriptum: μὴ δὲ ἀνθρώπῳ λέγῃς, ἵνα ἐπιδείξῃ σε; μὴ δὲ τῷ συνδούλῳ ὁμολογῇς, ἵνα σκηπτιδώσῃ;] Erasmus ita: Caue enim homini dixeris, ne tibi opprobret: neque enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat.] Atqui non vetat Chrysostomus ne homini confiteamur: sed hæc eius sententia est:

ELVCIDANTVR LOCA CHRYSOSTOMI.
[h] Chrysost. hom. de publicano in Luc. 18.
[i] Idem hom. 31. in epist. ad Heb. hom. 41. ad pop. Antioch. Hom. de pœnit. & confess. Hom. 2. de pœnit. Hom. 4. de Lazaro. Homil. 5. de incõp. Dei natura.

Num

Universidad de Deusto
Biblioteca

Num enim homini dicis, vt tibi exprobret? Num conseruo confiteris, vt te apud vulgus traducat?] A

XXXIII. PVBLICA CONFESSIO DAMNATA.

Quamobrem sic & in ceteris (ne dicere cogamur eumdem sibi ipsi contraria scribentem esse turpiter hallucinatum) cum tantum Deo esse confitendum affirmat, & hominibus non esse propalanda peccata admonet; non aliud quàm secretam confessionem suadet; & ab illa publica, cuius occasione scandalum obortum erat, absterret. Siquidem secrete confiteri, idem æstimabatur, quod Deo tantummodo eadem propalare; nec homo crederetur, qui vicem Dei potius gereret: nam (vt idem ait Chrysostomus [a]) sacerdoti thronus in cælis collocatus est. Sicut e contra palam confiteri, eadem erat hominibus potius quàm Deo propalare. Quam quidem publicam confessionem dicendus est Nectarius dimouisse: nam eamdem alicubi adhuc vsu retentã S. Leo Papa [b] amplius exercendam esse prohibuit, de his scribens ad Episcopos Campaniæ in hæc verba: Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui a quibusdam illicita vsurpatione committi, modis omnibus constituo submoueri (de pœnitentia videlicet, quæ ita a Fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confessio publice recitetur: cum reatus conscientiam sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sint peccata, vt ea, qui pœnitentiam poscunt, non timeant publicare; remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis facta referare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit ergo illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.] hæc Leo, in omnibus consentiens his quæ fecisset Nectarius, & Chrysostomus esse facienda admonuit. B C

[a] Chrysost. in verb. Isaiæ hom. 5.

[b] Leo epist. 80. cap. 2.

XXXIV. PACTVM NECTARII MALE INTERPRETATI NOVATIANI.

Certe quidem huic similis fuisse videtur peccatorum illa confessio, quam mulier illa tempore Nectarij fecisse dicitur: quandoquidem non a presbytero eius fuisse propalatum peccatum, sed a se ipsa tantum, Socrates & Sozomenus testantur; sed id eodem sacerdore proculdubio suadente: cuius rei causa ille merito a Nectario est gradu amotus, officioq. depositus. quo facto, Nouatiani (vt mos est hæreticorum) quamcumque licet leuem, vt sinceris dogmatibus detrahant, arripere ausi occasionem (quod est in prouerbio: Muscæ ad vlcus) non tantum presbyterum pœnitentiarium in ordinem redactum, sed & pœnitentiam ipsam vna cum eo fuisse proscriptam, calumniose admodum conclamarunt: cum tamen (vt dictum est) illa potius theatralis fieri interdum solita confessio peccatorum fuerit abrogata, quam & S. Leo prohibuit; non autem secreta, cum sui natura esse soleat silentij tenacissima. Quòd si quis adeo sceleſtus inuentus fuerit presbyter, qui sacri asyli iura violauerit, & sacramento tantam iniuriam irrogauerit: si ob eam causam & sacramentum ipsum quis dixerit auferendum, certe deperijsse necesse erit cetera etiam sacramenta, ipsamq. diuinam Scripturam, sacras & profanas leges, & quicquid denique boni est a Deo concessum hominibus: cum nihil sit, in quod humana præsumptio non deliquerit. quo certe nihil stultius dici posse videtur. D

XXXV. QVAE EXOMOLOGESIS ABROGATA A NECTARIO.

Sic igitur non modo non secreta a Nectario, sed nec publica illa est abrogata exomologesis, quæ ex publico ac omnibus manifesto peccato prouenit; quæ hactenus in Ecclesia perseuerat. Habes eius exemplum egregie expressum a S. Hieronymo [c] de Fabiola vidua publice exomologesin faciente Romæ in basilica Lateranensi: quam (vt Augustinus [d] scribit ad Macedonium, & ante ipsum Ambrosius [e]) semel actam iterari non licebat: de qua etiam intelligit Ioannes [f] Chrysostomus, dum post semel impartitam reconciliationem, eam iterum tribui non debere testatur. Fuit & in vsu, sed inter monachos, publica quædam confessio, quæ collecta synaxi fieri consueuit, de qua inter alios hæc Basilius [g]: Admissum delictum nullo modo occultum teneto, sed in medium audientibus cunctis enunciato, vt per communem orationem sanetur morbus.] At hæc satis de his quæ ex Nectarij facto a pœnitentiæ hostibus sunt solita obijci: quæ licet (si temporis erat habenda ratio) suo loco potius quàm hic fuerant explicanda: tamen, quòd nobis de peccatorum confessione agentibus, eiusq. traditiones E

[c] Hier. epist. 30.

[d] Aug. epist. 33. & 54.

[e] Ambros. de pœnit. lib. 2. c. 10.

[f] Chrysost. hom. 2. in epist. ad Ephes.

[g] Basil. de instit. monach.

insinuantibus, ex Actis Apostolorum suppeditatum est argumentum; ne hæc quæ obijcerentur, consulto, tamquam occulta captata fuga, prætermisisse videremur, de his modo agere operæpretium duximus. Verum dum hæc nostra sub prælo essent, D. Latinius noster, vir cum primis eruditus, totaq. Vrbe spectatus, eodem argumento libellum rogatus edidit, egregium plane suæ senectutis honestissimæ monumentum: quo cum hæc nostra firmantur, tum etiam his nostris illa firmius roborantur. Vna enim cum sit veritas; licet eius studiosi diuersis interdum vijs incedant, necesse est tamen vt in idem loci conueniant.

XXXVI. RVRSVS DE CONFESSIONE PECCATORVM MAIORVM SENTENTIAE.

Quod vero spectat ad confessionem peccatorũ sacerdoti faciendam: multa alia suppetunt sanctorum Patrum testimonia, vt Basilij [a] id sæpius testantis, ac aperte profitentis, illis faciendam esse peccatorum confessionem, quibus sacra mysteria sunt commissa. Gregorius [b] Nyssenus id ipsum. Pacianus [c], qui claruit (vt testatur Hieronymus) temporibus Theodosij, resolutionem peccatorum sacerdotibus a Christo concessam, sacramentum appellat; idemq. in Paræneſi quam scripsit de pœnitentia, de confessione peccatorum sacerdotibus facienda, pluribus agit. Ambrosius [d] aduersus Nouatianos insurgens, multis demonstrat, recte Ecclesiam per sacerdotes vendicare, vt pœnitentium peccata dimittat: et duobus libris, quos de pœnitentia scripsit, nihil aliud facit, quàm Nouatianos insectari ac redarguere, simulq. ostendere, esse in Ecclesia confitentibus peccata per sacerdotes veram relaxationem & absolutionem delictorum, eamq. passim exerceri solitam: quin & ipse in eadem functione sæpe versatus, cum pœnitentiũ audiret delicta, commiseratione collacrymari solitus erat: quod eius clericus Paulinus, qui Vitã ipsius scripsit, testatur his verbis: Quotiescumque illi aliquis ad promerendam pœnitentiam lapsus suos confitebatur, ita afficiebatur commiseratione, vt flens aliena sicut sua peccata, ad fletum pœnitentem etiam commoueret: ac causas criminum, quas illi confitebantur, nulli nisi Domino, apud quem intercedebat, loquebatur; relinquens exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis, quàm accusatores apud homines.] hæc Paulinus. Certe non tantum publice peccantes ac pœnitentes Ecclesiæ reconciliare, sed & secreto confitentes audire, muneris fuisse Episcoporum, scribit Nicephorus [e] Chartophylax; additq. illos immensi pertæsos laboris, eamdem functionem delegasse postea monachis sacerdotibus. A B C

[a] Basil. reg. brev. tract. resp. ad interr. 288.

[b] Greg. Nyssen. homil. 3. in Ecclesiast.

[c] Pacian. epist. 1. ad Sympron.

[d] Ambros. de pœnit. c. 2. & seq.

[e] Niceph. epist. ad Theodos.

XXXVII. HIERONYMI ET AVGVSTINI ASSERTIO.

Meminit & secretæ confessionis Hieronymus [f], cum ait: Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio, eum peccati veneno infecerit: si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri: magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescit vulnus medico confiteri; quod ignorat medicina non curat.] idem & alibi [g], sacerdotes esse qui peccata audiant & diiudicent, tradit. Augustinus quoque de eadem sæpius, vt cum ait [h]: Nemo sibi dicat: Occulte ago, apud Deum ago: nouit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solueritis in terra, soluta erunt in cælo? Ergo sine causa sunt claues datæ Ecclesiæ? Frustramus Euangelium Dei, frustramus verba Christi.] et rursus inferius [i] de his qui peccant: Veniant, inquit, ad Antistites, per quos illis in Ecclesia claues administrantur.] et paulo post: Si peccatum eius non solum in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum; atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis, agere pœnitentiam; non recuser, non resistat.] hæc Augustinus de secreta primum, ac de publica pœnitentia, cum ratio publici scandali illam exigit. Eademq. alibi sæpius [k] inculcat. Cælestinus Papa [l], qui eodem vixit tempore, seueriſsimum sanxit decretum aduersus Episcopum, vel presbyterum, si cum muliere, cuius audisset peccatorum confessionẽ, peccasset; vt Episcopus annis quindecim pœniteret, presbyter vero duodecim; & si factum propalatum esset, deponerentur: quibus certe vsum secretæ confessionis demonstrat. D E

[f] Hier. in Eccl. c. 10.

[g] Hier. in Mat. 16.

[h] August. hom. 49.

[i] Aug. hom. 50.

[k] Aug. hom. 1. ex Ser. 8. de verb. Dom. c. 2. in Ioan. tract. 49. Ser. 60. de tempore.

[l] dist. 50. q. 1. c. non debet. & tom. 1. Concil.

XXXVIII.

His addimus post aliorũ Græcorũ testimonia qui ante Nectariũ vixere, quos recensuimus, & aliorũ qui post eum vixerunt, nempe inter alios, duos Anastasios, Sinaitã videlicet Antiochenum, & alterum Nicænũ, Episcopos; quorũ prior [m] hæc breuiter habet: Christo Domino per sacerdotes tua confitere peccata, &c.] posterior [n] vero post multa in eamdem sententiã disputata, hæc ait: Qui autem stulte, vel potius impie dicunt, nihil prodesse eam quæ fit hominibus confessionem; propterea quòd sint simi-

[m] Anastas. Sinait. ora. de sacra Synaxi.

[n] Anast. Nicæn. quæst. in Script. q. 6.

liter

Universidad de Deusto
Biblioteca

liter vitijs obnoxij, & animi perturbationibus : ſolum enim Deum poſſe tollere peccata: Sciant qui hæc dicunt, primum quidem, quòd ſuæ nequitiæ & amentiæ prætextũ obtendunt: deinde dicta ipſius Domini circumſcribunt, qui dicit ſuis miniſtris: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo. et rurſum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.] et paulo inferius: Etſi ergo ſit homo qui audit confeſſionem, Deus eſt tamen qui per ſe conuertit & donat.]

XXXIX. Sed & longe ante Ambroſius [a] hæc in eamdem ſententiam : Homines, inquit, in remiſſionem peccatorum miniſterium ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris & Filij & Spiritus ſancti nomine peccata dimittuntur. Iſti rogant, Diuinitas donat: humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.] hæc idcirco, quòd ſacerdos abſoluendo, preces præmittit, dicens: Miſereatur, tui, &c.] et cum ipſam peccatorum abſolutionem impartitur, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, illam pronunciat. Eſſent his addenda quamplurima, ſed non patitur ratio inſtituti vt his diutius immoremur. Ceterum hæc breuiter ſic habeto; cunctos, qui poſt vixere, Catholicos tam Latinos quàm Græcos rerum Eccleſiaſticarum tractatores de confeſſione peccatorum coram ſacerdotibus facienda in eamdem pedibus iuiſſe pariter ſententiam; ſicq. quod a Chriſto Domino noſtro eſt inſtitutum, & Apoſtolorum temporibus factitatum, numquam amplius in Eccleſia Catholica eſſe intermiſſum. His igitur quæ ad Apoſtolicas traditiones & Eccleſiæ vſum pertinent (vt ſuſcepti muneris officium poſtulabat) elucidatis, iam ad ipſam rerum Epheſi geſtarum hiſtoriam, vnde digreſſi ſumus, poſt longas tandem moras aliquando reuertamur.

[a] Ambroſ. de Spiritu ſancto. lib. 3. c. 19.

DEVS, NON HOMO ABSOLVIT.

XL. Cum nouo caſu irruentis dæmonis in Sceuæ filios exorciſtas, Chriſtiani etiam timore perculſi veniſſent ad Paulum, confitentes & annunciantes peccata ſua; pœnitentia etiam ſatisfacere ſtuduerunt: Multi enim (inquit Lucas [b]) ex eis qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quingentorum millium. Ita fortiter creſcebat verbum Dei, & confirmabatur.] Fuiſſe hos magiæ libros, æque omnes [c] conſentiunt. Antiquo quippe vſu receptum fuit, vt libri magicæ artis, qui per inuocationes dæmonum, alioſq. ſuperſtitioſos ritus exerceri conſueuerunt, igni traderentur. De his eſt reſponſum Pauli Iuriſconſulti [d] in hæc verba: Libros magicæ artis apud ſe neminem habere licet: et ſi penes quoſcumque reperti ſunt, bonis demptis, ambuſtiſq. his publice, in inſulam deportentur, humiliores capite puniantur.] Sed & Vlpianus [e], improbatæ lectionis libros, magicos ſcilicet, vel ſimiles, igni protinus eſſe tradendos, conſuluit. Sæpe [f] ſcimus datum negotium magiſtratibus de eiuſmodi libris diligenter inquirendis, vt in eos habentes animaduerterent. Vſitatum id ipſum apud Græcos, atque Athenis potiſſimum, vt improbatæ lectionis libri igni traderentur, exemplum [g] de Protagoræ voluminibus igni traditis declarat. Dicto igitur Epheſiorum Chriſtianorum exemplo, in Eccleſia itidem obſeruatur, vt non tantum magiæ libri, ſed & ceteri omnes qui ab hæreticis aduerſus Catholicam fidem ſcripti fuerint, igne conſumantur. De magiæ vero libris hæc Auguſtinus [h], de mago agens, quem ad fidem conuertit: Perierat iſte: nunc quæſitus inuentus, adductus eſt: portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus; vt illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.] De comburendis [i] vero libris hæreticorum, extant Chriſtianorum Imperatorum ſanctiones.

[b] Act. 19.

[c] Chryſoſt. Beda, Oecum. in Act. Apoſt.

[d] Paulus ſent. rect. lib. 5. tit. 23. ad l. Corn. de ſic. & veneſ.

LIBRI MAGIAE IGNE DAMNATI

[e] Vlpian. l. 4. 5. zantundem. ff. famil. erciſcũd.

[f] Liu. lib. 40.

[g] Cic. de Nat. deor. lib. 2.

[h] Aug. in Pſal. 61. in fine.

[i] l. vlt. de haret. Cod. Theod.

XLI. Porro æque ac magia, execranda viſa eſt Chriſtianis illa per aſtrorum aſpectum fieri ſolita diuinatio, quæ ex iudiciaria, quam vocant, aſtrologia manare conſueuit. Quamobrem Aquila Ponticus, eruditione interpretandi celeberrimus, ab Eccleſia eſt ejectus, quòd (vt Epiphanius [k] tradit) geniturarum inſpectionibus & natiuitatum horoſcopis vacaret. Sed hæc non ſolum apud Chriſtianos, verum etiam apud Gentiles: nam (vt Dio [l] tradit) Auguſti temporibus aſtrologi, ſicut & præſtigiatores, ſunt ab Vrbe (quod antea diximus) expulſi. Sane quidem de mathematicis Vrbe pellendis atrox Senatuſconſultum factum anno ſuperiori, ex Tacito [m] vidimus; quod tamen cum irritum fuiſſe dicat, non aliud ſignificat quàm quod alibi de his ait: Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra vetabitur ſemper, & retinebitur.] hæc idcirco, quòd ſæpius ijdem legibus Imperatorum inueniuntur eſſe

[k] Epiph. lib. de ponderib.

DE ASTROLOGIS ET MATHEMATICIS.

[l] Dio lib. 49.

[m] Tacit. lib. 12.

A tur eſſe proſcripti, ijdemq. rurſus in Vrbe ſemper inuenti. Sed enim quod pertinet ad Epheſios, de quibus eſt ſermo: genus hominum magiæ addictiſſimum fuiſſe, teſtatur S. Hieronymus [a]: in ea enim ciuitate artium magicarum præſtigiæ admodum viguerunt. Equidem nullibi carius quàm Epheſi Apollonius Tyanæus magiæ ſuæ merces eſt nundinatus, ſi Philoſtrato [b] credimus. Nam & ipſe cum circa hæc tempora Epheſum veniſſet, incredibilem ſane apud illius vrbis accolas æſtimationem aucupatus eſt; adeo vt (quod idem ait) ſtatua donatus ab illis, inter diuos relatus ſit. Sed quæ anni huius reliqua ſunt, proſequamur.

[a] Hier. in præf. epiſt. ad Epheſ.

[b] Philoſtr. lib. 4.

Hoc eodem anno, ijſdemq. Coſſ. tertio [c] Idus Octobris, circa horam ſeptimam moritur Claudius Imperator, annum ætatis agens (vt Suetonius tradit) ſexageſimumquartum, in Imperio vero decimumtertium, menſes octo, & dies viginti, vt numerat Dio. Sic igitur defuncto, Agrippinæ dolo, veneno illi propinato; Nero eiuſdem Agrippinæ filius annum attingens ætatis decimumoctauum, in Imperium ſucceſſit, tenuitq. annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus vigintiocto. Extinctum vero vna cum Claudio fuit edictum illud aduerſus Iudæos, ne in Vrbe agerent, promulgatum: quamobrem & Chriſtianis etiam, qui ex Iudæis crediderant, in Vrbem redeundi, qua pulſi fuerant, facultas data eſt. Viſus eſt Nero ipſo Imperij exordio erga Iudæos propenſior: nam & ipſorum Regem Agrippam [d] mox donauit quatuor ciuitatibus, nimirum Perea & Iuliade in regione Abilinæ, Tarichæa & Tiberiade in Galilæa poſitis: reliquam vero Iudæam Felici, qui (vt vidimus) a Claudio eam adminiſtrandam acceperat, curandam tradidit; idq. in gratiam Pallantis eius germani, qui ex eo quòd conciliaſſet nuptias Agrippinæ cum Claudio, quarum occaſione Nero ſubijſſet Imperium, apud Agrippinam & Neronem plurimum poſſe videbatur.

XLII.

[c] Senec. in Iul. de obit. Claud. Tacit. lib. 12. Suet. in Claud. c. 45. Dio lib. 60.

NERO IMPERAT.

[d] Ioſeph. antiq. lib. 20. c. 5. & de bello Iud. lib. 2. c. 12.

Sub ijſdem Coſſ. refert Tacitus [e], dolo Agrippinæ ſublatum eſſe veneno Iunium Silanum Aſiæ Proconſulem, atque Narciſſum libertum, qui apud Claudium primum ſere locum tenuerat, eſſe necatum. Porro hæc omnia facta ſunt (vt idem auctor ait) ignaro Nerone, qui ſic moribus compoſitus erat, vſus Seneca præceptore, vt cuiuſuis nocentiſſimi hominis legibus condemnati ſupplicium exhorreſceret: quod ad ipſum ſcribens teſtatur Seneca [f] his verbis: Animaduerſurus in latrones duos Burrus Præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi notus, exigebat a te, ſcriberes in quos & ex qua cauſa animaduerti velles: hoc ſæpe dilatum, vt aliquando fieret, inſtabat. Inuitus inuito cum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti: Vellem neſcire litteras. O dignam vocem, quam audirent omnes gentes quæ Romanum Imperium colunt.] hæc idcirco de Nerone, qui ipſo biennio ſui Imperij in omnes fuit beneficentiſſimus; vt non mireris, ſi reſciſſo in Iudæos Claudij edicto, eiſdem in Vrbem redeundi dederit libertatem.

XLIII.

[e] Tacit. lib. 13. Dio lib. 60. in fi.

NERONIS CLEMENTIA.

[f] Senec. de clem. lib. 2.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI ANNVS	NERONIS IMP. ANNVS
57.	13.	1.

ANno deinceps quinquageſimoſeptimo Domini, Claudio Nerone [g] & L. Antiſtio Coſſ. cum, morte Claudij, Iudæis adeundi Romam poteſtas facta eſſet, & ipſe Paulus tertium iam annum Epheſi ageret, veniendi Romam conſilium inijt; ſed prius Macedoniæ & Achaiæ Eccleſias viſitare, ac Hieroſolymam reuerti, demum Romam inde ſe conferre decreuit: hæc enim Lucas [h] in hæc verba teſtatur: His autem expletis, propoſuit Paulus in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaia, ire Hieroſolymam, dicens: Poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittens autem in Macedoniam duos ex miniſtrantibus ſibi, Timotheum & Eraſtum, ipſe remanſit ad tempus in Aſia.] hæc Lucas. Ad quodnam vſque tempus Paulus permanſerit Epheſi, ipſe his diebus ſcribens ad Corinthios [i], declarat his verbis: Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel etiam hiemabo, vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo autẽ vos modo in tranſitu videre: ſpero autem aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit: permanebo autem Epheſi vſque ad Pentecoſten.] Ac inſuper de Timotheo,

[g] Tacit. lib. 13.

IVDAEI REVERTVNTVR ROMAM.

[h] Act. 19.

[i] 1. Cor. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quem in Macedoniam vna cum Erasto, inde Achaiam præmiserat, hæc ait [a]: Misimus ad vos Timotheum, qui est filius meus carissimus, & fidelis in Domino.] ac rursum de eodem inferius [b]: Si autem venerit Timotheus, videte vt sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego.]

a 1. Cor. 4.

b 1. Cor. 16.

II. DE EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

Ex his itaque omnibus clarum perspicuumq. redditur, ipsum Paulum Apostolum scripsisse primam epistolam ad Corinthios, cum adhuc Ephesi moraretur, sed iam de profectione cogitantem. Qua autem occasione ad eam scribendã impulsus fuerit, paucis aperiendum est: ex eius enim argumento satis aperte proditur causa, quam ad rerum gestarum notitiam summopere conducere existimamus. Cum Paulus Corintho profectus, Ephesum veniens, ibi triennio moraretur; & Apollo Corinthum profectus, illic Euangelium prædicasset; licet non secus ac Paulus vnum Deum & Iesum Christum eius filium annunciasset: tamen accidit vt vana quadam iactantia quisque suum præceptorem, a quo esset eruditus, extolleret: dumq. alij se Pauli, Apollo alij, alij vero neutrius, sed Cephæ, nempe Petri, vel Christi esse gloriarentur; oborta est inter eos non parua contentio: quam Paulus vt componeret, aliaq. de quibus dicemus, sedulo admoneret, priorem ad ipsos dedit epistolam, qua in primis agens de eorum altercatione, hæc ait [c]: Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autẽ perfecti in eodem sensu, & in eadẽ sententia. Significatũ est enim mihi de vobis, fratres mei, ab ijs qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico, quòd vnusquisque vestrũ dicit: Ego quidem sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego vero Cephæ: Ego autem Christi. Diuisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? &c.]

c 1. Cor. 1.

III. QVOMODO CEPHAE SE ESSE DICERENT CORINTHII.

In his quidem aduertendum est, quoniam non sic dicebant alij se esse Cephæ, quòd Cephas Corinthi prædicasset: sicut nec qui se dicerent esse Christi, id ob eam causam profitebantur, quòd Christus cum in humanis esset, illis Euangelium annunciasset: sed potius quo illam contentionem & scissuram Ecclesiæ declinarent, rem ad suum principium reducentes (quòd sic falli non possent) dicerent alij, se esse primos omnium post Christum pastoris & Ecclesiæ capitis Petri discipulos, alij vero auctoris omnium Christi. Idcirco idem Paulus inferius, nulla de Cepha habita mentione, nec de Christo, sed quia sui tantum causa & Apollo fuerat oborta contentio, subdit [d]: Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? Ministri eius, cui credidistis, & vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit: sed Deus incrementũ dedit.] Sicq. videas, cum de ministerio & officio agitur prædicationis, nullam amplius (secundum nuper dictam sententiam) de Petro haberi mentionem, eo quòd nondum prædicasset ipse, sicut Paulus & Apollo, Corinthijs Euangelium: sed quòd in Ecclesia primatum teneret, esse ab alijs superius nominatum, sicut & Christum; vt quia ille omnium pastor, hic vero esset Christianæ religionis principium.

d 1. Cor. 3.

IV.

Quòd autem nondum Petrus Corinthum venisset, cũ illuc accedens Paulus Euangeliũ prædicauit; eiusdem Pauli testificatione satis videtur declaratũ haberi, dum ad Rom. scribens, hæc de sui animi instituto testatur [e]: Sic prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentũ ædificarem; sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, de eo intelligent.] Hæc cum ipse dicat Paulus, plane declarat, neque Petrum, neque alium ante ipsum prædicasse Corinthijs Euangelium. cumq. merito scribat: Ego plantaui] & quod subdit: Et Apollo rigauit] non alium quempiam, sed ipsum post Paulum ijsdem Corinthijs verbum Dei annunciasse indicat. Insuper cum post ipsum de nullo alio aliquo mentionem habeat, sed Deum incrementum dedisse dicat, nec de Petro aliquid addat; plane demonstrat, se tantum & Apollo, nec alium quempiam ante hæc tempora ijsdem Corinthijs Euangelium prædicasse. Non tamen negamus, venisse post hæc ipsa etiam Petrum Corinthum, atque eosdem ad pietatem instituisse: nam Dionysius [f] Corinthiorum Episcopus manifeste tradit, eamdem Corinthiorum Ecclesiam fuisse ab vtroque Apostolo stabilitam.

e Rom. 15.

PETRVS POST PAVLVM PRAEDICAVIT CORINTHIIS.

f Apud Euseb. hist. lib. 2. c. 24.

Cur

V. PAVLVS IN PRAEDICATIONE QVALIS.

Cur autem inter discipulos Pauli & Apollo ea contentio fuerit concitata: ex his quæ Lucas ac ipse Paulus scripserunt, facile est coniectare. De Apollo enim cum primum agit Lucas [a], eum ait fuisse virum eloquentem, ac potentẽ in Scripturis, qui & feruenti spiritu loqueretur, & diligenter ea quæ sunt Iesu doceret. At cum Paulus in prædicando aliam inijsset rationem, & ex composito omnem dicendi ornatum, omnemq. scientiæ cultum missum fecisset, visus est respectu illius in dicendo paulo frigidior atque ieiunior: sicq. cum in eo genere nonnulli Apollo præferrent Paulo, alij rursus (vt par erat) Paulo primas deferrent; ea, quam diximus, oborta est inter Corinthios recens ad fidem conuersos dira contentio. Quo autem consilio in prædicatione Euangelij Paulus eam inijsset rationem, ipse ad eos scribens his verbis significat [b]: Cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuncians vobis testimonium Christi. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: et sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus, & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.] hæc & alia id genus multa superius. Ceterum ipse Paulus in secunda [c], quam ad eosdem scripsit, epistola, se fuisse imperitum sermone, non autem scientia, profitetur.

a Act. 18.

b 1. Cor. 2.

c 2. Cor. 11.

VI.

Certe quidem quod ad sermonis ornatum pertinet: quantum ex eius epistolis Hieronymus [d] visus est sibi posse colligere, hæc habet in eamdem sententiam: Nos, inquit, quotiescumque solœcismos, aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, vt maleuoli criminantur; sed magis Apostoli assertores sumus, qui Hebræus ex Hebræis absque rhetorici nitore sermonis & verborum compositione & eloquij venustate numquam ad fidem Christi totum mundum traducere valuisset, nisi euangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute Dei: nam & ipse ad Corinthios ait: Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in eminentia verbi, sed in virtute Dei.] subdit: Iste igitur, qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiamq. concludere, audacter sibi vendicat scientiam, & dicit: Quoniam secundum reuelationem cognitum factum est mihi mysterium, &c.] Idem ad Algasiam [e]: Illud quod crebro diximus: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia: nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat; & cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone, quem cum in vernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctissimi, se ipsum interpretari cupiens inuoluitur. Si autem in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tarso Ciliciæ a parua ætate imbiberat; quid de Latinis dicendum est, qui verbum de verbo exprimere conantes, obscuriores faciunt eius sententias, & veluti herbis crescentibus, frugum strangulant vbertatem?]

d Hier. in epist. ad Ephes. c. 3. PAVLVS QVALIS IN SCRIBENDO.

e Hieron. epist. 151. q. 10.

VII.

Ceterum quanti ipse fecerit, ac ceteris æstimandum esse iudicarit Pauli genus dicendi, ad Pammachium [f] scribens insinuat, dicens: Paulum Apostolum proferam; quem quotiescumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. Legite epistolas eius, & maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est; & videbis eum in testimonijs quæ sumit de veteri Testamento, quàm artifex, quàm prudens, quàm dissimulator sit eius quod agit: videntur quidem verba simplicia, & quasi innocentis hominis & rusticani, & qui nec facere nec declinare nouerit insidias; sed quocumque respexeris, fulmina sunt.] ac rursum ad eumdem alibi [g]: Vbi electionis vas, tuba Euangelij, rugitus leonis nostri, tonitrus Gentium, flumen eloquentiæ Christianæ: qui mysterium retro generationibus ignoratum, & profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei magis miratur, quàm loquitur.] Hactenus de Pauli eloquentia Hieronymi iudicium.

f Hier. ad Pammach. epist. 30. PAVLI IN SCRIBENDO ENERGIA.

g Hier. ad Pammach. epist. 61.

VIII.

Sed quod ad hyperbata spectat, quæ sæpe in eius epistolis offenduntur: Irenæus hanc reddit rationem, dicens [h]: Hyperbatis frequenter vtitur Apostolus propter velocitatem sermonum suorum, & propter impetum qui in eo Spiritus est.] Ceterum Augustinus haud concedit Paulum imperitum fuisse sermone, sed eloquentissimum

h Irenæus lib. 2. c. 7. PAVLI HYPERBATA VNDE.

Universidad de Deusto
Biblioteca

prædicat: aliterq. quàm Hieronymus, eiusdem Pauli explicat verba, dicentis: Etsi imperitus sermone, non scientia.] Id, inquit, quasi concedendo obtrectatoribus, sic locutus, non tamquam id verum agnosceret, confitendo. Si autem dixisset: Imperitus quidem sermone: et non addidisset, Et non scientia: nullo modo aliud posset intelligi. Scientiam plane non cunctatus est profiteri, sine qua esse doctor Gentium non valeret. Certe si quid eius proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illius vtique epistolis proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores eius, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, graues & fortes esse confessi sunt [a].] hæc Augustinus [b]; qui & superius de eiusdem Pauli eloquentia pluribus differens, hæc tandem ait: Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse, non dicimus; ita quòd eius sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.] hæc ille, qui eadem declarat exemplis. A

a 2. Cor. 10.
b Aug. de doctr. Christ. lib. 4. c. 7.

IX.

At vero vt reuertamur ad ea quæ dicebantur de Paulo & Apollo: non hæc Paulus agebat, scribens ad Corinthios [c], vt qui se profiterentur Apollo vel Cephæ esse discipulos, eos ab illis auerteret, ac sibi petulanter adscisceret; sed potius id curabat, vt dissensione ac diuisione omni reiecta, omnes (vt par erat) in vnum Christum Dominum ac Deum Patrem vniret, a quo & nomen acceperant Christianum. Vnde & ait: Nemo itaque glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura: omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.] Nec insuper quòd Apollo aliam inisset in prædicatione Euangelij rationem, eum contemptibilem reddit, aut sugillat, sed æque commendat, ac laudat: quem & sicut se ipsum eisdem imitandũ proponit, cum ait: Hæc autem, fratres, transfiguraui in me & Apollo propter vos: vt in nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, vnus aduersus alterum infletur pro alio.] quibus quidem verbis magnam inter ipsos fuisse animorum coniunctionem, nec æmulationem aliquam interfuisse, sed pari consensione, licet diuerso modo, Christi fidem prædicasse, declarat. In eo igitur totus fuit Paulus, ne occasione hominum, euacuaretur (quod ait) crux Christi, ab hominibusq. potius quàm a Christo denominari illi deligerent, quod fuit semper proprium hæreticorum. Vnde apud Ambrosium [d] hæc leguntur: More hæreticorum dissentientes ab inuicem, hominibus deuoti, Pauliani, & Petriani, & Apolloniaci dici volebant, non Christiani: quod valde exprobrat Apostolus.] et infra [e]: Sicuti hæretici, qui se aut Photinianos, aut Arianos, aut Cataphrygas, aut Nouatianos, aut Donatianos, aut Manichæos vocari non abhorrent, ita & Corinthij.] Augustinus de ijsdem hæc habet [f]: Temporibus Apostolorũ, qui dicebant: Ego quidem sum Pauli: Ego quidem Apollo: Ego autem sum Cephæ: quamuis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant, hoc ipsorum erat proprium & detestabile vitium.] quod sunt æmulati omnes fere hæretici, vt a suo nomine suos sectarios nominarint: Catholici vero, exemplo Apostolorum, hoc maxime omnium sunt auersati, ac potissimum insectati. B C D

c 1. Cor. 3.

STVDIVM PAVLI ERGA CORINTHIOS.

d Apud Ambrosium in præf. epist. ad Corinth.
e apud eumd. ibid. in c. 1.
f Aug. de vnic. bapt.

X.

At quoniam diuisa semel Ecclesia schismate, simul omnia confunduntur, ipsaq. morum disciplina negligitur, & cuncta denique in deterius dilabuntur: multa & quidem enormia in Ecclesia Corinthiorum acciderunt; quæ Paulus, eadem ad eos scripta epistola, maxime laborat vt tollat, emendet, perperam facta corrigat, collapsa restituat, atque recens, quæ illis opus esse videret, instituat: perinde ac Dominus [g] Hieremiæ agendum præceperat, vt euelleret, destrueret, disperderet, & dissiparet, ac subinde ædificaret, atque plantaret. Portentosum quoddam facinus, auditu horrendum, a quodam illorum (non quidẽ ex vulgo, sed, vt existimarunt Chrysostomus [h] & Theodoretus [i], ab aliquo eorum qui ceteros sapientia antecellere viderentur, quiq. factiose Ecclesiã diuisissent, seq. duces ceteris præstitissent erroris) fuerat perpetratũ; quod Paulus [k] cũ insectatur, refert his verbis: Omnino auditur inter vos fornicatio, & fornicatio talis, qualis nec inter Gentes: ita vt vxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit.] Diuisi enim semel ab inuicem, ad suarum laudum accessionem proficere, quod de aliorum æstimatione decresceret, existimantes, aliorum casu magis elati quàm cauti, fastuq. sublimes quàm exemplo humiles reddebantur. Paulus igitur, cum non esset eiusmodi facinus quod dissimulari facile posset, id genus medicamentum vlceri hactenus putrescenti adhibendum præcepit, cum ait: Ego quidem absens corpore, præsens autem E

g Hier. 1.

DE SCELERE A CORINTHIO HOMINE PERPETRATO.

h Chrysost. hom. 15. in 1. ad Corinth.
i Theodoret. in præf. 1. ad Corinth.
k 1. Cor. 5.

autem spiritu, iam iudicaui vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.] Aduersus autem illos, qui inflati essent, sic superius [a] comminatus fuerat: Tamquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem (non enim in sermone est regnum Dei, sed virtute.) Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?] A

a 1. Cor. 4.

XI.

Sed quod ad pœnam pertinet in incestuosum hominẽ Pauli sententia infligendam, vt satanæ traderetur: non modo vt eiusmodi a dæmone obsessus miserabiliter cruciaretur, esse intelligendum; sed etiam, quòd sic traditus satanæ, a communione Fidelium haberetur abscissus, & (quod communi vsu loquendi fertur) excommunicatus, Patres omnes consentiunt: nam tollendum eum de medio eorum dixerat. Id Tertullianus in primis: Illis, inquit [b], traditis satanæ, id est, extra Ecclesiam proiectis.] et alibi [c]: Abijcitur extra ciuitatem in locum immundum, deditus scilicet satanæ in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam.] sicq. apparet illud Apostoli, auferri de medio, nihil aliud fuisse, quàm tradere satanæ; & tradere satanæ, istud ipsum, quod de Ecclesia eijcere. Porro ait multũ differre, tradere satanæ aliquem, & tradere alicui angelum satanæ, sicut & idem testatur Apostolus. Eodem modo Pauli sententiam explicant Hilarius [d], Hieronymus [e], Ambrosius [f], Augustinus [g], ac reliqui Latinorum, Græci pariter, vt Origenes [h], Chrysostomus, Theodoretus, & alij interpretes in dictum locum Pauli epistolæ ad Corinthios. Ceterum non semel tantum, sed sæpe ad coercendam contumaciam delinquentium, eadem excommunicandi censura vsus est Paulus. Nam Alexandrum & Hymenæum satanæ se tradidisse, ipse testatur ad Timotheum [i] scribens: nec aliud significare voluit, cum ad Galatas scriberet, dicens [k]: Si quis annunciauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit.] B C

DE EXCOMMVNICATIONE A PAVLO INFLICTA.

b Tertul. de pudicit. c. 13.
c Ibid. c. 20.
d Hilarius in Psal. 118.
e Hieronym. in Ezech. c. 17.
f Ambros. de pœnitent. lib. 2. c. 14.
g August. lib. de fid. & operibus c. 26.
h Orig. in Iud. hom. 5.
i 1. Tim. 1.
k Galat. 1.

XII.

Quòd vero qui ea censura percellitur, ab Ecclesia eijceretur, eaq. excommunicatio dici a maioribus consueuerit, non quidem a Paulo est primitus institutũ: nam Iudæis in obseruatione erat, vt cum quis immane aliquod perpetrasset scelus, non a templo tantum, sed a synagogis etiam dimoueretur. vnde apud Ioannem [l] legitur, hanc pœnam Iudæos comminatos fuisse ijs qui Iesum confiterentur esse Christũ; qua & mulctatus est cæcus, qui a Christo fuit illuminatus: eademq. ab ijsdem fore afficiendos Apostolos, Dominus prædixerat, cum ait [m]: Absque synagogis facient vos.] Vnde & Cyrillus [n]: Magnum re vera apud Iudæos opprobrium ducebatur, si quem de synagoga eiecissent. Sicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel ceteri capitalibus criminibus rei ab Ecclesia pelluntur: ita tunc confessores Christi a synagoga Iudæorum eliminabantur.] Apud Essenos quoque terribile excommunicationis genus in vsu fuisse, Iosephus testatur, cum ait [o]: Deprehensos vero in peccatis a sua congregatione depellunt; & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis & ritibus obligatus, neque capere ab alijs oblatum cibum potest; herbas vero pecudum more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerumque miserati, extremum spiritum agentes receperunt; sufficientem pro peccatis eorum, quæ vsque ad mortem adduxerit, pœnam luisse censentes.] hæc Iosephus. D

EXCOMMVNICATIO APVD IVDAEOS IN VSV.

l Ioan. 9.
m Ioan. 16.
n Cyrill. in Ioan. lib. 6. c. 20.
o Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 7.

XIII.

Sane & apud Gentiles, & in primis ipsos Romanos, species quædam huius supplicij videbatur esse in vsu, cum videlicet aliquis ob perpetratum nefandum aliquod facinus Diti deuouebatur, siue diris; dictæ enim diræ erant furiæ infernales. talis vero (vt tradit Dionysius Halicarnassæus [p]) poterat a quolibet impune occidi. Apud Gallos si qui eorum sacerdotibus, qui Druydæ dicebantur, non paruissent (penes illos enim erant iudicia tam rerum capitalium, quàm etiam litium & controuersiarum priuatarum & publicarum) & eorum decretis non stetissent, sacrificijs ijsdem interdicebatur. Erat hæc pœna apud illos grauissima: nam quibus sic interdictum erat, ij numero sceleratorum habebantur, ab ijsdemq. omnes decedebant, aditũ sermonemq. fugiebant, rati nimirum quacumque leui cum eis communicatione eorum contagione affici: insuper nec ijs ius petentibus reddebatur, nec etiam honos vllus exhibebatur. hæc omnia Cæsar [q]. Sed ad nostra redeamus. E

EXCOMMVNICATIO APVD GENTILES.

p Dionys. lib. 2.
q Cæsar comment. de bello Gall. lib. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIV. EXCOMMVNICATIO QVIBVS MODIS A MAIORIBVS DICTA

Exemplo igitur Apostoli, & Domini auctoritate, qui non tantum soluendi, sed & ligandi suis tradidit potestatē, in Ecclesia Catholica vsus excommunicandi receptus, & frequenter, cum visum est opus, adhibitus, hactenus perseuerat: vt grauiorū peccatorum rei, sicut olim de Paradiso Adam, sic modo isti (ait Hieronymus [a]) de Ecclesia eijciantur. Idcirco Tertullianus [b] eamdem animaduersionem modo nominat diuinam censuram, de qua ait: Ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura diuina: nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: summumq. futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt a communione orationis & conuentus & omnis sancti commercij relegetur.] modo anathema nominat, vt cum dicit [c]: Ibidem Scorpio pro solea anathema inlidito, & relinquito in suo sopore morientem.] modo vero alijs verbis circumscribit, vt cum ait, laniſtam [d] arcendum ab Ecclesia, vel stupri [e] reos arcendos ab omni communione fraternitatis: item relegare [f] in perpetuum dissidium, communicatione [g] interdicere, prohibere ne in Ecclesiam recipiatur, communicatione [h] depellere, itemq. submouere [i] a limine & omni tecto Ecclesiæ, dare extra Ecclesiam, sacramento benedictionis exauctorare. Sic & ab excommunicatione absolutionem appellat [k] largiri postliminium Ecclesiasticæ pacis, ad Ecclesiam reuocare, & Ecclesiæ concorporare: quæ omnia loca Pamelius, de sacris litteris optime meritus, diligenter obseruat. Cyprianus (quod idem sæpe [l] notat) eamdem censuram modo abstentionem nominat, modo alijs periphrasibus circumscribit: vt, arcere a communione, non communicare, vel a communicatione cohibere, excludere vel eijcere ab Ecclesia, abstinere a communicatione, depellere, condemnare, & alijs similibus: vt ad Pomponium scribens, excommunicationem gladium spiritualem appellat, cum ait [m]: Spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur.]

a Hieronym. in Oseam c.6.
b Tertul. in Apolog. c. 39.
c Tertull. in Scorp. c.1.
d Tertull. de idol. c.11.
e Tertull. ad vxor. lib.2.c.3.
f Tertul. aduer. hæret. c. 30.
g Tertul. aduer. Marc. lib. 4. cap. 24.
h Tertul. de monog. c.15.
i Tertul. de pudicit. c.4. & 14.
k Ibid. cap.15.
l Cyprian. epist. 28. not. 10.
m Cyprian. epist. 62.

XV.

Quòd vero præ ceteris alijs nominibus eadem Ecclesiastica censura frequentiori vsu excommunicatio dici soleat, ex eo accidisse videtur, quòd qui ea percellerentur sententia, a communicatione Christi corporis potissimū arcerentur. Vnde Cyprianus [n]: Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus: intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore seiungimur.] et paulo post: Vt manifestum est eos viuere qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communionis accipiunt; ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso, & dicente: Nisi ederitis carnem Filij hominis, &c.] Sed & ea de causa, quòd ijdem etiam a Fidelium arcerentur communionis consortio, proprie eadem censura excommunicatio est appellata; quo nomine frequenter vtitur Augustinus, vt cum ait [o]: Nisi essent grauia delicta, vt etiam excommunicatione plectenda sint; non diceret Apostolus [p]: Congregatis vobis & meo spiritu tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, &c.]

n Cyprian. de erat. Dom.
COMMVNICATIO ET EXCOMMVNICATIO.
o Augustl. de fid. & operib. c.26.
p 1. Cor. 5.

XVI.

Cur autem satanæ tradi dicatur qui ab Ecclesia eijcitur, hæc Hilarius [q]: Omnis enim in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est; & vbi Deus non est, illic diaboli locus est; qui insidians atque obsidens, vbi adeundi opportunitatem habuerit, tamquā vacuam domum occupat, quæ ei, Deo iam discedente, sit tradita.] et inferius: Qui enim ab Ecclesiæ corpore respuuntur, quæ Christi est corpus, tamquam peregrini & alieni a Dei corpore, dominatu diaboli traduntur.] hæc Hilarius. Et Hieronymus [r] in eamdem sententiam: In veteri lege quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice subiecta, contemptum expiabat cruore: nunc vero inobediens spirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpitur.] idem alibi [s] eamdem censuram virgam ferreā appellans, ait: Miror sanctum Episcopum, in cuius parochia esse presbyter dicitur, acquiescere furori eius, & non virga Apostolica, virgaq. ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat.]

q Hilar. in Psal. 118.
TRADITVR SATANAE EXCOMMVNICATVS.
r Hier. epist. 2.
s Hier. epist. 52.

XVII.

Gregorius Nyssenus in ea oratione quam habuit aduersus eos qui ægre ferunt reprehensiones: Si, inquit, segregatione a nobis clausæ sunt portæ Ecclesiæ, blasphemijs & maledictis infectamur.] et post alia multa de contumacia & damno talia patientium, hæc addit: Si haberes oculos apud animæ essentiam, ostendissem tibi segregato figuram & habitum condemnati, cuius collum premitur grauissimis vinculis, &

MALA QVAE PATI COGATVR EXCOMMVNICATVS.

nullum

nullum habet membrum liberum aut solutum. Et vtinam intra huius vitæ terminos circumscriberetur supplicium. Nunc autem si quid humanitus contigerit, & mors repente tamquam fur nocte aduenerit; scias tibi, quæ illic sunt, esse clausa. Sunt diligentes & non ludentes ianitores regni. Vident animam ferentem signa segregationis, non secus atque quempiam, qui sordida & impexa coma arguit carcerem: eamq. eijciunt a via quæ tendit ad ea quæ sunt bona & pulchra; nec concedunt vt videat ordines iustorum & angelicam lætitiam. Misera autem tunc sæpe conquerens de suo malo consilio, flensque, lugens, & eiulans, perpetuo erit in tetro & mæsto loco abiecta, tamquam in angulo, & numquam desinet, & nullam admittet consolationem, luctum extendens in æternum.] et paulo post: Ne Episcopalis arrogantiæ existimes esse segregationem: lex est patria, vetus est regula Ecclesiæ, quæ cœpit a lege, & fuit confirmata in gratia. Considera sanctum Paulum in reos emittentem sententias segregationis, & iuuenem Corinthium eo curantem medicamento, qui satanice nouercæ insano erat captus amore.] hæc ipse.

XVIII. VTILIS ANIMADVERSIO.

Enimvero quàm proficua & vtilis hæc posita sit censura in Ecclesia [a], Origenes, qui claruit (vt alias diximus) temporibus Seueri vsque ad Gallum & Volusianum, hæc ait: Peccauit quispiam, & post peccatum postulat communionem: si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium venia procedit, & laxatis frenis, sceleribus panditur via: Sin vero cum rationabili deliberatione, non vt misericors, nec rursum vt crudelis iudex, sed & quasi vni prouidens, & de omnium salute pertractans, considerauerit populi damnum in vnius venia; haud dubium est quin faciat eijci vnum de Ecclesia, vt multos saluet incolumes. Age nunc considera mihi & medicum, si cessauerit a sectione eius vulneris quod secandum est, si non vserit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remedijs consequuntur; quomodo crescat infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet. Si vero (vt ita dicam) temerarius ad vulnus sector accesserit, & inusserit plagam; curat eum qui secatur & vritur: quia paululum seueritatis absumpsit, licet visus fuerit ægrotanti ad horam non misereri. Ita & Deus, &c.] plura enim in eamdem sententiam, sicut & alij complures Ecclesiastici tractatores.

a Orig. in Hier. hom. 9.

XIX. HAVD TVMERE INFLIGENDA EXCOMMVNICATIO.

Hi etiam grauissimum omnium eiusmodi censuræ pondus considerantes, nonnisi ex grauissima causa eam esse adhibendam tradiderunt, vt inter alios Gregorius Nazianzenus [b] atque Chrysostomus [c]; qui non sic quidem abstinendum dixerunt ab eadem in meritos infligenda pœna, sed omnia primum experienda esse remedia, quàm membrum sectione a ceteris diuellatur. Nam & ipse Gregorius [d] inuehitur in eos qui omnibus indistincte Ecclesiæ aperiunt portas, & passim proijciunt absque delectu margaritas ante porcos. Et Chrysostomus [e] hæc de se ipso: Nos quidem ad soluendum dumtaxat vti potestate vellemus, quinimmo nec huius necessitatem vellemus habere; nullum enim volumus apud nos esse captiuum: non ita miseri sumus & ærumnosi, licet valde simus viles. Si vero coacti fuerimus, ignoscite. Non enim sponte, vel volentes, sed plus vobis dolentes ligatis inijcimus vincula. Si quis autem hæc contemnat; iudicij tempus aderit, quod eum doceat: reliquum autem nolo dicere, ne mentem vestram consternem. Nam nos quidem primum ne trahamur in necessitatem optamus: quòd si venerimus, nostrum implemus officium, vincula inijcimus, &c.] hæc Chrysostomus: quæ autem subduriuscula ab eo dicta videntur ea homilia, cuius est titulus, De non infligendo anathemate; quoniam ex rei gestæ occasione verborum sensus accipiendus est, consule quæ dicta sunt a nobis suo loco quarto Annalium tomo. Id etiam Ambrosius [f], dum ait: Cum dolore amputatur etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc a medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre, vlcera adurere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere. Vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum.] hæc Ambrosius, ex quo, sicut etiam ex ceteris Patribus, in eamdem sententiam multa alia dicta afferri huc a nobis possent, quæ vt superflua omittimus.

b Greg. Nazian. in orat. de moder. in disp. seruand.
c Chrysost. hom. de anath.
d Greg. Nazian. Apol. 1.
e Chrysost. ad popul. Antioch. homil. 70.
f Ambros. offic. lib. 3. c. 27.

XX.

Sed quid tunc fiet, si Episcopi non vt decet pastores se gerunt, sed (quod reprehendit Apostolus [g]) percussores se exhibent? De his hæc Origenes [h]: Interdum fit, vt aliqui

g 1. Tim. 3.
h Origen. in Leuit. hom. 14.

non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non recto iudicio eorum qui præsunt, Ecclesia pellantur, & foras mittantur. Sed si aperte ante non exijt, hoc est, si non egit vt mereretur exire, nihil læditur ab eo, quòd non recto iudicio ab hominibus videtur expulsus: et ita fit interdum, vt ille qui foras mittitur, intus sit; & ille foris, qui intus retineri videtur.] hæc ipse. Queritur de his Hieronymus [a] sic dicens: Superbia maiorum, & præpositorum iniquitate frequenter pelluntur ab Ecclesia, vt dispergantur a Domino, quos ipse saluauit.] Verum quid alibi [b]? Non debemus ergo, inquit, si forsitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum & de domo Dei eijcimur, reluctari; sed æquo animo latam in nos ferre sententiam, & dicere cum Propheta: Iram Domini sustinebo, quoniam peccaui ei; donec iustificet causam meam.] ac rursum, vt suæ salutis, qui excommunicatus est, solicitus esse debeat, quo ad Ecclesiam reuocetur, admonens, ait [c]: Desperare non debet, nec se otio & desidiæ tradere; sed bonis operibus nitens, mille vijs ad Ecclesiam reuerti, satagere debet.] Et Gregorius [d]: Hæc de solutionis ordine breuiter dixerim, vt sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrum iuste, an iniuste obliget pastor; pastoris tamen sententia gregi timenda est; ne is qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem, qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat; ne etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.] hucusque Gregorius. atque de his satis.

IN EPISCOPOS PERCVSSORES.

[a] Hieronym. in Ezech. cap. 34.
[b] Hieronym. in Ezech. cap. 17.
[c] Hieronym. in Hier. cap. 29.
[d] Greg. homil. 26. in Euang.

XXI. At vero non ignorandum est, Ecclesiam nonnisi in publice peccantem, vel quem admonitionibus præcedentibus senserit contumacem, consueuisse eiusmodi pœnam infligere, secundum quod Paulus admonuit, dicens [e]: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.] Vnde & S. Gregorius ad Natalem Episcopum Salonitanum: De excommunicationis articulo, quæ tamen interposita conditione gradus secundo vel tertio iam (vt ita dicã) ex necessitate subiuncta est, beatitudo vestra immerito queritur; cum Paulus Apostolus dicat: In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.] Cũ igitur quædã pertinacia hominem implicauerit, quacumque ex causa illa præcesserit, siue ex fide, quæ omnium maxima iudicatur, siue ex bonis temporalibus, quæ censetur omnium minima, eiusdem seueritate censuræ potest iure percelli. Vnde S. Augustinus de his qui possident aliena bona, hæc ait [f], scribens ad Macedonium: Nolentes autem reddere, quos nouimus & male abstulisse, & vnde reddant habent, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diuersitas personarum diuersam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem ad maiorem insaniã concitari: aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione priuamus.] hæc Augustinus. Quibus autem verbis excommunicationis sententia antiquitus proferri soleret, ex scripto paulo inferius recitabimus, cum agemus de iudiciaria potestate Episcopis concessa. Permulta his addenda essent: sed quæ diximus, ad Ecclesiasticas traditiones (prout nostri muneris est) insinuandas, ac confirmandas, satis roboris habere videntur.

[e] 2. Cor. 3.

EXCOMMVNICATIO IN QVOS INFLIGI SOLEAT.

[f] Aug. epist. 54.

XXII. Id tamen his addere non omittimus, fuisse (vt nunc est) apud maiores Ecclesiasticam illam censuram in obseruatione, quæ dicitur degradatio, seu exauctoratio, vel depositio, cum Ecclesiæ minister ob aliquod facinus perpetratum, ex officio & ordine deijcitur, in quem fuerat sublimatus. Est eius rei exemplum apud Tertullianum [g] de presbytero Asiano, qui ob eam causam, quòd fictitias quasdã Periodos Pauli & Theclæ confinxerat, sacerdotio priuatus, loco decidit. S. Cyprianus [h] etiam scribens ad Rogatianum de diacono superbo ac contumaci, hoc ipsum monens, sic ait: Fungeris circa eum potestate honoris tui, vt eum vel deponas, vel abstineas.] Denique ipsa degradationis voce etiam vtitur Augustinus [i]. Erat & in vsu ea censura, quæ suspensio dicebatur, cum clericus ne in ordine sibi collato ministraret, ab Episcopo vetaretur. Vsus est ea Cyprianus [k] in suos presbyteros, qui lapsos, nondum peracta pœnitentia, suscepissent. meminit & eiusdem Augustinus [l] ex Concilio Africano: quam & ipse exercuit [m] in presbyterum castitatis & temperantiæ transgressorem. Animaduersio etiam illa vsu frequens erat, vt delinquentis clerici nomen deleretur ab Ecclesiæ tabulis; vel saltem, cum vehementi alicuius facinoris suspicione laboraret, nomen eius supprimeretur, nec sicut ceterorum publice recitaretur. Vtriusque censuræ meminit idem Augustinus [n], & ante

DEGRADATIO. SVSPENSIO.

[g] Tertullian. de bapt. c. 17.
[h] Cyprian. epist. 65.
[i] August. epist. 235. ad Quintian.
[k] Cyprian. epist. 10.
[l] August. epist. 137.
[m] August. epist. 236.
[n] August. epist. 236. & 137.

ante ipsum Cyprianus [a]. Sunt & aliæ pœnæ Ecclesiasticæ, quæ tum in Canonibus qui dicuntur Apostolorum, tum etiam in Conciliorum decretis habentur expressæ. Sed de his satis. iam ad eam, de qua susceptus est sermo, Pauli epistolam redeamus.

[a] Cyprian. epist. 10. & 66.

XXIII. Cum itaque incestuosum hominem excommunicationis pœna perculisset, ac admonuisset ceteros ab eodem seiungi, nec se illi commiscere; & vt eadem magis inculcaret, iterum repetijsset, sic dicens: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs] & paulo post: Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator] subijt in aliquorum mentem, fuisse ab Apostolo aliam adhuc ante hanc ad eosdem Corinthios datam epistolam. Sed verior probatur Ioannis Chrysostomi [b] & aliorum sententia, vt ea Pauli verba ad ea potius quæ proxime dixerat, referantur, quàm ad aliam aliquam, cuius nulla est memoria, scriptam epistolam inducantur.

[b] Chrysost. in 1. ad Corinth. c. 5. Theodoret. studã & alij.

XXIV. Dum vero Paulus Apostolus eadem epistola non tantum quæ dicta sunt, sed & cetera quæ in Corinthiorum Ecclesia essent collapsa, restituit; miro quodam Dei consilio ac prouidentia, quid in vnaquaque Ecclesia in posterum esset agendum, edocuit. Maximi quidem ponderis erat in Ecclesia iudicij tribunal erigere; quo tamen potius carere posse optasset. Nam si omnes Christi fideles ex æquo, qua semel imbuti essent, Euangelicam pietatem excoluissent; nullum prorsus ad lites dirimendas opus fuisset iudicium constituere. sed quòd essent nonnulli rerum temporalium cupidi, non tantum sua auide possidentes, verum etiam in aliena procaciter inhiantes; opus fuit Apostolum his consulere, & quæ ad optimum Christianæ reipublicæ statum pertinent, ordinare. Ad eos igitur scribens, ac in primis redarguens ait [c]: Audet aliquis vestrum, habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de mundo iudicabunt? Et si in vobis iudicabitur mundus; indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur iudicia si habueritis; contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?] hæc Paulus.

DE IVDICIO ECCLESIASTICO.

[c] 1. Cor. 6.

XXV. Quod vero ad antiquum eius rei vsum in Ecclesia seruari solitum pertinet, hæc leguntur apud Clementem [d]: Præclara Christiani laus est, cum nullo habere negotium. Quòd si ex aliqua vexatione & tentatione lis alicui oriatur, curet vt ea transigatur, etiam si detrimentum pati debeat: nec ad Ethnicum iudicium accedat, sed nec patiatur mundanos magistratus de nobis ius dicere: nam per illos diabolus seruos Dei vexat, & nobis notam inurit, quasi non habeamus nos vnum sapientem, qui possit inter fratres ius administrare, & controuersias componere. Non cognoscant ergo Gentes controuersias.] et post multa: Iudicia vestra fiant in secunda sabbati, vt si qua controuersia ex sententia vestra oriatur, vsque ad sabbatum libera sit vobis facultas, qua positis controuersiam illam componere, & pacem conciliare inter eos qui litigant. Adsint autem iudicio diaconi & presbyteri, integre iudicaturi, veluti Dei homines, cum iustitia. Cum vtraque persona venerit, prout lex iubet, ambo qui litigant, statuantur in medio tribunali: ijsq. auditis, sancte iudicium pronunciate, studentes ante sententiam Episcopi eos conciliare, ne exeat supra terram iudicium in peccatorem.] habet hæc Clemens & alia [e] plura de iudicio Ecclesiastico exercẽdo ex Constitutionibus Apostolorum, quas Epiphanius [f] aliquando citat; vt non sit dubium, illum commentarium antiquissimum esse.

IVDICIVM ECCLESIASTICVM QVALE.

[d] Clem. Constit. lib. 2. cap. 49. 50. 51.
[e] Clem. eod. lib. c. 52. 53. 54. 55. 56. 57.
[f] Epiph. hæres. 45. & 70.

XXVI. Ex his dictis igitur liquet, mentem fuisse Pauli, non quemlibet ex Christianis infimi ordinis iudicio præficere, sed sapientem. Vnde etiam Theodoretus hæc ait [g]: Qui est (inquit Paulus) omnium abiectissimus & Ecclesiæ minimus, est præstantior ijs, qui apud illos intelligentes & doctissimi existimantur. Neque enim iubet eos iudicare, qui sunt in Ecclesia abiectissimi: et hoc significant ea quæ sequuntur: Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens, qui possit iudicare inter fratrem suum?] At non quemliber ex sapientibus, sed & sacerdotem iudicio præficiendum esse ex sententia Pauli, secundũ ea etiã quæ recitauimus ex Clemente, Ioannes Chrysostomus [h] affirmat,

QVIS PRAEFICIENDVS IVDICIO ECCLESIASTICO.

[g] Theodor. in 1. ad Corinth. 6.
[h] Chrysost. in 1. ad Corinth. 6. homil. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mat, dum ait: Cum hyperbole & exuperatione nos volens docere, quòd quicquid sit, non oporteat externis dare, mota quæ videbatur esse obiectione, ante eam soluit. Nam quod dicit, est huiusmodi: Fortasse dicet quispiam, nullum esse inter vos sapientem, neque qui ad discernendum & iudicandum sit idoneus. Et quid tum? Nam etsi nullus, inquit, sit sapiens, vos minimis permittite.] et post pauca: Est enim admodum turpe, si ne fratribus quidem sacerdos possit esse auctor reconciliationis, sed necesse sit recurrere ad externos. Quamobrem dicens, Contemptibiles qui sunt: non hoc dicit præcipue, quòd oporteat eos qui sunt abiecti, constituere; sed eos tangens: nam quòd eos ijs qui possunt discernere ac dijudicare, permittere oporteat, significauit, dicens: Sic nec est inter vos sapiens quisquam.] A

XXVII. EPISCOPI IVDICES IN ECCLESIA.

[a] *Augustinus etiam in libro quem scripsit de Opere monachorum, Episcopis eiusmodi iniunctum esse iudicium testatur, cum ait:* Testem inuoco super animam meam, quoniam mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orandum, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotijs sæcularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Quibus nos molestijs idem affixit Apostolus, non vtique suo, sed eius qui in eo loquebatur, arbitrio: quas tamen ipsum perpessum fuisse, non legimus: aliter enim se habebat Apostolatus eius discursus. Nec dixit: Sæcularia igitur iudicia si habueritis, ad nos deferte, aut nos constituite ad iudicandum: sed eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos, inquit, collocate. Ad reuerentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare; sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles. Sapientes ergo, qui in locis consistebant, fideles & sanctos, non qui hac atque illac propter Euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit. Vnde numquam de illo scriptum est, quòd aliquando talibus vacauerit, a quibus nos excusare non possumus, etiam si contemptibiles nos simus: quia & hos collocari voluit, si sapientes defuissent, potius quàm negotia Christianorum deferrentur ad forum. Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia.] hæc Augustinus. B C

[a] *Aug. de oper. monach. c. 29.*

XXVIII. Sed quòd nulla a Paulo de Episcopo mentio habeatur, cum (vt vidimus) ex ipsius mente in Ecclesia Episcopi eiusmodi officium exercerent; ea apud Ambrosium atque omnino vera afferrur ratio [b]: Ideo fratrem iudicem eligendum esse dicit, quia adhuc rector in Ecclesia illorum non erat ordinatus.] Ceterum eiusmodi iudiciariam potestatem in Ecclesia Dei collatam Episcopis, non tantum ex dicta (vt vidimus) institutione Apostolica prouenisse, sed ab ipso Domino Iesu Christo duxisse principium, & accepisse auctoritatem, certum est. Christi enim sacerdotium [c] fore secundum ordinem Melchisedec, qui simul Rex fuit atque sacerdos, Dauid olim præcinuerat, & Paulus [d] est dilucidius interpretatus: vt sicut ille dictus est Rex iustitiæ, itemq. Rex pacis, & ab Abraham decimas accepit, cui & benedixit; ita Christus, cuius est nomen a regno, tam hic in Ecclesia, omnia sibi subijciens, quàm in cælo esset perpetuo regnaturus. Sane quidem Dauidi [e] pollicitus est olim Deus, ex eius semine Regem perpetuo regnaturum. Sed & longe antea hoc ipsum præuiderat Iacob [f]; non defuturum scilicet sceptrum de Iuda, & ducem de femore eius, donec veniret cui repositum esset, nempe Christus, vt omnes interpretantur. Sed quale regnum? num tantummodo Iudæorum? quin & omnium Gentium, vt scriptum est [g]: Dabo tibi Gentes hereditatem tuam.] An fortasse nomine tenus? immo vt regat eas in virga ferrea; vt cū opus fuerit, tamquam vas figuli confringat eas.] Aut vero illi tantūmodo? sed & posteris: quod ipse liberaliter profitetur, sic dicens [h]: Qui vicerit, & custodierit vsque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes, & reget eas in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi a Patre meo.] hæc Angelo, nempe Episcopo Ecclesiæ Thyatiræ, nec illi soli, sed & omnibus, qui de impietate victoriam obtinentes, intelligentes se esse Episcopos, promissionem factam Episcopo consequerentur, eamdemq. acciperent virgam, de qua alibi dictum est [i]: Virga directionis, virga regni tui.] Duplex quippe est eius virgæ vsus, alter nimirum ad vlciscendum (vt ait Apostolus [k]) omnem inobedientiam; quam idem minatur in hac ipsa epistola, dicens [l]: Quid vultis? in virga veniam ad vos?] alter vero ad docendum, vt cum subdit: An in charitate & spiritu mansuetudinis?] D E

[b] *Apud Ambros. in 1. ad Cor. 6.*
[c] *Psal. 109. REGNVM CVM SACERDOTIO.*
[d] *Hebr. 6. 7.*
[e] *Psal. 88.*
[f] *Gen. 49.*
[g] *Psal. 2.*
[h] *Apoc. 2.*
[i] *Psal. 44.*
[k] *2. Cor. 10.*
[l] *1. Cor. 4.*

De his

A De his S. Augustinus [a] hæc in eamdem sententiam: In Christo habet Ecclesia hanc potestatem: sicut dixit Apostolus ad Romanos [b], cum illo nobis omnia donata fuisse. Sic virgam ferream dixit Ioannes propter iustitiam & propter rigorem: cum virga corrigantur boni, mali vero confringantur] sicq. eadem lupos arceat, & oues dirigat: vt merito dici possit: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt] cum videlicet omnia ad ædificationem Ecclesiæ conferant. Cum igitur Christus Rex atque sacerdos [c] omne iudicium a Patre acceperit, plenissimam nimirum iudiciariam potestatem; eamdem simul cum sacerdotio iungens, instituit (secundum quod Petrus ait [d]) regale in Ecclesia sacerdotium: quippe qui omnem, quam a Patre potestatem accepit, transfudit in suos: quod ipse sic testatus est, dicens [e]: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos] atque addens: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur B eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.] Dans eis quæ Dei solius esse videntur (nam nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus) quæ hominū sunt, nimirū homines iudicare, quomodo putandus eisdem non concessisse? At nec quòd dixit: Regnū meum non est de hoc mundo] Regem se esse negauit. Nam & alias interrogatus [f]: Rex es tu?] non negauit, sed dixit: Tu dicis, quia Rex sum.] Nec redarguit Nathanaelem eruditissimum virum sibi dicentem [g]: Tu es filius Dei: tu es Rex Israel.] Nec obiurgauit, immo & defendit turbam clamantem, & dicentem [h]: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel.]

[a] *Aug. hom. 2. in Apocalyps.*
[b] *Rom. 8.*
[c] *Ioan. 5. CHRISTVS TRANSMISIT IN SVOS REGIAM POTESTATEM.*
[d] *1. Pet. 2.*
[e] *Ioan. 20.*
[f] *Ioan. 18.*
[g] *Ioan. 1.*
[h] *Ioan. 12.*

XXX. Hanc igitur regiam dignitatem vna cum sacerdotio ad posteros in Ecclesiam Dominum transmisisse, Epiphanius [i] erudite his verbis testatur: Rex alienigena Herodes aduenit, & non amplius successores Dauid diadema imponebant, translapsa regia sede in C Christo ad Ecclesiam. Et a domo quidem carnali Iuda & Israel, regia dignitas translata est: firmiter autem sedet thronus in sancta Dei Ecclesia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens, regia, ac sacerdotali. Et regiā quidem a Domino nostro Iesu Christo, iuxta duos modos; & quia est ex semine Dauid Regis secundum carnem; & quia est Rex maior a sæculo secundum deitatem. Sacerdotalem vero, quia ipse est Pontifex, & Pontificum præfectus.] et paulo inferius: Sacerdos itaque est (velut dixi) Dominus noster in æternum secundum ordinem Melchisedec, simulq. Rex iuxta ordinem ex supernis, vt transferat sacerdotium simul cum lege. Ex semine vero Dauid, propter Mariam, sedens in throno in æternum, & regni eius non erit finis. Oportebat enim ipsum nunc transferre ordinem tum sacerdotij, tum regni. Nam regnum ipsius non est de terra, veluti dixit in Euangelio ad Pontium Pilatum: Regnum meum non est de hoc mundo. Nam cum Christus omnia impleat per ænigmata, argumenta de ipso proposita ad D aliquam vsque mensuram peruenerunt. Non enim venit vt regni progressum acciperet, qui semper regnat: largitus est autem sub se constitutis regnum, vt ne diceretur a paruis ad maiora procedere. Manet enim thronus ipsius, & regni eius non erit finis, & sedet super thronum Dauid, ita vt regnum Dauid vna cum pontificatu transtulerit, ac largitus sit seruis suis, hoc est, Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ.] hæc Epiphanius. Sic itaque sacerdotium atque regnum a Christo translatum est in Ecclesiam, in Apostolos primum, ac deinde in eorum successores, vt olim prædixerat Dauid [k], sic canens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.] Per filios tum Apostolos tum Episcopos intelligendos esse, tam Latini [l] quàm Græci interpretes exposuerunt. Quòd si regnum Christi ad hos translatum est, vtique & cum eo iudican- E di potestas; quandoquidem (vt scriptum est [m]) Honor Regis iudicium diligit.] quod facilius probatur ex eo quod de regno Christi dixit Psalmista [n]: Illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.]

[i] *Epiph. haeres. 29.*
[k] *Psal. 44.*
[l] *Aug. in Psal. 44. Hieron. cod. Psal. Theodoret. & alij.*
[m] *Psal. 94.*
[n] *Psal. 121.*

XXXI. Verum non sic quidem regale est sacerdotium institutum a Christo, ac iudiciaria potestas sacerdotibus collata, vt politicum regnum voluerit esse sublatum. Nam & idem ipse Christus, quæ sunt Cæsaris Cæsari [o], & Paulus [p] Principibus vectigal & tributum esse reddendum admonuit; Titumq. [q] docuit, vt suadeat Christianis subditos esse Principibus & potestatibus; quòd & Petrus [r] præcepit, cum dicit: Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tamquam ab eo missis.] et paulo post: Deum timete, Regem honorificate.] Item & Ignatius [s], qui vixit temporibus Apostolorum, ad Smyrnenses scribens, post Deum & Episcopum, tertio loco Regem esse habendum declarat, sic dicens: Honora Deum, vt

CHRISTVS CONSERVATVM VOLVIT POLITICVM STATVM.
[o] *Matth. 12.*
[p] *Rom. 13.*
[q] *Tit. 3.*
[r] *1. Pet. 2.*
[s] *Ignat. epist. 10.*

omnium

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium auctorem & Dominum : Episcopum , vt Principem sacerdotum , imaginem Dei ferentem, Dei quidem propter principatum, Christi vero propter sacerdotium. Honorare oportet & Regem : nec enim Rege quisquam præstantior, aut quisquam similis ei in rebus omnibus creatis. Nec Episcopo quicquam maius in Ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute. Nec inter Principes quisquam similis Regi, qui in pace & optimis legibus subditos moderatur.] At vero longe præstare Christi sacerdotes Regibus atque Principibus, argumento quo vtitur, plane significat, dicens : Si enim iure censebitur pœna dignus, qui aduersus Regem insurgit, vt qui violet bonas legum constitutiones : quanto putatis grauiori subiacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, & decentem ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ sunt in hominibus, apex.] ac demum quo gradu in Ecclesia habendi sint singuli personarum ordines, mox subdit, dicens: Omnia igitur vestra decenti ordine perficiantur in Christo. Laici diaconis subijciantur, diaconi presbyteris, presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri.] hucusque Ignatius. Cum igitur Rex, quantumlibet Christianus, nonnisi inter laicos adnumerandus sit, sacris ministris minorem gerere ordinem, certum est. Nouit hoc ipsum Chrysostomus[a], qui diaconos altaris ministros allocutus, hæc ait: Si dux igitur quispiam, si Consul ipse, si qui diademate ornatur, indigne adeat; cohibe ac coerce: maiorem tu illo habes potestatem.] Docuit hoc idem & Martinus exemplo, sed in presbytero, facturus hoc ipsum si adfuisset diaconus sine presbytero: Nam a Maximo Imperatore mensa exceptus, ad medium fere conuiuij (inquit Seuerus[b]) vt moris est, pateram Regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo potius dari iubet, expectans atque ambiens vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi bibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem qui post se biberet: nec integrum sibi fore, si aut Regem ipsum, aut eos qui a Rege erant proximi, presbytero prætulisset.] hæc Seuerus.

[a] *Chrysost. in Matth. hom. 32.*

[b] *Seuer. in Vit. S. Martin. c. 23.*

XXXII. SACERDOTIVM REGNO PRAESTAT.

Sic itaque, cum quæ a Deo sunt, ordinata sint; politicum principatum sacerdotali esse subiectum, nulla potest esse dubitatio: nam sicut anima præstat corpori, resq. diuinæ humanis, sic istum illi præcellere est necesse. Vnde Gregorius Nazianzenus[c] hæc pro concione: An me libere loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque potestati meæ meisq. subsellijs lex Christi subijcit. Imperium enim nos ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius & perfectius: nisi vero æquum est spiritum carnis fasciis submittere, & cælestia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, vtpote sacri mei gregis ouis sacra, magniq. pastoris alumna.] Et Ambrosius[d]: Honor, inquit, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: Si Regum fulgori compares, & Principium diademati, longe erit inferius, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla ac Principum submitti genibus sacerdotum, exosculatis eorum dextris, orationibus eorum se credunt communiri.] Chrysostomus[e] hæc item in eamdem sententiam: Alij sunt termini regni, alij sacerdotij: sed hoc illo maius est; neque enim ex gemmis & auro æstimari debet. Ille, quæ sunt in terris, sortitus est: sacerdotij ius a supernis descendit. Regi, quæ hic, commissa sunt, mihi cælestia: Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. maior hic principatus: propterea Rex caput submittit manui sacerdotis.] ac rursum: Expende modum potestatis vtrique traditæ, & videbis sacerdotem multo sublimius Rege sedentem. Admirandus videtur thronus regius, sed rerum terrenarum administrationem sortitus est: Sacerdotis thronus in cælis collocatus, de cælestibus negotijs habet pronunciandi auctoritatem; cum sacerdotium a supernis descendat, eiusq. vinculum animam contingat, atque ad cælos vsque peruadat.] hæc ille. Plura alia essent in hanc sententiam ex alijs Patribus adducenda, sed parcimus, breuitatis causa.

[c] *Greg. Nazian. orat. ad ciu. Nazianz.*

[d] *Ambrosius de dign. sacerd. cap. 2.*

[e] *Chrysost. in Psal. Isaiæ homil. 4. & 5.*

XXXIII. VSVS SACERDOTALIS POTESTATIS.

Ad hæc namque ipsa respicit quod dicebat Apostolus[f]: Arma nostra non sunt carnalia, sed Deo potentia] nimirum longe illis præstantiora ad faciendam vindictam (quod habet Psalmus[g]) in nationibus, & increpationes in populis: ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum.] Tales enim compedes (inquit Augustinus[h]) consolidat vobis Episcopi manus.] sed tum quidem, cum illi quoquo modo in Deum insurgunt, & a recta viuendi

[f] *2. Cor. 10.*

[g] *Psal. 149.*

[h] *Augustin. in Psal. 149.*

A viuendi ratione, & Christiana disciplina desciscunt. Sic videmus Fabianum Papam in Philippum Imperatorem, Ambrosium in Theodosium, Symmachum in Anastasium, & alios innumeros sacerdotes in alios Principes vigore sacerdotali fortiter æque ac laudabiliter insurgentes, factas ab ijs Deo iniurias vindicasse, atque seuere admodum offensam disciplinam Ecclesiasticam vltos esse: sed id tamen nonnisi necessitate quadam astrictos, omne remedium prius experientes, quàm gladiũ Apostolicæ auctoritatis exererent: memores nimirum a Domino[a] dictum esse: Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic.] et a Petro[b]: Non dominantes in clero (quod Græce habet κατακυριευοντες, sicut & apud Matthæum iure vertit interpres κατακυριευσουσιν, quod est violenter dominari) nec fastum præseferentes, ac superbe insultantes, sed humilibus consentientes, ac cum Apostolo[c] dicentes: Non possumus aliquid aduersus veri-
B tatem, sed pro veritate.] et illud[d]: Nos seruos vestros per Iesum.] quippe qui hæc omnia faciant, vt illorum saluti inseruiant. Sic igitur etsi non abstulit Christus politicum imperium, vt rem a Deo optime institutam; subiecit tamen illud spiritualis Ecclesiæ dominio. Nam sicut iure naturæ, eodemq. diuino, statutum esse videtur, vt inferiora superioribus subiecta pareant, vt magis perficiantur, & finem suum feliciter consequantur; ita etiam regnum politicum parere debere Ecclesiasticæ præfecturæ, vel ad hoc saltem, vt a Deo promissum cæleste regnum homines consequantur, certum exploratumq. cuique, ni insaniat, esse debet.

[a] *Matth. 20.*

[b] *1. Pet. 5.*

[c] *2. Cor. 13.*

[d] *2. Cor. 4.*

XXXIV.

At vero hæc non tantum apud Christianos firma fixaq. diuinæ Scripturæ testimonijs, Patrumq. omnium stabili consensione esse noscuntur, sed & apud barbaras gentes, ferosq. populos; qui quantumlibet Deum verum ignorassent, ac proinde nec eius
C cultum, quem deceret, addiscere potuissent; tamen ex quo semel aliquod diuinum numen (quod innatum est omnibus[e]) mente conceperunt, perspecta notaq. adeo hæc ipsis fuerũt, vt perinde ac si omnes vno regerentur imperio, vniq. omnes parerent legi, omnes æque suis sacerdotibus obedirent, eorumq. arbitrio regerentur, etiam in his quæ ad politicum spectarent imperium, prout exempla quæ subijcimus pauca ex multis, facile declarabunt. Ecce tibi quod in primis de Æthiopibus Strabo scribit[f]: Antiquitus Meroe (quæ est metropolis ciuitas Æthiopiæ regni) summa potestas fuit penes sacerdotes, tantaq. auctoritas, vt nonnumquã misso nuncio, mortem Regi imperarent, & ei alium sufficerent.] De sacerdotibus vero Ægyptijs hæc Ælianus[g]: Iudices autem apud Ægyptios ijdem quondam fuerunt, qui & sacerdotes. In his princeps erat sententia maximus natu, & in omnes statuendi ius habebat.] Magos sacerdotes in Persida
D olim regnasse, certum est[h]: ceterum postea quo honore sint habiti, hæc Agathias[i]: Nunc vero Magos huius temporis Persæ honorant, & quammaxime venerantur, vt quorum consilio publica omnia & prædictionibus administrentur, seorsumq. quid quisque præmij pro re bene gesta promereatur, quidve supplicij qui flagitium fecerit, præsidendo & cognoscendo decernant: nec sane Persis vel legitimum aliquid fore vel æquum videbitur, quod Magorum non sit sententia confirmatum.]

[e] *Cic. Quæst. Tusc.* SACERDOTIVM APVD OMNES GENTES QVANTAE AESTIMATIONIS.

[f] *Strabo Geograph. lib. 17.*

[g] *Aelian. Var. hist. lib. 14. cap. 34.*

[h] *Euseb. in Chronic. & alij.*

[i] *Agath. histor. lib. 2.*

XXXV.

Sed & (quod attigimus superius) apud Athenienses in celeberrimo illo omnium ore laudato iudicio, quod dicebatur Areopagus, sacerdotes itidem iudices erant; summusq. omnium sacerdos rogans sententiam singulorum, suffragia colligebat: id expressum habes ex ipsorum decreto, quod recitat Iosephus[k] historicus. De sacerdotibus item Gallorum (vt paulo ante iam vidimus) qui Druidæ dicebantur, hæc Cæsar[l]:
E Magno hi sunt apud eos honore: nam fere de omnibus controuersijs publicis priuatisq. constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hereditate, si de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmium pœnasq. constituunt.] ac paulo post: Hi certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ habetur media, considunt in loco consecrato: huc omnes vndique, qui controuersias habent, conueniunt, eorumq. iudicijs decretisq. parent.] At in Romana Republ. omnium celeberrima, ac optimis legibus ornatissima, quantum fuerit præ ceteris magistratibus ius Augurum, Tullius[m] ante alios eleganter his verbis declarat: Maximum autem & præstantissimum in Republ. ius est Augurum, cum est auctoritati coniunctum. Neque vero hoc, quia sum ipse Augur, ita sentio; sed quia sic existimare nos necesse est. Quid enim maius est, si de iure quærimus, quàm posse a summis imperijs & summis potestatibus comitia tollere? concilia vel instituta dimittere, vel habita

[k] *Ioseph. Antiq. lib. 14. c. 16. l Cæs. comment. de bell. Gall. lib. 6.* SACERDOTVM POTESTAS APVD OMNES SVMMA.

[m] *Cic. lib. 2. de leg.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

rescindere? Quid grauius, quàm rem susceptam dirimi, si vnus Augur aliter dixerit? Quid magnificentius, quàm posse decernere, vt magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius, quàm cum populo, cum plebe agendi ius aut dare, aut non dare? quid legem, si non iure rogata est, tollere?] hæc & alia multa ibi auctor. Suntq. de his complura exempla apud Liuium, Dionysium, Dionem, & alios, quæ recensere non opus est. A

XXXVI. QVID APVD HEBRÆOS.

Sed quod ius naturæ cunctos populos docuit, ac ius gentium ratum habuit, apud Hebræos lex diuinitus lata amplius perfectiusq. monstrauit; nimirum vt penes sacerdotes summa rerum esset: et licet aliquando Reges habere cœperint, tamen ijdem Reges subiecti erant summo Pontifici, qui suo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium septuagintaduorum seniorum, quod Sanedrin dicebatur, cuius (vt superius dictum est) erat officium ac munus, de lege, Rege, atque Propheta iudicare: quamobrem Herodes maior moleste ferens se illi subijci, etsi tyrannus esset, tamen non eo temeritatis peruenit, vt illud abrogare ac penitus antiquare præsumpserit; sed eos qui tunc illius essent collegij, amouerit, & alios subrogauerit. Verum hæc superius. Si igitur (quod Socrates dicit in Xenophonte[a]) quod ab omnibus gentibus obseruatum est, id nonnisi a Deo sancitum esse, dicendum est: profecto etiam si nulla de his in diuinis Scripturis scripta lex appareret, tamen sacerdotum iudiciaria potestas diuino iure concessa, ex dictis iam satis probata atque testata haberetur. B

[a] Xenophon lib. 4. de fact. & dict. Socrat.

XXXVII. VSVS IVDICIARIAE POTESTATIS.

At tandem, vt vnde digressa est, eodem reuertatur oratio: Exercuisse Episcopos, quam Apostolus ad Corinthios scribens, in Ecclesia ordinauit iudiciariam potestatem, vt causas litigantium Christianorum audirent, ac easdem definirent, complura sunt apud antiquos exempla; quorum aliqua, ad rerum Ecclesiasticarum consuetudinem declarandam, hic referre, operæpretium duximus, cetera in Annalibus suis quibusque recensenda locis reseruantes. De Magno illo Gregorio cognomento Thaumaturgo, Neocæsareæ in Ponto Episcopo, qui claruit temporibus Decij, his negotijs cognoscendarum causarum, definiendarumq. litium fuisse implicitum, Gregorius Nyssenus[b], qui eius res gestas monumentis egregijs consignauit, satis dilucide his verbis significare videtur; ait enim: Ne sæcularium quidem ac temporalium controuersiarum aliud vllum iudicium sibi magis ratum ac firmum, maiorisve auctoritatis esse probabant: sed omnis quæstio disceptatioq. & omnis intricatus difficilisq. negotiorum nexus illius consilijs & admonitionibus resoluebatur & dirimebatur. Vnde cum communiter vniuersis, tum singulis illius beneficio, tam æquitas rectaq. iuris constitutio, quàm pax erat.] moxq. subdit de lite inter germanos ob dituisionem paternorum bonorum oborta, eiusdemq. arbitrio ex communi partium consensu definienda, deq. miraculo approbata ab eo tunc lata sententia. Extat insuper eiusdem insignis epistola, quam Græci Canonicam vocant, in qua habetur inter alia, quòd causam cognituros eorum qui bonis ab alijs fuerant spoliati, Euphrosynum misit, vt cognosceret ex legibus Ecclesiasticis, quorumnam essent accusationes recipiendæ, quorumve repudiandæ. C

[b] Greg. Nyssen. orat. in Gregor. Thaumat. vit.

XXXVIII. [c] Aug. Conf. lib. 6. c. 3.

De S. Ambrosio testatur Augustinus[c], adeo fuisse obrutum cognitione alienarum causarum, vt vix daretur ei respirandi facultas: atque adeo, vt toto tempore, quo ipse Augustinus Mediolani resedit, numquam nactus sit Ambrosium ab his liberum & otiosum; vt quod diutius exoptauerat, mentis suæ tricas, quæ animum in diuersa distraherent, prolixiori sermone apud illum exponeret. Duplici vero ex causa contingebat Episcopos causas populi cognoscere, ac iudicare: vel cum a dissidentibus inter se partibus arbitri essent electi: vel vt male a sæcularibus iudicibus iudicata retractarent, atque rescinderent. Extant de vtroque exempla in Ambrosio, qui de causa ex consensu partium sibi delata hæc ait[d]: Cognoui autem secundum sacræ formam præceptionis, qua me induit beati Apostoli[e] auctoritas, & tuæ doctrinæ & vitæ forma ac disciplina. Nam cum ipse arguerem quòd adhuc inter vos maneret veternosum iurgium, cognoscendi mihi necessitatem partes imposuerunt.] Porro necessitatem dicit, quòd (vt paulo inferius repetit) Pauli Apostoli hæc præcipientis mandato teneretur adstrictus. Sic igitur liberum fuisse Christianis, cum vellent, ex composito, quas inter se haberent controuersias, Episcopo definiendas sponte committere, apparet. Rursum vero magistratuũ praua iudicia, immo & quæ Imperatorũ iniusto essent firmata rescripto, se irri- D

DVPLEX IVDICIVM. E

[d] Ambros. ad Marcel. epist. 49. tom. 5. Rom. edit.

[e] 1. Cor. 6.

A se irritasse testatur[a]: sed hæc in Vita ipsius a nobis edita fusius dicta sunt, & suo loco narraturi sumus inferius.

[a] Ambr. de offic. lib. 2. c. 29.

De S. Augustino rursus, præter illa quæ ex eius commentario de Opere monachorum recitauimus supra, hæc idem ipse habet in expositione Psalmorum[b]: Maligni homines efflagitant, aut certe infirmos premunt, vt causas suas ad nos deferre compellant. Quibus dicere non audemus: Dic homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos? Constituit enim talibus causis Ecclesiasticos Apostolus cognitores.] et paulo post: Igitur noscãt obedientes Fideles, qui pro suis sæcularibus causis non raro nos quærunt, & iudicijs nostris facillime acquiescunt, nec nos conterunt litigando, sed obtemperando potius consolantur.] Idemq. scribens ad Proculianum[c] de vnitate & concordia Ecclesiæ procuranda, hæc subdit: Et homines quidem causas suas sæculares apud B nos finire cupientes, quando eis necessarij fuerimus, sic nos Sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ suæ peragant: aliquando agamus & nos negotia salutis nostræ, & salutis ipsorum, non de auro, non de argento, non de pecoribus, pro quibus rebus quotidie submisso capite salutamur; sed vt dissensiones hominum terminemus.] conqueritur de ijsdem sæpius.

[b] Aug. in Psal. 118. concio. 24. LITES AD EPISCOPOS DEFERRI SOLITAE.

[c] Augustl. epist. 147.

XXXIX.

XL.

Sunt de his aliorum sanctorum querelæ, ac potissimum Synesij: qui ex philosopho Gentili factus Christianus, ac deinde, licet inuitus, creatus Episcopus Ptolemaidis Cyrenensis Pentapolitanæ prouinciæ in Ægypto, cum iudicandarum sæcularium causarum pressus esset onere, se abdicare curauit, si licuisset; prout cum multis alijs, tum præsertim litteris contra Andronicum scriptis[d], quibus missionem petit, declarat his verbis: Priscum sæculum eosdem tulit sacerdotes & iudices: nam & Ægyptij & Hebræorum gens multo tempore sacerdotes Reges habuerunt. Deinde (vt mihi videtur) C cum diuinum opus humano modo perageretur, seiunxit Deus vitæ conditiones, & alius sacerdos, alius dux effectus est: alios enim ad materiam direxit, alios sibi ipsi collocauit. Ordinatum quidem est, vt illi quidem in rerum negotijs, nos autem in precibus versaremur: quod vero bonum est, ab ambobus exigit Deus. Quid igitur reducis? quid separatum a Deo coniungere conaris, qui neque vt gubernemus, sed falso vt gubernemus expetis? qua re quid miserius fieri potest? Opus est tibi Præfecto? ito ad procuratorem legum Reipubl. Opus habes aliqua re Deo? ito ad sacerdotem ciuitatis.] et inferius: Otio opus est ei qui cum philosophia sacerdotio fungitur. Non condemno Episcopos qui in rerum negotijs versantur, sed magis miror eos qui vtrumque possunt: mea facultas non est duobus dominis seruire. Si vero sunt aliqui, qui neque a condescensu læduntur, poterunt sane & sacerdotio fungi, & ciuitatum Præfecti esse. Radius enim Solis si cum stercore versabitur, purus manet, non inquinatur: ego vero cum idem hoc fecero, fontibus & mari opus habeo.] hæc & alia multa id genus in conuentu Episcoporum est locutus Synesius, cum missionem peteret; quam, reclamantibus omnibus, assequi non potuit. At vero licet sæcularia iudicia, quantum posset, declinare curaret; cum tamen necessitas imperauit, non tantum illa suscepit, sed & ipsos prouinciarum Præsides in administratione se inique gerentes iudicauit, atque damnauit. Nam tum in Andronicum Pentapolitanæ Præfectum prouinciæ, quòd nouis ac sæuis tormentis reos cruciaret, quòdq. edictum pro foribus ecclesiæ affixisset, & sacerdotibus grauia comminatus esset, atque alia enormia perpetrasset; tum etiam in Tonantem ibidem magistratum gerentem, excommunicationis sententiam tulit, his ipsis verbis E conceptam[e]:

[d] Synes. epistol. 57. EPISCOPORVM LABORES IMMENSI EX LITIBVS.

[e] Synes. epistol. 58. SYNESIVS DAMNAT MAGISTRATVS.

Postquam non amplius admonendus est homo, sed velut insanabile membrum a nobis resecandus; vt ne societate, etiam quod sanum est, simul corrumpatur: nam inquinamentum facile distribuitur; & qui tangit scelestum, particeps fit reatus illius: oportet autem mente & corpore puros Deo esse: Propter hæc Ptolemaidis Ecclesia ad omnes vbique terrarum sorores suas hæc demandat. Andronico & suis, & Tonanti & suis, nullum templum Dei aperiatur: omnis sacer cœtus, omne sacrum templum conclusum sit. Non est diabolo portio in Paradiso. Qui etiam si clandestine ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & priuatum quemque & Principem, vt ne sub eodem tecto cum ipso habitet, neque eamdem mensam participet: sacerdotes autem præcipue, qui neque viuentes ipsos alloquantur, neque mortuos simul deducant. Si vero quis, velut paruæ ciuitatis Ecclesiam reprobarit, & excommunicatos

Universidad de Deusto
Biblioteca

ab ipsa susceperit, velut necesse non sit pauperi non obedire: is sciat se scindere Ecclesiam, quam vnam Christus esse vult. Talis autem, siue leuita, siue presbyter est, siue Episcopus, a nobis in Andronici sorte locabitur, & neque porrigemus ipsi dexteram, neque vmquam de eadem mensa cum ipso cibum capiemus: multum enim aberit, vt in arcano mysterio communionem habituri simus cum his qui cum Andronico & Tonante sortem habere voluerunt.] hucusque verba sententiæ Synesij in dictos magistratus prolatæ, tempore Theodosij senioris Imperatoris, cum Alexandrinæ Ecclesiæ præesset Theophilus. agemus de ijsdem rebus gestis a Synesio vberius suo tempore: hæc autem modo satis ad propositam causam. Si igitur exiguæ ciuitatis Episcopus hæc in prouinciarum Præsides: quid putandum feciſſe ceteros, qui maioribus præessent Ecclesijs, vt Metropolitanos, vel Patriarchas, ac denique ipsum Episcoporum Episcopum, Romanum Pontificem? Sed hactenus de Christi sacerdotum potestate iudiciaria, de qua locupletius multis in locis (quandoquidem frequens se occasio offert) agemus in posterum. Iam vero ad enarranda redeamus, quæ a Paulo in institutione Corinthiorum Ecclesiæ, ceteris etiam totius Christiani orbis Ecclesijs profutura, salubriter ordinata, & auctoritate Apostolica sunt disposita.

XLII. CONIVGATORVM LEGES.

Inter alia multa, quæ Corinthiorum Ecclesia ad Paulum Apostolum scripserat, consuluit etiam (inquiunt Athanasius [a] atque Theodoretus [b]) num recta esset illorum sententia, qui prætextu continentiæ vxorem vel dimittere vellent, vel cum ea pure casteq. agere? Ad hæc respondens Paulus, sic scribit [c]: De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere.] hanc enim illi prætexebant suæ ipsorum sententiæ rationem. sed sic respondit Paulus: Propter fornicationē autem vnusquisque suā vxorem habeat, *hoc est*, *retineat*, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. et iterum reuertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.]

a Athanas. in Synops in epist. 1. ad Corinth.
b Theodoret. in 1. ad Corinth. c. 7.
c 1. Cor. 7.

XLIII. CORINTHII LIBIDINOSI.

Fuisse enim Corinthios natura salacissimos, cum omnes testentur; illud etiam monstrat, quod Strabo [d] scribit his verbis: Fanum Veneris Corinthi ita fuit locuples, vt plures quàm mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas deæ viri mulieresq. dedicarunt. Ob hæc igitur, & magna hominum multitudo in ea vrbe, & diuitiæ fuerunt: naucleri enim sua facile prodigebant. vnde adagio locus; Non est Corinthum adire cuiuis integrum.] hæc Strabo. Sed & Dio Chrysostomus, qui ijs viuebat temporibus, in sua Corinthiaca ait Corinthum præ ceteris Græciæ ciuitatibus fuisse Veneream. Quàm impudicissime vero Venus a Gentilibus coleretur, & quæ eidem vota turpissima nuncupari ab ijs, qui eius implorarent auxilium, consueuissent: quoniā adeo turpia & inhonesta sunt, indigna putamus quæ stylo Christiano scribantur, & Christianis auribus inferantur: libentius itaque temperauimus, relinquentes hæc Ethnicis, & inter alios (vt taceam poetas) Herodoto [e] atque Iustino [f] Græcis historicis, qui talia enarrarunt. Satis modo illud de Corinthiorum turpitudine dicere, quod ad significandam ipsorum solutissimam in obscœnitates intemperantiam Suidas [g] scribit his verbis: Cotys dæmon apud Corinthios colitur, præses effeminatorum & impudicorum: siue illi ob turpem quæstum, siue ob fœdam libidinem, aliave de causa pudicitiam prostituant; cuiusmodi sunt Clisthenes & Timarchi.] hæc Suidas. Nos vero hæc omnia eo consilio voluimus attigisse, quo facilius Pauli Corinthijs incontinentiam exprobrantis, & eadem sæpius admonentis, consilij ratio comperta atque explorata omnibus habeatur: ac insuper insumpti ab eo labores immensi in ea obscœnitatum cloaca exhaurienda, apertius cognoscantur.

d Strabo lib. 8.
e Herodot. in Clio lib. 1. in fin.
f Iust. hist. lib. 21.
g Suid. verbo Κοτύς.

XLIV. CONTINENTIA CONIVGALIS.

Cum vero Apostolus Corinthios monuit, vt abstinentes ex consensu, in id ipsum reuerterentur: ne crederetur hæc velut lex quædam omnibus esse præscripta; mox subdit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.] hæc enim illis indulgere dicit, quorum continentia adhuc esset infirma atque suspecta. Ceterum consueuisse sæpe Christianos coniuges ex mutuo consensu perpetuam castitatem seruare, Tertullianus sic docet [h]: Quot sunt qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntarijs spadonibus pro cupiditate cælesti, saluo matrimonio, abstinentia toleratur; quanto magis adempto?] hæc Tertullianus ad vxorem.

h Tertul. lib. 1. cap. 6.

rem. Idemq. [a] alibi vocat eiusmodi mutuam de castitate seruanda consensionem, honestam in occulto matrimonij dissimulationem. Ac rursum [b] de ijsdem coniugibus: Qui, inquit, ex consensu contumeliam communem iam recusauerunt.] Apud Cyprianum hæc amplius [c]: Adhuc habeo quid mirari; cum videam de Christianis plerosque maritos pariter & vxores continentiam destinantes, domicilia singularia magis eligere, vt consensu communium votorum sine irritatione præsentiæ, & concordante secessu valeant obtinere.] et paulo post: Grande miraculum, vt virginum charitas virgines faciat veluti coniuges credi, & coniugum charitas coniuges faciat virgines æstimari. Ecce vera dilectio, quæ in coniugalitate diuidit, vt in castitate coniungat. Ecce sancta dilectio, quæ coniugalibus ad communem laudem inducit absentiam. Hi pro certo sese inseparabiliter diligunt, qui vt triumphos sibi inferant, a se ipsis discedunt; quibus nec crimen, nec natura, nec Dominus, nec Apostolus potestatem vnius interdixit aut tulit, sed pro tuendis paribus votis, semota vnanimitate, absentari charitas persuasit.] hæc ibi auctor.

a Tertul. de resurr. carn. c. 8.
b De vel. virg. c. 12.
c De singular. cleric.

XLV. EX CONSENSV MVTVO CONTINENTIA.

Porro si in seruandæ continentiæ proposito, alterius coniugum desit assensus, altero id minus licite fieri, præter ea quæ ab Apostolo sunt intimata, Augustinus [d] ad Ediciam scribens, pluribus docet, necnon Fulgentius [e], qui eodem argumento aliam scripsit epistolam. Si igitur in seruanda in matrimonio continentia vtriusque coniugis accedat assensus, (cum verum matrimonium non carnalis copula, sed animorum consensus faciat) nihil prohibet, quin castitas ab vtroque laudabiliter excolatur. Sunt quidem exempla plura sanctissimorum virorum ac feminarum coniugum, qui in hunc modum ex condicto continentiam profitentes, egregia claruerunt sanctitate: id enim sibi esse gratissimum, Deus multis miraculis editis comprobauit: et inter alia illud perinsigne, quod Gregorius [f] recitat in libro de Gloria confessorum; quem consulat, qui scire cupit: nā alio tendimus. Sed quod ad Corinthios, de quibus agitur, spectat: cum Paulus iusta ex causa illorum haberet suspectam continentiam, ne obtentu maioris boni in deteriora prolapsi corruerent, apposite ea subdit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.] cum alioqui omnes esse continentes optaret. Rursum etiā ex institutione eiusdem illud dicentis: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi] manasse atque perseuerasse eam consuetudinem in Ecclesia, vt coniugati certis diebus se temperarent, certum est. de qua Cyrillus [g]: Qui, inquit, norunt tempus continendi, vt vacent orationi: qui vna cū vestimentis munda ad conuentus Ecclesiæ afferunt corpora.] et Augustinus certos dies & causas referens, quibus sit abstinendum, hæc addit admiratione quidem digna [h]: Qui vxorem suam in profluuijs positam agnouerit, aut in die Dominico aut qualibet alia solemnitate se continere noluerit; qui tunc concepti fuerint, aut leprosi, aut epileptici, aut etiam forte dæmoniaci nascentur.]

d August. epist. 199.
e Fulgentius epist. 1.
f Greg. de Glor. confess. c. 32.
g Cyrill. catech. 4.
h Aug. ser. 244. de tempore.

XLVI. MATRIMONIVM SACRAMENTVM.

Verum enimvero eumdem Paulum audiamus, coniugibus has leges a Christo primitus institutas obseruandas proponentem, atque addentem alias saluberrimas [i]: Iis autem, inquit, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem a viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Et vir vxorem non dimittat. Nam ceteris, ego dico, non Dominus. Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam. Et si qua mulier Fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa; non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem Fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum Fidelem. Alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.] hæc Paulus de legibus coniugij. Agit idem de matrimonij excellentia: dumq. illud coniunctioni Christi cum Ecclesia comparat, ad Ephesios scribens, Sacramentum quoque magnum appellat, quòd scilicet vinculum, quo Christus cum Ecclesia iungitur, repræsentet. Sic & veteres Pauli interpretes, matrimonium quod inter Fideles contrahitur, Sacramentum congrue appellarunt, vt Clemens [k] Alexandrinus, cum ait: Si lex sancta est, sanctum est matrimonium. Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.] et Augustinus [l]: In ciuitate Domini, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia, vbi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, vt non liceat vxorem suam alteri tradere.]

i 1. Cor. 7.
k Clemēs Alex. Strom. lib. 3.
l Aug. de fide & operib. c. 7.

[a] Aug. de bon. coniug. c. 7. C. 18.
[b] Chrysost. in Genes. hom. 60.
[c] Hier. in epist. ad Ephes. c. 5.

et alibi[a]: Vsque adeo fœdus illud initum nuptiale cuiusdam initi sacramenti res est, vt nec ipsa separatione irritum fiat.] et inferius: In nostrarum quippe nuptijs plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas vteri.] et Chrysostomus[b]: An, inquit, non audis Paulum dicentem, quòd sacramentum sunt nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declarauit?] At non impedit, si aliqui[c] Sacramenti vocem ad coniunctionem Christi cum Ecclesia retulerunt, quo minus & ipsum matrimonium sit sacramentum: sicut nec impedimento est, quo minus sacramentum aliquod in se sit, & alterius rei mysticam habeat significationē: immo id peculiare est omnibus sacramentis, vt sit sacræ rei signum.

XLVII. Ceterum quod ad ritum spectat: primum quidem non aliunde quàm ab Apostolica traditione fluxisse, vt non sine sacerdotis præsentia matrimoniū contrahatur, Ignatius[d], qui his ipsis Apostolorum temporibus viuebat, fidem facit: ait enim scribens ad Polycarpū: Decet vero, vt & ducentes vxores & nubentes, cū Episcopi arbitrio coniungantur; vt nuptiæ iuxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coisse videantur.] hoc est enim quod idem Apostolus inferius dicit: Cui vult, nubat, tantum in Domino.] In Domino enim nubere, nihil aliud est, quàm secundum leges & ritus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditos contrahere matrimonium. De ijsdem antiquis Ecclesiæ ritibus hæc Tertullianus[e]: Vnde sufficiam ad enarrandam felicitatem eius matrimonij, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Nam nec in terris filij sine consensu patrum rite ac iure nubunt.] hæc ipse.

SACRI RITVS MATRIMONII.

[d] Ign. epist. 11.
[e] Tert. ad vxorem lib. 2. in fin.

XLVIII. Sed hæc singula explicemus: antiquos enim Ecclesiæ mores Annalibus nostris intexere, ex instituto suscepimus. Quod igitur ad primum pertinet: Ecclesia Fidelium conciliat matrimonium, dum per sacerdotem contrahentium mutuo elicito prius consensu, iunguntur in vnum illorum dexteræ: quibus accedit oscŭli sancta libatio, atque velatio. de quibus item ritibus idem auctor hæc[f] alibi: Ad desponsationem velantur, quia & corpore & spiritu masculo mixtæ sunt, per oscŭlum & dexteras, per quæ primum resignarunt pudorem spiritu, per communem conscientiæ pignus, &c.] Ad dictum ritum iungendi dexteras alludit & Gregorius[g] Nazianzenus ad Anysium scribens, cum ad eius filiæ inuitatus nuptias, quòd esset affectus ægritudine, se excusans, hæc addit: Animo & voluntate adsum, simulq. festum celebro, iuuenilesq. dextras inter se iungo, atque vtrasque Dei manui.] quòd enim iunctis dextris, stolam sacerdotalem eorumdem manibus superponere solet sacerdos; id nempe est quod ait Gregorius: Vtrasque Dei manui iungo.] Hæc subsequitur benedictio, & verborū forma quædam, quæ perficit matrimonium: de quibus hæc in quarto Concilio[h] Carthaginensi: Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur: qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reuerentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.]

DE IISDEM SACRIS RITIBVS.

[f] Tertul. de veland. virg. c. 11. in fine.
[g] Greg. Nazian. epist. 27.
[h] Concil. Carthag. 4. c. 13.

XLIX. Quod insuper addit Tertullianus: Confirmat oblatio] Missæ insinuat sacrificium, quod (vt antiqui Rituales libri Ecclesiastici tradunt) in matrimonij confœderatione offerri a sacerdotibus consueuit. Et quid mirum si hoc facerent Christiani, cum nec Ethnici sine sacrificio nuptias contrahere soliti fuerint? Post vero eisdem contrahentibus a sacerdote solitam sacram Eucharistiam (vt etiam nunc fit) impartiri, idem Tertullianus alibi docet, dum ait[i]: Illi, *sacerdotes videlicet*, sic dabunt viros & vxores, quomodo buccellas.] Quod præterea idem ait[k]: Et obsignatum Angeli renunciant] per Angelos Tertullianus intelligere sacerdotes consueuit: sacerdotes enim matrimonium inter partes antea pactum in Ecclesia denunciare solent. Siue velimus de cælestibus Angelis hæc intelligi, secundum quod subdit: Pater rato habet] nempe cælestis.

MISSAE SACRVM IN MATRIMONIO.

[i] Tert. de monog. c. 11.
[k] Tert. ad vxor. lib. 2. c. 9.

L. Sed quod addit: Nec filij inter se sine consensu patrum rite ac iure nubunt] plane declarat primum omnium voluntates contrahentium a parentibus esse ratas habendas, ac subinde (vt etiam hodie fit) subsequi per sacerdotem publicam in Ecclesia denunciationem, ac denique ceteros sacros ritus ab eodem antea relatos. Quo autem loco haberentur occultæ nuptiæ a Christianis, idem Tertullianus[l] alibi declarat his verbis: Penes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiā & fornicationem iudicari periclitantur.] Ex his videas, non esse nouum, quod a sacrosancto Catholico[m] Patrum conuentu est nuper restitutum potius quàm

MATRIMONIA CLANDESTINA IMPROBATA.

[l] Tertull. lib. de pudicitia.
[m] Concil. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 1.

quàm institutum, vt non sine explorato per parochum partium consensu, nec clandestine, sed in facie Ecclesiæ sacra nuptiarum fœdera contrahantur. Verum ne clandestine & sine parentum assensu matrimonium iniretur, a Gentilibus etiam seruari consuesse (quod & superius attigimus) scriptores illorum testantur, inter quos & Apuleius[a]: Impares, inquit, nuptiæ, & præterea in villa, sine testibus, & patre non consentiente factæ, legitimæ non possunt videri.] Sed enim de his plenius Iurisconsulti[b], ac Principum placita. Præterea vero non coram vno tantum presbytero matrimonij adstipulatore hæc olim tractabantur, sed (quod alibi idem Tertullianus[c] ait) coram Episcopo, presbyteris, diaconis, interuenientibus etiam in Ecclesia viduis, maiore celebritate.] Romæ ipse summus Pontifex his præsens esse consueuerat. vnde Siricius Papa in epistola quam scripsit ad Mediolanensem Ecclesiam hæc ait: Nos sane nuptiarū vota non aspernanter accipimus, quibus velamine interfuimus: sed virginum nuptias Deo deuotas maiori honorificentia veneramur.]

[a] Apul. lib. 6.
[b] ff. de rit. nup. & C. de nupt.
[c] Tert. de monog. c. 11.

LI. His visis, reliquum esse videtur vt aliquid dicamus de sponsali annulo: nam testatur Clemens Alexandrinus[d], consueuisse Christianas mulieres annulos aureos gestare: dari vero eos solitos a sponsis arrhæ nomine, vsus docet. Quòd autem non tantum in nuptijs contrahendis, sed in qualibet pactione loco arrhæ annulus traderetur, testatur Plinius[e], dum ait: Celebrior annuli vsus cū fœnore cœpisse debet: argumento est consuetudo vulgi, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior: vt plane affirmare possimus, nummos ante apud nos, mox cœpisse annulos.] hæc Plinius. Porro (quod est obseruatione dignum) non tantū olim apud Romanos, sed antiquissimos Hebræorum dari solitum annulum loco arrhæ, exemplum Iudæ admonet, de quo hæc leguntur in Genesi[f]: Dixit Thamar: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Iudas: Quid vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulū tuum.] Ex eiusmodi igitur vsu fluxisse videtur, vt cum spondentur nuptiæ, sponsus loco arrhæ sponsæ det annulum. Obseruatū ab antiquis ait Plinius[g], & adhuc suo tempore apud Romanos in vsu fuisse tradit, vt cum matrimonium constitueretur, sponsus ad sponsam mitteret annulum ferreum, secundum morem pristinū, cum ob auri inopiam Romani (vt tradit) annulū gestarent ferreū. Quòd vero semel loco arrhæ datus annulus, ab vxore semper in digito gestaretur; id non ornatus causa (inquit Clemens Alexandrinus[h]) sed vt obsignaret eodem annulo quæ domi sunt: custodiam enim rerum domesticarum ad vxorem spectare, pluribus docet Xenophon in Oeconomico. Obsignari solitas penuarias arcas, ne surriperentur a seruis, Plinius monstrat, sic dicens ibidem: Quæ fuit illa priscorum vita, qualis innocentia, in qua nihil signabatur: at nunc cibi quoque & potus annulo vindicantur a rapina: hoc profecerunt mancipiorum legiones, & in domo turba externa.]

DE ANNVLO SPONSALI.

[d] Clemen. Alex. paedag. lib. 3. c. 11.
[e] Plin. lib. 33. cap. 1.
[f] Genes. 38.
[g] Plin. lib. 33. cap. 1.
[h] Clemēs Alex. in paedag. lib. 3. c. 11.

LII. Quoniam vero signo Christianorum annuli sculpendi essent, idem Clemens Alexandrinus[i] admonet his verbis: Sint nobis signacula, columba, piscis, vel nauis, quæ celeri cursu a vento fertur, vel lyra musica, qua vsus est Polycrates, vel anchora, quam insculpebat Seleucus; & si sit piscans aliquis, meminerit Apostoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere prohibitum est; sed nec ensis vel arcus ijs qui pacem prosequuntur; nec poculi ijs qui sunt moderati & temperātes.] Verum apud Christianos antiquus obtinuit vsus, vt sponsalis annulus signo fidei, quod est hieroglyphicū mutui fœderis atque concordiæ, sculperetur: id enim præferunt coniunctæ simul dexteræ, nec apud Christianos tantum, sed Iudæos, Romanos, aliasq. complures barbaras etiam nationes. Porrectione enim dexteræ fidem sponderi solitam antiquitus obseruatum esse, certum est[k]: coniunctione vero manuum simul, ex qua efficitur numerus denarius, qui prima quadratura a Pythagora dicebatur, perfectam animorum consensionem symbolo quodam significari[l], traditum est. Apte igitur eiusmodi signo annulos sponsales insculpi debere, pietas Christiana monstrauit, vsusq. probauit, addiditq. & sacerdotalem benedictionem: nam omnia nostra in nomine Domini esse facienda, Apostolus admonet. At hæc satis de Ecclesiasticis antiquis ritibus nuptiarum. Ceterum quod ad alios annulos, quos Fideles gestare solerent, pertinet: Christi nomine duabus litteris sic sculptos esse consueisse ☧, ex his quos e ruderibus refossos vidimus, plane didicimus. Sed & signo crucis annulos Christianorū consignari solitos, habes exemplū de annulo S. Macrinæ virginis

SIGNA ANNVLORVM QVALIA.

[i] Idem eodem c. 11.
[k] Cœl. Rodig. lib. 4. c. 3. et Pierius in Hieroglyph.
[l] Idem antiq. lib. 22. c. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ginis, cuius meminit Gregorius Nyssenus in Vita ipsius. Imagine quoque interdum A
sanctorum virorum eosdem loco gemmæ exornari solitos esse, docet S. Ioannes Chrysostomus, dum in oratione habita in laudem Meletij, de Antiochenis tradit, ipsos eius imaginem etiam in pala annuli expressam gestare consueuisse. At de his modo satis: reliqua prosequamur.

LIII. Cum Paulus Apostolus eiusmodi leges promulgaret, & miro quodam discretionis iudicio quædam se illis vt necessaria imperare, quædam vero vt debilibus indulgere se diceret: quidnam a cunctis præstandum maxime optaret, declarat his verbis [a]: Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic.] At quoniam hæc subobscura videri poterant, eadem dilucidius aperiens addit: Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Melius est B
enim nubere, quàm vri.] hæc Paulus; qui & inferius: De virginibus præceptū Domini non habeo: consilium autem do, tamquam misericordiā consecutus a Domino, vt sim fidelis. Existimo autem hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse.] ac insuper conferens coniugio virginitatem, hæc ait: Volo vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori; & diuisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Quæ autē nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.] ac denique consentientem his omnibus proferens sententiam, ait: Igitur & qui matrimonio iungit filiam suam, bene facit: et qui non iungit, melius facit.] atque de viduis statim hæc addit: Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quòd si dor- C
mierit vir eius, liberata est: cui vult nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. puto autem quòd & ego Spiritum Dei habeam.] hactenus de triplici hominum statu Paulus, coniugatis videlicet, virginibus, atque viduis; quorum duos posteriores absque aliqua controuersia priori anteponendos esse iudicauit, suamq. de re tanta sententiā diuini Spiritus testimonio ratam obsignatamq. non tantum Corinthiorū, sed totius Orbis Ecclesiæ Catholicæ tradidit pro-
b Matth. 19. mulgandam; quam olim Dominus, Euangelista [b] excipiente, dictauerat.

LIV. Quantum vero Corinthij Pauli Apostoli prædicatione profecerint, ex his quæ Tertullianus tradit, satis possumus intelligere. Quæ enim (sic dicam cum Prophera [c]) erat
c Isai. 35. arida ac sitiens, conuersa est in stagnum, & fontes aquarum: et in cubilibus, in quibus erant dracones, viror calami & iunci exortus est. Vbi, inquam, præ ceteris Orientis D
vrbibus, dea impudicissima tot impudicitijs colebatur, & quæ facta erat omnium illuc aduentantium sentina, atque lacuna libidinum, conuersa est, Paulo instituente, in ca-
d Tertull. de virg. velan. c. 9. stitatis asylum, scholamq. pudicitiæ. Ecce de his Tertulliani testimoniū sic dicentis [d]: Hodie denique virgines suas Corinthij velant. quid docuerint Apostoli, qui didicerint, approbant.] erat enim (vt idem ait) velum virginitatis insigne. At vero non ipsi Corinthij tantum, verum etiam eorum exemplo complures Græcorum, aliarumq. nationum Ecclesiæ suas virgines velare consueuerunt; sicq. quod Paulus Co-
e Tertul. eod. lib. c. 2. rinthios primum docuit, in ceteras Christiani orbis Ecclesias est feliciter propagatum. Vnde idem Tertullianus [e]: Consuetudini etiam consuetudinem opponam. Per Græciam & quasdam Barbarias eius plures Ecclesiæ virgines suas abscondunt. Est & sub hoc cælo institutum istud alicubi, ne cui Gentilitati Græcanicæ aut Barbaricæ E
consuetudinem illam adscribat. Sed eas ego Ecclesias proposui, quas & ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, vt puto ante quosdam. Habent igitur & illæ eamdem consuetudinis auctoritatem; tempora & antecessores opponunt magis, quàm posteræ istæ.] hæc & alia Tertullianus. Mira plane ex Pauli prædicatione facta est rerum mutatio, vt qui suas virgines prostituere consueuerunt, easdē modo velantes Deo dicarent.

LV. Statim igitur vt sanctæ Ecclesiæ fertilissimus ager sanctum virginitatis & continentiæ semen excepit, Apostolis seminantibus; mox amplissimo fœnore multiplicata germina reddidit: nam statim sanctarum virginum ac viduarum collegia, quæ nos monasteria dicimus, esse cœperunt. Est de his locuples testis S. Ignatius, qui ijs ipsis temporibus (vt vidimus) quibus Paulus Corinthios imbuebat Ecclesiastica disciplina, regebat cum Euodio Ecclesiam Antiochenam: hic, inquam, scribens ad Philippen-

DE VIRGINITATE ET CONTINENTIA SERVANDA PAVLI CONSILIVM.

CORINTHII CVLTORES VIRGINITATIS.

A Philippenses [a], quos idem Paulus ad pietatem instituerat, hæc habet in fine: Saluto collegium virginum, & cœtum viduarum.] Porro eiusmodi virgines erant, quæ perpetuam seruarent Deo virginitatem: de quibus idem ad Smyrnenses [b] scribens: Salu-
a Ign. epist. 8. b Ign. epist. 10. to, inquit, & eas quæ in perpetua degunt virginitate, & viduas.] Consueuisse eas se Domino consecrare, idem scribens ad Antiochenos [c], docet his verbis: Virgines agnoscant
c Ign. epist. 12. cui se ipsas consecrarunt.] quantæ vero essent æstimationis, idem ipse alibi, Heronem Antiochenum diaconum, cui eam Ecclesiam ipse Romam ad martyrium proficiscens commendarat, monet his verbis [d]: Virgines serua, vt pretiosa Christi monilia.] et ad
d Ign. epist. 13. Tarsenses: Eas, inquit, quæ in virginitate degunt, in pretio habete, velut Christi sacerdotes: viduas in pudicitia permanentes, vt altare Dei.] Ecce tibi ad sanctæ virginitatis præconia satis sufficere potest vnus Ignatius, cuius epistolarum firmissima semper
B in Ecclesia fuit fides, nec ab aliquo vmquam in dubitationem vel leuem adducta.

Ad hæc, non tantum Ignatius sparsim diuersis in locis, varijs occasionibus, sic de LVI.
virginibus Deo sacris meminit; sed & qui ijsdem cum Apostolis vixit temporibus, Cle- VIRGINITATIS ASSERTORES.
mens Romanus (vt auctores sunt Epiphanius [e] ac Hieronymus [f]) in suis Encyclicis epi- e Epiph. hær. 30.
stolis, quæ in Ecclesijs legebantur, de sancta virginitate plura conscripsit. sic enim ille f Hier. aduers. Iouin. lib. 1.
habet: Ipse Clemens ipsos, *Ebionæos videlicet*, per omnia redarguit in epistolis quas scripsit Encyclicis, quæ in sanctis Ecclesijs leguntur: quòd aliū habeant characterem fides ipsius Ebionis & sermo, ab his quæ ab illis sub nomine ipsius in Circuitionibus corrupta sunt. Ipse enim virginitatem docet, & illi non admittunt.] et S. Hieronymus: Ad
C has, *nempe virgines*, & Clemens successor Apostoli Petri, cuius Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnemq. pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit: ac deinceps multi Apostolici, & martyres, & illustres tam sanctitate quàm eloquentia viri, quos ex proprijs scriptis nosse persacile est.] Sed prætermittimus recensere catalogum antiquorum scriptorum, satis putantes hæc ex Apostolicis fontibus hausisse atque duxisse: vt non dubium sit, Paulum idem quod Christus, eademq. prorsus Ignatium & Clementem, quæ Petrus & Paulus credentes epistolis instituissent, ac præsentes sermone tradidissent, docuisse.

Qui igitur (vt vna sententia rem absoluā) virginitatis sublimem in Ecclesia statum LVII.
impugnant, eos non Apostolorum, vel Apostolicorum virorū, sed Ebionis, atque eius VIRGINITATIS IMPVGNATORES.
gregalium partes tenere, quis dubitat? Catholici enim quotquot fuerunt, eiusdem sacri germinis fœcunditate sunt mirū in modum gloriati. et (vt de antiquioribus loquar)
D hæc Iustinus martyr ad Antoninū Pium Imperatorem: Permulti profecto sexus vtriusque, & sexaginta & septuaginta nati annos, qui a pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti & cælibes perdurant: et glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.] et Cyprianus [g]: Iam, inquit, refertus est Orbis, impletus est g Cypr. de habit. virg.
mundus eorum qui capere continentiam possunt, more spadonum viuentes, castrati ad regnum Dei.] sed quibus præconijs tales efferat, audiamus: Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctitatem Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris glorioſa fœcunditas: quantoq. plus copioſa virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.] hæc ipse.

Sed & illud certum atque exploratum habetur, non in Christi Ecclesia tantum post LVIII.
E Euangelij promulgationem, sed & antea, atque adeo vbique Gentium (vt pluribus monstrat sanctus Hieronymus [h] agens aduersus Iouinianum) virginitatem in pretio h Hier. aduers. Iouin. lib. 1.
fuisse habitam; licet perrarus eiusmodi flos appareret, quo post Christi aduentum fœcundo germine abundarunt Ecclesiæ campi. Certe apud Romanos (vt omittamus de VIRGINITAS ETIAM AB ETHNICIS LAVDATA.
Vestalibus dicere, cum nostris alioqui in nullo conferendis, quòd earum, vt ait Ambrosius in Symmachum, virginitas esset emptitia, temporaria, ac fastu plena) Augustum constat ita simulatum cælibatum grauissima oratione & edicto insectatum, vt tamen maxima cum æquitate eos qui perpetuam virginitatem excolerent, auctore Dione [i], summis afficeret præmijs. Sed his omnibus quæ a Gentilibus in laudem virginita- i Dio histor. lib. 56.
tis sunt scripta vel facta, quoniam non est animus his immorari, adijcimus tantum veluti corollarium Naumachij Ethnici antiqui poetæ nobilis præclaram & cum primis memorabilem sententiam:

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

ΕΚ ΤΩΝ ΝΑΥΜΑΧΙΟΥ
γνωμικά.

Καλὸν μὲν, Νύμφης ἀγνὸν ἔχειν, ἀδμῆτά τε μίμνειν
Παρθενικὰς, καθαροῖσί τ' ἀεὶ μυχέεσσι χαίρειν.
Μήτε βαρυτλήτων λαγόνων ὑπὲρ φόρτον ἄγουσαν,
Μήτε πόνον τρομέουσαν ἀγήστονον ἀλγεδόνιος.
Ἀλλ' ἕδος βασίλειαν ἀφωνέων ἠλυθεάων,
Ψυχῆς ὄμμα φανὸν ὑπὲρ βιότοιο χέουσαν,
Ἔνθα γάμοι κεδνοὶ καὶ ἀληθέες, ἔνθα μιγεῖσα
Θειοτέροις ἐπέεσσι νοήματα φάεα πίπλει.

B

EX NAVMACHII SCRIPTIS
sententiæ.

Pulchrum sane est, corpus castum habere, intactamq. manere
Virginem, & puris semper cogitationibus delectari,
Nec onus circa laboriosa ilia gestantem,
Neque dolores trementem suspiriosos Lucinæ,
Sed permanere quasi Reginam imbecillium mulierum,
Oculum animæ splendidum ad eam vitam erigendo,
In qua gloriosæ veræq. sunt nuptiæ, vbi commixta
Diuinis verbis lumine plenas meditationes parit.] Sed hæc satis.

C

LIX. DE CAELIBATV PAVLI.

His igitur de virginitate & continentia stabilitis, reliquum est vt de Pauli cælibatu paulo fusius disseramus: non quidem, quòd iusta de eo id ipsum profitente aliqua possit oriri dubitatio (quis enim adeo vesanus ac mente captus hæc de se Paulo iuste affirmanti non credat, vel alteri cuipiam contrarium falso asserenti maiorem esse adhibendam fidem existimet?) Sed quòd ex eius scriptis, quæ male accepta ac perperam sunt explicata, ad errorem patefactus est aditus; idcirco certis firmisq. rationibus rem certam testatamq. reddere, & absurdum omne, quod ex aduerso proponitur, refellere proposuimus. Ipse enim (vt nuper vidimus) in hac ipsa, quam ad Corinthios dedit, epistola, sæpe multisq. cælibatum suum insinuat: quæ hic quoque repetere non grauabimur:

a 1. Cor. 7. id enim expresse adeo atque patenter profitetur[a], vt nihil supra: Volo autem, inquit, omnes homines esse sicut me ipsum.] et hæc tamen adhuc planius explicans, subdit: D Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri.] Quibus quid manifestius, quid apertius dici potuit? qui dum hortatur ipsas virgines ac viduas vt sic permaneant, sicut & ipse; licentiam tamen non adimens nubendi, si non contineant; se plane cælibem vitam agere, non ambigue vel obscure significat. Quorum quidem verborum (licet explicatione minus indigeant) illum esse legitimum germanumq. sensum, Patres plane omnes (ne singulos enumerando tempus insumam) quotquot fuerunt in Ecclesia Catholica scriptores Ecclesiastici, intellexerunt. Texuit quorumdam

b Hier. epist. 52. catalogum Hieronymus[b], qui in dictam Pauli epistolam ad Corinthios commentarios edidere, ac de Pierio Theologorū celeberrimo hæc ait: Quorum Pierius cum sensum Apostoli ventilaret, atque differeret, & proposuisset illud exponere: Volo autem E omnes esse sicut me ipsum] adiecit: αὖθις λέγων ὁ Παῦλος αὐτὸς ἀγαμίαν κηρύσσει. quod est:

c Epiph. haeres. 70. Sic dicens Paulus, aperte cælibatū prædicat.] hæc Hieronymus. At Epiphanius[c]: Omnino quidam grassatores, & ad libidinem conuersi, & corruptam opinionem in se ipsis habentes, etiam sanctos polluere volunt ad honestam excusationem prauæ ac infirmæ suæ opinionis. ad quos dixit Apostolus: Vellem quidem omnes esse sicut me ipsum. Me ipsum vero quomodo dicit, præter quàm propter castitatem?] In hanc sententiam ceteri omnes eam sunt epistolam interpretati.

LX. Sed enim vnus reperitur Clemens[d] Alexandrinus, qui Paulum coniugatum fuisse,

d Clem. Alex. Strom. lib. 3. falsa eius epistolæ interpretatione deceptus, affirmat, cum ait: Paulus quidem certe non veretur in quadam epistola suam appellare coniugem, quam non circumferebat, quòd non magno ei opus esset ministerio. Dicit enim in quadam epistola[e]: Non

e 1. Cor. 9. habemus

A habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli? Sed hi quidem, vt erat consentaneum ministerio, quod diuelli non poterat, prædicationi scilicet attendentes, non vt vxores, sed vt sorores circumducebant mulieres, quæ vna ministraturæ essent apud mulieres, quæ domos custodiebant; per quas etiam in gynecæum absque vlla reprehensione malave suspicione ingredi posset doctrina Domini.] hæc quidem Clemens, quæ & ex eodem referunt Eusebius[a] atque Nicephorus[b]. Periclitari posse videretur fortasse apud nonnullos veritas ex Clementis perperam facta verborum Apostoli interpretatione; nisi ipsemet Paulus ex his, quæ (vt vidimus) scribit ad Corinthios[c], se tanta calumnia liberaret, dum se esse cælibem profitetur. Verumtamen ne (quod leuioris est animi) ipse sibi contraria scripsisse videatur, locum B ipsum, quo agit de circumducenda (vt volunt etiam Nouatores incontinentes) vxore, accuratius expendamus.

DE VXORE PAVLI OBIECTIO EX CLEMENTE.

a Euseb. histor. lib. 3. c. 24.
b Niceph. lib. 2. c. 44.
c 1. Cor. 7.

Licet ea vox Græca, qua vtitur Paulus, & vxor, & mulier, Latine æque dicatur; tamen dum addit sororem, non de vxore intellexisse liquet. Si enim vxorem significare voluisset, vtique qui eam Græce scripsit, Græci sermonis regulam seruasset, nec simpliciter γυναῖκα dixisset, sed necessitate adstrictus articulum addidisset, dixissetq. τὴν γυναῖκα, vt vxorem exprimeret: cum igitur articulum non addiderit, plane constat non de vxore, sed de sorore intellexisse. Sed & S. Hieronymus[d] de his agens, hæc ait: Si autem nobis illud opposuerit ad probandum quòd omnes Apostoli vxorem habuerint: Numquid non habemus potestatem mulieres, vel vxores circumducendi (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) sicut ceteri Apostoli, & Cephas, & fratres Domini? iungat & illud, quod in Græcis codicibus est: Numquid non habemus potestatem sorores mulieres vel vxores circumducendi? Ex quo apparet eum de alijs sanctis dixisse mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum: nam & ordo verborum hoc significat: Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo & bibendo, ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur; perspicuum est, non vxores debere intelligi, sed eas (vt diximus) quæ de sua substantia ministrabant.] hæc Hieronymus: eadem ante ipsum Tertullianus[e]. Augustinus[f] vero hæc in eam sententiam: Hoc quidam non intelligentes, non sororem mulierem, cum ille diceret: Numquid potestatem non habemus sororem mulierem circumducendi? sed vxorem interpretati sunt. Fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quòd vxor & mulier eodem verbo γυνὴ Græce dicitur. Quamquam hoc ita posuerit Apostolus, vt falli non debuerint. Quia neque mulierem tantummodo ait, sed sororem mulierem: neque ducendi, sed circumducendi. Verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas: quia sororem mulierem, non vxorem interpretati sunt.] Sic etiam Chrysostomus[g], sicut Theodoretus, & alij veteres, de sorore, non de vxore dixisse Paulum, intellexerunt. Consueuerant enim Iudæi suæ gentis feminas sorores nominare, & viros fratres.

d Hier. aduers. Iouin. lib. 1.
e Tertull. lib. de monog. c. 8.
f Aug. de opere monach. c. 4.
g Chrysost. & Theodoret. in 1. Cor. 9.

LXI. DE CONIVGE PAVLI DIVITVR OBIECTIO.

LXII.

Sed quid de hac re scripserit, & eleganter quidem, Isidorus Peluſiota ad Isidorum diaconum, hic describamus: Apostolorū vnusquisque (vt ita dicam) regionem vnam nactus, eam optimis moribus informauit. At Paulus, tamquam pennatus agricola, vniuersum pene Orbem peragrauit, atque extremos vsque terræ angulos grassatus est, tum auditores suos optimis legibus instituens, tū ijs etiam, quibus eum audire minime E contigit, diuinam doctrinam inserens. Quocirca illos quidem mulieres etiam comitabantur, non vt liberos procrearent, aut vna cum ipsis vitæ consuetudinem haberent, verum vt ex suis facultatibus subministrarent, ac paupertatis præcones alerent: hunc autem, qui ad ipsos vsque terræ fines currebat, sequi nec permissæ sunt, nec potuerunt. Quid vero mirum feminas relictas fuisse, cum etiam Barnabas, indiuiduus alioqui comes, ad infinitum illum cursum ac laborem claudicans, primas ipsi concesserit? Siquidem quo tempore cum eo versabatur, hæc verba habebat Paulus: Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas? An solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi? Non quòd ij qui virginitatem suadebant, & castitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus consuetudinem haberent. Quis enim eos virginitatem suadentes tulisset, siquidem ipsimet in voluptatum cœno

LOCVS PAVLI ELVCIDATVR.

sese vo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sese volutantes deprehensi fuissent? Non igitur hoc ait. nam alioqui mulierem vxorem dixisset (quemadmodum notarij in ijs contractibus, qui ad dotes pertinent, scribere consueuerunt, Alere ac vestire, quemadmodum muliere vxore dignum est, pro facultatum captu: mulierem videlicet ob naturam collocantes, vxorem autem ob vitæ consuetudinem.) sed quia ipsos sequebātur, ex bonis suis paupertatis magistros alentes; idcirco sororem quidem dixit, vt castitatem indicaret; mulierem autem, vt naturam declararet. Mulier quippe virgo quoque appellatur, etiam si intacta sit: mulier ob formam, etiam si integra sit: mulier ob naturam, etiam si masculi congressus expers sit. Quòd autem hoc a scopo minime aberret, hinc liquet, quòd idem hic Paulus, cuius dictum nonnulli subdola interpretatione deprauare minime dubitant, de eo loquens, quòd Saluator secundum carnem ex sanctа virgine Maria natus sit, his verbis vsus est: Factum ex muliere. Quid ais Paule? Virginem mulierem appellas? Ita, inquit: mulierem ob naturam appello, virginem autem mente teneo. Mulier enim est virgo, etiam si alioqui a virili contactu aliena sit. Mulier ob speciem & effictionem, virgo propter integritatem & puritatem.] hactenus Isidorus, qui fortasse mente concepit de sanctissima virgine Thecla Paulum intellexisse. Ceterum nihil prohibet eadem Pauli verba non de qualibet externa muliere, sed de sua ipsius sorore, eademq. germana, posse intelligi; cum præsertim testimonio Lucæ [a] Euangelistæ constet Paulum habuisse sororem, cuius filius ipsum liberauit ab insidijs Iudæorum.

a Act. 23.

LXIII. Alium insuper admouent arietem, qui in Pauli cælibatū insurgunt; eiusdemq. Pauli verba in ipsum intorquent, quibus scribens ad Philippenses sic ait [b]: Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente & ceteris coadiutoribus meis.] nouus interpres, euertens potius, quàm vertens, loco germane, germanam est interpretatus. At quis vmquam Orthodoxorum, etiam si repetas tempora ab initio nascentis Ecclesiæ vsque in præsens sæculum, reperitur, qui germanam putauerit esse legendum? Equidem non tantum de homine intellexisse Græcos omnes certum est, sed & nomen proprium viri cuiuspiam illud esse, Oecumenius [c] existimauit. Theodoretus [d] eos item refellens, qui vocem illam, compar, eo quòd communis sit tam masculo quàm feminæ, coniugem Pauli esse putarent, hæc ait: Comparem, seu coniugem, nonnulli stulte existimauerunt esse vxorem Pauli, non attendentes ea quæ scripta sunt in epistola ad Corinthios; quòd scilicet se retulerit in numerum cælibum: Dico enim his qui matrimonio iuncti non sunt, & viduis: bonum, si permanserint sicut ego: quòd si non contineant, nubant. Et clarum quidem est, quòd siue esset cælebs, siue viduus, vxorem non habebat: vxorem numquā duxisse, verius est. Comparem ergo seu coniugem ipsum vocat, vt qui iugum pietatis secum trahat; et hortatur vt sit optimarum mulierum adiutor.] hæc Theodoretus. Existimauit Ioannes Chrysostomus [e], per comparem illum, Paulum significare voluisse fratrem quemdam illarum mulierum quæ ab eo ibidem nominantur, vel fortasse alicuius ex illis virum, puta Synthicis, vel Euodiæ.

b Philip. 4.

REFELLITVR SECVNDA OBIECTIO.

c Oecumen. in epist. ad Philipp. c. 4.
d Theodoret. in epist. ad Philip. c. 4.

e Chrysost. in epist. ad Philip. c. 4.

LXIV. Quid insuper? Quod moris est omniū qui pertinaciter rem minus veram iustamq. defendunt, & manifestam veritatem impugnant; vt quo minus veras habent, quibus fulciantur, rationes, eo magis fraudibus nitantur, eoq. dolosius imposturas adhibeant: sic quidem Nouatores, vt quoquo modo suæ ipsorum incontinentiæ Paulum cogant adstipulari, deprauata Ignatij [f] martyris epistola ad Philadelphios, inter eos quos ille recensет fuisse coniugio obligatos, post Petrum, addiderunt Paulum, & alios Apostolos. Sed perfacilis est eiusmodi strophæ atque figmenti detectio: qui enim antiquiores vel Græcos vel Latinos codices perueſtigant, quorum alij in bibliotheca Vaticana, & Sfortiana, alij alibi hic Romæ sunt, addititium esse Pauli nomen intelligent. At non tantum nostrates codices vetustiores ab omni impostura liberi id aperte demonstrant, sed & peregrini, in quos tamen nulla prauitatis labes irrepsit; vt ille veneranda antiquitate nobilis, qui asseruatur in amplissima bibliotheca inuictissimi Regis Pannoniarum Matthiæ Coruini: haud dubiū quòd & alij omnes eidem tempore æquales eamdem germanam contineant lectionem. Non negamus, in quibusdam Græcis codicibus, sed haud antiquitate cum alijs conferendis, additum legi Paulum, sed sine dubio ab illis Græcis recens exscriptis, qui, quòd vxores retineant cum sacerdotio, Paulum in defensionem suæ ipsorum incontinentiæ velint habere consortem.

f Ignat. epist. 9.

EX SCRIPTIS IGNATII CONFLATA CALVMNIA.

Atqui

Atqui appello iudicium omnium recte sentientium: Quibusnam maior est adhibenda fides, antiquioribus, an recentioribus exemplaribus? Sed etsi deesset eiusmodi de inspectione codicis argumentum; de germana Ignatij lectione prouoco ad antiquiores scriptores, non dico ad Patres tantum, qui pro cælibatu aduersus hæreticos instituerunt defensiones, sed ad ipsos hæreticos, qui eumdem acerrime impugnabant. Quis vmquam, quæso, ad adstruendū coniugium Pauli, Ignatium testem adhibuit? non puto certe fuisse eos adeo vecordes ac stupidos (cum prudentiores sint filij tenebrarum filijs lucis in genere suo, & præsertim Iouinianus hæresiarcha, qui omnem lapidem voluit vt Apostolos omnes coniugatos ostenderet) vt præclarissimi viri certissimum atque irrefragabile testimonium, cum ea potissimū, quæ oculis inspexisset, testatus esset, adeo oscitanter prætermiserint. Sed esto, hoc illos præterierit: num eodem quoque torpore, somno, ac letargo potius absorpti sunt ceteri antiquiores, qui pro cælibatu scribentes, & ex cælibatu Pauli probationes instituentes, tam libere firmiterq. id adstruere potuissent, si vnus ipsis instar omnium obstitisset Ignatius?

DETEGITVR IMPOSTVRA.

LXV.

At quid in primis Tertullianus [a] non tantum de Pauli, sed & aliorum Apostolorum cælibatu? Petrum, inquit, solum inuenio maritum per socrum, monogamum præsumo per Ecclesiam, quæ super illum ædificata, omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura. Ceteros autem cum maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.] hæc ille: plura addit de cælibatu ceterorum Apostolorum, ac de Paulo specialiter superius [b], dum eum in ordine spadonum adnumerat, aitque: Ad quē spectans & Apostolus, propterea & ipse castratus continentiā mauult.] idem [c] & alijs pleriſque in locis eiusdem Pauli continentiæ est firmus ac fortis adstipulator. Eadem non tantum de Paulo, sed & ceteris Apostolis Hieronymus [d], qui ait: Quoniam, excepto Apostolo Petro, non sit manifeste relatum de alijs Apostolis quòd vxores habuerint: et cum de vno scriptum sit, ac de ceteris tacitum; intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale scriptura significat.] idem ad Eustochium [e]: Neque audiendi sunt, inquit, qui eum vxorem habuisse confingunt.] Hæc cum dicat ille, an non nouit quas ipse recensет Ignatij epistolas, eamq. ad Philadelphios, vbi Paulus & ceteri Apostoli coniugati dicerentur? Sed quid de Chrysostomo dicam, ciue ac presbytero Antiocheno, cuius Ecclesiæ Ignatius fuit Episcopus? Potuit ne ipsum præterijsse quod de coniugio Pauli idem scripsisset Ignatius, cum tam intrepidus constansq. sit Pauli cælibatus assertor [f]? De Theodoreto etiam quid existimandum? qui cum Ignatium sæpe [g] citet, se eārumdem epistolarum lectioni assueuisse, sane quidem ostendit: an non rubore saltem suffundi debuisset, tam firmiter Pauli cælibatum attestans, si Ignatij tanto testimonio confutari potuisset? Sed prætermittimus alios, satis superq. existimantes ex his quemque prudentem in Ignatij epistola imposturam latentem detegere, atque perspicue intelligere posse.

a Tertul. de monogam. c. 8.

ASSERTORES CÆLIBATVS PAVLI.

b Eod. lib. c. 3.

c Colligit ex Pam. in lib. de monog. nos. c. 3.

d Hier. aduers. Iouin. lib. 1.

e Ad Eustoch. epist. 22.

f Chrysost. de virg. & alijs multis in locis.

g Theodoret. in immutab. dial. 1. 2. & 3.

At certe etiam Pauli infensissimus hostis Ebion temporibus Apostolorum hæresiarcha (nam de eo meminit S. Ignatius [h]) quantumlibet tam ipse quàm sui Apostolum pluribus calumnijs vehementer exagitent, tamen absque vxore Christianum eum fuisse demonstrant: dum ipsum quidem tentasse vxorem accipere, sed quoniam quam cupiebat non accepisset, idcirco Christianis adhæsisse, ac sic aduersus Iudæorum legem plura scripsisse, tradiderunt. Reddam verba Epiphanij hæc narrantis [i], cum aduersus Ebionæos hæreticos scribit: Paulum, inquit, hic accusare non erubescunt, per conficta quædam verba ex maleficio & errore pseudoapostolorum suorum, Tarsensem quidem ipsum (velut ipse etiam confitetur, & non negat) dicentes; verum ex Græcis ipsum fuisse asserentes, occasione accepta ex loco ob veritatis studium ab ipso dicto, nempe: Tarsensis sum, non ignobilis vrbis ciuis. Deinde asserunt ipsum esse Græcum, & ex patre Græco: ascendisse autem Hierosolymā, & per tempus illic mansisse, concupiuisseq. filiam sacerdotis in vxorem accipere, & huius gratia proselytum & accessorium factum esse, & circumcisum esse: deinde cum puellam assecutus non esset, ira concitatum esse, & contra circumcisionem scripsisse, & contra sabbatum & legem.] hæc de Ebione & socijs Epiphanius.

HOSTES PAVLI ASSERTORES EIVS CAELIBATVS.

h Ignat. epist. 9.

i Epiph. hæres 30.

LXVII.

LXVIII.

Sed etsi proprium sit hæreticorum mentiri; non puto tamen hac saltem ex parte Ebionem adeo fuisse dementem, vt si nouisset Paulum habuisse coniugem, eū cælibem ad Christianos defeciſſe, fateri voluisset: quippe qui eam ansam in eum obloquendi,

Universidad de Deusto
Biblioteca

PAVLVS SEMPER CAELEBS.

ex cælibatu ipsius accepisse credatur. At vero haud tantopere quempiam insanire credo, vt velit Paulum cælibem vitam egisse, dum Iudæus permansit, ad Christum vero conuersum, se coniugio obligasse. Nam cum ipse dicat [a]: Qui sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est] quis adeo mente captus existimet eum, qui ad tam ingentem molem agitandam, nempe Apostolatum Gentium omnium administrandum delectus erat, voluisse insolubilibus coniugij vinculis deuinciri, ac negotiorum domesticorum cura perstringi; cum ipse etiam Timotheum monens, dicat [b]: Labora sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus: vt ei placeat, cui se probauit?] Sed facessant commenta hæc.

a 1. *Cor.* 7.

b 2. *Tim.* 2.

A

LXIX.

EX CONIECTVRIS ARGVMENTVM.

Quòd si denique de Pauli cælibatu agere etiam volumus coniecturis: fortissima quidem ea est quæ ducitur ex eius vitæ instituto olim inito, antequam Christi fidem capesseret, cum Iudæus inter Iudæos esset. Pharisæus [c] quidem secta erat, ac non remissus sane vel mollis, sed (quod & ipse [d] ait) proficiebat in Iudaismo supra omnes coætaneos suos, abundantius existens æmulator paternarum traditionum. Qualis autem esset Pharisæorum vitæ ratio de continentia solicite conseruanda, Epiphanius [e] satis docet, nosq. superius recitauimus, cum de sectis Iudæorũ egimus: tradit enim inter alia, alios ex ipsis octo, alios decem annorum spatium ad continentiam ab omni labe carnalis voluptatis sibi solitos esse præscribere. Iosephus Iudæus rerum Iudaicarum historicus, & ipse (vt profitetur) secta Pharisæus, de se ipso agens, ac de alio itidem Pharisæo, qui cum instituebat ad castitatem seruandam, hæc scribit [f]: Cum audissem, inquit, Banum quemdam in solitudine viuere, amictum sibi parantem ex arboribus, & alimentis sponte prouenientibus vtentem, crebrisq. nocte & die lauacris frigidis vti ad castitatem tuendam: cœpi eius instituturn imitari: exactiusq. in eius contubernio tribus annis, postquam cupitis satis potitus sum, in vrbem redij.] addit deinde, se nec postea, licet iam ad suæ ætatis annũ trigesimum peruenisset; vllis carnis illecebris esse victum, nec nisi in matura ætate nuptias expetisse. Si hæc agebat Iosephus, siq. his multo maiora complures aliorum Pharisæorum præstitisse noscuntur; quid de Paulo existimandum putamus, qui eo in genere omnes facile superauit, ac æqualibus antecelluit? Esto igitur de cælibatu Pauli firma sententia, suà in primis professione testata, Patrumq. omnium consensione firmata, hostium quòque probata assertione, ac coniectura denique ex certis deducta exemplis pariter declarata.

c Philipp. 3.

d Galat. 1.

e Epiph. lib. 1. *hæres.* 16.

f Ioseph. in Vita sua.

B

C

LXX.

g 1. *Cor.* 7.

DE IVDAEIS PRAEPVTIVM ADDVCENTIBVS.

Iam cetera, quæ Paulus Corinthios monuit, videamus: sunt enim hæ sacræ leges, quas non illis solum, sed (quod sæpius diximus) vniuersali Ecclesiæ seruandas proposuit, & edixit: nam addit [g]: Vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet, & sicut in omnibus Ecclesijs doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non inducat præputium: In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur.] Sane quidem apud Iudæos a prauis hominibus ea vigebat malis artibus excogitata perfidia, vt ad libitum, cum vellent a patrijs legibus ad Gentiles deficere, præputium super circumcisionem inducerent, sicq. se Iudæos esse negarent, & cum circumcisione etiam Dei cultum abijcerent. Vnde in libris [h] Machabæorum hæc de ijsdem leguntur: Ædificauerunt gymnasia in Hierosolymis secundum leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt a testamento sancto.] quod quidẽ Iosephus [i] itidem his verbis asserit: Adduxerunt sibi præputia, vt nudi quoque non essent Græcis dissimiles: et contemptis omnibus patrijs ritibus, imitabantur mores externarum gentium.]

h 1. *Mach.* 1.

i Ioseph. antiq. lib. 12. *c.* 6.

D

E

LXXI.

Quomodo autem id fieret, Epiphanius, qui res Iudaicas maxime calluit, docet his verbis, cum agit de Symmacho interprete, qui secundo est circumcisus: Accedit, inquit, ad Iudæos, ac fit proselytus, & circumciditur secunda circumcisione. Et ne mireris de hoc, optime auditor: contingit enim hoc. Qui enim a Iudæis ad Samaritas profugiunt, rursus circumciduntur: similiter & qui a Samaritis ad Iudæos transfugiunt. At hoc adhuc grauius est, quòd etiam a circumcisione præputiati fiunt, arte quadam medica, per instrumentum attractorium, spathisterem appellatum, infirmam membrorum cuticulam attrahi sinentes, futuramq. admittentes, & glutinatorijs circumdatis, præputium rursus superinducunt. Habes & testimonium apud sanctum Apostolum, vbi hæc verba hoc modo dicit: Circumcisus aliquis vocatus est? ne attrahatur ipsi

præputium.

A præputium. Hanc traditionem vero diabolici inuenti Esau fratrem Iacobi reperisse aiunt ad abnegationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius. Quapropter aiunt, Deum dixisse: Odio habeo ipsum Esau, Iacob vero dilexi.] hucusque Epiphanius. Inde putauit interpres [a] apud Martialem, illud explicans: *Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum*] recutitos esse Iudæos dictos: quoniam, inquit, Iudæis pueris cutis inguinis rescindebatur; postea, cum cutis succresceret, dicebantur recutiti, quasi noua cute tecti.] Persius [b], recutita sabbata, hoc est, Iudaica festa, dicit. vbi interpres: Iudæos, inquit, recutitos, quibus noua cutis restituta est; licet aliàs appellet recutitos, hoc est, circumcisos.] Sic igitur Paulus Apostolus, ne Iudæi credentes in Christũ, idem facerent quod ceteri consueuerant cum ad Gentes deficerent; neve Gentiles in Christum credentes, id agerent quod alij ad Iudæorum religionem transeuntes, & inter proselytos profitentes (circuncidi hi soliti erant) dictam tam a Iudæis quàm a Gentilibus ad Christum conuersis legem seruandam constituit. Plura deinde subinfert de vescendis idolothytis: sed de his superius actum est.

a Apud Martial. lib. 7. *epig.* 30. *in Celiam.*

IVDAEI RECVTITI QVI.

b Pers. satyr. 5.

B

C

Post hæc vero cum multa disseruisset de victu ministrando ijs qui annunciant Euangelium; tandem sancitam a Domino legem promulgans, ait [c]: Ita Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.] Ex Fidelium oblationibus, Ecclesiæ ordines & officia solita victum accipere, iam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio, certum est: immo cum adhuc superstes Dominus munus prædicationis obiret, ex his quæ dabantur, vna cum suis victum capere consueuerat: Iudas enim (inquit Ioannes [d]) loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.] Perseuerauit, auctusq. est idem vsus temporibus Apostolorum, ad quorum pedes suorum bonorum credentes oblationem liberam spontaneamq. faciebant, simulq. deferebant; ex quibus cum ipsi, tum ceteri qui egerent, victitarent. At sicut fides est amplioribus spatijs propagata, ac proinde sicut Christianorum, ita etiam ijsdem inseruientium coagmentatus est numerus clericorum: ita auctus est pariter maior oblationum prouentus; vsque adeo, vt Gentilium inuidiam [e], & Imperatorum quantumlibet Christianorum in se odia concitarent; qui verentes ne profusioribus viduarum largitionibus illi locupletes nimis, filij vero ipsarum pauperes redderentur, eas restringere & cohibere (arbitrio voluntatis potius, quam recti iudicij ratione) sæpe conati sunt [f].

LXXII.

c 1. *Cor.* 9.

OBLATIONIBVS SVSTENTATI DEI MINISTRI.

d Ioan. 12.

e Ammian. Mar. lib. 27. *f l.* 20. *de Epis. & cler. C. Theo. l.* 25. *C. eo lem. Hier. epist.* 2. *ad Nepot. Ambros. aduers. Symmachum.*

Erogabat vero eas Episcopus cuique Ecclesiæ ministro, prout opus esse videbatur: sumebat quisque menstruã sportulam, de qua hæc Cyprianus [g]: Ceterum presbyteri honorem designasse nos illis iam sciatis, vt & sportulis ijsdem cum presbyteris honorentur, & diuisiones menstruas æquatis quantitatibus partiantur.] Qui hæc capiebant ab Ecclesia victus stipendia, clericos sportulantes idẽ Cyprianus appellat, cum ait [h]: Hæc nunc ratio & forma in clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini ordinatione clerici promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestijs & negotijs sæcularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificijs non recedant, sed die & nocte cælestibus rebus & spiritualibus seruiant.] hæc Cyprianus.

LXXIII.

g Cypr. epist. 34. *ad Cleũ fin.*

EPISCOPVS DISPENSATOR REVM ECCLESIASTICARVM.

h Cyprian. epist. 66.

D

Quod vero ad decimas pertinet, quarum meminit: etsi iure diuino in lege veteri primitus imperatæ noscuntur; tamen sicut ante legem scriptam eas Abraham [i] de pugna quinque Regum victor persoluit magno sacerdoti Melchisedech, ita etiam & Gentiles, quodam religionis impulsu, sæpe in bello de manubijs vouisse decimas & reddidisse, scriptorum veterum monumenta testantur. Id a Posthumio factum, obtenta belli Latini victoria, necnon ab alijs Romanorum ducibus, Romanarum rerum historici [k] tradiderunt. Habes & de decimis illud apud Plautum: Vt decimas Herculi solueret] & illud [l]: Decimam partem Herculi pollucere.] et Cicero [m]: Herculi quisquam decimam vouit vmquam, si sapiens factus esset?] Herculi namque persoluere consueuisse decimas Romanos, Plutarchus [n] testatur. Herodotus in Clio: Siste, ait, ad singulas portas aliquot ex tuis satellitibus custodes, qui vetent exportari opes, vt earum decimæ Ioui necessario reddantur. Ita nec tu illorum odium contrahes, vi opes excipiendo; & ipsi agnoscentes se iusta agere, non inuiti facient.] hæc Croesus ad Cyrum Regem Persarum. Apud Xenophontem [o] hæc quoque reperiuntur: Hic etiam pecuniam de captiuis collectam partiri, eamq. quam decimæ nomine aut Apollini aut Ephesiæ Dianæ vouerant, consecrandam Prætores acceperunt.]

LXXIV.

i Genes. 14.

DECIMAE ETIAM A GENTILIBVS PERSOLVI SOLITAE.

k Dionys. Halicar. lib. 6. *Liuius. & alij.*

l Plautus in Stricho.

m Cic. de nat. deor. lib. 3.

n Plutarch. in probl. 99. *Rom.*

o Xenophon in Cyro lib. 5.

[a] Xenophon de reb. gest. Grac. lib. 3.
[b] Xenophon de Agesil. laud.
[c] Leuit. vlt. Num. 18. & alibi.

et alibi [a]: Agis Delphos profectus est, ac decimam Deo obtulit.] ac rursum [b]: Hostium vero ita fruitus agro est, vt duobus annis centum talenta & amplius Deo apud Delphos decimam dedicaret.] At vero non immorabor diutius in singulis exemplis recensendis. Constat quidem apud omnes fere gentes, velut quodam iure naturæ exigente, decimas numini deuotas ac redditas: quas (vt diximus) lege lata per Moysen [c] Deus sibi addicto populo imperauit. Porro de ratione decimarum, & denario numero, pluribus agit Philo [d].

LXXV. DECIMAE MVLTIPLICI IVRE DEBITAE.

[d] Philo lib. de congres. quar. erud. gratia.
[e] 1. Cor. 9.

At vero licet Christi Ecclesia legalibus non adstringatur (nam ea ex parte lex & Prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam) tamen iure quodam naturæ, quo præcepta moralia sunt seruanda, immo & diuino, illæ debentur etiam sacerdotibus Christianæ religionis. Quid enim tam naturale, quàm vt (quod ait Paulus [e]) qui plantat vineam, de fructu eius edat: qui pascit gregem, de lacte manducet: qui seminat spiritualia, saltem metat carnalia: et qui militat, stipendium accipiat? Certe quidem nisi Paulus voluisset eiusmodi legis præcepta in Christianam religionem transferri, nequaquam inde mutuatus esset exemplum & auctoritatem mandato etiã Domini confirmatam, dum ait [f]: Nescitis quoniã qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.] In necessarium enim vsum Leuitarum decimæ offerebantur in templo, secundum illud Numerorum [g]: Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in vsus eorum & necessaria seposui.] Quæ sunt igitur ad necessarium vsum sacerdotum, ius naturæ in primis præstanda admonet, lex Dei præcipit, ac Christus denique iubet esse seruanda. Sacerdotibus enim, perinde ac Regibus, Dei iudicio, tributa esse pendenda, Philo [h] declarat his verbis: Alios, inquit, non mediocres redditus iura sacerdotibus tribuunt, dum a singulis exiguntur decimæ frumenti, vini, olei, fœturæ pecudum ex armentis ac gregibus: quanta vero hinc quoque proueniat copia, licet ex numerosissimæ gentis frequentia coniecturam sumere. Ex his rebus liquet iuxta legis iudicium sacerdotes æquiparari honore ac maiestate Regibus. Siquidem illis tamquam Principibus conferri tributa imperat: id quod fit longe aliter quàm in ceteris ciuitatibus sub dynastis degentibus. Nam hæ gementes & coactæ vix tandem conferunt, perosæ quæstores ceu pestem publicam, nunc has nunc illas causationes effingendo, ne ad præstitutum tempus tributa repræsentent. At hæc gens sacerdotibus debitam pecuniam lubens gaudensq. depromit, quasi non daret; sed acciperet; addens faustas ominationes, & gratiarũ actiones populariter; idq. quotannis, nec viris cessantibus, nec mulieribus, sed alacritate spontanea, quanta nullis verbis exprimi potest, conferentibus; & hæc quidem contribuunt ex priuatis possessionibus.] hucusque Philo.

[f] 1. Cor. 9.
[g] Num. 18.
[h] Philo de Sacerd. honore.

LXXVI. DE DECIMIS TYPVS.

Si igitur talia tantaq. antiquæ legis sacerdotio debebantur; quanto maiora essent tribuenda Christianæ religionis sacerdotio, quod antonomastice Regale appellatum, tanto est illo excellentius atque sublimius, quanto vmbra veritas, & typo opus magnificentissime absolutum? Sane quidem per Melchisedech Regem ac sacerdotem, Christianæ religionis sacerdotium præfiguratum; & per Abraham, qui illi decimam dedit, laicos omnes adumbratos esse (figura signante nimirum præstandas a laicis Christi sacerdotibus decimas) Ioannes Chrysostomus [i] disputans aduersus Iudæos, pluribus docet, atque ait: Considera quanta sit excellentia nostratis sacerdotij: quandoquidem Abraham Patriarcha Iudæorum, progenitor Leuitarum, comperitur benedictionem accipere a Melchisedech, illiq. dare decimas.] Sed & longe ante id dixerat Paulus [k]: Intuemini, inquit, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.] quæ in eamdem sententiam explicat idem Chrysostomus [l], locum illum interpretatus. Hæc igitur considerantes primitiuæ illius Ecclesiæ Christi fideles, non modo decimam partem frugum, sed ipsas vniuersas, ac etiam rura, ex quibus colligebantur, distrahentes eorum pretia, portabant [m] ad pedes Apostolorum: præstiterunt hoc ipsum, donec infidelium Iudæorum inuidia exagitati, bonis omnibus spoliati, pauperes adeo redditi sunt, vt ipsi aliorum credentium indigerent auxilio: cuius rei causa Paulus bis, Antiochiæ primum, ac demum in Achaia & Macedonia, ad illos iuuandos, pecuniam collegit.

[i] Chrysost. orat. 4. aduers. Iud.
[k] Hebr. 7.
[l] Chrysost. in epist. ad Hebr. hom. 12.
[m] Act. 2.

LXXVII. Quod vero ad Gentes pertinet: etsi iure legitimeq. se ab illis eiusmodi debita stipendia

pendia requirere posse, Paulus (vt videmus) ad Corinthios scribens, testetur; tamen ne offendiculum aliquod illis inferret, ab eiusmodi exactione temperasse se dicit. Vsi sunt & alij in posterum eadem modestia; ne (quod ait Tertullianus [a]) redempta pretio religio videretur: arbitrio nimirum relinquentes cuiusque, quid & quantum vellet, offerre. Sed profusas illorum fuisse oblationes, ex quibus non modo ecclesiarum ministri, sed pupilli, viduæ, ægrotantes, peregrini, in carcere detenti, exules causa fidei, & ad metallum damnati, copiosissime alerentur, idem auctor testatur; nosq. tum ex ipso, tum ex alijs antiquis scriptoribus superius, cum egimus de collectis, satis aperte monstrauimus.

CHRISTIANORVM EFFVSA LARGITAS.
[a] Tertul. Apolog. c. 39.

Ceterum ad hæc subsidia sacerdotibus ceterisq. sacrorum ministris impartienda laicos teneri, non tantum Dominus sua (quod ait Paulus) ordinatione instituit, ac idem Apostolus iure id fieri demonstrauit, sed & Patres omnes faciendum admonuerunt. Plura enim de decimis præstandis leguntur apud Clementem [b], tum maxime Origenem [c], qui hæc habet de primitijs, ac proinde decimis: Sicut & in hoc sermone quem habemus præ manibus, arbitror conuenire: decet enim & vtile est, etiam sacerdotibus Euangelij offerri primitias. Ita enim & Dominus disposuit, vt qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuant; & qui altari deseruiunt, de altari participent. Et sicut hoc dignum & decens est, sic e contrario indecens & indignum existimo & impium, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit sacerdotes & ministros assistere altari, & aut verbo Dei, aut ministerio Ecclesiæ deseruire, vt de fructibus terræ quos dat Deus, Solem suum producendo, & pluuias suas ministrando, non offerat primitias sacerdotibus: non enim videtur huiusmodi anima habere memoriam Dei, nec cogitare, nec credere quia Deus dederit fructus quos cepit.] et inferius de decimis agens, multo plura a Christianis præstanda in eo genere Dominum voluisse, quàm a Pharisæis, qui decimabant mentam & anetum, secundum quod scriptum est: Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum] demonstrat.

LXXVIII.
[b] Clem. Const. lib. 2. c. 29. 38. & 39.
[c] Origen. in Num. hom. 11. DECIMAE PRAESTANDAE CHRISTI LEGE.

Eadem & Hieronymus [d] in hæc verba: Quod de decimis primitijsq. diximus, quæ olim dabantur a populo sacerdotibus & Leuitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite: quibus præceptum est, non solum decimas dare & primitias, sed & vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & sequi Dominum Saluatorem. Quod si facere noluerimus, saltem Iudæorum imitemur exordia, vt pauperibus partem demus ex toto, & sacerdotibus ac Leuitis honorem debitum deferamus. Vnde dicit & Apostolus: Honora viduas quæ vere viduæ sunt, & presbyterum duplici honore honorandum, maxime qui laborat in verbo & doctrina Dei. quod qui non fecerit, Deum fraudare, & supplantare conuincitur.] Augustinus sæpius id ipsum inculcat, vt cum ait [e]: Decimas de fructibus vestris ecclesijs reddite.] idemq. [f] alibi eodem argumento de reddendis decimis sermonem integrum perorauit, in quo hæc habet ad finem: Decimæ enim ex debito requiruntur; & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.] ac denique decimarum solutionem non esse recenter in Ecclesiam introductam, sed a maioribus præstari solitam, alibi his verbis inculcat [g]: Maiores nostri ideo copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant. Modo autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus partiri cum Deo decimas: modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.] hæc Augustinus.

LXXIX. PATRVM CONSENSVS DE SOLVTIONE DECIMARVM.
[d] Hier. in Malach. c. 3.
[e] Aug. de temp. serm. 215.
[f] Aug. de temp. serm. 229.
[g] Aug. hom. 48. de 50.

Sed & Ioannes [h] Chrysostomus item hortans primitias decimasq. persolui, ait: Opifex, vtpote calceorũ consarcinator, aut sutor, aut faber ærarius, aut quiuis alius artifex, cum aliquid vendiderit ex his quæ sua arte fiunt, det Deo primitias pretij, ibi (*in aream scilicet*) paruam partem deijciat, & ex minori parte cum Deo partiatur. Neque enim magnum quid peto: sed tantum, quantum Iudæorum infantes & mille malis pleni, tantum nos, qui cælum expectamus, iaciamus. Hæc autem dico, non legem ferens, neque prohibens ne plus eroges, sed æquũ censens vt non minus deponas, quàm partem decimam. Hoc autem fac non solum vendens, sed etiam emens. Hanc etiam legẽ seruent qui prædia possident in prouentibus.] hæc & alia plura Chrysostomus. Sed in his amplius non immorandũ: liquet enim, ex omnibus qui fuerunt antiqui Catholici Ecclesiæ scriptores, qui de his meminerint, neminem reperiri ab his esse dissentientem, sed æque eosdem illos omnes in eam sententiam conspirasse, eamdemq. multorum

LXXX. OPIFICES PERSOLVVNT DECIMAS.
[h] Chrysost. in 1. ad Corin. hom. 43.

Universidad de Deusto
BibliotecA

sacrorum Conciliorum, de quibus inferius erit mentio, canonibus confirmasse. A

LXXXI. Fuisse quidem profusas Christianorum largitiones in ecclesias, tum ex dictis colligi potest, quòd ex his non clerici tantũ victitarent, sed & pauperes omnes (vt dictum est) diuersis pressi miserijs leuarentur; tum etiam quòd ex ijsdem pretiosissima ecclesiæ supellectilia (licet Christianos vexaret persecutio) acquirebantur. Nam qualia essent cetera ecclesiæ vasa, quæ ad sacrificij opus ad altare admouerentur, inde argumentum deduci posse videtur, quòd etiam lucernæ argenteæ erant, vt ex Actis Proconsularibus apud Augustinum [a] legitur de temporibus Diocletiani. Abundasse ecclesias vasis ex auro & argento conflatis, Optatus [b] etiam tradit, necnon idem qui supra Augustinus alibi [c] ex alijs Proconsularibus Actis.

ARGENTEA SVPELLECTILIA.
a Augustin. epist. 165.
b Optat. contra Parmen. lib. 1.
c Aug. contra Cresc. lib. 3. c. 29.

LXXXII. Ceterum sicut nec Leuitis olim, licet decimis ditarentur, interdicta erat omnino rerum immobilium possessio, quippe qui ex mandato [d] Dei in singulis tribubus vrbes sacerdotales ad habitandum habebant, suburbanaq. earum ad mille passus (nec erant illæ numero paucæ, cum in ea prouincia non adeo ampla numeratæ sint [e] Leuitarum ciuitates quadragintaocto) ita etiam nec Christianæ legis sacerdotibus eorumdem bonorum possessio interdicta probatur: Ecclesias enim Christianorum etiã possessiones olim sub Gentilibus Imperatoribus possedisse, non tantum Pij [f] Papæ Primi, & Vrbani [g] item Primi, quos alij citant, epistolæ declarant, sed ipsa Imperatorum edicta, quibus eas illis ablatas reddi mandarunt. In edicto [h] enim Constantini atque Licinij hæc scripta leguntur: At quoniam ipsi Christiani non solum ea loca in quæ conuenire solent, sed etiam alia habuisse cognoscuntur, quæ non priuatim ad singulos, sed ad ius totius ipsorum communitatis, id est, Christianorum, spectabant: singulis qui ea possident, mandes velim, vt omnia per legem, quam supra posuimus, absque vlla controuersia Christianis, id est, societati ipsorum & conuentui reddant, &c.] Porro ea omnia loca quæ dicit spectare ad Christianorum communitatem, bona Ecclesiastica fuisse, sequens eorumdem edictum ad Annulinum conscriptum manifeste declarat his verbis: Quare volumus, vt simulac hasce litteras a nobis acceperis, si quæ ex his possessionibus, quæ ad Catholicam Christianorum Ecclesiam in quibusque ciuitatibus aut alijs locis pertinent, etiam adhuc a ciuibus aut ab alijs quibusdam retineantur, eas quamprimum eisdem ecclesijs facias restitui: quandoquidem animo instituimus, vt ea, quæ ecclesiæ antea possederunt, ad ipsarum ius denuo reuertantur. Cum igitur tua pietas animaduertat decretum hoc absque dubio de nostra sententia esse publicatum: enitere atque labora, vt siue horti, siue ædes, siue aliud quodcumque aliquando ad ius ipsarum ecclesiarum spectarint, omnia illis quamcelerrime reddantur.] hæc illi. sublata enim illa fuerant temporibus persecutionis Diocletiani atque Maximiani Impp. B

d Num. 35.
e Iosue 21.
BONA IMMOBILIA POSSEDIT ECCLESIA.
f Pius epist. 2.
g Vrban. ad omnes Epis.
h Apud Euseb. lib. 10. c. 5.

LXXXIII. Post hæc, reddita pace Ecclesiæ, regnantibus iam Principibus Christianis, ecclesias omnes locupletatas esse longe lateq. amplissimis latifundijs, non est, credo, qui dubitet. At sicut olim possessiones, quas alij Deo vouissent, easdem sacerdotes [i] possidebant, quantumlibet portio eorum tantummodo Deus esse deberet: ita etiam rura, vel alia bona a Fidelibus elargita ecclesijs, in vsum cedere sacerdotum, aliorumq. ministrorum, certum est. Nam licet missis a se discipulis Dominus dixerit: Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.] tamen cum mox subdit: Dignus est operarius cibo suo] illis quæ sunt ad vitam necessaria, Saluatoris sententia, ministrari debere, quis non intelligit? Sic enim illis inhibuit aurum & argentum, non vt eorum vsu necessario interdiceret (etenim constat aurum & argentum, ipsa rerum pretia, allata esse ad pedes Apostolorum, illorumq. arbitrio dispensata) sed vt affectum temporalium rerum reprimeret, ne quæstum pietatem putarent. Sicut cum etiam ijsdem dixit: Neminem per viam salutaueritis] illis haud inhibuit consueta humanitatis officia; sed vt ad prædicationis opus, ad quod dirigebantur, solicitiores & attentiores redderet, voluit admonuisse. Sed de his satis dictum putamus; quæ quoniam ad Ecclesiasticam œconomiam spectant, ratio instituti nostri sicut non patiebatur prætermittere, ita in ijsdem paulo diutius nos immorari permisit, & pene coegit. Age igitur, iam ceteras ab Apostolo Corinthijs in primis traditas, ac proinde vniuersæ Ecclesiæ præscriptas leges inuestigemus. E

i Leuit. vlt.
TEMPORALIVM RERVM VSVS MINIME VETITVS.

LXXXIV. Sicut enim optimi legislatoris officium ac munus est, non tantum egregijs moribus rempublicam instituere, sed eiusdem populi decentem corporis habitum simul componere: D

A ponere: eodem sane modo Paulus Apostolus illa, quam ad eos primam scripsit, epistola, cum eosdem optimis legibus imbuisset, de mulieribus illud statuit, vt nonnisi velato capite in ecclesiam conuenientes orarent: sicut e contra viros operto capite orare vetuit. Ceterum quod ad mulieres velandas pertinet: licet ipse primus Fideles id agendum monuerit, non tamen eius rei primus est auctor: siquidem tam Iudæorum quàm multarum Gentium feminas olim, etiam ante Christi aduentum, velatas incedere consueuisse, exploratissimum est. De Iudæis fidem facit Tertullianus [a], qui dum agit de veteribus traditionibus, ait: Apud Iudæos tam solemne est feminis eorum velamen capitis, vt inde noscantur.] De Gentilibus, vt de Creusa Æneæ vxore, habetur nobile exemplum: dicunt enim [b] eam propter insignem honestatem, ne cum Troia quidem caperetur, perterritam, se velamine detexisse; sed etiam dum ab incendio fugeret, mansisse velo tectam. De Romanis mulieribus id æque docet Valerius [c], dum ait: Horridum C. quoque Sulpitij Galli maritale supercilium: nam vxorem dimisit, quòd eam capite aperto foris versatam cognouerat.] Tacitus [d] item hæc de Poppæa Sabina: Rari in publicum egressus, idq. velata parte oris, ne satiaret aspectum, vel quia sic decebat.] De Græcis hæc Apuleius [e]: Mulieres candido splendentes amicimine.] De Arabibus hæc Tertullianus [f]: Iudicabunt nos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidia frui luce, quàm totam faciem prostituere.] De Lacænis mulieribus omnium laudatissimis illud a Plutarcho [g] scriptis mandatum habetur: virgines aperta facie, viris iunctas mulieres velatas prodire solitas: ea nimirum ratione, vt sic illæ maritos inuenirent, istæ vero viros habentes, alijs placere non curarent. Sed sicut & probro adscribitur [h] Lacænis virginibus, quòd supra genua tantum vestes deductas induerent, ita nec laudantur, quòd sic virgineus pudor quasi venalis expositus proderetur. B C

DE VELANDIS MVLIERIBVS.
a Tertul. de coron. milit. c. 4.
b Ex Homero recit. Clem. Alex. in Pædag. lib. 3.
c Valer. lib. 6. c. 3. de feuer. 13.
d Tacit. lib. 14.
e Apul. de asin. aur. lib. 11.
f Tertull. de veland. virg. cap. 17.
g Plutarch. Apophteg. Lacon. in Charil.
h Clem. Alex. Pædag. lib. 2. cap. 10.

LXXXV. At quoniam inter Græcos Corinthiæ feminæ patria lege atque consuetudine cultui Veneris erant addictissimæ, ac proinde (vt superius dictum est) omnium impudicissimæ, quippe quæ pietatem putarent sua corpora prostituere: his cum Apostolus Euangelium prædicasset, & complures illarum ad meliorem frugem adduxisset; quod olim præsens tradiderat, absens litteris monuit: nimirum vt mulier honesto incedens habitu, capite velato procederet, sicq. in ecclesia oraret cum ceteris. Quam quidem legem non nuptis tantum præscripsit, sed & virginibus: mulierum enim nomine (quod pluribus disserit Tertullianus [i]) etiam virgines fuisse a Paulo comprehensas, certissimum est: nam & sic ipsi Corinthij intellexerunt: Qui, inquit, hodie denique suas virgines velant.] sed de his superius. Ceterum id non tantum in Ecclesia Corinthiorum seruatum est, sed & in ceteris Christiani orbis Ecclesijs, quas vel ipsi Apostoli, vel eorum successores viri Apostolici [k] erexerunt. D

CORINTHIAS VELATAS VOLVIT PAVLVS.
i Tertull. de veland. virg. cap. 4. 5.
k Tertull. eod. lib. c. 2.

LXXXVI. Redarguerunt maiores nostri [l] veli genus illud, quod velut aranea tela contextum, vel purpureo colore, reuelaret potius quàm velaret pulchritudinem, irritamentumq. esset magis libidinis, quàm tegumentum pudoris, Gentilium potius feminarum vsu quàm Christo credentium comparatum. Reprehendit & illas Tertullianus [m], quæ neque tectæ, neque nudæ incedentes, Mitris, inquit, & lanis non velant caput, sed conligant, a fronte quidem protectæ: qua proprie autem caput est, nudæ. Aliæ modice linteolis, credo ne caput premant, nec ad aures vsque demissis, cerebro tenus operiuntur. Miserear, si tam infirmo auditu sunt, vt per tegmen audire non possint.] ac iterum inferius: Quantam autem merebuntur castigationem etiam illæ, quæ inter Psalmos vel in quacumque Dei mentione retectæ perseuerant? Merito ne etiam in oratione ipsa facillime fimbriam, aut villum, aut quodlibet filum cerebro superponunt, & tectas se opinantur?] Clemens equidem Alexandrinus [n] sic interpretatur de velandis mulieribus præceptum Apostoli, vt non tantum velamine capita tegerent, sed eodem in frontem promisso vultum obumbrarent. E

QVAE VELATIO IMPROBATA.
l Clem. in Pædag. lib. 3. c. 10.
m Tertull. de veland. virg. cap. 17.
n Clem. Alex. in Pædag. lib. 3. cap. 10.

LXXXVII. Ceterum non tantum Paulus hæc scribens, Christianarum mulierum sic voluit capita esse composita, vt velamine tecta essent; sed & Timotheum [o] monens, omnem illum a feminis superfluum lasciuumq. amputauit ornatum, qui esset concupiscentiæ fomes, sic dicens: Volo similiter & mulieres in habitu ornato: cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.] Docuit eadem & Petrus

o 1. Tim. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 1. Pet. 3.
b Clem. Alex. Pædag. lib. 3. c. 11.

QVALES VESTES ET ORNATVS.

c Clem. Alex. Pædag. lib. 2. c. 10.

Petrus [a]. Sed quid Christianæ religionis Pædagogus [b]? quonam modo ornatum temperat, vt luxum euitet? Mulieribus, inquit, crines mollire sufficit, & tenui aliqua fibula comam alligare frugaliter, simplici cultura pudicas comas in veram & germanam pulchritudinem alentibus: meretricij autem pilorum plexus, & catenarum nexus, cum eas deformes reddunt, tum etiam pilos discerpunt, artificiosis insertis vinculis euellentes.] probat idem album colorem in vestibus: Quòd si, inquit [c], oportet alium aliquem colorem quærere, naturalis veritatis per se tinctura sufficiat.] et post nonnulla: Quocirca Cæum Sophistam iure approbo, qui Virtutis & Improbitatis aptas describit imagines. Quarum hanc quidem, *nempe Virtutem*, fecit simpliciter stantem, candida veste indutam & puram, sola verecundia ornatam. Talem oportet esse mulierem fidelem, nempe virtute præditam cum verecundia. Alteram autem contra inducit, *nempe Improbitatem*, superflua quidem & varia veste indutam, alieno autem colore exultantem: motus autem & habitus comparatus ad delectationem describitur, non secus ac meretricis.] ac rursum, de vestium prolixitate agens, cum eas ad talos vsque productas velit, eas damnat quæ prolixæ nimium super terram effusæ trahuntur, sic dicens: Trahere autem vestes ad summos vsque pedes demissas, valde est arrogans & superbum: quod ambulandi actionem impedit; cum vestis instar verriculi, quæ in soli sunt superficie sordes secum attrahat; ne fractis quidem & eneruatis his saltatoribus, qui cinædicam turpitudinem mutam in scenam transferunt, vestem cum tanto dedecore diffluentem conspicantibus, quibus exquisitæ vestes, fimbriarumq. dilatationes, & curiosi figurarum numeri illiberalem ac sordidam syrmatum molliciem indicant.] hæc Clemens.

LXXXV-III.

FEMINAE ORNATVS CVPIDAE.

d 1. Tim. 5.
e Hieron. epist. 12.
f Tertull. de cultu fem. cap. 13.

Vix credi potest, quantum post Apostolos, quos recensuimus, laborauerint Apostolici viri, vt Christianas feminas, quod ad ornatum spectat corporis, in modestiæ officio continerent: at nec eas dicimus tantum, quæ (vt ait Paulus [d]) abierunt retro post satanam, sed pudicas & castas: vnde & merito de his Hieronymus [e]: φιλοκόσμον, inquit, genus femineum est: multasq. etiam insignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen scimus libenter ornari] atque adeo, vt nec persecutionum temporibus ab his nouerint temperare: vt de his merito illud scripserit Tertullianus [f]: Ceterum nescio, an manus spathalio circumdari solita, in duritia catenæ stupescere sustineat. Nescio, an crus de periscelio in neruo se patiatur arctari. Timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata, locum spathæ non det.] Declamat & Iustinus [g] martyr in eas quæ dolosa arte tentarent quæ Christianis essent mulieribus interdicta: sic enim ait: Vsu venit quibusdam se ipsas fallentibus, vt cum aperte vultum pigmentis fingere non audeant, arte id faciant. Nam in vndam aut oleum facie inclinata despicientes, de se ipsis iudicant, an aduersus castitatem belligerare possint.] hæc Iustinus: ex quibus etiam possumus intelligere, Christianas pudicas feminas haud licenter speculo vti solitas; cum illæ, in quas scribit Iustinus, ea arte vsæ præscriptam legem eluderent. Quasi enim pudicitiæ nundinatrices eas habet Tertullianus [h], quæ (vt ait) consilium formæ a speculo petunt.] Reprehendit [i] alibi & in viris, speculum omni occasione consulere, anxieq. inspicere.

g Iustinus ad Seren. de Vir. Christian.

h Tertullianus de virg. veland. cap. 12.
i Tertull. de cultu fem. c. 8.

LXXXIX.

DE SACRO VELO.

Sed tamen vt ad capitis velum, vnde digressa est, tandem reuertatur oratio: haud alienum ab instituto putamus, si etiam de sacro velamine, quo Deo dicatæ virgines vti solent, agamus. Non enim erat illud commune cum ceteris mulieribus; quod densiori tela contextum, nulla erat ex parte perspicuum; de quo & Ambrosius [k]: Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen vsu: nobile castitatis, non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis.] de eiusmodi velaminis genere hæc & olim Tertullianus [l]: Vera, & tota, & pura virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam: etiam feminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet: confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum, aduersus iacula scandalorum, aduersus suspiciones & susurros.] Illud etiam amplius habuit velamen sacrarum virginum, quòd a sacerdote benedici consueuit. hinc Hieronymus ad Demetriadem [m]: Scio ad imprecationē Pontificis flammeum virginale sanctum operire caput.] subinfert & verba nonnulla tunc temporis tum a sacerdote, tum a virgine dici solita. Sic & Ambrosius [n] Deo sacrandæ virginitatis ritum

k Ambros. aduer. Symmach. epist. 12. edit. Roman. tom. 5.
l Tertull. de virg. veland. cap. 15.
m Hier. epist. 8.
n Ambros. ad virg. lapsa.

tis ritum memorans, inter alia hæc de velamine: Sacro, inquit, velamine tecta es.] Solemni enim ritu id fieri moris erat, & nonnisi certis diebus, vt Gelasius [a] monuit: et ad instar sæcularium nuptiarum, magna erat celebritas velationis Deo dicandæ virginis. Augustinus [b] Demetriadis nobilissimæ virginis dum meminit, post multa hæc adiunxit: Velationis apophoretum gratissime accepimus.] Apophoreta enim nonnisi in sumptuosissimis conuiuijs, quæ post cœnam conuiuæ domum referrent, exhiberi consueuerunt.

a Gelas. ad Epis. Lucan. cap. 14.
b August. epist. 179. in fine.

XC.

Nuptiæ enim, hæc solemnitas, quòd illæ spiritualiter nuberent, dici solita erat. Nubere enim Christo eas quæ ipsi dicantur virgines, antiquo in Ecclesia loquendi vsu receptum fuit. Vnde & Tertullianus [c]: Nupsisti enim Christo: illi tradidisti carnem tuā, illi despondisti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem.] Ea de causa Cyprianus [d] eiusmodi Christo perpetuo dicatas, si fuerint præuaricatæ, Christi adulteras esse dicit: quem dicendi modū Basilius, Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, ac Græcorum ceteri, & Latinorum Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, ac denique reliqui sunt imitati. nam de his & Optatus Mileuitanus [e]: Spirituale, inquit, nubendi hoc genus est: in nuptias sponsi iam venerant voluntate & professione sua: et vt sæcularibus nuptijs se renunciasse monstrarent, spirituali sponso soluerant crinem: iam cælestes celebrauerant nuptias.] id ipsum quoque Innocentius Papa [f] ad Victricium: Quæ, inquit, Christo spiritualiter nubunt, & a sacerdotibus velantur, &c.] eaq. ratione Hieronymus [g] eo progressus est, vt matrem virginis Deo sacratæ, Dei socrum nominaret: quod tamen Ruffino [h] nodum in scirpo quærenti displicuit.

c Tertullian. de virg. velan. c. 16.
d Cyprian. epist. 62. & lib. de discip. & habitu virg.

SPIRITVALES NVPTIAE.

e Optatus Mil. lib. 6.
f Innoc. epist. 2. c. 12.
g Hier. epist. 27.
h Ruffin. inuect. in Hieron.

XCI.

Porro eius nominis, vt virgo sponsa Christi diceretur, ea potissimum ratio suppetit: quòd sicut iuncta coniugio cogitat quæ viri sunt, quomodo (vt ait Paulus) placeat viro; ita ista veluti altero coniugio obligata, Christo nimirum oppignerata, cogitat tantum quæ sunt Dei, nempe vt sit sancta corpore & spiritu. Erant hæ voces Christianarum virginum, quæ ne dispendium paterentur virginitatis, libentius martyrium oppeterent; nefas clamantes, Christo semel desponsatas, hominis cuiuspiam iungi consortio. ex quo hæc Ambrosius [i]: Ceterum quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro: et iam si voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.] Ad hæc, Deo sacratas virgines non tantum tegi sacro velamine, sed nigra indui veste, & operiri pallio, olim in Ecclesia consuetudo fuit. Qua de causa apud S. Asterium [k] de S. Euphemia nobilissima martyre Chalcedonensi, coram iudice assistente, id habes: Adstabat virgo pulla veste & pallio philosophiam professa.] et Hieronymus [l]: Solent quædam, cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam induere, & furuo operire pallio.] et alibi [m]: Vili tunica induitur, viliori tegitur pallio.] et ad Marcellam [n]: Pulla tunica minus, cum humi iacuerit, sordidatur.] ibi & de cingulo: Cingulum laneum, & tota simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimenta, quàm scindere.]

VIRGO DEO DICATA, SPONSA CHRISTI CVR DICATVR.

i Ambr. ad virg. lapsa.
k Concil. Nicæn. 2. act. 4.
l Hier. epist. 12.
m Idem ad Demetr. epist. 8.
n Ad Marcellam epist. 23.

XCII.

In aliquibus item Ecclesijs, præsertim Syriæ & Ægypti, tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouissent, & sæculum calcassent (inquit Hieronymus [o]) crinem monasterium matribus offerunt desecandum, non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter & velato.] nec id quidem, vt Vestales imitentur Romanorum virgines, quæ incisos sibi capillos ad arborem loton [p] suspendebant: sed alijs ex causis, quas Hieronymus recitat: immo & propter mysterium. Cum enim in signum subiectionis dati sint illis capilli: Christo iam desponsatæ, in libertatem vindicatæ, nequicquam amplius viris debent. Nec de his dicit Apostolus [q]: Mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine dati sunt illi.] de illis enim quæ viro sunt obligatæ, Paulus loquitur. Porro (quod superius ait) si turpe est mulieri tonderi vel decaluari, velet caput suum.] sacro iam velamine illarum cum caput obducatur, capillis, quibus tegantur, non indigent: et cum nec capillorum cultu viris placere cupiant, quæ Christo tantum morum probitate student esse gratæ, eo dispendio pulchritudinis cælesti sponso magis redduntur acceptæ. Quàm displiceat Deo ornatus capillorum & corporis cultus in virgine, quæ propositum virginitatis arripuit, afferre possemus pauendum plane exemplum de Prætextata nobilissima Romana femina, quod Hieronymus [r] scribit ad Læram: sed ad eum lectorem remittimus. Quod reliquum est, illud non prætermittimus dicere, de incidendis crinibus non fuisse omnium.

o Hier. epist. 48.
p Plin. lib. 16. cap. 44.
q 1. Cor. 11.

DE AMPVTATIONE CAPILLORVM RITVS DIVERSI.

r Hier. ad Læam epist. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Ambr. ad virgin. lapsc. 8. [b] In Capitular. Reg. Franc. lib. 2. cap. 6. [c] In Not. ad Roman. Mart. die 7. Maij & 20. Septemb. E.

nium eamdem consuetudinem in Ecclesia: nam apud alios in pœnam delicti, si lapsa virgo, in pœnitentiam redacta esset, crines eidem amputari solitos, testatur Ambrosius [a], quod & in Capitularibus Francorum [b] habetur expressum. At de his pluribus egimus in Notationibus [c] ad Romanum Martyrologium, obiectionemq. ex Gangrensi Concilio, germanum sensum conciliando, soluimus. De habitu itaque muliebri ex constitutione Pauli primitus compositio, hactenus. A

XCIII. DE CVLTV BARBAE.

Sed quòd de femineo cultu actum est; ad institutum pertinere existimauimus, etiam de antiquo Christianorum virorum cultu & habitu, quantum ex veteribus monumentis colligere licuit, narrationem instituere. Atque illud in primis, quod Apostolus monuit, ne viri nutriant comam: quo quidem, eos ab effeminato mulierum cultu remotos esse debere, satis aperte significauit. Proinde barbam, quod sit virorum insigne, more androgynorum vellere, aut cute tenus radere, minus consueuisse olim Christianos, facile persuademur. Nam & Christianus Pædagogus hæc ait [d]: Deus voluit feminam quidem esse glabram ac leuem, sola coma, sicuti equum iuba, sponte naturæ exultantem: virum cum sicut leones barba ornasset, virilem etiam fecit hirsuto pectore, quod quidem est roboris & imperij indicium.] ac deinde: Hoc viri signum, *barba scilicet*, per quod vir apparet, est Eua antiquius, & signum melioris naturæ. In eo ergo violando, quod est virilis naturæ signum, eo scilicet quod est hirsutum, contra legem facere, est impium.] ac denique post multa [e]: Si quis autem barbæ nonnihil tondeat, ea tamen non est omnino denudanda: est enim turpe spectaculum; barbaq. ad cutem vsque tonsus, non videtur multum abesse a vulsione & leuore.] et post pauca: Qui in superiori labri parte inter comedendum polluuntur, pili tondendi sunt, non nouacula (est enim illiberale) sed tonsorum forficibus. Barbæ autem pili, qui nihil molestiæ afferunt, non sunt vexandi, vt qui cultui grauitatem afferant, & quemdam paternum terrorem incutiant.] hucusque Pædagogus Christianus de communi vsu barbæ. Sed quod pertinet ad barbam tondendam secundum antiquum religionis cultum, pluribus agemus suo loco, cum de tonsura capitis erit sermo. B

[d] Clem. Alex. in Pædag. lib. 3. cap. 3.

[e] Eod. lib. cap. 11.

XCIV. PALLII VSVS.

Quod vero spectat ad corporis indumentum: Christianos, abiecta toga, vti consueuisse pallio, ex his quæ Tertullianus [f] scribit, satis exploratum habetur. Cum enim veræ sapientiæ Christiani omnes se esse sectatores profiterentur, decentem professioni habitum induebant, nempe pallium, quod sapientiæ studiosi induere soliti essent. Vnde idem Tertullianus [g]: Enimvero cum hanc primum sapientiam vestit, quæ vanissimis superstitionibus renuit, tunc certissime pallium super omnes exuuias & peplos augusta vestis, superq. omnes apices & titulos sacer suggestus deducit oculos. Suadeo reuereri habitum vnius interim erroris tui renunciatorem.] hæc ille, quibus declarat, Christianos homines simul cum impietate togam exuere, atque vna cum pietate pallio amiciri solitos: vt merito de illis, paroemiam in dicterium conuertentes, Gentiles dicerent [h]: De toga ad pallium.] Ceterum quòd Christianorum genus religione & moribus distinctum esset, indumento etiam placuit debere esse discretum: hinc idem illud exprobrat dicens [i]: Vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur.] ac rursum: Verum & cerdones, & omnis gladiatorum ignominia togata producitur. hæc nimirum indignitas: Vir de toga ad pallium?] C

[f] Tertull. lib. de pallio.

[g] Tertull. eod. lib. cap. 4.

[h] Tertull. eod. lib. cap. 5.

[i] Eod. lib. c. 4. & 6.

XCV. PALLII DESCRIPTIO.

Quale autem fuisset eiusmodi indumenti genus, sic in primis describit [k]: In viris autem pallij extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab vtroque laterum regestus, & ceruicibus circumstructus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat.] ac rursus inferius [l] de quatuor pallij angulis: Omnis, inquit, liberalitas studiorum, quatuor meis angulis tegitur.] Quatuor item angulos habere consueuisse pallium quo vtebantur Iudæi, diuina Scriptura demonstrat, dum ait [m]: Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui.] Vnde facile adducimur, vt credamus, Christianos, sicut a Iudæis hominibus, Apostolis nimirum, ad pietatem sunt instituti, ita etiam ab ijsdem potius quàm a Græciæ sapientibus indumenti formam esse mutuatos, illis tamen reiectis quæ ad antiquæ legis cærimonias spectare viderentur. Sed de eiusdem forma pallij rursus idem Tertullianus [n] in hæc verba: At enim pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur: quippe tota molitio eius operire est solutim, id est, vno interiectu, licet equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit. Humerum velans exponit vel includit; cetero qua in humerum adhæret, D E

[k] Eod. lib. cap. 1. [l] Tertullian. de pall. c. 6.

[m] Deut. 22.

[n] Tertull. eod. lib. cap. 5.

hæret, nihil circumfulcit, nihil circumstringit, nihil de tabularum fide laborat, facile sese regit, facile reficit: etiam cum reponitur, nulli cippo in crastinum demandatur. si quid interulæ supereſt, vacat zonæ tormentum: si quid calceatus inducitur, mundissimum opus est, aut pedes nudi magis; certe viriles magis quàm in calceis.] hæc Tertullianus; qui hæc tandem de se ipso, quòd relicta Gentilitate, ad Christi fidem se contulerit, abiectaq. toga, pallium sumpserit, ait [a]: At ego iam me illi etiam diuinæ sectæ ac disciplinæ commercium confero. Gaude pallium, & exulta: melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.] hucusque ille. A

[a] Eod. lib. c. 6.

Quod autem ad calceos pertinet: consueuisse Christianorum nonnullos sine calceis, sed nudis pedibus, vel tantum soleis incedere, demonstrat hæc dicens Clemens Alexandrinus [b]: Viro autem pulchre conuenit nullos habere calceos, præter quàm si militet. Calceatum enim esse, non paruam habet affinitatem cum eo quòd est esse ligatum. Optimum est exercitationis genus nudis vti pedibus, & ad sanitatem, & ad expeditam facilitatē; vbi non prohibeat necessitas. quòd si iter non ingrediamur, nec nudis incedere pedibus pati possimus, soleis vtendum est: eas autem Attici vocant *κρηπιδας*, quòd pedes (quantum ego conijcio) terræ appropinquarent. Tenuis ac simplicis calceaturæ testis sufficit Ioannes, qui dicebat, se non esse dignum soluere corrigiam calceamentorum Domini. non enim curiosos is habebat calceos, qui veræ philosophiæ typum Hebræis ostendebat.] hæc Clemens. Certe quidē Lucianus [c], instar horum quæ dicta sunt, habitum Christiani hominis describens, sic ait: Pallium putre, sine calceis & tegmine, capite incedens detonsa coma.] Sed vt redeamus ad pallium: de Porphyrio martyre Eusebius [d] meminit, vti consueuisse habitu philosophico. B C

XCVI. DE CALCEIS.

[b] Clem. Alexan. in Pædag. lib. 2. cap. 11.

[c] Lucianus in Philopat.

[d] Eusebius hist. lib. 8. c. 23.

At vero non tantum antiquitus, sed postea etiā, Christianos incedere solitos palliatos, argumento sunt quæ sic Hieronymus [e] scribit ad Furiam: Vbicumque viderint Christianum, statim illud de triuio: Ω *χριστὲ ἐπιβάτα*: vocant impostorem, derrahunt.] Idemq. etiam, de illo dicterio Gentilium in Christianos, ad Marcellam sic scribit [f]: Si tunica non canduerit, statim illud e triuio: Impostor & Græcus est.] Sed cur & Græcus? certe & illa ex causa, quòd pallium philosophicum furui coloris, qui haud gratus erat vel vsitatus Romanis, induerent. vnde Suetonius de Augusto [g]: Etiam habitum vestitumq. pristinum reducere studuit. ac visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans: En, ait, Romanos rerum dominos, gentemq. togatam? negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis, togatos consistere.] Ceterum videtur pallium paulatim a communi vsu Fidelium desciuisse, & monasticam vitam profitentibus cessisse, sicq. dicta a S. Hieronymo de monacho intelligenda: siquidem hæc in Gangrēnsi [h] Concilio scripta leguntur: Si quis virorum putauerit sancto proposito, id est continentiæ, conuenire, vt pallio vtatur, tamquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat alios, qui cū reuerentia birris vtuntur, & alia veste communi, quæ in vsu est; anathema sit.] Sed quod vestis genus fuerit birrus, dicemus inferius in martyrio Cypriani, vbi locus ille Pontij explicandus venit, quo dicit: Exuit se lacernum birrum, quem indutus erat.] Ceterum & de pallio sæpe inferius dicendum erit. His igitur de antiquo Christianorum habitu enarratis; ad cetera, quæ a Paulo institura salubriter sunt, pergamus. D

[e] Hier. epist. 10.

[f] Hier. epist. 23.

CHRISTIANI PALLIATI.

[g] Suetonius in Oct. c. 40.

[h] Concil. Gangren. c. 12. & dist. 30. c. 15.

Compositis iam his omnibus: quod reliquum videbatur, quid cum in ecclesiam conuenirent, agere deberent, instituit: sed redarguit eos ante, quòd inuicem dissiderent, sic dicens [i]: Primum quidem, conuenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, &c.] Tam ex his quæ hic scribit Paulus, quàm ijs quæ inferius [k] tradit, cum ait: Si ergo conueniat vniuersa Ecclesia in vnum] satis perspicue intelligitur, fuisse etiam Apostolorum temporibus loca quædam, quæ ecclesias nominarent, in quas Christiani ad synaxim in vnum conuenirent. Antequam autem eas nouas licuisset erigere, priuatæ domus, ampliora videlicet earum membra, quæ cœnacula dicebantur, eiusmodi ministerio inseruiebant. Sic in cœnaculū noulmus conueniſſe [l] primum Ecclesiam post Domini ascensionem: pariter etiam in domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, collectos esse credentes orationis causa, idem testatur Lucas [m]. Quantumlibet enim templum [n] Dei quiuis dicatur esse Fidelis, & in omni loco puras leuare manus, Apostolus [o] moneat: tamen ad sacros agendos conuentus loca quædam fuisse delecta, tum ex his quæ sunt demonstrata, tum etiam his quæ dicemus inferius de con- E

XCVIII. DE ECCLESIIS CHRISTIANORVM.

[i] 1. Cor. 11.

[k] 1. Cor. 14.

[l] Act. 1.

[m] Act. 12.

[n] 1. Cor. 3.

[o] 1. Tim. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] *Act. 29.* de conuentu Troadis [a], cum Paulus eodem loci in cœnaculum cum omnibus Christianis ad fractionem panis, & sermonem habendum, cum populo conuenit, satis superq. monstratur. A

XCIX. S. Ignatius, qui ijsdem Apostolorum temporibus Ecclesiam regebat Antiochenam, ad Magnesianos scribens [b], hæc habet: Omnes ad orandum in idem loci conuenite: sit vna communis precatio, vna mens, vna spes in charitate & fide inculpata in Christum Iesum, quo nihil præstantius est. Omnes velut vnus quispiam ad templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Iesum Christum sacerdotem.] idemq. frequenter esse conueniendum, scribens ad Polycarpum, admonuit, dicens [c]: Crebrius celebrentur conuentus, synodique: nominatim omnes inquire.] et ad Heronem [d]: Synaxes ne negligas, omnes nominatim inquire.] Sed etsi de erectis olim ecclesijs nullum aliud suppeteret argumentum, vel ratio; ipsa saltem Imperatorum edicta de demolien- B
dis Christianorum ecclesijs, quorum Eusebius [e] meminit, promulgata, plane eas iam ante erectas fuisse, certissimam fidem faciunt. Addit idem auctor, iam a Christianis, prout maior in dies numerus augeretur credentium, ampliores augustioresq. antiquis illis esse excitatas ecclesias, quæ demum edicto Diocletiani sunt demolitæ. Reddam, quo hæc certiora habeantur, eiusdem auctoris verba: Cum in antiquis illis ædificijs non satis loci haberent; ampliores ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt.] hæc Eusebius. Si igitur longe ante Diocletiani tempora antiquitus erectæ ecclesiæ sunt dirutæ, vt eædem amplioribus spatijs auctæ excitarentur; eædemq. sic restitutæ, tandem ab ipso Diocletiano sunt prostratæ: quis non intelligit, ab ipsis primordijs exorientis Christianæ religionis, ad Ecclesiasticas ob- C
eundas functiones accommodatas, fuisse erectas sacras ædes, quas nominamus ecclesias? Ea quidem voce inter alios frequenter vtitur Tertullianus [f]; quæ primitus ab Apostolo Paulo, sed ex antiquiori diuina Scriptura [g], communiq. vsu loquendi tandem est ab omnibus vsurpata, vt nomine ecclesiæ, certus quidam locus, quo ad synaxes celebrandas Fideles conuenirent, significaretur; de qua Augustinus: [h] Et hoc, inquit, quotidianus vsus loquendi obtinuit, vt in ecclesiam prodire, ad ecclesiam confugere, non dicatur, nisi ad ipsum locum parietesq. prodierit atque confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.]

[b] *Ignat. epistola 6.*
[c] *Ignat. epistola 11.*
[d] *Ignat. epistola 13.*
[e] *Euseb. histor. lib. 8.*
DE ERECTIONS ECCLESIARVM.
[f] *Tertullian. de idol. cap. 7. Ad vxor. lib. 2. c. 9. De velād. virg. c. 3. & 13. De coron. milit. c. 3. Colligit Pamel. vbi sup. de idol. c. 7. not. 29.*
[g] *Deut. 23. Iudith. 6. Hiere. Thren. 1.*
[h] *Aug. lib. quæst. in Leuit. tit. 59. citatur a Beda in epistol. 1. ad Cor. 11.*

C. Sed vt de ecclesijs Vrbis agamus; eo ipso tempore quo fides Christi ibi est prædicata, ecclesias ibidem esse cœpisse, earumq. numerum, vt opus fuit, in dies magis magisq. Christiana religione amplioribus spatijs propagata, auctum esse, exploratissimum est. Nam constat Pudentis Senatoris [i] Petri discipuli domum in ecclesiam ad sa- D
cra obeunda esse mutatam; is est Titulus Pastoris, de cuius vocis ratione suo loco dicemus pluribus. De Euprepia matrona liquet [k], domum suam in Titulum ad Missas celebrandas eam erexisse. Alias insuper ab alijs eodem tempore erectas ecclesias fuisse constat: nam de Euaristo [l], qui quintus a Petro numeratur Romanus Pontifex, testatum habetur, ecclesias diuisisse presbyteris; quos temporibus Cornelij Papæ extitisse numero quadragintasex, eiusdem epistola [m] ad Fabium Antiochenum Episcopum fidem facit; totidemq. in Vrbe fuisse ecclesias, Optatus [n] etiam testari videtur, dum ait, quadraginta, & quod excurrit, in Vrbe fuisse ad Christianum vsum basilicas excitatas.

[i] *Act. Pudent. de quibus infr. & epist. 2. Pij Pap. ad Iust. tom. 1. Biblioth. sanct.*
DE ERECTIS A PRINCIPIO IN VRBE ECCLESIIS
[k] *Pij Pap. epist. 1. ad Iustum. l Lib. de Roman. Pont. in Euarist. m Apud Euseb. hist. lib. 6. c. 35. n Optat. contr. Parmen. lib. 2.*

CI. Sed quo olim sumptu, qua impensa & ornatu; ex his certe, quæ Christianis infensissimus hostis (licet res nostras deridens ac carpens) Ethnicus [o] auctor, qui Apostolorum temporibus, ac etiam Traiani vixisse ex suis ipsius scriptis cognoscitur, tradit; ali- E
qua saltem ex parte intelligi posse videtur: ac proinde qualis esset cultus rerum nostrarum, quantumlibet persecutio vndique vrgeret, idem auctor, licet aliud agens, penicillo quodam figurare videtur, nec adeo obscure, vt non liceat velut per rimulas quasdam rem ipsam aliqua ex parte cognoscere. Critiam enim quemdam introducit; qui cum ab aliquo Fidelium persuaderetur fieri Christianus, ab eodem, vbi Christianorum conuentus ageretur, est deductus: quem quidem locum his verbis describit: Pertransiuimus, inquit, ferreas portas, & ærea limina: multisq. iam superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse: atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quæ insularis ille adolescens. Video autem non Helenam, sed mehercle viros in faciem inclinatos & pallescentes, &c.] hæc quidem apud Lucianum & alia de Christianis derisionis causa dicta legunrur.

ORNATVS ECCLESIARVM.
[o] *Apud Lucian. in Philopat.*

Sed nec

A Sed nec (quod ad hanc ipsam rem pertinet) prætermittimus, etiam Ethnicum illum CII.
historicum, Lampridium [a] inquam, testari, Alexandrum Imperatorem, locum in quo a Christianis erigeretur ecclesia, eisdem adiudicasse, pro ijsdemq. rescripsisse; nam ait: Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarij dicerent, sibi eum deberi: rescripsit, melius esse vt quomodocumque illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur.] Est & apud Flauium Vopiscum Valeriani Imperatoris de ecclesia Christianorum eiusmodi testimonium, dum hæc ad Senatum rescripsit: Miror vos, Patres sancti, tamdiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, perinde quasi in Christianorum ecclesia, & non in templo omnium deorum tractaretis.] hæc ille. Cum hæc igitur de ecclesijs Christianorum, tam nostrorum quàm etiam externorũ testificationibus, adeo certa firmaq. necnon in omnibus exploratissima habeantur: quid- SOLVTIO OBIECTORVM.
B nam est, quæso, quod obijci possit ex Origenis libro octauo contra Celsum, dum dicit, Christianos delectari insensibilibus templis, eosdemq. defugere simulacrorum & templorum fundationes; cum hæc ille obijciat contra illum, qui (vt superius ait) arguebat Christianos, quòd auersarentur aras, simulacra, & templorum fundationes? ad quem refellendũ Origenes pluribus docet, quàm præstet templum Dei animatum, dæmoniorum delubris, quæ auersari merito Fideles ait: ac proinde ibi nonnisi destruendis idolorum templis agi. Nec est etiam, quòd hæc ipsa adeo testata vacillent, quòd apud Minutium Felicem aduersus Christianos Cæcilius obijciat, dicens: Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari?] et quod paulo post ait, Iudæos Deum coluisse in templo atque palam, Christianos autem secus. Nam & nos vtique dicimus, caruisse Christianos crebro
C persecutionibus agitatos, templis illis instar fanorum Gentilium, vel templi Iudaici: temporum enim ratio id minus posse fieri permittebat; cum clanculum sæpius, siue in priuatis domibus, siue interdum in cryptis (vt docent fidelia sanctorum martyrum Acta) eos oportuit conuenisse: quibus cessantibus, habuisse eos loca publica, quo æque omnes conuenirent, citata a nobis nuper Principum rescripta testantur: quæ tamen non dicebantur templa, sed more maiorum, & Pauli exemplo, nominabantur ecclesiæ, tunc instar domorum potius quàm templorum.

[a] *Lamprid. in Alex. Imp.*

Sed iam, quæ earum structura esse soleret, inuestigemus. Situm illarũ ad Orientem CIII.
spectantem disponi solitum, quæ scribit Tertullianus [b] manifeste declarant; sic enim ait: Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper, & apertis, & ad lucem: amat figuram Spiritus sancti, Orientem Christi figuram.] hæc Tertullianus: secun- DE STRVCTVRA ECCLESIARVM.
D dum quod & apud Clementem [c] legitur de ecclesiæ forma, ac de situ in primis, his verbis: Primum sit longa, & ad Orientem conuersa.] vsitatiorem hunc fuisse ecclesiæ situm, vt Orientem versus spectaret, Paulinus [d] ad Seuerum scribens asserit. Nam & Salomonis templum ad orientem Solem conuersum fuisse, Aristeas [e] testatur: ad cuius fortasse imitationem, sicut & cetera multa, vel quòd Christiani ad Orientem conuersi precari consueuerint, cuius antiquæ traditionis vsus rationem inferius suo loco scrutabimur, olim ad Orientem conuersas ædificare maiores nostri consueuerunt ecclesias, in quibus & altaria essent ad Orientem æque conuersa. Hæc quod ad situm. Quod vero ad structuram ecclesiarum pertinet: sic erant earum singula membra disposita, vt quantum licet in re parua maximam omnium repræsentare, similitudinem quamdam Hierosolymitani templi redderent: quippe quæ porticum, atrium, sancta,
E ac demum sancta sanctorum, membra templi præcipua continerent ad diuersorum ordinum officia accommodata: nimirum vt alicubi essent pœnitentes & alij quibus ad ecclesiam non pateret accessus, alibi populus, seorsum ab eo sacerdotes, atque ab his omnibus distinctus locus, vbi ad sancta sanctorum ingrediens sacerdos, incruentum ac per omnia venerandum Deo offerret sacrificium. Hanc quidem formam in ijsdem hactenus intuemur ecclesijs, quæ temporibus Constantini fuerunt a fundamentis extructæ: nam in antiquioribus hæc monstrare non licet, cum (vt nuper dictum est) omnes quotquot in orbe Romano erant Christianæ religionis ecclesiæ, Diocletiani & Maximiani Imperatorum edicto fuerint ad solum prostratæ. Porro etsi reddita sub Christiano Principe Ecclesiæ pace, aliæ denuo fuerint amplioribus spatijs excitatæ: tamen nonnisi secundum pristinam formã (cum eadem, quæ olim, essent in eis officia obeunda, exercendæ functiones, ac mysteria consummanda) fuisse constructas, perfacile vt cre-

[b] *Tert. aduers. Valentin. c. 2.*
[c] *Clemen. lib. 2. Constit. c. 61.*
[d] *Paul. epist. 12.*
[e] *Arist. lib. de 72. interpr.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

damus, inducimur; cum præsertim eadem prorsus forma erigendarum ecclesiarum tam in Oriente quàm in Occidente vbique locorum obseruata noscatur. A

CIV. FORMA ECCLESIARVM AB ANTIQVIS DESCRIPTA.

Sunt de his (præter illa quæ adhuc extant) antiquissima exemplaria a quamplurimis antiquis scriptoribus graphice exarata, quæ cum pristinam illam reddant ipsarum imaginem, easdem ab iniuria temporum, quo omnia consumuntur, facile vindicant. Eusebius [a] enim dum describit ecclesiam Tyri a Paulino Episcopo erectam, eamdem quam diximus, formâ egregie repræsentat encomiastica illa, quâ ea de causa habuit, oratione: ea etiam, quam a Constantino Hierosolymis excitatam tradit [b], eamdem prorsus reddit imaginem. Gregorius Nazianzenus [c], & ipse dum a patre nobilissimam ecclesiam Nazianzi extructam, aliqua saltem ex parte, eloquentiæ penicillo quibusdam quasi lineamentis describit, non diuersam ab alijs similitudinem exprimit: quam etiam referunt ceteræ antiquissimæ Orbis ecclesiæ, ac præsertim quæ non mutatæ in B Vrbe visuntur, vel in chartis descriptæ apparent. Paulinus enim tum [d] Petri Principis Apostolorum basilicam in Vaticano a Constantino constructam, tum ceteras alibi [e] efformatas eodem plane modo fuisse demonstrat. Idemq. etiam hinc inde cubicula quædam, quæ capellas dicimus, construi in eis solita, orationis causa, tradit.

a Euseb. histor. lib. 10. c. 4.
b Euseb. in Vit. Constant. lib. 3. c. 34. & seqq.
c Greg. Nazian. orat. in fun. patris.
d Paul. epist. 31.
e Paul. epist. 12.

CV. PASTOPHORIA QVAE.

Duo præterea pastophoria in eisdem extrui consueuisse, apud Clementem [f] legimus, quæ a Paulino [g] nuncupantur secretaria, hinc inde apsidem posita: quorū quis esset vsus, duo hæc districha ab eodem desuper ipsa inscripta declarant. A dextra apsidis:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.]

A sinistra eiusdem: C

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris.]

f Clem. Constit. lib. 2. c. 61.
g Paulin. ead. epist. 12.

Atque hoc quidem secundum ea quæ habentur apud Clementem [h], vt ecclesia duo habeat pastophoria: quæ vox (vt explicat Hieronymus [i]) idem est quod thalamus, seu interius cubiculum. At vero non omittimus dicere, non indecens visum esse in eadem ecclesia plura constitui altaria. nam cum ea essent sepulchra martyrum; vbicumque esset martyr conditus, illic altare erigi consueuit. Sane de tredecim altaribus in ecclesia vna erectis Gregorius [k] meminit.

h Clem. Constit. lib. 2. c. 61.
i Hier. in Ezech. c. 42.
k Greg. in regist. lib. 5. indic. 14. epist. 50.

CVI. PONS PRAE FORIBVS ECCLESIAE.

Nec vero prætereundum putamus, quòd sicut olim ad emundationem positum fuisse in templo labrum æneum, hæc leguntur in Exodo [l]: Facies & labrum æneum cum basi sua ad lauandum, ponesq. illud inter tabernaculum testimonij, & altare: et missa aqua lauabunt in ea Aaron & filij eius manus suas & pedes, quando ingressuri sunt D in tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt ad altare] ita etiã præter aquam precibus sacerdotum benedictam, de qua inferius dicturi sumus, pro ecclesiæ foribus positam fuisse aquam ad purificationem, complures antiquorum scriptorum, qui Constantini sæculo claruerunt, testantur, dum structuram antiquarum ecclesiarum suis ipsi scriptis repræsentant, atque ob oculos ponunt: inter quos Eusebius [m], qui nobile illud a Paulino Tyriorum Episcopo extructum templum describit, hæc de eiusmodi aqua pro foribus posita: Deinceps fontes ex aduersa fronte templi profluẽti aqua redundantes positi, quibus omnes, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant: qui fontes sacrosancta baptismatis lauacra repræsentant. Atque hic locus, in quo singuli introeuntium primum, vt se lauent, morantur, sicut cuique ornatum & splendorem affert, sic illis qui primis fidei principijs instituendi sunt, mansio percommoda E est ad acquiescendum.] hæc Eusebius.

l Exod. 30.
m Euseb. histor. lib. 10. c. 4.

CVII. MANVS ABLVI ANTE PRECES.

Huic etiam ministerio inseruiebat fons ille in atrio basilicæ Vaticanæ Romæ positus, cuius Paulinus [n] hisce meminit ad Aletium scribens: In vestibulo cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantẽ fastigiatus solido ære tholus ornat & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens: decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, vt quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur.] et ad Seuerum [o] in hunc modum de alia ecclesia.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumq. manus lauat, amne ministro.]

ac rursus eadem in Natali decimo sancti Felicis. Fluxisse hæc consuetudo videtur e Iudæorum ritibus, sicut & multa alia: nam non tantum (vt dictũ est) ipsorum sacerdotes, sed &

n Paul. Nolan. epist. 31.
o Paulin. epist. 12.

A sed & ceteros Iudæorum nonnisi manibus lotos adorare consueuisse, tradit Aristeas de Septuagintaduobus interpretibus, hæc scribens: Rege consalutato, ad consueta loca diuertunt; atque (vt mos est Iudæis omnibus) manibus prius in mari lotis, Deo preces effundunt.] et paulo post: Interrogaui equidem & illud quoque: cuius gratia, cum vota facerent, manus prius lauarent? Quærenti talia, demonstrarunt, illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed pie sancteq. perficiant; quãdoquidem vniuersa opera manibus exerceantur: recte singula ad iustitiam & veritatem referentes.]

Verũ quòd naturalis quidam instinctus docet, nonnisi puros ad Deum accedere debere, mundosq. numini supplicare: inde euenit, vt apud Gentiles quoque vsu receptum esset, sæpius se aqua mundare, antequam templa adirent, & numina precarentur. De Ægyptijs & Græcis id testatur Herodotus in Euterpe. De Romanis Persius [a] his B versibus:

CVIII. PVRIFICATIO APVD GENTILES.

a Pers. satyr. 2.

Hæc sancte vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.]

Tradit etiam Tullius [b], aspersione aquæ labem corpoream tolli, & castimoniam corporis præstari. Sed & illud notum [c]:

b Tull. lib. 1. de legib.
c Tibull. lib. 1. eleg. 2.

Casta placent superis: pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.] Sunt & de his alia complura apud illorum scriptores exempla.

CIX. PVRIFICATIO ANTE PRECES.

Sed quod ad Christianos pertinet: consueuisse eos ante precationem manus abluere, secundum quod monet Apostolus [d]: Volo viros orare in omni loco, leuantes puras ma- C nus] non tantũ quæ diximus, docent, sed & antiqua Ecclesiasticorum scriptorum testimonia confirmant. Nam & apud Clementem [e] legitur, vt Christianus lotus oret: sed & Tertullianus hoc ipsum demonstrat, dum ait [f]: Ceterum quæ ratio est, manibus quidem abluris, spiritu vero sordente, orationem obire?] et Chrysostomus [g]: Ingressuri templum, manus lauamus.] et alibi [h]: In nonnullis iam Ecclesijs hunc morem corroboratum videmus, vt diligenter multi studeant, quomodo manibus loti, candidis induti vestimentis in ecclesiam ingrediantur.] ac rursum [i]: In consuetudine nos constituimus lauandi & orandi; nec illorum hoc facere datur. Ideo libenter non oramus, si non lotis hoc manibus faciamus, tamquã Deum offensuri.] At dicti omnes auctores pariter in eos declamant qui manuum ablutione putant etiam grauia delicta abstergi: in quos hæc & Anastasius Sinaita [k]: Quid enim grauius his quibus vtimur moribus? Etenim rapinis, sceleribus, peccatorum multitudine cooperti, tantula modo aqua abluris manibus, sanctissimum illud corpus, diuinumq. sanguinem pro mundi salute largiter olim D effusum, impuri sordidiq. ori admoueamus?] et paulo inferius: Nec enim ingredi in ecclesiam, ac diuinas imaginum sanctarum formas, pretiosasq. ac venerabiles cruces etiam salutasse fuerit satis: non frigida manus abluisse, id est, esse purum mundumque: sed sordes peccatorum abluisse, ac fugisse; sed confessione & lacrymis, sed contrito & humiliato animo, & demisso contractoq. vultu, peccatorum, quibus tenemur, catenas exoluisse, & tunc demum ad illa sancta mysteria accedere.] hucusque ipse.

d 1. Tim. 2.
e Clemen. lib. 8. Constit. c. 12.
f Tert. de orat. c. 11.
g Chrysost. in Ioan. homil. 72. in fine.
h Chrysost. in Matth. hom. 32.
i Chrysost. ad popul. Antioch. homil. 36.
k Anastas. orat. de sacr. Synaxi.

AQVA TANTVM NON EXPIARI DELICTA.

Ad huiusmodi lauacrum alludit Gregorius Papa [l], dum scribens ad Augustinũ hæc CX. ait: Romanorum semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum reuerenter abstinere.] Ex his facilis patet sensus Hieronymi dicentis [m]: Scio Romæ hanc esse con- E suetudinem, vt Fideles semper Christi corpus accipiant. quod nec reprehendo, nec probo: vnusquisque enim in suo sensu abundet. sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eodem die post coitum communicant, & iuxta Persium,

l Greg. Pap. lib. 12. resp. 10.
m Hier. epist. 50.

-------- noctem flumine purgant.

Quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet.] hæc Hieronymus, quòd adhuc suo tempore vsus ille vigeret, vt sacram Eucharistiam sumendam, domum deferrent. Aperitur adhuc ex his etiam causa, cur (quod idem qui supra Gregorius narrat [n]) matrona illa, quæ cum se a viro suo noctu non tẽperasset, ausa mane ecclesiam ingredi, continuo a dæmone est arrepta: Vel quod idem tradit [o] de curiali sacrilego, qui post turpissimum scelus Paschali festo admissum, aqua male expiatum, ingressus ecclesiam, tandem vltionem diuinam miser expertus est. At postea eiusmodi

n Gregor. Dial. lib. 1. c. 10.
o Idem Dialog. lib. 4. c. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

lauacri loco succeſſit, vt aqua ſacerdotis precibus benedicta, quæ Fidelibus vſui eſſe conſueuit in eorum domibus (vt Alexandri Papæ res geſtæ ſignificant) in ipſo ingreſſu eccleſiæ poneretur, qua ad leuiorum peccatorum expurgationem, adeuntes eccleſiam, aſpergerentur. Sed quanta ſit vis eiuſmodi aquæ, & eius vſus antiquitas in Eccleſia, opportuniori loco dicemus. A

CXI. ECCLESIARVM ORNATVS SACRAE IMAGINES.

Quod vero ſpectat ad eccleſiarum antiquum ornatum: Chriſti Redemptoris noſtri imagine decorari ſolitam vnamquamque illarum, vetus canon Synodi Antiochenæ, Apoſtolorum nuncupatæ, de qua inferius in Clemente dicturi ſumus, fidem facit, cuius hæc ſunt verba: Ne decipiantur ſaluati ob idola: ſed pingant ex oppoſito diuinam humanamq. manufactam impermixtam effigiem Dei veri ac Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſiuſq. ſeruorum contra idola & Iudæos: neque errent in idolis, nec ſimiles ſint Iudæis.] hæc canon, qui (ne impoſturam eſſe exiſtimes) citatus inuenitur a Gregorio Epiſcopo Peſſinuntis in Concilio [a] Nicæno ſecundo, licet in editione Latina mutilatus ac perperam tranſlatus habeatur: Græce enim ſic ſcriptus [b] extat: Τοῦμὴ πλανᾶσθαι τοὺς σεζομένους εἰς τὰ εἴδωλα, ἀλλὰ ἀπηρνίζειν τῷ θεαδρικῷ ἀχράντῳ προσώπῳ σὺν λόγῳ τῷ ἀληθινοῦ θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ τῶν αὐτοῦ θεραπόντων αὐτικρὺ τῶν εἰδώλων καὶ Ἰουδαίων, καὶ μηκέτι πλανᾶσθαι εἰς εἴδωλα, μὴ δὲ ὁμοιοῦσθαι τοῖς Ἰουδαίοις.] hactenus canon. Sed hoc non mirabitur, qui nouerit, ipſo etiam Chriſto viuente, eius imaginem (quod ſuperius pluribus dictū eſt) Panneade a Syrophœniſſa muliere ære fuſam conflari iuſſam, eamdemq. integram ad trecentos & amplius annos, nimirum ad Iuliani Apoſtatæ tempora, perduraſſe, quantumlibet immenſis ac prope innumeris Palæſtina fuerit deformata cladibus. B

[a] Conc. Nicen. 2. act. 5.
[b] Apud Turrian. aduerſus Magdeburg. pro canon. Apoſtol. c. 25.

CXII. Niſi enim pie, ſancte, religioſeq. ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſacræ imagines in Eccleſia fuiſſent in vſu; paſſuri ne fuiſſent Fideles pet tot annorū ſpatia illam ſolam ſic intactam illibatamq. ſeruari? & exciſa licet bello Iudaico prouincia Palæſtinæ, poſt tot nobiliſſimarum ciuitatum buſta, ipſam (niſi magno in honore habuiſſent, ac fideliter cuſtodiſſent) integram permanſiſſe? quam in diaconia eccleſiæ Panneadis ſitæ collocatam Chriſtiani ſemper cultu conuenienti proſecuti ſunt [c]. Addit Euſebius [d]: Nec plane mirum, eos qui ex Gentilibus prognati, a Saluatore, dum inter homines viuebat, beneficijs affecti fuiſſent, iſta feciſſe: cum & nos Petri & Pauli Apoſtolorum, vel Chriſti etiam ipſius imagines in picturis colorum varietate expreſſas, conſeruataſq. aſpexerimus: idq. propterea, ſicut veriſimile eſt, quòd maiores noſtri ad Gentilis conſuetudinis ſimilitudinem quamproxime accedentes, eos qui tamquam ſaluatores illis fuiſſent, hoc eſt, qui aliquid ſalutis & ſubſidij illis attuliſſent, apud ſe honore in hunc modum afficere conſueuerant.] hæc Euſebius. At multo minus quis mirabitur in Chriſtianorum eccleſijs eſſe effigiatas ſacras imagines; cum eas etiam in ſacris vaſis Catholicos ſculpere ſolitos eſſe, auctor ſit Tertullianus [e]: teſtatur enim, Chriſti Domini imaginem præſeferentem paſtoris effigiem, ouem deperditam ſuper humeros geſtantis, in ſacris calicibus effigiari conſueuiſſe: cuius quidem generis imagines complures inſpeximus in antiquiſſimo Priſcillæ cœmiterio via Salaria anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, Vrbe teſte, eaq. admirante, refoſſo. Sed & conſueuiſſe ab ipſis Apoſtolorum temporibus, cum quælibet erigeretur eccleſia, eo in loco primum omnium in memoriā Chriſti Redemptoris noſtri, qui pro ſaluando humano genere crucem ſubijt, quaſi nobile trophæum victoriæ, crucem poni in titulum, dicemus ſuo loco, cum agemus de Titulo. C D E

[c] Nicephor. lib. 20. c. 30.
[d] Euſeb. lib. 7. c. 14.
[e] Tertull. lib. de pudic. c. 7. & 10.

IMAGINES SACRAE ETIAM IN VASIS SACRIS.

CXIII. Modo autem ad eamdem Apoſtolicam inſtitutionem inſinuandam, ſatis eſt afferre memorabile quidem & plane admirabile illud antiquitatis monumentū, quod de ſculpta cruce a S. Thoma Apoſtolo in eccleſia, vbi preces ad Deum fundere conſueuerat, apud quam etiā cæſus, martyrium conſummauit, Hieronymus Oſorius Siluenſis Epiſcopus, qui res Indicas fideliſſime eſt proſecutus, vt rem egregie teſtatam, & ſi quam aliam fide ſinceriſſima obſignatā memoriæ prodit. Ad finem enim tertij libri hiſtoriæ a ſe conſcriptæ hæc ait: In eadem ciuitate, quam diximus appellari Malipurem, & nunc poſtquam a Luſitanis frequentari cœpit, S. Thomæ ciuitas appellatur, erat in colle ſacellum ædificatum; eo quòd affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuiſſe a religionis hoſtibus interfectum. Erat autem hoc ſolemniter inſtitutum, vt in eo ſacello, octo diebus ante diem natalem Chriſti, res diuina fieret, & omnes Chriſtiani eo conuenirent.

DE ECCLESIA S. THOMAE APVD INDOS.

Fuerat

A Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inuenta crux in lapide inciſa, in cuius faſtigio columbæ imago inſidebat: baſis vero erat in ſpecie quadam herbarum, quæ diffundi latiſſime videbantur, collocata; & tam faſtigium, quàm baſis & brachia in liliorum formam deſinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus vndique muniebat. In arcu erant inciſæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat ſatis magnum, fuit ſuper altare eiuſdem ſacelli multorum operis ſtatutum. In cruce eminebant notæ ſanguinis inſignes.

CXIV. MIRACVLVM DE CRVCE.

Accidit autem, die quo Chriſtiani conueniebant, vt in eo fano ſalutationem ab Angelo factam ſanctiſſimæ Virgini, octo dies antequam Chriſti natalis adueniret, celebrarent: cum ſacerdos, qui rem diuinam faciebat, Euangeliū inchoaret, vt crux in nigrum colorem verteretur, & liquor ex illa incredibili copia dimanaret, deinde color ceruleus
B pro nigro ſubiret. In locis autem, vbi notæ ſanguinis extabant, roſei coloris ſplendor eluxit. Sequentibus deinde annis eodem die idem ſemper eueniebat. Nec enim alio die (quod magnam admirationem commouebat) id in illa cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore eius rei, quæ admirabilis omnibus videbatur, intermiſſio. Anno autem M. D. LXI. cum Chriſtiani in eumdem locum cum eadem pompa & celebritate conuenirent, eo die quo crux, dum ſacrificium fieret, ſtillare ſolebat, & ſacerdos Euangelium inchoaret (idē etiam admirandum videbatur, quòd numquam prius quàm Euangeliū legi cœpiſſet, ea crucis mutatio fieret) crux repente nigris maculis, ſplendidis tamen, infici incipiebat, donec tandem alijs atque alijs ſubeuntibus, tota nigreſceret: ita vero ſplendebat, atque ſi fuiſſet oleo delibuta. Tum inſtar roris guttæ fluere cœperunt, quæ paulatim grandiores effectæ, totā crucē humore largiſſimo compleuerunt. Peregit
C ſacerdos cum multis lacrymis & crebro ſingultu ſacrificium. Deinde aſcendit in altare; & linteis, quibus in rebus ſacris de more procurandis vti ſolebat, crucem exterſit. Lintea maculis ſanguineis tincta repente ſunt. Ciuitatis Præfectus, & reliqua multitudo, quæ conuenerat, manus in cælum tendere, Chriſti nomen implorare, flagitiorum veniam poſtulare, & ad ſtudium religionis ardentius excitari. Crux autem poſtquam multo liquore fluxit, clarius ſplendere cœpit, & color ſanguineus euidentius eluxit. Hoc ſignum commouit & Præfectum vrbis, & primarium ſacerdotem, vt diligenter inquirerent ecquis eſſet qui litteras illas interpretari poſſet.

CXV. DE MARTYRIO S. THOMAE VETVS MONVMENTVM.

Aiunt incolæ, in Narſingæ regno eſſe Brachmanam inter omnes Brachmanas litteris & eruditione præſtantem, qui varias linguas tenebat. Hominem continuo accerſunt, & interrogant an illas litteras noſſet. Reſpondit, litteras eſſe priſcas, quibus antiqui ſa-
D pientes vtebantur; negligentia vero hominum factum eſſe, vt earum cognitio interiret: quinetiam linguam, qua erant deſcriptæ, a paucis admodum teneri. Admonent illi Brachmanam, vt in altare aſcendat. Reſtitit ille, & nefarium facinus eſſe dixit, altare in quo res diuina fieret, humanis pedibus conculcari. Inuitus tamen ſubijt, & litteras perlegit, quarum & vim eam eſſe dixit, vt vna nota decem & quindecim & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia vero litterarum in ſumma hæc erat: Thomam, diuinum virum, fuiſſe a Dei Filio, cuius erat diſcipulus, in eas oras Segami Regis tempore miſſum, vt Dei ſummi notitia gentes illas erudiret: ibiq. templum extruxiſ-
E ſe, & res admirabiles effeciſſe: atque tandem, cum genibus flexis ad crucem illam affixus, orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuiſſe haſta transfixū: crucem vero eiuſdem viri ſanctiſſimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius ſempiternam, relictam fuiſſe. Hæc erat ſententia quæ litteris continebatur. Fecit autem maiorem fidem alius eiuſdem ſectæ vir aliunde accerſitus, grandis admodum natu, & ſapientiæ opinione præſtans, qui litteras in eamdem ſententiam interpretatus eſt. Huius autem crucis exemplum in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, inſculptum, cum litteris publicis multorum virorum teſtimonio conſignatis, retineo: cuius fides tantis tunc argumentis explorata fuit, vt nemo poſſit de tam claris atque teſtatis viri diuini monimentis ambigere.] hucuſque Oſorius: quæ licet prolixiora, tamen haud incongrua videri poſſunt ad Apoſtolicas traditiones, tum de eccleſiarum erectione, tum etiam de cruce in eccleſia ſtatuenda, tanti Apoſtoli exemplo, demonſtrandas pariterq. firmandas. Perſeuerauit in Eccleſia idem priſtinus vſus, vt cum nouæ erigerentur eccleſiæ, cruces in titulum ponerentur, eædemq. & ſacris imaginibus ornarentur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CXVI. Certe quidem qui ex Redemptoris noſtri effigie ærea vſus imaginum, adhuc ipſo viuente, eſt feliciter inchoatus, numquam in Eccleſia Catholica fuit poſtea intermiſſus. Quòd ſi in antiquioribus eccleſijs hæc monſtrare non liceat, quippe quæ omnes a Diocletiano Imperatore (vt nuper dictum eſt) demolitæ ſunt; in eis tamen quæ tum a Conſtantino, qui eius Imperio potitus eſt poſt Maxentium tyrannum, tum ab alijs qui eodem ſæculo vixere, inſtar priorum ſunt erectæ, haud difficile erit multis exemplis oſtendere. Nam in rebus geſtis ipſius [a] cum Silueſtro, & in libello de eius munificentia [b] in eccleſias a ſe erectas collata, habetur, argenteas complures ab ipſo iuſſas conflari ſtatuas, in primis Chriſti Domini noſtri, Ioannis Baptiſtæ, duodecim Apoſtolorum, Angelorum, & alia id genus multa. Apud Lactantium [c] etiam de imagine Redemptoris cruci affixi, hæc adeuntes eccleſiam admonente, hi verſus ſcripti leguntur: A B

DEVSV SACRARVM IMAGINVM ANTIQVAE MEMORIAE.

[a] Lib. de Rom. Pontif. in Silueſt. [b] Lib. de munif. Conſtantini. [c] Lactan. carm. de paſſ. Dom.

Quiſquis ades, mediyq. ſubis ad limina templi,
Siſte parum, inſontemq. tuo pro crimine paſſum
Reſpice me, me conde animo, me in pectore ſerua.
Ille ego, qui caſus hominum miſeratus acerbos,
Huc veni.]

CXVII. Et ne nimis morer ſingula exempla retexendo: eſt de his locuples teſtis ſanctus Paulinus [d], qui eodem quo Conſtantinus, vixit ſæculo: ad Seuerum enim ſcribens, ſacras ac venerandas cruces, aliaſq. typicas imagines in apſide eccleſiæ (eaſdem enim ipſe fecit ſimiles, quas in antiquioribus baſilicis muſiuo opere contextas in hanc diem aſpicimus) pingi ſolitas, verſibus, quos illis ſuis affixit, exacte declarat; quorum aliquot hic ſubijcimus, & in primis qui in camera apſidis, muſiuo opere contexta, erant his verbis conſcripti: C

[d] Paul. epiſt. 12.

MYSTICAE IMAGINES PINGI SOLITAE.

Pleno coruſcat Trinitas myſterio:
Stat Chriſtus, agno vox Patris cælo tonat,
Et per columbam Spiritus ſanctus fluit:
Crucem corona lucido cingit globo,
Cui coronæ ſunt corona Apoſtoli, &c.]

Ac ſurſum de alia in eadem baſilica cruce ſuper ingreſſum ex more picta:

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare crucem, duro ſpondentem celſa labori
Præmia. Tolle crucem, qui vis auferre coronam.]

In frontibus quoque dextræ læuæq. porticus depictis crucibus hoc erat inſcriptum D epigramma:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuſo tincta cruore rubet.
Quæq. ſuper ſignum reſident cæleſte columbæ,
Simplicibus produnt regna patere Dei.]

Et in apſide Fundanæ baſilicæ eodem ferme argumento:

Sanctorum labor & merces ſibi rite cohærent:
Ardua crux, pretiumq. crucis ſublime, coronæ.
Ipſe Deus nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cæleſte nemus Paradiſi,
Sub cruce ſanguinea niueo ſtat Chriſtus in agno, E
Agnus vt innocua iniuſto datus hoſtia leto:
Aliter quem placida ſanctus perfundit hiantem
Spiritus, & rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelſa, quaſi iudex, rupe ſuperſtat,
Bis geminæ pecudis, diſcors agnis genus, hædis
Circumſtant ſolium: læuos auertitur hædos
Paſtor, & emeritos dextra complectitur agnos.]

CXVIII. At non his tantum picturis eccleſiarum apſides, ſed & ipſos eccleſiarum parietes dextra & ſiniſtra diſpoſitos, diuerſis hiſtorijs veteris vel noui Teſtamenti ad pietatem aſpicientes inſtituentibus fuiſſe egregie exornatos, idem auctor in nono & decimo Natali ſancti Felicis, quæ præclaro poemate illuſtrauit, copioſe deſcribit. At certe Augu-

A te Auguſtinus [a], qui eodem quoque vixit tempore, certiſſimam fidem facit, in parietibus paſſim depingi conſueuiſſe Chriſtum hinc inde Petrũ & Paulum laterales habentem, atque etiam [b] Abrahamum filium ſuum immolantem. Sed & martyrum fortiſſimos agones in eccleſijs etiam effigiari ſolitos, teſtantur Baſilius [c], Gregorius Nyſſenus [d], & alij complures [e], qui omnes eodem quo Conſtantinus vixere ſæculo: at permultos taceo, quos enumerare, nimis præ eorum multitudine longum eſſet, qui ſequentibus temporibus claruere. Cum igitur qualis fuerit in exornandis eccleſijs vſus eius ſæculi quo imperauit Conſtantinus, tam in Oriente quàm in Occidente, tot Patrum teſtimonijs compertiſſimum habeatur: quid exiſtimandum ſit de illo canone qui in Concilio [f] Eliberino ſic poſitus legitur: Placuit picturas in eccleſia eſſe non debere, nec aliter; ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur] qualis inquam B quantæq. ille ſit fides, eruditos omnes appello.

[a] Aug. de conſens. Euang. lib. 1. c. 10. [b] Aug. contra Fauſt. lib. 22. c. 73. [c] Baſil. orat. in S. Barlaham. [d] Greg. Nyſſen. orat. in Theod. [e] Prud. hym. de S. Caſſ. & alio de S. Hippolyt. itemque Euod. Vzalenſ. lib. 2. de mirac. S. Stephani.

An ne potuit, vel debuit decem & nouem Epiſcoporum conuentus in Orbis angulo congregatus aliud ſtatuiſſe, quàm vbique locorum vniuerſalis profiteretur Eccleſia? Conſtat quidem dictum Concilium paulo ante Conſtantini Imperium, cum perſecutio nondum penitus vbique locorum extincta eſſet, eſſe celebratum. Nam eidem & Oſius Cordubenſis legitur interfuiſſe, necnon Liberius Epiſcopus Emeritæ, qui etiam ſcriptus reperitur in ſecundo [g] Concilio Arelatenſi ſub eiuſdem Imperij anno nono conuocato, Voluſiano & Aniano Coſſ. Porro ipſum in multis eſſe irritum, multa ſunt quæ manifeſte declarant: pleraque enim in eo ſunt, quæ fines Nouatiani erroris viſa ſint prope attigiſſe: dum eis qui capitalia quædam crimina perpetraſſent, nec in fine communionem eſſe dandam, pluribus canonibus [h] ſtatuitur. Sapere hæc hæreſim Nouatianam, qui Cypriani & aliorum de ea re ſcripta legerint, facile cognoſcent. Ab Eccleſiæ enim Catholicæ vſu illud omnino alienum eſſe reperitur, quod in eo ſtatutum eſt, vt nec in fine communicet, qui poſt pœnitentiam mœchatus fuerit [i]. Ceterum quòd ſciamus eius conuentus Epiſcopos fuiſſe Catholicos, de Nouatiana hæreſi nulla ſuſpicio eſſe debet: cum præſertim hi, licet communionem, tamen pœnitentiam non negarent, vt de eo Innocentius Papa tradit ſcribens ad Exuperium. C

CXIX. EX CONCILIO ELIBERINO OBIECTIO.

[f] Concil. Eliber. c. 36. [g] Concil. Arelat. 2. [h] Conc. Eliber. c. 1. 2. 6. 8. 12. 17. 18. [i] Can. 3. & 7.

Sed nec in eo quod de imaginibus ſtatuiſſe videtur, aliquam obtinuiſſe firmitatem, certum eſt: quandoquidem Prudentius, & ipſe etiam Hiſpanus, & eiuſdem ſæculi ſcriptor, quem citauimus, laudat pingi ſolitas eſſe venerandas imagines: qui primum in Caſſiano hæc ait: CXX. CANON DE IMAGINIBVS NON RECEPTVS.

Erexi ad cælum faciem: ſtetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris, D
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri (miſerabile viſu)
Confoſſa paruis membra figebant ſtylis.]

Et in Hippolyto:

Exemplar ſceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta ſuper tumulum ſpecies liquidis viget vmbris,
Effigians tracti membra cruenta viri.]

An non Paulinus Nolanus Epiſcopus, tam egregius ſacrarum imaginum teſtis, quem citauimus, & ipſe fuit (quod fatetur [k]) presbyter Barchinonenſis Eccleſiæ, & in Hiſpania diu verſatus, & tamen imaginibus refertas plures erexit [l] eccleſias? E

[k] Paulin. epiſt. 6. [l] Paulin. epiſt. 12. & alijs.

CXXI. DE IMPOSTVRA NON LEVIS SVSPICIO.

Sed non tantum ex iam dictis adducor vt exiſtimem Concilium illud in his irritum factum eſſe; ſed eo maxime, quòd canonum antiquiſſimi collectores, Ferdinandus diaconus, Dionyſius cognomento Exiguus, & Creſconius, quantumlibet egregiam nauarint operam, vt omnes tam Græcos quàm Latinos canones colligerent, nullus tamen ipſorum eiuſmodi Concilij Eliberini canonis vel ſaltem nomine tenus meminit. Itaque nonnihil ſuſpicor in illo canone impoſturam. Qui enim fieri potuit, vt cum non tantum complures Orientalium, ſed & Occidentalium turmæ aduerſus ſacras imagines bellum mouerent, & ad eas impugnandas arma vndique compararent, a potiſſimo omnium telo, ſi extitiſſet, abſtinuiſſent? An ne latuit eiuſmodi decretum Concilij Vigilantium, & ipſum Hiſpanum, ſacrorum rituum Eccleſiaſticorum euerſorem? qui cum

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui cum, quæ erant Eccleſiaſticæ œconomiæ, peruertebat antiquas conſuetudines, ceſ- A
ſaſſet ne in ſacras imagines potiſſimum inuehi, ſi aliqua prætenſa ſaltem Eccleſiaſtico-
rum virorum auctoritate id ſe poſſe efficere conſpexiſſet? An non ſaltem vnius vel al-
a Can. 34. & 37. terius eiuſdem Synodi canonis[a] auctoritate ſtabilire ſua ac roborare potuiſſet, vt quæ
b Vtier. aduerſ. Vigilant. ipſe primus de non incendendis cereis in eccleſia auſus eſt[b] affirmare? An etiam præ-
c Ionas Aurel. in præfat. comment. in Claud. & lib. 1. terijt canon ille Claudium item Hiſpanum[c] presbyterum, inde vero Epiſcopum Tau-
rinenſem, maximum omnium Iconoclaſtam, Felicis Vrgelitani diſcipulum? Quòd
vero canon ille eos omnes præterierit (vt qui nec extaret) ex eo etiam exploratiſſi-
mum redditur, quòd Catholici ſcriptores Eccleſiaſtici Iconoclaſtarum commenta re-
fellentes, quòd de eo nullum factum eſſet negotium, ne per nutum quidem eiuſdem
meminiſſe reperiuntur.

CXXII. Equidem dum hæc paulo accuratius apud me ipſum perpendo, in eam ſuſpicionem B
adducor, vt aliquis Claudij diſcipulus atque ſectator (quod proprium eſt hæreticorum, partus ſupponere) eiuſdem canonis auctor fuerit, & talis impoſturæ egregius concinnator: nec ſane qui hæc mecum accurate peruiderit, me falſum coniectorem temere arguet. Sed eſto, abſit fraus & impoſtura: Ecquam tandem fidem meretur tam pau-
OMNIS SOLVITVR DIVERSIS MODIS OBIECTIO. corum Epiſcoporum canon, quem totius Catholicæ Eccleſiæ vſus contrarius continuo aboleuit, immo antequam naſceretur extinxit? Scimus & alios eruditos viros aduerſus recentiores Iconoclaſtas pro fide Catholica de canone illo alia dediſſe reſponſa; nimirum ſic pingi imagines in pariete S. Synodum vetuiſſe, vt tamen eas in tabulis effigiari ſineret: qui quidem vſus vſque hodie in Hiſpania dicitur eſſe retentus. Ratio autem diuerſitatis illa prætexitur, quòd quacumque vrgente perſecutione, tabulas illas C
Chriſtiani poſſent ſecum quocumque ferre & occultare: non ſic de parietibus, quorum ſacræ imagines expoſitæ remanerent iniurijs atque deriſioni Gentilium. Sed in his iam diutius nobis immorandum non eſt. Illud ad poſtremum non prætermittimus; tantum abeſſe, vt eo canone ſacratum cultus imaginũ infringatur, vt ex eo magis magiſq; roboretur: nam ſi non viguiſſet vſus pingendi ſacras imagines in eccleſijs, eas prohibendi nulla fuiſſet occaſio. Etenim ſi (quod patet) priuatio præſupponit habitum; iam eas in eccleſijs ſolitas pingi vſque ſaltẽ ad illud tempus, liquido apparet: ſed & eumdem vſum perſeueraſſe poſt editum canonem illum, ſatis demonſtratũ eſt. At vero tam paucos Epiſcopos iure damnaſſe, quod (vt vidimus) tam Orientalis quàm Occidentalis Eccleſia maiorum exemplo conſeruaret, quis dixerit? vel certe quod ijdem quoquo modo ſtatuiſſent, ceteros, qui tum erant, vel poſtea fuerunt in Eccleſia Epiſcopi, contrario vſu potuiſſe abolere, quis poterit dubitare? Sed de ſacris imaginibus pluries agemus infe- D
rius: hæc modo, occaſione ornatus eccleſiarum, obiter attigiſſe ſufficiat.

CXXIII. Sed quod ad antiquum eccleſiæ partium vſum ſpectat: nec illud dicere prætermitti-
DISTINCTA IN ECCLESIA LOCA. mus; ſicut olim in templo Hieroſolymitano (quod attigimus ſuperius in Apparatu) loco diſtincti erant ſacerdotes a populo, viri a mulieribus, atque a nuptis virgines; ita eodem fere ordine & diſpenſatione in Chriſtianorum eccleſijs, cum agerentur ſacri conuentus, fuiſſe Fideles ab inuicem locorum diſtinctione ſeparatos. Id quidem in primis
d Philo lib. de Vit. cõtemplat. e Hier. de Scrip. Eccleſ. in Philone. Philo[d] Iudæus ſeruari ſolitum ab Eſſenis, qui in Ægypto apud Alexandriam agerent, quos Hieronymus[e] Chriſtianos eſſe affirmat, de quibus inferius pluribus diſſeremus, tradit his verbis: Commune Semmeum, in quod ſeptimo quoque die conueniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum cœtibus: nam mulieres quoque E
ſimul auſcultant ex more, dumtaxat quæ inſtitutũ idem ſectantur. Medius autem paries a ſolo ſurgit tribus quatuorve cubitis in modum loriculæ. Superiora vſque ad tectum patent: vnde gemina prouenit commoditas, & quòd pudori feminei ſexus conſulitur, & quòd verba doctoris exaudiunt facile abſque vllis obſtaculis, quæ vocem
f Clem. Conſtit. lib. 2. c. 61. eius intercipiant.] hæc Philo. Eadem[f] apud Clementem ac magis diſtincte leguntur: ait enim eccleſiam conſtrui ſolitam longo ſitu inſtar nauis, in cuius medio (quod gremium dicimus) Epiſcopus vna cum clero ad vtrumque latus poſito ſedeat; ex altera eccleſiæ parte viri, ex altera vero manerent mulieres: et ſicut loco ab inuicem diſtincti erant, eodem quoque modo portæ, vt qua viri ingrederentur, diſcreta eſſet ab ea quæ feminis tantum pateret: et ſicut virorum portæ oſtiarius præerat, ita diaconiſſæ demandata erat cura portæ mulierum: Hæc omnia, inquit auctor, prout etiam diſpoſita erant in templo.] ac ſubdit: Adoleſcentulæ rurſum, ſi ſit locus, ſeorſum maneant:

ceteræ,

A ceteræ, & quæ poſt ſtent nuptæ, & quæ iam liberos habent, ſeorſum maneant. Virgines, & viduæ, & anus, primæ omnium vel ſtent, vel ſedeant.] hæc de locorum ac perſonarum diſtinctione & ordine in eccleſia ſeruari ſolitis apud Clementem.

Sed Gregorius Nazianzenus ex his quæ ſcribit in ſomnio Anaſtaſiæ, ſupra eccleſiæ CXXIV.
porticus mulierum locum fuiſſe demonſtrat, cum ait: Sanctæ virgines vna cum grauibus matronis e ſublimi tecto caſtiſſimas ſermonibus meis aures inclinabant.] Confirmant hæc ipſa, quæ de S. Ioanne Chryſoſtomo[a] ſcriptis mandata leguntur: nimirum clericum ſacris aſſiſtentem, cum mulierem ſurſum in tabulato manentem procaciter inſpexiſſet, ab altari amouiſſe. De loco inſuper, vbi virgines a ceteris feminis ſeparatæ agerent in eccleſia, Ambroſius[b] meminit his verbis, quibus in virginem lapſam inuehitur: Nonne vel illum locum tabulis ſeparatum, in quo in eccleſia ſtabas, recordari
B debuiſti, ad quem religioſæ matronæ & nobiles certatim currebant, tua oſcula petentes, quæ ſanctiores & meliores te erant? Nonne vel illa præcepta, quæ oculis tuis ipſe inſcriptus paries ingerebat, recordari debuiſti? Diuiſa eſt mulier & virgo. Quæ non eſt nupta, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo ſit ſancta corpore & ſpiritu. Tu autem in contrarium vertens dictum, &c.]

DE LOCO FEMINARVM.

a Metaphr. in vit. S. Ioann. Chryſoſt.

b Ambr. ad vir. lapſ.

Procopius[c] etiam hæc habet: Sunt duæ vtrinque porticus, quas faſtigiata teſtudo CXXV.
& aurum venuſtant: harum vna viros orantes, altera mulieres admittit, aliàs nulla re differentes. Quis tabulata, in quibus verſantur mulieres, exponet?] hæc ille de locorum differentia, & ſexus & ordinis diſtinctione. In Eccleſia quoque Romana diſtincta fuiſſe in baſilicis loca virorum ac mulierum, vetera Vaticanæ eccleſiæ monumenta declarant, quæ inciſa marmoribus, deſcripta legimus in codice eiuſdem eccleſiæ bi-
C bliothecæ, ac primum hæc ipſa de inſcriptione ſepulchri:

AD SANCTVM PETRVM APOSTOLVM ANTE, REGIA IN PORTICV, COLVMNA SECVNDA QVANDO INTRAMVS, SINISTRA PARTE VIRORVM, LVCILLVS ET IANVARIA HONESTA FEMINA.]

c Procop. de ædif. Iuſtin. Imp. lib. 1.

item illud in Vitis Romanorum Pontificum: Symmachus Papa fecit oratorium ſanctæ Crucis a parte virorum, &c.] et in Vita Gregorij Papæ Tertij: Hic fecit oratorium intra baſilicam ſancti Petri iuxta arcum Triumphalem in parte virorum.] et in Sergio Papa: Hic fecit imaginem auream beati Petri Apoſtoli, quæ eſt in parte mulierum.] His & alijs memorijs perſpicuum redditur, in Eccleſia Romana ſeruatum eſſe ordinem, vt in baſilicis ſeorſum a mulieribus orarent viri, ijdemq. ſiniſtram baſilicæ partem occuparent, dexteram vero feminæ: digniorem namque partem in ſacris ſiniſtram hãbitam eſſe, ſecundo Annalium tomo diſſeruimus.

D

Sed ad hæc etiam ſpectat, quòd ſicut olim in templo pauperes ſtipem mendicantes CXXVI.
pro foribus ſtabãt (vt & ex his quæ ſcribit Lucas[d] de claudo qui exponebatur a ſuis ad templi portam Specioſam, eſt manifeſtum) ita etiã in eccleſiam ad ſtipem captandam nefas illis ingredi, ſed in exteriori porticu, quæ poſt atrium ianuis inhæret eccleſiæ, eos ſolitos commorari, certum eſt. Vnde Chryſoſtomus[e]: Propterea, inquit, & ante ec-
E cleſias & martyrum monumenta pro foribus pauperes ſedent, vt nos ex eiuſmodi ſpectaculo multum capiamus vtilitatis. Conſidera namque, quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiuſmodi cernere licet, ſed viri honeſti & ſplendidi & diuites & prudentes paſſim diſcurrunt: ad veras autem regias, ad eccleſiam dico, & oratorias ædes, & martyrum templa, dæmonibus preſſi, truncati, pauperes, ſenes, cæci, membra ferentes obtorta. Quid hoc tandem? Vt tu docearis.] Ad hæc reſpiciunt quæ Gregorius Nazianzenus in ea celebri oratione, quam habuit de amore pauperum, ait: Ita petitionum clamor internis templi cantibus ex aduerſo reſpondet, atque e regione myſticarum vocum miſerabilis luctus excitatur.] Sed non eo quidem is locus pauperibus mendicantibus attributus erat, quòd haberentur contemptui; ſed ne obſtrepentes, ſacra agentibus in eccleſia, ac ibi orantibus eſſent moleſti: verum eis æque ac ceteris patebat eccleſia, precum cauſa; ſimulq. cum Principibus, nullo habito delectu & perſonarum acceptione, ad ſacram menſam admittebantur. Hinc Chryſoſtomus[f] eadem homilia ad populum Antiochenum hæc habet: Ad ſuam ſpiritualem menſam eos vocare, & illud communicare conuiuium non dedignatur: ſed claudus & mutilus, ſenex & pannoſus, ſordidus & mucoſus, cum iuuene pariter ſpecioſo, & ipſo purpuram induto &

d Act. 3.

e Chryſoſt. ad popul. Antioch. homil. 28.

PAVPERES EXTRA ECCLESIAM MENDICARE SOLITI.

f Idem hom. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duto & in capite diadema gestante, futurus mensæ particeps venit, & spirituale petit A
conuiuium, & ijsdem ambo fruuntur, nec vlla est differentia; & Christus quidem eos
ad mensam cum Rege simul vocare non dedignatur; pariter enim ambo vocantur.]
hæc Chrysostomus.

CXXVII. DIVERSIS NOMINIBVS ECCLESIA DICTA.

Quod reliquum esse videtur; constat locum ipsum, in quem ad sacros celebrandos conuentus Fideles conuenire soliti erant, diuersis esse nominibus appellatum: nam non tantum (vt diximus) diuinæ Scripturæ auctoritate constat esse nominatum Ecclesiam, sed & Domum oratoriam, secundum quod a Domino dictum est [a]: Domus mea, domus orationis vocabitur.] Item aliquando Dominicum: quam vocem vsurpat Cyprianus [b], & alij Latinorum, ac Græci etiam, vt apparet ex Concilio [c] Laodiceno, & alijs: de qua re Eusebius [d] reddit rationem. Dicitur & Basilica: qua quidem voce Optatus [e] vtitur, cum ait Romæ fuisse quadraginta & amplius Basilicas. Sed vnde id nomen Basilicæ deductum sit, pluribus egimus in Notationibus ad Romanum Martyrologium [f]. Insuper, Memoria, ecclesia appellata reperitur; quæ nomenclatura apud Augustinum [g] frequentior est: ea nimirum occasione, quòd ecclesiæ in memoriam sanctorum martyrū erigi & Deo dicari consueuerant: de quibus est canon Concilij Africani [h]. Ad idem spectat quod Augustinus de Ciuitate Dei ait [i]: Nos martyribus nostris non templa, sicut dijs, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus.] Dici etiam ecclesia ea de causa a Græcis, Martyrium, consueuit, vt in Concilio [k] Gangrensi, & Chalcedonensi, in cuius quidem Actis frequens est mentio de Martyrio S. Euphemiæ, vbi est sacrosancta Synodus celebrata. B
Aliquando etiam idem locus, Concilium sanctorum, nominatus reperitur: eadem sane ratione, qua & ecclesia, quæ licet propria significatione conuentus dicatur, tamen pro loco eum continente (vt vidimus) vsurpatur: sic & Concilium sanctorum, pro loco, vbi congregatur Fidelium multitudo, sæpe positum inuenitur: vox quidem Ecclesiastica, & in diuinis Scripturis vsu recepta, vt apparet in Psalmis [l]: Deus qui glorificatur in concilio sanctorū.] ac rursum: Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iustorum & congregatione.] de hac etiam voce pluribus egimus in dictis ad Romanum Martyrologium Notationibus [m], vt non opus sit hic eadem repetere. Dicta etiam ab antiquis ecclesia reperitur & Titulus: de cuius vocis ratione suo loco opportunius ac pluribus disseremus. Templum quoque sæpius idem locus dictus est; nequaquam vero a maioribus Delubrum, vel Fanum: licet his vocibus recentiores nonnulli, certe quidem improprie, ne dicam improbe, vsi sint, quippe quæ magis Gentilium templis conueniant: nam & patres nostros ab ijs abstinuisse, D
certissimum est.

[a] Luc. 19.
[b] Cypr. lib. de oper. & eleem.
[c] Concil. Laod. c. 28.
[d] Euseb. orat. de laudib. Constan.
[e] Optat. contra Parmen. & alij.
[f] Martyrolog. Rom. die 1. Aug.
[g] August. de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. & alijs locis.
[h] Concil. African. c. 50.
[i] Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. c. 10.
[k] Concil. Gangrens. c. 20.
[l] Psal. 8. Psal. 110.
[m] Die 23. Iun.

CXXVIII. TEMPORE PERSECVTIONIS OMNIS LOCVS ECCLESIA.

Ceterum illud non omittimus dicere: quòd si quando vehemens adeo persecutio esset oborta, vt Christiani publicis Impp. edictis omnino excluderentur ab ecclesijs atque conuentibus; nihilominus ea parui facientes, quocumque opportunum esset, ad synaxes in vnum conuenire non prætermittebant. Testatur id in primis Dionysius [n] Alexandrinus Episcopus, hæc ad Germanum scribens, postquam de edicto Valeriani conuentus inhibentis meminit: Attamen nos, iuuante Deo, non a conuentu consueto inter nos celebrando abstinuimus: quin ipse quidem quosdam in ciuitate fratres, perinde ac si simul cum illis versatus essem, ad conuentus perstudiose agendos impuli.] Idem & ad Hieracem [o], dum exul esset, hæc scribit: Cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, & morte mulctati, festum lætis animis celebrauimus; & E
singula loca ad singula afflictionum genera nobis præstituta, vt ager siluestris, solitudo deserta, nauis fluctibus iactata, diuersorium publicum, & horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conuentus maximo cū gaudio ageremus.] In carceribus (vtcumque licuisset) sacras a Fidelibus haberi synaxes, & offerri sacrificium consueuisse, testis est Cyprianus [p]: sed magis id significant ipsa sanctorum martyrum Acta, ac præsertim illa fidelissima, quæ Proconsularia [q] dicta, a publicis notarijs sunt excepta; de quibus agemus suis locis. Certe quidem & ad conuentus publicos celebrandos cryptæ arenariæ, persecutionis tempore, Romæ præsertim, vbi in arena fossili subterranei complures latent perampli recessus, facultatem suppeditabant; licet cum vehementior vrgeret persecutio, ab his quoque excluderentur, vt testantur litteræ [r] Cornelij Papæ ad Lupicinum Episcopum Viennensem, cum ait: Publice, neque

[n] Apud Euseb. lib. 7. c. 10.
[o] Apud Euseb. lib. 7. c. 17.
[p] Cypr. epist. 3.
[q] Extant apud Sur. die 11. Feb. de quibus consule notata a nobis in Rom. Martyrolog.
[r] Habentur tom. 1. Bibliothe. Jandi.

in cryptis

A in cryptis notioribus Missas agere Christianis licet.] His igitur de ecclesijs Christianorum & publicis conuentibus ex antiquitatis adytis reseratis, iam ad ceteras institutiones Ecclesiasticas ab eodem Paulo in eadem epistola scriptas redeamus.

CXXIX. DE DVPLICI COENA.

Perseuerabat adhuc in Ecclesia laudatissimæ rei vsus, vt (quod Christus vltima cœna fecerat, ac in sui memoriam vt facerent, suos monuerat) Christiani conuenientes simul in ecclesia, vna cœnarent, simulq. sacratissimam perciperent Eucharistiam: quod tamen cum Corinthij, non vt decebat, explerent, Paulus iure redarguit, dicens [a]: Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, &c.] Quoniam (vt dictum est) vtraque simul mensa iungebatur, communis & sacra; quid in vnaquaque præstare deberent, admonuit. In illa priori nimirum, vt B
communitas seruaretur, seq. inuicem expectarent, vnaq. discumberent, essetq. frugalis. Domi enim potius vt comedant, persuadet, qui non mutuæ charitatis, cuius intuitu res instituta esset, sed ingluuiei causa sic conuenirent. De sacra vero mensa, quòd a communi esset distincta, non perfunctorie & absque animi consideratione eam esse adeundam, vtpote quòd maximum omnium damnum incurrat qui indigne eo cibo vescatur; sed magna solicitudine latebras suæ quemque conscientiæ disquirere debere, diuinum iudicium interminatus, inculcat.

[a] 1. Cor. 11.

CXXX. SACRA PRIMVM MENSA, DEINDE COMMVNIS.

Porro quod ad vtramque mensam spectat: etsi Christus communē præmisit, inde vero sacram exhibuit; quòd sic rerum ordo ferebat, vt legalia primum consummarentur, ac deinde quæ nouæ legis essent, mensæ apponerentur: Apostolorum tamen tempore primum quidem celebrari solitam sacrā synaxim, inde communi omnes excipi mensa, C
Ioannes Chrysostomus [a] tradit his verbis: Statis diebus mensas faciebant communes; & peracta synaxi, post sacramentorum communionem, inibant conuiuium, diuitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem, & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.] hæc Chrysostomus. Verum de his diuersam fuisse olim diuersarum Ecclesiarum consuetudinem, superius dictum est. Corinthios autem inter cœnandum miscentes sacra communibus (quod correxit Paulus) Eucharistiam sumere consueuisse, Augustinus [b] affirmat; testaturq. communi consensu totius Ecclesiæ actum esse, vt nonnisi ieiuni Fideles in ecclesia sacram sumerent Eucharistiam, quam & sacerdotes ipsi, ieiuni cum essent, offerrent.

[a] Chrysost. in 1. Corin. 11. hom. 27. in princ.
[b] Aug. ad Ian. epist. 118.

CXXXI. SEORSVM SACRA A COMMVNI.

Sed enim illud etiam totius vniuersalis Ecclesiæ consensione factum est, vt non amplius sacris mensis communes commiscerentur, sed inter se essent sicut mysterio, ita D
aliqua diuersitate temporis distinctæ. Fluxit etiam inde consuetudo, vt eadem conuiuia (sicut Apostolorum temporibus agi vidimus) in ecclesia celebrari solerent; de qua Ioannes Chrysostomus in sermone in dictum Pauli, Oportet hæreses esse] testatur his verbis: Ab hac lege & consuetudine inoleuit in ecclesijs consuetudo quædam admirabilis. Fideles enim omnes in conuentibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, soluta concione, non mox domum conscendebant; sed diuites & abundantiores alimenta & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesq. faciebant mensas, communia prandia, communia conuiuia in ipsa ecclesia. Atque ita a communione mensæ & pietate loci vndiquaque ad charitatem accendebantur, non absque summa voluptate, vtilitateq. maxima. Pauperes enim tum fruebantur consolatione, qualis obtingebat: diuites vero fructum be-
E neuolentiæ & ab his quos pascebant, & a Deo, propter quem illos pascebant, assequebantur; sicq. tandem domum redibant. multa hinc igitur eis proueniebant bona.] hæc Chrysostomus. Quando vero statutum fuerit ne id in ecclesia amplius ageretur, dicemus inferius.

CXXXII. DE AGAPE.

Quo vero ordine, quove ritu communes cœnæ, mutuæ charitatis indices atque illices, a Christianis olim celebrari consueuissent, antiquorum auctorum satis multa suppetunt testimonia, ac in primis Tertulliani [c] sic dicentis: Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod est penes Græcos, dilectio. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum: siquidem inopes quoque refrigerio isto iuuamus, non qua penes vos parasiti affectant, ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi, sed qua penes Deum maior est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est conuiuij, reli-

[c] Tert. Apolog. cap. 39.

quum

quum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est vtile. Ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, vt qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio conuiuium dirimit. Inde disceditur, non in cateruas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciuiarum, sed ad eamdem curã modestiæ & pudicitiæ; vt qui non tam cœnam cœnauerint, quàm disciplinam. Hæc coitio Christianorum.] hucusque Tertullianus de publicis conuiuijs Christianorum; quæ cum causa pauperum parari solerent, vt egestate pressi exhilararentur aliquando, magna fiebant impensa.

CXXXIII. Cetera vero, quæ inter illos tantum qui arctioris vitæ genus excolerent, certis anni temporibus exercebantur conuiuia, erant omnino frugalissima, verum in reliquo multa habebant cum illis communia. Quòd si credimus Hieronymo [a] affirmanti Philonem sub nomine Essenorum de Christianis Ecclesiæ Alexandrinæ esse locutũ, de qua controuersia fusius suo loco agemus: qualia esse solerent dicta conuiuia, perbelle describit. Equidem in mensis a Dei laudibus auspicari conuiuium, & eis vaniloquia non admiscere, ex ludæorum traditione fluxisse, certum est: nam & Aristeas hæc ait [b]: Etenim vt a mensis poculisq. incipiamus, recte iussit tum Deum laudare, cum mensæ accumbimus: in qua ne aliquid quidem ad confabulandum concesit, quod diuini numinis memoriam abijceret.] Sed audiamus Philonem sic illorum plenius conuiuia describentem: Vbi vero conuenere candidati & læti (ait) cum summa grauitate ad signum datum a quopiam Ephemereuta (sic huiusmodi ministros nominant) priusquam discumbant, stantes vnà serie decenti, sublatisq. in cælum manibus atque oculis, his quoniam didicerunt cælestia, illis vtpote incorruptis a muneribus & a quæstu illicito, precantur vt placeat Deo id conuiuium. Absolutis precibus, seniores discumbunt, ac mox alij pro cuiusque dignitate: nec enim seniores ex annis æstimant, sed quantumlibet grandæuos habent pro pueris, si sero institutum hoc complexi sunt: honorem vero senectutis tribuunt his qui exercuerunt se a iuuentute in hac pulcherrima diuinaq. parte contemplatiuæ philosophiæ. Adhibentur mensæ feminæ quoque, anus pleræque, sed virgines non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cuius studio per totam vitam contempserunt voluptatem corporis; nimirum diuinæ, non mortalis prolis cupidæ, quam solæ Deo claræ animæ ex se ipsis pariunt, excipientes pro semine intelligibiles Patris radios, vt decreta sapientiæ contemplando percipere valeant. Discubitus ita distribuitur, vt seorsum viri dextrum latus, seorsum feminæ sinistrum teneant. Quòd si quis suspicatur lectisternia etsi non sumptuosa, certe molliuscula parari hominibus ingenuis & philosophiæ deditis: sciat esse tegetes rudes e vili contexta materia, videlicet e papyro indigena, sic humi aggestas, vt eminendo fulciat cubitus.] et paulo post:

CXXXIV. Ceterum in hoc sacro conuiuio nemo (vt dixi) seruus adest; ministrant ingenui, & sponte quicquid opus est faciunt, iussa non expectando, sed præueniendo alacritate voluntaria. Non enim quibuslibet ingenuis delegatur id officium, sed habito delectu ex omni sodalitatis huius iuuentute, vt quisque aliquod præclarum indolis ac virtutis specimen edidit: hi tamquam germani filij libenter & certatim ministrant, haud secus ac parentibus publicis, hanc coniunctionem arctiorem ducentes, quàm sanguinis; quandoquidem recte sapientibus virtute nihil est antiquius. Discincti autem, & promissis tunicis accedunt ad ministrandum, vt absit omnis seruilis species in hoc conuiuio. Scio quosdam his auditis risuros, dumtaxat qui deflenda lamentisq. digna faciunt. Vinum per illos dies non præbetur, sed aqua limpidissima, ceteris frigida, calida vero his qui inter seniores tractantur delicatius. Mensa pura est a cruentis dapibus: pro cibo panis apponitur, sal pro opsonio, pro condimento hyssopus in delicatorum gratiam: operantur enim vt sacerdotes sacris abstemijs, tota victus ratione castigata ad eamdem frugalitatem: nam vinum habent pro veneno afferente dementiam; opiparis autem opsonijs aiunt irritari concupiscentiam, belluam insaturabilem. Hæc sunt exordia conuiuij. Dicat aliquis: Quid tum posteaquam conuiuis ordine suo discumbentibus

[a] *Hier. de Scrip. Eccles.*

QVALE CONVIVIVM CHRISTIANORVM.

[b] *Aristeas lib. de 72. interp.*

MIRA FRVGALITAS.

tibus adstiterunt ministri decenter parati ad obsequium? nulla ne sequitur compotatio? immo silentium maius, quàm antea; ita vt ne mutire quidem cuiquam liceat, aut respirare vehementius.

Proponit quispiam quæstionem e sacris litteris, aut soluit ab alio propositã, nihil de solutione solicitus: nec enim captat laudem argutiarum aut eloquentiæ; hoc tantum agit, vt rem diligentius perspiciat, tum perspectam non inuideat minus perspicacibus, sed non minus discendi cupidis; atque ita immoratur doctrinæ, subinde inculcans imprimensq. animis præclaras sententias: nam expeditã elocutionem, & vna serie continuam, auditorum mens non valens assequi, a tergo relinquitur, nec satis audita percipit. Totum vero auditorium attentum auscultat in vno eodemq. habitu, intelligere se nutu vultuq. indicans, probare vero hilaritate ac exporrectis frontibus, interdum & dubitare hærereq. moto leniter capite, summoq. dextro digito. nec minori attentione iuniores, qui adstant, audiunt. Enarrationes autem sacrarum litterarũ constant ex allegorijs: nam hi viri totam legem existimant habere animalis similitudinem, quòd præcepta corpus referant, animam vero sententiæ retrusiores sub velamine verborum abditæ, in quibus rationalis anima egregie se ipsam contemplatur tamquam in speculo, sub ijs ipsis verbis miram sententiarum pulchritudinem conspiciens, & explicans e figurarum inuolucris, atque ita penitiorem intellectum in lucem producens, dumtaxat apud eos qui per occasionẽ admoniti sciunt obscura ex apertis colligere. Vbi vero Præses visus est rem bene tractando satisfeciisse auditorum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus. Tum ille assurgens, hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens a se compositum, aut desumptum ab aliquo vatum veterum: extant enim huius generis carmina prisca versu trimetro, & hymni cum suis accentibus inter sacra canendi ante altaria, vel a stantibus, vel a choreas ducentibus moderatas varijs flexibus atque reflexibus. Præsulem mox imitantur ceteri decenti ordine, omnibus intente quieteq. auscultantibus; præterquàm in fine hymni, extremaq. clausula: tum enim vniuersi vocem extollunt sine sexus discrimine.

CXXXV. QVAESTIONES IN MENSA PROPONI SLITAE.

CXXXVI. Absolutis hymnis singulorum, iuniores paulo ante dictam mensam afferunt, in qua rite cibus ille sacratissimus, panis fermentatus cum sale apponitur & hyssopo, ob reuerentiam mensæ dedicatæ in templi vestibulo: nam & in ea solent apponi panes cum sale absque condimento alio, sed panes non fermentati, sal sine vlla mixtura: conuenit enim sacris pura simplicitas, egregium diuini cultus præmiũ, vt potiores priuilegium habeant. Cœnam vero sequitur sacrum peruigilium his ritibus. Vbi omnes consurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum, alter feminarũ: cuique suus incentor præficitur, honore præstans, & canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos varijs metrorum carminumq. generibus, nunc vno ore, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus & accentibus; modo stantes, modo prorsum retrorsumve gradum mouentes, vtcumque res postulat. Deinde postquam vterque chorus expleuit se his delicijs, velut amore diuino ebrij, vnum chorum faciunt promiscuum ad imitationem illius olim instituti in Rubri sinus littore post mirandum prodigium.] hæc Philo. Haud valde dissimilis ab hac cœna est illa, quam proponit Pædagogus Christianus, & ipse patria Alexandrinus, Clemens [a] inquam; qui vult cœnam debere esse expeditam & tenuem, ad vigilias aptam, carnium & vini prorsus expertem; non tamen ea damnans, si quis his sobrie vtatur. De ijsdem Christianorum conuiuijs rursum Minutius [b] Felix hæc breuiter habet: Conuiuia non tantum pudica colimus, sed & sobria: nec enim indulgemus epulis, aut conuiuium mero ducimus, sed grauitate hilaritatem temperamus.] Ceterum scriptum a Philone conuiuium sacris videtur admixtum, quale illud Pauli ad Corinthios: non enim expressius licuit externo homini secreta nostra mysteria prosequi.

CANTVS POST COENAM.

[a] *Clem. Alex. Pædag. lib. 2. c. 12. & seq.*

[b] *Minutius in Octauio.*

CXXXVII. Triplici vero ex causa inter Christianos publica conuiuia celebrari solita, tradit Gregorius [c] Nazianzenus, cum ait: Non insuper ad sacrum aliquod epulũ, vel natalitium, vel funebre, vel connubiale cum pluribus currens.] ad hæc enim & Episcopum inuitari solitum esse significat. Quod ad connubiale spectat, iam superius dictum est. Sed quod ad natalitium epulũ attinet; sic dicebantur agapes, quæ in natalitijs sanctorum martyrum in ecclesijs celebrari consueuerant, de quibus hæc Theodoretus [d]: At illos (*deos scilicet Gentium*) Deus cassos gloria vanosq. reddidit, suis autem martyribus honorem

[c] *Gregor. Naz. de vita differẽt.*

CONVIVIA PVBLICA TRIPLICI EX CAVSA.

[d] *Theod. Euag. uerit. lib. 8. in fin.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

honorem illum dedit. Pro Pandijs enim, & Diasijs, ac Dionysijs, hoc est, Iouis Liberiq. patris solemnitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, alijsq. sanctis martyribus solemnitates populari epulo peraguntur: proq. illa veteri pompa, pro turpi obscœnitate atque impudentia, fiunt modestæ, castæ, ac temperantia plenæ festiuitates, non illæ quidem mero deliutæ, non comessationibus leues, non cachinnis solutæ, sed viuis canticis personantes, sacrisq. sermonibus audiendis intentæ.] Sed hac ratione Faustus Manichæus Christianorū agapes impugnabat, quasi illi sacrificia Paganorū vertissent in agapes: sed eum pluribus redarguit Augustinus [a].

a Aug. contra Faust. lib. 20. c. 4. & 20.

CXXXVIII. DE FVNEBRI AGAPE.

De funerali vero agape hæc primum ab Origene [b] scripta leguntur: Sic itaque nos diem natiuitatis celebramus, quia in perpetuo viuunt hi qui moriuntur: celebramus nimirum, religiosos cum sacerdotibus conuocantes, Fideles vna cum clero inuitantes, adhuc egenos & pauperes, pupillos & viduas saturantes: vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suauitatis in conspectu æterni Dei.] hæc Origenes. Ad hanc quippe consuetudinem alludit Chrysostomus, dum ait [c]: Cur post mortem tuorum pauperes vocas? cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obsecras? Non ignoro te responsurum: Vt defunctus requiem adipiscatur, & propitium iudicem inueniat.] Si in his cupis adhuc de Occidentalis Ecclesiæ consuetudine perdoceri; Paulinus [d] ad Aletium scribens de funere vxoris Russinæ, filiæ S. Paulæ, id egregie præstat, sic dicens: Itaque patronos animarum nostrarum pauperes, qui tota Roma stipem meritant, multitudinem in aulam Apostoli congregasti. Pulchro equidem tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis diuinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimam glorioſi Petri basilicam, per illam venerabilem regiam cerula eminus fronte ridentem, vt tota & intra basilicam, & pro ianuis atrij, & pro gradibus campi spatia coarctentur. Video congregatos ita distincte per accubitus ordinari, & profluis omnes saturari cibis; vt ante oculos Euangelicæ benedictionis vbertas, eorumq. populorum imago versetur, quos quinque panibus & duobus piscibus, panis ipse verus, & aquæ viuæ piscis Christus expleuit.] et paulo post de ijsdem:

b Orig. in Iob lib. 3.

c Chrysost. in Matth. hom. 32.

d Paulin. epist. 12.

CXXXIX. AGAPES IN ECCLESIA EXHIBITAE.

Quam lætum Deo & sanctis Angelis eius dē hac tua (vt dici solet) pera spectaculum facer editor exhibebas? quanto ipsum Apostolum attollebas gaudio, cum totam eius basilicam densis inopum cœtibus stipauisses: vel qua sub alto sui culminis medijs ampla laquearibus longum patet, & Apostolico eminus solio coruscans, ingredientium lumina stringit, & corda lætificat: vel qua sub eadem mole tectorum geminis vtrinque porticibus latera diffundit: quave protento nitens atrio fusa vestibulo est, vbi cantharum ministra manibus & oribus nostris fluenta ructantem fastigiatus solido ære tholus ornat.] ac rursum post pauca: Quàm lætum ergo tunc Deo & Angelis pacis & cunctis Sanctorum spiritibus spectaculum tribuisti? primum de Apostoli veneratione, cuius fidem ac memoriam tam multiplicatam opulentiæ deuotione celebrasti, sacras nimirum hostias, casta libamina cum acceptissima ipsius commemoratione Deo deferens, deinde munificentia consequenti te ipsum in corde mundo & spiritu humiliato acceptissimum sacrificium offerens Christo, in cuius tabernaculis veræ iubilationis hostias immolasti, reficiens & pascens eos qui benedictione numerosa laudis hostiam sacrificarent Deo. Quàm bono tunc Vrbs nostra tumultu fremebat, cum tu misericordiæ viscera reficiendis & operiendis pauperibus effundens, pallida esurientium corpora reformares, aridas sitientium fauces rigares, tremula algentium membra vestires, & omnium consona in Dei benedictionem ora referares?] hucusque de agape in funere exhiberi Romæ solita Paulinus. S. Hieronymus [e] de his agens, illos tantum qui iactantiæ causa id facerent, reprehendens, hæc ait: Cum ad agapen vocauerint, præco conducitur.]

e Hier. epist. 22.

CXL. AGAPES IN DEDICATIONE ECCLESIARVM.

Solitas esse quoque exhiberi agapes in dedicationibus ecclesiarum, satis demonstrant quæ Gregorius Papa [f], dedicaturus oratorium Beatæ Mariæ, pro agape parari mandat, sic ad Petrum subdiaconum scribens: Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere; propterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum;

f Greg. Reg. lib. 1. epist. 44.

centum; quæ tuis possint rationibus postmodum imputari.] hæc Gregorius.

CXLI. QVID CONCILIA DE AGAPE.

Porro aduersus eiusmodi agapes spernentes, hæc statuerūt Patres in Gangrensi Concilio [a], temporibus Constantini: Si quis despicit eos, qui fideliter agapes, id est, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiusmodi vocationibus, paruipendens quod geritur; anathema sit.] In Concilio autem Laodiceno [b] veritum est, clericos ad agapen accedentes, partes tollere. Apud Clementē [c] vero hæc leguntur: Qui ad agapes, siue (vt Dominus nominauit) ad conuiuium instituerunt vocare presbyteram, quam norunt diaconi oppressam, eā frequenter vocent. Separetur autem in conuiuio quod pastori consuetum est dari: dico autem id quod ad primitias pertinet, veluti sacerdoti, etiam si conuiuio non adsit, in honorem Dei, qui ei sacerdotium commisit. Quantum autem vnicuique seniorum datur, eius duplum detur diaconis in honorem Christi: presbyteris vero, qui laborant in verbo doctrinæ, duplex quoque separetur pars in gratiam Apostolorum Domini, cuius locum sustinent, tamquam consiliarij Episcoporum, & Ecclesiæ corona: sunt hi Senatus & consessus Ecclesiæ. Si lector sit, capiat vnam partem, &c.] Sed quod ad presbyteram spectat: illam consueuisse dici presbyteram, quæ olim nupta viro, qui postea ad presbyteratum assumptus est, cælebs inde remansit, aliàs opportuniori loco pluribus diximus.

a Conc. Gangr. c. 11.

b Conc. Laod. c. 27.

c Clem. Constit. lib. 2. c. 32.

CXLII. NE FIERET AGAPE IN ECCLESIA.

Qui igitur antiquus vsus a temporibus Apostolorum de agape Christianorū viguit in Ecclesia, idem nonnullis in locis in hodiernum laudabiliter perseuerat, mutatis nonnullis; vt (quod primū diximus) ne illæ simul cum tremendo ac sacrosancto sacrificio miscerentur; deinde (quod postea est emendatum) ne in ecclesia celebrarentur. Ambrosio enim in primis id displicuisse, Augustinus [d] testatur: Paulinus [e] quoque nec ipse probauit, tolerauit tamen; vnde ait:

Verum vtinam sacris agerent hæc gaudia votis:
Nec sua liminibus miscerent gaudia sanctis.]

Displicuit id etiam Patribus Ecclesiæ Orientalis. Prohibuit enim hoc omnino Concilium Laodicenum [f], quod cauit his verbis: Non oportet in basilicis seu ecclesijs agapen facere, & intus manducare, vel accubitus sternere.] Statuit id similiter Concilium Carthaginense [g]. Concessit tamen Gregorius Anglis recens ad fidem conuersis, vt in tabernaculis iuxta ecclesiam positis, eiusmodi conuiuia celebrarent, sic ad Mellitum rescribens [h]: Qui boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari: vt die dedicationis, vel natalitio sanctorū martyrum, quorum illæ reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solemnitatem celebrent, &c.] At de agape satis.

d Augustl. Conf. lib. 6. c. 2.

e Paulin. in Nat. 9. sancti Felicis.

f Concil. Laod. c. 28.

g Concil. Carthag. 3. c. 30.

h Gregor. lib. 9. epist. 71.

CXLIII.

Cum igitur Paulus Apostolus Corinthios redarguisset, quòd tam ea quæ ad communem, quàm quæ ad sacram cœnam essent statuta, negligerent; & ad legitimam rituum obseruationem, quantum liceret per epistolam, restituere conatus esset: quòd res esset, quæ maiori indigeret examine, longioriq. opus esset admonitione; in aduentu suo se omnia quæ ad ea nosset spectare, coram præstiturū pollicetur: Cetera, inquiens [i], cum venero, disponam.] Quænam vero ea fuerint, quæ Paulus circa sacrum Eucharistiæ ritū præsens Corinthios admonuerit; licet nec ab ipso, nec a Luca, qui Pauli Acta potissimum est prosecutus, scriptorum monumentis tradita reperiantur: tamen (quod nefas sit dicere ea penitus excidisse, quippe quæ de re tanta, adeoq. illis necessaria ea esset instructio) illa ipsa fuisse, quæ sine scriptis ex traditione Apostolica vniuersa in posterum Ecclesia obseruauit, pari consensione Patres omnes affirmant, & inter eos Augustinus [k], dum dicit: Cum vero ait Apostolus, de hoc sacramento loquens: Propter quod fratres, cum conuenitis, &c. statim subtexuit: Cetera autem, cum venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem per vniuersum Orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.] et alibi [l] (digna quidem quæ sæpe dicta tanti viri repetatur sententia) Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum, rectissime creditur.]

i 1. Cor. 11.

DE RITIBVS EVCHARISTIAE.

k Augustl. epist. 118.

l Aug. de bapt. contra Donat. lib. 4. c. vlt. sup. lib. 2. cap. 7. & epist. 118. ad Ianuar.

CXLIV.

At agamus ex instituto de singulis. Vt in primis in hoc admirabili sacrificio vinum aqua mixtum in calice offeratur, quod vniuersa semper obseruauit Ecclesia, licet de hoc

VT FIDELES IEIVNI COMMVNICENT, ET ALIA.

nullum expressum in diuinis Scripturis appareat testimonium: tamen non tam ex traditione Apostolica, quàm Dominica, Catholica Ecclesia in vniuerso Christiano orbe seruans (vt Cyprianus [a] testatur) eam sibi vendicat auctoritatem. Vt item a ieiunis offeratur atque sumatur, non aliunde certe quàm ex Apostolica traditione vniuersa Ecclesia admonita custodiuit. Hinc Augustinus [b] cum hæc pluribus demonstrasset, subdit hæc verba: Numquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd a ieiunis semper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm ceteri cibi: nam ideo per vniuersum Orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi vel cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere.] hæc Augustinus. Moris etiam fuisse Eucharistiam a ieiunis sumi, Tertullianus [c], Cyprianus [d], alijq. antiquiores testantur. Sed hæc alias superius. Rursum offerendam esse pro viuis atque etiam defunctis, ex Apostolica traditione prouenire, demonstratum est superius ex auctoritate Patrum: itemq. in azymis potius quàm in fermentato esse conficiendam, Epiphanij testimonio ab Ecclesiastica traditione dimanare, iam diximus. Insuper quænam esse deberet probatio illa, quam ante sumptionem Eucharistiæ præmittendam esse insinuat Apostolus, exomologesin nimirum esse debere, ipsam videlicet accuratam peccatorum confessionem, Patrum assertionibus demonstrauimus.

a Cyprian. epist. 63. ad Cæcil.
b Aug. epist. 118.
c Tertul. lib. 2. ad vxor.
d Cypr. epist. 63.

CXLV.

DE OBLATIONE PANIS ET VINI.

Sed vt antiquum ritum in conficienda, offerenda, ac in populum distribuenda sacra Eucharistia, ordine repetamus: Populus panem & vinum in ecclesia offerebat, sed non ad altare; id enim muneris erat diaconorū. De his Augustinus [e]: Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.] Quæ autem a populo offerebantur oblationes, non continuo ab offerente in ecclesiam inferebantur, sed foris in loco huic ministerio adscripto ponebantur; vt disquiri antea posset, an illæ dignæ essent quæ Domino offerrentur: non enim omnium recipiebantur oblationes, sed eius tantum qui primum Catholicæ esset communionis, & vitæ integritate polleret. Locum ipsum, in quem oblationes inferrentur, vt inde postea ad altare exportarentur, Gazophylacium, ac etiam Secretarium, Possidius [f] nominat. His igitur per diaconum sacerdoti Deo offerendis ad altare portatis: præmissis precibus, alijsq. ritibus, qui in antiquis Liturgijs describi habentur; ipse sacerdos Christi personam gerens, præscriptis verbis, quæ Apostolus [g] benedictionem appellat hac ipsa prima quam ad Corinthios scribit epistola, dicens: Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?] sacrificium conficit, de cuius veritate iam satis antea dictum est.

e Aug. de temp. ser. 215.
f Possid. in Vit. Aug. c. 24.
g 1. Cor. 10.

CXLVI.

PARTICIPATIO EVCHARISTIAE.

Prolatis igitur his, quæ ad consecrationem spectant, verbis, sacerdos in altum eleuat sacrificium. Vnde de his agens Anastasius [h]: Postquam, ait, sacrificium tremendum illud sanctificauit, panem vitæ sustollit, eumq. omnibus ostendit.] Sic itaque oblato sacrosancto illo ac per omnia admirando sacrificio, sacerdos prius, ac mox deinde cuncti Fideles participant atque communicant, secundum illud eiusdem Apostoli ibidem addentis: Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?] de qua participatione hæc egregie Augustinus [i]: Quando manducatur, reficit, sed non deficit: non ergo timeamus, fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus illum, & postea quod manducemus, non inueniamus. Manducetur Christus: viuit manducatus, qui surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit; & norunt Fideles, quemadmodū manducent carnem Christi: vnusquisque accipit partem suam: vnde & ipsa gratia partes vocantur: per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo.] Sumpturis sacram Eucharistiam tabellæ quædam apponebantur, velut mensulæ, sicut hodie linteamina. De his tabellis Ioannes [k] Chrysostomus meminit, sic dicens: Nonne vides ministrum spongia mensam circumlinientem, & expurgantem domum, & tabellas ponentem? hoc post preces efficitur per præconis vocem, &c.] has quoque intelligit Athanasius [l], cum de facinoribus Arianorum agens, hæc ait: Subsellia, thronum, mensam ligneam, tabulas ecclesiæ, & cetera quæ poterant, foras elata combusserunt.]

h Anast. Sinait. de sacra synaxi.
i Aug. de verb. Euang. & apud Bed. in 1. ad Corinth. 10.
k Ioan. Chrysost. hom. 81. ad pop. Antioch.
l Athanas. epist. ad solitar.

Insuper

A Insuper postquam illa, tamquam voce præconis, acclamata essent verba: Sancta sanctis] sacerdos sacram Eucharistiam impartiens, quid daret contestabatur, dicens: Corpus Christi.] et accipiens, id ipsum verum esse profitebatur, dicens: Amen.] Sed quid hoc, Amen? Audi Ambrosium [a]: Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi. et tu dicis: Amen: hoc est, Verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.] Vetus plane erat eiusmodi traditio in Ecclesia tam in Occidente, quàm in Oriente. ad hanc plane alludit Tertullianus in libro de Spectaculis, cum ait: Ex ore, quo Amen protuleris, gladiatori testimonium reddere.] et Cornelius Papa [b] ad Fabium Antiochenum de Nouatiano: Pro Amen, quod dicere debuerat, *accipiens Eucharistiam scilicet*, hoc dixit: Non deinceps ad Cornelium reuertar.] De consuetudine vero Orientalis Ecclesiæ fidem facit Cyrillus, de quo modo dicemus. Hæc quoque omnia in antiquis Liturgijs, & penes B veteres scriptores [c] Ecclesiasticos scripta habentur. Dabat sacerdos in manus cuiusque sacram Eucharistiam, quam sic ille summa cum reuerentia ori admouebat. Suppetunt de ea re quamplurima [d] testimonia sanctorum Patrum: sed ne longiores in ijs percensendis videamur, Cyrilli Hierosolymitani afferre hic sententiam, satis esse existimamus: ea est huiusmodi:

a Ambros. de Sacram. lib. 4. c. 5. in fin.
b Apud Euseb. lib. 6. c. 35.
c Tertul. lib. de idol. cap. 7. Cyprian. lib. de lapsi. Origen. in Exod. hom. 13. Euseb. hist. lib. 6. c. 33. Chrysost. ad pop. Antioch. homil. 61. & alij plures.
d Cyrill. in Mystagog. 5.

CXLVII.

QVID PROFITETVR ACCIPIENS.

Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque disiunctis CXLVIII. digitis: sed siniſtram veluti sedem quamdam subijcias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est; & concaua manu susci pe corpus Christi, dicens: Amen. Sanctificatis ergo oculis tam sancti corporis contactu, communica: caue ne quid excidat tibi.] Eiusmodi consuetudinem in Ecclesia Orientali diutius perdurasse constat: siquidem Maximus, egregius propugnator Catholicæ veritatis aduersus Monothelitas, qui claruit circa annum Domini sexcentesimū quinquagesimum, cum de his agit, hæc ait: Omnes C viri, qui communicare desiderant, prius lauent manus suas; vt mente pura, & nitida conscientia, Christi sacramenta susciplant. Similiter & mulieres nitida exhibeant linteamina, vbi corpus Christi accipiāt pura mente, & munda conscientia.] Viris tantū nuda manu sumere concessum, feminis vero nonnisi linteamine, quod dicebatur Dominicale, notauimus in Romano Martyrologio a Plantino typis edito. Sed & in Sexta Synodo, quæ celebrata est anno Domini sexcentesimo octogesimoprimo, hæc statuta leguntur: Antequam fiat communio, Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Eos enim qui ex auro vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt ad diuini muneris susceptionem, minime admittimus, vt qui inanimatam subiectamq. materiam Dei imagi- D ni præferant. Si quis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem eis impartiens qui huiusmodi receptacula afferunt; & ipse segregetur, & is qui affert.] hæc Synodus [e], seu potius appendix addita. Sed & de his sæpe inferius.

ACCIPERE SOLITI MANV EVCHARISTIAM.

e Sexta Synod. can. 101.

CXLIX.

Sed & illud circa vsum sacræ Eucharistiæ introductum fuit, cum minus liceret ad sacras synaxes tempore persecutionis Christianos in vnum sæpe coire: vt qui quotidie de vita periclitarentur, quotidie sumerent, secundum quod ait Cyprianus [f] scribens ad Tibaritanos: Considerantes se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, vt possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere] concessum fuit, vt cum in ecclesia, vel MOS FERENDI DOMVM EVCHARISTIAM. alijs in locis abditis sacræ peragerentur Missæ, qui ad eas conueniebant Fideles, non tantum de ea quæ oblata erat sacratissima Eucharistia communicarent, sed & ex eadem particulas a sacerdote acceptas domum ferendas sumerent; quas reuerenter asser- E uatas, singulis diebus summo mane ieiuni participarent. Sunt de eiusmodi consuetudine complura antiquorū Patrum testimonia: nam id Tertullianus [g] in primis his monstrat verbis: Non sciet maritus quid secreto, *domi scilicet*, ante omnem cibum gustes; & si sciuerit, panem non illum credit esse, qui dicitur.] Eucharistiā, quòd in partes diuisa esset, Buccellas alibi idem auctor [h] nominat; sed Augustinus & alij, Particulas, vt apud nos frequentiori vsu retentū est. Sed hæc euidentius Cyprianus demonstrat, cum hæc ait in libro quem de Lapsis inscripsit: Cum quædam arcam suam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire; igne inde surgente, deterrita est, ne auderet attingere.] et alibi [i]: Qui festinans ad spectaculum, dimissus & adhuc gerens secum (vt assolet) Eucharistiam, &c.] Gregorius [k] Nazianzenus de sua sorore Gorgonia testatur, eam apud se in cubiculo sacram Eucharistiam asseruatam super altari habere solitam: qua venerata, vehementi morbo, quo ægrotabat, dicit esse sanatam.

f Cypr. epist. 56.
g Tertul. ad vxor. lib. 2. c. 3.
h Tertul. lib. de monog. c. 11.
i Cypr. lib. de spect.
k Gregor. Naz. orat. in funer. Gorgoniæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CL.

Testatur id ipsum Basilius scribens ad Cæsariam Patriciam; quam epistolam non tantum recentiores e Græco nuper translatam citant, sed & Anastasius Nicænus[a] Episcopus, licet non ad Cæsariam, sed Cæsarium Patricium legat. sunt hæc eius verba: Necesse autem habere aliquem, si non adsit sacerdos, communionem propria manu sumere, minime esse graue, est superuacaneum ostendere, propterea quòd longa consuetudo etiam per res ipsas probetur. Omnes enim qui sunt in desertis monachi, vbi non est sacerdos, illic habentes communionẽ, ex se ipsis eam sumunt] eam videlicet, quam secum domum tulissent: vnde & subdit: Alexandriæ autem & in Ægypto vnusquisque ex laicis, qui illic degunt, maxima ex parte habent communionem domi suæ. Nam cum sacerdos semel confecerit hostiam & dederit; eam accipiens & communicans, tamquam a sacerdote sumptam participare se, debet credere. Etenim in ecclesia sacerdos tradit particulam, & cum omni potestate ac libertate eam tenet qui accipit, & sic sua manu ad os eam adducit. Idem est ergo potestate, siue quispiam vnam particulam acceperit a sacerdote, siue multas simul.] hæc ex Basilio Anastasius. At hæc non tantum in Orientali Ecclesia, sed & in Occidentali ijsdem Basilij temporibus in vsu erant: quod plane demonstrat S. Hieronymus[b] in Apologia aduersus Iouinianum verbis illis: Quod in ecclesia non licet, nec domi licet.] et S. Augustinus agens de oratione, ait: Accepto corpore Domini & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij.] Perseuerasse videtur eiusmodi consuetudo saltem vsque ad Hormisdæ Papæ tempora, quando in Synodo Cæsaraugustana in Hispania abrogata cognoscitur, dum hæc in ea[c] statuta leguntur: Eucharistiæ gratiam si quis probatur acceptam non consumpsisse in ecclesia, anathema sit in perpetuum.] In Orientali vero Ecclesia etiam post dicta tempora adhuc eam consuetudinem viguisse, plura exempla declarant, quæ in Prato spirituali descripta habentur: sed breuitatis causa ea hic referre prætermittimus.

a Anastas. lib. quæst. tom. 6. Bibliorth. sanct. VIGVIT DIV IDEM MOS IN ECCLESIA.

b Hier. epist. 50.

c Concil. Cæsarang. c. 3. tom. 4. Rom. edit.

CLI.

In itinere etiam secum Eucharistiam ferre, aliquando concessum fuisse, ea quæ S. Ambrosius[d] scribit de Satyro fratre, manifeste significant. Si enim id permissum ait catechumeno, quomodo non penitus Christiano? Testatur id ipsum Gregorius[e] de Maximiano Episcopo Syracusæ & eius socijs mare Hadriaticũ nauigantibus. Eam quidem consuetudinem alicubi viguisse etiam temporibus Alexandri Papæ Tertij, Acta S. Laurentij[f] Episcopi Dublinensis testãtur, in quibus hæc leguntur: Quatuor sacerdotes cum magna turba hominũ transire comperiunt, qui Eucharistiam (sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuto viatico ac securo duce itineris publice deferebant.] At non putet quis tepuisse apud maiores nostros erga sacram Eucharistiam venerationem & cultum, quòd prædicta concesserint, quæ nostris temporibus penitus inconcessa noscuntur. Immo quia maior penes cunctos fides vigebat, animisq. propensioribus in eamdem erant affecti, hæc in hunc modum fieri permittebantur. Quanti enim putas feciſſe sanctissimam Eucharistiam maiores nostros, qui, ob eam videlicet causam, quòd ex pane vinoq. conficeretur, eadem species, quantumlibet communes, in honore habebant? Ad hoc enim spectat illud Tertulliani[g], quo ait de antiqua consuetudine: Calicis, aut panis, etiam nostri, aliquid decuti in terram, anxie patimur.]

d Ambros. orat. in fun. frat.

e Gregor. Dial. lib. 3. c. 36. EVCHARISTIA FERRI SOLITA IN ITINERE.

f In Vit. S. Laurentij Epis. c. 8. apud Sur. tom. 6. die 14. Nouemb.

g Tertul. de coron. mil. c. 3.

CLII. VSVS ASSERVANDI EVCHARISTIAM.

Ex his igitur de antiquis Ecclesiæ moribus reseratis, illud in primis necessario infertur atque deducitur, semper in Ecclesia asseruandi sacram Eucharistiam siue in loco sacro, siue in priuatis domibus, ad illorum vsum qui accepissent, consuetudinem viguisse. Cur, quæso, quod domi liceret, in ecclesia non liceret? Sed nec de ecclesijs desunt exempla. Non enim nisi de asseruata in ecclesia Eucharistia Donatistæ execrandũ scelus illud, quod paucis scribit Optatus[h], impudentissime admiserunt: Iusserunt, inquit, Eucharistiam canibus fundi, non sine signo diuini iudicij: nam ijdem canes accensi rabie, ipsos homines suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tamquam ignotos & inimicos laniauerunt. Ampullam quoque chrismatis, &c.] Est distichon[i] illud Paulini superius iam citatum, positum a dextra parte apsidis ecclesiæ S. Felicis, vbi asse[illegible]ari solita esset Eucharistia:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, & qua
Promitur alma sacri pompa ministerij.]

Itemq. est de his canon Concilij Turonensis[k] in hæc verba rem aliter disponentis, nimirum, vt non in armario, sed in altari Eucharistia asseruetur, dicens: Vt corpus Domini

h Optat. contra Parm. lib. 2.

i Paulin. ad Seuer. epist. 12.

k Concil. Turon. 2. can. 3.

mini in altari, non in armario, vel (vt aliter legitur) imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.] In altari item intra columbam auream reponi solitam Eucharistiam, legitur in Actis S. Basilij, quæ Amphilochij nomine inscripta habentur. Ad idem officium positas super altaria columbas aureas, & alias argenteas super baptisteria suspensas, Seuerus impius hæreticus sustulit, vt questi sunt clerus & monachi Antiocheni libello supplici, quem Quintæ Synodo obtulerunt. Redarguit Cyrillus Alexandrinus errorem tunc primum emergentem illorum, qui putarent Eucharistiam non seruandam in sequentem diem, sic[a] scribens ad Calosyrium Episcopum Arsenio-tem: Porro alios etiam esse audio, qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem proficere dicant, si quid ex ea fiat reliqui in alium diem. Insaniunt vero qui hæc asserunt: neque enim alteratur Christus, neque sanctum eius corpus immutatur, sed benedictionis vis & facultas & viuificans gratia perpetuo in ipso existit.] hæc Cyrillus.

a Extat edita Colonia apud Calenium anno Domini 1573. una cũ tractatu ipsius aduersus Anthropomorph.

Sed ex his adhuc illud certum exploratumq. redditur: quòd etsi Fideles sacrificij tempore olim in ecclesia sub vtraque specie panis & vini sacratissimam Eucharistiam sumerent; tamen cum vel priuatim in suis domibus (vt vidimus) illam acciperent, vel aliter in ecclesia extra sacrificij tempus, sub vna tantum specie, nempe panis, vt asseruata erat (aliter enim numquam reposita alicubi reperitur) sumere consueuerant. Qua vero ratione in Ecclesia Catholica vsu receptum sit, vt etiam in ecclesia, cum diuina sacrificia peraguntur, nonnisi sacerdos offerens sub vtraque specie communicet, ceteri autem sub vna tantum, nempe panis, suo loco dicemus vberius. Multa adhuc alia, quæ ad ritus offerendi vel ministrandi pertinent, dicenda essent ex antiquis ac plane Apostolicis Liturgijs; sed cum illæ a plerisque collectæ præ manibus habeantur, alijq. eodem argumento commentarios ediderint, libentius abstinemus, ne ab instituto longius euagemur.

CLIII. COMMVNIO SVB VNA SPECIE.

Attamen quod ad frequentem eius vsum pertinet; dicere non prætermittimus, ex institutione Apostolica frequentem vsum esse in Ecclesia commendatum. Fidem facit eius rei Ignatius[b], qui ijsdem cum Apostolis temporibus (prout sæpius antea diximus) vixit: nam ad Ephesios scribens, hæc monet: Date itaque operam vt crebrius congregemini ad Eucharistiam & gloriam Dei.] et inferius: Omnes nominatim congregamini mente indiuulsa, frangentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis est, mortis antidotum, vitamq. in Deo concilians per Iesum Christum, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.] hæc Ignatius. sed quod dicit: Mente indiuulsa frangentes panem vnum] haud dubium, id ipsum fieri debere admonet, quod ipso initio nascentis Ecclesiæ, mox post missum diuinitus Spiritum sanctum, Fideles facere consueuerant: de quibus Lucas[c]: Erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.] ac rursum paulo post: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione, & simplicitate cordis, collaudantes Deum.] Sic igitur maiorũ admonitos consuetudine posteros Fideles conatos esse quotidie sumere Eucharistiam, Patres tam Latini quàm Græci facile demonstrarunt. Cyprianus enim hæc in oratione Dominica: Hunc quotidie dari panem nobis postulamus; ne, qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie in cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.] quod ne facere prætermitterent Christiani, cum non esset liberum quotidie ad ecclesiam conuenire (vt nuper dictum est) particulas domum portandi atque sumendi, absque dubio licentiam obtinuisse ex institutione Apostolica, maiores tradiderunt. quis enim absque Apostolorum exemplo hæc facere præsumpsisset? quare Petrum Romæ hæc docuisse, facile persuademur. Romæ enim antiquam seruatam esse consuetudinem, vt Fideles quotidie sacratissimam sumerent Eucharistiam, Hieronymus sæpe testatur, vt cum dicit[d]: Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt Fideles semper Christi corpus accipiant: quod non reprehendo, nec probo.] hæc idcirco ille, quòd (vt mox subdit) nec qui se nocte admiscuisset vxori, a sumenda Eucharistia temperaret. Idem ad Lucinium[e]: De Eucharistia, an accipienda quotidie, quod Romanæ Ecclesiæ & Hispaniæ obseruare perhibentur, &c.]

b Ignat. epist. 14. FREQVENTER SVMENDI EVCHARISTIAM VSVS.

c Act. 2.

d Hier. epist. 50.

e Hier. epist 28.

CLV.

In Orientali vero Ecclesia non eamdem viguisse consuetudinem, vt quotidie Fideles communicarent, Ambrosius[f] & Augustinus[g] testantur. Ille enim sic ait: Si quotidianus est

f Ambros. de sacram. lib. 5. c. 4. to. 4. Rom. edit.

g Aug. de serm. Dom. in monte lib. 2. c. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INFREQVENS VSVS EVCHARISTIAE IN ORIENTALI ECCLESIA.

nus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic viue, vt quotidie mereaberis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.] Augustinus vero: De sacramento, inquit, corporis Domini, vt illi non moueant quæstionem, qui plurimi in Orientalibus partibus non quotidie cœnæ Dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus datus sit.] Vetus est quæstio hæc: De qua (inquit Hieronymus [a]) scripsit quidem & Hippolytus vir disertissimus, & carptim diuersi scriptores e varijs auctoribus edidere. Sed ego illud te breuiter admonendum puto; traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiunt, ita obseruandas, vt a maioribus traditæ sunt; nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subuerti.] hæc Hieronymus: eadem & Augustinus [b], atque Chrysostomus [c], qui hæc de Græcorum moribus: Multi, ait, huius sacrificij semel toto anno sunt participes, alij autem bis, alij vero sæpe, &c.] De his qui sæpe, hæc Basilius in nuper citata epistola ad Cæsariam Patriciam habet: Communicare singulis diebus, & sanctum Christi corpus percipere, præclarum est & vtile: cum ipse aperte dicat: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis igitur ambigat vitam assidue participare, nihil aliud esse quàm multifariam viuere? Nos autem quater in singulas hebdomadas diuina sacramenta participamus, Dominica die, quarta feria, in parasceue, & in sabbato, & alijs diebus, si quando Dominica memoria, vel sancti alicuius fuerit.] hæc Basilius.

[a] Hier. epist. 28.

[b] August. epist. 118.

[c] Chrysostom. in epist. ad Hebr. hom. 17.

CLVI. ADVERSVS EOS QVI IN ANNVM DIFFERVNT SVMPTIONEM EVCHARISTIAE.

Ceterum abusionem fuisse potius quàm laudabilem consuetudinem, in annum Eucharistiæ participationem differre, satis docet idem Ioannes [d] Chrysostomus, dum acerrime inuehitur in illos qui ex consuetudine certis diebus, nimirum Epiphaniorum die, Quadragesimæ tempore, nempe in Paschate, & Aduentus Domini solemnitate, nimirum Natali ipsius die, tantum communicarent; atque hæc exclamans ait: O consuetudinem! o præsumptionem! sacrificium frustra quotidianum. Incassum assistimus altari, nullus qui communicetur. Hæc, non vt temere communicemini, dico, sed vt vos dignos reddatis. Non es hostia dignus, vel communione? igitur nec oratione.] et paulo post: Cum omnibus confessus es de dignis esse, cum indignis non secedendo: quomodo mansisti non participans de mensa?.] atque alibi [e], quod putarent illi, reuerentiæ causa diutius a communione abstinere esse consultius ac minus periculosum, hæc ait: Et quomodo, inquies, ista perpetimur, cum semel tantum per annum ea sacramenta sumamus? Hoc nempe est quod vniuersa perturbat: quia non munditia animi, verum interuallo temporis longiore constare meritum putas; summamq. arbitraris reuerentiam ac religionem esse, si non sæpius cælestem illam adeas mensam. Ignoras quoniam indigne accedere, etiam si semel tantum fiat, te supplicio tradit: digne vero etiam si sæpe accedas, salutem inde conquiris? Non est audaciæ sæpius accedere ad Dominicam mensam, sed indigne accedere, etiam si semel tantum quispiam toto vitæ tempore accedat.] hæc ille.

[d] Chrysost. ad popul. Antioch. hom. 61.

[e] Chrysostom. in 2. ad Tim. homil. 5.

CLVII. QVI NON COMMVNICANT, REIICIVNTVR.

At vero non ipsi tantum Orientalis Ecclesiæ doctores, hæc tractando, redarguerunt infrequentem Eucharistiæ sumptionem, sed & sacri canones grauioribus pœnis eos afficere qui differrent. Et vt prætermittamus dicere de canone Apostolorum [f], animaduertente in illos, qui ingressi ecclesiam, sacram communionem non percipiunt: est canon Concilij Antiocheni [g] præcipientis itidem ab ecclesia eijciendos, qui accedentes ad eam non communicant. Porro testatur Epiphanius [h] communiones & synaxes ab Apostolis ordinatas, vt fierent feria quarta, prosabbato, & Dominica, in quibus populi ad eas conuenientes communicarent. Ex his igitur, alijsque multis quæ in eamdem sententiam essent adducenda, liquido constat, non quidem ex laudabili consuetudine, sed oscitantia ac potius negligentia in Orientali Ecclesia egisse illos, qui semel tantum in anno, vel paulo frequentius sacram sumerent Eucharistiam, reclamantibus in eos sacris ipsorum Concilijs, & antiquis scriptoribus Ecclesiasticis.

[f] Can. Apostolorum 10.

[g] Concil. Antiochen. c. 2.

[h] Epiphanius in comp. doct.

CLVIII. VINDICTA IN SVMENTES INDIGNE EVCHARISTIAM.

At quod eiusdem argumenti esse videtur, & ad Ecclesiasticas res gestas maxime pertinet: dicere non prætermittimus, olim, quo tantæ rei & occultioris mysterij fides certior haberetur, frequentius accidisse, eos qui indigne ad sumptionem sacratissimæ Eucharistiæ accessissent, vel morte, Deo vindicante, mulctatos, aut a prauo dæmone arreptos, alijsve miserabilibus cladibus esse affectos. id quidem in primis Apostoli verba indicant,

indicant, quæ sunt eiusmodi [a]: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.] Dionysius quidem in Ecclesiastica Hierarchia, hisce de causis multos solitos esse a dæmonibus vexari, testatur. Sunt de his pleraque exempla apud Cyprianum in libro de Lapsis; & de suis temporibus testatur Chrysostomus [b], complures qui imparati ac indigne ad communicationem corporis Christi accessissent, a satana vexatos: sic enim ait: Plurima huiusmodi nunc quoque contingunt. Quia enim sacerdotes ignorant eos qui peccatis obnoxij indigne mysteria veneranda percipiunt; Deus sæpius facit, eosdemq. satanæ tradit. Quoties denique morbi, quoties detrimenta, quoties luctus calamitatesq. contingunt, huius rei gratia fiunt: id Paulus quoque signanter expresit: Ideo inter vos, inquit, multi infirmi, &c.] Sed id omne ex Dei misericordia; vt sic correptus, non cum hoc mundo damnetur. Vnde & Pacianus [c] in eadem Apostoli verba: Lætare peccator, si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut morte consumeris; ne puniaris post sæculum. Intellige quantum sceleris admittat qui ad altare venit indignus, cui pro remedio computatur, cum aut morbis laborat, aut morte dissoluitur.] Sed de his satis: iam prosequamur cetera.

[a] 1. Cor. 11.

[b] Chrysost. in 1. ad Tim. hom. 5.

[c] Pacianus lib. de pœnit.

CLIX. DE ALIO CONVENTV ECCLESIASTICO.

Aliam adhuc insuper celebrandi conuentus formam ijsdem Corinthijs Paulus præscripsit, dicens [d]: Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut vt multum tres, & per partes, & vnus interpretetur. Si autem non fuerit interpres, taceat in ecclesia, sibi autē loquatur & Deo. Prophetæ autē duo aut tres dicant, & ceteri dijudicent. Quòd si alij reuelatum fuerit sedenti, prior taceat. Potestis enim omnes per singulos prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur: et spiritus Prophetarū Prophetis subiecti sunt.] Ex conuentibus Iudæorum hanc formam in Ecclesiam Paulus transfudit, ac docuit Gentes. Vnde apud Ambrosium [e]: Hæc traditio synagogæ est, quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex Gentibus factis, non ex Iudæis: vt sedentes disputent seniores dignitate in cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pauimento super mattas.] Eiusmodi erat conuentus ille, cuius Lucas meminit [f], dicens: Intrauit Iesus secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, &c.] In ijsdem conuentibus sæpius ipsum Paulum concionatum esse, iam diximus; vt cum venit Antiochiam Pisidiæ in synagogam, vbi post lectionem legis & Prophetarum (inquit Lucas [g]) miserunt Principes synagogæ ad Paulum & Barnabam, dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.] At quoniam nouis charismatibus aucta fuit Ecclesia, hisce etiam hunc Christianorum conuentum Apostolus voluit illustrari: nimirum vt cum accepissent linguarum munera, necnon datus illis esset sensus per Spiritum sanctum, vt intelligerent Scripturas; eadem Spiritus dona ad ædificationem Ecclesiæ consummarentur: vt tunc linguis loquerentur, cum qui interpretaretur adesset.

[d] 1. Cor. 14.

[e] Ambros. in 2. ad Corin. c. 14. to. 3. Rom. edit.

[f] Luc. 4.

[g] Act. 13.

CLX. PRISTINI RITVS SIGNA TANTVM RELIQVA.

At vero eiusdem conuentus ab Apostolo in Ecclesia instituti celebrandi ritum, licet aliqua ex parte sit imminutus, nimirum in linguarum munere, prorsus tamen desijsse, nemo, puto, sapiens dixerit; quantumlibet signa potius atque vestigia eius Apostolicæ institutionis in Ecclesia remansisse, Ioannes Chrysostomus testetur his verbis: Nunc illorum donorum symbola ac signa tantum tenemus: nam nunc quoque duo aut tres dicimus & vicissim, & alio tacente, alius incipit. Sed sunt tantum illorum signa & monimenta. Propterea quando inceperimus dicere, populus respondet: Spiritu tuo. ostendens quòd olim sic dicebant, non sua moti sapientia, sed Spiritu, &c.] Deplorat summopere sua tempora, quibus cum eædem res agerentur quæ olim in illa Apostolorum tempore Ecclesia florentissima; non tamen ea diligentia, eaq. industria; adeo vt potius imago quædam illarum rerum, quàm res ipsa repræsentaretur. Plures enim, sed alternis sermonibus, in conuentibus Ecclesiasticis olim loqui solitos, sermonemq. exhortatorium vnumquemque eorum habere ad populum, iam superius dictum est, dum de conuentu illo Antiocheno, vbi Paulus & Barnabas rogati sunt dicere, historiam recensuimus.

CLXI.

At dum de his agentes, oculos circumducimus ad cuncta officia Ecclesiastica contemplanda,

Universidad de Deusto
Biblioteca

templanda, si quæ reliqua sint quæ ab Apostolo formam conuentus præscriptam re- A
MATVTINVM OFFICIVM QVID REPRAESENTET
ferant: occurrit in primis illud quod dicimus Matutinum officium; quod si attentius inspexerimus, plane intelligemus, quod ad formam spectat, eadem in ipso peragi quæ & olim in illo. Sed perueſtigemus singula: Cum conuenitis (inquit Apostolus) vnusquisque vestrum psalmum habet.] A psalmorum enim cantu inchoari dictos qui in ecclesia celebrantur conuentus, omnes norunt. Exhiberi post hæc in illis mandat Paulus doctrinam, nempe (vt vidimus) legis & Prophetarum lectionem, quam quidem post psalmorum concentum recitari hodie in ecclesia videmus. At loco linguarum est noui Testamenti lectio subrogata. Apocalypsis quoque statuto tempore in ijsdem officijs recitatur. Et quod Paulus monet, quæ dicta sunt linguis interpretari; huic muneri optime satisfaciunt sanctorum Patrum homiliæ, quas itidem post diuinæ Scripturæ lectionem, eam interpretantes recitant. At in eo hi conuentus, qui apud nos fiunt, ab illo B
potissimum differunt, dum hæc omnia a nobis ex scripto recitantur, ab illis autem non item, præsertim cum linguis loquerentur. Videas insuper, quod docet Paulus, vt spiritus Prophetarum subditus sit Prophetis; quàm egregie huic rei respondeat, quòd qui obeunt munera Prophetarum lectiones legentes, non illas antea auspicantur, quàm ab eo qui conuentui præest, tam ipsi quàm ceteris reuerenter submisso capite, accepturi dicendi licentiam, illa verba præfantur, dicentes: Iube Domne benedicere. quibus Præpositus benedicens, dicendi facultatem impartitur. Nec his omnino aduersatur, quòd eiusmodi conuentus in ecclesia noctu fiant: nam & de Paulo testatur Lucas in Actis, sermonem in eiusmodi conuentu Troade celebrato produxisse vsque ad mediam noctem. Ceterum vt eadem dicamus cum Chrysostomo nuper a nobis citato, sunt hæc potius imago quædam ac signum antiquæ illius Apostolicæ institutionis, quàm res ipsa in C
omnibus illi similis.

CLXII. Sed diuino plane consilio factum est, vt nostra ætate, ante annos triginta, ad eiusmodi Apostolici conuentus formam, magna ex parte, ea potissimum quæ ad audientium ædificationem ex rerum diuinarum sermonibus comparata, ad profectum Ecclesiæ peragi mandauit Apostolus, in Vrbe fuerint instituta, opera in primis R. P. Philippi Nerij Florentini, qui tamquã sapiens architectus posuit fundamentum, & eius in Christo alumni R. P. Francisci Mariæ Tarusij Politiani, qui in his videbatur esse dux verbi. Horum igitur studio & industria institutum primitus fuit, vt per singulos ferme dies, qui ardentiori studio Christianam vitam excolerent, ad oratorium S. Hieronymi conuenirent (ex eo namque & nostro collegio nomen est inditum, vt Oratorij congregatio diceretur) vbi hoc ordine religiosus haberetur conuentus: Præmissa in primis silentio D
facta precatione, ex fratribus aliquis lectionem auspicaretur, ad permouendos animos ad pietatem accommodatam. Inter legendum etiam, idem qui præesset Pater, solitus esset interloqui; ac eadem quæ dicta essent, accuratius explicando, amplificando, & ardentiori studio in audientium corda insinuando, interdum etiam aliquorum ex fratribus, quid de aliqua re sentirent, rogando sententiã, in modum fere dialogi sermonem ad horæ spatium magna audientium alacritate perduceret. Eiusdem iussu postea suggestum gradibus sublimiorem conscenderet ex fratribus aliquis, qui ex Vitis Sanctorum probatis atque receptis, diuinaq. Scriptura, ac SS. Patrum sententijs absque fuco vel pigmentis intextam orationem haberet. Qui huic succederet, eodem plane dicendi genere, sed diuerso argumento sermonem diceret. Demum tertius his accederet, qui historias Ecclesiasticas ordine temporum dispositas enarraret. Quibus dimidiæ horæ spatio sin- E
gulis ad dicendum concesso, mira audientium vtilitate pariter & voluptate perfunctis, cantato hymno, ac repetitis iterum precibus, iam conuentus absolueretur. Rebus igitur in hunc modum dispositis, atque Romani Pontificis auctoritate firmatis, visa est pulchra illa conuentus Apostolici facies pro ratione temporum reddi: cui adgaudentes probi omnes, complures ex ipsis inde mutuati exemplum, alijs in locis eadem pietatis officia instituere ac propagare conati sunt. Sed hæc obiter: iam ad Paulum Corinthiorum Ecclesiam instituentem redeamus.

DE ORATORII INSTITVTIONE APOSTOLICO CONVENTVI HAVD DISSIMILI.

CLXIII. In eodem, qui a Paulo Apostolo conuentus describitur, consueuisse etiam populum audientem & annuentem, respondere, Amen; idem Paulus demonstrat, dum ait: Si benedixeris spiritu; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit.] Ex ea quidem veterrima institutione conuentus

A uentus ex Hebræorum fontibus ducta, vna cum ipsa re voces etiam in Ecclesiam transiere, vt Amen. Id quidem esse seruatum antiquitus, vt populus præsens eamdem vocem conclamaret, Hieronymus [a] docet, dum ait de Ecclesia Romana: Vbi sic ad similitudinem cælestis tonitrui, Amen, reboat?] Hanc quidem sicut & alias plures acceptas esse ex Hebræis, omnes intelligunt: siquidem in veteris Testamenti diuinis Scripturis sæpissime ex persona populi aliquid confirmantis repetita legitur. Vnde merito Paulus [b] admonet non esse facultatem alicui dicendi Amen, nisi quod dicatur intelligat. Eadem ratione in Thalmudicis Massecheth Berachot [c], dum reprehenditur audientium oscitantia, legitur triplex Amen illegitimum: primum videlicet, cum qui Amen respondens, non intellexerit quod dictum sit; quod quidem, Amen pupillum, auctor appellat: secundum, cum antequã absoluatur oratio, vox illa pronunciatur, quod Amen
B surreptitium nominat, cum ex oratione nondum absoluta aliquid surripit: tertium vero, cum sic respondens, aliquid aliud agit; quod, sectile Amen, idem dicit, quasi diuectum in duas partes, dum audiens aliud agit. Porro sanctus Ambrosius [d] huius vocis diuersas affert significationes, vt aliquando sit imperantis, interdum precantis, interdum vero confirmantis aliquid: quo sensu hic eam accipit Apostolus. Sed de his satis hæc ad Ecclesiæ veteres ritus insinuandos. Ceterum cum Apostolus his institutis, mox admoneat vt mulieres taceant in ecclesia; non tantum sic eas loqui, vt doceant, nullo modo permittit; sed nec quauis occasione, vel saltem eo prætextu vt discant, de rebus diuinis loquendi tribuit facultatem, afferens pro remedio, vt, si discere volunt, domi viros suos interrogent. Quod quidem semper in Ecclesia obseruatum, sed ab hæreticis tantum Apostolicæ censuræ terminum esse violatum, suis locis dicemus: modo vero
C rerum gestarum seriem prosequamur.

VOX AMEN VNDE VSVRPATA.

[a] Hieron. in prafat. lib. 2. in epistol. ad Galat.

[b] 1. Cor. 10.

[c] Apud Angel. Canin. in loc. noui Test.

[d] Ambros. in Psal. 40.

CLXIV. Inter hæc autem, cum Cherinthus [e] præter alios quos disseminabat errores, impie diceret, Christum non surrexisse; adderet insuper Basilides, nullam futuram resurrectionem mortuorum: Hos namque Ignatius his coloribus egregie pingit, dum eos cauendos admonet, sic dicens [f]: Considerate itaque eos qui aliena sectantur dogmata, & discite quomodo ignotum asserunt esse Christi Patrem, quomodo infidam simultatem inter se exerceant, charitatis nullam habeant rationem: futura negligunt, præsentia & instabilia bona curant, præcepta contemnunt, viduam & orphanum despiciunt, oppressum despuunt, vinctum rident, crucis illos pudet, passionem subsannant, resurrectionem pro fabula traducunt: posteri sunt & nepotes spiritus illius omnis mali inuentoris.] hæc Ignatius ad Smyrnenses. hos & taxat scribens ad Trallianos, sic di-
D cens [g]: Partum Virginis calumniantur: et cum pudeat illos crucis, passionem negant, nec resurrectionem credunt, sed ignotum Deum introducunt: Christum ingenitum esse censent, Spiritum vero sanctum nec esse confitentur.] Cum, inquam, hæc pessimi omnium hominum ijdem disseminarent hæresiarchæ: his omnibus prouide Paulus occurrendum putauit; sicq. Corinthios, ad quos scribit, primum de Christi resurrectione tam suo quàm aliorum qui viderant testimonio instruit: demum de ceterorum mortuorum resurrectione copiosissime agens, cum ad eam insinuandam probandamq. multis vtatur argumentis; suis ipsorum factis, qui ea dicerent, arguens, hæc ait [h]: Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Vt quid baptizantur pro illis?]

[e] Epiphan. hæres. 28.

[f] Ignatius ad Smyrn. epist. 2.

[g] Idem ad Trall. epist. 5.

PAVLVS RESVRRECTIONEM ADVERSVS HAERETICOS PRAEDICAT.

[h] 1. Cor. 15.

CLXV. Sed quinam esset istiusmodi ludus & fabula velut in scena repræsentata, Epipha-
E nius [i] agens aduersus Cherinthum narrat his verbis: In hac regione, Asia inquam, immo etiam in Galatia, valde viguit horum doctrina: de quibus etiam ex traditione res quædã ad nos deuenit, quòd quidã apud ipsos de vita decesserunt, morte præoccupati citra baptisma, alij vero pro ipsis in nomen ipsorum baptizentur; vt ne, vbi resurrexerint illi in resurrectione, pœnas dent, eo quòd non acceperunt baptisma, & subditi fiant potestati, quæ mundũ fecit. Et hac de causa traditio, quæ ad nos deuenit, eumdem sanctum Apostolum dixisse ait: Si omnino mortui non resurgunt, cur & baptizantur pro ipsis? Ceterum alij recte hoc dictum interpretantes, dicunt, quòd morti vicini si fuerint in pietatis doctrina instructi, ob hanc spem ante obitum lauacro digni sunt: ostendentes quòd qui mortuus est, etiam resurget, & ob id indiget remissione peccatorum per lauacrum. Horum vero aliqui Christum nondum resurrexisse prædicant, verum resurrecturum esse cũ omnibus: alij vero, quòd omnino mortui non resurgent. Quapropter Apo-

DE HIS QVI BAPTIZANTVR PRO MORTVIS.

[i] Epiphan. hæres. 28.

stolus

stolus medium se interponens, vtrosque hos, ac reliquas hæreses eadem opera subuertit.] hæc Epiphanius. A

CLXVI. MARCIONITARVM LVDVS.

[a] Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 40.

Chrysostomus [a] arreptam testatur a Marcionitis occasionem ex verbis Pauli, vt loco defuncti viuentem quempiam illi profuturum baptizent: sic enim ait: An vultis primo dicam, quo modo hanc dictionem adulterantur qui morbo Marcionis laborant? Æque scio quidem fore vt risum multum moueam: verum enimvero etiam propterea maxime dicam, vt eum morbum magis fugiatis. Nam postquam catechumenus quispiam apud eos excesserit, sub lecto mortui absconso aliquo qui viuit, accedunt ad mortuum, & alloquuntur, & rogant velit ne baptismum accipere? Deinde illo nihil respondente; qui est absconsus inferne, pro illo dicit, se velle baptizari; & sic eum baptizant pro eo qui excesit, perinde ac si in scena luderent. tantum valuit diabolus in ignauorum animis. Deinde cum accusantur, addunt hoc verbum, dicentes Apostolum dixisse: Qui baptizantur pro mortuis.] hæc ipse. Verum cum Marcion hæresiarcha longe post Pauli tempora emerserit, non potuit ipse, vel eius sectatores esse qui notantur a Paulo, sed alij, qui eadem actitarent, e quibus ipsi exemplum fuerint mutuati. At Tertullianus [b] quoque docet, non de Catholicis, sed de hæreticis Paulum esse locutum, id declarans his verbis: Sed qua, inquit, ratione baptizantur pro mortuis? Certe illa præsumptione hoc eos instituisse contendit, qua alij etiam carni vicarium baptisma profuturum existimarent ad spem resurrectionis; quæ nisi corporalis, non alias sic baptismate corporali obligaretur. Anima enim non lotione, sed responsione sancitur, hoc est, sanctificatur.] hæc Tertullianus, quæ ferme repetit [c] agens contra Marcionem. Sed sunt & aliæ de verbis Apostoli interpretationes, quas in primis Ioannes Chrysostomus affert, & Isidorus [d] Pelusiota eius discipulus, atque alij: earum vero cupidos ad interpretes remittimus. B C

[b] Tertull. de resur. carn. c. 48.

[c] Tertull. contr. Marcion. lib. 5. cap. 10.

[d] Isid. Pelus. lib. 1. epist. 222.

CLXVII. DE COLLECTIS APOSTOLI ADMONITIO.

[e] Chrysost. in 1. ad Cor. hom. 40.

Clausurus iam epistolam Paulus [e], collectam indicit, sicut & in alijs Ecclesijs fecerat. Cum enim (vt alias dictum est) Christiani qui Hierosolymis erant, bonis omnibus spoliati a contribulibus Iudæis, maxima affligerentur inopia, & ex Concilio Hierosolymitano (vt vidimus) sic Paulo Gentium cura fuisset delegata, vt tamen pauperum Iudæorum memor esset: cum alioqui sic comparatus esset, vt quo ipse sibi victum quæreret, manuale opus exercere consueuerit, ne cui molestus esset; pro illorum tamen inopia solicitus, se a ceteris, quæ in Asia & Græcia erant, Ecclesijs eleemosynam colligere testatur, sic dicens [f]: De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui Ecclesijs Galatiæ, ita & vos facite. Per vnam sabbati vnusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: vt non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram Hierusalem. Quòd si dignum fuerit vt & ego eam, mecum ibunt.] hæc Paulus de collecta Ecclesiæ Corinthiorum indicta. Sed de collectis satis superius. D

[f] 1. Cor. vlt.

CLXVIII. CVR PAVLVS DIV MORATVS EPHESI.

Declarans insuper Apostolus animi sui consilium, quando venturus sit Corinthum, hæc addit: Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero: nam Macedoniã pertransibo. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo, vt vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre: spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten.] Hæc cum scribat Paulus (vt diximus) hoc anno; quidnam est, quod de non recedendo Epheso vsque ad illud tempus visus est iisse consilium? Sed cur tamdiu detineretur Ephesi, hanc affert ipse causam, cum subdit: Ostium mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi.] Ephesus enim, quòd totius Minoris Asiæ metropolis esset ciuitas, quòdq. illic esset Dianæ templum (de quo paulo inferius dicturi sumus) omnium gentium frequenti concursu celeberrimum; & quòd denique Proconsul Asiæ illic agere consueuisset, ad quem necesse esset ex tota prouincia homines conuenire; peropportunus ipsi visus est locus, vbi diutius Euangelium prædicando consisteret. E

[g] Philostratus lib. 8.

De eadem enim ciuitate hæc quoque Philostratus [g] in Apollonio: Abundat bonarum artium studijs; philosophis, oratoribusq. redundat: vt vere dici possit, eam ciuitatem non equitum robore, sed clarorum hominum millibus ceteras superare, in eaq. plurimum vigere sapientiam.] hæc ille, cum Apollonij magi erga Ephesios studium commendat: vt non mireris, si erga eosdem Pauli propensius esset officium. Sed qua occasione inde abire compulsus sit, Lucas exacte describit.

Attamen

A Attamen prius videamus quod idem Paulus in calce eiusdem primæ epistolæ ad Corinthios, in salutatione apposita, sua manu conscripta, ait: Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema, maranatha.] Quoniam vero eadem Pauli verba sacræ Synodi, necnon Episcopi in suis Ecclesijs, cum diuini interminatione iudicij aliquid admonerent, suis ipsorum præceptis affigere consueuerunt; operæpretium ducimus (quod instituti ratio exigit) subobscura hæc elucidare, de ijsdemq. vocibus pauca disserere. Probe scimus, ex sententia Ioannis [a] Chrysostomi, vocem, Anathema, esse ambiguam, atque in bonam æque ac malam partem vsurpari posse: quandoque enim quod certo loco appensum [b], & ex voto Deo oblatum, vel in eius templo dedicatum est, significari; quandoque vero quod a Deo seiunctum est per impietatem, intelligi hac voce anathematis, cum complura diuinæ Scripturæ exempla declarant, tum B maxime id quod apud Iustinum [c] legitur in hæc verba: Anathema id dicitur, quod Deo est dedicatum atque destinatum, & in communem vsum amplius non conuertitur; aut quod a Deo per malitiam est abalienatum.] Sed iam quo sensu hic accipiat Paulus, habes a Chrysostomo [d] dicente: Quid igitur est anathema? audi ipsum ita loquentem: Si quis non amat Dominum Iesum Christum, is anathema sit, hoc est, ab omnium commercio segregatus, alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum anathema donum, quod Deo oblatum dedicatur, nemo est qui temere manibus contingere audeat, neque ad id propius accedere: sic & eum qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, ac tamquam longissime abducens, hoc nomine a contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo vt separentur, ac pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat: ab eo autem C qui ab Ecclesia abscissus erat, ex oppositi omnes sententia separabantur. Quapropter separatio quidem tum hæc, tum illa ex æquo vulgo abalienatio erat: separationis vero modus non vnus, sed illi contrarius: ab illo enim abstinebant tamquam a Deo dicato: ab hoc autem decedebant tamquam a Deo abalienato, & ab Ecclesia abscisso.] hucusque Chrysostomus. At non certe hoc modo Paulus [e] optabat anathema esse a Christo pro fratribus suis, ipsa nimirum gente Iudæorum.

[a] Ioan. Chrysost. hom. de anath. tom. 5.

[b] Ioan. Chrysost. in Isai. hom. 1.

[c] Apud Iustin. mart. lib. quæst. & resp. q. 121.

[d] Chrysost. ad Rom. hom. 16.

[e] Rom. 9.

CLXIX. DE ANATHEMATE ET MARANATHA.

CLXX. QVOMODO PAVLVS CVPIDVS FIERI ANATHEMA.

Est enim & adhuc alius eiusdem vocis sensus, vt anathema idem importet quod maledictum, secundum quod scriptum est in Zacharia [f] de Hierusalem: Habitabunt in ea, & anathema non erit amplius.] quo loco Hieronymus de Paulo [g]: Pro fratrum salute, inquit, anathema esse cupit, imitari volens Dominum suum, qui & ipse, cum non esset maledictio, factus est maledictio.] Sed hæc fusius in epistola [h] ad Algasiam, D vbi & de alio vocis sensu hæc verba leguntur: Vult ergo Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu; suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur. Quòd autem anathema interdum occisionem sonet, multis veteris Testamenti testimonijs probari potest.] hæc ille.

[f] Zach. 14.

[g] Hieron. in Zach. 14.

[h] Hieron. epist. 151. q. 9.

CLXXI. MARANATHA POST ANATHEMA.

De Maranatha vero hæc idem auctor ad Marcellam [i]: Maranatha magis Syrum est quàm Hebraicum, tametsi ex confinio vtrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonet, & interpretetur, Dominus noster venit. vt sit sensus: Si quis non amat Dominum Iesum Christum, anathema sit. et illo completo, deinceps inferatur: Dominus noster venit. quòd superfluum sit aduersus eũ odijs pertinacibus velle contendere, quem veniisse iam constet.] hæc ipse. Verum quod ad causam spectat, quòd post anathema ea adderentur verba; illam potius existimamus, quòd Hebræi cum proferrent condemnationis sententiam, cum contestatione præsentis diuini iudicij facere consueuerant. E sunt de his exempla in diuinis Scripturis, vt in Daniele [k], qui impudicos & calumniantes senes condemnans, ad priorem dixit: Ecce Angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium.] posteriorem item damnans, sic est allocutus: Manet Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos.] sic & ceteri iudicantes, & maledictionis sententiam pronunciantes, addentesq. Maranatha, Dei præsentiam omnia iudicantis ac punientis adesse contestabantur, sicut habetur in Psalmo [l]: Iudicentur Gentes in conspectu tuo.] vt probaretur esse verum quod est scriptum in Prouerbijs [m]: Per me legum conditores iusta decernunt] & illud: Per me potentes decernunt iustitiam.] Porro anathemati proxima censura erat [n] catathema, quæ erat proprie eorum qui se sic damnatis coniungerent.

[i] Hieron. epist. 137.

[k] Dan. 13.

[l] Psal. 9.

[m] Prouerb. 8.

[n] Apud Iustin. lib. quæst. q. 122.

Quòd vero sicut Maranatha, ita & aliæ Hebræorum voces sint in Ecclesiam illa- CLXXII.

 psæ, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

psæ, & frequenti vsu receptæ, hanc Hieronymus ad Marcellam[a] scribens affert ratione: Apostolos id curasse, vt quoniam prima Ecclesia ex Iudæis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innouarent, sed ita vt a paruo imbiberant, traderent: postea vero quàm in vniuersas gentes Euangelij dilatatus est sermo, non potuisse semel susceptа mutari. Licet & illud in libris suis, quos ἐξηγητικοὺς vocant, Origenes asserat, propter vernaculæ linguæ cuiusque idioma, non posse ita apud alios sonare, vt apud suos dicta sunt, & multo melius esse non interpretata ponere, quàm vim eorum interpretatione tenuare.] hucusque Hieronymus. Augustinus hæc etiam in eamdem sententiam[b]: Hebræa, inquit, verba non interpretata sæpe inuenimus in libris, sicut Amen, Alleluia, & Racha, & Hosanna, & si qua sunt alia: quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent, seruata est antiquitas, sicut & Amen, & Alleluia; partim vero in aliam linguam transferri non potuisse, sicut alia duo quæ posuimus.] et alibi[c]: Sciendum est, Amen, & Alleluia, quod nec Latino nec barbaro licet in suam linguam transferre, Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare.] vt ex his videas, quantum venerandæ antiquitati maiores detulerint, & quàm parum ei consulant, qui prætextu quodam excultioris sermonis, passim immutant antiquas voces Ecclesiasticas, vt (quod ad id de quo agimus spectat) cum loco anathematis, vel excommunicationis, more Gentilium potius quàm Christianorum dicere malint, deuouere diris, vel quid simile. Sed tanta (dicam cum Augustino[d]) est vis consuetudinis etiam ad discendum, vt qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatiq. sunt, magis alias locutiones mirentur, easq. minus Latinas putent, quàm illas quas in Scripturis didicerunt, neque in linguæ auctoribus reperiuntur.

[a] Hieron. epist. 137. CVR VOCES HEBRAICAE TRANSLATAE IN ECCLESIAM.

[b] Aug. de doctr. Christian lib. 2. cap. 11.

[c] Aug. epist. 178.

[d] Aug. de doctr. Christian. lib. 2. cap. 54. in fine.

CLXXIII. DE CVLTIORIBVS VOCIBVS NON CVRANDVM.

Nouas voces, quantumlibet elegantiores, esse vitandas, nec ad locutionem sacrarum rerum facile admittendas, maiorum complura docent exempla, de quibus alias. Est enim ornamenti quoddam genus non mediocre, etiam oratorum Latinorum principis testimonio, verborum ornatū contemnere: nempe ait ad amicum scribens[e]: Illa tua horridula mihi & incompta visa sunt; sed tamen erant ornata hoc ipso quòd ornamenta neglexerant; & vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil oleant, videbantur.] Dicebat & qui inter Græcos eloquentissimos rhetores primum sibi vendicabat locum, non esse in eo fortunas Atticæ eloquentiæ sitas, hoc vel illo scire vti verbo: quin potius rem accuratius perpendere. Quam quidem sententiam tanto auctore dignam, post Ambrosium[f] (qui, prout vetus interpres, hac eadem ratione maluerat præsepiū quàm præsepe dicere) Augustinus[g], cum faceret ei grammaticus magnum de impropria derivatione negotium, vsurpat his verbis: Si enim Demosthenes clarissimus oratorum, quibus tanta verborum fuit cura, quanta rerum auctoribus nostris; cum tamen ei nonnullam locutionis insolentiam obiecisset Æschines, negauit ille in eo positas esse fortunas Græciæ, illo ne an illo verbo vsus fuerit, & an huc an illuc manū porrexerit: quanto minus nos laborare debemus de regulis deriuandorum no minū; quando, siue hoc siue illud dicamus, intelligitur sine ambiguitate quod dicimus; quorum non in expositione sermonis, sed in demonstratione veritatis est maior intentio?] hucusque ille, nobisq. satis: in hæc enim pene insci incidimus.

[e] Cic. ad Attic. lib. 2. epist. 1.

[f] Ambr. in Luc. lib. 2. c. 2.

[g] Aug. contra Cresc. lib. 2. c. 1.

CLXXIV. h Act. 19. QVID IN PAVLVM EPHESI ARGENTARII.

Quomodo autem in Paulum commorantem Ephesi post hæc concitatæ sint turbæ, cum Lucas exacte[h] describat: nos in primis hic idem (vt rerum gestarum ordo postulat) recitemus: Facta est (inquit Lucas) illo tempore turbatio non minima de via Domini. Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eos qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: et videtis & auditis, quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiæ Paulus hic suadens auertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dij qui manibus fiunt. Non solum autem nobis hæc periclitabitur pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius, quā tota Asia & Orbis colit.] Fuit hæc Demetrij oratio ad concitandas turbas in Paulū & armandos in eum opifices accommodata: nec fuit difficile hoc illis persuadere, cum præsertim tum ab vtili, tum ab honesto, nempe a religione, fortia argumenta deduceret. Magnum quidem compendiū argentarij suo opificio contrahebant, dum argenteas statuas

ædesq. earum ex argento itidem fabrefactas, ijs qui ea vouissent, plurimi venderent.

Penes Gentiles etiam fuit in more, hæc pro re aliqua assequenda vouere, pictasq. tabellas, rem ipsam cuius compotes facti fuissent, repræsentantes, in templis suspendere. vnde C. Cotta hæc apud Tullium[a]: Tu, qui deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis pictis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumq. salui aduenerint?] et Horatius[b]:

Me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.]

CLXXV.

[a] Cic. de nat. deor. lib. 3.

[b] Hor. car. lib. 1. ad Pyrrham.

Solebant itidem tabulæ pictæ argento etiam fabricari. hinc Cicero[c]: Tabulas pictas etiam argenti bene facti.] et Lucianus in Alexandro: Accedebant, inquit, ad hæc picturæ, imagines, signa deum ferentia, partim ex ære, partim ex argento efficta.] Sed & Dio in Rhodiaca offerri consueuisse ait eiusmodi dijs imagines, non ex terra fictiles, ne numen iniuria afficeretur; sed æreas vel argenteas dijs esse gratas, quæ semel dicatæ, perpetuo permanerent. Suas enim, filiorum vē, vel nepotum imagines in deorum fanis offerri consueuisse, idem auctor in nuper citata oratione confirmat. At quod etiam ad huiusmodi oblationes spectat, de Philistæis in diuinis Scripturis[d] est testimonium, eos ad auertendam plagam per mures & vlcera diuinitus illatam, iuxta numerum suarum prouinciarum feciſſe quinque mures aureos, totidemq. aureos anos, quos delicti expiandi causa apud Arcā fœderis in capsella posuerunt. Sic igitur in templum Dianæ Ephesiæ vel pictas tabellas, vel sculptas aut conflatas argento imagines offerentes, vota quæ nuncupauerant, persoluebant; quarum opificio argentarij ingentem sibi vim pecuniæ comparabant.

[c] Cicer. Verrin. lib. 4.

[d] 1. Reg. 6.

Ceterum quas Lucas ædes Dianæ argenteas ab argentarijs fieri solitas esse tradit, nihil aliud fuisse existimamus, quàm ipsas argenteas statuas cum suis ædiculis, seu loculamentis: quo sensu etiam apud Ciceronem in Verrem ædes Mineruæ posita dicitur in fano Apollinis. Abundasse hisce donis templum Dianæ, ex eo facile colliges, quòd Pompeiano ciuili bello in Orientem translato, Scipio (vt scribit Cæsar[e]) pecunias antiquitus in templo depositas, ceteraſq. eiusdem deæ statuas inde tolli cum iussisset; Cæsar, quo minus fieret voti compos, fuit impedimento: qui iterum postea restitit I. Appio id ipsum conanti. Sed de pecunijs deponi solitis Ephesi in templo Dianæ, hæc Dio[f]: Nostis haud dubie Ephesios, apud quos multæ pecuniæ partim priuatorum reconditæ in Dianæ templo, non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum vndiquaque venientium, partim & populorum, & Regum. Deponunt autem omnes in eo securitatis gratia, nemine vmquam auso loco inferre iniuriam, tametsi plurima bella gesta sint, ciuitasq. sæpius fuerit capta.] hactenus Dio. Fidem quoque certam fecit eius rei Annibal Carthaginensis, qui velata specie, quod habebat tot prælijs congestum aurum, in eodem Dianæ templo noua arte occulte deposuit[g]. Ex quibus omnibus, quantæ esset apud omnes gentes existimationis templum illud, intelligere quisque potest. Adnumerabatur enim inter septem Orbis miracula ipsum Dianæ Ephesiæ fanum, de quo hæc Plinius[h]: Magnificentiæ vera admiratio extat templum Dianæ Ephesiæ, ducentis (vel, vt alibi habet, quadringentis) viginti annis factum a tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terræmotus sentiret, aut hiatus timeret. Rursum ne in lubrico atque instabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea substrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerso templo longitudo est quadringentorum viginti quinque pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti septem a singulis Regibus factæ, sexaginta pedum altitudine, ex ijs triginta sex cælatæ.] et paulo post: Cetera eius operis ornamenta plurium librorum instar obtinent.] Talis igitur erat species templi Dianæ Ephesiæ his temporibus, cum alias antea septies fuerit restitutum, vt idem qui paulo ante auctor affirmat[i]. Simulacrum vero Dianæ alij ex ebeno compactum tradiderunt; alij vero, vt Mutianus Consul, qui se illud proxime spectasse dicebat, vitigineum fuisse ferunt.

[e] Cæs. de bello ciuili lib. 3. DE DIANAE EPHESIAE TEMPLO.

[f] Dio Chrysost. in Rhod. orat. 31.

[g] Iustin. histor. lib. 32.

[h] Plinius nat. histor. lib. 36. cap. 14.

[i] Plin. nat. hist. lib. 16. c. 40.

CLXXVII

Sed tantæ molis templū, Orbis (vt existimabatur) miraculum & ornamentū, sub Gallieno Imp. inuadentibus Gothis Asiam (vt auctor est Iulius Capitolinus[k]) spoliatū est penitus & incensum: licet illud ipsum abhinc post septē annos ab eodem Nerone Imp.

[k] Iul. Capit. in Gallieno.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVID PASSVM TEMPLVM DIANAE.

sub quo hæc in Paulum excitatæ sunt turbæ, tam quæ in Asia quam etiã quæ in Achaia in deorum templis dona erant pretiosa ac simulacra fuerint inde sublata: quod quidem Tacitus [a] sub Consulatu C. Lecanij & Marci Licinij factum testatur his verbis: In eamq. prædam etiam dij cessere, spoliatis templis in Vrbe, egestoq. auro, quod triumphis, quod votis, omnis populi Romani ætas prospere aut in metu sacrauerat. Enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum, sed simulacra numinum abripiebantur, missis in eas prouincias Acrato ac Secundo Carinate. Ille libertus cuicumque flagitio promptus: hic Græcâ doctrina ore tenus exercitatus, animum bonis artibus non induerat.] hæc Tacitus.

[a] Tacit. libr. 5.

CLXXVIII. CLAMORES ARGENTARIORVM

Opifices igitur argentarij (vt ad orationem propositam reuertamur) auditis his quæ a Demetrio dicebantur (inquit Lucas [b]) repleti sunt ira, & exclamauerunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli: quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum. Alij etiam aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa, & plures nesciebant ex qua causa conuenissent. De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat rationem reddere populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta est omnium, quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. Et cum sedasset Scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Iouisq. prolis? Cum ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram. Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices habent aduersus aliquem causam: conuentus forenses aguntur, & Proconsules sunt: accusent inuicem. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima ecclesia poterit absolui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ: cum nullus obnoxius sit, de quo possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.] hucusque Lucas.

[b] Act. 19.

CLXXIX. MODESTIA APOSTOLORVM.

In his quidem multa sunt consideranda, & in primis id quod Alexander de Apostolorũ modestia his testatur: Adduxistis homines istos neque sacrilegos, neque blasphemantes deam vestram.] Adducendus est ad hæc declaranda locus Iosephi in libro secundo contra Apionem, quo dicitur: Noster enim mos est, propria custodire, non aliena potius accusare: et vt neque ridere neque blasphemare debeamus eos qui apud alios putantur dij, aperte nobis legislator interdixit propter ipsam appellationem.] hæc Iosephus: vt non mireris, si Apostoli ipso ingressu prædicationis Euangelicæ in deos Gentium minime inueherentur: communis enim in dictum illud Exodi 5 Dijs non detrahes] vulgata illa ferebatur interpretatio, vt neque in deos Gentium obloquerentur.

CLXXX. DVPLEX FORVM.

Sed & obseruatione quidem digna res est, quomodo Alexander homo Iudæus tantam ciuitatem adeo tumultuantem, conclamantem, obstrepentem, ac impetu concitatam breui oratione sedauerit, atque in officio continuerit: ea nimirum tantum illos deuincens ratione, quod si delictum aliquod a Paulo eiusq. discipulis perpetratum fuisset, agerent de his apud Proconsules in conuentibus forensibus: si vero de re alia esset quæstio, de religione videlicet, in legitima ecclesia causam tractarent. Mira quidem atque plane egregia distinctione, quænam causa ad forenses esset deferenda conuentus, quæ vero in legitima ecclesia tractari deberet, perbelle monstrauit, atque etiam facile persuasit. Tanta enim veritatis est vis, vt concitatos animos ac in furorem actos deliniat, atque nisi contra ius fasq. omnino nitantur, potiora sequi compellat. Quantumlibet autem esset Proconsulum summum ius, summaq. potestas: tamen ea quæ ad cultum veritatemq. religionis spectarent, non in eorum conuentibus, sed in legitima ecclesia decerni debere, omnibus persuasissimum videbatur. Nam [c] & Gallio Achaiæ Proconsul (vt vidimus) ab his, quæ erant de fide obortæ, abstinuit controuersijs, reijciens illarum iudicium ad eiusdem facultatis homines. Sed quinam essent hi forenses conuentus, quæve legitima ecclesia, quorum meminit Alexander; vt historica veritas magis magisq. perspicua reddatur, operæpretium ducimus paucis demonstrare.

[c] Act. 18.

A Græ-

A Græcis hanc consuetudinem forensium conuentuum fluxisse, Dionysius Halicarnassæus [a] his verbis declarare videtur: Templa construxere impensis communibus, illi Dianæ Ephesiæ, hi Apollinis in Epitropio: quo conuenientes cum coniugibus & liberis, statis temporibus, vna sacris dabant operam & mercimonijs: vbi publico certamine cum equis pernicibus, tum viris viribus arteve musica præcellentibus proponebantur præmia victoriæ, & dijs ciuitates dicabant donaria. Peractis spectaculis, ac negotiationibus, alijsq. festis & publicis hilaritatibus: si cui ciuitati simultas intercedebat cum altera, præsto erant iudices, qui litem componerent: tum de bello contra barbaros gerendo, deq. mutua gentis concordia consulebatur in medium. Horum & his similium exempla secutus, animum adiecit Seruius Tullius ad constituendũ vnum corpus, &c.] Extant de eiusmodi forensibus conuentibus in Asia fieri solitis egregia duo loca Dionis, & in primis de Cælenis Phrygiæ, sic dicentis: Ad hæc, iudicia alternis annis apud vos fiunt, & congregatur multitudo hominum infinita, iura agere volentium, iudicantium, rhetorum, Præfectorum, ministrorum, seruorum, lenonum, mulionum, cauponum, meretricum, & opificum: vt venalia, qui habent, maximo distrahant pretio; nihilq. sit otiosum in ciuitate, neque iuga, neque ædes, neque mulieres.] et paulo post: Quamobrem maximum ego reor esse ad ciuitatis robur iudiciorum conuentus: et nullam ob rem omnes tantum adhibuere studium. Illorum autem ius habent insigniores ciuitates vicissim annis alternis.] idem de ijsdem in Melancoma prima hæc habet: Conueniunt autem ad publicos mercatus; hi quidem propter historias, & alia spectacula & certamina. Et ex his si qui valde huius rei sunt studiosi, nihil aliud a summo diluculo faciunt; multi varia afferunt venalia, turba forensis; alij suarum specimen edituri artium & opificij; alij suam proponunt sapientiam: multi quoque poemata ostentant tragœdorum & carminũ heroicorum: multi vero soluta oratione scripta commentaria legunt otij gratia, venientibus animumq. oblectare volentibus molesti.] hæc & alia Dio de forensibus conuentibus ea tempestate in Asia fieri solitis: vixit enim ipse, qui hæc scribebat, hac ipsa ætate.

[a] Dionys. antiq. Roman. lib. 4.

CLXXXI. DE FORENSIBVS CONVENTIBVS IN ASIA.

Verum apud Romanos distinctos fuisse forenses conuentus, qui negotiationis causa agerentur, ab illis cum Præses prouinciæ ciuitates vocaret, & de controuersijs earum cognosceret, vel illis in quibus conciones haberentur, vel alia eiusmodi ad Remp. spectantia negotia tractarentur, tradit Festus [b]. Propterea conuentus forenses, quorũ meminit sanctus Lucas, illi erant, cum Proconsul in quibusdam prouinciæ ciuitatibus, quæ sibi ad hoc peragendum commodiores viderentur, certis diebus consistens, per se, vel Legatos, causas comprouincialium cognoscens, iudicia exerceret, atque sententia definiret. Meminit horum sæpius Cicero [c] ad Appium scribens, necnon ad M. Catonem [d]. Iosephus Iudæus [e] dum agit de Gabinij præfectura in Palæstina, hæc ait: Constitutis quinque iuridicis conuentibus, in totidem æquales partes totam prouinciam distribuit: ita vt alij iura peterent Hierosolyma, alij Gadara, Amathuntem alij, quarti vero Hierichuntem, quinti Saphoram, quod est oppidum Galilææ: sicq. liberati dominis, sub optimatum gubernatione degebant.] Optimates quidẽ appellat, quos Alexander apud Lucam Proconsules: non quòd in Asiam prouinciã Minorem dictam plures cum fascibus Proconsules mitterentur; sed quòd qui ab eo dirimendis litibus & ceteris causis cognoscendis præficerentur, Proconsulares iudices dicerentur, ijdemq. aliquando Legati [f], quos fortasse Alexander Proconsules dixit: Vel quòd (vt verius credimus) sublato de medio nuper, ipso initio Neronis Imperij, dolo Agrippinæ propinato veneno, Iunio Silano Asiæ Proconsule, duo essent qui loco Proconsulis eam administrarent prouinciam, Publius Celer [g], & P. Ælius: hi enim curantes res familiares Principis in Asia, iubente eadem Agrippina Neronis matre, Silano necẽ intulerant: quo defuncto, nullus alius post ipsum Proconsul in Asia legitur subrogatus, sed ambo eam prouinciam administrarunt: quorum alter, nimirum Publius Celer, post sequentem annum, Nerone secundum & Lucio Pisone Coss. a tota Asia apud Neronem est accusatus: vsque enim ad illud tempus, Tacitus [h] hæc scribens, illum eo magistratu esse perfunctum cum P. Ælio collega, demonstrat.

[b] Festus de verbor. significat. FORENSES CONVENTVS A ROMANIS INSTITVI SOLITI.
[c] Cic. lib. 3. epist. fol. 6. & 8.
[d] Cicer. lib. 15.
[e] Iosephus antiq. lib. 14. c. 10.
[f] ff. de offic. Proconsul. per tot.
[g] Tacit. lib. 13. in princip.
[h] Tacit. eodem.

Quod autem pertinet ad conuentum, quem (vt vidimus) idem Alexander legitimam Ecclesiam dicit: Chrysostomus [i] affirmat, solitos fuisse Iudæos ad dirimendas quas inter se haberent contentiones, ter in mense coire. Erant & apud Iudæos alij

[i] Chrysost. in Act. homil. 42.

CLXXXII.

quoque, vbicumque agerent, publici conuentus, qui ab his indicebantur qui a summo Pontifice summa cum potestate ad visitandos Iudæos mittebantur; vt quæ ad morum institutionem, & legis disciplinam spectarent, corrigerent & emendarent. Erat eorum præcipua iurisdictio & imperium: nam principes synagogæ, sacerdotes, aliosq. ministros, si factum exigeret, exauctorare atque in ordinē redigere poterant, vt Epiphanius cum de his agit [a], testatur. Cum igitur ex Iudæis Christiana fides progenita videretur, quiq. Ephesi prædicarent, genere Iudæi essent; Iudæorum conuentum Alexander, & ipse Iudæus, legitimam Ecclesiam nominauit. Iudæi enim habitantes Ephesi, eiusdem ciuitatis municipes erant, ac proinde priuilegijs ciuium potiebantur, & Ephesij dicebantur: testatur id enim Iosephus libro secundo contra Apionem.

[a] Epiph. hær. 30.

CLXXXIII. PAVLVS RECEDIT EPHESO. [b] Act. 20. [c] 2. Cor. 1.

Postquam autem cessauit tumultus (inquit Lucas [b]) vocatis Paulus discipulis, & exhortatus eos, valedixit, & profectus est vt iret in Macedoniā.] Fuerunt hæ illæ Pauli angustiæ, quarum, ad Corinthios [c] secundo scribens, his verbis meminit: Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos; qui de tātis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & vobis in oratione pro nobis.]

CLXXXIV. APOLLONII TYANAEI ADVENTVS EPHESVM. [d] Philostr. lib. 3. per tot.

Præter hæc quæ a Luca & Paulo sunt scripta, si quis adhuc exactam habuerit temporis rationem, proculdubio inueniet hæc circa tempora impostorem illum, Orbis illusorem, circulatorem dico Apollonium Tyanæum venisse Ephesum: Philostratus [d] enim eius discipulus, & fabularum egregius concinnator, his primis Neronis annis, Ephesum primo, mox in Græciam, ac inde Romam, eodem imperante, venisse testatur, qui & præstigias, quas illum operatum esse Ephesi, in alijsq. Asiæ ac Græciæ locis, narrat, vere an fallo, describit tamen. Verum conatum fuisse diabolum his artibus Christianæ fidei obseruari, prout olim in Ægypto coram Pharaone magi opera Dei per Moysem facta reddere irrita studuerunt, certum est. Cum enim viderentur eadem fere, quæ a Deo per Paulum signa fierent, ab Apollonio factitari, atque suis ipsius artibus homines dementari; in quale putas veritatem fuisse discrimen adductam? nimirum vt Christianæ fidei hostes qualemcumque occasionē aucupantes, eiusdē generis esse, ex eodemq. fonte prodire quæ a Paulo, ac quæ ab Apollonio agerentur, stulte iactarent; immo huic forte sua gloriosius ostentanti, quàm Paulo submisso animo omnia operāti, plus tribuendum esse, impie affirmarent: quod ex eo facile potest intelligi, cum Apollonio ob propulsatam (quod ait Philostratus) pestem, vt deorum alicui, Ephesij statuam erigerent, & [e] sacram rem facerent. Verum, sicut est scriptum in libro Sapientiæ [e]: Spuria vitulamina non dabunt altas radices, nec stabile fundamentum collocabunt] illius præstigiæ penitus euanuerunt; & Dei Ecclesia, vt columna & firmamentum veritatis, licet innumeris sit agitata turbinibus, & immensis vexata fluctibus, tamen quia supra solidam firmamq. petram innixa, solide firmiterq. fundata est, inconcussa omni ex parte in perpetuum duratura subsistit. At de Apollonio fusius dicturi sumus inferius.

[e] Sap. 4.

CLXXXV. PAVLI ADVENTVS IN MACEDONIAM. [f] 2. Cor. 2. [g] Act. 20.

Sed quid interea Paulus, postquam Epheso profectus est, vt iret in Macedoniam? Per Minorem Asiam iter faciens, venit Troadem nobilissimam ciuitatem, quæ adiacet Hellesponto: vbi quærens Titum, cum non inuenisset, transmisso freto, abijt in Macedoniam. Testatur id quidem ipse Paulus in posteriore quam ad Corinthios scripsit [f] epistola, sic dicens post enarratas graues æruminas, quas in Asia, nempe Ephesi, passus erat: Cum venissem, inquit, Troadem propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenerim Titum fratrem meū: sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.] Quid vero postquam illuc venit? ait Lucas [g]: Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit in Græciam.] Breuissima quidem summa res gestas multorum mensium clausit. Nos vero, quid Paulus dum moraretur in Macedonia, Ecclesias eius prouinciæ visitans, egerit, quidve inde recedens, cum venit in Græciam (quantum ex eiusdem Pauli scriptis expiscari licuerit) enarrabimus.

CLXXXVI. Ac illud in primis, quòd venturus in Macedoniam, rationē habens Ecclesiæ Ephesinæ, ne penitus pastore destitutam relinqueret, vt eius necessitati prospiceret, Timotheū discipulum omnium amantissimum inibi remansisse voluit. Id enim Paulus, e Macedonia pri-

nia primam ad eumdē scribens epistolam, testatur his verbis [a]: Rogaui te vt remaneres Ephesi, cū irem in Macedoniam: vt denunciares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogijs, quæ quæstiones præstāt magis, quàm edificationem Dei, quæ est in fide.] Creatum fuisse Timotheum a Paulo Ephesi Episcopū, auctor est Eusebius [b], qui ait, ipsum primum omnium obtinuisse Episcopatum Ecclesiæ Ephesinæ. Sane quidem fuisse Timotheum, cum ad ipsum Paulus scribit, iam ordinatum Episcopum, nulla est dubitatio; quandoquidem quæ essent Episcopi munera, ab eodem ibi exercenda requirit: nam in eadem prima ad eum hoc anno scripta epistola hæc dicit [c]: Aduersus presbyterū accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.] et paulo post: Manus cito nemini imposueris.] hæc & alia ad ipsum Ephesi agentem Paulus scribit; quibus plane significat, ipsum fuisse iam Episcopum ordinatum.

[a] 1. Tim. 1. TIMOTHEVS A PAVLO RELICTVS EPHESI. [b] Euseb. lib. 3. cap. 4. [c] 1. Tim. 5.

Quàm nobilis Ephesi collecta esset Ecclesia, quam nobilissimi Apostolorum Paulus & Ioannes erexissent, cuiq. Timotheus præfectus esset Episcopus, ea quæ in hæc verba sanctus Ignatius ad ipsos Ephesios scribit, facile monstrant: Faxit Deus, inquit, vt assequar, & inueniar in sortem Ephesiorum Christianorum, qui & cum Apostolis in virtute Iesu Christi semper conuersati sunt, Paulo, Ioanne, ac fidelissimo Timotheo. Scio qui sum, & quæ scribo: Ego minimus Ignatius similis his qui periculo & iudicio obnoxij sunt: vos autem misericordiam consecuti, firmati in Christo Iesu.] De his vero qui tradunt [d] Timotheū post hæc successisse in Episcopatu Ecclesiæ Ephesinæ Ioanni Euangelistæ; quàm manifeste errent, suo loco inferius erit sermo.

[d] Metaphr. 22. Ianuarij.

CLXXXVII. PAVLVS SCRIBIT AD TIMOTHEVM PRIMAM EPISTOLAM. [e] Athanas. in Synopsi. Theod. in præf. in epist. Pauli. & alij. [f] 1. Tim. 1.

Relicto igitur Timotheo Ephesi, cum Paulus (vt dictum est) venisset in Macedoniam, primam ad eumdem scripsit epistolam: quod quidem cum ex dictis euidenter satis constat, tum etiam Patres testantur [e]: nec enim est quod de Pauli priori in Macedoniam aduentu possit intelligi: nam nondum ad illud tempus in ea Asiæ prouincia Euangelium prædicauerat. Cum multa Paulus eadem epistola Timotheum admoneat, fidemq. operibus iunctam commendet: inde docet, aliquos in errorem esse lapsos, dum fidei non coniunxerunt bonorum operum conscientiam, vt Hymenæus, & Alexander: ait [f] enim in primis: Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: a quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.] et post nonnulla: Hoc præceptum commendo tibi Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt: ex quibus est Hymenæus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare.] Quænam fuerit illorum blasphemia, cum non aperiat; illi notam fuisse iure Theodoretus [g] existimat; ac proinde hæc ipsa Ephesi, vbi (vt dictum est) Paulus triennio commoratus est, contigisse. Fortasse hic ille est Alexander, cuius meminit Lucas [h]: quem Iudæum fuisse genere, & concitatas Ephesi turbas, habita ad populum oratione, composuisse (quod ante vidimus) narrat: locus enim & nomen ad hæc opinanda cum suffragentur, non a remotis coniectura petita esse videtur. Ceterum quàm facile sit a fide etiam periclitari ac cadere, qui eam non æque optimis vitæ moribus foueant, innumera pene exempla, quæ suis locis narraturi sumus, manifeste declarant: vt vix sit reperiri declinantem a fide hæreticum, qui non prius aliorum peccatorum sordibus fuerit inquinatus.

[g] Theodor. in 1. ad Tim. 1. [h] Act. 19.

CLXXXVIII. QVOS HAERETICOS SVGILLET PAVLVS. [i] 1. Tim. 4. [k] Chrysost. in 1. ad Tim. homil. 12. Ambros. in eamdem epist. & alij recent.

At non de his tantum qui in illam diem emersissent hæretici, Timotheum Paulus admonuit; sed & de ijs quæ venturæ essent, hæresibus, diuino Spiritu præmonente, ijsdem litteris eum reddidit certiorem, sic dicens [i]: Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione Fidelibus. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.] Quinam fuerint eiusmodi hæretici, qui postea hæc docuerint, quorum Paulus doctrinam condemnat: sententia est Chrysostomi [k] & aliorum, hos fuisse Encratitas, Marcionitas, & Manichæos. Verum ante hos, ipsis Apostolorum temporibus, quæ hæc docuerunt, & cibos aliquos detestarentur, hæreses prodiere. Nam Ignatius, qui tunc viuebat, eosdem taxat hæreticos, cauendosq. monet, qui nuptias & cibos damnarent: sic enim ait scribens ad

Philadel-

Philadelphios [a] post damnatam hæresim Ebionis: Si quis vniuersa hæc confiteatur, sed legitimam commixtionem & liberorum procreationem corruptelam & pollutionem appellat, aut cibos aliquos detestandos putat; talis apostata illum draconem in se habentem fouet.] Idemq. eadem ex causa, cum de virginibus agit, quo hos scopulos vitent, easdem hæc monet, sed in primis coniugatas: Vxores, inquit, maritis subditæ sint in timore Dei: virgines Christo in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniâ matrimonij, sed vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent.] et cum agit de cibis, ad Heronem [b] diaconū scribens, hæc ait: Ieiunijs & precibus vaca, & caue ne immodice id agas, ne ipse te deijcias.: vino & carnibus ne prorsus abstineas: nec enim abominanda sunt: Bona terræ, inquit, comedetis.] Sed quinam fuerit eiusmodi dogmatistes, Irenæus [c] aperte significat, nimirum impium Saturninum, eiusq. gregales, de quibus hæc scribit, post alios recensitos eorum errores: Nubere, inquit, & generare, a satana dicunt esse: multi etiam ex his qui sunt ab eo & ab animalibus abstinent, perfecta eiusmodi continentia seducentes multos.] hos igitur signatos esse ab Apostolo, immo a Spiritu Dei (vt ipse testatur) nulla est dubitatio: ipse enim Saturninus primus fuit (inquit Theodoretus [d]) qui matrimonium, diaboli doctrinam nominauit, iuberetq. abstinere ab animatis. Docebat & hæc ipsa Ebion hæresiarcha (vt tradit Epiphanius [e]) aduersus quem idem Ignatius scribit [f] ad Philadelphios.

a *Ignat. epist. 9.*

b *Ignat. epist. 8.*

c *Iren. lib. 1. c. 22.*

d *Theodoret. her. fab. lib. 1.*

e *Epiph. in Panar. haer. 28.*

f *Ignat. ad Philadelph. epist. 9.*

CLXXXIX. QVAE NOVISSIMA TEMPORA APVD PAVLVM.

At nec quemquam moueat, si nouissimis temporibus hæc (prænunciante Spiritu) obuentura fore, idem testetur Apostolus: nam nouissimum hoc esse tempus, Dominus [g] illis verbis significauerat, dicens: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei.] et paulo post: Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, &c.] Sed & ipse Paulus, scribens ad Thessalonicenses [h], nouissimum diem, quo Christus ad iudicandum venturus esset, iam in propinquo esse, & sua ipsius ætate affore significauit: sed nec ipse tantum id est opinatus, sed & Ioannes [i] ad suos scribens, dicebat: Filioli, nouissima hora est: et sicut audistis quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt: vnde scimus quia nouissima hora est.] quotquot enim recens emergebant hæretici, eosdem credebant Antichristos. sed quòd prædictum erat, post illum ad iudicandum Dominum esse venturum; eadem coniectura ijdem putarunt Apostoli, hæc videntes, iam nouissimum instare diem. Hac eadem ratione Ignatius [k], cum eadem videret oborta impia dogmata quæ Paulus nouissimis temporibus euentura prædixerat, scribens ad Ephesios, quos Timotheus, ad quem Paulus scripsit, prædicta ex eius scripto docuerat, hæc ait: Nouissima iam sunt tempora: reuertamur, & timeamus Dei longanimitatē.] Secreto enim arbitrio diuini consilij, quod nefas est mortalem hominem perscrutari, hæc de futuris temporibus Apostolis etiam fuisse abscondita, certum est. Sic nouissimum tempus esse dictum a Spiritu, patet, eodem sensu, quo & Dominus reliquum temporis vsque ad resurrectionem mortuorum atque iudicium, horam vnam appellat, nempe nouissimam, mundi ætatem.

g *Ioan. 5.*

h *1. Thess. 4.*

i *1. Ioan. 2.*

k *Ignat. epist. 14.*

CXC. HAERETICI NOVATORES ABVSI VERBIS PAVLI.

Ex his igitur cum luce clarius certum exploratumq. habeatur, quas hæreses, quosve hæreticos Paulus ad Timotheum scribens, monente diuino Spiritu, demonstrauerit: quàm impie simul ac stulte, quàm inepte ac pariter inerudite, quàm denique turpiter atque procaciter Nouantes hæretici ijsdem Pauli verbis abutantur in sugillationem Catholicæ veritatis, quæ cælibarum nuptijs superextollit, & ciborū commendat abstinentiam, patet. Non sic enim, vt dicti hæretici, Ecclesia Catholica commendat virginitatem, vt venerabiles nuptias thorumq. immaculatum condemnet: neque cum ciborum prædicat abstinentiam, cibos cuiusque generis tamquam malos abominandosq. existimat, quos a Deo optimo maximo, nec ab alio creatos dicit esse numine, alioue principio; probe sciens (quod dicit Apostolus [l]) omnem creaturam Dei bonam esse, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sicut enim inglu-

l *1. Tim. 4.*

illosq. rursus pro tempore reijciens, qui esculentiores cum sint, maius quàm ad institutum par esse videretur, nutrimentum afferant.

CXCI. DE CIBORVM RELIGIOSO DELECTV.

Non enim illum quidem commendat ac sequitur ciborum delectum, quem falsa ex causa Pythagoras excogitauit, vel Ægyptij inuenerunt; nec quem lege diuina olim ad statutum tempus præscriptum, post inde iam rancidum superstitio ministrauit: sed quem Deus tam in priori quàm in posteriori instrumento probasse cognoscitur. Quanto enim præconio coram omni populo extulit Dominus Rechabitas [a], qui non ex præscripto instituto alicuius antelatæ legis, vel patriæ consuetudinis, sed tantum quòd præcepto patris sui Ionadab abstinerent a vino? Quanta item laude est sublatus a sponso amicus sponsi Ioannes Baptista, qui talem habuisse cognoscitur delectum ciborum, vt de illo testaretur [b], neque manducasse panem, neque bibisse vinum? At cui credimus, si Dei testimonium testantis hæc iterum non accipimus? vel quis improbare audeat, quod Deus commendat? Nonne & Paulus per eamdem lineam serram deduxit, qui & ad Romanos [c] scribens, ait: Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque in quo frater tuus scandalizatur, aut infirmatur?] Ex quibus videas, adeo peculiare fuisse in illa primitiua Ecclesia florentissima, nec carnes manducare, nec vinum bibere, vt quantumlibet Fideles eis legitime vti possent, tamen vt rem insolitam admirati plerique offenderentur: cuius quidem scandali habendam esse aliquam rationem, idem mandat Apostolus.

a *Hierem. 35.*

b *Luc. 7.*

c *Rom. 14.*

CXCII. APOSTOLORVM ABSTINENTIA.

Temperasse quidem se a carne & vino Apostolos, multa afferri possunt exempla. Vt enim id in primis de Petro Apostolo dicere possimus, facile persuadet Gregorius Nazianzenus [d], dū scribit, ipsum lupinis minuto asse veneuntibus famem pellere consueuisse. De Iacobo fratre Domini, nec carnes vmquam in cibum, nec vinum in potum adhibere solitum, Hegesippus [e] affirmat. De Matthæo etiam hæc eadem Clemens Alexandrinus [f] his verbis: Matthæus Apostolus seminibus, baccis, & oleribus absque carnibus vtebatur.] Timotheum a vino abstinuisse, sed occasione stomachi flaccescentis, modicum ex eo sumendum illi Paulum imperasse, tradunt interpretes [g]. Sed & ipsum Paulum a vino se cohibuisse, suo loco dicemus. Deficeret dies, si omnium sanctorum, quorum vita & mors est egregijs miraculis illustrata, de delectu ciborum hic vellemus exempla contexere, vel catalogum sanctorum Patrum, qui eumdem Ecclesiæ Catholicæ ritum præclaris elogijs vel etiam commentarijs illustrarunt, hic obiter recensere. Sed satisfactum putamus negotio, si vno verbo dixerimus (quod absque alicuius dubitatione constanterq. asserimus) neminem reperiri sanctorum Patrum Catholicæ fidei professorem, qui, cum de ea re inciderit sermo, non tantum fuerit eiusmodi Ecclesiastici ritus firmus assertor, atque egregius prædicator, sed & fidelis imitator, pariterq. sectator.

d *Gregor. Naz. orat. de amore paup.*

e *Hegesip. apud Euseb. hist. lib. 2. c. 22.*

f *Clem. Alexan. in Paedag. lib. 2. cap. 1.*

g *Ioan. Chrysost. hom. in ea verba Pauli.*

CXCIII. DE CERTORVM DIERVM IEIVNIIS EX APOSTOLICA INSTITVTIONE.

At quod superest, videamus, num sicuti ciborum delectus Dei testimonio comprobatus, & vsu Christianorum receptus, & omnium Patrum testimonio firmatus habetur, ita etiam certa tempora sint diuina vel Apostolica auctoritate ad ieiunandum Christianis præscripta. Occurrit de his in primis Augustini sententia sic dicentis, cum agit de ieiunio sabbati: Si autem (quoniam huic quantum potui sufficienter respondisse me puto) de hac re sententiam meam quæris: Ego in Euangelicis & Apostolicis litteris, totoq. instrumento quod appellatur Testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.] hæc ipse. Sed quod non reperitur diuinis litteris esse mandatum; an Apostolica auctoritate sine scripto, sicut cetera multa, Ecclesiæ traditum habeatur, diligentiori inuestigatione disquirendum proponimus. Nemo quidem (mea sententia) de his quæ ab Apostolis agerentur, ac per eos inde Ecclesiæ traderentur, S. Ignatio testis fidelior adhiberi posse videtur, qui hæc ipsa est proxime contemplatus: nec est quòd quis nedum dicere, sed de tanto viro nec leuiter suspicari vllatenus possit, alia ab ipso fuisse Fidelibus, quos instituit, suis epistolis persuasa, quàm quæ vidisset ab Apostolis vsu probata, atque Fidelibus tradita. Scribens igitur ipse ad Philippenses [h], quos Paulus ad fidem instituerat, ne certorum dierum ieiunia negligant, inculcat his verbis: Quadragesimale ieiunium ne spernatis: continet enim exemplum conuersationis Dominicæ. Post passionis Dominicæ hebdomadam ieiunare quartis & sextis ferijs ne negligatis, ciborum

h *Ignat. epist. 8.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliquias pauperibus elargientes. Si quis Dominicam diem aut sabbatum (vno excepto) ieiunarit, hic Christi interfector est.] hucusque Ignatius. Sed quòd æque ac diei Dominicæ prohibeat ieiunium sabbati, agemus de his vberius paulo post. Sic itaque Apostolorum temporibus, ijsdemq. instituentibus, certa ieiunij tempora esse definita, iam nulla remanet dubitatio. A

CXCIV. DE QVADRAGESIMALI IEIVNIO.

Esset & de his adducendus conscriptus Apostolicus [a] canon, & a Clemente [b] recensita Apostolica constitutio, quæ a Patribus magnæ æstimationis citata reperitur. Sed ne inniti videamur apocryphis, licet iam receptis; satis superq. sit ac veluti instar omnium vnus Ignatius: cuius cum epistolæ nulla vnquam fuerint vel leui saltem labefactatæ suspicione, vt nec eo certior aut dignior testis adduci possit; a prædictis libentius abstinemus. Apostolicam esse institutionem ieiunium Quadragesimæ; absque aliqua controuersia in confesso semper in Ecclesia fuit. Vnde Hieronymus [c] ad Marcellam: Nos, inquit, vnam Quadragesimam secundùm traditionem Apostolorum toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus.] Et S. Leo [d] agens de eodem ieiunio: Merito, inquit, a sanctis Apostolis per doctrinam Spiritus sancti maiora sunt ordinata ieiunia; vt per commune consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus.] et alibi [e]: Quod ergo, dilectissimi, omni tempore vnumquemque conuenit facere Christianum, id nunc solicitius & deuotius exequendum, vt Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, sed priuatione maxime vitiorum.] hæc Leo. At Theophilus [f] Alexandrinus non tantum ex Apostolica traditione, sed ex Euangelica, Quadragesimale ieiunium sibi vindicat. Sed ante Tertullianus [g], Quadragesimæ ieiunium, quod ipse appellat ieiunium Paschatis, tam ex Scriptura quàm ex traditione maiorum esse præscriptum, Catholicam Ecclesiam profiteri solitam, tradit, cum ait: Præscribitis constituta esse solemnia huic fidei Scripturis, vel traditione maiorum; nihilq. obseruationis amplius adijciendum ob illicitum innouationis. State in gradu isto, si potestis. Ecce enim conuenio vos; & præter Pascha ieiunantes, citra illos dies quibus ablatus est sponsus, & stationum semiieiunia interponentes, & vos interdum pane victitantes, vt cuique visum est. Denique respondetis, hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio, &c.] B C

[a] Apost. canon 68. apud Theod. [b] Clem. Constit. lib. 5. c. 13. [c] Hier. ad Marcell. epist. 54. [d] Læo serm. 9. de Quadrag. [e] Idem ser. 6. de Quadrag. & serm. 4. [f] Theophil. Paschal. epist. 1. in fin. [g] Tertull. aduers. Psychic. c. 13.

CXCV. DE MIRACVLOSA ABSTINENTIA.

Ex his quidem perspicue intelligitur, quædam fuisse in Ecclesia Catholica (in quam inuehitur Tertullianus iam Montani factus assecla) ieiunia ex imperio necessitate seruanda, vt ieiunium Quadragesimæ; quædam voluntaria ex arbitrio animi cuiusque pendentia. Quod vero ex imperio erat, tum ex Scripturis, tum ex maiorum traditione dimanans, in Ecclesia inuiolabiliter seruari solitũ; hoc ipsum necessario seruandum, atque adeo ex imperio, per publicum Ecclesiæ edictum diaconus, præconis vice fungens, publice pronunciabat. Vnde Basilius [h]: Ieiunium per omne tempus vtile est his qui illud suscipiunt.] et paulo post: Sed multo magis hoc tempore, quo per vniuersum terrarum orbem vndique denunciatur ieiunij præconium; nec vlla est insula, nec terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum ieiunij edictum: quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiunt.] Ad hæc spectat, quòd ieiunij legem non obseruantem Gregorius [i] Nazianzenus Eleusium Præfectum redarguit, dicens: Legibus iniuriam facis iudex, qui non ieiunas. Et quomodo leges humanas seruabis, qui diuinas contemnis, ac pro nihilo putas? Purga tribunal tuum.] Appellat enim ieiunij præceptum diuinam legem, quòd adeo in Ecclesia sacrosanctum ac penitus inuiolabile haberetur. Ob eamdem causam Augustinus [k] hæc ad populum: Rogo vos, fratres carissimi, & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore, exceptis Dominicis diebus, nullus prandere præsumat; nisi forte ille, quem ieiunare infirmitas non permittit. Quia alijs diebus ieiunare, remedium est, aut præmium; in Quadragesima non ieiunare, peccatum est: alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.] D E

[h] Basil. de ieiun. orat. 2. [i] Gregor. Naz. epistol. 74. [k] Aug. de temp. serm. 62.

CXCVI. OBSERVANTIA QVADRAGESIMALIS IEIVNII.

Sed & Hieronymus ab huius præcepti censura nec infirmam ætatem patitur esse immunem. Scribens enim ad Lætam de institutione filiæ, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ: In Quadragesima tamen, inquit [l], continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus.] hæc idcirco, quòd eiusmodi ieiunium ceteris venerabilius ac maiori obseruantia dignius haberetur. Vnde idem auctor ad

[l] Hier. epist. 7.

A ctor ad Eustochium scribens [a]: Ieiunium, inquit, totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua conceditur districtius viuere.] et de Asella sanctissima virgine eiusmodi ad Marcellam [b] scribens affert exemplum, dicens: Cum per omnem annum ieiunio pasceretur, biduo triduoq. sic permanens: tum vero in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes pene hebdomadas vultu lætante coniungens: et, quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autem præstante, possibile est, ita ad quinquagenariam peruenit ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria.] Mira quidem sunt hæc, sed non noua. Nam de Christianis testatur Lucianus [c], sic solitos esse seruare ieiunij, vt, quod ait, decem soles sine cibo transigerent. At vero maiora his sunt quæ Gregorius Nazianzenus [d] de habitantibus Ponticam solitudinem monachis sui temporis ad Hellenium scribit, complures ex illis fuisse, qui totos viginti dies totidemq. noctes a cibo abstinerent, dimidia ex parte Christi B ieiunium imitantes; ex eisq. vnum sui gregis ouem fuisse testatur. Et Augustinus [e] ad Casulanum, nonnullos suo tempore repertos esse, qui vltra hebdomadam perpetuum seruassent ieiunium, se nouisse tradit; atque addit: Ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quemdam, a fratribus fide dignis nobis asseueratum est.]

[a] Hier. epist. 22. [b] Hier. epist. 13. [c] Lucianus in Philopatr. [d] Gregor. Naz. ad Hellen. de monach. [e] Aug. ad Casul. epist. 86.

CXCVII. DE DIVERSO VSV QVADRAGESIMALIS IEIVNII.

At vero non vna erat eademq. omnium Quadragesimalis obseruatio, vt omnes totidem æque dies transigerent ieiunantes: remissior enim quorumdam eius temporis erat ieiuniorum perfunctio, quos tamen tolerabat Ecclesia: de quibus hæc Irenæus [f], scribens ad Victorem Pontificem: Non enim, inquit, de die Paschatis solum, sed etiam de ieiunij ratione & modo ista est constituta controuersia. Quidam namque vnum diem se ieiunare oportere existimant, alij duos, non pauci plures, multi quadragin- C ta; atque diurnis nocturnisq. horis omnibus numeratis, diem suum metiuntur ac statuunt. Atque huiusmodi eorum qui obseruabant ieiunia, varietas ac discrepantia non iam nostra ætate cœpta est, verum etiam longe ante apud maiores nostros, qui (vt coniectura assequi licet) non accurate consuetudinem eorum, vel qui simplicitate quadam, vel priuata auctoritate aliquod in posterum tempus statuissent, obseruarunt. Atque nihilominus, cum isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum etiam inter nos retinemus: sicq. varia ac discrepans ieiunij ratio concordiam fidei plurimum commendat.] hucusque de his Irenæus. Consueuisse alios ad quintam diem tempore Quadragesimæ ieiunium remittere, Augustinus [g] testatur scribens ad Ianuarium. Diuersas alias fuisse diuersarum Ecclesiarum consuetudines, Sozomenus narrat his verbis [h]: Iam illam quæ huic præcessit, quæq. appellatur Quadragesima, D in qua populus ieiunat, alij in sex dierum septimanas computant, vt Illyrij, qui ad Occidentem siti sunt, necnon & vniuersa Libya, & Ægyptus cum Palæstinis: alij septem, vt Constantinopolitani, & nationes circumiacentes vsque ad Phœnices: alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant: alij tres Pascha immediate præcedentes continuant, &c.] sequitur de Montani sectatoribus dicere: sed quia ab Ecclesia exulant, dicere prætermittimus. In Ecclesia Orientali sabbatum diem a ieiunio Quadragesimæ excipiebant: quod in Occidente obseruare consueuit olim Ecclesia Mediolanensis, vt testatur Ambrosius [i], sic dicens: Considera: Quadragesima totis præter sabbatum & Dominicam ieiunatur diebus: hoc ieiunium Domini Pascha concludit.] At de causa cur alij non ieiunarent die sabbati, alij vero secus, dicemus paulo inferius.

[f] Apud Euseb. hist. lib. 5. c. 24. [g] August. epist. 118. c. 4. [h] Sozom. histor. lib. 7. c. 19. [i] Ambr. lib. de Elia & ieiun. c. 10.

CXCVIII.

E Rursus etiam in Ecclesia Mediolanensi illud Ambrosius [k] obseruandum admonuit, vt integri dies quadragintaduo a Fidelibus ieiunio transigerentur: ea nimirum ex causa, quòd sicut populus Israel a captiuitatis Ægyptiacæ iugo liberatus, totidem stationibus seu mansionibus ad terram promissionis peruenit; eodem fere modo, eodemq. numero ieiuniorum, quæ (inquit idem Ambrosius) mansiones quædam nostræ sunt, ad optatum Paschatis festum ijdem peruenirent: vnde & inuenitur vsurpatum apud aliquos [l], vt ieiunium frequenter Statio diceretur: cui sententiæ idem Ambrosius [m] alibi adstipulari videtur. Sed de stationibus alias. In Ecclesia Romana eadem ratio habebatur, dum quadragintaduos dies Quadragesima contineret; sed ex eis triginta sex tantum diebus Fideles ieiunabant, alia tamen ratione, quam sanctus Gregorius [n] pro concione ad populum his verbis declarat: A præsenti etenim die vsque ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex hebdomadæ veniunt: quarum videlicet dies quadra-

[k] Ambrosius de Quadr. serm. 34. vet. edit. [l] Tertul. Cassian. & alij. [m] Ambr. serm. 25. vet. edit. [n] Greg. hom. 16. in Euang.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE VSV ROM. ECCLESIAE IN QVADRAGESIMA.

quadragintaduo fiunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quàm triginta & sex dies remanent. Dum vero per trecentos & sexagintaquinque dies annus ducitur,& nos per triginta & sex dies affligimur,quasi anni nostri decimas Deo damus: vt qui nobismetipsis per acceptũ munus vixinus,auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde, fratres carissimi, sicut offerre ex lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum,&c.] Sed eiusmodi vsus alia itidem immutatus est ratione,dum ad explendum numerum quadraginta dierum ieiunij, quatuor ex septima hebdomada dies ad ieiunandum sunt coagmentati; nimirũ vt consecratum ieiunio Domini tempus ab omnibus seruaretur. Ex quibus omnibus manifesti erroris arguitur Socrates [a], dum ait, Christianos, qui Romæ essent, tres tantum septimanas ieiunantes ante Pascha consueuisse transigere. At licet de vsu Quadragesimalis obseruationis diuersæ fuerint diuersarum Ecclesiarum consuetudines: omnes tamen in id ipsum consenserunt,vt certa anni tempora, quæ sanctum Pascha præcurrunt, eadem ieiunijs celebrarent. Ceterum nec vel in minimo lædi fidem diuersa variaq. Ecclesiarum consuetudine, Hieronymus [b], Augustinus [c], atque Gregorius [d] tradiderunt.

[a] Socrat. hist. lib. 5. c. 21.
[b] Hier. epist. 28. in fine.
[c] August. epist. 118. ad Ianu.
[d] Gregor. lib. 1. epist. 41. ad Leandrum.

CXCIX.

DE IEIVNIIS QVARTAE ET SEXTAE FERIAE.

His de Quadragesimæ ieiunio qua potuimus breuitate contractis, iã de ceteris quæ ex traditione itidem Apostolica in Ecclesia sunt antiquitus obseruata ieiunia, instituamus orationem. Quod igitur ad hæc spectat: ea quæ de certorum dierum obseruatione ieiunij ab Ignatio ad Philippenses scribente tradita reperiuntur, non aliunde quam ex Apostolica obseruatione & traditione manasse, satis dictum est superius. Ipse itaque post inculcatum ieiunium Quadragesimæ, quarta insuper & sexta feria singulis hebdomadis esse ieiunandum admonet [e]; quod quidem vsu receptum in Ecclesia fuisse, docet Tertullianus [f], cum ait: Cur stationibus quartam & sextam sabbati dicamus?] stationes enim more suo ieiunia nominat. Itidem Clemens [g] Alexandrinus his verbis: Nouit ipse, *Fidelis scilicet*, ieiunij quoque ænigmata horum dierum, quarti inquam, & sexti: Dicitur autem ille quidem Mercurij, hic vero Veneris.] appellat Clemens ænigmata, causam videlicet ac latentem rationem, seu mysterium, cuius intuitu præ ceteris diebus hebdomadæ Ecclesia ex traditione Apostolica dictos dies ieiunandos suscepit: quod quidem Augustinus [h] scribens ad Casulanum declarat, sic dicens: Cur autem quarta & sexta maxime ieiunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur, quòd considerato Euangelio, ipsa quarta sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, concilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi: intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus Pascha cũ discipulis manducauit, qui finis est eius diei quem vocamus quintam sabbati; deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam sabbati, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat.] et paulo post: Passus est Dominus (quod nullus ambigit) sexta sabbati; quapropter & ipsa sexta recte ieiunio deputatur: ieiunia quippe humilitatem significant. vnde dictum est: Humiliabam in ieiunio animam meam.] hucusque Augustinus.

[e] Ignat. epist. 8.
[f] Tertul. aduer. Psychic. c. 14.
[g] Clem. Alexan. Strom. lib. 7.
[h] Aug. epist. 86.

CC.

Est de ijsdem etiam ieiunijs Apostolicus canon [i], & institutio [k]; quibus qui non acquiescit, complura habet de eadem re testimonia antiquorum: nam & Origenes hæc ait [l]: Habemus Quadragesimæ dies ieiunijs consecratos: habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solemniter ieiunamus. Est certe libertas Christiano per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superstitione, sed virtute continentiæ: nam quomodo apud eos castitas incorrupta seruatur, nisi arctioribus continẽtiæ fulta subsidijs?] et paulo post: Sed est alia adhuc religiosa ieiunandi ratio, cuius laus quorumdã Apostolorum litteris prædicatur. Inuenimus enim in quodam libello, ab Apostolis dictum: Beatus est qui etiam ieiunat, pro eo vt alat pauperem.] hæc Origenes, cuius homilia etiam descripta habetur apud Cyrillum Alexandrinum [m]. Est & de ieiunijs quartæ & sextæ feriæ antiquus canon Petri martyris Episcopi Alexandrini, vtriusque diei causam reddentis in hæc verba: Non reprehendat nos quispiam quartam & sextam feriam obseruantes, in quibus nos ieiunare secundum traditionem præceptum est. Quartam enim propter initum a Iudæis concilium de proditione Domini; sextam vero, quòd ipse pro nobis passus sit.]

[i] Can. Apost. 68.
[k] Clem. Const. lib. 5. c. 18. & c. vlt.
[l] Orig. in Leuit. hom. 10.
[m] Cyrill. in Leuit. lib. 2.

CCI.

De ijsdem quoque ieiunij diebus hæc Epiphanius [n]: Per totum quidem annum ieiunium hoc seruatur in eadem sancta Catholica Ecclesia, quarta inquam, & prosabbato vsque

[n] Epiph. in compẽd. doct. Eccles.

vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum est.] subdit, solitas his diebus communiones fieri hora nona, ceteris vero diebus Dominicis, matutinis horis. Tertullianus [a] etiam testatur,in ceteris ieiunijs obseruari solitum,vt producantur vsque ad vesperam, in quarta vero & sexta feria vsque ad nonam tantummodo. Ceterum quod tradit, in Ecclesia Romana eam viguisse consuetudinem, vt & cetera quoque ieiunia solummodo vsque ad nonam producerentur: calumniose hæc dicere,atque Montani spiritus furore percitus visus est effutire. nam etsi in aliorum temporum ieiunijs id, vt alijs in locis, Romæ obseruaretur; in Quadragesima tamen nonnisi vespere ieiunia solui consueuerant: quam quidem consuetudinem antiquitus obseruatam, tradunt hi [b] qui Ecclesiasticas obseruationes, quæ Romæ potissimũ seruarentur, suis scriptis memoriæ commendarunt. Rursum ne quis putet Dei Ecclesiam ieiunando bis in hebdomada, Pharisæos esse imitatam, quorum erat institutum, vt ieiunarent bis in sabbato: nam (quod & superius, cum de illis actum est, diximus) alijs illi ieiunabant diebus, nimirum secunda & quinta die; quod non tantum apud Clementem [c] legitur, sed & Epiphanius [d] idem attestatur. Manichæi etiam [e] duos dies hebdomadæ, nempe quem dicunt Solis, & qui sequitur Lunæ, ieiunandos susceperant.

[a] Tertul. aduer. Psychic. c. 10. DE HORAE SOLVENDI IEIVNII ANTIQVO MORE.
[b] Microlog. 49. & alij.
[c] Clem. Const. lib. 7. c. 24.
[d] Epiph. hæresi 30. & in compend.
[e] S. Leo serm. 4. in Quadrag.

CCII.

Sed vetus est illa quæstio, de qua (vt tradit Hieronymus [f] ad Lucinium scribens) Hippolytus martyr, & alij nobiles, scriptores commentarios edidere: Cur Romæ, ac nonnullis alijs in locis Occidentalis Ecclesiæ,susceptus additusq. his est dies sabbati ieiunandus: cum idem ieiunium Orientalis Ecclesia execrata esse videatur ab ipsis rerũ Christianarum primordijs? Nam (vt vidimus) Ignatius [g] ad Philippenses scribens hæc ait: Si quis Dominicam diem, aut sabbatum (vno excepto) ieiunarit, hic Christi interfector est.] Rursus eriã est de eadem re Apostolicus dictus [h] canon in hæc verba: Si quis clericus Dominicum diem, aut sabbatum (vno solo dempto) ieiunare deprehendatur; deponitor: sin autem laicus; a communione deijcitor.] eadem & apud Clementem [i]. Est quoque canon [k] quidam, sed suppositus sextæ Synodo, quo etiam ab Ecclesia Romana proscriptum dicitur ieiunium sabbati: sed de impostura illa suo loco fusius dicturi sumus. Cur vero tanti criminis reus constituatur ex sententia Ignatij, qui die Dominico, vel sabbato ieiunasset, diligenter causa perquiganda est. Par quidem ratio in vtrisque, licet ex causa diuersa prouenit. Nam hæretici, de quibus nuper diximus, qui Christi resurrectionem negabant,cum Christiani ea potissimum die gauderent, ipsi in mærore eamdem diem ieiunantes ducebant. Alij vero, qui Deum Hebræorum Orbis conditorem & legis auctorem malum esse, Christumq. ad eum destruendum venisse dicebant; quòd ille quieuisset die septima, & in eius honorem Iudæi sabbatum diem colerent, ipsi in eius contumeliam eadem die sabbati ieiunabant. Horum origo a Simone mago semel exorta, in Menandrum, Saturninum, Basilidem, Cherinthum, atque Carpocratem est infeliciter propagata: testatur hæc de his omnibus Irenæus [l], sed latius Epiphanius [m], & alij plures. Vixerunt omnes hi eiusdem Ignatij temporibus, qui suis scriptis eosdem est insectatus, Fideleſq. vt ab his cauerent, & ne, sicut hi, sabbato ieiunarent, admonuit. Horum impietatis heres factus est Cerdon [n], cui Marcion successit. quorum omnium licet essent diuersi circa rectam fidem errores; in eam tamen sententiam æque omnes conspirarunt, vt Deum, quem dicebant auctorem mundi, traderent esse malum, & quod ad hanc partem spectabat, in eiusdem Dei contumeliam sabbato ieiunarent. Nam de Marcione hæc memoriæ prodidit Epiphanius [o]: Sabbatum vero ieiunat ob hanc causam: Quoniam Dei, inquiunt, Iudæorum est requies, qui mundum fecit, & in septima die quieuit; nos ieiunamus hanc, vt ne officium Dei Iudæorum faciamus.] hæc ex ipsorum verbis recitat Epiphanius de causa eius diei suscepti ieiunij: ex quibus etiam ceterorum, qui eadem de Deo Hebræorum sentiebant, proditur eiusdem ratio instituti. Vnde & manifesta certaq. redditur causa, cur Orthodoxi Orientales, penes quos ea inualescebat hæresis, a sabbati ieiunio temperarent, & cur illud Ignatius tantopere execraretur.

[f] Hier. epist. 28.
[g] Ignat. epist. 8.
[h] Canon Apostolicus 55.
[i] Clem. Const. Apost. lib. 7. c. 24.
[k] Canon 55. CVR VETITVM IEIVNIVM SABBATI.
[l] Iren. lib. 1. c. 20. 21. 22. 23. 24. 25.
[m] Epiph. hæres. 21. 22. 23. 24. 27. 28.
[n] Epiph. hæres. 41. & 42.
[o] Epiph. hæres 42.

CCIII.

At in eorumdem hæreticorum detestationem, non tantum illud penes eos introductum fuit, vt diem sabbati absque ieiunio ducerent, sed etiam vt magna cum hilaritate transigerent, sacrosq. conuentus perinde ac ipsa die Dominica haberent. Sunt de eiusmodi institutione complura antiquorum testimonia: et vt incipiamus a Clemente,

Universidad de Deusto
Biblioteca

FERIATIO DIEI SABBATI.

cuius nomine inscriptum volumen de Constitutionibus Apostolicis e Græcorum profluxisse fontibus, qui accurate perspexerit, non inficias ierit: hæc apud ipsum legun-
a Lib. 7. c. 44. tur[a]: Sabbatum, & Dominicum diem festum agimus: quoniam illud naturæ conditæ est monumentum, hic resurrectionis. Vnum autem sabbatum seruandum nobis est in toto anno, quod pertinet ad sepulturam Domini, in quo ieiunare oportet, non festum agere.] hæc ibi. Eadem complures alij: nam id Socrates[b] his verbis confirmat: Cum, inquit, festa cuiusque septimanæ occurrebant, videlicet sabbatum & dies Dominicus, in quibus conuentus in ecclesijs fieri solent, &c.] sed longe ante Gregorius Nyssenus in ea oratione quam habuit aduersus eos qui ægre ferunt reprehensiones, hæc eadem in hunc ferme modum: Quibus oculis vides diem Dominicum, qui despicatus es sabbatum? An nescis quòd hi dies fratres sunt? Quòd si alterum probro afficeris, alterum offendis.] Et Anastasius Nicænus[c]: Sabbatum, inquit, & dies Dominicus sunt dies sancti & festi, neque licet in eis ieiunare.] Sic igitur cum eam diem hæretici (vt vidimus) contumelijs afficerent, quòd Deus Hebræorum, quem malum dicebant, cum mundum creasset, quieuisset; contraria ratione Catholici, non Iudaizantes quidem, sed vt Deum patrem omnium, creatorem cæli & terræ, solemni (vt par erat) celebritate venerarentur, debitisq. tanto numini obsequijs colerent, in eius honorem sabbatum, non secus ac Dominicum diem in Christi Redemptoris gloriam, celebrandum esse duxerunt: et sicut nefas ducebant die Dominica ieiunare, ita etiam sabbato, quòd celebris dies esset, execrandum plane esse putabant. Sed id pie quidem, religioseque, non autem (vt dictum est) Iudaice, quod faciebant (vt scribit Eusebius[d]) Ebionæi.

b Socrat. hist. lib. 5. c. 8.

c Anast. Nicæn. lib. quæs. q. 77.

d Euseb. hist. lib. 3. c. 27.

CCIV.

At cum hæc seruarentur in Oriente; quænam causa subijt, vt in Occidente ac potissimum Romæ Fideles sabbato ieiunarent? Sed quænam a nonnullis allatæ sint causæ,
e Aug. epist. 86. CVR OCCIDENTALES IEIVNIVM SVSCEPERINT DIEI SABBATI. primum omnium in medium afferamus. Augustinus[e] scribens ad Casulanum hæc ait: Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamuis perhibeant esse falsam plerique Romani, quòd Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem Vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero ac glorioso successu, eumdem morem tenuerit; eumq. imitatæ sunt nonnullæ Occidentales Ecclesiæ.] hæc Augustinus; eamdemq. causam affert
f Cassian. Collat. 3. c. 10. Cassianus[f]. Alia rursus causa redditur ab Innocentio[g] Romano Pontifice in ea quam
g Innoc. epist. 24. c. 4. ad Decentium Eugubinum Episcopum scribit epistola: Sabbato, inquit, ieiunandum esse, ratio euidentissima demonstrat. Nam si diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini nostri Iesu Christi non solum in Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus: ac si sexta feria propter passionem Domini ieiunamus; sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mærore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse: quod vtique non dubium est, in tantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari. quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quòd commemoratio diei illius semper est celebranda.] hæc Innocentius: quibus non solum Romanæ Ecclesiæ rationabilis consuetudo probatur, sed & Orientalis Ecclesiæ vsu rituq. redditur magis magisq. firmata. Nam si dicta ex causa, quòd sublatus est sponsus, Orientales itidem (vt dictum est) sabbato maioris hebdomadæ ieiunare soliti sunt: quænam adduci hac ex parte potest ratio diuersitatis, si eiusdem hebdomadæ per singulas sequentes cuiusque mensis septimanas (Quinquagesima tantum excepta) eadem ieiunia quartæ & sextæ feriæ reuoluerentur, sabbati vero nequaquam? Vnde & Innocentius iure subdit: Quòd si putant semel atque vno sabbato ieiunandum: ergo & Dominica, & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebrandum. Si autem Dominici diei, & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est; dementis est, bidui agere consuetudinem, sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam, a sexta videlicet feria in qua Dominus passus est, quando & ad inferos fuit, vt tertia die resurgens, redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem. Non ergo nos negamus sexta feria ieiunandum; sed dicimus & sabbato hoc agendum, quia ambo dies tristitiam Apostolis, & his qui Christum secuti sunt, indixerunt.] hucusque de ratione

RATIO IEIVNII SABBATI.

ieiunij

ieiunij diei sabbati Innocentius: ex quibus patentis mendacij Socrates[a] redarguitur, dum ait, Romæ in Quadragesima ieiunare solitos Fideles, sabbato excepto atque Dominica. Sed sicut ea die ieiunare Fideles Romæ consueuerant, ita nefas ducebant eam feriare diem, ne quid cum Iudæis hac ex parte commune habere viderentur: satisq. Christianæ religioni consultum visum, si (quòd Testamentum, ceteraq. mysteria translata essent) mutarent etiam sabbatum in Dominicam, cum ea potissimum dies tot tantisq. esset cumulata sacramentis: de qua translatione hæc Tertullianus[b] in Apologetico: Æque si diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione quàm religione Solis; secundo loco ab eis sumus, qui diem Solis otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi in Iudaico more, quem ignorant.] hæc ipse.

a Socrat. hist. lib. 5. c. 22.

b Tertul. in Apolog. c. 16.

CCV.

His sic se habentibus, non est quòd quis calumniam facere possit, si in fugillationem dictarum hæresum, non æque ac Orientalis, Occidentalis Ecclesia feriaret diem sabbati, sed ieiunaret: nam tum quòd illæ in ipsorum regionibus obortæ essent hæreses, atque potissimum coaluissent, magis necessarium illis eius antidoti remedium videretur; tum etiam quòd dum illorum hæresim ea ratione improbasse, alia tamen ex parte Ebionæis fauisse ipsa Occidentalis Ecclesia visa esset; nam & hi pariter colebant diem sabbatum atque Dominicum, vt de eis scribit Eusebius[c]. Est de ieiunio sabbati canon Concilij Eliberini[d], & alius Agathensis[e], ac pleraque alia testimonia sanctorum Patrum. Non enim Romana tantum ac eidem propinquæ Ecclesiæ id ipsum de ieiunio sabbati seruare solitæ erant, sed & remotæ etiam, vt tradit Hieronymus[f] scribens ad Augustinum. In Africa enim apud nonnullas Ecclesias, & inter alias Hipponensem, eamdem consuetudinem viguisse, ex his quæ Augustinus[g] scribit, satis perspectum habetur. At præter antiquiores illos, qui eodem argumento tractationes memoriæ mandauere, quæ & excidisse noscuntur, Hieronymus[h] & Augustinus[i] cum de ea quæstione consulerentur, in eamdem pariter conspirantes sententiam, cuiusque Ecclesiæ consuetudinem seruandam esse scripserunt: quod & Ambrosius S. Monicæ eadem quærenti æque respondit[k]. Abundet igitur (quod ait Hieronymus[l]) in his vnaquæque prouincia in sensu suo; & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur. At de ieiunio sabbati satis.

CONSVETVDO ECCLESIARVM SERVANDA.

c Euseb. hist. lib. 3. c. 25.

d Concil. Eliber. c. 26.

e Concil. Agath. c. 12.

f Hier. epist. 97.

g Aug. epist. 86. & 118.

h Hier. epist. 28.

i Aug. epist. 86. & 118.

k Aug. epist. 86. in fine.

l Hier. epist. 28.

CCVI.

Iam de alijs quoque ieiunijs, quæ institutione Apostolica in Ecclesiam sunt dilapsa, breuiorem instituamus orationem. Ipsa quidem quatuor anni temporum ieiunia, quæ in Ecclesia seruari solent, ex Apostolica institutione sumpsisse principiũ, S. Leo absque vlla dubitatione confirmat, non autem a Callisto Papa, vt alij tradiderunt: nam ipse si qua de his scripsit, edito decreto firmauit quæ a maioribus ex traditione perceperat. Leo igitur post repetitam eius originem, dum eiusdem obseruationis affert rationem, hæc ait[m]: Ideo enim ipsa continentiæ obseruantia quatuor est assignata temporibus; vt in id ipsum totius anni redeunte decursu, cognosceremus, nos indesinenter purificationibus indigere.] At licet nonnihil cum legalibus videantur hæc ieiunia habere commune: tamen eorum quæ ad optimos mores instituendos pertinere visa essent, nonnulla iure laudabiliterq. esse mutuatos Apostolos, idem testatur sic dicens[n]: Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legẽ non solueret, ita veteris Testamenti sacramenta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura decerperet, & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ Christianæ.] et inferius: Quòd igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ ad purificationem animarum corporumq. nostrorum ieiunium septimi mensis assumimus; non legalibus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur.] hæc ipse: qui cum agit de ieiunio decimi mensis, fortius eadem inculcat his verbis[o]: Non ideo negligendum est, quia de obseruantia veteris legis assumptum est ieiunium decimi mensis; tamquam hoc de illis sit, quæ inter discretiones ciborum, inter baptismatum differentias, & ouium pecudumq. hostias esse destiterunt. Illa enim, quæ rerum futurarum figuras gerebant, expletis quæ significauere, finita sunt. Ieiuniorum vero vtilitatem noui Testamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atque animæ semper profuturam pia obseruatione suscepit.]

IEIVNIVM QVATVOR TEMPORVM EX INSTITVTIONE APOSTOLICA.

m Leo in ieiun. mens. septimi serm. 9.

n Leo in ieiun. mens. septimi serm. 7.

o Leo in ieiun. mens. decimi serm. 4.

CCVII.

Ad hæc (ni fallimur) Iudæorum antiqua ieiunia Tertullianus[p] videtur alludere, dum ait: Aspice Iudaicos Fastos, & inuenies nihil nouũ, si quæ patribus sunt præcepta,

p Tertul. aduer. Psychic. c. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

QVATVOR TEMPORA DECRETA IEIVNIIS.

omnis deinceps posteritas hereditaria religione custodit.] Quænam essent autem horum ieiuniorum præscripta tempora, idem Leo [a] alibi declarat his verbis: Huius obseruantiæ vtilitas, dilectissimi, in Ecclesiasticis est præcipue constituta ieiunijs, quæ ex doctrina sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum esse præceptis.] At duo priora apud Hebræos alio erant distincta ordine; de quo ait Zacharias [b]: Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium & lætitiam, & in solemnitates præclaras.] Eadem quatuor temporũ ieiunia celebrari solita in Ecclesia Orientali, Athanasius [c] satis monstrasse videtur, dum de æstiuo ieiunio tempore Pentecostes celebrari consueto meminit, dicens: In hebdomade siquidem post sacram Pentecosten populus, completis ieiunijs, ad orandum ad cœmeterium abijt.]

[a] Leo in ieiun. decim. mens. ser. 2.

[b] Zach. 8.

[c] Athan. in Apolog. de fuga sua.

CCVIII. IEIVNIA ARBITRIO EPISCOPORVM SANCIRI SOLITA.

Præter hæc omnia, antiquissimus mos in Ecclesia inoleuit, vt siue cum ab Episcopis essent Concilia celebranda, siue cum aliqua vrgens afflictio immineret, vel alia aliquo modo opportunitas postularet, vnusquisque Episcopus suo populo peculiaria quædam ex animi arbitrio indiceret obseruanda ieiunia. Est egregium de ea re monimentum (vt prætermittamus canones de his statutos, & exempla quamplurima) apud Tertullianum [d]: agens enim contra Psychicos, ac proinde aduersus Catholicos, qui Catholicæ Ecclesiæ mores essent, his verbis significat: Bene autem, quòd & Episcopi vniuersæ plebi mandare ieiunia assolent: non dico de industria stipium conferendarum, vt vestræ capturæ est; sed interdum & ex aliqua solicitudinis Ecclesiasticæ causa. Itaque si & ex edicto hominis, & in vnum omnes τα πεινοφάγησιν agitatis; quomodo in nobis ipsam quoque vnitatem ieiunationum & xerophagiarum & stationum denotatis?] et paulo post: Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuersis Ecclesijs, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum, fide auspicante congregari vndique ad Christum. Vide quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum compluribus cœnas. Conuentus autem illi stationibus prius & ieiunationibus operati, dolere cum dolentibus, & ita demum gaudere cum gaudentibus norunt.] hucusque Tertullianus, cum eo exemplo noua a Montano constituta ieiunia validare conatur: sed de illis nos fusius suo loco agemus. Porro quod ad hæc per homines indicta ieiunia spectat; quantum illis Deus fauere visus sit, vt etiam miraculis maximis editis comprobarit, testis est Irenæus [e], dum de hæreticis, qui numquam quid simile facere potuerunt, hæc ait: Nec enim cæcis possunt donare visum, neque surdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipsis immittuntur (si tamen & hoc faciunt) neque debiles, aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte corporis vexatos (quemadmodum sæpe euenit fieri secundum corporalem infirmitatem) vel earum quæ a foris accidunt infirmitatum bonas valetudines restaurare: tantũ absunt ab eo vt mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitauit, & Apostoli per orationem; & in fraternitate sæpissime propter aliquid necessarium, ea quæ est in quoque loco Ecclesia vniuersa postulante, per ieiunium & supplicationem multam reuersus est spiritus mortuo, & donatus est homo orationibus sanctorum.] hæc ille. Atque satis de antiquis ieiunijs Ecclesiasticis occasione delectus ciborum, cuius (vt vidimus) Paulus meminit scribens ad Timotheum. Sed iam pauca reliqua, quæ a Paulo hoc eodem anno sunt gesta, & a Luca conscripta, suo ordine referamus.

[d] Tertull. aduers. Psychicos c. 13.

[e] Iren. lib. 2. c. 57.

CCIX. PAVLVS VENIT IN GRAECIAM.

Cum igitur Paulus magnam huius anni partem insumpsisset in Macedonia, illas confirmans Ecclesias; quid egerit post hæc, Lucas in Actis [f] declarat his verbis: Cum autem pertransisset partes illas, *Macedoniæ scilicet*, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit in Græciam] non quidem pedestri itinere, sed vsus nauigatione. Nam per Ægeum mare Cycladas adnauigans, peruenit Cretam, illicq. ad eam curandam Ecclesiam reliquit Titum discipulum amatissimum. Id quidem ex epistola eiusdem Pauli ad Titum [g] satis colligitur, dum ait: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros.] Quomodo autem scripta ad eum epi-

[f] Act. 20.

[g] Tit. 1.

eum epistola, ipsum in Græciam aduocauerit, dicemus suo loco, sequenti anno. Finis iam esto narrationi rerum gestarum præsentis anni, quo (vt vidimus) Paulus recedens Epheso, abijt in Macedoniam, ac tandem in Græciam, scripsitq. diuersis temporibus primam epistolam ad Corinthios, ac aliam itidem primam ad Timotheum.

CCX.

Quod pertinet ad res Romanas: hoc eodem anno [a] Nero Imp. Britannicum Cæsarem Claudij ex Messalina filium veneno sustulit, simulq. ad omnem sæuitiam atque libidinem animum hactenus continentem prostituit: sed hæc pluribus Ethnici historici tractant.

[a] Tacit. Annal. lib. 13.

IESV CHRISTI ANNVS 58.	PETRI ANNVS 14.	NERONIS IMP. ANNVS 2.

I.

Anno iam adueniente Christi quinquagesimooctauo, Q. Volusio [b] & P. Cornelio Scipione Coss. Paulus Apostolus cum (vt dictum est ex Luca [c]) anno superiori peruenisset ex insula Creta in Græciam, iamq. aditum sibi pararet, vt Euangeliũ prædicaret ceteris gentibus, quæ vsque ad Illyricum interiacent; Titum, quem Cretæ reliquerat, scripta ad eum epistola, vt Nicopolim quamcitissime se conferret admonuit, dicens [d]: Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hiemare.] est hæc ciuitas iuxta sinum Ambracium posita in prouincia Acarnaniæ, qua terminatur Epirus, a Græcia per Acheloũ flumen diuisa. Cum igitur Titum iubeat venire Nicopolim; putarunt nonnulli, ibidem loci datam fuisse dictam ad Titum epistolam. verum cũ in ea dicat Apostolus: Ibi statui hiemare] nondum eo peruenisse, plane declarat. Sed vt de his fusius agamus: quod ad Titum pertinet, ad quem Paulus e Græcia scribit epistolam: fuisse ipsum ab eo ordinatum Cretensem Episcopum, in confesso est apud omnes; licet alij senserint non Cretæ solum, sed & aliarum eiusdem pelagi adiacentium insularum illi esse curam ab Apostolo demandatam: quin & eiusdem Pauli [e] testimonio compertum habetur, postea & in Dalmatiam Euangelij causa profectum esse. Est eius epistolæ talis inscriptio: Paulus seruus Dei, Apostolus autem Iesu Christi, &c.]

[b] Tacit. Annal. lib. 13.

[c] Act. 20. EX GRAECIA PAVLVS SCRIBIT AD TITVM.

[d] Tit. 3.

[e] 2. Tim. 4.

II.

Sicut Apostolorum res gestas, ita & in scribendo morem obseruare, nostrarum partium esse ducimus. Honoris quidẽ titulum esse Apostolatũ, & qui primum in Ecclesiastica hierarchia sibi vendicet locum, eiusdem testificatione [f] expressum habetur. At licet alibi se abortiuum dicat, & indignum hoc [g] nomine: tamen in scribendis litteris eo vtitur honoris titulo, non quidem arrogantiæ fastu, sed ordine atque decentia muneris: adeo vt cum opus fuerit, illum ipsum gloriæ titulum non tã gloriose quàm libere consueuerit ostentare; vt cũ ad Corinthios [h] scribens, ait: An non sum Apostolus?] et ad Timotheum [i]: Positus sum ego prædicator, & Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor Gentiũ in fide & veritate.] Vnde & S. Hieronymus in hunc locum: Quod Paulus ait: Apostolus Iesu Christi: tale mihi videtur, quasi dixisset: Præfectus prætorio Augusti Cæsaris, Magister exercitus Tiberij Imp.] et infra: Grandem, inquit, inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolorum se Christi titulo prænotauit, vt ex ipsa lecturos nominis auctoritate deterreret; indicans, omnes qui Christo crederent, debere esse sibi subiectos.] hæc Hieronymus. Ceterum ne in his multum immorer; consueuisse maiores nostros non tantum ex munere debitis vti titulis, sed eosdem alijs impartiendo fuisse copiosissimos, vnum de Ignatio testimonium satis superq. poterit admonere: qui ad Heronem diaconum scribens, sic exorditur [k]: Ignatius, qui & Theophorus, a Deo honorato, exoptatissimo, ornatissimo, Christo Spirituq. pleno, germano filio in fide & charitate Heroni diacono Christi, famulo Dei.] hic sane Catholicorum mos fuit. At quid hæretici? Audi Chrysostomum [l]: Vt diabolus, ita (inquit) etiam quilibet facit hæreticus vehementissimus in tempore persecutionis loquens cum Pontifice; nec eum vocat Pontificem, nec Archiepiscopum, nec Religiosissimum, nec Sanctum. Sed quid? Reuerentia tua, Sapientia tua, Prudentia tua, Iustitia tua, & nomina illi adducit communia, eius negans auctoritatem. Diabolus hoc tunc fecit in Deo.] hæc ille.

[f] 1. Cor. 12. Ephes. 4.

[g] 1. Cor. 15.

[h] 1. Cor. 9.

[i] 1. Tim. 2.

TITVLI HONORIS COPIOSE IMPERTITI.

[k] Ignat. epist. 12.

[l] Chrysost. hom. in Psal. 48.

III.

Scribens igitur Paulus ad Titum, illud primum admonuit, cuius rei causa eum reli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

quisset Cretæ; nimirum, vt quæ essent corrigenda, corrigeret, constitueretq. per ciuitates presbyteros. Quales vero esse deberent, qui ciuitatibus præficiendi essent sacerdotes, his verbis velut quibusdam coloribus pingens, ait [a]: Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbū, &c.] Cum ergo quales esse deberent presbyteri, qui præficiendi essent per ciuitates, describat, moxq. eosdem Episcopos nominet; inde Ioannes Chrysostomus [b] in eam sententiam adductus est, vt existimaret, non communes quosque presbyteros, sed Episcopos ab eo diuersis ciuitatibus instituendos, Paulum Tito mandasse. Eadem occasione Hieronymus [c] eius sententiæ firmus assertor fuisse videtur, vt olim his coalescentis Ecclesiæ primis exordijs, idem esset presbyter qui & Episcopus, & consuetudine potius quàm Dominica institutione factū, vt presbyteris præessent Episcopi. Vtitur ad eamdē rem probandā eiusdem ad Titum Pauli testimonio, necnon & epistolæ ad Philippenses, vbi cum in eius inscriptione dicit: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & diaconis] per Episcopos significare voluisse presbyteros, certum esse putauit: quandoquidem vnum in ciuitate Episcopum esse oportuit, & non plures. Sic etiam & in Actis, cum Paulus alloquitur presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ, eosdem appellat Episcopos, dicens [d]: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos pascere Ecclesiā Dei.] Ad hæc etiam adducitur, quòd idem Paulus scribens ad Timotheum [e], cum instruxisset Episcopos, ad diaconos transit, presbyteris prætermissis, quasi illos cū Episcopis comprehensos esse voluerit: sicut etiam cum inferius eumdem alloquens ait [f]: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterij] nempe Episcoporum, presbyteros dicens Episcopos, quorum (vt idem profitetur Hieronymus [g] scribens ad Euagrium) est muneris ordinare, non autem presbyterorum. His additur, quòd & Petrus [h] & Ioannes [i] cum essent Apostoli, se ipsos tamen presbyteros nominant. Hæc cum pluribus in locis [k], itemq. fusius idem auctor pertractet: totam quæstionem hoc ligat nodo conclusionis, vt idē esset Episcopus qui & presbyter, idemq. presbyter qui & Episcopus; ac demum ait [l]: Hæc propterea, vt ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos Episcopos: paulatim vero, vt dissensionum seminaria euellerentur, ad vnum omnem solicitudinem esse delatam. Sicut ergo presbyteri sciunt se ex consuetudine Ecclesiæ, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint, se magis consuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune habere Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum habuerit in potestate solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret.] hæc ille; qui id ipsum habet in epistola ad Euagrium, affirmans nimirum, occasione schismatis tollendi atque vitandi, institutum esse, vt vni ex presbyteris omnes parerent, quem Episcopum nominarent.

[a] *Tit. 1.* DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS.

[b] *Chrysost. in epist. ad Tit. hom. 2.*

[c] *Hier. in epist. ad Tit. c. 1. & ad Euagrium epist. 85.*

[d] *Act. 20.*

[e] *1. Tim. 3.*

[f] *1. Tim. 4.*

[g] *Hier. epist. 85.*

[h] *1. Petr. 5.*

[i] *2. & 3. Ioan.*

[k] *Hier. in Ag. Proph. 2. Epist. 85. ad Euagr. In epist. ad Tit. c. 1.*

[l] *Tit. 1.*

IIII. EPISCOPVM ET PRESBYTERVM IDEM ESSE QVI DIXERINT.

Arripuerunt autem ex his male acceptis occasionem Nouatores, vt Episcopalem dignitatem dicerent mala ex causa in Ecclesiam irrepsisse, & non a Christo fuisse institutam. Cum igitur vel hac via hierarchicum ordinem in Ecclesia conentur euertere: ex instituto necessitas nobis incumbit, vt de his attentius, sed tamen quantum breuiter possumus, disseramus. Sed illud in primis monendum esse putamus; inconsulte nimis esse locutos, ac prorsus hallucinatos [m], qui hac ex parte Hieronymo alijsq. grauissimis Ecclesiæ Catholicæ Patribus adeo temere Aerianismum impingere non sunt veriti. Aerius enim hæresiarcha (vt de eo tradit Epiphanius [n]) homo procax, eo quòd non potuerit creari Episcopus, sed presbyter semel ordinatus, semper in ea functione permanserit, dicere non est veritus, nihil prorsus inter Episcopum ac presbyterū interesse. Sed quàm impudenter & impie cogantur Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & Ioannes Chrysostomus (vt prætermittamus ceteros eadem cum his sentientes) dictæ hæresi inuiti licet ac sæpius reclamantes adstipulari, apud æquum lectorem iudicium esto. At videamus primum quid Aerius diceret: Erat (inquit Epiphanius) ipsi sermo furiosus magis quàm humanæ conditionis, & dicebat: Quid est Episcopus ad presbyterum? nihil differt hic ab illo: vnus enim est ordo, & vnus (inquit) honor, & vna dignitas. Imponit manus Episcopus, ita etiam presbyter: lauacrum dat Episcopus, similiter & presbyter: dispensationem cultus diuini facit Episcopus, & presbyter similiter: sedet

[m] *Sugillat auctor post haereticos Michaelem Medinā in lib. de sacr. hom. orig. c. 5.*

[n] *Epiph. haresi 75.*

Episcopus

Episcopus in throno, sedet etiam presbyter.] hæc de Aerij hæresi Epiphanius: a qua Hieronymus quantum abhorreat, sua ipsius scripta testantur.

V. QVAM PRÆSTET EPISCOPVS PRESBYTERIS.

Ipse igitur in primis in eadem, quam ad Euagrium [a] scripsit, epistola, certe quidem longe maiori dignitate sublimem, etiam in sedendo, fuisse Episcopum, amplioriq. auctum officio in manus impositione, vt ipsius tantum & non presbyteri esset id muneris, contra Aerij dogma egregie profitetur: qui de sede sublimiori in primis hæc ait: Nam & Alexandriæ a Marco Euangelista vsque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat.] De manus vero impositione sic excipit: Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?] At quanta hæc est differentia? Audi Epiphanium [b]: Dicere, inquit, ipsum Episcopum & presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo, patrum generator est; patres enim generat Ecclesiæ. presbyterorum vero, non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres, aut doctores. Et quomodo possibile erat, presbyterum constituere non habentem manuum impositionem ad eligendum, aut dicere ipsum æqualem esse Episcopo?] hæc ille. Agens item S. Hieronymus contra Luciferianos, concessam esse etiam eam manus impositionem Episcopis dicit, negatamq. presbyteris, qua baptizati reciperent Spiritum sanctum: ait enim: Non quidem abnuo esse Ecclesiarum consuetudinem, vt ad eos qui longe in minoribus vrbibus per presbyteros & diaconos baptizati sunt, Episcopus ad inuocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.] et paulo post: Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismate tribui? Discе hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.] ac denique: Ecclesiæ salus in summi sacerdotij dignitate pendet: cui si non exors quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes. Inde euenit vt sine charismate & Episcopi iusione neque presbyter neque diaconus ius habeant baptizandi.] hucusque Hieronymus: qui & in citata superius epistola ad Euagrium [c], & ad Nepotianum [d], sicut ab Aaron ceteri differebant sacerdotes, ita in Ecclesia eodem gradu ab Episcopis differre presbyteros, firmiter asseuerat. Hæc quidem quantum impugnent Aerium, nemo non videt.

[a] *Hieron. ad Euagr. epist. 85.*

[b] *Epiph. haresi 75.*

[c] *Ad Euagrium epist. 58. in fin.*

[d] *Ad Nepotianum epist. 2.*

VI. DE SENTENTIA S. HIERONYMI.

Sed quod negaretur presbyteris, Episcopis vero concessum esset (vt aliam ingrediamur differere controuersiam) numquid hoc post obortā in Ecclesia schismata ortum habuerit, vt Hieronymus his verbis videtur asserere: Quòd postea vnus electus est qui ceteris præponatur, in schismatis remedium factum est; ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet] vel cum alibi [e] ait: Idem presbyter quod Episcopus: et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis; Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ; communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur] an potius olim ipso initio nascentis Ecclesiæ ante aliquam dissensionem conflatam hæc fuerint ab Apostolis obseruata, diligenter est exquirendum. Qua in re non alium in præsentiarum aduersus Hieronymum valentiorem auctorem, fortioremq. testem, quàm ipsum sibi Hieronymum objcere possumus; qui eodem commentario aduersus Luciferianos conscripto aperte demonstrat, manuum impositionem concessam Episcopis, presbyteris vero interdictam, non factum esse post exorta schismata in Ecclesia; sed, quod ait: Discе hanc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.] eaq. ratione quantumlibet a Philippo baptizati essent Samaritani, tamen ad imponendam super eos manum, vt acciperent Spiritum sanctum, missos esse (vt Acta [f] declarant) Petrum atque Ioannem, quòd Apostolorum tantummodo hoc esset munus. Non ergo post orta schismata, sed statim ipsa prima Ecclesiæ ætate hæc esse seruata, eiusdem Hieronymi testimonio confirmatur.

[e] *Hier. in epist. ad Tit. c. 1.*

[f] *Act. 8.*

VII.

Sed ad hæc insuper, an id ipsum ab hominibus factum sit, an vero institutione diuina fuerit ordinatum; & verum ne sit quod ibidem Hieronymus affirmare videtur, ex Ecclesiæ consuetudine potius quàm dispositione diuina fuisse introductum, vt presbyteris Episcopi præessent; est accuratius perueſtigandum. nam hæc ipse ait [g]: Sicut ergo

[g] *Hier. in epist. ad Tit. cap. 1.*

presbyteri

Universidad de Deusto
Biblioteca

presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere.] hæc Hieronymus. Sed cum iam tertiam hanc aggredimur quæstionem, illud in primis nobis est perquirendum: numquid vt Episcopus in Ecclesia præsit, aliunde quàm e diuina institutione manarit. ac deinde, quid de hac re vere Hieronymus senserit, quove sensu eius sint verba accipienda, simul inspiciendum. Sed præstat vt de his singulis eiusdem Hieronymi rogemus sententiam: vt hac ratione non tantum veritati consultum sit, sed sensum germanum verborum eius facilius assequentes, ipsum omni ex parte calumnia liberemus. Certe quidem de Episcopatus origine & dignitate quid senserit, non semel suis ipse scriptis testatum reliquit. In eadem in primis epistola ad Euagrium [a] scripta, de Episcopis dum loquitur, omnes Apostolorum successores esse confirmat. et ad Marcellam [b] scribens: Apud nos, inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent.] eadem in Michæam [c], alijsq. in locis: vt ad Heliodorum [d] cum scribit, & de Episcopis loquitur: Absit, inquit, vt de his quicquam siniſtrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt.] Si igitur loco Apostolorum successerunt Episcopi (quod omnium Orthodoxorum sententia receptum est) eadem est origo & dignitas Episcopatus, quæ est etiam Apostolatus: nam & hoc in sæculi magistratibus experimur, vt qui in locum alterius suffectus est, idem cum illo dicatur deducere principium & potestatem, quo prædecessor est munere auctus, ac dignitate prælatus. At sicut in confesso est apud omnes, dignitatem Apostolicam esse a Christo Domino institutam, id testantibus Euangelistis; in illam Apostolis succedentes Episcopos, ex eodem plane fonte fluxisse, necessario affirmandum esse, compertissimum cuique videri potest. Ex his igitur perspicuum redditur, ipso itidem Hieronymo sæpius attestante, Episcopalem dignitatem non ab hominibus, vel cuiusuis occasionis obortæ consuetudine, sed ab ipso Domino Redemptore omnium Iesu Christo, ipsoniet eam instituente, manasse.

EPISCOPI SVCCESSORES APOSTOLORVM.
[a] Hier. epist. 85. [b] Hier. epist. 54. [c] Hieron. c. 2. in Mich. [d] Idem epist. 1.

VIII. Cum ergo de re ipsa constet, non esse recens ab Apostolis adinuentam, sed a Domino institutam: de nomine modo erit perueſtigandum, an fuerit recens introductum: ac demum in quem sensum sint Hieronymi verba accipienda. Constat quidem diuinarum Scripturarum testimonio, Apostolatum esse nominatum Episcopatum: quod enim scriptum erat in Psalmo [e]: Et Episcopatum eius accipiat alter] hoc ad Iudæ Apostolatum referendum esse, Petri Apostoli testificatione ratum habetur, dum in ea corona fratrum fere centum viginti (vt habent Acta [f]) de sufficiendo aliquo in locum Iudæ habuit concionem. Si igitur Matthias in Iudæ Episcopatum subrogatus est; plane constat, ipsum æque esse dictum Episcopum, sicut Apostolum: sic etiam & ceteros Apostolos, quòd vna esset omnium dignitas atque potestas, esse appellatos Episcopos, ac tunc præsertim, cū ipsi alicuius ciuitatis Ecclesiam, in qua functiones Episcopales exercerent, gregisq. Dominici curam agerent, administrandam susciperent. vnde constat, eodem auctore Hieronymo [g], Iacobum Apostolum statim post passionem Domini esse ordinatum Hierosolymorum Episcopum. Transijt quippe in Ecclesiam cum sua significatione atque proprietate vox Græca, Ἐπισκοπὴ: tali enim nomine (vt auctor est Suidas [h]) dicebantur inspectores & custodes, quos Athenienses in suæ ditionis vrbes ad statum rerum cognoscendum atque instituendum mittebant, quorum apud Græcos historicos frequens mentio est: ad quos etiam, ni fallor, alludit Cicero, dum ait [i]: Vult enim me Pompeius esse, quem tota hæc Campania & maritima ora habeat episcopum.] hæc ipse. et S. Augustinus de Ciuitate [k] Dei, illa Pauli explicans verba [l]: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat] Exponere, inquit, voluit, quid sit Episcopatus: quia nomen est operis, non honoris: Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curā eorum scilicet gerens: ἐπὶ quippe, super, σκοπὸς vero, intentio est: ergo ἐπισκοπὴν, si velimus, Latine, superintendere, dicere possumus: vt intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.] hactenus de Episcopi nomine in Ecclesia antiquissimo.

[e] Psal. 108. [f] Act. 1. [g] Hier. de Script. Eccl. in Iacobo. [h] Suid. in hist. [i] Cic. ad Attic. lib. 7. [k] Aug. de Ciuit. Dei lib. 19. c. 19 [l] 1. Tim. 3.

IX. Ceterum sicut Apostoli dicti reperiuntur Episcopi; ita qui Ecclesijs præficiebantur Episcopi, ijdem nominabantur Apostoli. Sunt de his multa in diuinis Scripturis exempla. Epaphroditus enim Episcopus Ecclesiæ Philippensium a Paulo [m] Apostolus appellatur:

[m] Philipp. 2.

pellatur: Andronicus [a] & collega Iunias, eius cognati, eadem ratione nobiles in Apostolis fuisse dicuntur: de alijs his similibus ad Corinthios scribens [b], eos nominat Apostolos Ecclesiarum. Secundum etiam eamdem analogiam, quòd & presbyteri præfecti essent Fidelium curæ, ijdem & Episcopi ea ex parte dicti reperiuntur, vt superius ex nonnullis Apostolicis scriptis est demonstratum: vt cum Paulus ad Philippensis Ecclesiæ Episcopos & alios suam inscripsit epistolam: vel cum alloquens presbyteros Ecclesiæ Ephesinæ, eosdem appellat Episcopos, & alijs locis superius recitatis. Itemq. quòd Episcopi ex seniorum collegio eligerentur; eosdem esse nominatos presbyteros, ex hac, de qua agimus, Pauli ad Titum epistola patet.

EPISCOPI NOMINATI APOSTOLI.
[a] Rom. 16. [b] 2. Cor. 8.

Sed quod spectat ad nomen presbyteri: commune videtur olim fuisse vocabulum tam Apostolis, quàm ceteris inferioris ordinis sacerdotibus. De Apostolis quidem, ijsdemq. Episcopis, superius dictum est pluribus testimonijs. Ceterum re ipsa distinctos fuisse omnino presbyteros ab ipsis Apostolis, Acta Apostolorum satis superq. declarant, dum in eis legitur [c]: Cum autem veniſſent Hierosolymam, susceptiſunt ab Ecclesia, & Apostolis, & senioribus.] ac rursum: Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc.] ac iterum: Tunc placuit Apostolis, ac senioribus cum omni Ecclesia.] In litteris item ab Apostolis ex Concilio Hierosolymitano Antiochiā missis hæc habetur inscriptio: Apostoli, & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ & Syriæ.] eademq. [d] iterum alias. Porro quos seniores dicit, eosdem fuisse presbyteros, non tantum nomen, sed & res ipsa demonstrat. Cum enim (quod scribit idem Hieronymus [e] in epistola ad Euagrium) constet institutiones Apostolicas sumptas de veteri Testamento; & quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc Episcopi, presbyteri, & diaconi essent in Ecclesia: sicut ergo cum Dominus septuagintaduos delegit discipulos post Apostolos, formam illam repræsentasse visus est, qua Moyses septuagintaduos iussu Domini seniores (vt Numeri [f] liber habet) elegit: ita etiam dictos septuagintaduos [g] discipulos nominatos esse seniores, itemq. presbyteros, ratio persuadet, quæ Patrū omnium sententia rata habetur; omnibus affirmantibus, eos quos vocamus presbyteros, illos esse, quos numero præscripto delectos, vsus loquendi discipulos nominauit, cum alioqui & Christiani omnes (vt Acta testantur) discipuli dicerentur. At quemadmodum apud Iudæos etiam Apostolorum temporibus pristina illa vigebat consuetudo, vt seniores vna cum Principibus sacerdotum in Concilium conuenirent [h], ac sententiam rogati dicerent (quod multis in locis Euangelistæ [i] testantur) sic etiam ab Apostolis primis illis temporibus esse seruatum constat, vt seniores etiam ad Concilium admitterentur.

X. NOMEN PRESBYTERI COMMVNE ET PRIVM.
[c] Act. 15. [d] Act. 16. [e] Hier. epist. 85. [f] Num. 11. [g] Luc. 10. [h] Act. 11. [i] Matth. 14. 27. 28. Luc. 20. 22. Act. 4.

Cum igitur, quod ad sacerdotium spectat, par esset Apostolorum eorumdemq. Episcoporum, atque presbyterorum ordinatio, pariterq. ijdem cum illis in Concilio considerent; cumq. communicatio nominum inter eos videretur esse communis, dum Episcopi presbyteri, atque hi Episcopi dicerentur: factum est (quod ait Hieronymus [k]) vt eo perseuerante ordine, ante oborta schismata, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur. Postea vero illud euenisse subdit, consuetudine potius quàm dispositione Dominica, in administrandis rebus Ecclesiasticis presbyteros fuisse subiectos Episcopis, quibus solis cessisset illarum cura præcipua: nec presbyteri amplius ad communem consessum, in quo de his quæ ad gubernationem Ecclesiæ pertinent, ageretur, essent admissi, sed illi soli qui ex collegio presbyterorum in Episcopos essent assumpti: sicq. factum est, vt qui in nonnullis æquales Episcopis esse viderentur, postea illis in omnibus subiecti essent: satisq. sufficere presbyteris visum est, si suis Episcopis assiderent consiliarij in Synodis, quas quisque eorum in suis diœcesibus cogere consueuerit. Vnde & Ignatius [l] ad Trallianos, cum de presbyteris loquitur: Quid vero sacerdotiū est, quàm sacer cœtus consiliarij & assessoris Episcopi?] Hoc igitur sensu, ne idem ipse sibi contrarius sæpe dicatur, Hieronymi eam accipiendam esse sententiam, qua dicit, non institutione Dominica, sed consuetudine factum vt Episcopi subiectos haberent presbyteros, omnes puto facile intelligere.

OCCASIONE SCHISMATIS PRESBYTERI DEPRESSI.
[k] Hier. in epist. ad Tit. c. 1. [l] Ignatius ad Trall. epist. 3.

Sed quando hæc cœpit seruari consuetudo? certe Apostolorum temporibus, quorum etiam est auctoritate firmata: nam cum Paulus [m] ad Timotheum, quem diximus creatum fuisse Episcopum Ephesinum, scribens dicit: Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus] plane satis euidenter demonstrat,

XII. [m] 1. Tim. 5.

strat, Timothei Ephesini Episcopi fuisse munus, presbyteros iudicare, ac proinde illis & auctoritate ac dignitate præstitisse: Nam quòd par in parem imperium non habeat, vulgatum est omnibus. qua ratione etiã in hac ipsa, de qua agimus, epistola ad Titum, quem diximus Cretensem fuisse Episcopum, Paulus ipsum admonet, vt constituat per ciuitates presbyteros, quos ea ratione, quam superius diximus, alibi appellat Episcopos. Ignatius, qui Apostolorum temporibus administrabat Ecclesiam Antiochenam, non aliud scripsit, quàm quæ essent ab Apostolis in Ecclesia ordinata: qui dum hierarchicum Ecclesiæ Catholicæ ordinem sæpe commemorat, presbyteros esse subiectos Episcopis, absque aliqua dubitatione testatur, ac in primis ad Tarsenses [a] hæc dicens: Presbyteri subiecti estote Episcopo, diaconi presbyteris, populus presbyteris & diaconis. Qui hoc ordinis decorum seruauerint, pro eorum animabus libens animam meam commutauero, & Dominus sit cum ipsis perpetuo.] rursus ad Smyrnenses [b] eadem inculcans, hæc ait: Laici diaconis subijciantur, diaconi presbyteris, presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri.] hæc ille, vbi & superius Episcopum appellat Principem sacerdotum, nec quicquam maius in Ecclesia Episcopo reperiri. qui & ea distinctione, qua dicit: Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem; & presbyterorum collegium, vt Apostolos] magnam sane differentiam vtriusque status ac gradus fuisse demonstrat. Idemq. in omnibus fere, quas scribit ad Ecclesias diuersas epistolas, vt Episcopo primum, inde presbyteris, demum diaconis obediant, admonet; vt cum sic scribit ad Trallianos [c]: Episcopo subiecti estis, velut Domino] & paulo post: Sed & presbyteris subiecti estis, vt Christi Apostolis.] ac rursus post multa: Quid aliud est Episcopus, quàm is qui omni principatu & potestate superior est?] et ad Philadelphios [d]: Boni sunt, inquit, sacerdotes, & sermonis ministri; melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei.] idem & superius eumdem ordinem hierarchicũ explicans, vt presbyteri Episcopo obediant, admonet. At his quid euidentius dici potest?

PRESBYTERI SVBIECTI EPISCOPIS.

a Ignat. epist. 7.

b Ignat. epist. 11.

c Ignat. epist. 5.

d Ignat. epist. 9.

XIII. CONCLVSIO DISPVTATAE QVAESTIONIS.

Ex his quidem satis perspicue demonstratum est, Episcopos a Domino in Apostolis institutos, presbyteros itidẽ esse ab eo in septuagintaduobus discipulis ordinatos; quorum si aliqua ex parte auctoritas in Ecclesiastica administratione videri possit fuisse contracta, id Apostolorum temporibus, & proinde ab ipsis Apostolis esse factum, atque a sanctissimis Patribus, vt Ignatio & ceteris alijs comprobatum: adeo vt nulla prorsus de illapso abusu possit esse calumnia, nec de ablata aut diminuta auctoritate querela. Multa ad hæc etiam ex Patrum sententia & sacrorum Conciliorum decretis addenda fuissent: sed quòd ad historicam veritatem testandam, quam profitemur, hæc satis esse putamus; breuitati consulentes, illa libentius prætermittimus.

XIV.

Quòd vero Paulus monens Titum, quales esse deberent qui in presbyteros seu Episcopos eligendi essent, hæc ait [e]: Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ.] cur non magis cælibem eligendum præcipiat, qui nullam vmquam vxorem habuerit, quàm vnius vxoris virum? Sane quidem in Creta, de cuius Ecclesia agitur, nullum cælibem, qui numquam duxisset vxorem, erat possibile reperiri; cogentibus nimirum antiquis Cretensium legibus, vt omnes homines a puero vxores ducerent; quod testatur Strabo [f], qui ex Ephoro Rempublicam describit Cretensium: cum alioqui, etiam si ea lex cessasset, haud facile foret inter Gentiles, qui recenter Christo nomen dedissent, adultum hominem cælibem reperiri. quamobrem & ad Timotheum Ephesiorum Episcopum scribens, hoc ipsum monuit. Quòd item de filijs admonet, vt qui ordinandus esset, filios haberet fideles, non in accusatione luxuriæ: eo respectum videtur etiam Paulus, scribens hæc, habuisse, quòd apud eosdem Cretenses mos turpissimus atque infamissimus inoleuisset: nimirum vt licite in pueros insanirent, quos etiam quantumuis nobiles licebat rapere, & apud se amatorem ad duos menses retinere, & sic donatum muneribus remittere. Sed quod est deterius; hæc non probro, quin potius laudi illis adscribebantur: adeo vt (inquit idem Strabo) formosis & illustri genere ortis turpe esset nullum habere amatorem: moribusq. hoc eorum imputari: haberiq. a cunctis in honore pueros raptos, ait, vt tam in consessu quàm in ambulando primarius illis locus tribueretur, splendidioriq. permitteretur vti veste ab amatore donata. Hæc quantumlibet obscœnissima, referre (licet non sine stomacho) non prætermisimus: vt ex his tum sensus verborum Pauli aperiretur;

e Tit. 1.

f Strab. lib. 10. CVR NON CAELIBES, SED QVI VXOREM VNAM DVXISSENT, ELIGENDOS PAVLVS PRAECIPIT.

tum

tum etiam, vt quantum putorem atque putredinem sal absterserit Apostolicum, mundo adeo necessarium, intelligeretur.

Paulus igitur, vt turpissimos Cretensium mores Euangelica prædicatione succideret, eos ex illis tantum mandat presbyteros ordinari, qui a tanto scelere abhorrentes, filios (quod ait) haberent fideles, non in accusatione luxuriæ: qui scilicet suorum filiorum exemplo, quid ceteris faciendum esset, non verbis tantum, sed facto facile suaderent. Tam prauis affectos moribus in officio contineri posse, haud res leuioris negotij videbatur: vt merito antiquissimi poetarum Epimenidis in eos illam sententiam regerat: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.] Sed hæc olim Cretenses: nam Euangelij postmodum exculta legibus, facta est Ecclesia Cretensium nobilissima; vt quæ non sicut ceteræ Orientales Ecclesiæ diuersis hæresibus fœdaretur, sed virgo multis sæculis illibata permanserit. Testantur id quidem Martinus Cortynæ [a] & ceteri Cretenses Episcopi ijs litteris, quas post Chalcedonense Concilium ad Leonem Imperatorem scripserunt, his verbis: Dicimus tranquillitati vestræ, quia ab initio totius hæreticæ blasphemiæ inexperta est vestra Creta, decem martyribus prouincialibus passionis tempore deprecantibus Saluatorem Deum, vt libera a tentationibus hæreticis, semper ab æstu eorum prouincia seruaretur.] Agere præterea consueuisse in Creta nobiles Iudæos, Iosephus historicus [b], qui inde sibi vxorem accepit, affirmat. Sed hallucinatus profecto est Cornelius Tacitus [c], qui de Iudæorum agens origine, eos e Creta descendisse testatus est, dictosq. Iudæos, quasi Idæos, ab Ida in Creta monte. Miratus sum, scriptorem alioqui inter Gentiles nobilem, in rebus Iudaicis tantopere deliraſſe. Verum non ipse solus, sed & complures alij Ethnicorum scriptorum de Iudæis errore lapsi sunt; vt Strabo [d], qui eos ex Ægyptijs tradidit esse prognatos; itemq. Apion Alexandrinus, & alij, quos Iosephus [e] redarguit. Denique quotquot aliunde, quàm ex sacris litteris, Iudæorum originem sunt prosecuti, in maximos esse lapsos errores, facile quis inueniet. Sed de his hactenus.

a Tom. 2. Concil. nou. edit.

b Ioseph. in Vita sua.

c Tacit. Annal. lib. 12.

d Strab. lib. 10.

e Ioseph. contr. Apion. lib. 2.

XV. DE CRETENSI ECCLESIA.

XVI.

Iam ad Pauli epistolam ad Titum scriptam, vnde est digressa oratio, reuertamur. Quòd non tantum, cum ad eum scribit, vt in presbyterum eligendus, vnius tantum sit vxoris vir, admonet, sed a Timotheo [f] (vt dictum est) id ipsum exposcit: hac quidem in re fuit quorumdam sententia, Paulum Apostolum sic ipsos admonuisse ordinare monogamos; vt polygamos, plures scilicet simul vxores habentes, excluderet. Sed quod pertinet ad Gentiles ad Christum conuersos: nec Cretenses, nec Ephesios, hisq. propinquos populos fuisse polygamos, vsquam inuenimus: Athenienses tantum occasione exhaustæ belli cladibus iuuẽtutis, polygamiam aliquando admisisse reperimus, cereros numquam. Nam & Euripides in Andromache hæc habet: Οὐδὲ γὰρ καλὸν δυοῖν γυναιξὶν ἀνδρὶ ἐν νυμφεύμασιν εἶναι] hoc est: Non enim decet, duabus mulieribus virum vnum præesse.] Verum de Iudæis non inficias imus, consueuisse his etiam temporibus aliquos ipsorum plures simul habere potuisse vxores: Iosephus [g] enim id testatur, sic dicens: Mos enim nobis est patrius, plures simul vxores habere.] Sed & Iustinus martyr in dialogo cum Tryphone hæc ait: Melius fuerit Deum nos, quàm insipientes & cæcos Rabbinos vestros sequi; qui sane ad hunc vsque diem & quatuor & quinque vxores habere vnumquemque vestrum permittunt: et si quis venustam inspiciens, eam expetierit; cum Iacob, tum aliorum Patriarcharum facta commemorãt; nihil iniqui agere talia facientes asseuerant.]

f 1. Tim. 3.

NON GENTILES SED IVDAEI POLYGAMI.

g Ioseph. antiq. lib. 17. cap. 1. in vet. c. a.

XVII.

Ceterum quantumlibet ad excludendos polygamos, Paulum dixerimus monuisse ordinandos esse monogamos: non sic quidem id ab eo quis putet esse dictum, vt vnius vxoris virum potius quàm cælibem præceperit ordinandum; sed quòd non facile (vt dictum est) apud Gentiles, Iudæosve prouectæ ætatis esset hominem reperiri, qui non esset coniugio obligatus. Quis enim tam obtusæ mentis poterit in animum ducere, vt Paulus ad præcipuam maximamq. omnium Ecclesiasticam functionem, ad ipsum inquam diuinissimum sacerdotiũ, coniugatos magis quàm cælibes instituerit eligendos, cum alias admoneat [h], ne Deo militans implicet se negotijs sæcularibus? quæ quidẽ obligatus nuptijs, dansq. operam liberis procreandis & educandis, vitare non potuisset, eodem ipso testante, atque dicente [i]: Tribulationem carnis habebunt huiusmodi.] Si item eiusdem Pauli sententia, coniugiũ constat esse impedimento, quo minus vir Deo penitus vniatur, sed sit ex parte diuisus, cum dicit [k]: Qui autem cum vxore est, solicitus est

h 2. Tim. 2.

i 1. Cor. 7.

k Ibidem.

quæ sunt

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE CAELIBATV SACRORVM MINISTRORVM.

quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est] contra vero de cælibe: Qui, A inquit, sine vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo] quis adeo mente captus animo concipere poterit, vt ad præstantissimum omnium munus sacerdotale obeundum, illos potius cooptari maluerit, quos dicit necessitate adstringi cogitare quæ mundi sunt, & vxoribus inseruire; quàm eos, qui his liberi nexibus, non ex parte a Deo diuisi, sed toti illi coniuncti, ea quæ Dei sunt, tantummodo cogitarent? Si enim, quod idem ait, bonum est homini sic esse: cur tanto bono priuandus esset sacerdotio initiandus? At in hanc sententiam hæc habet Siricius[a]: Forte creditur quia scriptum est: Vnius vxoris virum. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit, qui ait: Vellem autem & omnes homines sic esse, sicuti & ego. Et apertius declarat dicens: Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.] Præterea si ad excludendos cælibes, coniugatos viros Apostolus eligendos mandasset: cur singularis vxoris meminit dicens, Vnius vxoris virum] cum omnes, quotquot inter Christianos coniugati essent, vnius tantum vxoris singuli viri essent, nec vllus prorsus inter eos reperiri posset, qui duas vel plures simul haberet vxores, Christianis id legibus prohibentibus: et non potius dixit, Vxorem habentem? Sed quomodo ea ratione Paulus bigamum excludi voluerit, agemus inferius. B

a Siricius epist. 4. cap. 9.

XVIII. CONIVGATI CREATI EPISCOPI.

At illud, quod ad hæc spectat, in primis dicendum est, coniugatos olim sæpius eligi contigisse; ea tamen lege, vt quantumlibet necessitate cogente eiusmodi assumerentur, consentiente primum vxore, sic electi desinerent prorsus vsu coniugij esse viri; atque adeo, vt si inuenti essent liberis operam dare, redigerentur in ordinem. Quod ita Apostolica traditione receptum, vsuq. probatum erat, vt quantumlibet Iouinianus C impurissimus esset; affirmaret tamen hoc ipsum. ad quem Hieronymus[b]: Certe, inquit, confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehẽsus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.] Adeo, inquam, alta radice fixa in Ecclesia erat continentia sacerdotum, vt eam conuellere ipsi hæretici desperarent; quippe qui non ignorarent, ab Apostolis esse plantatam, ac felicissime propagatam. Quod Patres in Concilio secundo[c] Carthaginensi ingenue sunt professi, testantes id sanctos Apostolos docuisse, & in Ecclesia antiquitus ab omnibus esse seruatum: sic. interdum ad sacros ordines coniugati adsciscerentur, vt a coniugij vsu penitus temperarent.

b Hier. aduerf. Iouinian. lib. 1.

c Concil. Carthag. c. 2.

XIX. Accidebat & hoc olim frequenter, vt moribus spectatissimi, quantumlibet vxorem haberent, in Episcopos eligerentur; licet cælibes non deessent, qui omnibus numeris D absoluti ad eam prouehi dignitatem mererentur. Sed quibus ex causis id euenire consueuerit, Hieronymus[d] declarat his verbis: Euenit interdum, vt tristior vultus, adductum supercilium, incessus pomparum ferculis similis offendat populum, & quia nihil habet quod reprehendat in vita, habitum solum oderit & incessum. Multi eligun- CONIVGATI INTERDVM POTIVS QVAM CAELIBES ELECTI. tur non amore sui, sed alterius odio. In plerisque suffragium meretur sola simplicitas, & alterius prudentiæ & calliditati quasi malitiæ opponitur. Nonnumquam errat populi plebisq. iudicium; & sacerdotibus comprobandis vnusquisque suis moribus fauet, vt non tam bonum, quàm sui similem quærat præpositum. Euenit aliquoties, vt mariti, quæ pars maior in populo est, maritis quasi sibi applaudant, & in eo se arbitrentur minores non esse virginibus, si maritum virgini præferant. Dicam aliquid, quod forsitan cum multorũ offensa dicturus sum: sed boni mihi non irascentur, quia eos peccati E conscientia non remordebit. Interdũ hoc & Pontificum vitio accidit, qui non meliores, sed argutiores in clerum eligunt, & simpliciores quosque atque innocentes inhabiles putant: vel affinibus & cognatis, quasi terrenæ militiæ officia largiuntur: siue diuitum obediunt iussioni: quodq. his peius est, illis clericatus donant gradum, quorũ sunt obsequuijs deliniti. Alioqui, si iuxta sententiam Apostoli, non erunt Episcopi nisi mariti, ipse Apostolus Episcopus esse non debuit, qui dixit: Volo autem omnes esse, sicut ego sum. Et Ioannes hoc gradu indignus existimabitur, & omnes virgines & continentes, quibus quasi pulcherrimis gẽmis Ecclesiæ monile decoratur.] hucusque Hieronymus.

d Hier. aduerf. Iouinian. lib. 1.

XX. Qui igitur (vt dictum est) vxores habentes, in Episcopos assumebantur, tam in Orientali quàm Occidentali Ecclesia, abstinere, si munus assequi vellent, accedente vxorum consensu, ab ipsarum consuetudine cogebantur: quod antiquorum Patrum testimonijs

A monijs habetur exploratissimum. Nam in primis, quod spectat ad Orientales, Epiphanius[a] hoc ipsum perquàm egregie testatur, sic dicens: Sanctum sacerdotium ex virginibus quidem vt plurimum procedens: si vero non ex virginibus, at ex solitariam vitã degentibus. Si vero non sufficerint ad ministerium solitariam vitam degentes; de his qui continent a proprijs vxoribus, aut ab vnis nuptijs viduitatem seruantibus. nam eũ qui secundas nuptias contraxit, non licet in ipsa ad sacerdotiũ susc ipere; etiam si is qui ab initio continens viduus fuerit, possit habere locum Episcopi, presbyteri, diaconi, & subdiaconi.] hæc Epiphanius. Rursum de vsu Orientalis Ecclesiæ Hieronymus[b], qui easdem peragrauit & incoluit regiones, hæc tradit, dum inuehitur in nouos hæreticos, qui nonnisi vxoratos ad ordines promouebant: Proh nefas! Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes: si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant B diaconos, nisi prius vxores duxerint; nulli cælibi credentes pudicitiam, immo ostendentes quàm sancte viuant, qui male de omnibus suspicantur, & nisi prægnantes vxores viderint clericorũ, infantesq. de vlnis matrũ vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desierunt? Hoc docuit Dormitantius libidini frena permittens.] Porro hoc ipsum traditum ab Apostolis, ad Pammachium[c] scribens, docet his verbis: Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.] At de cælibatu Apostolorum, vt Pauli, & aliorum, satis superius dictum est. Est eiusdem veritatis egregius assertor Basilius[d], qui scribens ad Peragorium, quem licet decrepitæ ætatis sacerdotem, quòd presbyteC ram (de quo vocabulo ante diximus) nempe vxorem suam, quam presbyter cooptatus iussu canonum reliquerat, rursus in domum admisisset, grauissime eum increpauit, excommunicationem, nisi eam dimitteret, acriter comminatus.

a Epiphan. in compend.

CONIVGATI EPISCOPI ABSTINENT A CONIVGIO.

b Hieron. in Vigilant.

c Idem ad Pammach. epist. 50. in fine.

d Basil. epistol. 27. in addit.

Hæc de vsu Orientalis Ecclesiæ, quando illic, cum florentissima esset, vigebat inter XXI. Catholicos morum integra disciplina: quæ etiam sacrosanctæ Nicænæ Synodi[e] videntur auctoritate firmata. Dum enim statuit, ne cum Episcopo, presbytero, & diacono subintroductæ mulieres habitarent, sed tantum illæ, quarum nulla prorsus esse possit suspicio, quas & recensет, nempe matrem, sororem, auiam, amitamque, quarum admittat contubernium: cum nec, sicut de reliquis, excipiat de vxore; sane quidem eam, sicut ceteras, non admittendam esse, liquido visa est statuisse. Hæc sane sancita ibi esse a Patribus, non obscure Basilius in citata modo epistola docet. Quapropter cuius sint fidei quæ a Socrate[f] & Sozomeno[g], qui longe post Nicænum Concilium vixere, sunt D scripta, ex dictis quiuis facile iudicabit. Aiunt enim Paphnutium Episcopum rogationi Episcoporum interfuisse, quo minus legem ferrent, qua ne Episcopi, presbyteri, diaconi, ac subdiaconi vxoribus, quas ante sacros acceptos ordines habuissent, possent vti, prohiberentur. Nam quomodo dicunt, sacrum Patrum consessum acquieuisse Paphnutio, si a contubernio ipsorum constet edito canone vxores exclusas? Vel quomodo his aduersari Paphnutius præsumpsisset; cum constaret, nec ipsos Arianos ordinare consueuisse, quos nouissent coniugio obligatos? quod Epiphanius agens[h] aduersus Ebionæos, in Iosepho demonstrat. Certe si velimus eosdem non esse mentitos, de illis tantummodo totam illam agitatam esse controuersiam dicendum est, qui cum ordinarentur inuiti, contestati essent, non posse se continere: quibus sic nihilominus ordiE natis si Ancyranum Concilium[i] haud diu ante prospexerat, vt concederet eis ducere posse vxorem; quanto æquius indulsisse visa esset Nicæna Synodus, vt quam ante susceptos ordines habuissent, secum retinere possent? Hos fortasse cum satagerent aliqui Episcopi in parem cum ceteris continentiæ obseruationem reducere; ne id fieret, iuste Paphnutius interfecit. Sed hæc suo loco alias pluribus.

e Conc. Nican. can. 3. DE CAELIBATV CLERICORVM EX NICAENO CANONE.

f Socr. lib. 1. c. 8.

g Sozom. lib. 1. c. 22.

h Epiph. hær. 30.

i Concil. Ancyr. c. 9.

Ceterum S. Leo[k] nec ipsis subdiaconis Græcorum Ecclesiæ vti permisit vxoribus, sic scribens ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: Cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, ne subdiaconis quidem carnale connubium conceditur; vt & qui habent, sint tamquam non habentes; & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignũ est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio quoque seruandum

XXII.

k Leo epist. 82. cap. 4. DE ARCTO CAELIBATV ECCLESIAE ORIENTALIS.

 est, ne

Universidad de Deusto
Biblioteca

est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyteri honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate vxoria necdum frenasse detegitur?] hæc S. Leo ad Græcos. At quomodo ijs licuisset vxores post ordines retinere, qui quantumlibet cælibes essent, tamen quòd vel viduam duxissent, vel aliter bigami fuissent, illis ex traditione Apostolica Innocentius [a] Papa, scribens ad Episcopos Macedoniæ, Ecclesiasticis ordinibus interdicit?

a Innoc. Papa epist. 22.

XXIII. EX CANONE APOSTOLORVM OBIECTIO SOLVITVR.

His igitur tam omnium Orientalium Ecclesiarum consuetudine, atque sanctorum Patrum testimonio testatis, quàm Nicæni Concilij auctoritate firmatis ac stabilitis, scilicet vxoratos in sacros ordines cooptatos iam in posterum ad continentiam seruandam adstrictos fuisse: non est quòd de canone Apostolorū [b] rursum quis moueat quæstionem, quòd eo statutum sit, ne Episcopus, aut presbyter, aut diaconus vxorem suam prætextu religionis abijciat: nam apocryphorum non est tanta auctoritas, vt quæ sunt tam certa, rata, atque firmata, conuellant. Verum nec ibi sic ne abijciat admonetur, vt det operam liberis procreandis; nam Apostolos (quod dictum est) quantumlibet coniugatos, post Apostolatum consecutum ab his temperasse, antiquorum testimonio certum habetur: sed quod Paulus admonuit [c]: Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior] illarum curam agerent. Nam & Petrum vna secum vxorem circumduxisse tradunt; de quo & Paulus [d]: Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut ceteri Apostoli fratres Domini, & Cephas?]

b Can. Apost. 5.

c 1. Tim. 5.

d 1. Cor. 9.

XXIV.

Non aliter quidem canonem illum interpretatos esse maiores nostros, certo argumento est, quòd Dionysius Græcorum scriptorum suorum temporum nobilissimus, qui claruit Iustino seniore imperante, de quo & summa cum laude meminit Cassiodorus [e], in sua Collectione sacrorum canonum, quibus singulis summarium præfixit titulum, eidem hanc inscriptionem præposuit [f]: Vt Episcopus aut presbyter vxorē suam, quam debet caste regere, non relinquat.] Verum quoniam, quòd de se ait Apostolus [g]: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant] optime consultum est, vt sacris functionibus mancipati, non tantum extraneārum, sed & coniugum vitarent contubernium. Quod maiorum exemplo, & sacrorum canonum institutione esse faciendum, S. Gregorius Papa scribens ad Romanum Defensorem [h] pluribus docet, qui secundum illum a Dionysio inscriptum illius canonis titulum eadem de Episcoporum vxoribus habet verba, cum ait: Hoc tantummodo adiecto, vt sicut canonica decreuit auctoritas, vxores, quas caste debent regere, non relinquant.] At quomodo non relinquant? numquid vt illis vtantur? (quod Nouator quispiam facile ausus erit interpretari) an non magis (quod dictum est) vt illius curam gerant? Nam quomodo, quæso, Gregorius id concedat Episcopis, qui scribens ad [i] Petrum, nec subdiaconos recipiendos esse constituit, nisi qui cum vxoribus antea acceptis vixerint continentes? Sic igitur quantumlibet velimus canonem illum firmissimæ esse auctoritatis; tamen secundum vniuersalis Ecclesiæ vsum ex omnium Patrum consensu, nonnisi eam quam diximus, interpretationem recipere, certum est.

e Cassiod. instit. diuin. lect.

f Habetur in Collect. Cresc.

g 1. Cor. 10.

h Gregor. lib. 7. ind. epist. 30.

VETITVM CONTVBERNIVM CVM VXORE RELICTA.

i Gregor. lib. 1. ind.. epist. 42.

XXV.

At hæc omnia a maioribus firmiter sancita atque firmata, Episcopi illi qui seorsum post absolutam Sextam Synodum [k], vsurpato tamen eiusdem Synodi nomine, priuato conuenticulo conuenere, labefactarunt, ac penitus inuerterunt: statuentes, non tam contra Ecclesiæ Romanæ consuetudinem atque decreta, quàm totius simul Catholicæ Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus præscriptum vsum & legibus Ecclesiasticis stabilitum, vt coniugati ad sacros allecti ordines, retinerent quas habebant vxores; quibus, certis tantum diebus exceptis, ad libitum admiscerentur. Adscisentes insuper ijdem ad suum ipsorum confirmandum conatum aperta mendacia; quasi in Concilio, quod citant, Carthaginensi statutum fuerit vt clerici ab vxoribus abstinerent tempore vicis suæ: quàm insigniter mentiantur, ipsa de hac re sæpius ab Africanis Episcopis sancita decreta testantur. Nam non tantum, quem superius citauimus, canon secundus Concilij secundi Carthaginensis, vt sacris ordinibus mancipati, se abstineant ab vxoribus, cauit: sed & tertius canon quintæ Synodi Carthaginensis hoc ipsum vehementer iniunxit absque aliqua temporis distinctione: nec aliter habet antiqua Dionysij nuper citata Collectio longe ante Sextæ Synodi tempora edita: vt ex his apertissima illorum appareat impostura, quam vt honesto titulo eadem illa seditiosorum factio

k Sext. Synod. c. 13. apud Theodor.

IMPOSTVRA SVB NOMINE SEXTAE SYNODI.

validaret,

validaret, ad conuellenda statuta Patrum, aucupari conata est ex Sextæ Synodi nomine auctoritatem: nam Græcorum trecentorum quinquaginta Orthodoxorum Episcoporum, qui ad Septimam Synodum [a] œcumenicam conuenere, testimonio constat, in Sexta Synodo nullum editum esse canonem. Sed de his vberius suo loco: non enim diutius immorandum, cum in his quæ sæpe sæpius inferius dicturi sumus, de clericorum continentia, de qua agimus, multa suppetant argumenta.

a Sept. Synod. Act. 4. & 5.

Quod vero spectat ad Occidentalis Ecclesiæ vsum, & antiquam sacris legibus firmatam consuetudinem, vt coniugati in sacros ordines cooptati, ab vxorum contubernio & coniugali coniunctione cessarent: etsi abunde, quæ superius ex sancto Hieronymo & alijs sunt dicta, ad id probandum sufficere possint; adijciam tamen aliqua, quæ tum a sacris Concilijs, tum etiam a Romanæ Ecclesiæ Pontificibus reperiuntur esse statuta. At in primis meminisse oportet (quod superius dictum est) testimonio sanctorum Patrum, qui ad secundam Synodum Carthaginensem conuenere, id non recens in Ecclesia institutum, sed ex traditione Apostolica antiquitus semper esse seruatum. Quòd igitur in sanctis Patrum conuentibus de hac re habentur promulgata decreta: illis quidem non noui quippiam fuit inductum, sed quod semper antiquitas obseruasset, sed tamen vel negligentia prætermisisset, aut temeritas violasset, aut abusus aliqua ex parte corrupisset; vt in re maximi ponderis, ad iterum atque iterum nouos de re veteri edendos canones permoti sunt. In Concilio Eliberino [b], quod vrgente adhuc vltima persecutione apparet celebratum fuisse, de coniugatis in sacrum officium cooptatis hæc reperiuntur esse statuta: Placuit in totum prohibere Episcopis, presbyteris, diaconis, & subdiaconis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis, & non generare filios: quod quicumque fecerit, honore clericatus exterminetur.] Arelatensi [c] etiam Synodo paulo post, Siluestri Romani Pontificis tempore celebrata, hæc renouata his verbis habentur: Assumi aliquem ad sacerdotium in vinculo coniugij constitutum, nisi fuerit promissa conuersio, non oportet.] hæc ipsa Siricius [d], hæc itidem Innocentius Papa [e] suis epistolis decretalibus statuerunt, quas citat Synodus Agathensis [f]. Id ipsum Synodus Turonensis 8, cuius Ecclesiæ Gregorius Episcopus non vt de re statuta recens, sed quæ seruaretur antiquitus, hæc ait [h] de Vrbico Episcopo Aruernensi: Hic fuit ex Senatoribus conuersus, vxorem habens; quæ iuxta consuetudinem Ecclesiasticam, remota a consortio sacerdotis, religiose viuebat.] Idemq. alibi [i] refert, Maclianum Regis Britannorum fratrem factum Episcopum, potiturum post mortem fratris regno, cum vxorem quam dimiserat recepisset, fuisse ab Episcopis excommunicatum. In secunda enim Synodo Turonensi [k] statutum istud etiam reperitur: Si inuentus fuerit presbyter cum sua presbytera, aut diaconus cum diaconissa, aut subdiaconus cum sua subdiaconissa; annum integrum excommunicatus habeatur, & depositus ab omni officio clericali, inter laicos se obsecrare cognoscat.] Presbytera vero mulier, diaconissa, vel subdiaconissa, sic dictæ a munere mariti, erant ipsorum coniuges, quas reliquerant: verum earum non dico carnali actu, sed vel leui concupiscentia affici, culpæ non mediocri dabatur, vt habetur declaratū exemplo Vrsini presbyteri, quod sanctus Gregorius scribit his verbis [l]: Hic ex tempore ordinationis suæ, presbyteram suam vt sororem diligens, sed quasi hostem cauens, ad se propius accedere numquam sinebat; eamq. sibi appropinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis abscíderat.] et paulo post: Hic venerabilis vir, cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ, inardescente grauiter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret solutis iam membris in morte distentum; si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus eius appositā curauit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo nisu valuit vt loqui potuisset, inferuescente spiritu, collegit vocem, atque erupit dicens: Discede a me mulier: adhuc igniculus viuit: paleam tolle.] hoc igitur exemplo quisque perpendat, quanto studio coniugati ad ordines semel assumpti, coniugum cauerent consuetudinem. Ad hæc insuper alia complura essent addenda in eam sententiam, sacrorum Conciliorum decreta, Patrum testimonia, ac Sanctorū denique exempla: at quoniam de his millies agendi in Annalibus opportunior occasio aderit, putauimus hæc in præsentiarum sufficere satis ad insinuandam ex instituto antiquam Ecclesiasticam consuetudinem de illis,

b Conc. Eliber. can. 33.

CONIVGATI ORDINATI ABSTINERE A CONIVGE IVSSI.

c Conc. Arelat. 2. c. 2.

d Siric. epist. ad Himerium c. 7.

e Innoc. Papa epist. 3. ad Exuper. c. 1.

f Conc. Agath. cap. 9.

g Concil. Turonen. 1. can. 1. 2.

h Greg. Turon. hist. Fran. lib. 1. c. 44.

i Greg. hist. lib. 4. c. 4.

k Conc. Turon. 2. can. 20.

l Gregor. Dial. lib. 4. c. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui vnius vxoris coniugio obligati, ad sacros ordines essent assumpti. A

XXVII. DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Hæc quantumlibet omni ex parte firmissima sint: tamen quoniam Apostoli verba non de his qui coniugati tunc essent, sed de illis potius qui vnicam tantum habuissent vxorem, nec bigami essent, ad sacerdotale munus cooptandis, communi consensione Patres omnes ferme sunt interpretati: quæ de ea re fuerit antiqua Catholicæ Ecclesiæ consuetudo, ex instituto nobis agendum incumbit. Equidem si expendamus rectum Pauli verborum sensum; non aliud, quàm de non assumendo ad sacerdotium bigamo, visus est statuisse. Nam cur, quæso, ordinandum præcipit vnius vxoris virum? Non certe vt excludi voluerit (quod superius satis perspicue est demonstratum) qui cælibes essent. Si vero vt reijceret eos qui non vnius, sed plurium haberentur vxorum viri: equidem nullus eiusce modi (vt etiam dictum est) reperiri poterat in Ecclesia; nam vt quis plures simul haberet vxores, prohibebatur Christianis legibus: quandoquidem siue Iudæus, siue Gentilis, quantumlibet antequam Christiana religione initiaretur, plures coniuges habuisset; prima retenta, ceteris nuncium remittere cogebatur, si in Ecclesiam voluisset admitti. Si igitur nullus penitus, qui inter Christianos profiteretur, duarum vxorum maritus poterat inueniri: cum dicit Paulus ordinandos esse vnius vxoris viros, de illis intellexisse necesse est affirmare, qui vnam tantum, & non plures olim habuissent vxores. B

XXVIII. CVR VETITI BIGAMI PROMOVERI.

Quanam autem ratione bigami ab Apostolo prohiberentur ne ad Episcopatum promouerentur; res est studiosius exploranda, & eius causa altius repetenda. Diximus sæpe superius, Apostolos ea quæ ad institutionem ac bonorum morum disciplinam spectare vidissent, eadem maiori aucta fœnore ex Synagoga in Ecclesiam transferre conatos esse; sicq. eadem non tantum (vt ait Tertullianus [a]) reseruata manerent, verum & ampliata; vt scilicet redundare possent mores Christianæ religionis super Scribarum & Pharisæorum iustitiam: At si iustitia, inquit, vtique & pudicitia. Cum igitur (quod idem ait [b]) prohiberet lex diuina sacerdotes denuo nubere, vetaretq. summum Pontificem [c] ducere in vxorem viduam, vel ab alijs repudiatam, vel meretricem, sed tantummodo virginem permitteret: instituturus Apostolus in Ecclesia sacerdotes, cum constaret ea ratione quam diximus, non facile reperiri virgines Christianos ætate ad sacerdotij munus suscipiendum idoneos, ex viduis eos assumi debere præcepit, qui vnius tantum fuissent vxoris viri. Nec passus est, eos qui assumendi essent in Ecclesiam sacerdotes, esse bigamos, cum sciret in legali sacerdotio fuisse monogamos. Itaque merito Paulus, eum qui fuisset vnius vxoris vir, in Episcopum esse cooptandum, Timotheum primo, ac denique Titum admonuit. C D

[a] *Tert. de monog. c. 7.*
[b] *Idem ibidem.*
[c] *Leuit. 21.*

XXIX. ETIAM GENTILES EXCLVDEBANT BIGAMOS.

At quidni hæc præstaret Ecclesia Christi, cum & Gentiles in falsa religione pene eadem consueuerint obseruare? de quibus Hieronymus [d]: Flamen, inquit, vnius vxoris ad sacerdotium admittitur: Flaminica quoque vnius mariti eligitur vxor: ad tauri Ægyptij sacra semel maritus assumitur.] hæc ipse, eademq. prorsus Tertullianus [e] ante ipsum. Sane quidem non tantum Episcopum, sed & viduam in ecclesiæ ministerium sic eligendam esse, idem Paulus ad Timotheum [f] scripsit, dicens: Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit vnius viri vxor.] At quomodo passurus esset assumi in sacerdotium qui duas vel plures successiue habuisset vxores, si viduam eligendam (quod nullius est sacramenti) nonnisi eam quæ fuisset vnius viri vxor, admitti voluit? Id ipsum seruatum esse antiquitus in Ecclesia, pluribus docet Tertullianus [g]; qui & probro adscribit, quòd aliqui bigami reperirentur præsidere. Hæc autem tam in Occidentali quàm etiam in Orientali Ecclesia obseruata, Innocentius Papa [h] ex traditione Apostolica sibi vindicat: quæ quidē mordicus tenuisse Apostolicæ sedis Antistites, in exemplum est S. Leo [i], qui, quantumlibet Ecclesia Mauritaniæ ob Vuandalicam cladem sacris ministris vehementer egeret, eaq. de causa (vt auctor est Victor Vticensis [k]) ad Romanum Pontificem legatos misisset, nihilominus nullatenus passus est vt ibi bigami ordinati in sacro officio ministrarent. E

[d] *Hier. ad Ageruch. epist. 11.*
[e] *Tert. de monog. in fin.*
[f] *1. Tim. 5.*
[g] *Tert. ad vxor. lib. 1. & de monog. c. 10. 11. 12.*
[h] *Innoc. ad Episcop. Maced. epist. 22. c. 1. 2.*
[i] *Leo epist. 87. c. 1. in fine.*
[k] *Victor de persec. Vuan. lib. 1.*

XXX. ETIAM PATRES IN CONCILIJ NICÆNI TRACTATV ADDIDISSE.

Præter Apostolicas vero seruatas in Ecclesia traditiones, Ambrosius [l] de eadem instítutione citat Nicæni Concilij canonē, sic dicens: Cognoscimus non solum hoc Apostolum de Episcopo & presbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilij Nicæni tractatu addidisse; neque clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit. Quomodo enim potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam viduitatem,

[l] *Ambr. ad Vercellens. epistol. 25. edit. Rom.*

A tatem, seruandam marito fidem, quam ipse priori coniugio non seruauerit?] At certe multo minus idoneus est, vt virginitatem eminentissimum in Ecclesia statū quempiam colere persuadeat, qui non vnius tantum, sed duarum coniugum sit fruitus voluptate. Sed adhuc eiusdem Apostolicæ institutionis aliæ ab alijs quoque afferuntur rationes. At licet exciderit, sicut & alij nonnulli, canon ille Nicæni Concilij: quidni tamen id in Ecclesia Catholica seruandum esse Patres statuissent, quandoquidem & Ariani id ipsum præstarent, vt nullo pacto bigamum quempiam ordinarent? quod satis aperte Epiphanius [a] demonstrat, dum agens aduersus Ebionæos, de Iosephio Comite narrat, quòd cum Ariani eum rapere vellent vt ordinarent, se bigamum esse testatus, periculum imminens euitauit. At de his, quod ad institutum pertinet, satis dictum.

ARIANI ETIAM BIGAMOS ORDINARE RECVSARVNT.

[a] *Epiph. hær. 30.*

B Quod vero ad istorum temporum, & rerum de quibus agitur, statum spectat: constat quidem tā ex dicta, quam hoc anno Paulus ad Titum dedit, epistola, quàm ex posteriori ad Corinthios scripta, multos in his Græciæ regionibus hoc tempore solitos circumuagari pseudoapostolos: de his enim hæc scribit ad Titum [b]: Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & seductores, maxime qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia, &c.] hos enim fabulas quasdam disseminasse, genealogias & quæstiones nonnullas peruulgasse tradit; quas vt vitet, aliosq. ea cauenda admoneat, ingerit. Horum vero causa, quòd multa mentiti essent de Christo, Lucas scribendi Euangelium arripuisse occasionem existimatur. Sane quidem, quòd non probaret quæ ab alijs scripta essent, se idcirco Euangelium scribere instituisse, ijs quæ in præfatione ad Theophilum scribit, testari videtur, dum sic ait: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum, &c.] pseudoapostolos ac pseudoscriptores his sugillatos verbis a Luca, firma est Patrum sententia: id enim Origenes [c], Epiphanius [d], Ambrosius [e], & alij recentiores [f] omnes affirmant. Hos fuisse Cherinthum & Merinthum, aliosq. eiusdem farinæ homines, idem Epiphanius [g] tradit. Nec est quòd adeo facile Græci, quos Paulus & Lucas instituebant, ad hos redarguendos vti potuissent Matthæi vel Marci Euangelijs iam ante hæc tempora editis: quippe qui diuersa lingua scripsissent: nam Matthæus Hebraice & Hebræis, Marcus vero Latine atque Latinis (vt pluribus superius dictum est) suum Euangelium tradiderunt. Conueniunt temporibus & loca. nam cum testetur sanctus Hieronymus [h], Lucam in Achaiæ & Bœotiæ partibus Euangelium conscripsisse: has regiones his temporibus peragrauit Paulus, cui Lucas fideliter inhærebat, vt ea quæ diximus & proxime D dicturi sumus, manifeste declarant. Ex his vero Euthymius [i], & si qui alij cum ipso senserunt, mendacij arguuntur, qui dixerunt, scriptum a Luca Euangelium anno decimoquinto postquam Dominus ascendit in cælum: nam nec eo tempore, nec post multos annos Lucam in Achaiam cum Paulo veniisse, ex his quæ superius dicta sunt, exploratissimum est.

EVANGELIVM SCRIBENDI LVCAE OCCASIO DATA.

[b] *Tit. 1.*
[c] *Orig. hom. 1. in Lucam.*
[d] *Epiph. hær. 51.*
[e] *Ambrosius in Luc. 1.*
[f] *Beda, Euth. et alij in Luc. 1.*
[g] *Epiph. hær. 51.*
[h] *Hier. in præf. in comment. super Matth.*
[i] *Euth. in præm. in Luc.*

Paulo autem hortante, ipsum scripsisse, deq. Euangelio Lucæ illum intellexisse, cum ait: Secundum Euangelium meum] tradit sanctus Hieronymus [k]: ac de eodem intellexisse, cum ait: Misimus cum illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.] Verum hæc de alijs diuersis, puta Barnaba, vel Sila, dicta esse, alios existimasse, superius, cum alias de Luca egimus, habuimus mentionem. Sane quidem Tertullianus [l] ante Hieronymum, Euangelium Lucæ illud fuisse, quod suum Paulus E dicit, affirmat. Dorotheus [m] (sed nescio vnde acceperit) iussu Petri a Luca scriptum esse Euangelium tradit. Quisnam vero ille Theophilus fuerit, ad quem Lucas suum scribit Euangelium, neminem hactenus inuenimus definisse: putantibus nonnullis non esse nomen proprium alicuius viri, sed cognomen Christiani cuiuspiam, qui Theophilus sit cognomento dictus, sicut & Ignatius est cognominatus Theophorus. Verum enimvero si ex apocryphis veritatem aliquando expiscari conceditur; reperimus in libris Recognitionum Clementis [n], fuisse Theophilum nobilem ciuem Antiochenum; qui a Petro ad fidem Christianam capessendam adductus, domum quoque suam vsui Christianorum mancipatam, in ecclesiam mutauit; in qua Petrus conuentus agens, cathedram posuit. Ad hunc igitur a Luca scriptum fuisse Euangelium, ea saltem ratio persuadet, quòd & ipse Lucas, vt ille, patria Antiochenus, ad Antiochenum conciuem, gentilem suum, de Dei Ecclesia optime meritum, illud iure conscripserit.

XXXI. DE THEOPHILO ANTIOCHENO.

[k] *Hier. de Script. Eccles. in Luc.*
[l] *Tertul. contra Marc. lib. 4.*
[m] *Dorotheus in Synopsi.*
[n] *Clem. recogn. lib. 10. c. vlt.*

XXXII.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Const. Apost. lib. 7. c. 46.

Reperimus insuper apud eumdem Clementem [a] in libris Constitutionum quemdam Theophilum, quem auctor dicit suffectum esse Zachæo in Episcopatu Ecclesiæ Cæsarien-sis in Palæstina: an autem idem sit cum Theophilo Antiocheno, non possumus certum quid affirmare. A

XXXIII. Sed & illud de eodem Theophilo non prætermittimus dicere, illustrem sane virum fuisse, ad quem non tantum Euangelium, sed & Acta Apostolorum idem Lucas inscripserit: nam illum honestissimo exornat titulo, dicens in præfatione Euangelij: Optime Theophile.] eo quippe titulo Paulum Apostolum [b] nominasse constat tum Felicem, tum Festum Iudææ Præsides, vt cum ait: Optime Felix, Optime Feste] dum coram ipsis constitutus causam diceret. Sic & Tribunus militum Claudius suas litteras ad eumdem Felicem Præsidem datas, quæ apud Acta habentur, eiusmodi titulo consignauit, dicens [c]: Claudius Lysias optimo Præsidi Felici.] vt plane liquido appareat, solitum eiusmodi titulum impartiri nobilissimis viris, fuisseq. amplissimæ dignitatis indicem, & non personæ laudem; vt absque aliquo mendacij scrupulo quibuscumque magistratibus illis fungentibus consueuerit impartiri: alioqui non putandum, Paulum ea adulatione atque mendacio demulcere voluisse sceleratissimum omnium Felicem, vel Festum, optimos appellando. Quamobrem accidisse existimamus, vt sicut illis temporibus ille vigebat loquendi vsus, vt quique candidati hoc titulo salutarentur, Boni viri: ita magistratum iam adepti, ijdem Optimi dicerentur, vnde & Optimates. De candidatis est illud Senecæ [d] ad Lucilium, dum ait: Sic illum amicum vocasti; quomodo omnes candidatos, Bonos viros dicimus; quomodo obuios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus.] quantæ enim excellentiæ titulus esset, vt quis, Optimus, salutaretur, Traianus Imperator plane declarauit exemplo: nam (vt de eo scribit Dio [e]) cum amplissimis gloriæ titulis appellaretur; nihil tamen eum, inquit, magis quàm cognomen Optimi iuuit.] B C

b Act. 24. 26.

INSIGNIS TITVLVS NOMEN OPTIMI.

c Act. 23.

d Senec. lib. 1. epist. 3.

e Dio in Traiano.

XXXIV. Sed iam ad Lucam iterum reuertamur. Inter typica ac symbolica illa quatuor Euangelistarum insignia, quæ primum Ezechieli, inde vero Ioanni Euangelistæ fuerunt diuinitus demonstrata, & a Patribus diuino plane spiritu declarata: facies bouis ob ministerium sacerdotij, a quo Lucas Euangelium auspicatur, ab omnibus ipsi tribuitur: cum alioqui (si licet sacris profana coniungere) antiqua voce in Italia (vt auctor est Varro [f]) bos Luca consueuerit appellari. Plura de Luca & Euangelio ab eo conscripto summa cum laude meminit Irenæus. Sed quod antea polliciti sumus, dicere non prætermittamus, an Lucas in numerum septuagintaduorum discipulorum sit referendus, vel inter Pauli discipulos adlegendus. Epiphanius [g] expresse testatur, Lucã fuisse vnum de septuagintaduobus. Euthymius in præfatione in Euangelium Lucæ, id ipsum sentiens, nititur testimonio Origenis. Sed vbi id dixerit Origenes, non inuenimus; nisi quòd in Euangelij Lucæ exordium hæc dicat: Inculcat & replicat, quoniam quæ scripturus est, non rumore cognouerit, sed ab initio ipse fuerit consecutus.] sed de horum verborum sensu dicemus postea. Dorotheus quoque in Synopsi recenset Lucam inter septuagintaduos discipulos Domini. sed haud constans est fides eius, quem constat adnumerasse inter eos complures discipulos Pauli. Demum quicumque loquentem Lucã de duobus discipulis abeuntibus Emmauntẽ, interpretati sunt alterum ex eis, cuius nomen non exprimitur (quòd id modestiæ causa ipse tacuisse putetur) fuisse Lucam, ijdem omnes æque confirmant, ipsum fuisse ex numero septuagintaduorum discipulorum. Certe quidem si illum Cleophæ comitem in via Lucam fuisse perspicuo monstrari posset, omnis prorsus de ea re controuersia soluta esset: sed quia tantum leuissima, qui hæc agunt, coniectura agunt, res est diligentius exquirenda. Quid antiquitas senserit, quisnam fuerit discipulus ille Cleophæ comes, Origenes [h] contra Celsum agens, vt in re confessa, monstrat sic dicens: Et in Euangelio Lucæ, ad inuicem Simone & Cleopha de omnibus quæ sibi acciderant colloquentibus, superueniens Iesus ambulabat cum eis.] hæc Origenes, qui ceteris antiquior id ex traditione pro constanti posuisse videtur. D E

f Varro de lingua Lat. lib. 6. DE LVCAE NOMINE ET MINISTERIO.

g Epiph. in Panar. haref. 51.

h Orig. contra Celsum lib. 2.

XXXV. Quamobrem quid de Luca sentiendum, a nullo securius, sicut neque certius neque verius, quàm ab ipso Luca petendum est. Cum enim ipse in sua ad Euangelium præfatione aperte profiteatur, se ea quæ scripturus esset, accepisse ab ijs qui viderant, & ministri sermonis fuerant; plane declarat, se ea non vidisse, vel coram audisse, sed ab alijs,

A alijs, qui cum Domino versati essent, accepisse. Sed reddamus ipsius verba: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.] Ex traditione igitur, quam acceperat, ea se scribere cum manifeste testetur; certe se alium quàm ex septuagintaduobus discipulis, qui cum Domino versati sunt, aliquem fuisse, manifeste significare videtur. Ioannes enim Euangelista, quòd cuncta vidisset, alijs vsus est verbis, sic dicens: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ (& vita manifestata est) & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis.] At quod prosequitur Lucas: Visum est & mihi, assecuto omnia a principio, diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile] perinde est, ac si dixisset: Quæ accepimus aliorũ traditione, (quod B dixerat) visum est omnia a principio diligenter ex ordine scribere. Hæc perspicue intelligentes antiqui Ecclesiastici tractatores, absque aliqua dubitatione tradiderunt, Lucam non Domini, sed Apostolorum fuisse discipulum. Hac namque nomenclatura itẽrum vsus est Irenæus [a], dicens: Lucas sectator & discipulus Apostolorum.] et Tertullianus [b] ait: Porro Lucas non Apostolus, sed Apostolicus; non magister, sed discipulus vtique magistro minor; certe tanto posterior, quanto posterioris Apostoli sectator, Pauli sine dubio.] S. Hieronymus quoque in præfatione super Matthæum, Pauli discipulum Lucam appellat. Idem sentiens Theodoretus [c] hæc habet: Etenim cum non vidisset B. Lucas, in principio operis dicit se ea narrare, de quibus certior factus est. Nos autem etsi audiamus eum non vidisse quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab alijs; non minus ei & Marco credimus, quàm Matthæo & Ioanni.] Lucam igitur non solum C Pauli fuisse discipulum, sed ab ipso genitum in Euangelio, S. Hieronymus [d] testatur, dicens: Appellantur filij Prophetarum, quales & in nouo Testamento Apostoli genuerunt, Paulus Timotheum, Lucam, & Titum, multosq. alios.] Hac eadem ratione & Origenes [e] existimauit Paulum nominasse inter alios Lucium (Lucam, vt ait) cognatum suum. Sed de his hactenus: iam reliqua prosequamur.

LVCAS NONDOMINI, SED APOSTOLORVM DISCIPVLVS.

a Iren. lib. 3. c. 14. & lib. 3. c. 1.

b Tertul. contr. Marcion. lib. 4. cap. 2.

c Theodoret. in præfat. Sanct. Patrum, in fin.

d Hier. in Isai. c. 65.

e Orig. in epist. ad Rom. in fin.

Nicopolim cum Paulus hiemis tempore peruenisset, ibi (vt existimamus) scripsit se- XXXVI.
cundam epistolam ad Corinthios: ea nimirum occasione, quòd cum superiori epistola PAVLVS SCRIPSIT SECVNanno præterito Ephesi ad eos data pollicitus esset [f] se ad eos venturum, cum Macedo- DAM EPISTOniam pertransisset, nec tamen id præstitisset; se excusans, hanc secundam ad eos scri- LAM AD CORINTHIOS.
psit epistolam, qua inter alia ait [g]: Hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secun- f 1. Cor. 16.
dam gratiam haberetis; & per vos transire in Macedoniam, & iterum a Macedonia ve- g 2. Cor. 1.
D nire ad vos, & a vobis deduci in Iudæam. Cum ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me, est, & non?] et paulo post: Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, qui parcens vobis, non veni Corinthum.] Eadem quoque epistola, cum in primis quæ in Asia passus sit, doceat; quæ postea sit passus in Macedonia, his verbis significat [h]: Non enim volumus ignorare h 2. Cor. 1.
vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui a tantis periculis nos eripuit.] et post multa [i]: Cum venissemus in Macedo- i 2. Cor. 7.
niam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ, intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in ad-
E uentu Titi: non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita magis vt gauderem.]

Miserat enim Paulus Titum vna cum socijs Corinthum, collectæ causa, quam iam XXXVII.
per priorem epistolam intimauerat. Id autem Paulus postea declarat, sic dicens [k]: Ita k 2. Cor. 8.
vt rogaremus Titum, vt quemadmodũ cœpit, ita & perficiat in vobis gratiam istam.] DE LEGATIONE TITI.
et inferius: Gratias autem Deo, qui dedit eamdem solicitudinem in corde Titi. Misimus & cũ illo fratrẽ, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias: non solum autem, sed & ordinatus est ab Ecclesijs comes peregrinationis nostræ in hanc gratiã, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam.] ac rursum: Misimus autem cũ illis & fratrẽ nostrum, quem probauimus in multis sæpe solicitum esse, nunc autem multo solicitiorem.] Cur autem tot tantosq. viros tanta solicitudine misisset, hanc inferius affert rationem

Universidad de Deusto
Biblioteca

a 2. Cor. 9. nem [a]: Misimus autem fratres, vt ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, A vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, & inuenerint vos imparatos, erubescamus nos, &c.] Hilari enim animo omne officiū ac studium ad eam nauandam operam Corinthij polliciti erant Tito ac ceteris discipulis a Paulo missis. Quamobrem hæc eadem epistola ista commemorans idem Paulus ait [b]: b Ibidem. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo & de vobis glorior apud Macedones: quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & vestra æmulatio prouocauit plurimos.] Quisnam vero fuerit ille, quem tam egregijs characteribus Paulus describit, nominatq. comitem suæ peregrinationis, Lucas ne, an Barnabas, satis est dictum superius anno Domini quinquagesimoprimo, vt non sit opus eadem hic repetere. Errant autem, mea sententia, qui putarunt Tito datam esse hanc epistolam ad Corinthios perferendam, eo quòd in ea dicat Paulus se misisse cum Tito & alios socios: nam B de priori Titi ad eos aduentu Paulum (vt dictum est) intellexisse, quiuis facile perspicere poterit. Nec est quòd quis dicat, iterum illuc Titum esse profectum, quem Paulus (vt suo loco est dictum) e Macedonia recedens, ac secum ducens, Cretæ reliquit. Sed iam cetera, quæ ab Apostolo ea epistola ad Corinthios scripta sunt, exacte consideremus.

XXXVIII. Cum eadem epistola Paulus iterum suum ad eos pollicetur aduentum: vt veniens cuncta læta atque tranquilla reperiret; adhuc absens, miseratione commotus, incestuosum illum, quem prioribus litteris tradiderat satanæ, iam indulgens absoluit: c 2. Cor. 2. quod ab illis ratum haberi rogat, sic dicens [c]: Sufficit illi qui huiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit a pluribus: ita vt e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui huiusmodi est. Propter quod obsecro vos, vt C confirmetis in illum charitatem. Ideo enim & scripsi, vt cognoscam experimentum DE INDVLGENTIA IN ECCLESIA CONCEDI SOLITA. vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos, in persona Christi; vt non circumueniamur a satana: non enim ignoramus cogitationes eius.] hucusque de indulgentia Paulus. Ad hæc enim scribenda permotus fuisse videtur Titi sermone, iam (vt dictum est) ad Paulum Corintho redeuntis: qui cum omnia, quæ in ea Ecclesia agerentur, ipsum admonuisset, mærorem hominis illius satanæ traditi eidē pariter significasse videtur, pro quo etiam veniam de precatum esse par est credere. Exemplo igitur Pauli, & auctoritate sibi in Apostolis a Christo concessa, merito sibi Ecclesia vendicat, vt peccantibus interdum indulgentiam largiatur; quam qui loco Apostolorum successerunt Episcopi, eadem ex causa soleant impartiri. Inflictis semel pro admissis delictis (vt D res postulat) pro arbitrio sacerdotum statutis pœnis, vel adhuc forte maioribus lege debitis iniungendis: cum vel ne his affectus, vel maioribus afficiendus (quod Paulum commouit) nimia tristitia pœnitens absorberetur; hac, vel alia quacumque ex causa id expedire visum fuerit (vt fecit Apostolus) eas indulgendo remittere ijdem Episcopi consueuerunt.

XXXIX. Frequens eius rei vsus in Ecclesia reperitur, cum persecutionum temporibus lapsi Fideles, ad Ecclesiam redeuntes, exomologesimq. facientes, indulgentiam vel de iuncto vel de iniungendo pœnitentiæ tempore, quo extra communionem in afflictione agere deberent, instanter deprecabantur: et quo minus se eam assequi ob facANTIQVVS INDVLGENTIARVM VSVS. cinorum magnitudinem diffiderent, commendatitijs sanctorum litteris, qui fidei causa in carcere detenti essent, eam promereri studebant. Id quidem est quod E d Tertull. ad mart. c. 1. Tertullianus [d] ad martyres in carcere positos scribit his verbis, ipsam indulgentiam pacem appellans: Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueuerunt.] non quidem quòd illi hanc ipsis præstarent indulgentiam, sed quòd pro illis libellos supplices ad Episcopos darent, prout Cyprianus multis exemplis declarat: vt in primis cum ad martyres, qui plusquam fas est- e Cypr. epist. 11. set, vsurparent, ac præpropere peterent pro lapsis indulgentiam, sic scribit [e]: Illi (*qui lapsi sunt scilicet*) contra Euangelij legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim grauissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, &c.] negandam prorsus esse, si vi quadam atque procacia peteretur, tam ipsius

Cypriani

A Cypriani [a] quàm Cleri Romani [b] declarant epistolæ, ac præsertim liber a Cypriano scriptus de lapsis. Sed sicut aliquibus importune vel inofficiose petentibus vigor sacerdotalis resistere videbatur, ita humiliter submisseq. indulgentiam efflagitantibus pastoralis commiseratio, cum præsertim temporis ratio postularet, præsto erat: quod sæpius idem auctor demonstrat, dum Nouatianos suis scriptis exagitat, vt ea potissimum epistola docet, quam eius argumenti, nimirum de indulgentia lapsis danda, ad Cornelium scripsit [c]. Sed & in Magno Nicæno Concilio [d] statutum reperitur, vt pro animi ardore, quo quis susceperit iniunctam peragere pœnitentiam, possit Episcopus indulgentiam, ne præstitutum integrum tempus persoluere teneatur, illi præstare. Sunt & alij de eadem re diuersorum Conciliorum canones; sed de his alias.

a Cypr. epistol. 21. 22. 23. & seq. b Apud Cypr. epist. 30. & 31. c Cypr. epist. 54. d Concil. Nic. 11. & 12.

XL. At redeamus ad Paulum: qui quantumlibet benignum ac indulgentem cum Corin-
COMMINATIO PAVLI. B thio sic nequiter lapso se præberet, quòd nimirum ille aliqua saltem ex parte de admisso scelere egisset pœnitentiam: aduersus eos tamen, qui luxurijs item essent turpissime inquinati, nec pœnitentiam egissent, se vindicem fore minatur, sic dicens [e]: Timeo e 2. Cor. 12. enim, ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos; & ego inueniar a vobis, 13. qualem non vultis.] et paulo post: Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex ijs qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione & impudicitia, quam gesserunt. Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico, vt præsens, & nunc absens ijs qui antea peccauerunt, & ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.] hæc ad eos ille: solutissimos enim in venerem fuisse Corinthios, superius dictum est.

XLI. C Iam cetera, quæ ad Pauli res gestas spectare videntur, ordine prosequamur. Eadem quippe epistola, occasione quorumdam, qui iactanter nimis in magnum veritatis præiudicium aduersus ipsum se extollebant, sui Apostolatus insignia, quæ nimirum causa Euangelij passus esset, necessitate compulsus & inuitus (quod sæpius protestatur) aspicienda ob illorum oculos ponit. At quoniam quod ad graues ærumnas, quas perpessus est, spectat, earum maior pars a Luca prætermissa cognoscitur; eius verbis ipsa recitare, operæpretium ducimus. ait igitur [f]: Ministri Christi sunt, & ego (vt minus f 2. Cor. 11. sapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis su-
QVAE PASSVS SIT PAVLVS. pra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum: ter naufragium feci, nocte & die in profundum maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, pe-
D riculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? &c.]

XLII. Horum quidem complura a Luca esse prætermissa, nemo non videt: idq. non inuidiæ vel oscitantiæ causa: sed quòd (vt in multis obseruauimus) nonnisi ea, quibus præsens fuit, singillatim recensеat, cetera vero adeo summatim, vt tribus fere verbis res gestas plurium mensium & annorum perstringat. Nam (vt nuper vidimus g) Pauli g Act. 20. Epheso discessionem, in Macedonia commorationem, profectionem in Græciam, & nauigationem Troadem, quæ duorum prope annorum spatio esse peracta epistolæ
PRAETERMISSA A S. LVCA. E eius manifeste declarant, perpaucis absoluit. Sed quod ad ea quæ a Paulo recensita sunt pertinet: de Iudaica illa animaduersione, qua vndequadraginta verbera infligebantur, cum quinquies se ea Paulus affectum esse testetur, Lucas ne verbum quidem. Cumq. Paulus ter se cæsum virgis dicat; de vnica tantum virgarum animaduersione facta Philippis idem [h] meminit, & de lapidatione [i] facta Lystris. De naufragio item in hanc h Act. 16. diem tertiùm passo, nihil prorsus. Sed hic & illud breuiter necessario monendum pu- i Act. 14. tamus lectorem; nonnullis accidisse, vt temporum ignoratione in maximos errores incidant, putantes nimirum, naufragium apud Melitam passum (quod Lucas [k] narrat) k Act. 27. vnum e tribus fuisse a Paulo enumeratis: non animaduertentes, secundam epistolam ad Corinthios longe ante illud naufragium esse scriptam. Quamobrem scrupulosa quæ videtur in historia temporum indagatio, quantum conferat ad veram atque germanam diuinæ Scripturæ interpretationem, quisque facile iudicabit. Hæc sentiens Ioannes

Chry-

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] *Chrys. in epist. ad Rom. in pr.*

Chrysostomus [a], & ipse quibus in locis, quandove Pauli epistolæ fuerint scriptæ, perue- A
stigans, hæc ait: Proinde hunc laborem nemo extra rem, neve hanc indagationem su-
peruacaneæ curiositatis esse putet: confert enim nobis non parum ad quæstiones ex-
plicandas ipsum epistolarum tempus.]

XLIII. Quod vero pertinet ad profundum maris, in quo se nocte ac die fuisse Apostolus tra-
dit: cum multæ de ea re afferantur interpretationes: accipe, si non displicet, quod apud
[b] *Beda lib. quæst. q. 3. tit. 8. col. 301.* Bedam [b] legitur ex Theodoro, fuisse eo nomine terrimum omniū carcerem Cyzice-
num, qui ex eo quòd altissimus esset, adeoq. deorsum depressus, merito Profundum
DE PROFVNDO MARIS. maris sit dictus: porro illi similis erat Athenis famosissimus carcer, Barathrum appel-
latus, vel qui Syracusis, Latomiæ nominatus, & qui Romæ nuncupatus est Tullia-
nus, aliqua ex parte eidem comparandus: hi enim nominatissimi omnium habentur.
At licet neque in Actis a Luca conscriptis, nec in epistolis Pauli habeatur aliqua men- B
[c] *Strab. lib. 12.* tio de Pauli aduentu Cyzicum: tamen cum constet eum venisse Troadem, Cyzicum
itidem in Propontide situm conscendisse, par est credere. nam cum, Strabonis [c] sen-
tentia, ea ciuitas ob magnitudinem, pulchritudinem, & legum bonitatem, bello pa-
ciq. accommodata, comparari posset cum principibus Asiæ vrbibus; quæq. (vt idem
ait) ijsdem esset prædita ornamentis, quibus Rhodiorum, Massilienſium, & Cartha-
ginensium nobilissimæ ciuitates; a Paulo non fuisse eam neglectam, æquum est existi-
mare. Quæ ergo ibi grauissima passus est, inter eas adnumerat tribulationes, quas
[d] *2. Cor. 1.* omniū vehementissimas in Asia se esse perpessum, in eadem dicit epistola [d]. Nec quem-
quam moueat, quòd de carceribus superius habuerit mentionem, dicens: "In carceri-
bus abundantius.] nam & de plagis acceptis itidem cum meminisset, quæ generatim
complexus erat, postea speciatim enumerat. Sed quod diuersa sit de profundo maris C
diuersorum sententia, lector quid velit sentiat.

XLIV. Post recensitas denique quas passus est pœnas; eadem, quam diximus, occasione,
[e] *2. Cor. 11.* quòd ante annos quatuordecim ad tertium cælum [e] raptus, visiones & reuelationes
acceperit, narrat; de quibus nos suo loco superius egimus, anno nimirum Domini
quadragesimoquarto, quo contigerunt. Cum vero ad Corinthios epistola scripta,
PAVLVS TERTIO INVISIT CORINTHIOS. Paulus, quod sæpe pollicitus erat, iterum spondet, Corinthum se esse venturum: ter-
tium hunc esse sui Corinthum aduentum, ipse iterum eadem epistola testatus est, di-
[f] *2. Cor. 12. 13.* cens [f]: Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos.] et in fine iterum: Ecce tertio hoc
venio ad vos.] Verum cum neque ex Luca in Actis, nec alibi in eiusdem Pauli epis-
tolis de secundo eius Corinthum aduentu mentio habeatur: fortasse sic accidit, vt quem-
[g] *Act. 20.* admodum de se testatur idem Paulus triennio [g] mansisse Ephesi, cum tamen non sem- D
per ibi consederit, sed ad alias Asiæ ciuitates profectus Euangelium prædicans (quod
[h] *Act. 18. 19.* Lucas [h] testatur) Ephesum reuersus, sic a primo suo ad illos aduentu triennio manserit:
[i] *Act. 18.* ita etiam, dum scribit Lucas [i] Paulum annum & sex menses mansisse Corinthi, non
intelligendum sit, vt numquam per illud tempus inde recesserit, sed ad alias propin-
quiores Achaiæ ciuitates ipsum migrasse, atque iterum redeuntem, dictum tempus
expleſse: alio enim hæc quàm dicto sensu accipi non posse, qui cuncta exacte perlegerit,
æque consentiet.

XLV. De reliquis Pauli rebus gestis per tres menses, quibus (vt Lucas [k] ait) mansit in Græ-
[k] *Act. 20.* cia (intelligens per Græciam regiones omnes quæ ab Achaia vsque in Illyricum inter-
[l] *Rom. 15.* iacent) ea tantum habemus expressa, quæ idem ipse Paulus scribens ad Romanos [l] his
verbis significat: Non enim audeo aliquid loqui eorum quæ per me non effecit Chri- E
stus in obedientiam Gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorū, in
virtute Spiritus sancti: ita vt ab Hierusalem per circuitū vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.] sed quam rationem habuerit in prædicando, mox subdit:
Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alie-
num fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatum
de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.] hæc Paulus, qui proximo iam ve-
re in Syriā recta soluere, vt quam collegerat pecuniā, Hierosolymam ad pauperes illic
agentes deferret, in animum duxit: sed insidiantibus illi Iudæis, id facere minus licuit:
quamobrē, vt qua venerat via, rediret in Macedoniā, iter aggreditur vna cum suis. hæc
[m] *Act. 20.* enim Lucas [m] paucis describit, sic dicens: Cū fecisset menses tres, factæ sunt illi insidiæ
a Iudæis nauigaturo in Syriam: habuitq. consiliū, vt reuerteretur per Macedoniam.]

Sed

Sed antequam Paulus rediret in Macedoniam, Corinthum versus iter direxisse, XLVI.
A ac Cenchreas (quod est nauale Corinthiorum) peruenisse, ibiq. scripsisse ad Roma-
nos, Origenes [a] existimauit, qui ait: Illud haud absurde admonebimus, quòd vi-
detur hanc epistolam de Corintho scribere: et alijs quidem pluribus indicijs, euiden-
tius autem ex eo quod dicit: Commendo autem vobis Phœben sororem nostram,
ministram Ecclesiæ quæ est Cenchreis (Cenchreæ enim dicitur locus Corintho vici-
nus, immo prorsus ipsius Corinthi) et ex hoc ergo apparet de Corintho scripta, &
alijs quidem pluribus indicijs: euidentius tamen ex eo quod dixit: Salutat vos Ca-
ius hospes meus. de quo Caio scribens Corinthijs meminit dicens: At gratias ago
Deo meo, quòd neminem vestrum baptizaui, nisi Crispum & Caium. Simile &
deinde datur indicium, vbi dicit: Salutat vos Erastus arcarius ciuitatis. de quo
B Erasto ad Timotheum secundam scribens dixit: Erastus remansit Corinthi.] hæc
Origenes, ex quibus eam epistolam ad Romanos apud Corinthum scriptam esse
concludit; cui nos etiam assentimur. Antequam igitur cetera Pauli itinera relega-
mus; in his quæ ad Romanos scribit, & ad historicam veritatem spectare cognoscun-
tur, paululum immoremur.

[a] *Orig. in præf. in epist. ad Roman. Theodor. in præf. in epist. Pauli, & alij.*

PAVLVS AD ROMANOS SCRIBIT.

Ad Gentiles potissimum, qui Romæ erant credentes, hanc Paulus scripsit epistо- XLVII.
lam: quod quidem ex verbis ipsius liquido constat: sic enim ait in eius exordio [b]: [b] *Rom. 1.*
Sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum ha-
beam in vobis, sicut & in ceteris Gentibus. Græcis ac barbaris, sapientibus & insipien-
tibus debitor sum.] et prope finem [c]: Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, [c] *Rom. 15.*
C tamquam in memoriam vos reducens: propter gratiam quæ data est mihi a Deo, vt
sim minister Christi Iesu in Gentibus, testificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gen-
tium accepta & sanctificata in Spiritu sancto.] At qualis eo tempore esset status Roma-
næ Ecclesiæ, eodem prædicante audiamus; hæc enim ait [d]: Primum quidem gratias [d] *Rom. 1.*
ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in
vniuerso mundo.] ac rursum [e]: Certus sum autem, fratres mei, & ego ipse de vobis, [e] *Rom. 15.*
quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita vt possitis alterutrum
monere.] ac demum [f]: Vestra obedientia in omnem locum diuulgata est. Gaudeo [f] *Rom. 16.*
igitur in vobis.]

DE STATV ROMANAE ECCLESIAE.

His igitur patet, iam florentissimam fuisse Romanorum Ecclesiam, ac mirifice XLVIII.
propagatam, atque adeo auctam, vt eius fides annunciaretur in vniuerso Orbe, &,
quod addit, eiusdem obedientia in omnem locum diuulgata esset. Hæc non eis
D blandiens (inquit Theodoretus [g]) sed vera dicens, posuit Apostolus: neque enim fieri [g] *Theodoret. in epist. ad Rom. cap. 1.*
poterat, vt quæ Romæ eueniebant, ea illos, qui in toto erant orbe terrarum, laterent.
In illa enim Imperatores regiam suam habebant, & illinc emittebantur & qui gen-
tibus præessent, & qui vectigalia a ciuitatibus exigerent. Iam vero in illam quo-
que decurrebant omnes qui regalia profitebantur beneficia, & per hos omnes vbi-
que significabatur quòd ciuitas Romanorum Christi doctrinam perceperat.] hæc
ille. Sanctus Hieronymus [h] hæc magna consideratione a Paulo esse dicta cognouit: [h] *Hier. in præf. lib. 2. in epistol. ad Galat.*
vnde ait: Vultis scire, o Paula & Eustochium, quomodo Apostolus vnamquamque
prouinciam suis proprietatibus denotarit? Vsque hodie eadem vel virtutum vesti- EMINENS FIDES ROMANORVM.
gia permanent, vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides. Vbi aliquando tan-
to studio & frequentia ad ecclesias & ad martyrum sepulchra concurritur? Vbi sic
E ad similitudinem cælestis tonitrui, Amen reboat, & vacua idolorum templa qua-
tiuntur? Non quòd aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Chri-
sti Ecclesiæ; sed quòd deuotio in eis maior sit, & simplicitas ad credendum.] hæc
Hieronymus. Idem qui supra Theodoretus [i] scribens ad sanctum Leonem Romanum [i] *Habetur tom. 2. in fine nouæ edit.*
Pontificem hæc habet de Romana vrbe, & fide illius: Accedit his, quòd hoc quoque,
quod rerum potitur, peperit Imperium, & propria sua appellatione eos quibus impe-
rat impertijt: præcipue autem & insigniter eam exornat fides, & fide dignus testis
diuinus Apostolus, qui clamat: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. Si
autem diuinæ prædicationis, statim susceptis seminibus, mirabiles hos fructus & tam
vberes tulit; quænam ad eam, quæ nunc in ea versatur, pietatem laudibus celebran-
dam suffecerit oratio?] hæc ipse.

Accidit hanc ob causam, quòd sicut omnes qui Romano subessent Imperio, Ro- XLIX.

manorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

manorum appellatione nobilitati essent, secundum quod lege [a] sancitum est, vt omnes qui sub orbe Romano sunt, Romani ciues appellarentur: ita pariter omnes quotquot Catholica fide pollerent, Romani itidem dicerentur: eo quòd fides Catholica, Romana pariter diceretur. Quod licet superius occasione Catholici nominis sit perspicue demonstratum; tamen eadem hic repetere (quòd rei exigat argumentum) haud otiosum putamus; & in primis testimonium Theodosij iunioris Imperatoris sic scribentis ad Acacium [b] Episcopum Beroœensem: Vos probatos Romanæ religionis sacerdotes esse, manifesto argumento declarate.] Sed & ipsos hæreticos consueuisse Catholicos communi loquendi vsu itidem nominare Romanos, plura sunt exempla; vt apud Victorem Vticensem [c], cum Iocundus Arianus Episcopus ad Regis filium, Si gladio, inquit, peremeris, incipient Romani martyrem prædicare.] et apud Gregorium Turonensem [d] itidem de Ariano Principe: Cogitauit intra se dicens: Quia ingenium est Romanorum (Romanos enim vocant homines nostræ religionis) vt ita accidat, & non sit virtus Dei.] Iremq. inferius [e] de Ariano sic dicente: Si consenseris dictis meis, exercemus hodie cachinnum de hoc Romanorum presbytero] hoc est, de Catholico sacerdote: ac rursum de ijsdem Arianis qui erant in Gallijs [f]: Quid putatis (dicebat vnus ex illis) quod nunc isti Romani dicant.]

[a] *l. in Vrbe Rom. ff. de stat. hom. secundâ lectionem Alciati.*

FIDES ROMANA, EADEM QVAE CATHOLICA.

[b] *Extant in Act. Concil. Ephes. edit. Pelran. tom. 3. c. 10.*

[c] *Victor Vticen. de persec. Vand. lib. 2.*

[d] *Greg. Turon. de glor. mart. c. 25.*

[e] *Eod. lib. c. 30.*

[f] *Eod. lib. c. 79.*

L. Data est huius loquendi vsus ea occasio, quòd cum Romana Ecclesia Petri peculiaris esset; qui (quod monstratum est sæpius) sicut caput totius Ecclesiæ a Christo Domino institutus, non tantum eorum qui Romæ vel in Italia essent, sed omnium in orbe terrarum Christianorum pastor diceretur & esset; ita ipsa merito mater omnium diceretur Ecclesiarum. Sed quòd insuper supra Petram, eumdem & Petrum, a Christo fundatæ Ecclesiæ datum ab eodem esset priuilegium, vt portæ inferi, nempe hæreses (vt Epiphanius & alij sunt interpretati) non præualerent aduersus eam; eadem ex causa qui essent fide sincera, ac probati in omnibus Orthodoxi, ijdem Romani ab omnibus dicerentur. Nam ait Irenæus [g]: Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnẽ conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique Fideles: in qua semper ab his qui sunt vndique, conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.]

[g] *Irenæus lib. 3. c. 3.*

ROMANAE ECCLESIAE PRAEROGATIVA.

Sicq. quod dicit Paulus de Romanis: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo] prophetice dictum esse, Cyprianus in primis existimauit; qui ad Cornelium Papam scribens [h], hæc ait: Dum apud vos vnus animus, & vna vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Claruit, fratres carissimi, fides, quam de vobis beatus Apostolus prædicauit: hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem iam tunc in spiritu præuidebat, & præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios prouocabat.] hæc ipse. Sed obseruatione illud quoque, secundum Ioannem Chrysostomum [i], dignum est, quod ait Apostolus: Fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.] quòd scilicet, sicut Ecclesia Romana, Petro prædicante, crediderat, ita credere deberent ceteræ nationes. ait enim ipse: Non dixit, Manifestatur, sed, Annunciatur.] et paulo post: Hoc solum ait, Annunciatur: ac recte quidem, Annunciatur: planum faciens, quòd dictis nihil quicquam addendum vel demendum esset. Angeli seu nuncij hoc est opus, quæ dicuntur, ea sola deferre: ob quod & sacerdos Angelus vocatur, quòd non sua ipsius, sed ea tantum nunciat, quæ ab eo acceperit, a quo delegatur. Quamquam Petrus inibi etiam prædicauit: sed illius facta, sua esse ducit: vsque adeo (quod antea diximus) inuidentia omni supra modum vacabat.] hæc ipse, exacte considerans, quòd quantumlibet idem Apostolus magnis præconijs celebret Ecclesiam Thessalonicensium [k], ad ipsam scribens, nihilominus nequicquam tale de illa locutus fuerit.

[h] *Cypr. epist. 57.*

[i] *Ioan. Chrysost. in epist. ad Rom. hom. 2.*

[k] *1. Thess. 1.*

LI. Sed cum tam ex nuper dictis, quàm etiam ex superius enarratis de aduentu Petri Romam anno secundo Claudij Imp. constet Romanam Ecclesiam iam primitus erectam atque institutam fuisse: quænam subesse potuit causa, vt ad Romanos Paulus scribens, nullam prorsus de Petro habuerit mentionem? At multæ quidem: sed ea potissima creditur; Petrum scilicet edicto Claudij (vt dictum est) cum Iudæis semel Roma pulsum, ad externas Orbis oras prædicationem Euangelij conuertisse, & in his hactenus laborasse: quippe cum vniuersi gregis curam a Domino sibi demandatam suscepisset, & quod ipse coram Apostolis de se testatur, dicens: Elegit Deus per os meum audire Gentes verbum Euangelij, & credere] non erat eius officij, in vno loco consistere,

stere, sed quantum homini licuisset, vniuersum peragrare Orbem, & nondum credentes ad fidem perducere, credentes vero in fide penitus stabilire. Si enim Paulus ad prædicandum itidem Gentibus Euangelium a Deo electus erat, licet neutiquam ei vniuersi gregis cura credita esset; tamen ex his quæ Lucas scribit, vidimus eum tot prouincias circumlustrasse, ac ita (vt de se ipse testatur [a]) Hierosolymis in Illyricum vsque longe lateq. Euangelium prædicasse, vt cum locum vlterius non haberet, Hispanias cogitaret: quid de Petro dicendum est, cuius præcipue muneris erat in his præ ceteris insudare? Cum præsertim non sicut in Orientalis orbis partes, sciamus ceteros Apostolos missos esse in Occidentem, vno excepto Barnaba, qui ad breue tempus Ligures docuit; vel Iacobo (si tamen consenserimus ijs qui tradunt eum cito rediturum Hispaniam penetrasse) ceterorum autem neminem esse missum, liquido appareat. Petri igitur muneris erat, vt qui iam complures Orientis prouincias prædicando Euangelium peragrasset, iam (quod reliquum esse videbatur) lustraret orbem Occidentalem, & vsque ad Britannos (quod tradunt Metaphrastes [b] & alij) Christi fidem annuncians penetraret.

PETRVS OCCIDENTALEM ORBEM PERAGRAVIT.

[a] *Rom. 15.*

[b] *Metaph. die 29. Iunij.*

LII. Certe quidem Gregorius [c] scribens ad Episcopos Numidiæ, eos ab Apostolo Petro accepisse ordinationum initia testatur. hoc est, quod & ante Tertullianus [d] dicebat: Habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est.] et Cyprianus [e] Romanam Ecclesiam matricem appellat, quòd non tantum Carthaginensis Ecclesia ab ea fidem accepisset, sed quæ sub ipsa continentur Mauritania atque Numidia. Et quis mirabitur hæc, cum idem Paulus hac ipsa epistola testetur, impletum esse quod prædictum in Psalmo fuerat [f]: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum?] Merito igitur manifestum fuisse ait Innocentius [g] ad Decentium scribens, Ecclesias in omni Italia, Gallia, Hispania, Africa, Sicilia, ac insulis interiacentibus positas, a nullo alio quàm a Petro, vel eius discipulis & successoribus instituras esse. Non est ergo quòd iure quis possit de absentia Petri calumniam facere, vel de silentio Pauli mouere quæstionem; cum scribens ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, & alios, nequicquam de ipsorum Episcopis expresse meminerit. Potuit & illud perfacile accidisse (etiam si dixerimus his temporibus Petrum Romæ egisse) vt familiares alias ad ipsum Paulus eidem tabellario dederit litteras; adeo vt non opus esset per alios salutari, cui ipse, suis priuatis litteris monens, salutem plurimam impartitus esset. Hæc enim humanitatis officia inter Apostolos interesse, quis tam ab humanitate alienus negare præsumpserit? Sed de his satis.

POPVLI A PETRO VEL EIVS DISCIPVLIS DOCTI.

[c] *Gregor. lib. 2. epist. 75.*

[d] *Tertul. lib. de præscrip. c. 30.*

[e] *Cyprian. epist. 45.*

[f] *Psal. 10.*

[g] *Innoc. epist. 2.*

LIII. Quanam autem occasione Paulus permotus scripserit ad Romanos, ex eius epistolæ argumento facile assequi licet; de quo hæc S. Augustinus [h]: Epistola, inquit, quam Paulus Apostolus scripsit ad Romanos, quantũ ex eius textu intelligi potest, quæstionem habet, vtrum Iudæis solis Euangelium Domini nostri Iesu Christi venerit propter merita operum; an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit iustificatio fidei, quæ est in Christo Iesu: vt non quia iusti erant, homines crederent; sed credendo iustificati, deinceps iuste viuere inciperent. Hoc ergo docere contendit Apostolus, omnibus venisse gratiam Domini nostri Iesu Christi; quam propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiæ redditũ est, sed gratuito datum.] hæc de epistolæ argumento Augustinus. Sed qua rursum occasione ita scripsisset, hanc deinde affert rationem, quæ ex eadem ipsa epistola pariter intelligitur: Cœperant, inquit, nonnulli qui ex Iudæis crediderant, tumultuari aduersus Gentes, & maxime aduersus Apostolum Paulum, quòd incircumcisos & a legis veteris vinculis liberos admittebat ad Euangelij gratiam, prædicans eis, vt in Christum crederent, nullo imposito circumcisionis carnalis iugo: sed plane tanta moderatione, vti nec Iudæos superbire permittat, tamquam de meritis operum legis; nec Gentes merito fidei aduersus Iudæos inflari, quòd ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerunt.] hactenus Augustinus. Ex his plane adducimur, vt credamus Petrum Roma absentem fuisse: nam sicut olim in Concilio Hierosolymitano Iudæos Christianos eadem ex causa tumultuantes, Apostolica auctoritate [i], reddita de omnibus ratione, compescuit; haud dubium hæc eadem Romæ idem Petrus, si præsens fuisset, minori negotio præstitisset. Nisi dicere velimus, eadem omnia pro sua defensione Paulum scripsisse, quòd de abrogatis legalibus sibi negotium factum esset.

DE ARGVMENTO EPISTOLAE AD ROMANOS.

[h] *Aug. in expos. inchoata eiusd. epist.*

[i] *Act. 15.*

LIV. ROMANORVM MORES PAVLVS EVGILLAT.

At quicquid sit: quantumlibet ad ipsos Paulus scribens, eosdem tantopere laudet, & ad pietatem instituat, & multis argumentis amorem suum erga ipsos testatum reddat: tamen non prætermittit, quo minus illos redarguat, facilitatis nimirum atque superbiæ, quòd (vt notat Hieronymus [a]) hæc fuerint peculiaria vitia Romanorum; quæ etiam Bernardus [b] exprobrat, sic dicens: Populus Romanus est. Nec breuius potui, nec expressius tamen aperire de tuis paroecianis quod sentio. Quid tam notũ sæculis, quàm proteruia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta; gens immitis, & intractabilis, & vsque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere.] hæc ille: quæ nos idcirco retulisse voluimus, vt quisque intelligat, non esse Romanorum virtutis, si Romana Ecclesia semper florentissima, caput extitit omnium Ecclesiarum, & deficientibus ceteris sedibus Apostolorum, ipsa permanserit inconcussa, & sicut olim, ita & semper illibata fides ipsius in vniuerso orbe Catholico prædicetur: sed potius esse sedis Petri tam excellentem prærogatiuam, & priuilegium eidem diuinitus impartitum. Dei enim donum est non ex operibus [c], ne quis glorietur.

a Hier. in præf. lib. 2. in epist. ad Rom.
b Bern. Ad Eugen. lib. 4.
c Ephes. 2.

LV.

Verum vt tandem de illis, quorum idem Paulus [d] in fine suæ epistolæ meminit, agamus (id enim ad rerum gestarum historiam spectare quis dubitet?) Cum commendat in primis Phœben ministram ecclesiæ quæ est in Cenchreis, opinamur eam fuisse diaconissam, eiusdemq. muneris & Mariam, de qua inferius ait: Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis.] similiter Tryphænã & Tryphosam; quæ, inquit, laborant in Domino.] pariterq. Persidem, de qua itidem ait: Salutate Persidem carissimam, quæ multum laborauit in Domino] quantum scilicet sexui femineo iure concessum esset. fuisse enim quasdam ecclesiasticas functiones, quæ mulierum diaconissarum essent, satis superius dictum est; ne quis putet has verbi prædicationem administrasse, quam iam Paulum illis inhibuisse, cum ad Corinthios scriberet, certum est, cum dixit [e]: Mulieres in ecclesijs taceant.] quibus non tantum ibi docere, immo nec interrogare quidem, vt discerent, illis permisit, dicens: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.] Sed hoc ipsum Chrysostomus eo temperamento existimat intelligendum, vt non prorsus feminis Apostolus interdixerit quolibet diuino sermone, sed illo tantum qui publicus haberetur: sic enim ait: Præsidentiam, quæ fit in medio ecclesiarum, illis prohibet, sedemq. in pulpito, non doctrinæ verbum; non eam doctrinæ rationem, quæ ad priuatum vsum pertinet, amputando, sed eam quæ in medio fit & in communi theatro, quæ ipsis congruit doctoribus.] hæc ipse; ac merito quidem: nam quomodo vir infidelis per mulierem Fidelem sanctus efficeretur (quod ait Paulus [f]) nisi illa ipsum docente? Habent & Acta [g], non tantum Aquilam Ponticum, sed & vxorem eius Priscillam, Apollo genere Alexandrinum in fide Christiana instituisse. Sed quod ad hos pertinet: reuersos esse Romam Corintho, quo a Claudio pulsi ab Vrbe abierant, satis apparet: morte enim Claudij (vt diximus) Romam postliminio sunt reuersi qui fuerant inde illius edicto expulsi Iudæi. at non tantum illi, sed & alij Christi fideles illinc, Nerone Imperatore creato, Romam venerunt, & inter alios, quos nominat & salutari mandat, Tryphæna & Tryphosa nobiles Iconienses feminæ a Paulo Iconij ad Christum conuersæ, quarum est mentio in Theclæ Actis, quæ & fidelissima esse monstrauimus.

d Rom. 16.
e 1. Cor. 14.

FEMINIS QVI DOCENDI MODVS PERMISSVS.

f 1. Cor. 7.
g Act. 18.

LVI. QVI SALVTATI SVNT A PAVLO.

Mandat insuper salutari & Epænetum, quem Dorotheus [h] tradit factum esse Episcopum Carthaginensem; sed nulla eius rei mentio reperitur apud Africanos scriptores Ecclesiasticos. Post hos omnes salutem suo nomine dici mandat Andronico & Iuniæ, quos cognatos & concaptiuos appellat, ac nobiles in Apostolis, quòd ad illud munus ante ipsum adsciti fuissent: quamobrem iure creditum est, hos fuisse Christi antiquos discipulos; quorum Andronicum factum fuisse in Pannonia Episcopum, idem auctor tradit. Adhuc etiam Vrbano & Stachi salutem dicit; quorum hunc ad Byzantinam Ecclesiam administrandam a Petro fuisse missum, iam superius diximus. His adiecit Apellem & Herodionem, aliosq. qui ex Aristobuli essent vel ex Narcissi domo. Quod vero ad Aristobulum spectat: missum illum fuisse ad regendam Ecclesiam in Britannia collectam, Græci [i] testantur. Narcissum vero Athenarum Ecclesiam curasse, Ampliatum Odissæ, & Vrbanum in Macedonia esse creatum Episcopum, Hippolytus [k] testari videtur: quorum omnium anniuersaria agitur commemoratio tam a Græcis quàm a Latinis trigesimaprima mensis Octobris [l]. Quod ad Narcissum spectat

h Doroth. in Synopsi.
i Græc. Menolog. die 15. Mart.
k Hippol. de 72. discip.
l Martyrolog. Rom. ea die.

spectat, constat erasse qui putarunt Apostolum intellexisse de his qui erant ex familia Narcissi potentissimi liberti Claudij Imperatoris, penes quem (vt Suetonius [a], Tacitus, ac Dio testantur) summa rerum erat. Hæc facile suaderi possent; nisi constaret ipsum Narcissum odio Agrippinæ matris Neronis Imperatoris, ante biennium, cum primum scilicet Nero creatus est Imperator, fuisse necatum: Tacitus [b] enim mortem eius recenset sub Consulatu Asinij & Acilij. Præter hos autem addit Rufum, Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermem, Philologum, Nereum, quibus ferme singulis certas Episcopatus sedes tribuit Dorotheus: sed quoniam eius fides improbatur in multis, referre omittimus. Nouissime autem salutari mandat Iuliam & Olympiadem.

a Sueton. in Claud. c. 28. Tacit. lib. 11. Dio lib. 60.
b Tacit. lib. 13.

LVII.

Rursum vero, qui illis æque salutem impertiant, recensens, ait: Salutat vos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipater, cognati mei.] Porro Lucium, quem dicit, eumdem esse cum Luca, ea ratio persuadet, quòd (vt eiusdem [c] Acta declarant) vna cum his Paulo coniunctus erat. Sed quòd eos idem Paulus cognatos appellat, sicut & paulo superius Iuniam & Andronicum: non propinquitate sanguinis, eo quòd diuersarum essent ac longe distantium regionum; sed quòd eosdem in Euangelio genuisset, ita dixisse, Origenes [d] existimauit: sed verius putamus, sic cognatos eos esse nominatos, quòd essent eiusdem gentis, nempe Iudæi. Nam idem superius Iudæos omnes cognatos suos appellat, cum ait [e]: Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.] Certe si quos genuit in Euangelio, cognatos dicere voluisset, ante omnes Caius, quem baptizauerat, & alij plures eo digni erant nomine. Sed quòd non æque Aquilam & Priscillam, quos constat fuisse Iudæos, cognatorũ nomine exornet, illam puto fuisse causam, quòd hi notiores esse videbantur, quippe qui alias tempore Claudij Romæ agebant: ceteros vero fortasse aduenas Iudæos sic speciatim opus fuerit demonstrasse. Scripsit Tertius Pauli discipulus, qui ei erat a manu, hanc epistolam, vt ipse scribens indicat dicens: Saluto vos ego Tertius, qui scripsi hanc epistolam in Domino.] Hunc factum esse Episcopum Iconij, Diodorus [f] Tarsensis in primis, & post eum Dorotheus testantur. Quæ autem absoluta epistola, post Amen, ex more positum, sunt subscripta, manu Pauli (quod in alijs interdum facere consueuit) esse exarata, & tamquam appendicem addita, existimamus. Sed hactenus de epistola ad Romanos.

DE COGNATIS PAVLI.

c Act. 20.
d Orig. in epist. ad Rom. c. 16.
e Rom. 9.
f Diodor. Tarsen. in epist. ad Rom. 16. Doroth. in Synopsi.

LVIII.

Antequam autem Pauli ac sociorum iter Hierosolymam versus singillatim, vt a Luca descriptum habetur, ordine prosequamur, necessarium ducimus, ea primum referre, quæ antequam illuc peruenerit Paulus, ibi facta esse noscuntur. Sane quòd hoc anno (vt dicturi sumus vberius suo loco) Paulus vinctus cum ad castra apud Tribunum ductus esset, rogatus est ab eo [g], num ipse Ægyptius ille esset qui ante hos dies tumultum in populo concitasset, & seductos quamplurimos Iudæos secum in desertum duxisset; ea de mago illo hoc anno contigisse, euidens est testimonium: quænam vero hæc fuerint, Iosepho ea narrante, hic referre operæpretium existimamus. Sed vt sciamus pariter, quisnam esset primis his Neronis temporibus Iudæorum status, rem paulo altius repetere opus esse videtur; idq. ex Iosepho, qui his verbis, vt se habuit, exacte describit [h]: Ceterum Iudææ res prolabebantur vsque in deterius: tota enim referta erat latronum receptaculis, & magicis præstigiatoribus, imperitiq. vulgi seductoribus: quorum multos, sicut & latrones, Felix Præses quotidie comprehensos afficiebat supplicijs; & in his Eleazarum Dinæi filium, qui non mediocrem latronum globum circa se habebat, dolo viuum in suam potestatem redegit: data enim ei fide quòd nihil mali esset passurus, persuasit vt ad se veniret, moxq. vinctum Romam transmisit. Cumq. odio prosequeretur Ionatham summum Pontificem, vt admonitus ab eo sæpe de administrandis melius rebus Iudaicis, ne omnium erratorum inuidia publica in ipsum recideret (ad cuius preces hunc Procuratorem Cæsar miserat) rationem excogitauit, qua liberaretur ab eius molestis interpellationibus. Graue est enim nocendi cupidis, si admonentur crebrius. Qua de causa Felix amicum Ionathæ fidissimum Dorem, Hierosolymitanum genere, induxit promissa pecunia, vt sicarios ipsi Pontifici immitteret. Quod ille in gratiam Præsidis fecit his artibus. Quidam quasi religionis ergo in vrbem ascenderunt sicis clam succincti sub vestibus: qui permixti Ionathæ famulitio,

DE REBVM IVDAICARVM STATV.

g Act. 21.
h Ioseph. antiqu. lib. 20. c. 6. & de bello Iud. lib. 2. c. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

peremerunt hominem. Cuius facinoris quia nemo vltor extitit, inuitati hac licentia A
sicarij per singula festa ventitantes, & tela celantes, pari modo immixti turbis, alios
confodiebant propter priuatas inimicitias, alios conducti pecunia: idq. non modo in
reliquis vrbis partibus, sed & in ipso templo; nam & ibi interdum ausi sunt cædes pa-
trare, ac si nihil hoc modo pietatem læderent. vnde fas est credere, Deum tanta im-
pietate offensum, auersatum esse Hierosolyma, temploq. vt non amplius puro domi-
cilio Romanos induxisse, purificaturos id flammis lustralibus; gentiq. cum liberis si-
mul & vxoribus seruitutis iugum imposuisse, quo castigatiores redderentur hoc infor-
tunio. Et vrbs quidem talibus infestabatur latrocinijs.] prosequitur idem dicere de
magis populum seducentibus, verbis istis:

LIX. MAGI SEDVCVNT POPVLVM.

Impostores autem & magi turbas illectas post se trahebant in solitudines, pollicen-
tes se diuinitus ostensuros eis clarissima signa & prodigia: persuasaq. multitudo mox B
pœnas luit dementiæ: retractos enim eos Felix neci dedit. Eodem tempore quidam ex
Ægypto venit Hierosolymam, vatem se esse profitens, & plebi suadens, vt secuta se in
montem Oliueti ascenderet, qui e regione vrbis ad quintum stadium est: illic enim vi-
suros suo iussu cadere Hierosolymorum mœnia, ita vt per eorum ruinas aditus in ciui-
tatem pateat. Quo cognito, Felix iubet milites arma sumere; stipatusq. multis equiti-
bus ac peditibus, erumpens inuadit turbam seductam ab Ægyptio: quorum quadrin-
gentis occisis, ducentos viuos cœpit: Ægyptius autem ipse pugna elapsus disparuit.]
hæc Hierosolymis. Quid autem foris, idem narrat his verbis: Post hæc latrones rur-
sum ad rebellandum Romanis incitabant populum, dictitantes excutiendum illorum
imperium: et non assentientium vicos direptos absumebant incendijs.

LX. ALTERCATIO INTER IVDÆOS ET SYROS CÆSAREÆ.

Apud Cæsaream quoque inter Iudæos habitatores & Syros de pari iure ciuitatis ri- C
xa exorta est. Nam Iudæi potiori conditione volebant esse, quòd vrbis eius conditor
Herodes Rex fuerit Iudæus genere. Id Syri non inficiabantur quidem, sed aiebant vr-
bem turrim Stratonis dictam a principio; quo tempore nullum ibi Iudæum inhabitas-
se. Quæ res post peruenit ad cognitionem Præsidum, correptisq. ex vtraque parte tu-
multus auctoribus, affecerunt eos verberibus, & hoc modo seditionem compresserunt
aliquandiu. Rursus autem oppidani Iudæi freti diuitijs, per contumeliam Syros lacef-
sebant conuicio: qui tametsi inferiores quod ad facultates attinet, feruciores tamen
eo quòd plurimi Romanis per ea loca militantium Cæsarienses essent & Sebasteni pa-
tria, aliquantisper & ipsi regerebant in Iudæos conuicia. Deinde ad lapides ventum est,
ita vt multi vtrinque vel sauciarentur, vel caderent: penes Iudæos tamen fuit victoria.
Felix autem vt vidit contentionem progressam vsque ad belli speciem, prosiliens roga- D
bat Iudæos vt desinerent: quibus non parentibus, immisit armatos milites; multisq.
cæsis, plures captiuos fecit, & multas eorum domos diuitijs refertas in prædam con-
cessit militibus. Iudæorum vero honoratiores, aut modestiores, sibi ipsis timentes, ro-
gauerunt Felicem, vt militibus receptui caneret, parceretq. iam, & resipiscendi facul-
tatem concederet: idq. Præses indulsit eorum precibus.]

LXI. DISSIDIVM INTER SACERDOTES ET PONTIFICES.

Subdit idem de ciuili discordia conflata inter ipsos sacerdotes atque Pontifices, sic
dicens: Per idem tempus Agrippa Rex summum sacerdotium Ismaeli contulit Phabæi
filio: et ipsi summi Pontifices dissidere cœperunt a sacerdotibus & primatibus Hiero-
solymitanorum ciuium: singuliq. incedebant stipati manu audacissimorum & seditio-
sorum hominum: conflictantesq. inter se mutuis certabant conuicijs & lapidationibus:
nec erat qui compesceret, quasi vacante vrbe magistratibus. In tantum autem exarsit E
summorum Pontificum impudentia, vt auderent seruos suos in areas mittere, qui au-
ferrent debitas sacerdotibus decimas, ita vt aliqui pauperiores e sacerdotum ordine
alimentorum inopia fame deficerent. Tanto plus tum pollebat violentia seditiosorum,
quàm iustitia.] hactenus Iosephus de miserrimo statu Iudæorum huius anni, quo &
Felix (vt suo loco dicemus) e magistratu abijt.

LXII. DE ADVENTV PAVLI CVM SVIS TROADEM.

Sed iam ad Paulum redeamus: qui (vt vidimus) hoc ipso anno venturus Hiero-
solymam, collectam pecuniam allaturus ad Christianos qui ibi erant paupertate
pressi, recessit Corintho: illicq. remanente [a] Erasto, ceteri comitati sunt eum; nimi-
rum (ait Lucas) Sosipater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium Aristarchus, & Se-
cundus, & Caius Derbeus, & Timotheus, Asiani vero Tychicus & Trophimus. Hi
cum præcessissent, sustinuerunt nos Troade.] hæc de profectione Corintho, & de
Pauli

[a] 2. Tim. 4.

A Pauli comitibus Lucas [a]: qui præsens his omnibus, quippe qui erat vnus ex his qui [a] Act. 20.
Paulum comitabantur, exacte relegens non solum res ipsas in itinere gestas, sed &
dies fere singulos numerans, luculentam satisq. perspicuam eius peregrinationis no-
bis reliquit historiam; quam in hæc verba prosequitur: Nos vero nauigauimus post
dies Azymorum a Philippis, & venimus ad eos Troadem diebus quinque, vbi demo-
rati sumus diebus septem.] Quid vero ibi acciderit, mox subdit his verbis: Vna au-
tem sabbati, cum conueniissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis,
profecturus in crastinum, protraxitq. sermonem vsque ad mediam noctem. Erant au-
tem lampades copiosæ in cœnaculo, vbi eramus congregati. Sedens autem quidam
adolescens nomine Eutychus super fenestram, cum mergeretur somno graui, dispu-
tante diu Paulo, ductus somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est
B mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, & complexus di-
xit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensq.
panem, & gustans, satisq. allocutus vsque ad lucem, sic profectus est. Adduxerunt
autem puerum viuentem, & consolati sunt non minime.] hæc Lucas de rebus ge-
stis Troade.

LXIII. PAVLVS SYNAXIN TROADE HABVIT.

Sacram synaxim hunc conuentum fuisse, Augustinus [b] in primis sugillans Prisci- [b] Aug. epist. 86.
lianistas & Manichæos, testatur his verbis: Nec illud moueat, quòd Priscillianistæ
Manichæorum simillimi ad ieiunandum die Dominico solent testimonium de Apo-
stolorum Actibus adhibere, cum esset Apostolus Paulus in Troade.] et inferius de
ipso Apostolo Paulo sic loquitur: Ascendens autem, inquit, cum fregisset panem, atque
gustasset, satisq. esset allocutus vsque ad diluculum, sic profectus est. Absit vt hoc
C sic accipiatur, tamquam solerent Apostoli Dominico die solemniter ieiunare. Vna
enim sabbati tunc appellabatur dies qui nunc Dominicus appellatur; quod in Euan-
gelijs apertius inuenitur: nã dies resurrectionis Domini, Prima sabbati a Matthæo, a
ceteris autem tribus Vna sabbati dicitur; quem constat eũ esse qui Dominicus postea
appellatus est. Aut ergo post peractum diem sabbati, noctis initio fuerant congrega-
ti, quæ vtique nox iam ad diem Dominicum, hoc est, ad Vnam sabbati pertinebat:
et ita eadem nocte fracturus panem, sicut frangitur in sacramento corporis Christi,
produxit sermonem vsque ad medium noctis, vt post sacramenta celebrata, rursum
vsque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multum festinabat, vt lucescen-
te proficisceretur Dominico die. Aut certe si in Vna sabbati non per noctem, sed per
diem hora Dominici fuerant congregati: eo ipso quod dictum est, Paulus disputa-
D bat illis exiturus alia die, expressa est causa producendi sermonis: quia fuerat exitu-
rus, & eos sufficienter instruere cupiebat. Non ergo solemniter die Dominico ieiuna-
bant: sed necessarius sermo, qui studij feruentissimi audiebatur ardore, reficiendi cor-
poris causa interrumpendus esse non visus est profecturo Apostolo, qui eos propter
alios suos vsquequaque discursus, vel numquam, vel rarissime visitabat: præsertim
quia tunc ex illis terris (sicut consequentia docent) ita discessurus erat, vt iã non esset
eos in carne visurus. Ac per hoc magis ostenditur Dominicis diebus solita illis non
fuisse ieiunia; quia ne hoc crederetur, curauit scriptor libri causam producendi ser-
monis exponere: vt sciremus, si aliqua necessitas oriatur, vrgentiori actioni non esse
prandium præferendum: quamuis ab istis auidissime audientibus, & ipsum fontem
cogitantibus profecturum, atque ideo magna siti non aquæ, sed verbi, sine satietate
E quicquid influebat haurientibus, non tantum carnale prandium, verum etiam cœna
contempta est. Sed tunc, quamuis Dominico die solita illis ieiunia non fuissent, non
erat tamen Ecclesiæ tam insignis offensio, si aliqua tali necessitate, qualem Apostolus
Paulus habuit, die toto Dominico vsque ad medium noctis, vel etiam vsque ad dilu-
culum reficere corpora non curarent.] hæc sunt quæ de eo sacro conuentu disputat
Augustinus, cui Beda [c] ac ceteri Orthodoxi scriptores assentiuntur. [c] Beda in Act. c. 20.

LXIV.

Quòd autem S. Augustinus eam panis fractionem, non tantum sacræ, sed commu-
nis etiam mensæ vsui applicari posse significat; cum nec de incidendo panem, sed
frangendo dumtaxat, in diuinis Scripturis sit mentio: plane indicatur, viguisse apud
Iudæos eam consuetudinem, vt conficientes panes, eos incisionibus in particulas plu-
res signatos coquerent: quod quidem ex Rabbino rerum Iudaicarum antiquarum pe-
rito accepimus; eos sic incisos coquere solitos panes, vt sic ad esum non esset opus illos
incidere

Universidad de Deusto
Biblioteca

incidere, sed solum frangere; sicuti facere solent etiam hodie in placentis azymis ea plane figura, qua expressas eas hic vides. A



B

Indeq. euenisse putamus quòd de buccellis comedendis in ijsdem diuinis Scripturis frequens mentio reperitur. Sicut etiam apud Romanos constat fuisse vsu receptum, vt panem quemlibet, placentamve, quadrifida decussatum incisione, ad diuidendum postea in partes quatuor, coquerent; cuius singulæ partes, quadræ nominarentur, non quòd quadratam figuram referrent, sed quòd quarta pars panis esset. Habes enim id in primis a Virgilio in Moreto descriptum his versibus, cum agit de conficiente panem:

Format opus, palmaq. suum dilatat in orbem,
Et notat expressis aquo discrimine quadris.] Sed & de ijsdem quadris Horatius [a]:
Qui dicit & clamat, Victum date. succinit alter,
Et mihi diuiduo findetur munere quadra.] et Martialis [b]:
Nec te liba iuuat, nec secta quadra placenta.] & alibi [c]: C
Libetur tibi candidas ad aras
Secta plurima quadra de placenta.] et Iuuenalis [d]:
Vt bona summa putes aliena viuere quadra.] licet pro mensa alij quadram acceperint, sicut & in illo Virgilij [e]:
——— *patulis nec parcere quadris.*]

Ceterum, teste Varrone [f], tempore dictorum poetarum mensæ solebant esse rotundæ, & non quadratæ, vnde & complures poetæ orbes posuere pro mensis: quod antiqua marmora docent, exhibentia mensas orbiculares. Sicut & ex ijsdem dictis errare mihi videntur, qui discos ad desuper incidendum edulia positos, quadras dictos esse putarunt. Ad ea rursus quæ dicta sunt, Athenæus [g] locuples testis accedit, dum ait: Blomilios panes vocari dicunt habentes incisiones, quos Romani quadratos vocant.] Adstipulatur egregie & Hesiodus [h], vbi hæc habet Græce: D

ἄρτιν δαπίσας τετράτυδον ὀκτάβλωμον.] Latine sic:
Panem quadrifidum cœnatus morsibus octo.]

a Horat. lib. 1. epist. 18.
b Mart. lib. 3. epigram. 76.
c Lib. 9. epigr. 95.
d Iuuenal. satyr. 5.
e Virg. Aeneid. 7.
f Varro lib. 4. de ling. Lat.
g Athen. lib. 3.
h Hesiodus de oper. ode.

LXV. Sed describenda hic ex antiquis imaginibus sculptis eiusmodi panis decussati forma, quam sic exhibent quæ hactenus visuntur Romæ vetera monumenta.

E

Ita enim sculpta extat in Sigmate illo quod apud S. Chrysogonum est, formis expresso a Fuluio Vrsino, vbi astans minister singulis accumbentibus singulos panes ex canistro præbet. In Marmorario apud S. Laurentium in Lucina aliud huic simile spectare licet: sed & in sarcophago operis Christiani in cœmeterio Callisti, cophini sic efformatis panibus pleni habentur insculpti: et alijs in locis memini me vidisse, sicut in ecclesia S. Clementis veteri pictura redditos. Quòd igitur in ijsdem Christianorum monumentis itidem contingat panes eodem modo efformatos inspicere;

A cere; plane significatur, eumdem Gentilium morem illis signis decussandi panes antequam coquerentur, ab ipsis Christianis, quòd typus crucis ijsdem signis exprimeretur, religiose esse susceptum: id enim ex ijs quæ S. Gregorius [a] in Dialogis scribit, satis perspicue potest intelligi: ait enim in Martyrio monacho: a Greg. Dialog. lib. 1. c. 11.

Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eiq. obliti essent signum imprimere, sicut in hac prouincia crudi panes signo signari solent, vt per quadras quatuor partiti videantur; idem Dei famulus affuit, eisq. referentibus, signatum non fuisse cognouit. Cumq. panis ille prunis esset & cineribus coopertus, dixit: Quare hunc minime signastis? Qui hoc dicens, signum crucis contra prunas fecit. Quo signante, protinus immensum crepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset. Qui dum coctus postmodum fuisset ab igne subtractus, ea cruce signatus inuentus LXVI.
B est, quam non contactus, sed fides fecit.] hactenus S. Gregorius. Sed & illud liquet, non solum communes panes ad esum paratos eiusmodi decussatione crucis signum exprimente a maioribus consignari consueuisse, sed & eos ad sacrum Eucharistiæ vsum absque fermento confici solitos: cuius tamen diuisæ in fractione partes, non quadras, sed particulas, seu buccellas ob panis illius exiguitatem appellatas esse, superius diximus. Factum vero postea est, vt in ijsdem mysticis panibus non crux tantum, sed Christus crucifixus formis redderetur expressus. At de his hactenus, quæ occasione duplicis fractionis panis voluimus addidisse. Iam vero ad Paulum Troade profectionem instituentem redeamus.

Cum igitur quàm vehementissimo Pauli desiderio Troes affecti essent, adeo vt eius LXVII.
audiendi cupiditate die noctemq. pendentes ab eius ore transegissent: non sicut Ephe-
C sijs postea dixit, se non amplius ab illis fore videndū; sed pignus apud illos relinquens, spem reditus tribuit: reliquit enim apud eos penulam, atque libros, quos tamen sequenti anno ad Timotheum scribens, vt ad se mitteret, litteris [b] significauit, sic dicens: b 2. Tim. 4.
Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas.] Sed quænam esset Pauli penula, instituto obligati, quo glossemata elucidare polliciti sumus, nobis est explicandū. Fuisse in primis penulam, vestem ad DE PENVLAE VSV. frigus ac pluuias expellendas compositam, qua potissimum iter agentes vti consueuissent, satis explicat Ælius Lampridius [c], quod & Cicero [d] ad Atticum scribens æque demonstrat, & Spartianus in Hadriano. Duplicisq. erant generis penulæ; villosa altera, altera vero scortea. de vtraque Martialis [e], qui villosam Gausapinam appellat, agit: sed de penula scortea primum hoc disticho: c Lamprid. in Alexand. d Cic. ad Attic. lib. 13. e Martial. epigram. lib. 14.

D *Ingrediare viam cælo licet vsque sereno,*
Ad subitas nusquam scortea desit aquas.]

et de penula Gausapina:

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel media sumere messe velis.]

Concessisse Alexandrum Imp. senibus Romæ ad frigus pellendum vti penulis, idem qui supra auctor est Lampridius. Cessisse itidem penulas vsui oratorum, dum in foro causas agerent, his traditur apud Tacitum [f]: Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus adstricti, velut inclusi, cum iudicibus fabulamur?] f Tacit. in dial. de Orat.

Ceterum quod ad Pauli penulam spectat, alia & ab his prorsus diuersa illa erat. LXVIII.
E Quæ enim, quæso, ratio patitur, vt in itinere ipse positus, iter agentis vestem adeo necessariam ipso ferme initio peregrinationis ibi reliquerit? Rursum, quæ subijt occasio, vt dum Romæ esset in suo conducto, libero detentus carcere, vbi mansit biennio, eadem tunc egeret penula, vt eam secum Romam vt ferret, Timotheum rogarit? Quamobrem aliæ fuerunt de Pauli penula diuersæq. sententiæ: quosdam enim sensisse, eam QVAE PAVLI PENVLA. fuisse loculos seu thecam in qua libri conderentur, tradit Ioannes Chrysostomus [g]: alij tamen antiquiores, per id quod penulam vertit interpres, ex eo quòd Græce habetur, φαιλόνην, volumen, Paulum significare voluisse senserunt. Vnde [h] Hieronymus ad Damasum scribens, hæc ait: Volumen Hebræū replico, quod Paulus φαιλόλα iuxta quosdam vocat.] sicq. Paulus ad se deferri mandauit volumen Hebræum, nempe vetus Testamentum, libros, & membranas: licet hæc inter se differant. Nam volumen chartæ in seipsas reuolutæ conficiunt: librum vero dicere consueuerunt, cum multæ papyraceæ g Chrysost. in 2. ad Tim. 4. hom. 10. h Hieron. epist. 125. q. 2.

raceæ chartæ iunctæ simul compaginantur; si autem conficerentur ex pellibus, tunc A
dicerentur membranæ. Volumen autem dici consueuisse vetus Testamentum, diuina
Scriptura [a] sæpe testatur: quòd sic reuolutum esset, prout & hodie in synagogis vtuntur Hebræi.

a Exod. 24. Deut. 17. 28. 29. 32. & alijs locis.

LXIX. PENVLA VESTIS SACERDOTALIS.

Rursus vero penulam dici vestem sacram, apud Græcos Christianos scriptores sæpius testatum habetur, sic dictam, quòd vno iniectu totum ambiret sacerdotem, a φαίνω & ὅλον, quòd tota conspiciatur; quam & Latine planetam dicere consueuimus, a πλάνης, quòd circum errans totum ambiat corpus, sicut esse solent quæ antiquiores in ecclesijs asseruantur: sunt enim de his complura testimonia, in primis Nicephori [b] Episcopi Constantinopolitani, qui scribens ad Leonem Tertium Romanum Pontificem, & dona mittens, hæc ait: Symbolum autem mediatricis inter nos dilectionis misimus fraternæ vestræ beatitudini encolpium aureum, *crucem pectoralem scilicet*, cuius vna facies crystallum inclusum, altera picta nigello, & intus habet alterum encolpium, in quo sunt partes honorandi ligni in figura crucis positæ; tunicam candidam, & penulam castaneam, inconsutilem stolam, & semicinctia auro variegata.] hæc secundum antiquã translationem, vt reperimus in codice scripto epistolarum Nicolai Papæ. Vertit penulam interpres, quæ Græce erat φαινόλιον; sicut a Philotheo Episcopo Constantinopolitano in commentario [c] de sacris officijs edito dictum φαινόλιον, casulam (quod idem est quod planeta) vertit interpres, sic dicens: Egreditur retro sacerdos demissam portans casulam.] et inferius voce Græca: Sacerdos aperiens sanctas portas, demissum phænolium gestãs.] Itemq. Metaphrastes [d] in Marciano: Habet solam penulam vestem sacerdotalem, quæ corpus operiebat.] Verum ex his duabus recitatis sententijs, vel de volumine, vel de sacra veste, alterutram quam velit lector sequatur: sed magis placet vt volumen sacræ legis intelligi debeat; tum quòd Græce legatur φαιλόνιν, & non φαινόλιον; tum etiam, quòd haud magni videretur esse negotij vel impensæ alias sacras vestes eiusdem generis Romæ conficere, absque eo quòd ex Asia eam velit per Timotheum ad se deferri. Non sic quidem de legis volumine, quod cum sacrosanctum haberetur, haud facile librarijs describendum committeretur. Sed iam ad ipsam die Dominico celebratam synaxim Troade reuertamur.

b In Codice Biblioth. Vatic. & excusa est inter ta in Act. Conc. Ephes. edit. Plet. tom. 5. c. 22.

c Habetur tom. 4. Biblioth. sanct. col. 528.

d Metaphr. 10. Ianuarij.

LXX. *e Act. 20.*

Quantumlibet ad noctis tenebras expellendas copiosum numerum, quem Lucas [e] refert, fuisse lampadum in cœnaculo collocatum, quisque iure dicere posse videatur: tamen exploratissimum est, consueuisse Iudæos non tantum ad lumen inducendum, tenebrasq. pellendas, lucernas incendere, sed & lætitiæ causa, cum celebritatem aliquam agerent, vt docet etiam Persius versibus illis alia occasione a nobis superius reci- D
tatis, cum ait [f]:

f Persius satyra 5.

At cum
Herodis venere dies, vnctaq. fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.]

DE VSV LAMPADARVM RELIGIONIS CAVSA.

Sicq. non tantum lætitiæ causa, sed & religionis ergo, incendi ab eis consueuisse lucernas, exploratissimum est. Et vt prætermittamus de candelabro aureo septem infusoria habente, re omnibus notissima; testatur Iosephus [g], cum seruaretur stola pontificia in turri cui nomen erat Antonia, ibi quotidie solitam incendi lucernam. Qui quidem vsus in Ecclesiam dimanauit: nam non ad lucem tantum inducendam, sed ad pium religionis cultum amplificandum interdiu vel in sacris adhiberi, vel aliter in honorem numinis accendi lumina, consuetudinis fuisse, complura sunt antiquorum exempla. E
Cum enim ab ipso rerum nostrarum initio ordinem fuisse constet in Ecclesia Cerofe-rariorum clericorum, qui & Acolythi dicebantur, cuius (vt diximus) mentio est apud Cyprianum, Cornelium Papam, Eusebium, Romanum Concilium sub Siluestro, necnon Synodum quartam Carthaginensem; quorum eo ordine initiatorum clericorum muneris erat, ad sacram mysteriorum pompam ferre accensos cereos: cumq. eadem sacra, licet aliquando nocte, vt in Vigilijs, tamen clara etiam diei luce peragi consueuisse, certissimum sit: æque exploratum habetur, adhiberi solita in Ecclesia luminaria non ad tenebras tantum propellendas, sed ad sacri quoque cultus celebritatem illustrandam. Id equidem in Orientis ecclesijs fieri solitum, S. Hieronymus agens contra Vigilantium fidei desertorem, istæc Catholicis exprobrantem, plane testatur his verbis: Absque martyrum reliquijs, per totas Orientis ecclesias, quando legendum est Euangelium, accendunt

g Ioseph. antiq. lib. 18. c. 6.

A accendunt luminaria, iam Sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signũ lætitiæ demonstrandum.] hæc ipse, qui agere pergit de luminum mystico sensu.

LXXI.

De alijs vero locis, quod ad diurnum spectat lumen, sic dicit: Cereos autem non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris: sed vt noctis tenebras hoc solatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd si aliqui propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam: hoc pro honore martyrum faciunt: quid inde perdis? Causabantur quondam & Apostoli, quòd periret vnguentum; sed Domini voce correpti sunt. Neque enim Christus indigebat vnguento, nec martyres lumine cereorum: et tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, deuotioq. mentis eius recipitur: et quicumque B accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Vnusquisque in suo sensu abundet. Idololatras appellas huiusmodi homines? Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de errore idololatriæ venisse: non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco detestandum est: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est.] hæc Hieronymus, qui ad Riparium [a] scribens, exclamat: Accensi ne, inquit, ante tumulos eorum cerei, idololatriæ insignia sunt?]

NON SPERNENDVS VSVS LVMINVM.

a Hier. epist. 58.

LXXII.

Haud equidem est dubium, Gentiles etiam (quod & Iudæi pia religione agebant) incendere consueuisse eadem ex causa lucernas. vnde & Iuuenalis [b]:

b Iuuen. satyra 12.

Et matutinis operantur festa lucernis.]

C Docet hoc ipsum Tertullianus [c] sæpius, vt in Apologetico: Nec lucernis, inquit, diem infringimus.] et inferius: Quàm elatissimis atque clarissimis lucernis vestibula enubilabat.] et ad vxorem [d] meminit de ianua lucernata: necnon etiam in libro de Idolatria de eadem re agit; sed de eo loco inferius. De his etiam locuples testis est Dio in Nerone, cum ait, lætitiæ & honoris causa Vrbem repletam fuisse lucernis, & festa fronde, necnon suffitibus. Sed cum hæc ipsa (vt vidimus) æque Iudæi factitarent atque Gentiles: cur non potius a Iudæis ea, sicut & pleraque alia, quàm a Gentilibus Ecclesiam mutuatam esse dixerimus? Et si velimus accepta ab illis esse; quid absurdum, si eadem in veri Dei cultum conuersa fuerunt, vt alia multa quæ superius recensuimus?

GENTILIBVS COMMVNIS VSVS LVMINVM.

c Tertullian. in Apolog. c. 31.

d Idem ad vxor. lib. 2. c. 6.

LXXIII.

Huiusmodi quidem pietatis officia feruentissimo studio a Fidelibus exhiberi solita D constat testimonio etiam Vigilantij dicentis, moles cereorum, Sole fulgente, accendi solere in ecclesijs; licet ipse pium cultum derideat, perinde ac si id Fideles facerent ad martyres illuminandos. In quem hæc iure Hieronymus: Cereos non clara luce accendimus (sicut frustra calumniaris) nimirum vt hoc pietatis officio putemus martyres e tenebris vindicari, quorum lucerna [e] est Agnus. Sed mysterium docet, scilicet sic facere, vt (quod sequitur) noctis tenebras hoc solatio temperemus: nempe, quod ait Apostolus: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.] ac proinde (quod subdit) vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.] perstat enim in metaphora, qua superius iam quarto eumdem non Vigilantium, sed Dormitantium nominarat; & paulo superius dixerat: Tu vigilans dormis, & dormiens scribis.] Vel adhuc etiam dicere possumus, quod ait: Cereos E non clara luce accendimus] non ipsum diem per lucem claram intellexisse, sed lumen ipsum quo cerei accenduntur: vt sit sensus: Non fulgenti lumine accendimus cereos (vt tu dicis) ad illustrandos martyres. sicq. nihil de die esse locutum. Nam quonam pacto negasse potuit, interdiu a Fidelibus accendi lumina, qui paulo post de toto Oriente, vbi ipse agebat, hæc ait: Per totas Orientis ecclesias, quando legendum est Euangelium, accedunt luminaria, iam Sole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.] Immo & id ipsum factitari solitum in Ecclesia Hierosolymitana, sub qua viuebat ipse Hieronymus, Epiphanius scribens ad Ioannem tunc temporis eius sedis Episcopum, demonstrat, dum ait: Cũ venissem in villam quæ dicitur Anablatha, vidissemq. præteriens ibi lucernã ardentem, interrogassemq. quis locus esset, didicissemq. esse ecclesiã, &c.] accidit id quidem interdiu: nam noctu non mirum multas vidisse vbique ardentes lucernas. At nec rursum potuit Hieronymus ea dixisse de Ecclesi a

FREQVENS LVMINVM VSVS.

e Apoc. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Eccleſia Occidentali, in qua pariter accendi ſolita lumina interdiu, S. Paulinus ipſius A
[a] Paulin. in Natal. 3. S. Fel. æqualis docet his verſibus [a]:

Clara coronantur denſis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte dieq. micant. Sic nox ſplendorq. dici
Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.]

LXXIV. QVAE HIERONYMI SENTENTIA FVERIT.

Sic pariter quod idem ſubdit Hieronymus: Quòd ſi aliqui propter imperitiam & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum feminarum, de quibus poſſumus dicere: Confiteor, Dei zelum habent, ſed non ſecundum ſcientiam: hoc pro honore martyrū faciunt: quid inde perdis?] idem eſt ac ſi diceret: Eſto quod tu dicis, id eo modo quo aſſeris, faciant ſimpliciores, vt putent cereis martyres illuſtrandos, ſicq. B habeant zelum non ſecundum ſcientiam: quid tamen inde perdis? Vſitatus eſt diſſerendi modus Hieronymi, vt aduerſus hæreticos pugnans, nec latum vnguem eiſdem loco cedat. Ceterum eiuſmodi pietatis cultum a ſe probari, in eodem commentario paulo inferius, & ſupra, eodem argumento ad Riparium ſcribens, aperte æque ac libere (quod dictum eſt) profitetur, dum ait: Accenſi ante tumulos eorum cerei, idololatriæ inſignia ſunt?] hæc ipſe, Vigilantij dictum execratus. Commendant & ceteri ſanctiſſimi Patres eius ſæculi, eiuſmodi a Fidelibus fieri ſolitas oblationes: et tantum abeſt vt hæc fuerint ſimplicium officia tolerata, vel habentium zelum non ſecundum ſcientiam; vt
[b] S. Auguſt. de temp. ſer. 215. S. Auguſtinus [b] ad hæc ipſa præſtanda pro concione populum ſit exhortatus, ſic dicens: Qui poſſunt, aut cereolos, aut oleum, quod in cicindelibus mittatur, exhibeant.]
[c] Paulin. in Natal. 6. S. Felic. et Paulinus [c] his verſibus: C

Aſt alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforesq. canis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas.]

LXXV. VNDIQVE PROBATVS SACER VSVS LVMINARIVM.

Eſt & commentarius Euodij Vzalenſis Epiſcopi, cuius meminit ſæpius [d] Auguſtinus, vbi de cereis afferri ſolitis ad reliquias S. Stephani [e], ijſdemq. diuinitus in viſione monſtratis agit, deq. eo qui obtulit candelam argenteam [f]. Deplorat Athanaſius [g] cereos a Fidelibus oblatos, ſed ab Arianis ſublatos, & idolis incenſos. Quàm vero ſumptuoſa eſſe ſolerent vaſa aurea, vel argentea, vel alterius generis metallorum affabre facta ad lumina incendenda compoſita, vt pharicantari, lampades cum delphinis, coronæ cum lilijs, candelabra, ceroſtrata, atque lucernæ, in quibus non oleum commune tantum, vel cera, ſed interdum opobalſamum vel nardinum oleum in honorem Dei vel D ſanctorum incenderetur, ſatis expreſſum ac ſæpius repetitum habetur in libello de munificentia Conſtantini, de donis ſcilicet quæ nonnullis a ſe erectis eccleſijs contulit: quod quidem ſcriptum vt legitimum atque germanum [h] Eccleſia Romana ſemper habuit; dicemus nos de ipſo ſuo loco. Perſeueraſſe noſcitur id genus vaſorum vſus etiam Gregorij Papæ tempore: qui ad Anthemium [i] ſcribens, meminit de coronis cū delphinis, alijsq. lilia habentibus furto ſublatis. Nec quis miretur, ſi hæc facta ſint tempore pacis Eccleſiæ, regnantibus Chriſtianis Imperatoribus: cum conſtet, vrgente adhuc perſecutione, eccleſias vti conſueuiſſe argenteis lucernis, atque capitulatis, quæ lampades erant multa habentes capita, quibus lumina incenderentur, quorum apud Auguſtinum [k] eſt mentio ex Actis proconſularibus.

[d] Aug. ſer. 23. de diuerſ. ſtevū, & de Ciuit. Dei lib. 22. c. 8.
[e] Euod. de miracu. S. Steph. lib. 1. c. 2. & lib. 2. cap. 2.
[f] Lib. 1. c. 13.
[g] Athan. epiſt. ad Orthodox. circa princ.
[h] Extat tom. 1. Concil. in Siluestro.
[i] Greg. lib. 1. indict. 9. epiſt. 66.
[k] Auguſt. epiſt. 162.

LXXVI. E

At vero hæc pietatis officia fuiſſe Deo gratiſſima, complura miracula, quæ tum oleo dictarum lampadum, tum etiam cera e candelabris ſumpta peragi conſueuerunt, quæ alibi attigimus, certiſsimam fidem faciunt. Sed in præſentiarum ſatis eſſe putamus, eumdem qui ſupra, Paulinum fideliſſimum teſtem adducere; quem Gregorius Turonenſis [l] ex libro eiuſdem, quem ſcripſit de rebus S. Martini, citat his verbis: Factum eſt autem, vt inuidia tentatoris immiſſum incendium domum voraci flamma comburet, & ſparſum per aridas tabulas cuncta vaſtaret. Interea clamor ad cælum tollitur, & B. Martini auxilium imploratur. Meminit ille etiam ceræ particulæ a Sancti templo delatæ: quæ reperta, & igni iniecta, protinus cunctum reſtinxit incendium: nouoq. miraculo cera, quæ ignem alere eſt ſolita, violentias ignis vi ſanctitatis oppreſſit. Hæc Paulinus in ſexto operis ſui libro verſu conſcripſit, accepto a ſancto Perpetuo Epiſcopo Turonenſi de his indiculo.] hucuſque Gregorius. Certe quidem hac noſtra ætate complura

[l] Greg. Turon. de mirac. ſanctii Martini. c. 2. prope finem.

plura his ſimilia conſtat edita eſſe miracula ex ceris illis, quæ ex cereo acceptæ Paſchali, alijſq. puris admixtæ, & ſacro chriſmate delibutæ, ac benedictione ſanctificatæ ſunt: quæ & eo quòd agni, Chriſti typum præferentis, haberent impreſſam imaginem, Agnus Dei dici conſueuerunt; quas recens baptizati ſuſpenſas ferrent ad collum. Nam cum ſuis infantibus Gentiles bullas, ad auertendas faſcinationes (vt docet Varro [a]) re turpicula conſignatas, vel aliter ſuperſtitionibus auctas, collo appenderent; ad eas abolendas (vt de multis alijs accidit) placuit, ſuperſtitione in religionem mutata, ex eiuſmodi ſacris ceris bullas confici, quas agni Chriſtum præferentis imagine inſignitas geniti in Chriſto geſtarent. Cordis item imaginem in bullis ſuis Gentiles ferre conſueuerant, quo (vt tradit Macrobius [b]) ſic noſcerent ſe eſſe homines, ſi corde præſtarent: Chriſtiani vero, Chriſti agni imagine, diſcerent eius exēplo eſſe mites & humiles corde. Sed B in his non immoramur, quod ſciamus R.P. Vincentium Bonardum, Magiſtri Sacri Palatij collegam, nouarum ex officio ſcriptionum cognitorem, eiuſdem argumenti eruditum ſcripſiſſe libellum.

DE VSV SACRAE CERAE IN AGNI FORMAM EFFIGIATAE.

[a] Varro de lingua Latina lib. 6.
[b] Macrob. Satur. lib. 1. c. 6.

Ceterum quis prohibet (quod ſæpius diximus) profana per verbum Dei ſanctificata, in ſacrum transferri vſum? Nonne conſtat, ex Ægyptiorum auro & argento, Dei iuſſu, ſacra vaſa ad diuinum cultum eſſe conflata? Multa quidem ex ſuperſtitione Gentilitia in Chriſtianam religionem laudabiliter eſſe tranſlata, pluribus exemplis ſuperius, Patrumq. auctoritate ſunt demonſtrata. Sed quod ad lampades ac cereos, de quibus eſt ſermo, ſpectare videtur: quis iure calumnietur, ſi quæ olim idolis (vt ait Hieronymus [c]) eadem modo martyribus offerantur? Si quæ etiam diebus ſabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quòd (vt inquit Seneca [d]) dij egerent lumine, ſed pietatis ergo; eæ- C dem in Dei genitricis honorem ſint tranſlatæ? Si inſuper qui in Saturnalibus [e] cerei erogabantur, in ſolemnitatem Occurſus Domini & ſanctiſſimæ eius genitricis fuerint permutati? Quid, inquam, mirum, ſi inolitas apud Gentiles conſuetudines, a quibus eos, quamuis Chriſtiani effecti eſſent, penitus poſſe diuelli impoſſibile videretur, eaſdem in veri Dei cultum transferri, ſanctiſſimi Epiſcopi conceſſerunt? Mirificum illum Gregorium Thaumaturgum id præſtitiſſe, Gregorius Nyſſenus [f] teſtatur; idq. & alios factitaſſe, & communi Eccleſiæ vſu receptum fuiſſe, Theodoretus [g] affirmat. Facum vſus in ſacris origo tribuitur Athenienſibus, de quibus hæc apud Suidam [h]: Lampadis tria feſta agunt Athenienſes, Panathenæis, Vulcanalibus, Promethеis. Iſter ait, Athenienſes primum facibus eſſe vſos in Vulcani ſacris, qui vſus ignis primus deprehenderit, & mortalibus demonſtrarit.] hæc Suidas. At ſi quis repetat eius rei antiquiorē originem; D ex Ægyptijs in Græcos, ſicut & idolorum cultum, & omnium fere deorum nomina (vt Herodotus [i] auctor eſt) fluxiſſe reperiet. Nam (vt idem teſtatur) ab eiſdem Ægyptijs [k] vetus agebatur anniuerſaria die ſolemnitas, quæ nominabatur Accenſio lucernarū, cum illi noctu circa domos ſuas ſolebant accendere frequentes lucernas. Cum autem ab inolito tot ſæculis vſu tam Ægyptij, quàm ceteri eos imitati, diuelli vix poſſent; veneranda antiquitas Eccleſiaſtica, non ſine inſtinctu diuini numinis, ſuperſtitionem in religionem conuertit; effecitq. vt quod impendebatur idolis, prouide in Dei cultum conuerteretur, nimirum vt in ipſa Aſcenſionis Dominicæ nocte in honorem Domini eadem exhiberentur pietatis obſequia: ſicq. non tantum in Ægypto, ſed in Palæſtina, alijsq. Chriſtiani orbis Eccleſijs, vt ea nocte plures lucernæ accenderentur, fuit olim pia conſuetudine introductum, quod alicubi hactenus perſeuerat. Teſtatur & Beda [l], de locis ſanctis E agens, nocte Aſcenſionis Domini ſic montem Oliueti lampadum lumine illuſtrari, vt mons ardere, & cetera loca ſuppoſita viderentur. Quis inſuper inique ferat, ſi quæ olim complures Chriſtianorum in natalitijs principum conſueuerunt factitare, eadem in natalitijs martyrum fuerint commutata?

[c] Hier. in Vigilant.
[d] Seneca lib. 15. epiſt. 66.
[e] Feſtus verbo Cerei. Macrob. in Saturnal. lib. 1. c. 7.
[f] Greg. Nyſſen. in vita S. Greg. Thaumaturgi.
[g] Theodoret. de Euang. veritat. lib. 8. in fine.
[h] Suid. verb. Λαμπάδος.
[i] Herod. in Euterp. lib. 2.
[k] Idem eod.
[l] Beda de locis ſanctis c. 7.

At quàm faciles eſſent Chriſtiani complures, vt hæc olim Gentilium more præſtando, idololatriæ crimen incurrerent, fidem certam facit Tertullianus [m], qui in eos inuectus, ſic ait exprobrans: Sed luceant, inquit, opera veſtra. At nunc luceant tabernæ & ianuæ noſtræ. Plures iam inuenies Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis, quàm Chriſtianorum.] hæc Tertullianus: ex quibus poterit quiſque perfacile intelligere, quàm bene conſultum fuit, & ſicut neceſſariò, ita & pie effectum, vt ſacer vſus cereorum ac luminum a ſuperſtitione Gentilium vindicatus, veri Dei cultui fuerit conſecratus; quo pietatis officio Fideles non amplius ſuperſtitionem Gentilitiam, ſed diuinum

LXXVII. GENTILES RITVS CHRISTIANA RELIGIONE DEPVRATI.

LXXVIII.

[m] Tertull. de Idol. c. 14.

numen

Universidad de Deusto
Biblioteca

DIVINO MIRACVLO VSVS LAMPADVM COMPROBATVS.
a S.Greg. Dial. lib.3.c.30.

numen excolerent. At vt tandem rem diuino teſtimonio obſignatã relinquamus; hæc pia religionis officia Deo eſſe acceptiſsima, non ſemel, verum multoties ipſe miraculis editis declarauit. Quorum ea breuiter hic tantum referam, quæ S. Gregorius Papa [a] de rebus ſuo tempore in Vrbe geſtis ſcribit his verbis: Die vero alio cum in ea lampades ſine lumine dependerent, emiſſo diuinitus lumine ſunt accenſæ. Poſt paucos iterum dies, cum expletis Miſſarum ſolemnijs, extinctis lampadibus, cuſtos ex eadem eccleſia egreſſus eſſet, poſt paululum intrauit, & lampades, quas extinctas reliquerat, lucentes reperit: quas negligenter extinxiſſe ſe credens, eas iam ſolicitus extinxit, & exiens eccleſiam clauſit: ſed poſt horarum trium ſpatium regreſſus, lucentes lampades, quas extinxerat, iterum accenſas inuenit: vt videlicet ex ipſo lumine aperte clareſceret, quia locus ille a tenebris in lucem veniſſet.] hæc ille, cum agit de eccleſia S. Agathæ ab Arianis vindicata, & Catholicorũ vſui reſtituta. Complura alia ac fere innumera his eſſent addenda exempla diuinitus oſtenſa; ſed quoniam alio tendimus, nempe ad Paulum Troade abeuntem, hic de his finis eſto.

LXXIX. PAVLI NAVIGATIO.

Peractis ſacris, atque ad lucem Paulus producto ſermone, quòd opportunum iam adeſſe tempus videretur, relictis ſuis qui nauem conſcenderent, ipſe pedeſtri itinere propinquum locum, qui Aſſon eſt nominatus, peruenit, oppidum celeberrimum, portum habens aggere conſtructum, vt ab Homero [b] deſcribitur, qui & a Plinio [c] Aſſon Troadis nominatur. Qui vero antea nauigio profecti erant diſcipuli, Aſſon appellentes, illic in naui Paulum aſſumpſerunt. Scribit autem hæc Lucas his verbis [d]: Nos autem aſcendentes nauem, nauigauimus in Aſſon, inde ſuſcepturi Paulum: ſic enim diſpoſuerat ipſe per terram iter facturus. Cum autem inueniſſet nos in Aſſon, aſſumpto eo, venimus Mitylenen (*eſt ciuitas maritima in Lesbo inſula portum habens.*) et inde nauigantes ſequenti die venimus contra Chium, & alia applicuimus Samũ, & ſequenti die venimus Miletum. Propoſuerat enim Paulus tranſnauigare Epheſum, ne qua mora illi fieret in Aſia: feſtinabat enim, ſi poſſibile ſibi eſſet, vt diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis.] hæc Lucas. Quoniam enim Paulus experimento didicerat, qua in ſe filij, quos genuerat in Euangelio, charitate eſſent affecti, quippe qui ſeptem diebus ab illis Troade retentus eſſet, nec ſibi ceteris abeuntibus vna cum eis nauim conſcendere licuiſſet, ſed ab illis (vt par eſt credere) comitantibus, vix tandem diuelli potuiſſet: Hanc ob rem, ne Epheſum appellens, a Chriſtianis illic agentibus, multis pariter diebus detineretur inuitus, Chio nauigans, relinquens Epheſum, primo Samum, inde Miletum peruenit, quæ eſt nobiliſſima vrbs Cariæ ad mare ſita. Sed hic animaduertendum, quòd Græca exemplaria aliquid amplius habent a Latinis, nimirum eos, poſtquam appuliſſent Samum, commoratos eſſe Trogyllij, & ſic ſequenti die veniſſe Miletum; hæc enim in Græcis exemplaribus leguntur: ἡμεῖναντες ἐν τρωγυλλίῳ.] quæ quidem lectio haud eſt recens: nam & ijs additis Ioannem Chryſoſtomum legiſſe conſtat, ac Græcorum ceteros omnes. Porro Trogyllium eſt promontorium poſitum contra Samum, habens iuxta ſe paruam inſulam, Trogyllium itidem appellatam. Diſtare a Samo Trogyllium ſtadijs quadraginta, Strabo teſtatur [e]. Sic igitur cum proxime adiaceat Trogyllium Samo: eos primo appuliſſe Samum, ac deinde paulo vlterius nauigantes ea die commoratos eſſe Trogyllij, ſequenti vero conſtat veniſſe Miletum. Studebat ille pro viribus nauigationem ſic maturare, vt ſolemnitatem Pentecoſtes ageret Hieroſolymis.

b Homer. Iliad.
c Plin. lib.2.c. 96. & lib.36.c. 17.
d Act. 20.
e Strab. lib.14.

LXXX. PAVLI CONSILIVM VENIENDI HIEROSOLYMAM.

At quid ſibi vult (inquit [f] Chryſoſtomus) iſta feſtinatio? Non propter feſtum, ſed propter multitudinem (interim hæc Iudæis dabat) & rapere volens inimicos, feſtinabat ſermonem annunciare.] Sed & plane declarauit euentus, cur tantopere feſtinaret Pentecoſten peragere Hieroſolymis. Sciebat enim præcurriſſe illuc ex Aſia Iudæos, qui illum accuſarent, calumniantes, ipſum aduerſus legem, templum, & populum agere; ſicq. (quod & [g] fecerunt) in eum vniuerſum populum concitarent. Nec inſuper ipſum latebant, quæ & poſtea ſibi, Hieroſolymam cum perueniſſet, ſunt ſignificata: nimirum, illos ipſos Iudæos qui receperant Euangelium [h], quorum erat numerus multorum millium, omnes legis æmulos, pene infenſo animo eſſe in Paulum, quòd accepiſſent ipſum prædicare diſceſſionem a Moyſe. Quamobrẽ vt tempori inſeruiret (quod & ipſe de ſe teſtatur, factus Iudæis tamquam Iudæus, & ijs qui ex lege eſſent, tamquam & ipſe ſub lege eſſet, vt Iudæos, & eos qui ſub lege eſſent, lucrifaceret) ad ſolemne feſtum Pentecoſtes

f Chryſoſtom. in Act. hom. 43.
g Act. 21.
h 1. Cor. 9.

Pentecoſtes Hieroſolymam feſtinat accedere, quo declararet ſe patrias leges non adeo auerſari. Permiſſa enim ad tempus fuiſſe legalia, vt iiſdem opportuno tempore vterentur, ſi vellent, Apoſtoli, ſatis ſuperius dictum eſt: licet Epiphanius exiſtimarit, Paulum Chriſtiano more peregiſſe Pentecoſten. Sed ſi hoc ipſe mente concepiſſet; quid opus habuiſſet, vt illam Hieroſolymis ageret, tantopere feſtinare? nam ſi Chriſtiano more illud feſtum acturus erat; non Hieroſolymis tantum, ſed in omnibus eccleſijs celebrare, liberum erat. Ceterum ea ipſa quæ egit, cum Hieroſolymam perueniſſet, cuius rei cauſa (vt dictum eſt) illuc profectus ſit, aperte declarant.

LXXXI. DE FESTIS DIEB. CHRISTIANORVM.

Verum quod pertinet ad legalia: haud diutius ea permanſiſſe, ſed hac ipſa ætate magna ex parte fuiſſe ſublata, manifeſte apparet: quandoquidem Ignatius, qui vndecimo Traiani anno, quo paſſus eſt, ſuas in itinere poſitus Romam veniens ſcripſit epiſtolas, plane id admonet ſcribens ad Philippenſes [a], ne feſtum Paſchatis agerent cum Iudæis, ſic dicens: Ad hæc conteſtor Epiſcopo & presbyteris in Domino: Si quis cum Iudæis celebrat Paſcha, aut ſymbola feſtiuitatis eorum recipit, particeps eſt eorum qui Dominum occiderunt & Apoſtolos eius.] Porro alias eſſe introductas in Eccleſiam feſtiuitates, eadem epiſtola idem ipſe declarat, ſic dicens: Feſtiuitates ne dehoneſtetis.] Meminit & inferius de die Dominico: de quo & ad Magneſianos [b] ſcribens: Poſt ſabbatum, inquit, omnis Chriſti amator Dominicum celebret diem, diem reſurrectioni conſecratum Dominicæ, reginam & principem omnium dierum.] meminit eiuſdem & Ioannes [c] in Apocalypſi. Certe quidem ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ obſeruari cœptam ab Apoſtolis diem Dominicam, qua ſimul ad ſacram ſynaxim conuenirent, argumento ſunt quæ nuper de conuentu Troade ab Apoſtolo habito vna ſabbati, dicta ſunt; quodq. Paulus ad Corinthios [d] ſcribens, vna item ſabbati pecuniam pro collecta aſſeruari præcepit. Porro fieri ſolitas collectas die Dominico, iam ſuperius diximus. Sed de die Dominico paulo inferius plura dicenda ſunt.

a Ignat. epiſt. 8.
b Ad Magneſ. epiſt. 6.
c Apoc. 1.
d 1. Cor. 16.

LXXXII. DIES PASCHATIS A PETRO PRAESCRIPTVS.

Quod autem ad Paſcha pertinet: placuit Petro in primam diem Paſcha transferre: non enim Pius Papa, vel Victor (vt alij putant) fuerunt eius rei auctores, cum (quod Beda [e] teſtatur) conſtet Petrum die Dominico Paſcha Romæ celebraſſe, atque id ipſum Marcum, monente eodem Petro, Alexandriæ docuiſſe. Quod & Proterius Epiſcopus Alexandrinus ſcribens ad Leonem Romanum Pontificem ingenue profitetur, cuius fragmentum epiſtolæ idem qui ſupra recitat Beda [f]. Manifeſte igitur Socrates [g] Nouatianus homo hallucinatur, dum ex decreto Nouatianorũ confirmat eſſe debere in cuiuſque voluntatis arbitrio, quando velit Paſcha peragere; quòd nulla dicat ratione conſiſtere, quando illud ſit celebrandum. Sed Nouantes Nouatianos libenter auſcultant, captantes quamcumque a quouis oblatam occaſionem, ne vel in his ſubijci videantur Catholicæ Eccleſiæ. ſed de his alias pluribus. Explosis igitur legalibus cærimonijs, ſic illa quæ præcipua eſſe videbantur Iudæorum feſta, Paſcha atque Pentecoſten, ex parte Apoſtoli celebrare cœperunt: vt retinentes nomina; quæ noua erant in illis & auguſtiora, atque illa ipſa quæ ijſdem ſolemnitatibus typice erant ſignificata, iamq. per Chriſtum impleta myſteria celebrarent. Hæc vero docuiſſe Apoſtolum, cum poſt hæc Romæ agens id ſcripſit ad Coloſſenſes [h]: Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti] complures exiſtimarunt. Non enim penitus feſta Paulum abſtuliſſe, ſed (vt dictum eſt) ex parte tantum, Tertullianus [i] antiquitatum Eccleſiæ egregius teſtis docet his verbis: Si omnem in totum deuotionem temporum, & dierum, & menſium, & annorum eraſit Apoſtolus; cur Paſcha celebramus annuo circulo in menſe primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus?]

e Bed. in Retract. in Act. Apoſt. c.20.
f Bed. lib. de rat. temp. c.42.
g Socrat. lib.5. cap.21.
h Coloſſ. 2.
i Tertul. aduer. Pſychic. c.14.

LXXXIII. QVAE DIERVM DAMNETVR OBSERVATIO.

At vero nec cum ad Galatas Paulus ſcribens [k] dixit: Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Timeo vos, ne forte ſine cauſa laborauerim in vobis] aliud quàm Iudaicas cærimonias fugillauit. Nam Origenes, qui & ijſdẽ cum Tertulliano temporibus claruit, nempe Seueri Imperatoris, haud amplius quàm centum quinquaginta annis a temporibus Apoſtolorum, de vtraque Pauli ſententia agens, ac fuſius diſputans contra Celſum [l] hæc ait: Accommodatiſsime, ad feſtos dies Gentilium ſcilicet arguendos, illud apud Paulum dictum videtur: Dies autem obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. timeo forte ne ſine cauſa laborauerim in vobis. Quòd ſi quis ad hæc

k Galat. 4.
l Orig. contra Celſ. lib. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fortasse obiecerit vel Dominicos dies, vel parasceues, & Paschatis, vel Pentecostes tempora, quæ ex diebus vtique constant: dicendum, perfectiorem quemque, qui pro verbi Domini ac Dei natura, dictis factisq. & cogitationibus semper insistat, assiduo in Domini diebus versari, & Dominicos perseueranter agere dies, & ad recte viuendum sedulo paratiorem se reddere, & a mundi suauitatibus abstinere, &c.] pergit enim agere de Paschate, quòd celebretur a Christianis, quòd eo tempore immolatus sit Christus; & de Pentecoste, quòd Spiritus sanctus cælitus effusus sit in Apostolos atque discipulos. Ac denique monstrat pluribus, perfectiores Christianos mente sua semper agere dies festos; esse tamen imbecilliores, qui sensibilibus indigerent exemplis, ijdēq. his statutis festis manu ducendi essent ad sublimiorem perfectioremq. disciplinam. quamobrem hæc subdit: Istiusmodi arbitror vbi Paulus cognouisset festi diei partem, festum id nominasse, quod præter dies ceteros festos statis diebus celebraretur; & ex istiusmodi dicto aperuisse, non in parte aliqua festi diei, sed in integra quadam & indeficiente hunc esse, qui pro verbi doctrina vitam perpetuo duxerit.] De ijsdem festis sic ex parte sublatis hæc & Gregorius Nazianzenus[a]: Festos dies Iudæus etiam agit, verum iuxta litteram: Legem enim corpoream consectans, ad spiritualem legem non peruenit. Festos quoque dies Gentilis agit, verum iuxta corpus.] et paulo post: Feriamur ipsi quoque, verum vt Spiritui gratum est.] et inferius, cum agit de festo Pentecostes, deq. ratione eius festi diei celebrandi a Christianis inita, hæc addit: Ob has fortasse rationes, vel his proximas, vel etiam sublimiores quasdam, magisq. diuinas, Pentecostes diem Hebræorum voce colimus; quemadmodum & alios multos Hebraicos ritus obseruamus, apud illos quidem figura tenus celebratos, a nobis autem mystice restitutos atque perfectos.] His consentientia scribit Basilius[b].

[a] Gregor. Naz. orat. in S. Pent.

[b] Basil. in Isai. c. 1. & ad Amphiloch. de Spir sanct. c. 27.

LXXXIV. DE FESTIS EX PARTE MVTATIS.

At in his sic ex parte mutandis, ritus etiam Apostolos Ecclesiam docuisse, quibus celebrarentur, Hilarius[c] testatur his verbis: Hæc quidem sabbata sabbatorū ea ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his Quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque ieiunio festiuitatem spiritualis huius beatitudinis impediret: quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum, qui vltra sabbati numerū per plenitudinem Euangelicæ prædicationis accedunt. Namque cum in septimo die sabbati sit & nomen & obseruātia constituta; tamen nos octaua die, quæ & ipsa prima est, perfecti sabbati festiuitate lætamur.] hucusque Hilarius. Sed & Epiphanius[d] agens contra Aerium nebulonem, primū sacrorum statutorum dierum impugnatorem, non aliunde quàm ex Apostolica constitutione obseruationem eiusmodi Ecclesiasticam tot sæculis ante præscriptam sibi vindicat.

[c] Hilar. in prolog. expos. Psal.

[d] Epiph. hæres 75.

LXXXV. QVOMODO CHRISTIANI FESTOS DIES OBSERVENT.

Sed quàm erudite & eleganter Hieronymus[e] hæreticorum obiectiones, qui ex Apostoli verbis captiones quascumque possint calumniose admodum aucupantur, refellat, hæc accipe: Dicat aliquis: Si dies obseruare non licet, & menses, & tempora, & annos; nos quoque simile crimen incurrimus, quartam sabbati obseruantes, & parasceuen, & diem Dominicam, & ieiunium Quadragesimæ, & Paschæ festiuitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diuersa in honore martyrum tempora constituta. Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Iudaicæ obseruationis dies esse, quos nostros. Nos enim non Azymorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis & Crucis: nec septem iuxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus sancti veneramur aduentum. Et ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo; propterea dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter veniremus: non quo celebrior sit dies illa qua conuenimus; sed quo quacumque die conueniendum sit, ex conspectu mutuo lætitia maior oriatur. Qui vero oppositæ quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat; omnes dies æquales esse, nec per parasceuen tantum Christum crucifigi, & die Dominica resurgere, sed semper sanctæ Resurrectionis esse diem, & semper eum carne vesci Dominica. Ieiunia autem, & congregationes inter dies propter eos & a viris prudentibus institutos, qui magis sæculo vacant quàm Deo, nec possunt, immo nolunt toto in ecclesia vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre sacrificiū. Quotus enim quisque est, qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt, vel orandi tempora, vel ieiunandi, semper exerceat?] hæc & alia Hieronymus, vt apparet, in sententiam Origenis. At non hi quidem sic cūctis Christianis dies æquales esse dixerūt, vt festa

[e] Hier. in epist. ad Galat. c. 4.

vt festa dies non præstet non festæ: sed quòd dies, in quantum dies sunt, omnes ab eodem auctore creati, eiusdem sint considerationis: tamen quòd in aliquibus grandia inciderint diuina mysteria, ex his eosdem reddi celebriores constat: sicut de campis accidit, qui cū omnes æque sint terra, ille tamen nobilior habetur ceteris, in quo magis egregia sunt sata semina, vel plantatæ arbores. Quamobrem certi dies his muneribus diuinitus illustrati, celebriori cultu peragi debuerunt: cum alioqui ob immensam Dei erga mortales largitatem effusam, cum sufficere illi dies præscripti ad referendas gratias minime videantur, omnibus diebus eadem meditari omnes æque deberent.

LXXXVI. DE SENSV VERBORVM APOSTOLI.

Sed quod spectat ad sensum verborum Apostoli: complures antiquorum, ac præsertim Græcorum, exposuerunt de Iudæorum festis Apostolum agere: alij ad superstitionem Gentilium retulerunt, quòd Gentiles passim distinctos haberent dies fastos, atque nefastos. In quam sententiā S. Augustinus scribens ad Ianuarium[a] hæc ait: Non itaque dies obseruamus, annos, & menses, & tēpora; ne audiamus ab Apostolo: Timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis. Eos enim culpat, qui dicunt: Non proficiscar hodie, quia præposterus dies est, aut quia Luna sic fertur: vel, proficiscar, vt prospera cedant, quia ita se habet propositio siderū. Non agam hoc mense commercium, quia illa stella mihi agit mensem: Non plantem hoc anno vineā, quia bissextus est, &c.] Idem[b] alibi de celebrando in Ecclesia Paschate atque Pentecoste, disputans contra Faustū hæc impugnantem, alijsq.[c] in locis, vt contra Adimantum, & in Psalmum centesimum decimum, & ad Ianuarium scribens[d], exactam reddit rationem, consentientem ceteris antiquis rerum Ecclesiasticarum tractatoribus. Nec est quòd quis moueat quæstionem, quòd præter illa quæ ab eodem Paulo Apostolo dicta sunt, idem ipse rursus scribens ad Romanos[e] sic dicat: Alius iudicat diem inter diem: alius autem iudicat omnem diem.] de cibis enim illic agi, manifestissimum est: id enim communi consensione Patres locum illum explicantes affirmant; licet S. Hieronymus contra Iouinianum agens, aliter locum illum explicare videatur. Verum iure dicere etiam quisque poterit, Apostolum de alijs quàm Iudæorum festis esse locutum.

[a] August. epist. 119. & in Enchir. c. 79.

[b] August. cōtra Faust. lib. 32. c. 11. 12.

[c] Idem contra Adiman. c. 16.

[d] Epist. 119.

[e] Rom. 14.

LXXXVII.

Ex his igitur ex sententia Origenis & Hieronymi recitatis, quibus dicitur, Christianos sanctiores non hanc vel illam ad diuinum cultum præscriptam habere diem, sed cunctis propensius diuinum numen venerari; inferri posse videtur, ea potissimum ratione in Ecclesia antiquitus institutum, vt dies hebdomadæ omnes, feriæ nomine dicerentur. Non enim recens vel a Siluestro Papa primum huiusmodi est excogitata nomenclatura, quæ ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus reperitur vsurpata. Nam & Tertullianus[f] frequenter meminit de quarta & sexta feria. Idemq. ait 8: Nobis certe omnis dies, etiam vulgata, consecratione celebratur.] et alibi[h]: Nos intelligimus, magis sabbatizare vos omni opere seruili semper debere, & non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus.] Et Hieronymus[i] ad Algasiam, cum & illud Pauli explicat: Nemo vos iudicet in parte diei festi.] Vt alios, inquit, dies festos putent, alios non festos: nobis enim, qui in Christum credimus resurgentem, iugis & æterna festiuitas est.] Accedit his illa ratio, quòd sicut Iudæi[k] Paschalem solemnitatē septem diebus comedentes azyma celebrabant, ita Christi Ecclesiæ placuit totidem dies alia ratione post Pascha solemniter agere, eamq. ob causam eos ferias dicere; quarum quoniam prima erat ipsa festiuitas Paschæ, quæ mox sequitur, secunda, ac deinceps ceteræ numerarentur eodem ordine. At quoniam (vt dictum est) quolibet die primo, quem Dominicum appellandum esse maiores censuerunt, eamdem Christi resurrectionis memoriam singulis agendam hebdomadis statuerunt: inde factum est etiam, vt sicut in prima Resurrectionis hebdomada dies singuli feriæ nomine dicebantur, ita sequentibus singulis hebdomadis, quòd eadem repetita solemnitas videretur, eodem quoque modo ceteri hebdomadæ dies etiam feriæ dicerentur, cum præsertim Fideles horrerent eosdem a dijs Gentium nominare, vel Iudaico more a sabbato primam, secundam sabbati, & sic deinceps nomen deducere.

[f] Tert. aduerſ. Psychic. c. 2.

[g] Idem eodem cap. 14.

[h] Idem aduerſ. Iudæos c. 4.

[i] Hieron. epist. 151. q. 10.

[k] Exod. 12. Leuitic. 3. Num. 18.

LXXXVIII. DE DIE DOMINICO.

Verum quoniam prima feria, eademq. præcipua, præclarissimis insignita mysterijs, dies Dominica meruit nuncupari: idq. cum factum reperiatur Apostolorum temporibus (vt superius dictum est) non ab alijs quàm ab ipsis fuisse statutum, atque seruari mandatum, omnes qui mente valeant, dicturos putamus. Actum est superius de diei Dominici prærogatiuis, quarum in Synodo corā Theophilo sexto Antiochenæ Ecclesiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ Episcopo sex a sanctis Patribus sunt recensitæ. Attigerunt ex his aliquas Origenes [a], Athanasius [b], Hilarius [c], Basilius [d], Hieronymus [e]: a S. Augustino [f] etiam multæ collectæ leguntur: sed & S. Leo [g] ceteris locupletius de eius diei sacramentis ad Dioscorum scribit, itemq. Sextæ Synodi [h] adiecti canones. Nec dicere prætermittimus triplici nomine eamdem primam diem dictam reperiri: nam non tantum eam dixere maiores Dominicam, vtpote quia de ea illud prædictum videtur: Hæc dies, quam fecit Dominus] sed & alij eam nominauere diem panis, alij diem lucis. Sed cur fuerit his tribus nominibus insignita, fusius explicat sanctus Ioannes [i] Chrysostomus: nobis modo in his non immorandum. Præter tot antiqua de eius diei cultu monumenta, est & canon Magni Nicæni Concilij [k]. Sanctus Augustinus [l], qui eiusmodi obseruationem diei ab Apostolis institutam affirmat, de eiusdem cultu hæc tradit: Dominicum ergo diem Apostoli & Apostolici viri ideo religiosa solemnitate habendum esse sanxerunt, quia in eodem Redemptor noster a mortuis resurrexit; quiq. ideo Dominica appellatur, vt in eo terrenis operibus vel mundi illecebris abstinentes, tantum diuinis cultibus seruiamus.] et post multa de eiusdem diei insignibus, addit: Ac ideo sancti doctores Ecclesiæ decreuerunt omnem gloriam Iudaici sabbatismi in illam transferre, vt quod ipsi in figura, nos celebraremus in veritate. Obseruemus ergo diem Dominicum, fratres, & sanctificemus illum, sicut antiquis præceptum est de sabbato, dicente legislatore: A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra. Videamus ne otium nostrum vanum sit; sed a vespera diei sabbati vsque ad vesperam Dominicæ diei, sequestrati a rurali opere, & ab omni negotio, solo diuino cultui vacemus. Veniat ergo, cuicumque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret, & non neget Deo soluere votum, ac reddere pensum seruitutis. In die vero nullus se a sacrarum Missarum celebratione separet; neque quis domi remaneat, ceteris ad ecclesiam pergentibus; neque in venatione se occupet.] hæc & alia de eius diei cultu Augustinus.

a Orig. in Exod. hom. 7.
b Athanas. in illud Matthæi, Omnia tradita sunt mihi.
c Hilar. in prolog. in Psal.
d Basil. in Hexamer. ho. 2. in fin.
e Hier. in epist. ad Gal. c. 4.
f August. serm. 251. de temp.
g Leo epist. 81. cap. 1.
h Sext. Synod. c. 8. tom. 2. Concil.
i Chrysost. de resurr. homil. 5.
k Nican. Concil. can. 20.
l Aug. de temp. serm. 251.

LXXXIX. DE CELEBRANDO DOMINICO.

Quod vero primum dicit, ea die Missas audiendas: non tam Augustini sententiam, quàm communem totius Ecclesiæ vsum secuta, hoc ipsum monuit Synodus Agathensis [m]. De vigilijs nocte Dominicæ celebrandis extat canon Concilij Matisconensis [n], necnon nuper citatus canon in appendice ad Sextam Synodum [o], quo etiam iubetur vt ea die oblationes more maiorum offerantur in ecclesia. Sed non res est recens introducta: quandoquidem & Cyprianus inuehitur in mulierem diuitem, quæ sine oblatione eadem die ad ecclesiam conueniret, sic dicens [p]: Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis; quæ in Dominicum sine sacrificio venis; quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?] hæc ipse: et licet alio sensu Dominicum alij accipiendum putent, nempe pro ipso sacrificio; tamen illud die Dominica publico conuentu celebrari solitum, alibi diximus. Eadem est querela Augustini [q], dicentis in diuites: Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.] Est & de his Paulini [r] ad plebem pia admodum exhortatio, & in religiosum officium omittentes iusta obiurgatio. Sed de collectis & oblationibus dictum est superius. hæc satis de his quæ ad diem Dominicam spectant, quam ex septem ceteris festam nouimus; licet olim (vt dictum est) in Oriente & dies sabbati etiam feriaretur.

m Synod. Agathens. can. 47.
n Concil. Matisconen. can. 1.
o Sext. Synod. c. 8. tom. 2. Concil.
p Cypr. de oper. & eleemos.
q Aug. de temp. serm. 251.
r Paulin. epist. 32.

XC. DE FERIANTIBVS DIEM QVINTAN.

In eos vero qui feriam quintam absque operatione agerent, Augustinus [s] vehementer inuehitur, dicens: Et quia audiuimus, quòd aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumueniat, vt quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium: coram Deo & sanctis Angelis eius contestamur, quia quicumque hoc obseruare voluerint, nisi per prolixam & duram pœnitentiam tale sacrilegium emendauerint, vbi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnandi sunt. Isti enim infelices & miseri, qui in honorē Iouis in quinta feria opera non faciunt, non dubito quia ipsa opera die Dominico facere non erubescunt, nec metuunt. Et ideo quoscumque tales esse cognoueritis, durissime castigate. Et si emendari noluerint, nec ad colloquium nec ad conuiuium vestrum eos venire permittite. Si vero ad vos pertinent, etiā flagellis cædite; vt vel plagam corporis timeant, qui de animæ suæ salute non cogitant. Nos enim, fratres carissimi, cogitantes periculum vestrum, paterna vos solicitudine admonemus.] hucusque Augustinus:

s Aug. eodem.

nus: quibus videas, quanta vigilantia intenderint Patres ne in feriationem dierum aliqua irreperet superstitio. His enim similia scripsit S. Gregorius [a] aduersus eos qui diem sabbati æque ac Dominicum feriarent, ipsumq. Dominicum Iudaice celebrarent, quod olim vetuerat etiam Concilium Laodicenum [b]. Ebionæos eius erroris redarguitos esse, quòd æque sabbatum ac diem Dominicum colerent, testatur Eusebius [c]: at de his superius, vbi actum est de ieiunio sabbati, fusius dictum.

a Greg. lib. 11. epist. 3.
b Concil. Laod. can. 29.
c Euseb. lib. 3. c. 21.

XCI. DE INSTITVTIONE ALIORVM DIERVM FESTORVM.

Sed vt summatim de ceteris Ecclesiæ diebus festis agamus: eadem sane ratione qua Apostoli ea seruanda instituerunt, qui ijsdem successerunt Apostolici viri, reliqua quæ sunt postea superaddita festa introduxerunt, ac posteris tradiderunt. Augustinus enim scribens contra Faustum hæc addit [d]: Ea quippe anniuersarie in Ecclesia celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt; vt eorum necessariam salubremq. memoriam festiuitas concelebrata custodiat.] et alibi [e]: Beneficiorum Dei solemnitatibus, festis, & diebus statutis dicamus sacramusq. memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat obliuio.] Hac, inquam, ratione & festa Natalis Domini, Epiphaniorum, necnon Ascensionis celebranda in Ecclesia, sunt salubriter introducta. Sed quonam tempore hæc accesserint, haud tutum est definire: nisi qui certam fidem adhibendam esse putarit illis Apostolicis institutis, quæ Clementis nomine vulgata habentur. In his [f] enim de dictis tribus hisce festiuitatibus habetur mentio, tamquam fuerint ab Apostolis institutæ: quod & pie credendum est. nam quo tempore ceteræ festiuitates agi cœperint, aliqua est memoria; de his autem antiquioribus atque præclarioribus nullum inuenitur institutionis exordium. Certe veteres sancti Patres, qui his diebus homilias ad populum habuerunt, de his festis vt de re antiquissima locuti sunt.

d Aug. contra Faust. lib. 32. c. 12.
e De Ciuit. Dei lib. 10. c. 4.
f Clem. Constit. lib. 5. c. 13. & 20. in fine.

XCII.

Paulinus [g], qui temporibus Theodosij senioris claruit, ea a Deo accepta, nempe diuinitus instituta esse, testatur his versibus:

Ergo velut cælum stellis, vt floribus arua,
Temporibusq. annos Dominus, sic ipse diebus
Tempora distinxit festis, vt pigra diurnis
Ingenia obsequijs saltem differimine facto
Post interuallum reduces sollemnia voto
Sancta libenter agant.] hæc Paulinus.

g Paulin. Nol. in Natal. 9. S. Felicis.

Qui etiam ibidem relegens sacra festa quæ suo tempore in Ecclesia agebantur, non tantum nuper dictorum meminit, sed etiam natalitiorum sanctorum martyrum, de quibus paulo inferius paucis acturi sumus. Sed quòd illa a Domino instituta dicit, in eum sensum accipiendum est: Deus qui in Decalogo legem præscriptam dedit, qua festos dies iuberet coli, eosq. illos esse postea declarauit, quibus maxima quædam ipse contulisset in Hebræum populum beneficia; quæ ne memoria exciderent, mille alijs monumentis in mentibus voluit esse fixa: cum vero postea longe maiora per Filium suum in hunc mundum missum, vniuerso humano generi elargitus est dona, & immensa addidit beneficia; cur non videretur ab eo pariter esse statutum, vt eorum memoria æque solemniter celebritate anniuersaria coleretur? Neminē enim hæc adeo perspicua negaturum putamus, nisi qui omnis prorsus a Deo inditæ homini rationis est expers: cum præsertim (vt pluribus dictum est) illa priora, horum quæ postea contigerunt, typum gererent; sicq. ea etiam ratione, illa fore legitima sempiterna, prædicta essent; quòd licet typice aliquando & ad tempus illa, postea vero secundum veritatem forent ab omnibus perpetuo celebranda.

DE RATIONE DIERVM FESTORVM.

XCIII. FESTI DIES SANCTORVM MARTYRVM EX APOSTOLICA INSTITVTIONE.

Quod vero spectat ad festa sanctorum, quæ a maioribus dici natalitia consueuerunt: etsi hæc alibi attigerimus, quoniam tamen id in præsentiarum a nobis exigit ratio argumenti, de ijsdem hic paucis agendum putamus. Non negligenda in primis omnino videntur quæ de his apud Clementem [h] scripta leguntur, manasse hæc scilicet ex Apostolicis institutis; cum antiquæ traditioni de sanctorum natalitijs celebrandis complures antiquissimi scriptores adstipulentur. Nemo certe, nisi Apostolorum auctoritate, rem tantam in noua Ecclesia absque vllo diuinæ Scripturæ exemplo introducere præsumpsisset: neque rursum ab vniuersali Ecclesia recepta esset, nisi id omnes ex Apostolica traditione manasse nouissent. Quonam pacto, quæso, cum nondum anni centum ab Apostolorum temporibus lapsi essent, dum ad illud tempus superstites

h Clem. Constit. lib. 8. c. 33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhuc fuissent nonnulli Apostolorum discipuli, Ecclesia [a] Smyrnensis, scripta epistola A
non tantum ad Ecclesiam Philomilij, sed ad omnes Catholicos Christianos vbique gentium, egregie libereq. profiteretur se propediem celebraturam diem festum martyrij Polycarpi solemni celebritate, nimirū cum cessaret dira persecutionis rabies; nisi Apostolorum auctoritate id iure, sanctè, pieq. facere licuisset? Sed reddamus (quo hæc planiora fiant) eius epistolæ verba, quæ sunt huiusmodi, post enarratum martyrium Polycarpi: Nos postea ossa eius, poriora lapillis pretiosis, auroq. puriora, ex cineribus selecta eo loco reposuimus, qui illis erat decorus consentaneusque: vbi sane nobis in vnum aliquando coactis, Dominus præstabit, vt celebrem eius martyrij diem, instar natalis festi, cum exultatione & gaudio quantum fieri potest maximo recolamus: idq. cum ad martyrum memoriam, qui antea tale certamen confecerunt, tum ad eorum exercitationem, mentisq. ad talem constantiæ præparationem, qui postea Christum eo genere mortis ingenue confessuri sint.] hæc ibi. B

[a] Apud Euseb. lib. 4. c. 14.

XCIV. DE DIE NATALITIO CELEBRANDO.

Ex his quidem tum maiorum de ea re traditio declaratur, tum etiam quæ apud Clementem in hæc verba leguntur, probata magis ac magis redduntur: In die (inquit auctor) Stephani protomartyris quiescant, & reliquorum sanctorum martyrum, qui Christum propriæ vitæ anteposuerunt.] Confirmant hæc etiam quæ Origenes, qui sequenti sæculo vixit, nempe sub Seuero, sua in Matthæum homilia [b] de infantibus Innocentibus martyribus ait: Bene & secundum voluntatem Dei eorum memoriam sancti Patres celebrari mandarunt sempiternam in Ecclesijs, veluti pro Domino morientium.] Id ipsum est quod dicit Tertullianus [c] ex antiqua maiorum traditione: Pro natalitijs annua die facimus.] per natalitia, dies obitus sanctorum intelligi, nuper citatus Origenis locus satis expresse significat. His addimus celebrem Cypriani locum [d] in epistola C
ad Clerum Carthaginensem, qua admonuit, vt dies eorum qui martyrio mortem oppeterent, Ecclesiasticis tabulis adnotarent, quo eorum memorias celebrare possent. sunt hæc eius verba: Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate; vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. quamquam Tertullus fidelissimus & deuotissimus frater noster pro certa solicitudine & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, qui nec illic circa curam corporum deest, scripserit, & scribat, ac significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis ex ista transeunt; vt celebrentur hic a nobis oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum: quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus.] hucusque Cyprianus. Idem ipse [e] alias quoque ad eosdem: Sacrificia, inquit, pro his semper (vt meministis) offerimus, quoties martyrum passiones & D
dies anniuersaria commemoratione celebramus.] Gregorium Thaumaturgum instituisse suos, quos nuper ad fidem conuerterat, vt celebrarent natalitia martyrum, auctor est Gregorius Nyssenus [f]. Denique ne singulos recensendo eius rei fidelissimos testes, molestiam afferam; satis sit vna sententia rem absoluere: nimirum libere affirmare, neminem post recensitos reperiri sanctorum Patrum, rerum Ecclesiæ tractatorum, qui vel homilias in sanctorum martyrum natalitijs non scripserit, vel alia occasione eorumdem non meminerit.

[b] Orig. hom. 3. in Matth.

[c] Tert. de coron. milit. c. 3.

[d] Cypr. epist. 37.

[e] Idē epist. 34.

[f] Greg. Nyss. in Vita S. Gregor. Thaumaturg.

XCV. CONFESSORVM DIES FESTI.

At non tantum martyrio consummatorum, sed & ceterorum [g] sanctorum peragi solitas in Ecclesia anniuersarias celebritates, Gregorius Nyssenus declarat, ordinemq. describens, sic ait: Ordo autem nobis spiritualium celebritatum atque conuentuum is
est, quē magnus Paulus docuit, superne atque cælitus huiusmodi rerum cognitionem E
adeptus. Ait enim ille, in primis Apostolos & Prophetas constitutos & ordinatos esse, post illos vero pastores & doctores. Conuenit igitur ordo solemnium conuentuum & celebritatum cum Apostolica hac ordinatione.] et paulo post recensitam Christi festiuitatem, hæc subdit: Primum nobis Apostoli & Prophetæ spiritualis cœtus initium fecerunt: vtraque enim prorsus circa eosdem sunt dona, & Apostolicus spiritus, & spiritus prophetiæ. Sunt autem hi, Stephanus, Petrus, Iacobus, Ioannes, Paulus. Deinde post hos, conseruato ordine suo, pastor & magister præsentem nobis celebritatem auspicatur.] hæc Gregorius, cum in festo die fratris sui Basilij eum pro concione laudauit. Sicut & Gregorius Nazianzenus, qui pariter Athanasium, iam diu ante vita functum, eadem de causa visus est encomio celebrasse.

[g] Greg. Nyssen. orat. in laud. S. Basilij.

XCVI. Quanta autem animi alacritate essent maiores nostri in celebrandis anniuersarijs festis

A festis diebus, ex his quæ scribit Dionysius Alexandrinus [a] facile potest intelligi, cuius de ea re sententiam superius recitauimus; & cum ipsius, tum etiam aliorum antiquorum testimonio demonstrauimus, nec tempore cuiusuis maximæ persecutionis vrgentis abstinuisse Fideles, vbicumque agerent *, etiam si in carcere essent, vna simul, quantum loci & temporis opportunitate daretur, conuentus agere, festosq. dies celebrare, & sacræ Eucharistiæ participes fieri. Sed consule quæ de his superius dicta sunt, cum de Ecclesia & conuentu ecclesiastico actum est. Reddita autem pace Ecclesiæ, quanto celebriori ac frequentiori conuentu non vnius loci vel ciuitatis, sed totius plane prouinciæ populi in vnum locum conuenientes, festos dies celebrare consueuissent, duo tantum exempla ex antiquioribus monumentis in medium afferre satis sit; quorum alterum Orientalis Ecclesiæ, alterum vero Occidentalis consuetudinem patefaciet. Gregorius Nyssenus [b] in ea oratione quam habuit in natali die S. Theodori martyris, hæc est B
ad populum pro concione locutus: Vos, qui populus Christi, qui grex sanctus, ac regale estis sacerdotium, qui vndique ex vrbibus & ex agris cateruatim confluxistis, vnde signo itineris accepto, in hunc locum venistis? Quis vobis huc veniendi adeo seriam ac quasi præstitutam necessitatem impossuit, idq. tempore hiberno, quo tempore & a bello quies est, & miles armaturam amouet, & nauta gubernaculum super flumen ponit, & agricola aratores boues in præsepi curans quiescit? An palam est, quòd sanctus martyr ex militaribus ordinibus & tuba cecinit, & multos ex diuersis regionibus ad suæ quietis locum & sedem vocauit, non ad bellicum instruens apparatum, sed ad dulcem ac maxime Christianos vtique decentem pacem cogens?] hæc Gregorius, qui [c] (ne C
hoc prætermittamus dicere) in festo die sanctorum Quadraginta martyrum, ob frequentissimum cœtum qui conuenerat, hominumq. compressionem & strepitum, coactus est luculentam orationem, quam in laudem martyrum inchoauerat, inabsolutam relinquere, & die sequenti resumere.

[a] Dionys. Alex. apud Euseb. lib. 7. c. 17.

FREQVENS CONCVRSVS AD NATALITIVM SS. MARTYRVM.

[b] Gregor. orat. in S. Theod.

[c] Greg. Nyssen. orat. 1. & 2. in quadr. mart.

XCVII.

Non certe minor vigebat in Occidentalibus fidei ardor in celebrandis festis diebus martyrum. Omittimus dicere de natalitio Apostolorum, a quo abesse, testimonio Gallæ Placidiæ [d] scribentis ad Pulcheriam, sacrilegium putabatur. Quid in solemnitate ceterorum martyrum peragi consueuisset, ex his quæ Prudentius cecinit in Hippolyto, satis perspicue potest intelligi, dum de frequenti accessu ad eius ecclesiam, quæ erat extra mœnia, in die natali ipsius, agit his versibus [e]:

[d] Galla Plac. ad Pulch. epist. extat tom. 2. Concil. in præamb. Concil. Chalced.

[e] Pruden. Peristeph. hym. 11.

QVAM FREQVENS POPVLVS AD CELEBRITATES SANCTORVM.

Iam cum se renouat decursis mensibus annus,
Natalemq. diem passio facta refert:
D
Quanta putas studijs certantibus agmina cogi,
Quæue celebrando vota coire Deo?
Vrbs Augusta suos vomit effunditq. Quirites,
Vna & patricios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx vmbonibus æquis
Discrimen procerum, præcipiente fide.
Nec minus Albanis acies se candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum:
Indigena, & Picens, plebs & Etrusca venit.
Concurrit Samnitis atrox, habitator & altæ
E
Campanus Capuæ, iamq. Nolanus adest:
Quisque sua letus cum coniuge, dulcibus & cum
Pignoribus rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis densa cohors spatijs.]

XCVIII.

Multa his similia scripta sunt a Paulino in suis quæ edidit S. Felicis Natalibus. Sed ex eo, quænam solerent sic conuenientes ad festa martyrum offerre munera, tantummodo recitabimus; quæ his versibus explicat [f]:

[f] Paulinus in Nat. S. Felic.

OBLATIONES FIDELIVM AD FESTA MARTYRVM.

Cædo, alij pretiosa ferant donaria, meq.
Officij sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
Siue coloratis textum fucata figuris.

Hi leues

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hi læues titulos lento poliant argento,
Sanctaq. præfixis obducant limina lamnis:
Aſt alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforeſq. cauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammas:
Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant vnguenta ſepulchro.]

Proſequitur dicere de nummis ſolitis erogari in pauperes. Rurſum vero de vnguentis afferri conſuetis his diebus ad ſepulchra martyrum, meminit & Prudentius itidem vbi ſupra in Hippolyto, ſic dicens:

Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.]

[a] Gregor. lib. 7. indict. 2. epiſt. 53. Et Gregorius [a] ſcribens ad Secundinum: Aloem vero, inquit, thymiama, ſtyracem, & balſamum ſanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præſentiam deferente, tranſmiſimus.] Sed quod ad titulos argento ornatos, ipſaſq. laminas ante limina affigi ſolitas pertinet; liquet eas fuiſſe tabellas pictas, vel aliter argento inciſas imagines, quibus, quæ a ſanctis martyribus fuiſſent aſſecuti beneficia, vota reddentes, ijſdem patefacerent.

XCIX. Ceterum (vt hæc ad poſtremum attingamus) non ſic, vt calumniati ſunt hæretici, & inter alios Manichæi, hæc agentes mutarunt maiores noſtri idola in martyres; quaſi vt Gentiles deos ſuos, ſic ipſi homines colerent: hanc enim calumniam S. Auguſtinus ſæpiſſime confutaſſe reperitur; vt in primis cũ agens contra Fauſtum talia in Catholicos inclamantem, hæc ait [b]: Populus autem Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur, atque orationibus adiuuetur: ita tamen, vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum ſacrificemus, quamuis in memoriam martyrum conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum quos coronauit, vt ex ipſorum locorum admonitione maior effectus exurgat.] hæc Auguſtinus, qui eadem ſæpe repetit, vt in libris de Ciuitate Dei [c] iterum, & in ſermone de Natali ſanctorum [d] Fructuoſi, Augurij, & Eulogij.

[b] Auguſt. contra Fauſtum lib. 20. c. 21.

QVAM PIE FIDELES CELEBRENT NATALITIA MARTYRVM.

[c] Aug. de Ciuit. Dei lib. 8. c. 27. & lib. 22. c. 2.

[d] Idem ſer. 101. de diuerſ. c. 10.

C. Quod demum veluti corollarium addimus: ſic Chriſtiani celebrare feſtos dies conſueuerunt, vt neque Iudaicæ ſuperſtitioni communicarent, neque Gentilium ſordibus inquinarentur. Vnde Gregorius Nazianzenus [e]: Feſtos dies Iudæus etiam agit, verum iuxta litteram: legem enim corpoream conſectans, ad ſpiritualem legem non peruenit. Feſtos quoque dies Gentilis agit, verum iuxta corpus, deoſq. ſuos & dæmones, quorum alij obſcœnarum rerum ſunt architecti, alij ex obſcœnis rebus honorem conſecuti ſunt: ac proinde fœda quoque & obſcœna eſt eorum feſti celebrandi ratio, vt hoc ipſum quod peccant in Dei honorem cedat, ad quem vitium quaſi res quædam honeſta & prædicanda confugit. Feriamur ipſi quoque, verum vt Spiritui gratum eſt.] hæc & alia de his Gregorius, dum agit de feſto Pentecoſtes, cuius gratia eiuſmodi a nobis eſt ſuſcepta narratio. At quod pertinet ad feſta Gentilium; modeſtior illa prima apud eos lex ſancita videbatur, quæ a Luciano recitatur his verbis [f]: Ne quid intra feſti tempus agito, neque publicum, neque priuatum, niſi quæ ad luſum, ad voluptatem, animiq. oblectationem pertinebunt.] Sed quàm diuerſæ ab his ſint de diebus feſtis agendis Chriſtianæ leges, omnes intelligunt. At de his hactenus. Iam enim receptui canendum, & quæ ad inſinuandos ex inſtituto antiquos mores Eccleſiæ digreſſa eſt oratio, reuocanda, atque ad rerum geſtarum narrationis curſum ordine dirigenda eſt.

[e] Gregor. Naz. orat. in S. Pentecoſt.

RELIGIOSVS CVLTVS DIERVM FESTORVM.

[f] Lucian. epiſt. Saturnal.

CI. Mileti cum adhuc eſſet Paulus (inquit Lucas [g]) mittens Epheſum, vocauit maiores natu Eccleſiæ. (at non tantum presbyteros, ſed & Epiſcopos, qui erant tum Epheſi, tum etiam in proximis ciuitatibus conſtituti, a Paulo vocatos, Irenæus affirmat [h]) Qui cum veniſſent ad eum, & ſimul eſſent, dixit eis: Vos ſcitis a prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcũ per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex inſidijs Iudæorum: quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quo minus annunciarem vobis, & docerem vos publice

[g] Act. 20.

[h] Iren. lib. 3. c. 14.

PAVLVS ALLOQVITVR PRIMORES ECCLESIAE EPHESI.

publice, & per domos, teſtificans Iudæis atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et nunc ecce alligatus ego Spiritu, vado in Hieruſalem, quæ in ea mihi ventura ſint, ignorans: niſi quod Spiritus ſanctus per omnes ciuitates mihi proteſtatur, dicens: quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium quod accepi a Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei. Et nunc ecce ſcio quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſiui prædicans regnum Dei. Quapropter conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meã lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non ceſſaui cum lacrymis monens vnumquemque veſtrum. Et nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipſius, qui potens eſt ædificare & dare hereditatem in ſanctificatis omnibus. Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupiui. Ipſi ſcitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. Omnia oſtendi vobis, quoniam ſic laborantes, oportet ſuſcipere infirmos, ac meminiſſe verbi Domini Ieſu: quoniam ipſe dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere. Et cum hæc dixiſſet, poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non eſſent viſuri. Et deducebant eum ad nauim. Cum [a] autem factum eſſet vt nauigaremus, abſtracti ab eis, recto curſu venimus Coum, & ſequenti die Rhodum, & inde Pataram. Et cum inueniſſimus nauem transfretantem in Phœnicen, aſcendentes nauigauimus. Cum apparuiſſemus autem Cypro, relinquentes eam ad ſiniſtram, nauigauimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim nauis expoſitura erat onus. Inuentis autem diſcipulis, manſimus ibi diebus ſeptem: qui Paulo dicebant per Spiritum, ne aſcenderet Hieroſolymam. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs vſque foras ciuitatem: et poſitis genibus in littore, orauimus. Et cum valefeciſſemus inuicem, aſcendimus nauem, illi autem redierunt in ſua.] hæc Lucas.

[a] Act. 21.

CII. Obſeruatione dignum putamus, cum Apoſtolus tam apud Miletum quàm etiam in Tyri littore poſitis genibus oraſſe dicatur, nequaquam (quod etiam diximus ſuperius) ipſum Chriſtiano more Pentecoſten celebraſſe. Siquidem (vt Tertullianus [b] atque alij omnes teſtantur) a die Paſchæ vſque ad Pentecoſten nefas erat genu flexo adorare. Ex antiqua enim Eccleſiæ traditione (inquit ille) die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paſchæ in Pentecoſten vſque gaudemus.] hæc ille. Huius rei cauſa inſtituti ratio a nobis exigit, vt de antiquis Eccleſiæ moribus ac ritibus in precibus adhiberi ſolitis hic potiſſimum agamus: ac primum de priſtino vſu Fideles in eccleſiam conuocandi: de illis enim agimus ritibus, qui in publicis Chriſtianorum conuentibus, non priuatim adhiberi ſunt ſoliti. Ad cogendum igitur in vnum locum Fideles omnes precum cauſa, quouſque Dei Eccleſia ſub Gentium Regibus vndique quaſi hoſtibus obſeſſa permanſit, haud liberum erat populum patenti aliquo ſigno ad ſynaxim publicumq. conuocare conuentum. Nec, licet certi ſtatuti eſſent dies celebrandi conuentus, ipſa dies (quod aiunt) poterat interpellare pro homine. Nam vrgente perſecutione, haud liberum erat ibidem loci ſemper conuenire; ſed neceſſe erat frequenter mutare loca, eademq. nec inuentu facilia. Quamobrem priuatim ſingulos a miniſtro Eccleſiæ id muneris obeunte, qui Curſor dicebatur, Epiſcopi ſeu presbyteri monitu vocari opus erat. De Curſoris electione hæc habet Ignatius [c] ſcribens ad Polycarpum: Decet, beatiſſime Polycarpe, Concilium cogere ſacroſanctum, & eligere ſi quem vehementer dilectum habetis & impigrum, vt poſſit diuinus appellari Curſor, & huiuſmodi creare, & in Syriam profectus laudibus celebret impigram charitatem veſtram ad gloriam Dei.] ad miniſterium enim Antiochenæ Eccleſiæ eiuſmodi Ignatius adſciſcendum curauit. Erat & Curſoris munus, ab

[b] Tert. de coron. mil. c. 3.

DE RITIBVS IN PRECATIONIBVS.

[c] Ignat. epiſt. 11.

Epiſco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopo datas litteras ferre: sed de his alibi pluribus. Ceterum ad idem quoque opus & diaconus incumbebat. vnde idem Ignatius ad Heronem diaconum Antiochenum scribens, hæc ait [a]: Synaxim ne negligas, omnes nominatim inquire.] Sed super omnes, vt hoc propensius ageretur, inuigilabat Episcopus: quam ob causam idem scribens ad Polycarpum [b], Crebrius, inquit, celebrentur conuentus, synodique: nominatim omnes inquire.]

[a] Ignat. epist. 23.
[b] Idem epist. 12.

CIII.

His sic habentibus, haud assentimur Amalario [c], qui existimauit, tempore persecutionis Ecclesiæ, sonitu lignorum (vt fit hodie tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ) ad synaxim vocari solitos Christianos. Eius enim rei vsus cum nullum prorsus vetus reperiatur monumentum litteris consignatum; nec ratio ipsa patiatur, vt cum hæc illi secretius agenda curarent, tanto lignorum strepitu omnium Gentilium aures & oculos in se conuerterent; haud nobis probari potest: cum præsertim nec verum fuisse appareat, solitum esse olim (vt nunc ea fit ratione tribus illis diebus maioris hebdomadæ) mæstitiæ tantum tempore ad conuocandum populum ligna pulsari. Nam in secunda Nicæna Synodo hæc leguntur [d] ex libello illi oblato de miraculis martyris Anastasij: Cum sanctæ ciuitati reliquiæ sacræ oppropinquassent, omnibus res ea fuit declarata & significata. Itaque lætitia magna perfusi omnes, surgentes subito, lignaq. sacra pulsantes inuicem, obuiam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, quæ appellatur Noua. Illinc cum cruce & supplicatione egressi, læti & gaudentes cũ gratiarum actione sacris reliquijs accurrerunt.] hæc ibi. At nec apud aliquẽ me legisse memini, exceptis dictis diebus, aliquam ecclesiam soliram esse populum conuocare pulsatione lignorum, sed tantum monasterij monachos, prout dictum declarat exemplum, & nonnulla alia, vt apud Cyrillum in Actis Theodosij Cœnobiarchæ, & alios. Sed in his etiam diuersa erat inter eos consuetudo; nimirum, vel vt omnes æque vna pulsatione conuocarentur, vel singillatim fores singulorum pulsarentur: vt est de his exemplum apud Palladium in Lausiacis, dum ait: Postquam hoc modo solitum tempus impleffet, signo mallei, quo ceteros fratres excitabat, percutiens fores omnium cellarum, propria oratoria deducebat.] At nec apud omnia pariter monasteria hæc vsu recepta erant, vt pulsatione lignorum omnes conuocarentur: nam testificatione Hieronymi [e] exploratum habetur, in monasterio S. Paulæ, vna voce altius decantata, nimirum, Alleluia, omnes ad synaxim vocari solitas moniales: sic enim ait: Post Alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat: sed prima seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans, non terrore.] hæc Hieronymus.

[c] Amal. de Eccles. offic. c. 21.
DE SIGNO EX PVLSATIONE LIGNORVM.
[d] Nicæn. Concil. act. 4.
[e] Hier. epist. 27.

CIV.

Ceterum reddita Ecclesiæ pace (quo tamen id fieri cœptum sit anno, nobis est incompertum) ex edito loco publico grandioribus tintinnabulis, quæ postea a loco vbi primo grandiora fieri cœperunt, Campanæ sunt appellata, populus ad ecclesiam vocari solitus fuit. Apud Hebræos (vt alias dictum est) sacerdotem ex eminenti turri sonitu tubæ populo sabbata indicare consueuisse, Iosephus est auctor [f]. Gentiles vero sonitu tintinnabuli ad thermas & operas consueuisse homines conuocare, certum est. Vnde Martialis [g]:

Redde pilam, sonat as thermarum, ludere pergis?]

Et Iuuenalis [h]:

Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas
Pulsari: iam nemo tubas atque æra fatiget.]

Excubiarum quoque præfectos secũ ferre solitos ad explorandos vigiles tintinnabula, vt ijs auditis responderent, testatur Suidas [i]. Qui primus tintinnabula ad ianuas poni solita, in editiori loco ædis Iouis Capitolini posuerit, apud Suetonium [k] Augustus fuisse legitur. Apud Syros quoque in sacris adhiberi solita tintinnabula, Lucianus auctor est [l]; cuius etiam auctoritate compertum habetur, nequaquam ea leuem sonum edere solita: nã eorũ pulsatione excitari consueuisse tradit seruos & mercenarios ad opera exhibenda, eodemq. sono ad eadem iterum reuocari, cum ait: Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima somni parte, vna sursum deorsumq. circumcursas, hesterno luto etiam pedibus inhærente.] et inferius: Dum hæc tecum loqueris, iam sonuit tintinnabulum, iamq. ad eadem tibi redeundum est.] hæc ille: quibus persuademur eadem tintinnabula etiam a Gentilibus solita fieri grandiora, in ecclesia vero maxima,

[f] Ioseph. de bello Iud. lib. 5. cap. 9.
[g] Martialis lib. 14.
[h] Iuuen. sat. 6.
[i] Suidas ver. διυμποστης.
[k] Suetonius in Oct. c. 91.
[l] Lucianus de merce. cond.

maxima, editoq. loco ad populum conuocandum, & ad diuina obeunda opera excitandum exposita, vsu profano in sacrum rite conuerso.

CV.

Quod autem ad situm corporis in precatione seruari solitum spectat: ad Orientem conuersos olim maiores nostros adorare consueuisse, certum est; cum alioqui Iudæi ad Occidentem spectantes (vt ex diuina Scriptura [a] S. Hieronymus [b] attestatur) adorandi vsum haberent; quod & ipse templi situs demonstrat: quandoquidem Salomonis templum ad Orientalem plagam spectasse, Aristeas [c], qui illud describit, affirmat. Nam quod maxime omnium deplorandũ esse videretur, ostendit Deus Ezechieli [d] inter vestibulum & altare posito viros, qui dorsa vertentes contra templum Dei, facies ad Orientem spectantes haberent: sed hæc Hierosolymis. Ceterum qui foris essent (vt ibidem testatur auctor) vbicumque reperirentur, conuersi ad templum orabant, prout diuina Scriptura [e] eos admonuisset; quod etiam Danielem [f], cum Deum precaretur, fecisse constat. Post Christum id etiam faciendum docuit suos Elxai hæreticus, qui vixit Traiani temporibus, vt Epiphanius de ipso testatur, cum de Ossenis scribit 8. Gentilium potius quàm Iudæorum fuisse consuetudinem vt ad Orientalem plagam spectantes precarentur, satis constat ex templorum situ, de quibus hæc Clemens Alexandrinus [h]: Quæ, inquit, erant ex templis antiquissima, respiciebant ad Occidentem; vt qui stant vultu conuerso ad imagines, docerentur verti ad Orientem.] Pythagorici etiam id facere consueuisse traduntur. Verum de templis Gentilium & adorandi situ aliter scribit Porphyrius; nimirum templorum statuas & ingressus Orientem spectasse, vti adeuntes templum, ad Occasum conuersi, dijs effunderent preces [i]. Itidem Lucianus [k] de veteribus & ipse tradit, consueuisse ad Solis ortum spectantia templa ædificare. Quamobrem diuersum, secundum diuersorum populorum ritum, fuisse apud antiquos Ethnicos vsum, dici posse videtur; cum alioqui Vitruuius [l] templorum faciem ad Occidentem ædificandam proponat, quo orantes in eis faciem conuersam habeant ad Orientem. Qui igitur dixerunt Iudæos adorare solitos ad Orientem conuersos, diuinæ Scripturæ auctoritate arguuntur erroris: nec suffragatur locus qui citatus habetur apud Clementem [m], Paralipomenon capitis quinti in fine: nam ibi non dicitur, Leuitas ad Orientem conuersos precatos esse, sed tantum quòd starent ad Orientalem plagam altaris.

[a] Ezech. 8.
[b] Hier. in Ezechiel. cap. 8.
[c] Arist. de 72. interp.
[d] Ezech. 8.
[e] 3. Reg. 8.
[f] Dan. c. 6.
[g] Lib. 1. c. 19.
ORARE AD ORIENTEM CONVERSI.
[h] Clem. Alex. lib. 7. Strom.
[i] Apud Calium Rodig. lib. 1. c. 1. in fine.
[k] Lucian. lib. de Demo.
[l] Vitruu. lib. 4. cap. 5.
[m] Clem. Const. lib. 7. c. 44.

CVI.

Ceterum penes antiquos Christianos quàm inuiolabiliter obseruaretur, vt ad Orientem conuersi funderent Deo preces; ex his in primis, quòd Gentiles eam ob causam dicerent Christianos adorare Solem (quod Tertullianus [n] testatur) affirmari posse videtur. Hunc autem orandi ritum ab Apostolis esse traditum, complurium antiquorum testimonio comprobatur: apud Iustinum [o] enim hæc scripta habentur: Quandoquidem apud vos præstantissima quæque ad honorem & venerationem Dei destinamus, opinione autem hominum probabilior est Oriens alijs creaturæ partibus: eam ob causam orationis tempore vultu ad Orientem omnes conuertimur: perinde atque dextra manu in nomine Christi eos signamus, qui sigillo tali indigent, eo quòd præstare siniſtræ putetur, quamuis positura & non natura illa differat. Non aliter & Oriens, vt præstantior creaturæ pars ad Deum adorandum est designata. Et quia ad Orientem spectantes precationes agimus, non id propheticis & Apostolicis aduersatur vocibus: in omni enim loco Oriens exiſtit precantibus. Et quia in quam partem videndi sensum conuertimus, in eadem parte adorant, impossibile est autem precum tempore in quatuor creaturæ partes respicere: propterea in vnam partem intendentes, orationem peragimus, non proinde vt ea sola opus sit Dei, nec tamquam in ea habitatio sit Dei destinata; sed quasi in locum ei, quæ a nobis Deo exhibetur, venerandæ obseruationi ordinatum. Porro a quibus orationem Ecclesia accepit, ab ijsdem quoque vbi orare solerent, consuetudinem accepit, a sanctis nimirum Apostolis.] hactenus ibi. Basilius [p] item eiusmodi institutionem ab Apostolis manasse confirmat, & ante ipsum Origenes [q] in hæc verba: In Ecclesiasticis obseruationibus sunt nonnulla huiusmodi, quæ quidem facere necesse est, nec tamen ratio eorum omnibus patet: nam quòd verbi gratia genua flectimus orantes, & quòd ex omnibus cæli plagis ad solam Oriẽtis partem conuersi orationem fundimus, non facile cuique puto ratione compertum.] et paulo post: Et tamen hæc operta & velata portamus super humeros nostros, cum ita implemus ea & exequimur, vt a magno Pontifice & eius filijs tradita & commen-

[n] Tertul. in Apologet. c. 16.
CVR CHRISTIANI CONVERSI AD ORIENTEM ORARENT.
[o] Libr. quæst. q. 118.
[p] Basil. de Spir. sanct. c. 27.
[q] Orig. in lib. Num. homil. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

commendata suscepimus.] hæc Origenes, per Pontificem & filios eius, Christum & A
Apostolos intelligens.

CVII. Rursus vero quod ad mysterium pertinet: præter illa quæ ex incerto auctore apud
a Athan. lib. 9. q. 14. Iustinum sunt recitata, Athanasius [a] tres etiam affert causas: Quarum prima ex diuina
CAVSAE INSTITVTI DIVERSAE REDDVNTVR. Scriptura sibi vendicat auctoritatem, quòd scriptum sit in Psalmo [b]: Adorabimus in
b Psal. 131. loco, vbi steterunt pedes eius.] iunctis his quæ a Zacharia [c] sunt de Christo dicta: Sta-
c Zach. 14. bunt pedes eius in die illa super montem Oliuarũ, qui est contra Hierusalem ad Orien-
d Zach. 3. & 6. tem.] qui item ipsum Christum, Orientem appellat iterum [d]. Secundam vero hanc ad-
dit causam, quòd in diuinis Scripturis Deus dictus lux sit, idemq. lucis creator: quam-
obrem ad eam cæli partem spectare debere precantem, qua potissimũ lucis iubar ori-
tur; non quòd Christiani lucem creatã colerent, sed vt ex sidere omnium splendidissi-
mo ad eius creatorem mens humana tolleretur. Tertiam vero affert causam, quòd cum B
Paradisus, vnde pulsus est homo, in Oriente positus esset, eo reuertendi mens cupida,
oculos etiam illo dirigeret. sed hæc ipse pluribus. Quòd igitur Oriens fons velut
quidam luminis haberetur, atque Occidens esset hieroglyphicum tenebrarum, inde
etiam ea vetus fuit in Ecclesia obseruatio, vt baptismate initiandus, diabolo prius re-
nunciaturus, Occidentem versus statueretur, sicq. positus, tertio illa renunciantis ver-
ba proferret: idemq. postea Christum Dominum confessurus, ad Orientem conuersus
e Dionys. Areop. de Eccles. hier. lib. 2. p. 2. c. 2. id totidem vicibus faceret. Idq. non tantum Dionysius [e], sed & Cyrillus [f] testatur, qui
f Cyrill. in Myrag. 1. ait: Cum Solis occasus apparentium tenebrarum sit locus; diabolus autem cum sit te-
nebræ, robur in illis suum habet: idcirco symbolice Occasum spectantes, caliginoso
illi tenebrarum principi renunciatis.] et post multa: Cum itaque satanæ renunciaue-
ris, & omne cum illo pactum rescideris, veteres inquam pactiones cum inferno, aper- C
itur tibi Paradisus Dei, quem ipse ad Orientem plantauit: et huius rei symbolum est,
cum ab Occasu conuerteris ad Ortum, quæ lucis est regio. Tum admonebaris vt dice-
res: Credo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum.] hæc Cyrillus. Ioannes Dama-
g Ioan. Damasc. Orthodox. fid. lib. 4. c. 13. scenus [g] dictas causas retexens, hæc etiam addit: Dominus cum in cruce penderet, ad
Occasum prospiciebat; eoq. nomine ita adoramus, vt eum obtueamur. Ac rursum cum
in cælum reciperetur, ad Ortum efferebatur, sicq. a discipulis adoratus est: atque ita
venturus est, vt eum in cælum intuentem conspexerunt; quemadmodum ipse quoque
Dominus dicit: Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem, ita erit
aduentus Filij hominis. Quocirca aduentum eius opperientes, ad Orientem oramus.
Est autem Apostolorum hoc institutum, litteris sacris haudquaquam proditum:
complura enim illi, nulla scripturæ auctoritate nixa, nobis tradiderunt.] hucusque D
Damascenus.

CVIII. Porro cum eiusmodi occasione in nonnullos clanculum superstitio irrepsisset, Leo
h Leo de Natiuit. serm. 7. Romanus Pontifex [h] quamcitissime, ne latius serperet malum, occurrit, hisq. ver-
SVPERSTITIO IRREPENS AMPVTATVR. bis pro concione populum admonuit: De talibus institutis (*Priscillianistarum videli-
cet*) illa etiam generatur impietas, vt Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibus-
dam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Chri-
stiani adeo religiose se facere putant, vt priusquam ad beati Petri Apostoli basilicam,
quæ vni Deo viuo & vero est dedicata, perueniant; superatis gradibus, quibus ad sug-
gestum aræ superioris ascenditur, conuerso corpore ad nascentem se Solem deflectant,
& curuatis ceruicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim
ignorantiæ vitio, partim Paganitatis spiritu, multum tabescimus & dolemus: quia etsi E
quidã forte creatorem potius pulchri luminis, quàm ipsum lumen, quod est creatura,
venerantur; abstinendum tamen est ab huiusmodi specie officij.] hæc ille idcirco, ne
quid commune cum Priscillianistis atque Gentilibus Fideles haberent. Sed de his satis.

CIX. Quod item ad habitum corporis in fundendis precibus spectat: stantes aliquando,
STANTES ORARE SOLITI CHRISTIANI. aliquando vero genibus flexis adorare Christianos debere, veterrima est in Ecclesia in-
stitutio. Et sicut distincta sunt tempora pro ratione diuinorum mysteriorum, ita pa-
riter peculiares cuiusque temporis adscripti reperiuntur precandi ritus: nimirum vt
quoniam dies Dominicus resurrectioni Domini est consecratus, vt nonnisi stantes Fi-
deles orarent, antiquitas docuit; sic etiam Quinquagesimæ tempore, quod a Paschate
i Tertul. de coron. milit. c. 3. vsque ad Pentecosten interponitur. Eiusmodi communes omnibus Christianis obser-
uationes esse in Ecclesia antiquitus obseruatas, tradit Tertullianus [i], quem superius
citauimus.

A citauimus. Cuius institutionis rationem & causam hanc affert auctor, qui apud Iusti-
num ad hæc rogata respondit [a]: Si genuum inclinatio in precationibus magis peccato-
res Deo commendat, quàm si stantes orent, magisq. ea res diuinam permouet miseri-
cordiam: quapropter diebus Dominicis, & a Paschæ ferijs ad Pentecosten vsque, pre-
cantes genua non flectunt? Vnde autem talis etiã in Ecclesia consuetudo?] Est ad hæc re-
sponsio: Quia vtriusque nos oportuit iugem obtinere memoriã, & ipsius per peccatum
lapsus nostri, & gratiæ Christi nostri, per quam a lapsu resurreximus: eapropter ge-
nuum per sex dies inclinatio symbolum & nota est lapsus per peccata nostra. Quòd ve-
ro die Dominico genua non flectimus, signũ est & designatio resurrectionis, per quam
gratia Christi & a peccatis & a morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus. A tem-
poribus autem Apostolorum consuetudo talis accepit initiũ, prout ait beatus Irenæus
B martyr & Episcopus Lugdunensis in libro de Paschate, vbi quoque mentionem facit
Pentecostes, in qua genua non inflectimus; quoniam pari est cum die Dominico po-
testate, iuxta eam, quæ de illa est dicta, causam.] hæc apud Iustinum.

a Apud Iustin. lib. quæst. 9. ccc.

Si hæc igitur rata habentur, & ex Apostolorum traditione testificatione Irenæi, qui CX.
Polycarpi Ioannis Euangelistæ discipuli fuit auditor, fluxisse constãt, fuerintq. non ab
alijs quàm ab Apostolis instituta: tamen post hæc tempora, de quibus modo histori-
am teximus, non ante id esse factum oportuit: nam hoc anno (vt videmus) Paulus tempo-
re quod interlabitur a Paschate in Pentecosten, in Tyri littore positis genibus adorauit. ORARE GENV FLEXI VEL STRATI.
Porro eiusdem in Ecclesia ritus ceteri antiquorum Patrum etiam meminerunt, nec est
opus recensere singulos. Videas interim Paulũ absque vlla etiam necessitate Iudæorum
moribus inseruiendo, inter suos positum, patrios in deprecando ritus seruasse: genua
C enim in precibus flectere, Iudæi consueuerunt. Nam & de Salomone ait diuina Scri-
ptura: Vtrumque genu in terra fixerat, & manus expanderat in cælum.] Stratos in ter-
ra insuper, si qua sæua vrgeret calamitas, Fideles precari consueuisse, tota exemplo est
Christianorum legio, quæ sub Marco Aurelio Antonino sic Deum precata, hostibus
internecionem, & Romanis militibus vltimo discrimine laborantibus salutẽ obtinuit:
quod eiusdem Imp. ad Senatum Romanum epistola [b] scripta significat. Manus item
expandere, & in altum tollere, cum precarentur, Christianos consueuisse, exempla sunt
plurima: idq. non aliunde, quàm ex institutione Apostolica, Ecclesia sibi vendicat.
Paulus enim ad Timotheum scribens [c]: Volo, inquit, viros orare in omni loco, le-
uantes puras manus.] De eodem ritu hæc habet Tertullianus [d]: Nos vero non attolli-
mus tantum, sed etiã expandimus, & Dominica passione modulantes & orantes con-
D fitemur Christo.] et inferius: At qui cum modestia & humilitate adorantes, magis
commendamus preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed tempe-
rate & probe elatis; ne vultu quidem in audaciam erecto, &c.] Sedendo autem adora-
re, extra disciplinam esse testatur. Sed & eiusdem Apostoli scribentis Corinthijs [e], vt vi-
ri detecto capite Deum adorarent, est institutio; qui & eiusdem ritus rationem affert.
Cur vero Romani nonnisi tecto capite deos precarentur, Saturno excepto, & Honore,
quibus nonnisi aperto capite sacrificare licebat, Plutarchus [f] pluribus differens, causas
diuersas adducit; quas, vt ab instituto alienas, prætermittimus recensere.

b Apud Iustin. mart. post orat. ad Antonin.
c 1. Tim. 2.
d Tertul. de orat. c. 11. 12.
e 1. Cor. 11.
f Plutarch. problem. qua. Rom. 10. 11. 12.

Ceterum in omnibus situ & corporis habitu verecundiam, modestiam, animiq. CXI.
demissionem præseferre debere Fideles omnes, cum Deum precantur, tum Tertullia- DE ALIIS IN ORANDO RITIBVS.
nus tum Cyprianus [g] inculcant. Vt etiam in precationibus aliquando suum quis pu-
E gno tundat pectus, Publicani a Christo adeo commendati probat exemplũ: quo signo
animi pœnitudinem declarari, facto illorum qui post Christi passionem reuertebantur percutientes pectora sua [h], significatur. Quod & Nicolaus Rom. Pont. ad consul-
tationes Bulgarorum rescribens, docet his verbis: Pectus percutimus, significantes vi-
delicet, quod nequiter gessimus, displicere nobis, & ideo antequam Dominus feriat,
& antequam vltio extrema veniat, commissum pœnitentia digna punire.] Idem &
de ritu iungendi manus in adoratione, hæc ad eosdem: Dicitis quòd Græci fateantur,
quòd in ecclesia qui non constrictis ad pectus manibus steterit, maximum habeat pec-
catum. Hoc vt fieret, præceptum fuisse, nusquam, ni fallor, inuenitur: ac per hoc
nisi fiat, peccatum non est: nam quidam faciunt hoc, quidam illud genus humilita-
tis: nec istud est peccatum, nisi forte quis pertinaciter recusauerit facere quod omnes
viderit facientes. Verum & hoc cum fit, nonnisi humilitatis gratia fit: vt re vera

g Cyprian. lib. de orat.
h Luc. 23.

scriptum est: Oratio humiliantis se nubes penetrat. Proinde siue hoc, siue aliud quid humilitatis excogitare potest homo, non est reprehendendus.] ac post pauca: Quia in Euangelio, reproborum ligari manus & pedes reperiuntur: quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Domino quodā modo dicant: Domine ne manus meas ligari præcipias, vt mittas in tenebras exteriores; quoniam ecce ego iam eas ligaui, & ecce in flagella paratus sum.] hæc Nicolaus, secundum illud Pauli[a]: Si nos ipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur.]

a 1. Cor. 11.

CXII. DE RITV PROCEDENDI.

Sed illud quoque ad ritum precandi spectat, procedentes aliquando consueuisse Fideles publico conuentu fundere ad Deum preces. De procedendo meminit Tertullianus[b], dum ait: Si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio aduenit.] Et Hieronymus ad Eustochiū[c]: Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: numquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, progressura sis.] hoc idem ad Gaudentium[d], necnon ad Lætam[e], ne suas filias procedere patiantur. Est mentio de processionibus in Concilio Laodiceno[f]: easdem a Patribus dictas esse Litanias, quòd expiationis causa indici publice consueuerint, multa exemplа declarant. Has ipsas in ecclesia Magni Gregorij, cognomento Thaumaturgi, peragi solitas, auctor est Basilius[g] scribens ad Neocæsarienses. Frequentatas easdem tam in Orientali quàm in Occidentali Ecclesia fuisse, in diesq. magis illustratas, constat. dicemus de his pluribus inferius suis locis: interim quæ a nobis dicta sunt in Notationibus ad Romanum Martyrologium, consulere cuique liberum erit. At hæc iam satis de diuerso ritu in precando seruari solito, occasione Pauli Apostoli, qui (vt vidimus, auctore Luca) in littore Tyri positis genibus, Deum precatus est. Quæ autem post hæc secuta sint, idem Lucas eiusdem Pauli comes narrat[h] his verbis:

b Tertull. ad uxor. lib. 2. c. 4.
c Hier. epist. 22.
d Idē epist. 12.
e Idem epist. 7.
f Concil. Laodicen. c. 17.
g Basil. epist. 63.
h Act. 21.

CXIII.

Cum, inquit, valefecissemus inuicem, ascendimus nauem, illi autem redierunt in sua. Nos vero nauigatione explicita, a Tyro descendimus Ptolemaidē, & salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos. Alia die profecti, venimus Cæsaream: et intrantes domum Philippi Euangelistæ, qui erat vnus ex septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.] Extabant adhuc Hieronymi temporibus Cæsareæ Palæstinæ domuncula & cubicula filiarum Philippi, quæ S. Paula Hierosolymā itura, Cæsaream cum veniisset, pio inuisit affectu: Hieronymus[i] enim eius relegens iter, sic ait: Mirata est Stratonis turrim ab Herode Rege Iudææ in honorem Cæsaris Augusti Cæsaream nuncupatam; in qua Cornelij domum, Christi vidit ecclesiam, & Philippi ædiculas, & cubicula quatuor virginū prophetarum.] Idem[k] agens contra Iouinianum hæresiarcham, in his quatuor filiabus Philippi post crucem Christi consecratas esse primitias virginitatis demonstrat, hæc dicens: Post crucē Christi, statim in Actis Apostolorum vna domus Philippi Euangelistæ quadrigā producit virginum filiarum: vt Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam virginum puellarum præberet exempla.] Quod autem tradit Clemens Alexandrinus[l], Philippum filias suas nuptui dedisse: non de Philippo diacono manifestum est loqui, sed de Philippo Apostolo: nam aduersus eos agens, qui nuptias reprobarent, hæc ait: An etiam reprobant Apostolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt: Philippus autem filias quoque suas viris tradidit.] Verum Philippi Apostoli quoque filias fuisse virgines, & obdormisse Hierapoli, Polycrates[m] auctor est; qui (sicut habetur a Hieronymo recitatus) hæc ad Victorem Romanæ Ecclesiæ Pontificem scripsit: Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines senuerunt, & aliam eius filiā, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit.] hæc Polycrates apud Hieronymum. Apud Eusebium[n] autem textus Polycratis diuersæ lectionis reperitur: nam dicitur Philippus ille fuisse ex septem diaconis, duasq. filias eius virgines vsque ad obitum permansisse, quarum alteram Ephesi in Domino obdormisse tradit.

DE FILIABVS PHILIPPI.

i Hier. epist. 27.
k Idem aduers. Iouin. lib. 1.
l Clem. Strom. lib. 3. c. 24.
m Hieronym. de Script. Eccl. in Polycrate.
n Euseb. hist. lib. 3. c. 25.

CXIV. QVAE PHILIPPI DIACONI ET QVAE PHILIPPI APOSTOLI FILIAE.

Sed idem Eusebius ex Caij antiqui Theologi disputatione subinfert testimonium de Proclo, dicente, quatuor filias Philippi diaconi Hierapoli cum patre in Domino requiescere: sic enim ait: Porro in disputatione Caij, quam paulo ante recitaui, Proclus, contra quem disputationem instituit, de morte Philippi & filiarum eius his a nobis expositis admodū consentiens, sic loquitur: Pòst Hierapoli in Asia quatuor filiæ Philippi prophetissæ fuerunt; ibidemq. tū illarum, tum patris sepulchrum locatū est.] hasq. illas ipsas

ipsas esse, quarum in Actis Lucas meminit, profitetur. Sed mira diuersitas in eodem Eusebio, dum quas dicit Philippo diacono natas, inferius[a] cum agit de Papia, qui illas nouit, & multa ab illis tradita accepit, Philippi Apostoli filias dicit. Verum in versione Ruffini[b], non Philippi Apostoli, sed Euangelistæ fuisse leguntur. Ceterum Dorotheus[c] (si qua fides adhibenda est auctori) Philippo Apostolo dicit fuisse filias, easq. Hierapoli vna cum patre quiescere. Quid in his ambiguis dicendum sit, non habemus; nisi quòd quæ dicuntur de Philippi diaconi filiabus, ijsdemq. virginibus, ex diuina Scriptura sibi vendicant auctoritatem: quæ autem de filiabus Apostoli ab alijs sunt relata, ex incerto feruntur auctore, & nominis errore iactata putantur, dum, quæ sunt Philippi diaconi, Philippo Apostolo sunt adscriptæ; cum præsertim ingenue profiteatur Hieronymus[d], nullam haberi certitudinem, præter Petrum, aliquem alium Apostolorum coniugio obligatum fuisse. Porro Clementis de nuptijs filiarum Philippi assertio, omnium attestatione, reijcitur; cum quotquot de his agunt scriptores, omnes ex æquo easdem virgines nominent. Legimus in Menologio, vnam ex quatuor filiabus Philippi, Hermionem dictam, sub Traiano Imp. grauissima passam, in Domino quieuisse pridie Nonas Septembris.

a Euseb. hist. lib. 3. c. 39.
b Euseb. lib. 3. c. 31.
c Doroth. in Synops.
d Hier. aduers. Iouin. lib. 1.

CXV. DE BARSABA MIRACVLVM.

Sed reliquum est, vt quæ Papias, Ioannis auditor, inter alia ab ijsdem virginibus se accepisse testatur, quæ recenset Eusebius[e], hic & nos exscribamus: sic enim ait: Verum quemadmodum Papias, qui temporibus ijsdem vixit, historiam permiram a Philippi filiabus se excepisse asserat, in præsentia exponendū videtur. Mortuum enim suo tempore narrat excitatum. Aliud etiam, quod non minus habet admirationis, Iusto, cognomento Barsabæ contigisse: nimirum, vbi venenum mortiferum ebiberat, eum propter gratiam ipsi a Domino tributam, molestiæ nihil aut incommodi pertulisse. Hunc autem Iustum post Saluatoris ascensionem sanctos Apostolos cum Matthia statuisse, & precatos vt alter ex illis duobus in Iudæ proditoris locum sortito delectus, numerum ipsorum suppleret, Acta Apostolorum declarant.] hæc & alia de his ex Papia Eusebius. Quòd vero Philippus hic vnus ex septem diaconis dicatur Euangelista, non id accidit (vt alias diximus) quòd scripsisset Euangelium (licet spurium quoddam Philippi nomine olim ferretur editum Euangelium) sed id cognomen inditum est ob Euangelij prædicationem. sic enim & Paulus, cum ad Timotheum scribens ait: Opus fac Euangelistæ] nequaquam voluit admonuisse vt scriberet Euangelium, sed vt, quod ad Euangelij prædicationem spectaret, esset omnibus numeris absolutus. At iam redeamus ad Paulum.

e Euseb. hist. lib. 3. c. 39.

CXVI.

Cum Cæsareæ ageret, & ibi (inquit Lucas[f]) moraretur per dies aliquot, superuenit quidam a Iudæa Propheta, nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium. Quod cum audissemus, rogabamus nos & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondens Paulus dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cum ei suadere non possemus, quieuimus, dicentes: Domini voluntas fiat. Post dies autem istos præparati ascendebamus in Hierusalem. Venerunt autem & ex discipulis a Cæsarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem * quemdam Cyprium, antiquum discipulū.] hæc Lucas. Hunc ex numero fuisse Septuagintaduorum, omnes æque consentiunt. At cum Hierosolymis idem hospitium, ac proinde domum habuisse dicatur; satis apparet, persecutionem illam, cuius superius facta est mentio, Hierosolymis in Christianos illatam, qua inter alia quæ passi sunt, bonis omnibus spoliati fuerunt, ciues tantummodo attigisse, peregrinos nequaquam. Mnason enim (vt dicitur) antiquus discipulus, genere Cyprius, non tantum domum, sed & illa illic (vt par est credere) bona possedit, quibus Fideles Hierosolymam venientes fraterna charitate foueret. Nec enim de antiquo discipulo ac prædiuite licet opinari, occultum tam diu agere Hierosolymis licuisse: nisi fortasse accidit, vt post persecutionem illam, distractis ille paternis bonis quæ Cypri habuerit (quod viuo adhuc parente ante facere non potuisset) ex illis pararit quod Christianorum vsui pateret hospitium. Porro si Iasonem pro Mnasone (vt nonnulli codices habent) legi placet; diuersum hunc esse ab illo qui Thessalonicæ eumdem hospitio excepit Paulum, de quo

f Act. 21.

* Iasonem

DE MNASONE ANTIQVO DISCIPVLO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem Lucas [a] scribit, facile persuademur; illumq. esse credimus Iasonem, cuius idem Paulus ad Romanos [b] scribens habuit mentionem. Horum alterum in Syria, alterum vero in Cilicia, nempe Tarsi, ordinatum fuisse Episcopum, ex Græcorum Menologio alijsq. auctoribus alibi notauimus.

[a] *Act.* 17.
[b] *Rom.* 16.

CXVII. Sed institutam semel narrationem de rebus Pauli Hierosolymis gestis, vt a Luca sunt scriptæ, ordine prosequamur. Ante tamen hæc omnia, accuratius inuestigemus (quantum fas est assequi) an Paulus, vt in animum duxerat, peruenerit Hierosolymam tempore Pentecostes [c]. Non enim superflua & inanis hæc erit disquisitio temporis, sed quæ plurimum (vt inferius apparebit) conferat ad rerum gestarum veritatem certius consequendam. Constat in primis, Luca [d] testante, Paulum vna cum suis post dies Azymorum soluisse Philippis, & diebus quinque Troadem appuliſſe, septemq. dies ibi egisse, indeq. tribus diebus peruenisse prospera nauigatione Miletum. Ibi cum aliquantum temporis constitisset, quòd properaret (vt ait) Pentecosten agere Hierosolymis, quamprimum inde recedens, prima die Coum, sequenti vero Rhodum peruenit, ac inde Pataram Lyciæ: vbi nactus nauem onerariam Phœnicem versus soluentem, Tyrum appulit, vbi septem peregit dies, Ptolemaide autem diem vnam: inde Cæsareã profectum, egisse illic dies aliquot eum tradit, ac inde Hierosolymam concessisse. Habita igitur horum omnium ratione, considerataq. prospera vbique nauigatione Dei fauore concessa, & Pauli animo cupiente, & ob hoc festinante Hierosolymis agere Pentecosten; facile vt existimemus adducimur, eadem iam solemnitate instante, ipsum Hierosolymam peruenisse. Quinquaginta enim dies numerandi a sequenti Azymorum die, cum manipulus offerretur, vsque ad festum Pentecostes intercedebant, nimirum (vt diuina lex [e] præcepit) septem hebdomadæ plenæ. Opportune igitur Paulum ad solemnitatem Pentecostes Hierosolymam peruenisse, ibiq. vna cum Nazaræis purificatum, eam solemnitatem ex legis Moysi præscripto sanctissime peregisse, ex his quæ sunt dicta, affirmari posse videtur. Confirmat hæc ipsa, eamdem fere rationem dierum iniens, Ioannes Chrysostomus [f]; Paulumq. peruenisse Hierosolymam, instante solemnitate Pentecostes, testatur his verbis: Vide, inquit, obsecro, nunc & dies. Post Azyma in Troadem venerunt diebus quinque, deinde ibi fecerunt dies septẽ; & habes duodecim dies. deinde Asson & Mitylenem contra Chium, & Trogyllium in Samum, & Miletum; & sunt decem & octo dies. postea in Coum & Rhodum, in Pataram: en viginti & vnum dies. deinde illinc per dies quinque in Tyrum; vt sint dies vigintisex. mox illic moratur diebus septem, colliguntur q. triginta & tres dies. et postea Ptolemaidem vna die pertingunt, & fiunt dies trigintaquatuor. deinde Cæsareæ manent pluribus alijs diebus, & sic complentur dies Pentecostes; & ibi, *nimirum Hierosolymis*, illam facit.] hucusque Chrysostomus.

[c] *Act.* 20.
[d] *Act.* 20. RECAPITVLATIO NAVIGATIONIS PAVLI.
[e] *Leuit.* 23.
[f] *Chrysost. in Act. hom.* 45.

CXVIII. Quæ autem acta sint postquam Paulus Hierosolymam peruenisset, Lucas his verbis singillatim recenset [g]: Cum autem venissemus Hierosolymam, libenter acceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesq. collecti sunt seniores. Quos cum salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntq. ei: Vides, frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt? & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum qui per Gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundũ consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Vtique oportet conuenire multitudinem: audierunt enim te superuenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt enim viri quatuor, votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis: et impende in illis, vt radãt capita: et scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes vt abstineant se ab idolis, & immolato, & sanguine, & suffocato, & fornicatione.] hæc in conuentu fratrum a senioribus Paulus accepit. Quartam hanc nonnulli nominant Synodum Apostolorum: sicq. eas numerant ex his quæ in diuina Scriptura notata habentur. Prima fuit Synodus, in qua actum est de electione Matthiæ; secunda, de diaconorum electione; tertia, de non cogendo Gentes circumcisionem accipere; nouissima vero hæc, in qua ne credentes Iudæi vti legalibus prohiberentur, rogatio facta est. Verũ hæc familiaris potius fuit admonitio, quàm synodica constitutio; atque

[g] *Act.* 21. QVID PAVLVS HIEROSOLYMIS.

atque ea occasione adhibita, magis dispensatio, quàm dogmatis definitio.

CXIX. At quod ad huiusmodi conuentus Apostolicos pertinet: satis superq. exploratum habetur, Apostolorum exemplo laudatissimum antiquum illum vsum in Ecclesia Catholica inuiolabilem permansisse, vt, cum quid ad fidem, vel ad bonos mores & disciplinam Ecclesiasticam pertinens consultandum esset, in vnum Patres coirent, sicq. simul collectis, singulorum sententia rogaretur, ac denique quid ab omnibus seruandum esset, sancte ac legitime communibus suffragijs firmaretur. Verum si quis eius rei ipsum exordium repetat, inueniet non tam ab Apostolis quàm ab ipso Christo duxisse principium, atque sumpsisse auctoritatem: quando scilicet (vt diximus suo loco superius) de summa rerum Christus agens, suos rogauit, quem dicerent homines esse filium hominis. Sic igitur tam Domini exemplo, quàm etiam Apostolorum frequentiori vsu, eiusmodi cogendi conuentus, quibus quæ essent agenda tractarentur, mansit stabilita atque firmata consuetudo in Ecclesia, quæ eiusmodi conuentus vsitatiori vocabulo consueuit nominare Concilia, de quibus hæc scite Vincentius Lirinensis [a]: Ipsa Catholica Christi Ecclesia sedula & cauta dispositorum dogmatum custos, nihil in his vmquam permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non omittit sua, non vsurpat aliena: sed omni industria hoc vnũ studet, vt vetera fideliter sapienterq. tractando, si quæ sunt illa antiquitus informata & inchoata, accuret & poliat: si quæ iam expressa & enucleata, consolidet & firmet: si quæ iam confirmata & definita, custodiat. Denique quid vmquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi vt quod ante simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur? quod antea lentius prædicabatur, hoc idem postea instantius prædicaretur? quod antea securius credebatur, hoc postea solicitius excoleretur? Hoc, inquam, semper, neque quicquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi vt quod prius a maioribus sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scripturæ chirographũ consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouũ fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando.] hucusque Vincentius.

VSVS CELEBRANDI CONCILIA.

[a] *Vinc. Lirinẽs. de hæres. lib. 2. c. 34.*

CXX. Sic igitur & in præsenti seniorũ conuentu rata firmaq. decernuntur quæ de Gentilibus credentibus in superiori Synodo statuta fuerant. De Iudæis vero qui Euangeliũ suscepissent, quorũ multa millia essent qui Hierosolymis agerent, omnesq. ex æquo legis æmulatores existerent: cum eos legalibus interdicere, minus opportunum tempus esse conspiceretur: in præsentiarum id illis esse cedendum, & sic cum infirmis infirmari, visum est esse consultius. Quamobrem vt Paulus cũ Nazaræis, hac vtens dispensatione, votum exoluturus in templo, quo se legis Moysi obseruantissimũ probaturus erat, sese sisteret, eidem persuaserunt. Admiranda plane res est & consideratione dignissima; Paulum, qui non ab homine, sed a Christo acceperat Euangeliũ, quiq. ea de causa Antiochiæ restiterat in faciem Petro, qui insuper sæpius suis antehac scriptis epistolis de legalibus ablegandis aperta suffragia dederat, ac sententiam stabilierat, tantum seniorum modo conuentui detulisse, vt illorum se subijciens voluntati, eorumdem arbitrio per dispensationẽ in seruandis legalibus impenderet officium; ea nimirũ præstans, quæ nonnisi a sanctioribus Iudaicæ legis obseruatoribus exhiberi munera consueuerant.

QVID ACTVM IN CONVENTV HIEROSOLYMITANO.

CXXI. His igitur Paulus volens lubensq. in omnibus obsequens, assumptis viris (inquit Lucas [b]) postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.] Quæ autem essent eius officij cærimoniæ, & sacri a lege ritus præscripti, liber Numeri [c] satis docet, nimirum vt abstinerent a vino, caput raderent, & finito tempore agnum, ouem, & arietem offerrent in templo, capillosq. deponerent, qui cremarentur vna cum sacrificio pacificorum. Sed quoniam certum tempus, quo abstinerent Nazaræi a vino, lege definitum minime reperitur: quid his temporibus ex consuetudine communiter ageretur, Iosephus [d] docet his verbis: His autem, qui morbo, vel alijs necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolarent hostias, abstinere quoque a vino, & capillos radere.] At quomodo vna cum Nazaræis Paulus ea omnia in templo exhibuisse officia potuit, cum inopinato & ante diem tantum, vt id faceret cum alijs admonitus esset? quonam vero pacto triginta diebus perseuerauit abstemius?

[b] *Act.* 21.
[c] *Num.* 6. DE RITV NAZARAEORVM.
[d] *Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 15.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ex his igitur colligi plane posse videtur, Paulum, qui magna ex necessitate Timotheo languenti stomacho prohibuit aquam bibere, & vt modico vino vteretur, præcepit, a vino penitus temperasse; sicq. haud impossibile ei fuisse (quòd abstemius semper esse soleret) Nazaræorum in templo munus explere: alioqui fuisset hæc potius quædam legis illusio, & simulatæ sanctitatis effictio, & tamquam in scena fabula, ac in re gesta affectatum mendacium: indigna prorsus omnia, quæ non tantum de Apostolo, sed nec de quolibet Christiano dicantur. At nec seniores legem æmulantes Paulo Nazaræorum numeros suasissent explere, nisi in omnibus compertum habuissent, ea omnia faciendi illi pariter facultatem in promptu fuisse.

CXXII. Hæc cum agerentur; vna insuper cum Nazaræis & Paulum capillis abrasum esse, immo & vt etiam ceterorum capilli raderentur, curam impendisse, satis Acta [a] declarant. Vnde & Hieronymus [b] hac eum interpellat apostrophe: O Paule, & in hoc te rursum interrogo: Cur caput raseris, cur nudipedalia exercueris de cærimonijs Iudæorum? Cur obtuleris sacrificia, & secundum legem pro te hostiæ fuerint immolatæ? Vtique respondebis: Ne scandalizarentur qui ex Iudæis crediderunt.] hæc ipse. Ex his etiam, quòd Nazaræi, qui ceteris sanctiores haberentur, religionis ergo in templo capita radenda offerrent, Apostolica traditione in Ecclesiam deriuatum traditur, vt qui a communi hominum vita recedentes, exquisitius viuendi genus assectarentur, ac per omnia sese diuino cultui manciparent, deberent eorum capita radi. Id Isidorus his verbis testatur [c]: Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus a Nazaræis, ni fallor, exortus est: qui prius crine seruato, denuo post vitæ magnam continentiam, deuotione completa, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur. Hoc quoque & Ezechieli [d] Prophetæ iubetur, dicente Domino: Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces super caput tuum & barbam. Videlicet quia ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis seruiebat. Hoc & Nazaræos Priscillam & Aquilam in Actis Apostolorum primos fecisse legimus, Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui huiusmodi cultu imitandi extiterunt.

a Act. 21.
b Hier. epist. 29.
DE TONSVRA IN ECCLESIAM INTRODVCTA.
c Isid. de diuin. offic. in Concil. Aquisgran. c. 1.
d Ezech. 5.

CXXIII. Est autem clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, & in anima agitur: scilicet vt hoc signo & religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur; atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus; expoliantes nos, iuxta Apostolum, veterem hominem cum actis suis, induentes nouum, qui renouatur in agnitione Dei: quam renouationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, vbi ipsa mens noscitur habitare. Quòd vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur; sacerdotium, regnumq. Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum: hæc ex bysso confecta, rotunda erat, quasi sphæra media; & hoc significabatur in parte capitis tonsi: corona autem latitudo aurei circuli est, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, vt impleatur corporis etiam quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo prædocente: Vos estis genus sanctum, regale sacerdotium. Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, & sic tondetur? Sed qui hæc exquirunt, animaduertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hanc Euangelij reuelationem, de qua dicit Apostolus: Cum transieris ad Christum, auferetur velamen. Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi, & aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus coma sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento dicit esse: proinde iam non oportet vt velentur crinibus capita eorum qui Domino consecrantur, sed tantum vt reuelentur: quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, iam in Euangelio declaratum est.] hucusque Isidorus.

CLERICORVM TONSVRA QVID MYSTICE.

CXXIV. Quòd igitur non integra clericorum vel monachorum capita raderentur: præter hæc quæ ab Isidoro sunt dicta, illa etiam causa suppeditari posse videtur; ne scilicet secundum Iudaicum vel Gentilitium ritum nos facere videremur: nimirum Iudaizare cum Nazaræis, & superstitionem sectari Isidis, Serapidis, & aliorum Gentilium sacerdotum,

DE TONSVRA IVDAEORVM AC GENTILIVM.

cerdotum, qui omnes corporis pilos & capillos capitis penitus abradebant [a]. Scimus & apud Græcos, Tragenios, & Assyrios, Iudæis confines, æmulatos esse eiusmodi ritum tondendi capillos, eosdemq. in templo offerendi [b] numini, sicut & abstinentiam ab esu porcinæ carnis, & alia. Sed & apud Romanos, cum primum barbam raderent atque crines, ea numini dedicare, moris fuisse, apud Suetonium [c] in Nerone notatum habes. Alia insuper affertur causa, cur capillorū corona, reliquo raso capite, integra consueuerit remanere: nimirum ob iugem memoriam spineæ coronæ impositæ capiti Domini nostri Iesu Christi. idq. ab Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum, certa assertione apud Bedam [d] legitur, vbi post alia: Inter omnes, inquit, quas in Ecclesia, vel in vniuerso hominum genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendā amplectendamq. iure dixerim, ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es Petrus.] et paulo post: Neque ob id tantum in coronam attondemur, quia attonsus ita est Petrus: sed quia Petrus in memoriam Dominicæ passionis ita attonsus est; idcirco & nos, qui per eamdem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis Ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris Ecclesia facta est, signum sanctæ crucis in fronte gestare consueuit, vt crebro vexilli huius munimine a malignorum spirituum defendatur incursibus, & crebra huius admonitione doceatur, se quoque carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere debere: ita etiam oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus necesse habent pro Domino se continentiæ funibus adstringere, formā quoque coronæ, quam ipse in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret ac auferret a nobis, suo quemque in capite per tonsuram perferre; vt se irritiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre, ipso etiam frontispicio doceant: vt coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se, semper expectare, proq. huius perceptione & aduersa mundi & prospera contemnere designarent.] hæc ille ibi; quæ & alij [e] tradiderunt.

a Hieron. in Ezechiel. c. 40. & Ambros. ad Sab. in epist. 30. edit. Rom.
b Lucian. in Dea Syria in fine.
c Sueton. in Nerone cap. 12. & ibi interp.
d Beda de gestis Angl. lib. 5. c. 22.
e Alcinus Flac. de diuin. offic. Raban. de instit. cleric. & alij.

CXXV. Sed & alia ab his diuersa de clericorum tonsura adducitur causa a Germano [f] Episcopo Constantinopolitano, his verbis: Duplex corona circumpositā capiti sacerdotis, capillorum significatione imaginem refert venerandi capitis Apostoli Petri; qui cum missus esset ad prædicationem Domini & magistri, ei tonsa est ab his qui eius sermoni non credebant, vt illuderetur ab ipsis; eiq. Christus magister benedixit, & infamiam in honorem, illusionem in gloriam conuertit, & posuit super caput eius coronam non ex lapidibus pretiosis, sed lapide & petra fidei eius fulgescentem super aurum & topatium & lapides pretiosos.] Hæc cum scribat Germanus, quantumlibet vnde acceperit auctorem non citet, ex maiorum tamen traditione eum mutuatum esse, credendum est. cum enim sciamus consueuisse eiusmodi ludibrio Romæ affici sapientes viros, qui philosophi dicerentur; eamdem in Petrum illatam esse contumeliam, haud vanum erit existimare. Sane de Apollonio Tyanæo philosopho Pythagoreo, qui eius sectæ suo tempore erat facile princeps, scribit Philostratus [g], a Domitiano esse detrusum in carcerem, ab eodemq. missum esse tonsorem, qui comam capitis & promissam philosophicam barbam amputaret; cum alioqui criminum rei intonsa barba atque capillo agere solerent. Sed & si qua fides apocrypho est adhibenda, legitur in pseudoProchoro, Ioannem Euangelistam iussu eiusdem Domitiani ignominiæ causa capite attonsum esse. Testatur & Cyprianus [h] similia de damnatis ad metalla, cum ait: Semitonsi capitis horrescit capillus.] et in responsione: Semitonsi capitis capillaturam adæquasti. Solebat eiusmodi abrasio capitis signum esse hominis turpissimi & sceleratissimi. vnde illud Ciceronis pro Roscio Comœdo: Nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, clamitare calliditatem videntur?] et infra: Qui idcirco capite & supercilijs semper est rasus, ne vnum pilum boni viri habere dicatur.] hæc Cicero de leuissimo homine, qui sic se raserat.

PETRI EXEMPLO TONSVRA INTRODVCTA.
f Germanus in theor rer. Eccles. instit.
g Philostr. in Apollon. lib. 7.
h Cypr. epist. 11.

CXXVI. Verum quæ ab alijs ignominiæ causa hisce hominibus fieri solebat abrasio, diuersi generis erat: nam præter illas de quibus est dictum, alia erat, quæ a Luciano sic describitur, dum agit de morione: Moxq. ingressus deformis quidam, derasoque capite, paucules capillos in vertice gestans, eosq. cristæ in morem erectos.] hæc in Conuiuio Lucianus. Idem in epistola ad Saturnum: Vertex illius asperis & pungentibus setis sit hirtus, re-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus, reliqua capitis parte nuda.] Tertullianus [a] etiam sic attonderi consueuisse Numidas testatur, cum ait: Apud aliquos Numidas etiam equis cæsariatos, iuxta cutem tonsor, & cultri vertex solus immunis?] hæc ille. Addimus illud, quòd Caius Imp. occipitia adolescentulorum ludibrij causa radere consueuerat: de quo Suetonius [b]: Pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpabat.] Moris fuisse etiam apud Romanos, seruorum radi capita, Tacitus & alij plures testantur. Sicq. videas non vnius generis fuisse capillorum abrasiones, licet omnes fere ad inurendā ignominiæ notam ab alijs pro animi cuiusque sententia excogitarentur. Erat enim & capitis abrasio manumissionis nota, sicut & pileus, vt indicat Plautus [c] illis verbis: Vt ego hic hodie raso capite caluus capiam pileum.] Itemq. qui maris tempestatem euasissent, rasis capitibus vota dijs persoluere consueuisse, auctor est Lucianus [d]: de quo vsu etiam Pomponius Arbiter his verbis: Notauit sibi ad Lunam tonsorem intēpestiuo inhærentē ministerio; execratusq. omen, quod imitaretur naufragorum vltimum votum, in cubile reiectus est.] et post pauca: Audio enim non licere cuiquam mortalium in mari neque vngues, neque capillos deponere, nisi cum pelago ventus irascitur.] agit enim de ijs qui nouacula caput & supercilia radebant. existimatur [e] autē vtraque abrasio ab eadem causa profecta, quòd scilicet sicut seruituti obnoxij ea abrasione libertatem se consecutos esse testabantur, ita tempestatem maris qui euasissent, se liberatos esse eo signo profiterentur. Ceterum id ex nuncupato voto naufragos facere solitos, idem qui supra Petronius Arbiter tradit; & hac in re Nazaræis [f] consimiles, qui exoluentes votū emissum, caput raderent, vt paulo superius dictum est. Sed iam ad clericorum tonsuram, cuius causa eiusmodi facta est digressio, reuertamur. Ea igitur quæ Principi Apostolorum derisionis & ignominiæ causa illata est infamiæ nota, totius Ecclesiæ honori cessit. Et quid mirum, cum ipsa quoque pœnarum instrumenta pietas Christiana in amplissimam gloriam commutare, & habere consueuerit in honore? idq. virtute ac merito Crucis Christi, quæ mundi contemptibilia, ignobilia, & infirma ad maximum omnium gloriæ culmen euexit.

[a] *Tertull. lib. de pallio c. 4.*
IGNOMINIAE CAVSA INTRODVCTA ABRASIO VEL TONSVRA.
[b] *Suet. c. 35.*
[c] *Plautus in Amph. act. 1. scen. 1.*
[d] *Lucian. in de orū dial. in fin.*
[e] *Non. de doct. indag.*
[f] *Num. 6.*

A
B
C

CXXVII. Sed antiquum eius rei vsum inspiciamus. Præter illa quæ de Apostolica institutione atque traditione sunt ex dictis nuper auctoribus recensita, non aliunde id certe quàm ab Apostolico fonte fluxisse, Oriens Occidensq. pariter, ac omnes denique regiones, in quibus Christiana fides est aliquando propagata, pari consensione visæ sunt non solum hoc esse testatæ, sed æque omnes id ipsum firmissima eius rei obseruatione probasse. Doceat quis, velim, prouinciam Orbis aliquam, quæ Christi nomen acceperit, eiusdem fuisse tonsuræ clericalis expertem. Quonam alio, quæso, quàm Apostolorum præconio, rem tam nouam, atque adeo inusitatam, ac penitus ab alijs intentatam, radendi in modum sphæræ vel coronæ capitis, Christianus orbis potuit susscepisse, ac firmiter tenuisse, nullo præcedente maiorum exemplo? Nam si Iudæos spectes, vnde fluxit Christiana religio: diuina lege radere caput sacerdotibus interdictum fuisse reperies, dicente atque [g] monente: Sacerdotes nec radent caput, nec barbam.] et communiter omnibus vetitum [h] in rotundum attondere comam, & radere barbam; licet verborum illorum diuersa lectio habeatur. De Gentilibus diximus, plane diuersum a nostro fuisse illorum ritum; quippe qui non tantum capitis capillos omnes vsque ad supercilia, sed totius corporis pilos, Isidis præsertim sacerdotes, radere consueuissent. Et quis existimet, Christianos voluisse illos imitari, quorum non tantum sacra, sed & sacerdotes eam præsertim ob causam tantopere derideret? Consulat, qui de his dubitat, antiquorum Patrum aduersus Gentes scriptas apologias, in quibus vtique hæc omnia fusius inueniet explicata. Nemo igitur sanæ mentis leuiter dixerit esse introductum atque seruatum absque exemplo, quod Catholica vbique Ecclesia custodiuit.

TONSVRA CLERICORVM EX APOSTOLICO RITV.
[g] *Leuit. 21.*
[h] *Leuit. 19.*

D
E

CXXVIII. Certe adeo peruulgata in Orbe res fuit, vt nec scriptores Ethnici de ea tacuerint. Nam Ammianus Marcellinus [i] testatur, temporibus Iuliani Apostatæ, Theodorum quemdam ecclesiæ ædificandæ præfectum, ab Ethnicis supplicio affectum, quòd (vt ait) cirros puerorum licentius detondebat:] nihil aliud significans, nisi quòd pœnas dedit eo prætextu, quòd complures pueros in clericos cooptaret: capillorum enim tonsura eiusmodi initiari (vt etiam modo fit) antiquitus consueuisse, satis est exploratum. Sed & exemplum habes in Otreio Episcopo Melitensi, sanctitate & doctrina celeberrimo, qui claruit temporibus Theodosij senioris, cuius & sanctionibus [k] commendatur, cum S. Euthymium

[i] *Ammianus Marcel. lib. 22.*
[k] *De fide Cathol. l. 4. Cod. Theod.*

A S. Euthymium ordinauit lectorem. hæc enim de eo Cyrillus [a] in rebus gestis Euthymij scribit: Cum eum baptizasset, & pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondisset, in gradum lectorum eum cooptat.] Sed quòd amplior esset illorum tonsura, qui maioribus initiarentur ordinibus; hinc Euagrius [b] Scholasticus ait: Coma abrasa, presbyter designatus est.] Mentio est eius ritus apud Dionysium [c], cum agitur de his qui in monachos cooptantur; eiusq. rei spiritalis sensus declaratur. Ad hoc pertinet, quod in libro de Romanis Pontificibus peruetusto, qui fertur nomine Damasi, de Aniceto habetur; instituisse scilicet secundum præceptum Apostoli, ne clerici comam nutrirent. Multa enim, quæ ab Apostolis siue scripto, siue sine scripto statuta essent, decretis iterum editis, ea accuratius esse seruanda, sæpe Romani Pontifices præcepere. Sed quod illic breuiter notatur, vt secundum Apostoli [d] præceptum clerici comam non nutriant: haud
B de communi illa viris omnibus a Paulo præscripta lege, ne videlicet illi mulierum exemplo comam nutrirent, significare voluit auctor illis verbis: sed vt qui sanctioris vitæ mancipantur ordinibus, excultioris etiam vitæ characterem in capite ferrent. Hocq. idem habetur in Concilio Carthaginensi [e] & Agathensi [f], ne clerici comam nutriant, sed tondeant. At si non de tonsura in modum sphæræ fieri solita Patres intellexerunt: quid tam instanter clericis faciendum esse mandarunt, quod Apostolica lege quiuis laicus facere teneretur, nempe comam non nutrire, sed capillos deponere? Quòd igitur clericis id faciendum præcipitur, quia alia ratione videretur esse mandatum, alio etiam ritu erat implendum; nimirum vt in summo vertice depressius caput tonderent, aut raderent.

[a] *Cyrill. in Euthy. apud Lip. tom. 5.*
[b] *Euag. hist. lib. 2. c. 26. in fine.*
[c] *Dionys. de Eccles. hier. par. 2. c. 3.*
[d] *1. Cor. 11.*
[e] *Conc. Carth. 4. c. 44.*
[f] *Conc. Agath. c. 20.*

Cum vero multæ eius rei allatæ sint causæ, illam adijcimus, nempe, vt mancipatæ semel vitæ diuino cultui per capillorum oblationem, eo signo sæpius iterato, assidue me-
C minisse deberent; & quod solemniter semel præstitissent, sæpe repeterent. Licet de his non fuerit vna consuetudo omnium Ecclesiarum. Nam in Hispania postmodum accidit, vt occasione quorumdam hæreticorum, qui eamdem cum Catholicis vsurparent capillorum tonsuram, ac proinde eo signo vellent videri Catholici: eius regionis Episcopi, conuentu habito, dilatandam eiusmodi capitis tonsuram statuerint. Est de his canon in hæc verba descriptus [g]: Omnes clerici, vel lectores, sicut Leuitæ & sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant: non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iste in Hispanijs hucusque hæreticorum fuit. Vnde oportet pro amputando ab Ecclesijs scandalo, hoc si-
D gnum dedecoris auferatur, & sit vna tonsura vel habitus, sicut totius Hispaniæ est vsus. Qui autem hoc non custodierit, fidei Catholicæ reus erit.] Porro eamdem coronæ formam in S. Nicetio Episcopo Treuerensi habes diuinitus efformatam: sic enim de eo scribit Gregorius Turonensis [h]: Sanctus Nicetius Episcopus ab ipso ortus sui tempore clericus est designatus: nam cum partu fuisset effusus, omne caput eius, vt est consuetudo nascentium infantium, a capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam.]

CXXIX. CORONA CLERICORVM VSV DIVERSA.
[g] *Concil. Tolet. 4. c. 40.*
[h] *Greg. Turon. in vita Sanct. Patr. c. 17.*

Ceterum & in his, sicut in alijs multis, diuersa fuit diuersarum Ecclesiarum consuetudo: vbi vero nihil corruptum est ab hæreticis, nulla alia mutatio intercessit. Non enim fuit recens æmulatio hæreticorum, vt & ipsi incederent tonsura decori. Nam si fi-
E dem adhibemus his quæ ab erudito auctore scripta recitantur, dico a Beda [i]: iam ipsis Apostolorum temporibus etiam Simon magus tonsuræ genus quoddam excogitauit. Sed hæc a maioribus scripta non produntur: nam & de eadem epistola, quam recitat Beda, locutus esse videtur Amalarius [k], qui eam haud tantæ fidei fuisse dicit, vt reciperetur ab omnibus. Ipse enim dum de tonsuræ origine disputat, hæc scite quidem atque prudenter affirmat: Interrogatur, inquit, ab aliquibus, quis primus tonsus sit nostro more? Legi in epistola cuiusdam viri, Petrus: sed quia non tantæ auctoritatis est, vt ex illa firmare valeamus nostram sententiam; maluimus eam silentio præterire. Non tamen abs re est, si dixerimus, illum, aut aliquem successorem eius, primo fuisse tonsum nostro more: quoniā ab illa Ecclesia sumptus est talis vsus, in qua illi sederunt. Sed quid ad nos? cum multa agamus ex consuetudine præsentis Ecclesiæ, quorum auctores non perferuntur specialiter: sicut nec obseruationes Quadragesimalis temporis ante Paschā; scimus

CXXX. AB ECCLESIA ROMANA PROBATA TONSVRA
[i] *Beda hist. Anglic. lib. 5. cap. 22.*
[k] *Amal. de Eccles. offic. c. 5.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

scimus tamen ex demonstratione S. Augustini, consensione Ecclesiæ eam esse roboratam: sic & nos dicimus, tonsuram nostram ex auctoritate & consuetudine Romanæ Ecclesiæ esse roboratam.] hæc & alia Amalarius. Sed quod ait, etsi non a Petro, saltem ab aliquo Petri successore, tonsuræ vsum antiquam sibi originem vindicare: certe de nullo alio, quàm de Aniceto est testimonium; qui cum tam proximus fuerit Apostolorum temporibus, quod ipse statuit, æque ab Apostolis traditum esse potuit. Nam, quod Irenæus [a] testatur, ad sua tempora, nempe sub Eleutherio, in Romana Ecclesia traditiones Apostolicæ illibatæ atque incorruptæ seruatæ sunt: vt merito eam ob causam idem appellet ipsam Romanam Ecclesiam diues depositorium Apostolicarum traditionum. A

[a] Iren. lib. 3. c. 3. & 4.

CXXXI. Verum distinctam fuisse tonsuram monachorum ab ea quæ est clericorum, certum est: cum illi non tantum verticem capitis, sed totum fere caput radere consueuissent; vt sic nimirum, quod esset ipsorum vitæ studium, declararent. Abrasionem quippe capitis, symbolum ac hieroglyphicum fuisse lugentis atque mærentis hominis, non solum proditur testimonijs diuinæ Scripturæ, sed assertionibus etiam externorum. Quod ad illam spectat; de Iob [b] habetur testatum, cum suarum cladiũ nuncios accepisset, tonso capite adorasse. Et Isaias [c]: Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum.] et illud Michææ [d]: Decaluare & tondere super filios deliciarum: dilata caluitium tuum.] Quod vero ad Gentiles pertinet barbaros, hæc Suetonius [e]: Regulos quosdam barbam posuisse, & vxorum capita rasisse in indicium maximi luctus.] Facere id consueuisse Argiuos mæroris causa, testatur Herodotus [f]: affirmat id ipsum Lucianus [g] de Syris, qui funera raso capite celebrarent. Solum apud Romanos, quòd tonsa barba ac capite solerent incedere, in maximo luctu capillum & barbam promittere mos fuit, vt Suetonius [h] de Iulio Cæsare sic tradit: Diligebat vsque adeo, vt audita clade Tituriana, barbam capillumq. submiserit, nec antea ademerit, quàm vindicasset.] et de Augusto, cum audisset cladem Varianam in Germania acceptam: Adeo, inquit, consternatum ferunt, vt per continuos menses barba capilloq. submisso, caput interdum foribus illideret.] ostendit eadem in Caio [i]. Reos quoque apud Romanos mæroris causa capillos demittere solere, testatur Plinius [k]. At non reos tantum, sed & reorum amicos & affines id facere solitos, colligitur ex Vlpiano l. C. [l] & Seneca [m], atque alijs. B C

MAERORIS SIGNVM TONSVRA CAPITIS.

[b] Iob. 2.
[c] Isai. 22.
[d] Mich. 1.
[e] Suet. in Caio Caligula c. 5.
[f] Herodot. lib. 1. hist.
[g] Lucianus de Dea Syria.
[h] Suet. in C. Iulio c. 67.
[i] Idem in Caio c. 24.
[k] Plinius lib. 7. epist. 27.
[l] l. vestem. ff. de iniurijs.
[m] Seneca lib. 9. declamat. 4. vesp. 27.

CXXXII. Vt igitur, quod monachorum erat officij, solitariam vitam agere ac lugere peccata, hoc etiam corporis cultu profiterentur; optime iureq. consultum est, vt ipsa initiatione monasticæ conuersionis, capita raderent. Hæc etiam Basilius in Regula monachorum suorum, quam scripsit, nuper Romæ excusa, demonstrat. De eadem monachorum tonsura Paulinus [n] ad Seuerum scribens, agit his verbis: Nos adeant & reuisant conseruuli & compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus cilicijs humiles: nec chlamyde curta lini, sed sagulis palliati: nec balteo, sed veste succincti: nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, & inæqualiter semitonsi, & destituta fronte prærasi, & ornatu pudicitiæ inornati.] Itemq. de monachis cute tenus attonsis loquitur Saluianus Massilienſis [o], dum deplorans Africanæ Ecclesiæ acerbissimum statum, hæc ait: Non sine causa itaque istud fuit, quòd intra Africæ ciuitates, & maxime intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum & recisis comarum fluentium iubis ad cutem tonsum videre, tam infelix ille populus, quàm infidelis, sine conuicio atque execratione vix poterat. Et si quando aliquis Dei seruus, aut de Ægyptiorum cœnobijs, aut de sacris Hierosolymorum locis, aut de sanctis eremi venerandisq. secretis ad vrbem illam officio diuini operis accessit; simul vt in populo apparuit, contumelias, sacrilegia, & maledictiones excepit. Nec solum hoc, sed improbissimis flagitiosorum hominum cachinnis, & detestantibus ridentium sibilis, quasi taureis cædebatur: vere vt si quis ea insçius rerum fieri videret, non aliquem hominem ludificari, sed nouum inauditumq. monstrum abigi atque exterminari arbitraretur.] et post multa, exaggerando contra monachos gesta, demum hæc ait: Et miramur si nunc barbaros illi perferunt, cum videamus quòd sancti viri in illis barbaros pertulerunt? Iustus ergo est Dominus, & iustum iudicium suum, &c.] Itaque ex his videas in derisores tonsuræ manasticæ seueriſſime Deum vltum esse, qui Vandalis eam prouinciam per centum annorum spatium dederit deuastandam. D E

DE MONACHORVM TONSVRA.

[n] Paulin. epist. 7.
[o] Salvian. lib. 8. de vero indic. & provid. Dei ad fin.

CXXXIII. Quòd vero (vt vidimus ex Saluiano) monachi tonsurati deriderentur ab Afris; inde fortasse

A fortasse accidit, vt quidam in eadem prouincia pseudomonachi, abiecta tonsura, comam remitterent: aduersus quos Augustinus [a] hæc ait: Sed alij sunt quos isto sermone corripimus, illos autem qui hoc vno vitio capillorum contra præceptum Apostolicum demissorum offendunt & perturbant Ecclesiam.] Redarguit & Epiphanius [b] illos, qui in Mesopotamia agerent, monachos, quòd comam prolixam gererent: Nam alienum est, inquit, a Catholica Ecclesia saccus conspicuus, & coma extensa.] Fertur, sed extra numerum aliorum, canon Nicænus de tonsura monachorum in hæc verba: Monachi alia habeant indumenta & mores, quàm habent laici, ac caput tondeant in modum coronæ.] Protulit hæc & alia (vtcumque sint) ex Arabicis exemplaribus Turrianus, & edidit a se Latinitate donata: quæ tamen cum fulciantur innumeris fere aliorum testimonijs, prorsus contemnenda non sunt. Nam ad hoc respicit, quod Socrates [c] de Iuliano Apostata scribit, ipsum abrasa cute, vitam monasticam simulasse.] Sic igitur, quòd B caput radere, esset velut hieroglyphicum lugentis hominis; ea de causa statuit tertia Synodus Toletana [d], vt publice pœnitentibus in primis Episcopus vel presbyter caput tonderent, vt sic in cinere & cilicio pœnitentiam agerent.

[a] Aug. de oper. monach. c. 33.
INTONSI MONACHI REPREHENSI.
[b] Epiph. hær. 80.
[c] Socr. hist. lib. 3. c. 1.
[d] Tolet. Synod. cap. 12.

Episcopos etiam magna saltem ex parte capitis abrasos fuisse, satis expressisse visus est Gregorius Nazianzenus [e], qui agens aduersus Maximum ex Cynico philosopho mox factum Episcopum, hæc ait: Cum ad pastoralis muneris administrationem nihil aliud omnino contulerint, quàm quòd comam, cui alendæ & ornandæ turpiter studuerant, raserint.] Porro quoniam eiusmodi capitis rasionem consueuisse a maioribus dici coronam, ea quæ dicta sunt superius, satis aperte significant: ad huiusmodi coronam vel aliud ornamentum capitis (de quo dictum est superius) allusisse videtur Eusebius Pamphili [f] in ea oratione panegyrica quam habuit in dedicatione ecclesiæ a Paulino Tyri Episcopo ædificatæ, cum sic exorditur: Amici Dei, & sacerdotes, qui sacro-sancto poderis indumento, cælesti gloriæ corona, diuina vnctione, & sacrata Spiritus sancti stola circumuestiti, &c.] Inde etiam prouenit, vt consueto more loquendi soleret populus, cum Episcopum interpellaret, & ab eo aliquid enixius peteret, per coronam ipsius obtestari: quod Augustinus [g] scribens ad Proculeianum Episcopum docet his verbis: Honorant nos vestri, honorant vos nostri. Per coronam nostram nos adiurant vestri, per coronam vestram vos adiurant nostri.] C

[e] Gregor. Naz. orat. in Max.
CORONA SACERDOTVM.
[f] Eusebius hist. lib. 10. c. 4.
[g] August. epist. 147.

CXXXIV.

CXXXV. His igitur adeo manifeste certoq. probatis, non tantum sanctorum Patrum, sed Ethnicorum, immo omnium hominum, etiam hæreticorum, per coronas sacerdotum tamquam quid sacrum obtestantium, testimonijs; quid est quod obijci possit ex sancto Hieronymo, quasi ipse minus probarit capitis ac barbæ rasuram; cum citati nuper auctores de vtraque re aperte testantes, ipsius Hieronymi vixerint temporibus, vel haud multo post; qui quidem eam quæ esset eius temporis Ecclesiæ consuetudo, plane declarant? Sed ex his omnibus quæ idem Hieronymus [h] scribit in Ezechielem, vel in Isaiam, tres eliciuntur positiones, ac ea in primis: ipsum non probare capillorum siue barbæ tonsuram solitam fieri more Gentilium. Sed in hoc nulla est discrepantia cum his quæ superius dicta sunt, cum idem ipse Gentium ritus ab omnibus æque damnetur. Secunda positio ea est; quòd & ipse pariter cum ceteris consentit, capillos esse tondendos, sed sic tamen, vt operta, quod ait, sit cutis. Sicq. videas nec in his ipsum a dictis auctoribus differre; nisi quòd non nouacula ad cutem vsque radi velit capillos, sed forficibus, atque depresse, dummodo tamen non appareat nuda cutis. Sed quàm leuis E hæc sit differentia, nemo non videt. Tertia demum eius conclusio est, qua barbæ non probat tonsuram. At ipse in Oriente agens, quid mirum si Orientalium clericorum & monachorum consuetudinem comprobarit? D

OBIECTIO EX S. HIERONYMO.
[h] Hieronym. in Ezech. c. 44. & in Isa. c. 3. & 6.

CXXXVI. His dictis atque euidenter elucidatis, iam ad rerum gestarum narrationem reuocanda esset oratio; nisi suscepti semel argumenti ratio admoneret, ac pene cogeret, vt etiam de barbarum tonsura aliqua saltem leuiter attingamus. Et in primis quod ad eos qui foris sunt pertinet: sicut capita, ita & barbam radere, commune fuisse quibusdam sacerdotibus idolorum, præter illa quæ dicta sunt, Baruch [i] de Babylonijs sacerdotibus testatur, cum ait: In domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita, & barbam rasam; quorum capita nuda sunt.] quamobrem in diuina Scriptura hæc eadem prohibentur. In Leuitico [k] enim secundum Vulgatam hæc leguntur: Non radent caput, nec barbam, nec in carne sua facient incisuras.] eadem quoque apud

[i] Baruch 6.
CVR IVDAEI PROHIBITI RADERE BARBAM.
[k] Levit. 21.

Ezechie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ezechielem leguntur [a]. Apud Syros eamdem consuetudinem viguisse apud sacerdotes Deæ Syriæ, Lucianus [b] eorum gentilis, qui eius argumenti libellum scripsit, testatur. Quapropter tota vis legis in eo versatur, vt Iudæos prohiberet ea facere, quæ proximæ prouinciæ facerent idolorum sacrifici, qui eo modo caput ac barbam tonderent, ac cultris suas sibi carnes inciderent: sicq. ea quæ illi faciebant, lex Iudæis vetuit sacerdotibus. Hæc vt clariora fiant, reddamus hic verba, quæ ex eodem Leuitici libro [c] superius citata sunt: Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam, & super mortuo non incidetis carnes vestras, neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis.] A

a Ezech. 44.
b Lucianus de Dea Syria.
c Leuit. 29.

CXXXVII. MOS SYRORVM DEAE CVLTORVM.

At videamus, quàm vere hæc eadem a sacerdotibus Deæ Syriæ, Iudæis proximis, factitari solita esse, idem Syrus auctor, ibiq. versatus, egregie memoriæ tradat. Nam in primis agens de antiquitate templi eius atque cultu, multorum refert fuisse sententiam, vt a Deucalione fuerit excitatum: et licet alias referat de ea re opiniones, antiquissimum tamen plane illud fuisse, vna omnium erat assertio. In eo exectos viros glabros sacrificare consueuisse, eosdemq. se cultris incidere inter immolandum, testatur; quod & Apuleius [d], dum de eadem Dea Syria agit, affirmat. Rursum illuc accedentes, capita radere & supercilia, necnon & barbas deponere solitos, ibidem Lucianus enarrat. Insuper quod item in Leuitico est præceptum, ne barbas radant, neque incidant carnes; atque quod mox additur: Neque figuras aliquas aut stigmata facietis vobis] hæc eadem ab illis factitari solita, idem Lucianus eodem in loco tradit his verbis: Certis autem notis compunguntur omnes, alij quidem in vola manus, alij autem in ceruice: et inde est, quòd cuncti Assyrij notas inustas habent.] hæc Lucianus, qui & multa ibi recenset de illorum ritibus cum Hebræis communibus. Quam igitur, qualemve capillorum & barbæ tonsuram prohibuerit lex diuina, ex dictis nulla remanet penitus dubitatio: vt ex his plane videas, quàm inuidiose atque iniuste pariter calumnientur, qui legis diuinæ prætextu in clericos ac monachos Catholicæ Ecclesiæ inuehuntur. B C

d Apul. de Asino aureo.

CXXXVIII. OBIECTIO EX EPIPHANIO.

Quod vero deducunt Nouantes ex Epiphanio [e], quasi ex Apostolorum institutione, non licere nec caput nec barbam radere, ipso affirmante, ac sic dicente: De barba quidem in Constitutionibus Apostolorum dicit diuina scriptura ac doctrina: Non corrumpas, hoc est, non seces pilos barbæ, neque meretricio more ob comam efferaris.] vnde accepta hæc sint, exacte perquirendum est. Nullus certe de his canon est Apostolicus, sed tantum quæ in Constitutionibus Clementis [f] nomine sic scripta leguntur: Fidelis cum sis & homo, non licet tibi nutrire capillum, & in vnũ complicare, quod est delicatum & molle; vel discerniculo discriminare, vel flauum facere: quoniam quidem lex vetat, inquiens: Non faciatis vobis rotunditatem ex coma capitis vestri, neque incisiones. Neque vero licet barbæ pilos corrumpere, neque hominis figuram præter naturam mutare. Non scindetis, inquit lex, superficiem barbæ vestræ. Hoc enim mulieribus decens, creator Deus statuit, viris indecorum esse iudicauit.] hucusque Clemens. Ex his vero satis perspicuum redditur, tũ ex his quæ Clementis nomine habentur Constitutionibus, tum etiam ex Epiphanij sententia, qui eas citat: sicut diuinam legem (si modo eam sequendam dixerimus lectionem) ita & Apostolos (vt demus authenticum esse librum) vetuisse tunc barbæ pilorum incisionem, cum comæ capitis non tantum promittantur, sed & feminarum more crispentur, vel aliter in rotundum artificio componantur; adeo vt sic culti, feminæ repræsentarent effigiem potius quàm viri. Hinc & illa iusta eiusdem Epiphanij querela de monachis, quos diximus, Mesopotamiæ, qui muliebres (vt ait) producerent comas: cum e contra laudet Ecclesiæ filios in tonsura reuerendos: reprehensibilis enim habebatur illa barbæ rasio, cum capilli more mulierum promitterentur. D E

e Epiphan. hæres. 80.
f Const. Apost. lib. 1. c. 4. in fi.

CXXXIX. BARBAM RADENDI MYSTERIA.

Ceterum sicut nec viri capitis comam radi, ita nec etiam barbam, non tantum diuinam Scripturam non prohibere, sed etiam prædicare, atque aliquando præcipere, complura Prophetarum loca [g] demonstrant: barbam enim vna cum capite radere, erat maximi omnium mœroris ac luctus hieroglyphicũ: adeo vt hæc rectè monachis conuenire, nullus iure negare possit. Si autem ex capillorum promissione vel tonsione Paulus Apostolus item hieroglyphicum signauit, cum [h] ait: Vir si comam nutriat, ignominia est illi: mulier si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt] quis prohibet ex barbæ tonsura mysteriũ itidem consignare? nimirum si cum

g Isai. 7. 15. Hierem. 41. & 48. Ezech. 5.
h 1. Cor. 11.

a natura barba data sit homini ob decorem & gloriam; lugens ac mærens, ac proinde monachus, qui se perpetuæ pœnitentiæ mancipauit ergastulo, ea etiam a natura sibi data velit carere gloria? cum præsertim eiusdem rei alia atque alia mysteria esse possint, quæ inter alios Beda [a] pluribus declarauit. Quòd vero his aduersantes non admittant hæc, esse turpe existimantes amputare barbam, nimirum quòd barbæ hieroglyphicum, ex auctoritate scriptorum Gentilium, dicerent esse virtutem: cur apud eosdem Apollo, Saturnus (quod ait Tertullianus [b]) & Bacchus imberbes esse finguntur? Adeo vt fateantur necesse sit, vnius eiusdemq. rei plures esse posse significationes atque mysteria: nimirum, qui pilos consideret esse excrementa naturæ, eos qui resecet atque radat, abijcere se superflua, necessarijsq. contentum esse, profiteri. A

a Beda in 1. Esdr. 9.
b Tertull. lib. de spectac. c. 23.

At quoniam non æque monachi omnes, nedũ clerici, abrasis barbis incedere consueuerunt; nec Pædagogus Christianus [c] barbã nouaculæ subiecit, sed tantum forficibus: aliam prorsus diuersamq. Orientaliũ ab Occidentalibus consuetudinem moremq. fuisse, certum est. Nã in Ecclesia Orientali numquã barba rasos inuenimus monachos, vel clericos; secus autẽ in Ecclesia Occidentali: cuius rei diuersitatis origo est accuratius perquiranda. Et vt primũ dicamus de clericis, qui in Ecclesia præsertim Occidentali longe antiquiores sunt monachis: inuenimus hac ex parte, secundũ morem diuersarũ prouinciarum, tam laicos quàm clericos inter Gentiles viuentes agere consueuisse: et in primis, quia in Oriente tam Iudæi quàm Græci, barbati incederent, Christianos inter ipsos positos idem factitasse. In Occidente vero, atque potissimum Romæ, quoniam qui præsertim maturioris ætatis (vt auctor est Gellius [d]) essent, tamquam quoddam nobilitatis insigne, radere barbam consueuerant (notatus est enim a Dione [e] & alijs Hadrianus, qui primus omnium barbatus incessit, vel alij pauci post eum, sed non sic tamen, vt ceteri Romanorum ipsos imitarentur) Christiani Romæ agentes, cur non sicut ceteri, abrasi incederent barba, cum honestus spectatusq. haberetur eiusmodi communis omnium cultus, nec aliqua vel leuis saltem esset eius obseruationis superstitio? nam alia ratio erat Isidis sacerdotum radentium etiam supercilia. Sic igitur Clementem, sic Pudentem Senatorij ordinis homines, sic denique siue Romanos, siue ceteros Romæ agentes, exceptis Orientalibus, attonsos barba fuisse, nulla dubitatio esse debet. Certe vestitu tantum, non barba, ab Ethnicis fuisse Christianos distinctos, vt qui pallio amicti solerent incedere, Tertullianus sæpe testatur. cumq. non sicut pallium Christianorum, illi fugillarent & barbam; eos constat more ceterorum barbis attonsos incedere consueuisse. Verum affectata illa nimis barbæ non attonsio, vel abrasio, sed auulsio potius dicenda, ab ipsis Gentilibus etiam condemnatur, vt de Iulio Cæsare & Othone Suetonius memoriæ prodidit. Tertullianus [f] etiam huiusce modi notat, cum ait: Barbam acrius cædere, interuellere, circumdare capillum & componere, &c.] chirurgi enim instrumento, quod dicebatur volsella, & alijs medicamentis (vt idem [g] auctor testatur) femineum vultum penitus affectabant. Ceterum barbæ illa abrasio, quæ more maiorum absque fuco arteve simpliciter facta esset, æque communis Romanis omnibus erat. Quinetiam inter Græcos nonnullos in suis ipsorum regionibus, quo se Romanorum studiosos esse signo aliquo præseferrent, testatur Dio [h], consueuisse contra Græcorum omnium suorumq. gentilium consuetudinem, barba rasos incedere more Romano: quod plus ceteris, qui Romæ agerent, præstitisse, nullus iure poterit dubitare. B C D

c Clem. Alex. in Pædag. lib. 3.
d Gell. lib. 3. cap. 4.
e Dio in Hadr.
f Tertull. lib. de cultu fem. c. 8.
g Idem lib. de pallio c. 4.
h Dio Chrysost. orat. 36.

CXL. ROMANI CLERICI BARBA RASI.

CXLI. OCCIDENTALES CLERICI BARBA RASI.

Verum istud ipsum quod agerent Romanæ Ecclesiæ Christiani, præstitisse etiam ceteros orbis Occidentalis Fideles, eosdemq. libenter esse imitatos vnde descenderent, facile existimare quis poterit. Nam de sacerdotibus Galliarum perspicuum est, barba rasos fuisse. Est de ea re manifestum exemplum in Sidonio Apollinari [i], qui de Germanici Episcopi Cantillanensis corporis cultu sic scribit: Vestis adstricta, tonsus cothurnus, crinis in rotæ speciem accisus, barba intra rugarum latebras mersis ad cutem secta forficibus.] Seruare igitur in his locorum consuetudinem, vt secundum cuiusque prouinciæ mores, vel barbati, vel attonsi barbis incederent sacerdotes, velut lege quadam fuisse præscriptum, ex eo saltem potest facile perspici, quòd cum sæpissime Occidentales vna cum Orientalibus sacerdotibus ad publicos conuentus Episcopi conuenissent, nullum vmquam de his aduersus se inuicem negotium factum, neque vlla prorsus exorta eius rei gratia controuersia reperitur: ratis nimirũ omnibus id esse legitimum, E

i Sidon. lib. 4. epist. 13.

quod quisque pro more suorũ gentilium facere videretur. Qui primus omnium hæc de barba exprobrare Latinis sacerdotibus ausus est, Photius schismaticus Episcopus Constantinopolitanus fuit, de his scribens ad Nicolaum Rom. Pontificem: hæc, inquam, præsumpsit homo schismaticus, cum alioqui ipse esset eunuchus glaber.

CXLII. BARBAM RADENDI MOS DIV ILLIBATVS PERMANSIT.

Ad quodnam vero tempus apud Romanos eiusmodi vsus radendi barbas perseuerarit, haud est facile definire. Constat tamen, regnantibus etiam Gothis in Italia, eumdem morem esse seruatum: quamobrem Ennodius Ticinensis suis versibus vehementer exagitauit hominem, qui more Gothorum prolixam gestaret barbam, & secundum Romanorum consuetudinem lacernam indueret: hæc enim habet in Iouinianum his versibus:

Barbaricam faciem Romanos sumere cultus
Miror, & in modico distinctas corpore gentes.]

ac iterum:

Romuleam tegetem vox oris nubila fuscat:
Oppresit vestes tenebroso tegmine vultus.]

idemq. rursus:

Nobilibus collis genium male compta lacernis,
Discordes miscens inimico fœdere proles.]

hæc Ennodius in Iouinianum, quòd haberetur loco prodigij lacernatum hominem gestare barbam. Porro etsi sensim pristinus ille immutatus est vsus, cum barbari Romæ atque in Italia diutius morarentur: tamen quod ad clericos spectat, sic viguit eius rei obseruantia, vt non viuere more maiorum, fere religio haberetur; sicq. factum est, vt penes eos eiusdem rei vsus inuiolatus & constans plurimis sæculis perduraret, monentibus id præsertim Romanis Pontificibus. Extant enim eo argumento scriptæ litteræ Gregorij Papæ Septimi ad Iacobum Episcopum Calaritanum, iubentis vt clericos suos omnes barbam radere cogeret, idq. ex maiorum consuetudine vindicantis, affirmantis nimirum ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ id illibate esse seruatum: idemq. de ipsdem etiam ad Ducem Sardiniæ dedit epistolam: hæcq. omnia anno Domini millesimo octuagesimo, tertio Non. Nouembr. Indictionis quartæ. Sed his iam pene contrarius irrepsit vsus, nec constans habetur vbique ritus; cum alij tondeant, radant alij, alij rursus barbam promittant, absque iactura fidei vnusquisque abundans in sensu suo. Sed iam ad Paulum, cuius tonsuræ occasione ad hæc elucidanda digressi sumus, agentem Hierosolymis reuertamur.

CXLIII. *a Act. 21.* DE FERIATIONE PENTECOSTES. *b Exod. 12. Leuit. 23. Deut. 16.* *c Philo in Decalog.*

Post oblatum sacrificium Nazaræorum, septem intercessisse dies vsque ad Pauli vincula, Lucas [a] testatur: qua in re illud necessario admonendum putamus, complures errore lapsos existimasse, sicut in Paschali festo atque solemnitate Tabernaculorum, ita & in Pentecostes celebritate septem dies sequentes feriari solitos esse: quod quidem in Paschate & Scenopegia esse verum, diuina Scriptura testatur [b]; de Pentecoste autem nulla vsquam habetur mentio. Nec est quòd dici possit, id his Apostolorum temporibus ex consuetudine seruari solitum: quandoquidem Philo [c] horũ æqualis plane testatur, duabus illis solemnitatibus tantummodo, & non in alijs festis addi septimanam dierum; rationemq. mysterij reddit his verbis, postquam locutus est de festo Pentecostes, nonnisi diem vnum habente: Septenario vero, inquit, attributa sunt festa maiora, quæ plures dies postulant: tunc cum annus distinguitur duobus æquinoctijs, verno, autumnalique, & septeni dies festi aguntur: verno tempore, vt segetes ad maturam frugem perueniant: autumnali, vt omnes arborei fructus colligantur, conuehanturq. feliciter. Septeni autem dies dantur his festiuitatibus propter menses septenos vtriusque æquinoctij; vt cuique mensi honor suus contingat otio hilaritateq. vnius diei.] hæc Philo: ex quibus magis ac magis Actorum locum illum habes elucidatum, quo dicitur: Dum complerentur dies Pentecostes.] quæ verba perperam aliqui interpretati, intellexerunt de septem diebus Pentecosten sequentibus. Sed de his superius satis.

CXLIV. *d Act. 21.*

Cum igitur (inquit Lucas [d]) septem dies consummarentur; hi qui de Asia erant Iudæi, cum vidissent Paulum in templo, concitauerunt omnem populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israelitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, & omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in tem-

in templum, & violauit sanctum locum istum. Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem æstimauerunt quoniam in templum introduxisset Paulus.] Sed quod ad Trophimum pertinet; magna suboritur dubitatio, quomodo Trophimus Hierosolymis erat cum Paulo, quem ipsius Pauli testimonio [a] constat relictum fuisse infirmum Mileti. Sequenti enim anno, cum ipse Paulus Romam venisset, secundam ad Timotheum scribens epistolam, testatur se reliquisse Mileti Trophimum ægrotantem: nec dubium quin in hac nauigatione, qua hoc anno ex Macedonia Troadem, & inde in Syriam nauigauit, quando & cum ceteris adfuisse Paulo Trophimum Lucas [b] affirmat. Nam in nauigatione posteriori, qua Paulus Hierosolymis vinctus ductus est Romam, quam exacte per cunctas stationes Lucas [c] recensет, Miletum nullo modo appulisse ponit, nec potuit. Vnde in eam sententiam ire cogimur, vt dicamus, vel hunc Trophimum esse diuersum ab illo (quod non credimus: non enim nisi vnus Trophimus ab omnibus Pauli discipulus ponitur, idemq. qui Ephesius & Asianus ab eodem Luca [d] nominatur) vel in epistolæ locum illum irrepsisse mendum: vt quod dicit, Trophimum reliqui infirmum Mileti] dicere velit, Melitæ: sicut & restituendus videtur locus ille Actorũ [e], vbi quod in aliquibus codicibus legitur: Cognouimus quia Mitylene insula vocaretur] sit legendum, Melita. Sed iam cetera contra Paulum a Iudæis Hierosolymis acta persequamur.

DE TROPHIMO.

a 2. Tim. vlt. *b Act. 20.* *c Act. 27.* *d Act. 20. & 21.* *e Act. 28.*

CXLV. PAVLVS A IVDAEIS CAPITVR

Commota post hæc (ait Lucas [f]) ciuitas tota, & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum, & statim clausæ sunt ianuæ. Quærentibus autem eum occidere, nunciatum est Tribuno cohortis, quia tota confunditur Hierusalem. Qui statim assumptis militibus & Centurionibus, decurrit ad illos. Qui cum vidissent Tribunum & milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens Tribunus, apprehendit eum, & iussit eum alligari catenis duabus: et interrogabat quis esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum venisset ad gradus, contigit vt portaretur a militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi, clamans: Tolle eum. Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te? Qui dixit: Græce nosti?] Græce enim Paulum esse allocutum Tribunum apparet. Quamobrẽ admiratus ille, hæc subdit: Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultũ concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum?] hæc Lucas. At nemo miretur si intra templum Paulus esse comprehensus dicatur: nam adeo infelicia erant illa tempora, vt aucta in immensum sicariorum multitudine, non vererentur in ipso templo cædes patrare, prout superius, cum actum est de Ægyptio mago, cuius nomine Tribuno Paulus in suspicionem adducitur, ex Iosepho [g] est historia ricitata. Vt igitur ea calumnia de mago Ægyptio Paulus se ipsum purgaret, mox defensionem instituens, se non Ægyptium, sed Cilicem, Tarso oriundum esse aperuit, dicens [h]: Ego homo sum quidem Iudæus a Tarso Ciliciæ non ignobilis ciuitatis municeps.] Mira quidem Apostoli modestia, dum sic se illata calumnia liberat, vt nihil tamen se efferat: nã cum se esse ciuem Romanum, & in Iudæos, qui eum verberassent, crimen retorquere potuisset, hæc tacuit, & nonnisi extrema cogente necessitate aperuit.

f Act. 21. *g Ioseph. antiq. lib. 20. c. 6.* *h Act. 21.*

CXLVI. *i Act. 22.* PAVLVS AGIT CAVSAM SVAM CORAM TRIBVNO.

Rogata interim a Tribuno loquendi ad populum facultate, sic Hebraica Paulus orsus est lingua [i]: Viri fratres & patres, audite, &c.] Describit eam orationem integre Lucas: qua in primis Paulus cum de suis natalibus populum admonuisset, suamq. educationem sub Gamaliele eos pariter docuisset, ac simul declarasset studium & officium suum erga Moysis legem & paternas traditiones: quomodo tandem ad Christum conuersus sit admirando ac manifesto Dei consilio, eosdem qui aderant reddidit certiores. Cumq. dicere cœpisset, quomodo & a Domino iussus esset prædicare Euangelium Gentibus: statim ad hæc verba excitatus est furor & impetus Iudæorum: Et leuauerunt (inquit Lucas) vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi: non enim fas est eum viuere. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus vestimenta sua, & puluerem iactantibus in aerem (*erant hæc enim signa furentium & implacabilium penitus animorum, vindictam verbis factisq. poscentium*) Tribunus iussit adduci eum in castra, & flagellis cædi, atque torqueri eum, vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei.] hæc Lucas.

CXLVII.

Cum igitur Paulus implacabiles Iudæorum animos, atque adeo obduratos, vt nul-

Universidad de Deusto
Biblioteca

la possent ratione permoueri, conspiceret; Tribunumq. erga eos propensiorem videret, atque paratum ex illorum sententia experiri: iam flagellis cædendus, atque eius iussu torquendus, opportune se ciuem esse Romanum aperuit. Rem gestam his paucis Lucas describit: Cum adstrinxissent eum loris, dicit adstanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito, Centurio accessit ad Tribunum, & nunciauit, dicens: Quid acturus es? hic enim homo ciuis Romanus est. Accedens autem Tribunus, dixit illi: Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit Tribunus: Ego multa summa ciuitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum.] Sed quanam ratione Paulus se natum dicit ciuem Romanum? Non alia quidem, nisi quod nuper ad Iudæos pro concione dixerat, se Tarsi Ciliciæ ortum esse: Ego, inquiens, sum vir Iudæus, natus Tarso Ciliciæ.] et paulo ante coram Tribuno, se municipem Tarsensem esse professus erat. Porro ille dicebatur municeps, qui in eodem municipio (vt Vlpianus docet[a]) natus esset. Tarsus enim Ciliciæ metropolis ius municipale a Romanis fuerat consecuta, ac ea de causa colonijs quoque præstabat (erant in Cilicia duæ tantum coloniæ, Selinus, & quæ postea accessit, Traianopolis, vt idem auctor affirmat[b]) Municipes enim non tantū vt coloni dicebantur ciues Romani, sed etiam (vt idem Vlpianus tradit[c]) munerum honorariorum participes esse poterant. Præstabāt insuper (vt auctor est Gellius[d]) colonijs municipia, quòd illæ legibus Romanorum cogerentur viuere, municipia vero suis legibus antiquis patrijsq. moribus agere sinerentur.

PAVLVS CLAMAT SE CIVEM ROMANVM.

a l. Munic. ff. de verb. sig.

b l. 1. in fin. ff. de Censi.
c l. 1. ff. ad Municip.
d Gell. lib. 6. c. 13.

CXLVIII. TARSVS MVNICIPIVM.

Vt autem Tarsus municipium diceretur Romanorum; eam ciues promeuerant dignitatem, quòd in bello ciuili Cæsari primum ac deinde Octauio studuissent, multaq. ea de causa passi essent: adeo enim Cæsarianis partibus ciuitas fauit, vt pro Tarso, mutato nomine, tunc dicta fuerit (quod testatur Dio Cassius[e]) Iuliopolis. Ad hæc plane alludit alius Dio cognomento Chrysostomus, dum in sua Tarsica posteriore hæc ait: Vobis, viri Tarsenses, obtigit, vt primi sitis in hac gente: non solum quòd maximam omnium in Cilicia inhabitetis ciuitatem, & metropolim ab initio; verum etiam quòd Cæsarem secundum super omnes habuistis, optime vobis volentem & familiarem. Infortunium enim, quod ciuitati illius causa acciderat, merito eum vobis beneuolum fecerat, vtq. daret operam, quo maiora in vos sua apparerent beneficia, quàm calamitates propter eum acceptæ. Quapropter ea omnia quæ quis amicis vere, & socijs, & tantam ostendentibus alacritatem præstaret, ea & ille vobis præstitit, terras, leges, honorem, potestatem, &c.] hæc Dio: ex quibus apparet Tarsenses amplissimis iuribus cum ciuitate Romana fuisse donatos. Sed nec de Tarsensibus dicere prætermittimus, quæ tradit Strabo[f] de eorum ardentissimo studio erga liberales disciplinas, quas præ ceteris excolere viderentur: vt non mireris, si Paulus Tarsensis ciuis adeo insigniter excultus fuerit Græcorum litteris. quo enim hæc planius accipiantur, addemus verba Strabonis sic dicentis: Tantū autem Tarsensibus studium rerū philosophicarū & disciplinarum, quas Encyclias dicunt, incessit, vt superauerint Athenas & Alexandriam, & si quis alius nominari potest locus, vbi philosophorum & artium ad humanitatem pertinentium scholæ haberentur. Id interest, quòd Tarsi qui studia ista colunt, fere sunt indigenæ, peregrini non facile eo ventitant. At indigenæ domi non desident, sed vt perfectionem consequantur, peregre abeunt: profectiq. libenter in alienis versantur locis: domum redeunt pauci.] hæc Strabo, qui & post multa hæc addit: Maxime autem Roma docere potest, quàm multos Tarsus prōtulerit litteratos, cum sit Tarsensium & Alexandrinorum plena.] Paulus itaque Tarsi natus, cum Gentilium illic scientias, quibus non leuiter tinctus, sed apprime imbutus erat, assecutus plene fuisset; quòd gente Iudæus esset, ad Iudæorum metropolim, vt (quod ipse testatur) sacris disciplinis a Gamaliele abundantius erudiretur, profectus est. Fabulam autem illam (sic enim eam nominat Hieronymus in suo commentario in epistolam ad Philemonem) de Paulo nato Giscalæ, superius satis superq. refellimus, cum de eius natalibus egimus.

e Dio lib. 47.

f Strabo lib. 14.

g Valer. Max. lib. 4. c. 1.

CXLIX.

Paulus igitur cum se ciuem esse Romanum docuisset, a præparatis sibi flagellis eximitur: antiquo enim iure Romanorum nefas erat ciuem Romanum subijcere flagellis, seu virgis. Id primum statuit lata lege Valerius Publicola[g]; id ipsum lege Porcia[h], ac postea lege Sempronia est magis magisq. firmatum. Eædem apud Ciceronem que-

h Cic. pro Rabir. Vide Sigon. de iure antiq. Rom. lib. 1. c. 6.

relæ

relæ reperiuntur expostulantium in Verrem, atque clamantium se esse ciues Romanos, cū in municipes itidem ab illo virgæ admouerentur. Testatur enim id Cicero, cum ait: Nulla vox audiebatur, nisi hæc: Ciuis Romanus sum.] A flagellis ergo in hunc modum Paulo libero, postera die idem Tribunus (ait Lucas) volens scire diligentius qua ex causa accusaretur a Iudæis, soluit eum, & iussit sacerdotes conuenire, & omne Concilium: et producens Paulum, statuit inter illos.] erat nempe coactum magnum Concilium, quod Lucas dicit omne Concilium: illud Sanedrin semigræce Iudæi, Græci vero Synedrin appellabant. Quid autem ibi sit factum, Lucas[a] his verbis enarrat: Intendens autem in Concilium Paulus ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum vsque in hodiernum diem.] Ita exorsus, antequam vlterius produceret orationem, Princeps sacerdotum Ananias (inquit Lucas) præcepit adstantibus sibi, percutere os eius. Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti? Et qui stabant, dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. Scriptum est enim[b]: Principem populi tui non maledices.] hæc Lucas.

a Act. 23.

b Exod. 22.

CL. DE SVMMO PONTIFICATV ANNAE.

Sed quam, rogo, prætexere potuit Paulus excusationis causam, quòd nescisset Ananiam esse summum Pontificem? numquid in magno illo Septuagintaduorum consessu prima sedes non erat summi sacerdotis? Sed hæc cum illa, de qua superius actum est, iungitur quæstione: cur videlicet idem Lucas[c] primores eiusdem consessus recensens, primo loco Annam, secundo vero Caipham summum Pontificem, ac demum ceteros alibi ponat? Meminisse itaque debemus quæ & ibidem & alias præfati sumus; non tantum summum Pontificem interesse consueuisse, primumq. locum sibi vendicasse post Septuaginta illos duos; sed & summum magistratum illum, qui præesset Concilio, dictum Principem sacerdotum, & ipsum tenuisse principem locum: sicq. hos duos, summum sacerdotem, & Principem sacerdotum, se habuisse eo consessu, vt olim in prima institutione ipsius Moyses & Aaron: non sic tamen, vt ante summū sacerdotem Princeps sacerdotum assideret, sed duobus consessibus dispositis in vtrisque lateribus, quisque horum primo loco sederet. sicq. merito Paulus, quòd numquam hactenus in eo conuentu causam dixisset, recensq. Hierosolymam aduenisset; vter nam duorum summus sacerdos esset, ignorasse facile potuit. Videas insuper, ex his quæ Lucas, qui tunc aderat Hierosolymis (venerat enim vna cum Paulo & alijs discipulis ex Asia) hic scribit, manifesti erroris Iosephum redargui; dum summum pontificatum Ananiæ non sub Nerone, sed sub Claudio ponit[d]; nimirum quem ante annum octauum eius Imperij creatum tradit, reumq. seditionis a Quadrato Syriæ Præside vinctum fuisse missum Romam a Claudio iudicandum. Sub Nerone autem idem auctor[e] ponit Ionatham, quem Felix arte sicariorum e medio sustulit: quo sublato, tradit[f] suffectum fuisse Ismaelem, quem vult his vltimis Felicis temporibus præfuisse Pontificem maximum. At quis æquus arbiter non magis Lucæ consentiat, qui hæc præsens oculis spectauit (erat enim ipse, vt dictum est, Hierosolymis vna cum Paulo) quàm Iosepho, qui vltimis Domitiani temporibus (vt ipse testatur in fine librorum Antiquitatum Iudaicarum) suam conscripsit historiam? Nec enim est quòd dici possit, Annam, siue dixerimus Ananiam, Principem sacerdotum, fuisse præfectum illi Concilio, non autem summum Pontificem. Nam re vera summum fuisse Pontificem, adstantes Iudæi testati sunt verbis illis, quæ recitat S. Lucas: Summum sacerdotem Dei maledicis?] sed hæc satis. Prosequitur Lucas[g]:

c Act. 4.

d Ioseph. antiq. lib. 20. c. 3.

e Ioseph. antiq. lib. 20. c. 6.

f Idem ibid.

g Act. 23.

CLI. IVDAEORVM INSIDIAE IN PAVLVM.

Sciens autem Paulus, quia vna pars esset Sadducæorū, & altera Pharisæorum, exclamauit in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum: de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo.] Res accidit ex sententia: nam altercantibus mutuo Pharisæis ac Sadducæis de proposita quæstione, Paulus e Concilio abijt indemnatus. Facta autem die (idem subdit Lucas) collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se: dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem plusquā quadraginta viri qui hanc coniurationem fecerant: qui accesserunt ad Principes sacerdotum & seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo vos notum facite Tribuno

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Concilio, vt producat illum ad vos, tamquam aliquid certius cognituri de eo. A
Nos vero, priusquam appropiet, parati sumus interficere illum. Sed cum audisset filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit in castra, nunciauitq. Paulo. Vocans autem Paulus ad se vnum ex Centurionibus, ait: Adolescentem hunc perduc ad Tribunum; habet enim aliquid indicare illi. Et ille quidem assumens eum duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogauit me hunc adolescentem perducere ad te, habentem aliquid loqui tibi. Aprehendens autem Tribunus manum illius, secessit cum eo seorsum, & interrogauit illū: Quid est quod habes indicare mihi? Ille autem dixit: Iudæis conuenit rogare te, vt crastina die producas Paulum in Concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo. Tu vero ne credideris illis: insidiantur enim ei ex eis viri amplius quàm quadraginta, qui se deuouerunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati sunt, expectantes promissum tuum. Tribunus igitur B
dimisit adolescentem, præcipiens ne cui loqueretur quoniam hæc nota sibi fecisset. Et conuocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, vt eant vsque Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos a tertia hora noctis: et iumenta præparate, vt imponentes Paulum, eum saluum perducerent ad Felicem Præsidem. Timuit enim, ne forte raperent eum Iudæi, & occiderent, & ipse postea calumniam sustineret, tamquam accepturus pecuniam. scribens epistolam continentem hæc:

CLII. EPISTOLA CLAVDII AD FELICEM.

Claudius Lysias optimo Præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum a Iudæis, & incipientem interfici ab eis, superueniens cum exercitu, eripui, cognito quia Romanus est. Volensq. scire causam quam obijciebant illi, deduxi eum in Concilium C
eorum. Quem inueni accusari de quæstionibus legis ipsorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen. Et cum mihi perlatum esset de insidijs quas parauerant illi, misi eum ad te, denuncians & accusatoribus, vt dicant apud te. Vale.]

CLIII. PAVLVS PERDVCTVS CAESAREAM CAVSAM AGIT CORAM FELICE.

Quæ vero post hæc sint secuta, idem Lucas sic describit: Milites vero secundum præceptum sibi, assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem: et postera die dimissis equitibus, vt cum eo irent, reuersi sunt ad castra. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam Præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autem, & interrogasset de qua prouincia esset, & cognouisset quia erat de Cilicia: Audiam te, inquit, cum accusatores tui venerint. Iussitq. in prætorio Herodis custodiri eum. Post quinque autem dies (subdit Lucas [a]) descendit Princeps sacerdotum
a Act. 24. Ananias cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam oratore: qui adierunt Præsidem aduersus Paulum. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam prouidentiam: semper & vbique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne diutius autem te protraham; oro breuiter, vt audias nos pro tua clementia. Inuenimus hunc hominem pestiferum, & concitantem seditiones omnibus Iudæis in vniuerso Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazaræorum: qui etiam templum violare conatus est: quem & apprehensum voluimus secundum legem nostram iudicare. Superueniens autem Tribunus Lysias, cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, iubens accusatores eius ad te venire: a quo poteris ipse iudicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere. D

CLIV. PAVLI DEFENSIO.

Respondit autem Paulus (annuente sibi Præside dicere:) Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia E
non plus sunt mihi dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Hierusalem. Et neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate: neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio Patri Deo meo, credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum. In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in gentem meam veni, & oblationes, & vota: in quibus inuenerunt me purificatum in templo, non cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse, & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant, si quid

A si quid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in Concilio; nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans: Quoniam de resurrectione mortuorum ego iudicor hodie a vobis.] hucusque Paulus. Distulit autem (inquit Lucas) illos Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Iussitq. Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis prohibere ministrare ei.

CLV.

Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia & castitate, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te. simul & sperans quòd pecunia ei daretur a Paulo; propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum
B eo.] Conceperat hanc de pecunia spem Felix, quòd audierat ingentem pecuniarum vim Paulum secū attulisse Hierosolymam, vt erogaret in pauperes: quamobrem eum prædiuitem fuisse hominem est opinatus. Quòd vero idem ipse iudex, hominis rei verbis auditis de castitate atque futuro iudicio, fuerit tremore affectus; mala sua ipsius conscientia formidante & expaueſcente immensa a se patrata crimina, id accidisse, certissimum est. Mulierosus nimis vir erat: quippe qui, vt in his animi sui libidini satisfaceret, nullam prorsus religionis vel legum rationem habebat. Et vt non longe de ea re petamus exemplum: ipsa quæ aderat Drusilla vxor eius, cuius causa putamus Paulum eam de castitate & futuro iudicio orationem instituisse, filia senioris Agrippæ Regis, & iunioris Agrippæ soror, cum nupta olim fuisset Emesenorum Regi circumciso, Azizo nomine; Felix Præses, audita eius egregia pulchritudine, ipsius amore captus, solicita-

OPPORTVNA PAVLI CONCIO.

C uit eam per quemdam Iudæum Cyprium, Simonem nomine, egitque, vt marito relicto, sibi nuberet: sicq. illa nihil verita patriam religionem, Ethnico homini concubina, nomine tamen vxoris adhæsit. Porro rem gestam Iosephus [a] pluribus narrat, additq. ex eodem Felice illam filium genuisse, cui nomen, Agrippa, imposuit. Tacitus [b] vero hæc de eodem habet: Felix per omnem sæuitiam & libidinem ius regium seruili ingenio exercuit, Drusilla Cleopatræ & Antonij nepte in matrimonium accepta, vt eiusdem Antonij Felix progener, Claudius nepos esset.] hinc est quòd Suetonius [c] eumdem Felicem trium Reginarum maritum appellat: quem ex liberto Claudij ad amplissimos fuisse prouectum honores tradit; quippe qui Pallantis illius, penes quem temporibus Claudij summa rerū erat, germanus esset. meminit & amborum Seneca [d].

a Ioseph. antiq. lib. 20. c. 5. & de bello Iud. lib. 2. c. 10.
b Tacit. lib. 12.
c Suet. in Claudio c. 28.
d Seneca in ludo de morte Claudij.

CLVI.

Quid insuper his diebus vltimis magistratus Felicis ibidē Cæsareæ contigerit de Iu-
D dæis atque Gentilibus simul digladiantibus, rem gestā verbis Iosephi descriptissimus, qui & subdit [e]: Ceterum postquā Felici successor Porcius Festus a Nerone missus est, primores Iudæorum Cæsaream incolentium, Romam profecti sunt, Felicem accusaturi: dedissetq. pœnas iniuriarum, quibus Iudæos affecerat, nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tunc in pretio erat apud Principem.] hæc ille: sed an hæc de Pallante vera sint, relinquimus lectoris arbitrio. Nam auctore Tacito [f], qui res gestas per annos singulos, Consulum ordine, summa industria est prosecutus, exploratum habetur, Pallantem Felicis fratrem, ipso primo anno Neronis, quòd ab eius gratia excidisset, sublatum esse a cura rerum, redditumq. penitus iam cum ipsi Neroni tum etiam Agrippinæ infensum: quippe qui (vt idem ait Tacitus) tristi arrogantia modum liberti egressus, tædium sui mouisset.

e Ioseph. antiq. lib. 20. c. 7.
f Tacit. Annal. lib. 13.

CLVII. IOSEPHI NAVIGATIO ROMAM

E Cum vero adhuc Felix esset in magistratu, contigit ipsius Iosephi Iudæi historici peregrinatio Romam: causam autem cur eam susceperit, sic ipse scribit in Vita sua: Quo tempore Felix in Iudæa Procurator erat, sacerdotes quosdam mihi familiares, viros honestos & bonos, ob leuem quamdam culpam vinctos Romam misit, acturos causam suam apud Cæsarem. Quos vt aliquo pacto eriperem periculo, præsertim cum audirem ne in calamitate quidem constitutis curam pietatis excidisse, & ficis & nucibus eos vitam sustentare: veni Romam, multis in mari hausti periculis. Mersa enim nostra naui in medio mari Hadriatico, circiter sexcenti per totam noctem natauimus: et diluculo demum Cyrenaicam nauem, Deo fauente, conspicati octoginta ferme nostrum, feliciore vsi natatu, in eam recepti sumus. Ita seruatus, Dicæarchiam, siue Puteolos (vt Itali vocare malunt) veniens, familiaritatem contraxi cum Alituro mimorum actore, qui Iudæus genere, Neroni carus erat: per quem vbi Poppææ vxori Cæsaris innotui,

Universidad de Deusto
Biblioteca

innotui, confestim per eam impetraui absolutionem illis sacerdotibus: magnisq. præterea donatus ab ea muneribus, in patriam reuersus sum.] hucusque de se Iosephus. Sed subijt in animum non leuis suspicio, num illi ipsi, quos tradit ficis & nucibus vitam sustentasse, vinctosq. Romam a Felice missos ad dicendam causam, ijdem sint qui iurantes deuouerunt se non manducaturos neque bibituros, donec interficerent Paulum: in quos delatos animaduersurus Felix (sicut de multis alijs accidisse idē testatur Iosephus) eos puniendos Romam miserit: sicq. qui iurassent non manducare; cum minus voti compotes facti essent, abstinentes a pane, tantum arida comederent, ne penitus interirent. Sed quòd agamus coniectura, nihil certi affirmare præsumimus.

CLVIII. IOSEPHI AETAS.

Sed quærendum, cum id contigerit vltimo anno præfecturæ Felicis (nam, vt proxime dicturi sumus, subrogatus est hoc anno Festus in locum eius) quanam, quæso, ratione Iosephus hæc scribens, tempore sui aduentus Romam sub Felice se egisse testatur annum suæ ætatis supra vigesimumsextum: cum idem ipse in exordio suæ Vitæ, se natum dicat anno primo Caij Imperatoris? nam ab eo tempore vsque ad annum vltimum præfecturæ Felicis, qui est secundus Neronis Imperij, viginti tantummodo numerantur anni. Sicq. videas, in his etiam quæ suæ ætatis sunt, suo ipsius testimonio ipsum conuinci annorum sex numero turpiter errantem. Si igitur in suæ ætatis annis, eos ad calculum redigendo, adeo immemor reperitur: quis est qui admiretur, si in ceteris scribendis temporibus, sæpe sæpius a nobis patenter, immo & testimonio sui ipsius, sit deprehensus errasse? Quòd vero Felix hoc ipso anno suæ functionis munus absoluerit, successorem accipiens Porcium Festum, Acta in primis testantur, dum hæc habent de eiusdem Felicis præfectura: Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Porcium Festum.] Porro hoc biennium intelligendum est de Neronis Imperio, ad quod vsque tempus Felix eam administrauit prouinciā: non autem quòd idem tantum biennio eo perfunctus sit munere; quippe qui (vt vidimus) iam a Cumani temporibus, a Claudio Imp. in eamdē prouinciā missus fuerat: vnde ipsum alloquēs Paulus merito dixit [a]: Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, &c.] Sic igitur expleto biennio eius functionis sub Nerone, qui hoc anno sub dictis Coss. pridie Idus Octobris exacto sui Imperij biennio, iam tertium inchoarat annum, Festus successit Felici. Verum nec ratio aliqua persuadet, amplius biennio Neronis, Felicem in prouincia remansisse: redacto enim semel in ordinem Pallante fratre, penes quem erat summa rerum, cuius (vt ex Tacito vidimus) patrocinio ac studijs fouebatur, nec res Felicis diutius substitisse, facile est opinari, cum Iudæorum præsertim accusationibus assidue esset exagitatus. Nulla ergo auctoritate suffragante vel ratione, immo his omnibus contradicentibus, Iosephus de annis suæ ætatis affirmat, se nimirum agentem annum ætatis supra vigesimumsextum, sub Felice Iudææ Præside Romam venisse: nam ea ratione vsque ad octauū Neronis annum perseuerasse Felicem in prouincia, dicere oporteret: cum id falsum esse, sua [b] ipsius assertione manifestum sit: nam ait Cestium Florū anno Neronis decimo in eamdem prouinciam Præsidem missum esse, quem præcessit Albinus, & ante eum Porcius Festus Felicis successor: quos plures annos in eodem magistratu insumpsisse, certum est; nimirum (vt auctor est Eusebius) Festum annos quatuor, & Albinum fere totidem, vsque scilicet ad Neronis annum decimum, quo subrogatus est Florus. Post extinctum igitur Claudium, cum nondum sub Nerone mutatus esset status Pallantis, litteris noui Imperatoris prorogatam fuisse Felici prouinciam ad biennium, certo constat: quo (vt numerat Lucas) expleto, successorem idem accepit Porcium Festum. Hæc vero tam exacte oportuit exquisisse, non tam vt Iosephus adeo patentis arguatur erroris, quàm vt in omnibus consultum sit historicæ veritati a Luca descriptæ.

a *Act.* 24.

b *Ioseph. antiq. lib.20.c.9.*

CLIX. DE BIENNIO FELICIS.

Ex his enim omnibus etiam illi erroris arguuntur, qui biennium illud, quod Lucas ponit, referendum esse dicunt ad tempus quo ante Festi aduentum Paulus Cæsareæ sub Felice egit; putantes nimirū tot annos illic a Felice Paulum esse detentum, quem illuc veniisse putant ante biennium, ac denique anno secundo Neronis Romam missum esse. Verum cum ante biennium Claudium mortuum esse, Neronemq. illi successisse, superius sit aperte satis demonstratum; ac Paulum quoque non ante hunc annum Hierosolymam aduenire potuisse, sit pariter declaratum: satis patere videtur, nec Paulum ante præsentem annum venisse Hierosolymam, nec tardius quàm hoc ipso anno eum, quòd appellasset Cæsarem, missum fuisse Romam. Alioqui secundum priorem assertionem, dicendum

dicendum esset, non anno secundo Neronis Paulum a Festo esse dimissum ad Cæsarem, sed eiusdem Imperij anno quarto: quod repugnat his quæ tum a Hieronymo [a] scribuntur in Chronico, tum ab alijs; id nempe contigisse secundo Neronis anno, a passione vero Christi vigesimoquinto. Suadet hoc ipsum & illud maxime: nam si quis exacte consideret, Lucam ipsum, quòd præsens esset, adeo distincte & exacte scripsisse res gestas Pauli, ex quo venit Hierusalem, vt nec diem vnum præteriisse videatur, narrans quid per singulos ferme sit gestum: quænam ratio subijt, vt idem auctor, qui tam quæ superius gesta sunt, quàm quæ postea sunt subsecuta, per dierū pene singulorum distinctionem recenseat, sicq. faciat vsque ad eiusdem aduentum Romam; idem inquam ipse eodem historiæ contextu relinqueret duorum annorū spatium prorsus obuolutum silentio; cum præsertim in enarrandis non tantum rebus gestis, sed etiam singulis verbis, tota ea narratione sit intentissimus? At de his hactenus.

a *Hier. de Script. Eccles. in Paulo.*

CLX. ESTI PRAEFECTVRA.

Quæ vero acciderint [b] postquam Porcius Festus in locum Felicis suffectus est, Lucas singillatim recenset, sic dicens: Festus ergo cum venisset in prouinciam, post triduum ascendit Hierosolymam a Cæsarea. Adieruntq. eum Principes sacerdotum & primi Iudæorum aduersus Paulum, postulantes gratiam aduersus eum, vt iuberet perduci eum in Hierusalem: insidias tendentes, vt interficerent eum in via. Festus autem respondit, seruari Paulum in Cæsarea, se autem maturius profecturū. Qui ergo in vobis, ait, potentes sunt, descendentes simul, si quod est in viro crimen, accusent eum. Demoratus autem inter eos dies non amplius octo aut decem, descendit Cæsaream: et altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulum adduci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Hierosolyma descenderant Iudæi, multas & graues causas obijcientes, quas non poterant probare; Paulo rationem reddente: Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui. Festus autem volens gratiam præstare Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari. Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si vero nihil est eorum quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio locutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.]

b *Act.* 25.

CLXI. DE PAVLI APPELLATIONE.

Considerans hæc omnia quæ coram Felice ac Festo suæ defensionis causa Paulus egit, Augustinus [c], hæc ait: Neque enim Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei; quando contra illos qui eum occidere conspirauerant, consilium illorum Tribuno vt proderetur, effecit. Vnde factum est, vt eum ad locum, quo fuerat producendus, deduceret miles armatus, ne illorum pateretur insidias. Romanas enim leges implorare minime dubitauit, ciuem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemq. ne Iudæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris popposcit auxilium, Romani quidem Principis, sed non Christiani. Vbi satis ostendit, quid facere deberent postea Christiani dispensatores, quando Imperatores Christianos, periclitante Ecclesia, reperirent.] hæc Augustinus, pluribus inculcans, legitime agere Episcopos, qui aduersus hostes Ecclesiæ, Principum sæcularium implorant auxilium.

c *Aug. epist. 50. circa medium.*

CLXII. QVID AGRIPPA REX CVM FESTO.

His coram Festo peractis: cum dies aliquot (inquit Lucas [d]) transacti essent, Agrippa Rex & Berenice descenderunt Cæsaream ad salutandum Festum. Et cum dies plures ibi demorarentur, Festus Regi indicauit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus a Felice vinctus; de quo, cum essem Hierosolymis, adierunt me Principes sacerdotum, & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illum damnationem. Ad quos respondi: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumq. defendendi accipiat ad abluenda crimina. Cum ergo huc conuenissent, sine vlla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci virum. De quo, cum stetissent accusatores, nullā causam deferebant, de quibus ego suspicabar malū. Quæstiones vero quasdā de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autē ego de eiusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Hierosolymā, & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante vt seruaretur ad Augusti cognitionem, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit,

d *Act.* 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inquit, audies eum. Altera autem die, cum veniſſent Agrippa & Berenice cum multa ambitione, & introiſſent in auditorium cum Tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Feſto adductus eſt Paulus. Et dicit Feſtus: Agrippa Rex, & omnes qui ſimul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me Hieroſolymis, petentes & acclamantes, non oportere eum viuere amplius. Ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo autem hoc appellante, ad Auguſtum iudicaui mittere. De quo quid certum ſcribam domino, non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maxime ad te, Rex Agrippa, vt interrogatione facta, habeam quid ſcribam. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, & cauſas eius non ſignificare. Agrippa[a] vero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipſo.

a Act. 26.

CLXIII. PAVLVS CAVSAM AGIT CORAM FESTO ET AGRIPPA.

Tunc Paulus, extenta manu, cœpit rationem reddere.] Mos iſte omnibus erat, extenta manu perorare cauſas: quod nec tacuiſſe Lucas voluit, omnia ſingillatim recenſens. Apud Apuleium[b] etiam legimus, cauſas orantes extentam manum ſic componere conſueuiſſe, vt duobus infimis digitis concluſis, ceteros eminus porrigerent. Paulus igitur ſuam agens cauſam, quam Lucas recitat, habuit orationem grauiſſimis ornatam ſententijs: qua in eo potiſſimum verſatus eſt, vt qualem legis ſemper zelum habuiſſet, ſignificaret; eiuſq. cauſa etiam acerbiſſimo odio & diris cladibus infectatus fuerit Chriſtianos: ſed tandem diuinitus a Chriſto vocatus, aliam a prima prorſus diuerſam inierit vitæ rationem: nimirum, vt a quo iuſſus fuerat, Chriſtum Ieſum vbique gentium prædicaret. Hæc eo loquente (inquit Lucas[c]) & rationem reddente, Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule: multæ litteræ te ad inſaniam conuertunt. Et Paulus: Non inſanio, inquit, optime Feſte: ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor. Scit enim de his Rex, ad quem & conſtanter loquor: latere enim eum nihil horum arbitror: neque enim in angulo quicquam horū geſtum eſt. Credis Rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis. Agrippa autem ad Paulum: In modico ſuades me Chriſtianum fieri. Et Paulus: Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantū te, ſed etiā omnes qui audiunt, fieri tales, qualis & ego ſum, exceptis vinculis his. Et exurrexit Rex, & Præſes, & Berenice, & qui aſſidebant eis. Et cum ſeceſſiſſent, loquebantur ad inuicem, dicentes: Quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iſte. Agrippa autē Feſto dixit: Dimitti poterat homo hic, ſi non appellaſſet Cæſarem.] hucuſque Lucas.

b Apul. de Aſin. aureo lib. 2.

c Act. 26.

CLXIV. AGRIPPAE REGIS INTEMPERANTIA.

Opinor quidem, praui dæmonis inuidia factum, vt Agrippa Paulum dicentem non ſiuerit vlterius progredi; ne (quod fecerat apud Felicem) de iuſtitia, caſtitate, & iudicio futuro, qua Agrippam Regem potiſſimum ac Berenicem perſtringeret, inſtitueret orationem; ſed citius quàm oportuit, idem Rex conuentum ſoluerit. Berenices enim ſororis contubernio Agrippa vehementer eſt infamatus, de qua hæc Ioſephus[d]: Porro Berenice poſt Herodis obitum, qui idem maritus eius & patruus fuerat, aliquanto tempore in viduitate acto, cū ſpargeretur rumor cum fratre eam congredi, ſuaſit Polemoni Regi Ciliciæ, vt circumciſus prius ſe duceret: rata ſic ſe coargutura mendacium. Nec reculauit ille, inductus maxime mulieris diuitijs. Id tamen coniugium diuturnum non fuit, propter intemperantiam (vt fertur) diſcedente ab eo Berenice: qui mox deſertus ab vxore, ipſe Iudaicæ religionis deſertor factus eſt.] Eiuſdem meminit Iuuenalis[e], occaſione pret ioſiſsimi adamantis, his verſibus:

d Ioſeph. antiq. lib. 20. c. 5.

e Iuuen. ſat. 6.

deinde adamas notiſsimus, & Berenices
In digito fictus pretioſior: hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori,
Obſeruant vbi feſta mero pede ſabbata Reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.] hæc ille, qui quidem alludere videtur pretioſo lapidi illi, quem prius dedit Ptolemæus Ægypti Rex vxori ſimul & matri. verum Plinius tradit[f] fuiſſe topazion. Sed de Agrippa & Berenice ſatis.

f Plin. hiſt. nat. lib. 37. c. 8.

CLXV. NERO RESCRIPSIT CONTRA IVDAEOS.

At priuſquam de Pauli nauigatione Romam agamus, operæpretium ducimus, demonſtrare quis in præſentiarum eſſet rerum Iudaicarum ſtatus: ac in primis, quod ad Iudæos Cæſareæ habitantes ſpectat, quomodo contra eos Nero reſcripſerit, ius adimens ciuitatis: quæ Ioſephus ſic narrat[g]: Cæſarienſium etiam Syrorum duo præcipui, Beryllum, qui pædagogus Neronis fuerat, tunc vero Græcis ſcribendis epiſtolis præerat, magna pecunia corruperunt, vt impetraret ab Imperatore litteras, quibus abrogaretur

g Ioſeph. antiq. lib. 20. c. 7.

A garetur Iudæis eius ciuitatis ius, hactenus commune ex æquo cum Syris cohabitatoribus: id quod ille facile obtinuit. Ex his litteris poſtea calamitatū noſtrarum omniū cauſæ ortæ ſunt. Iudæi enim Cæſarienſes vbi cognouerunt quæ ſcripta ſunt, magis etiam perſtabant in ſeditionibus, donec initium belli conflatum eſt. Cum autem veniſſet (vt dictum eſt) in Iudæam Feſtus, offendit totam afflictam a latronibus vicos paſſim populantibus: quorum ferociſſimi appellati ſicarij, tunc ad maximum numerum excreuerant, vtentes gladiolis inſtar acinacis Perſici, incuruis, quales ſicas Romani nominant, vnde latronibus ipſis cognomen eſt inditum multorum cæde infamibus: qui (vt iam dictum eſt) feſtis diebus admixti turbæ vndique in vrbem confluenti religionis gratia, nullo negotio, quotquot collibuiſſet, tollebant de medio: aliquando etiam armati inuadebant inimicorum vicos, direptosq. tradebant incendio. Feſtus autem equeſtres &

B pedeſtres copias miſit contra quemdam impoſtorem magum, qui homines poſt ſe trahebat in ſolitudinem, deceptos vanis promiſſis, quaſi ope eius incolumes euaſuri eſſent a malis omnibus. Hi vniuerſi vna cum ſeductore ab immiſſis militibus oppreſſi ſunt.] hucuſque Ioſephus. En quàm iuſto rectoq. Dei iudicio, qui Chriſtum primo ſpreuiſſent ac crucifixiſſent, quiq. & eius Apoſtolos ſibi prædicantes in templo perſecuti eſſent, Iacobum occidiſſent, ac Paulum eorum ſalutem tot periculis redimere conantem infenſiſſimo odio proſequentes, in templo item comprehendentes, in eiusq. mortem coniurantes, mille modis perdere conati eſſent; nunc tam dira tamq. aſpera ac ſæua a ſicarijs, etiam in templo pati cogantur; & poſt magos illudentes abire, & in mortem malo impellente ſpiritu ferri, velut mutæ pecudes, compellantur. Sed leuia quædam hæc videri poſſunt præludia ingentium malorum, quæ ſunt poſtea ſubſecuta, de quibus ſuis locis

C agendum fuſius. Nunc vero (quod ad hæc ipſa ſpectat tempora) agendum nobis eſt de diſſenſione inter Regem Agrippam & ſacerdotes templi conflata, quam Ioſephus[a] deſcribit his verbis:

a Ioſeph. antiq. lib. 20. c. 7.

CLXVI. DISCORDIA INTER REGEM ET SACERDOTES.

Eodem tempore Agrippa Rex extruxit inſigni amplitudine domum prope porticum in regia Hieroſolymitana, quæ Aſſamonæorum fuerat, ſiram in edito loco, vnde amœniſſimus proſpectus patebat contemplari vrbem volentibus: cuius voluptatis Rex cupidus, e cubiculo ſpectabat quicquid circa templum fieret. Id vbi viderunt Hieroſolymitani proceres, tulerunt indigniſſime: neque enim leges noſtræ concedunt ſpectari quid agatur in templo, præſertim ſacrificia. Quamobrem altum parietem excitarunt ſupra exedram, quæ erat in interiore templo verſa ad Solem occiduum: hæc non ſolum regij triclinij proſpectum arcebat oppoſita, verum etiam Occidentalis extra tem-

D plum ſitæ porticus, vbi feſtis diebus Romani ſtationes habebant ad templi cuſtodiam. Quo facto tam Rex offenſus eſt, quàm Feſtus Præſes prouinciæ; qui etiam iuſſit parietem dirui. Ciues autem rogauerunt vt liceret ſibi legatos ea de re ad Neronem mittere, negantes ſe poſſe viuere, ſi quid demoliretur de templi ædificijs. Quo impetrato, miſerunt ad Imperatorem decem viros eximios, & Iſmaelem ſummum Pontificem, & Chelciam cuſtodem ſacri ærarij. Qui audita legatione, non ſolum ignouit, ſed permiſit etiam ſic manere parietem, gratificatus in hoc vxori ſuæ Poppææ piæ feminæ, quæ pro Iudæis deprecatrix fuerat: quæ decem illos viros redire permiſit, Chelciam vero &

E Iſmaelem apud ſe detinuit tamquam obſides. Id poſtquā Agrippa reſciuit, pontificatum detulit Ioſepho cognomento Cabi, Simonis quondam ſummi Pontificis filio.] hæc Ioſephus. At vero quod ad Poppæam Sabinam ſpectat: nequaquam temporibus ſuperioribus, ſed nec ad tertium vſque Neronis Conſulatū, cum ageret in Imperio quartum annum, cognita Neroni fuit, vt Tacitus[b] tradit. Quamobrem ſi vera ſunt quæ de Poppæa ſcribit, ea poſt ſequentem annum facta eſſe, ſecundum ea quæ ſuperius dicta ſunt, neceſſe eſt affirmare.

b Tacit. Annal. lib. 13.

CLXVII. PAVLI NAVIGATIO ROMAM.

Sed iam vt ad Paulum redeamus: facta ſunt hæc de ipſo narrata, Cæſareæ ſub Feſto Præſide, & Agrippa Rege, hoc anno, æſtiuo tempore, prope menſem Auguſti: vt tam ex his quæ ſuperius dicta ſunt, quàm his quæ de Pauli nauigatione dicturi ſumus, patebit; quam ſic Lucas deſcribit[c]: Vt autem iudicatum eſt nauigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis cuſtodijs Centurioni nomine Iulio cohortis Auguſtæ (*memi-*
nit Dio in Nerone de quinque millibus militum, qui Auguſtales dicti erant) aſcendentes nauim Adrumetinam, incipientes nauigare circa Aſiæ loca, ſuſtulimus, perſeuerante nauigare nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi. Sequenti autem die deuenimus Sidonem.

c Act. 27.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sidonem.] hæc Lucas de prima die nauigationis Pauli. Sed quod habet Vulgata: Circa A
Asiæ loca] Græce sic ponitur, κατὰ τὴς ἀσίας τόπους, hoc est, Versus Asiæ loca.] vt sit sensus
totius Lucæ sententiæ, Paulum nauem conscendisse nauigaturam ad proxima Asiæ
prouinciæ loca. quod perfacile intelligitur, dum idem paulo inferius tradit, eam ap-
* Myram pulisse Lystram * Lyciæ ciuitatem. Est enim Lycia Minoris Asiæ prouincia, sita inter
Cariam & Pamphiliam. Eo enim nauis illa, & non alio, velificatione tendebat; nimi-
rum vt ad propinquiora loca Minoris Asiæ peruenire t. nam cum illuc appulisset Pau-
lus cum socijs, aliam oportuit nauem quæri, quæ in Italiam solueret: cum opportu-
ne accidit, vt nauem Alexandrinam nacti, illam conscenderent; prout Lucas, simul
a Act. 27. cum eis nauigans, his verbis exacte describit [a]: Sequenti autem die deuenimus Sido-
nem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui
agere. Et inde cum sustulissemus, subnauigauimus Cyprum, propterea quòd essent B
venti contrarij. Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ nauigantes, venimus Myrā, quæ est
b Act. 14. Lyciæ.] Græce enim sic: μύρα τῆς λυκίας.] sicut & legit Ioannes Chrysostomus: equi-
dem Lystra nequaquam est in Lycia, nec est maritima ciuitas, sed (vt ex Luca [b] etiam
CLXVIII. superius vidimus) in Lycaonia, cui assentiuntur omnes cosmographi.
c Act. 27. Sed prosequamur Lucæ Acta [c]: Ibi inueniens Centurio nauem Alexandrinam naui-
gantem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus,
& vix peruenissemus contra Gnidum (*quæ est insignis ciuitas in extrema parte Cariæ promon-*
torij, seu magis peninsulæ Doris dictæ) prohibente nos vento adnauigauimus Cretæ iuxta
d Plin. lib. 4. c. 12. Salmonem (*est Salmone, siue Salmonium* [d], *Cretæ Orientale promontorium* [e]) et vix iuxta naui-
e Strabo lib. 2. & lib. 10. gantes, venimus in locum quemdā qui vocatur Boniportus, cui iuxta erat ciuitas Tha-
lassa.] loco Thalassæ, Græci legūt, πόλις λασαία, Lasæa, quæ est ciuitas maritima Cretæ C
f Apud Hieron. de locis Hebraicis in Act. Apostol. iuxta modo dictum locum: in multis autem codicibus legitur [f] Thalassa. Sed pergit
Lucas: Multo autem tempore peracto, & cum iam non esset tuta nauigatio, eo quòd
ieiunium iam præterijsset; consolabatur Paulus, dicens eis: Viri, video quoniam cum
iniuria & multo damno non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum in-
cipit esse nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm
TEMPVS NAVIGATIONIS PAVLI. his quæ a Paulo dicebantur.] Quodnam anni tempus id esset, a Luca Hebraico more
g Zachar. 8. describitur; nimirum quòd iam ieiunium præterijsset. Celebrabantur apud Iudæos
plura ieiunia, de quibus Zacharias [g]: Hæc dicit Dominus exercituū: Ieiunium quar-
ti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gau-
dium, & lætitiam, & solemnitates præclaras.] At Lucam de ieiunio decimi mensis in-
tellexisse, satis certum esse videtur. Nam (vt vidimus) nonnisi absoluto Neronis bien- D
nio, a Festo successum est Felici: adeo vt nullo modo intelligi possit de ieiunio septimi
mensis; cum præsertim nonnisi hiberno tempore cessare consueuerit nauigatio. Con-
silium ergo Pauli fuit, ne vlterius progrederentur.

CLXIX. At cum (inquit Lucas [h]) aptus portus non esset ad hiemandum; plurimi statuerunt
h Act. 27. consilium nauigare inde, si quomodo possent, deuenientes Phœnicem, hiemare, por-
NAVIGATIO PERICVLOSA. tum Cretæ respicientem ad Africum & Corum.] videbatur enim portus hiemis tem-
i Strab. lib. 10. pore esse omnium tutissimus, sic nominatus a ciuitate ibi in promontorio ædificata, di-
k Apud Hier. de nom. interpr. in Act. Apost. cta [i] Phœnix Lampei. Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere; cum
sustulissent de Asson, legebant Cretam.] Errant quidam, qui putarunt [k] Asson, quæ hic
ponitur, illam esse eodem nomine dictam apud Troadem nobilem ciuitatem. At quid-
nam commune Cretæ cum Troade? De loco enim insulæ Cretæ sic dicto Lucam in- E
tellexisse, nulla potest esse dubitatio. Nam cum a parte Septentrionalis insulæ eos sol-
uisse constet, vt (quod conceperant animo) in eius insulæ portum, Phœnicem dic-
tum, ad Meridiem positum adnauigarent: quid est quod de Asson Troadis tam long-
ge posito in Phrygia possit intelligi: vt sic ex Creta nauigassent per Cycladas insulas
mare Myrtoum, inde Icarium, ac demum Ægeum, vt Asson Phrygiæ peruenirent;
atque postea inde soluerent, vt in Cretam iterum redirent, & in portum eius ad Meri-
diem positū possent appellere? Constat igitur Asson fuisse locum haud longe positum
a prima statione, vbi primum appulerunt in insulam; vt inde Occidentem versus eam-
l Act. 27. dem præterlegentes insulam, ad portum Phœnicem ad Meridiem positum, quod in
animum duxerant, peruenirent.

CLXX. Cum itaque hoc inito consilio nauigarent: Non post multum (ait Lucas [l]) misit se
contra

A contra ipsam nauem ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumq. arrepta
esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flatibus, ferebamur. In insulam
autem quamdam decurrentes, quæ vocatur Cauda (*posita hæc est in extrema par-*
te Cretæ contra montem Album spectantem ad Meridiem) potuimus vix obtinere sca- NAVIS IN SVM-
pham. Qua sublata, adiutorijs vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim MYM DISCRI-
inciderent, summisso vase (τὸ σκεῦος) sic ferebantur. Valida autem nobis tempestate ia- MEN ADDV-
ctatis, sequenti die iactum fecerunt, & tertia die suis manibus armamenta nauis CTA.
proiecerunt. Neque autem Sole, neque sideribus apparentibus per plures dies, & tem-
pestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Et cum mul-
ta ieiunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, o vi-
ri, audito me, non tollere a Creta, lucriq. facere iniuriam hanc & iacturam. Et nunc suа-
B deo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquàm na-
uis. Adstitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui deseruio, dicens: Ne
timeas Paule, Cæsari te oportet adsistere: et ecce donauit tibi Deus omnes qui naui-
gant tecū. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, quia sic erit, quem-
admodum dictum est mihi. In insulam autem quamdam oportet nos deuenire. Sed
posteaquam quartadecima nox superuenit, nauigantibus nobis in Adria circa mediam
noctem, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui summittentes bo-
lidem (*est perpendiculum quo vtuntur nautæ ad maris altitudinem explorandam*) inuene-
runt passus viginti: et pusillum inde separati, inuenerunt passus quindecim. Ti-
mentes autem ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor,
optabant diem fieri.

C Nautis vero quærentibus fugere de naui, cum misissent scapham in mare, sub ob- CLXXI.
tentu quasi inciperent a prora anchoras extendere; dixit Paulus Centurioni & militi-
bus: Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis. Tunc absciderunt milites
funes scaphæ, & passi sunt eam excidere. Et cum lux inciperet fieri, rogabat Paulus
omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes, ieiuni permane-
tis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia
nullius vestrum capillus de capite peribit. Et cum hæc dixisset, sumens panem, gratias
egit Deo in conspectu omnium; & cum fregisset, cœpit manducare. Animæquiores ADVENTVS
autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum. Eramus autem vniuersæ animæ in naui PAVLI IN ME-
ducentæ septuagintasex. Et satiati cibo, alleuiabant nauem, iactantes triticum in ma- LITAM INSV-
re. Cum autem dies factus esset, terram non agnoscebant; sinum autem quemdā con- LAM.
D siderabant habentem littus; in quem cogitabant, si possent, eijcere nauem. Et cum an-
choras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum:
et leuato artemone secundum auræ flatum tendebant ad littus. Et cum incidissemus
in locum dithalassum (διθάλασσον, *quod duplex mare Latine redditur; dicebatur enim*
littus [a] *intra mare protensum, eodem mari se hinc inde diuidente circumdatum*) impege- a Bed. in Act.
runt nauem: et prora quidem fixa manebat immobilis, puppis vero soluebatur a vi c. 27.
maris. Militum autem consilium fuit, vt custodias occiderent; ne quis cum enatasset,
effugeret. Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri: iussitq. eos qui pos-
sent natare, emittere se in mare primos, & euadere, & ad terram exire: et ceteros alios
in tabulis ferebant, quosdam super ea quæ de naui erant, *fragmenta scilicet*. Et sic fa-
ctum est vt omnes animæ euaderent ad terram.

E Et cum euasissemus [b], tunc cognouimus quia Melita insula vocabatur (*quæ posita* CLXXII.
est contra Pachynum Siciliæ [c] *promontorium*.) Barbari vero præstabant non modicam b Act. 28.
humanitatem nobis. Accensa enim pyra reficiebant nos omnes propter imbrem, c Strab. lib. 6.
qui imminebat, & frigus. Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquan- QVID PAVLVS
tam multitudinem, & imposuisset super ignem; vipera a calore cum processisset, in- PASSVS MELI-
uasit manum eius. Vt vero viderunt barbari pendentem bestiam de manu eius, ad in- TAE.
uicem dicebant: Vtique homicida est homo hic, qui cum euaserit de mari, vltio non si-
nit eum viuere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi
existimabant eum in tumorem conuertendum, & subito casurum, & mori. Diu au-
tem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, conuertentes se, dicebant
eum esse Deum.] Hæc de vipera & barbaris admirantibus adeo exacte & distincte
Deus a Luca describi voluit, vt virtus Pauli gratia insulæ illi concessa magis magisq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

innoteſceret; nec naturali eius loci proprietati adſcriberetur, quod ex eo tempore fuit loco diuinitus impertitum, nimirum vt ſerpentes omnes veneno carerent, & quantumlibet aliquem momorderint, nihil prorſus inferant detrimenti. Si enim olim a natura, ſicut alijs locis, id datum fuiſſet; cur loci incolæ tam certi erant de interitu Pauli? Sed & terra ibi eiuſdem merito contra venena parat antidotum. A

CLXXIII.

PAVLI MIRACVLA MELITAE.

Manſit Paulus cum ceteris Melitæ tribus menſibus, illic hiemantes. Quid autem, dum ibi eſſet, acciderit, idem Lucas his verbis enarrat: In locis autem illis erant prædia Principis inſulæ, nomine Publij: qui nos ſuſcipiens, triduo benigne ſe exhibuit. Contigit autem patrem Publij febribus & dyſenteria vexatum iacere. Ad quem Paulus intrauit; & cum oraſſet, & impoſuiſſet ei manus, ſaluauit eum. Quo facto, omnes qui in inſula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur: qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & nauigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant.] hucuſque Lucas de rebus a Paulo geſtis hoc anno: cetera autem, quæ ad nauigationem ſequenti anno poſt hiemem inſtitutam pertinent, ſuo loco dicemus. Verum non tantum ea Melitenſibus Paulus præſtitit, vt ægritudine laborantes omnes curarentur: ſed & Chriſtiana eoſdem religione imbuit, ipſumq. Publium ad fidem Chriſti conuerſum eiſdem præfecit Epiſcopum. Id quidem vetera quæquæ Martyrologia atteſtantur [a]. Immo & eumdem Publium inde poſtea euocatum, in locum Dionyſij, Athenienſi Eccleſiæ eſſe ſubrogatum Epiſcopum tradunt [b]; putantes nimirum vnum eumdemq. eſſe cum hoc illum Publium, quem Dionyſius [c] Alexandrinus affirmat Dionyſio Areopagitæ Athenarum Epiſcopo ſucceſſiſſe; quem & martyrio coronatum fuiſſe, etiam S. Hieronymus tradit [d]. B C

[a] Martyrolog. Rom. & alia 21. Ianuar. ibi Not.
[b] Ado in Martyrolog. eadē die & alij.
[c] Dionyſ. Alex. apud Euſeb. lib. 4. c. 22.
[d] Hier. de Scrip. Eccleſ. in Quadrato.

IESV CHRISTI ANNVS 59.	PETRI ANNVS 15.	NERONIS IMP. ANNVS 3.

I. ANno Chriſti quinquageſimonono, Nerone Imperatore ſecundum & Calpurnio Piſone Conſulibus [e], Paulus Apoſtolus e Melita inſula vinctus ductus eſt Romam. Sed antequam eius nauigationem a Luca deſcriptam proſequamur, Pauli ſocios qui eamdem cum eo conſcenderunt nauim, recenſeamus. Erat ex his vnus Lucas, qui hæc ipſa conſcripſit, vt ex eiuſdem ſcriptis quis facile colliget: Ariſtarchum Macedonem eidem inhæſiſſe, idem affirmat [f]: Trophimum etiam, qui Epheſo cum Paulo Hieroſolymam venerat, vna cum alijs Paulum comitaturum, nauem conſcendiſſe; ſed hunc mala valetudine laborantem ab eodem Paulo Melitæ fuiſſe relictum. Sic enim legendum eſſe, & non Mileti [g], quæ ſuperius a nobis ſunt dicta, plane ſignificant; dum Lucæ teſtimonio demonſtratum eſt, Trophimum Epheſium ex Aſia ſecutum eſſe Paulum anno præterito Hieroſolymã, ac proinde non potuiſſe ægrotum remanſiſſe Mileti. Sed his & hanc addimus rationem: Quidnam opus fuit, Paulum de Trophimo Mileti relicto (quæ eſt ciuitas iuxta Ephesum poſita) Timotheum in ijſdem locis agentem in Aſia reddere certiorem? nam hoc eum tamdiu latuiſſe, neminem puto exiſtimare poſſe. Nec eſt quòd hæc intelligi poſſint de Mileto, quam Plinius [h] fuiſſe ait in Creta: nam ipſe omnes ſimul ciuitates, quæ olim erant in ea, recenſet: auctor eſt enim Strabo [i], eam ciuitatē amplius non extare, quam Gnoſij olim euerterant, & agrum eius occupauerant. Ceterum quòd Vulgata emendata lectionem non mutauerit, ſed Mileti reliquerit; alia potius ratio quærenda eſt, quàm contra receptam lectionem obniti. Sed quod ad Trophimum ſpectat: in hoc certe admirabile Dei conſilium in eo perſpicitur, quòd cum datum Paulo eſſet (vt vidimus) omnes qui eſſent in inſula infirmos curare; tamen Trophimum amantiſſimum ac plane perneceſſariũ amicum atque diſcipulum reliquerit infirmum. quod & de Timotheo, ad quem ſcribit, vidimus accidiſſe: quem ſtomacho male habentem, non miraculo reſtituit ſanitati, ſed in remedium, vt modico vino vteretur, admonuit. Reperiuntur & alij Pauli diſcipuli hoc eodem anno, quo Paulus Romam venit, ibidem cum Paulo egiſſe: an autem cum eo venerint eodem nauigio, vel ſeorſum, incertum eſt. Sunt enim hi quos idem Paulus recenſet in epiſtola ſecunda quam hoc ipſo anno dedit ad Timotheum, nimirum Demas, D E

[e] Tacit. Annal. lib. 13.
[f] Act. 27.
[g] 2. Tim. 4.
[h] Plin. lib. 4. c. 12.
[i] Strab. lib. 10.

COMITES NAVIGATIONIS PAVLI.

A mas, Creſcens, Titus, & Tychicus, & ſi qui alij, de quibus erit ſermo inferius.

Sed iam ipſum Paulum vna cum ſuis Romam nauigantem proſequamur. Relegit Lucas exacte ſatis e Melita nauigationem Pauli Puteolos vſque: primum enim ſic ait: Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in inſula hiemauerat, cui erat inſigne Caſtorum.] quod ſic erat effigiatum: Erant Caſtor & Pollux duo iuuenes, vnicuique oui pars dimidia, & ſtella ſuperne eminens, & iaculũ in manu, & equus candidus. hæc apud Lucianum [a] habes expreſſa. Credebantur hæc numina ſuperſtitione Gentilium propitia nauigantibus: eos eſſe putantibus, qui tempeſtate iactatis, ac in vltimo diſcrimine poſitis, luce inſolita bonæ ſpei præſagia ſolerent apparere. Quamobrē ſic liberati (idem inquit Lucianus) cum eſſent nautæ, templa adeuntes deraſo capite [b], immanes vndas, procellas, ſublatos in altum fluctus, iactus, malos fractos, B gubernacula reuulſa narrabant, ac in primis Caſtorem & Pollucem apparentes: nam hi peculiariter ad hanc tragœdiam pertinent.] hæc ille. Sed quod ad vocem Caſtorum ſpectat; vſu quodam factum eſt, vt ob admirabilem quamdam eorũ in omnibus rebus ſimilitudinem, vno eodemq. nomine ſæpe vterque atque ambo Caſtores (quod habet hic Lucas) fuerint appellati. Vnde illud apud Suetonium [c] de Ædilitate M. Bibuli & Cæſaris: Vt enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta, tantum Caſtoris vocaretur; ita ſuam & Cæſaris magnificentiam vnius Cæſaris dici.] quo ſenſu & illud Plinius [d]: Super ædem Caſtorum genitus pullus in oppoſitam ſutrinam deuolauit.] ſed de his ſatis.

DE INSIGNE CASTORVM.
[a] Lucianus in Deor. dialog. in fine.
[b] Lucianus de merced. cõduct.
[c] Suet. in C. Iulio Caſ. c. 10.
[d] Plin. lib. 10. c. 43.

II.

Proſequitur Lucas nauigationem quam ipſe cum Paulo inijt, ſic deſcribens: A Melita ſoluentes, cum veniſſemus Syracuſam, manſimus ibi triduo. Inde circumlegentes, C deuenimus Rhegium (*ſunt hæc omnibus notiſſima loca.*) et poſt vnum diem, flante Auſtro, ſecunda die venimus Puteolos: vbi inuentis fratribus, rogati ſumus manere apud eos diebus ſeptem: et ſic venimus Romam. Et inde cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis vſque ad Appij Forum, & Tres Tabernas.] Erat Appij Forum (vt colligitur ex Plinio [e]) in agro Setino, in via Appia locus poſitus: Tres Tabernæ vero contra Antium; vnde & Cicero ad Atticum [f]: Emerſimus commode ex Antio in Appiam ad Tres Tabernas.] Diſtans erat ab Vrbe Forum Appij quinquaginta & vnum millia paſſuum: Tres Tabernæ vero poſitæ erant ad trigeſimumtertium lapidem. Sic enim Antoninus Appiæ viæ numerat milliaria, nimirum ab Vrbe ad Ariciam ſexdecim millia paſſuum, ab Aricia ad Tres Tabernas decem & ſeptem, inde vero ad Appij forum decem & octo. Sicq. colliges (vt dictum eſt) ab Vrbe ad Forũ Appij milliaria quinqua- D ginta & vnum, ad Tres Tabernas vero trigintatria. De Foro Appij nulla ſunt veſtigia, vel ſi qua extant, palude Pontina facta ſunt inacceſſa: Tres vero tabernas illam eſſe ferunt, quæ hodie vulgo dicitur, corrupto vocabulo, Ciſterna.

NAVIGATIO PAVLI ROMAM.
[e] Plin. lib. 14. c. 6.
[f] Cic. ad Attic. epiſt. 29. lib. 2.

Videas ex his Chriſtianorum Romæ agentium officia & ſtudia erga Paulum: cum non quaſi vincto homini, ſed in Vrbem cum triumpho aduenienti, vltra lapidem quinquageſimum obuiam ierint: Dies autem, qua Paulus in Vrbem ingreſſus eſt, tã apud Bedam quàm Vſuardum in eorum Martyrologijs conſignata habetur ſexta Iulij. verum ſi tempus quo ex Melite inſula hoc anno Paulus receſſit, atque dies in nauigatione inſumpti conſiderentur, haud tam ſero Romam potuit peruenisse: quippe qui ſoluta hieme, cum nauigandi tempus eſt redditum opportunum, nauim Alexandrinam, quæ illic hiemauerat conſcendit: quæ enim ibi egerat in hibernis, abſque dubio poſt E ortum Pleiadum, cum opportuna ſolet eſſe nauigatio, Melita ſoluiſſe putanda eſt. Certe quidem veris tempore eam eſſe nauigationem inſtitutam, Arator diaconus [g] his notat verſibus:

IV.

ADVENTVS PAVLI ROMAM TEMPVS.
[g] Arat. in Act. c. 28.

Pullulat interea nitidi coma frondea veris,
Quo iuuenescit humus ſenio, fugente pruina:
Suſcipienſq. ratem velis cedentibus Auſter
Præbuit aligeras placidis in fluctibus vndas.]

Sed licet daremus, eos non ſoluiſſe Melita ante menſem Maij: cum nulla ſit facta in via mora, niſi quod idem ſcribit Lucas, eos Syracuſis tres dies, Rhegij vnum, & Puteolis ſeptem conſtitiſſe, proſperoq. flante vento, ſpatio tantummodo duorum dierum, Rhegio peruenisse Puteolos: certe eodem menſe Romam ingreſſum eſſe, affirmare neceſſe videtur. Porro quòd Apoſtolus Paulus Alexandrina naui dicatur ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uectus: hic opportune in medium adducenda sunt, quæ scribit Seneca [a] ad Lucilium de nauibus Alexandrinis cum Puteolos appellunt, quàm præ ceteris illæ nobilitatæ essent, & a concurrente ad portum populo spectarentur auidius. hæc enim ait: Gratus illarum Campaniæ aspectus est: omnis in pilis Puteolorum turba consistit; & ex ipso genere velorum Alexandrinas (quamuis in magna turba nauium) intelligit. Solis enim licet supparum intendere, quod in alto omnes habent naues: nulla enim res æque adiuuat cursum, quàm summa pars veli; illinc maxime nauis vrgetur. Itaque quoties ventus increbuit, maiorq. est quàm expedit, antenna submittitur. Minus habet virium flatus ex humili. Cum intrauere Capreas, & promontorium, ex quo

Alta procelloso speculatur vertice Pallas,

ceteræ velo iubentur esse contentæ: supparum Alexandrinarum insigne est.] hæc ipse. Porro quòd testificatione Lucæ certum sit Puteolis fuisse Christianos; ipsos cum ceteris auide expectasse in portu, & auidius spectasse nauem Alexandrinam, cum longa hiemis mora, ex fratrum litteris scire potuissent in ea Paulum cum militibus nauigaturum, par est credere. Quod vero ad annum Domini, quo Paulus Romam aduenit: cum ex præterlapsis annis singulis recensitis certa habita ratione, hoc ipso anno quinquagesimonono a Christi natali, ipsum Romam concessisse exploratum habeatur: his etiam consentire Eusebium, & S. Hieronymum, facile demonstrabimus. Cum enim tam Eusebius [b], quàm Hieronymus [c] ipsum secutus, numerent ab anno post passionem Christi vsque ad tempus quo Paulus a Festo Iudææ Præside vinctus nauigare iubetur, annos vigintiquinque: numerando illos ab anno trigesimoquarto, qui secundum Eusebium primus ponitur a passione Domini; necesse est affirmare, anno Domini quinquagesimooctauo Paulum in Iudæa a Festo dimissum, & sic anno sequenti, qui est quinquagesimusnonus, hoc nimirum anno, Romam ingressum esse, prout etiam ab Eusebio in Chronico ponitur.

[a] *Senec. epist. 77.*

[b] *Eusebius in Chronic.*
[c] *Hier. de Script. Eccl. in Paulo.*

V. RES GESTAE PAVLI ROMAE.

Sed iam quod reliquum est gestorum Pauli Romæ, quæ sunt a Luca [d] descripta, absoluamus: Cum, inquit, venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite. Post tertium autem diem conuocauit primos Iudæorum. Cumq. conuenissent, dicebat eis: Ego, viri fratres, nihil aduersus plebē faciens, aut morem paternum, vinctus ab Hierosolymis traditus sum in manus Romanorū: qui cum interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eo quòd nulla causa esset mortis in me. Contradicentibus autem Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogaui vos videre & alloqui: propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum. At illi dixerunt ad eum: Nos neque litteras accepimus de te a Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem a te audire quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur. Cum constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi: quibus exponebat, testificans regnum Dei, suadensq. eis de Iesu ex lege Moysi & Prophetis, a mane vsque ad vesperam. Et quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant. Cumq. inuicem non essent consentientes, discedebant, dicente Paulo vnum verbum: Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populū istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis; & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatū est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto: et suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Iesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione.] hucusque Lucas Apostolorum Acta perduxit. Vbinam Romæ fuerit eiusmodi, cuius Lucas meminit, Pauli hospitium; in antiquis monumentis Diaconiæ S. Mariæ in Via lata memini me legisse, illic primum hospitio exceptum fuisse Paulum. At de reliquis a Paulo Romæ hoc primo aduentu rebus gestis, nihil est quòd edere quid possimus ex Actis, quæ feruntur a Lino conscripta: nam ea ab vltimo Pauli Romā aduentu sumunt exordium: cuius vero sint fidei, suo loco dicemus.

[d] *Act. 28.*

Sed

Sed quid coram Nerone, quem appellauerat, Paulus egerit; ex sui ipsius epistolis, quas tunc scripsit, possumus aliqua ex parte saltem intelligere. Iam (vt vidimus) cum Hierosolymis in maximo vitæ discrimine versaretur, apparuerat illi Dominus, atque dixerat [a]: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic te oportet & Romæ testificari.] Adeo difficile, asperum, ac plane pauendum fuit existimatum iudicium coram sæuissimo Principe, nihil ratione, sed pro libidine animi omnia facientе, vt Paulum in eo discrimine positum, omnes discipuli atque amici, quantumlibet erga ipsum studiosi, tunc temporis tamen timore correpti, penitus dereliquerint. Tradit enim id Paulus, cum ad Timotheū [b] hoc eodem anno scribens ait: In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.] Verum in tanta Pauli concussione, non solum qui aderant, ab eo recesserunt; sed & qui longe positi, pariter ab eo tunc temporis defecerunt. Affirmat enim hoc ipse ad eumdem sic scribens [c]: Scis, inquit, hoc, quòd auersi sunt a me omnes qui in Asia sunt: ex quibus est Phigellus & Hermogenes.] Par est credere, Iudæos Hierosolymis misisse viros insigniores, qui apud Neronem gratia possent, & mille artibus causam prosequentes, Neronem concitarent in Paulum, vt alias in alios sæpe fecisse vidimus. Erat enim inter ceteros Aliturus quidam Iudæus mimorum actor, cuius opera (vt vidimus) Iosephus [d] reos quos defendebat, curauit absolui. Eiusmodi genus hominum apud talem Principem in pretio erat. Aderat & Poppæa Sabina noua Neronis concubina, quam Iudæi adeo sibi conciliauerant, vt (quod dictum est superius) eius ope & gratia, qui missi fuerant legati pro templo aduersus Agrippam Regem, a Nerone rescriptum acceperint [e].

[a] *Act. 23.*

DVRVM NERONIS IVDICIVM ADVERSVS PAVLVM.

[b] *2. Tim. 4.*

[c] *2. Tim. 1.*

[d] *Ioseph. in Vita sua.*

[e] *Ioseph. antiq. lib. 20. c. 7.*

VII. CHRISTVS APPARVIT PAVLO ET LIBERAVIT EVM.

At Paulo sic ab omnibus derelicto, atque in maximo omnium periculo constituto, Christus Dominus (vt alias consueuerat) adfuit, & ab imminenti discrimine liberauit. Profitetur enim hoc ipsum Paulus, eadem, quam ad Timotheum scripsit, epistola, dicens: Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes. Et liberatus sum de ore leonis (*sic enim Neronem appellat, ob immanem ac prorsus feralem Principis sæuitiam.*) Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in regnum suum cæleste.] At non sic est liberatus, vt omnino liber abire sit iussus, sed quòd in suo conducto, catena tamen vinctus, cum custodiente se milite libere agere permissus sit; vbi eo modo ad biennium mansit. Porro non tantum coram Nerone, sed & in Senatu, & apud collegium Pontificum (quòd ad religionem causa spectare videretur) Pauli causam actam esse, ex his quæ idem ipse dū item Romæ esset, scripsit ad Philippenses [f], certo posse affirmari videtur: siquidem in omni Vrbis prætorio eam cognitam fuisse testatur, cum ait: Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij: ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in ceteris omnibus: vt plures e fratribus in Domino, confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem (*putantur hi fuisse Iudæi sibi aduersantes*) quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annunciant, non sincere: existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo.] Hæc autem post primam quam dicit defensionem suam, accidisse videntur.

[f] *Philip. 1.*

VIII. LEGATIO PHILIPPENSIVM AD PAVLVM.

Eodem vero tempore, cum in Orientem, vbi Euangelium prædicauerat, hæc de Paulo Romæ in vinculis agente perlata essent; Philippenses inter alios legationem ad eum miserunt vna cum subuentione pecuniarum per Epaphroditum suum ipsorum Episcopum. Testatur id quidem Paulus ad ipsos scribens [g] his verbis: Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.] Venit quoque Iconio Lycaonicæ ciuitate Onesiphorus, qui & ipse Paulum solicite perquisiuit, eo potissimum tempore, quo a suis fuerat derelictus: de quo idem ipse ad Timotheum [h] scribens, hæc ait: Det misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit: sed cum Romam venisset, solicite me quæsiuit, & inuenit. Det illi

[g] *Philip. 4.*

[h] *2. Tim. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominus inuenire misericordiam a Domino in die illà. Et quanta Epheſi miniſtrauit, A
tu melius noſti.]

IX. De rebus inſuper Romæ geſtis a Paulo, hæc Chryſoſtomus [a]: Dicitur ſalutaſ-
[a] Chryſ. in Act. hom. 54. ſe Neronis pocillatorem, & concubinam. Quanta putatis contra illum tunc dicta
EX FAMILIA NERONIS CONVERSI AD CHRISTVM. eſſe? ſed non iuſte. Nam ſi quidem ob laſciuiam ſalutaſſet, vel ob mala opera; merito:
Si autem ob vitam rectam; quare?] Sane quidem nonnullos ex Neronis familia ad
Chriſtum eſſe conuerſos, ex his quæ idem Paulus poſtea ſcripſit ad Philippenſes [b] co-
[b] Philip. 4. gnoſcere certo poſſumus, dum ait: Salutant vos omnes ſancti, maxime autem qui de
Cæſaris domo ſunt.] inter alios autem vnum fuiſſe Torpetem, qui poſtea martyrio co-
[c] Martyr. Rom. die 17. Maij. ronatus eſt, Romanum Martyrologium [c] atteſtatur: ſed de eo inferius. Porro concubi-
na illa Neronis, cuius Chryſoſtomus meminit, creditur fuiſſe Poppæa Sabina, quæ
[d] Tacit. lib. 13. præ ceteris ab eo in delicijs haberetur. de ea enim hæc ſcribit Tacitus [d]: Erat in ciuita- B
te Sabina Poppæa T. Ollio patre genita; ſed nomen aui materni ſumpſerat, illuſtri
memoria Poppæi Sabini Conſulari & triumphali decore præfulgentis. Nam Ollium
honoribus nondum functum, amicitia Seiani peruertit. Huic mulieri cuncta alia fuere
præter honeſtum animum. Quippe mater eius, ætatis ſuæ feminas pulchritudine ſuper-
greſſa, gloriam pariter & formam dederat: opes claritudini generis ſufficiebant: ſer-
mo comis, nec abſurdum ingenium, modeſtiam præſeferre, & laſciuia vti: rari in pu-
blicum egreſſus, idq. velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic decebat.] hæc
Tacitus. Sic igitur Romæ poſitus Paulus, quòd ante (vt ipſe ad Romanos ſcribens te-
[e] Rom. 1. 15. ſtatus erat [e]) diu multumq. exoptauerat Romam venire, ac Euangelium prædicare:
factus iam voti compos, licet in vinculis poſitus, licet hoſpitij conducti ſpatio circum- C
ſcriptus, licet adhuc militari cuſtodia tentus, Chriſti Euangelium magna animi fidu-
cia & alacritate prædicauit, atque (quod pollicitus erat) in abundantia benedictionis
annunciauit.

X. At nec ſatis ſibi eſſe putauit, ad ſe confluentes homines imbuere Euangelio; ſed & ad
abſentes complures, cum adhuc in vinculis eſſet, dedit epiſtolas. De quibus ſingulis
DE EPISTOLA SECVNDA AD TIMOTHEVM. eſt propoſitum agere, ac in primis de ea quæ prima ibi ſcripta iure putatur, quæ eſt ad
Timotheum ſecunda. Scribens enim ſtatim poſt primam ſuam defenſionem apud Ne-
ronem habitam, ad Timotheum diſcipulum amātiſſimum, de his quæ proxime acci-
diſſent, eum reddidit certiorem. Nam præter illa quæ dixerat de ſua defenſione, de
[f] 2. Tim. 4. diuerſo ſtatu ſuorum hæc ait [f]: Demas enim me reliquit, diligens hoc ſæculum, & abijt
Theſſalonicam, Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam: Lucas eſt mecum ſolus.]
et paulo poſt: Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit. reddet illi Dominus ſe- D
cundum opera eius: quem & tu deuita, valde enim reſtitit nobis.] ac in fine: Eraſtus
* Melitæ remanſit Corinthi, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti *.] Sed quod ad Tro-
phimum ſpectat, ſatis ſuperius dictum eſt. Quòd autem dum de ſuis comitibus agit
Paulus, inter alios de Creſcente dicat in hac ipſa epiſtola: Creſcens in Galatiam] pro Ga-
latia, Gallia, legendum eſſe, Epiphanius firmiſſime aſſeuerat, cum ait: Creſcens in Gal-
liam, non autem in Galatiam, vt quidam decepti putant; ſed in Galliam, legendum
[g] Ammian. lib. 15. eſt.] Ceterum ait Ammianus Marcellinus [g], cum agit de Gallorum origine, eos Græco
[h] Theodoret. in epiſt. 2. ad Tim. cap. 4. ſermone Galatas eſſe dictos. Sic & Theodoretus [h] ait, Paulum in ſecunda quam ſcripſit
ad Timotheum epiſtola, per Galatiam, Gallias intellexiſſe; ſicq. antiquitus illas gen-
tes nominari conſueuiſſe affirmat. Creſcentem certe fuiſſe in Galliam amandatū, Vien- E
nenſemq. erexiſſe Eccleſiam, necnon & Moguntiam veniſſe, ac longe lateq. fidem
Chriſtianam propagaſſe conſtat: ſed & in Galatiam quoque eſſe profectum, negari
omnino non poteſt: at de his pluribus actum eſt in noſtris ad Martyrologium Roma-
[i] Die 27. Iunij. num [i] Notationibus.

XI. De Dema vero dicere non prætermittimus, quòd etſi ad tempus Paulum reliquerit, non tamen vt Chriſtianam fidem & ipſum Apoſtolum ſit penitus auerſatus. Nam
DE DISCIPVLO DEMA. Romam iterum redijſſe, ac Paulo adhuc in vinculis agenti vna cum alijs miniſtraſſe,
idem Paulus ſcribens ad Philemonem teſtatur, cum ait: Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu: Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adiutores mei.]
Quamobrem erroris plane arguitur Dorotheus aliter ſomnians in Synopſi, dum De-
mam olim Pauli diſcipulum, cum ab eo receſſiſſet, tradit factum eſſe Theſſalonicæ ſi-
mulacrorum ſacerdotem. Vnde hæc acceperit, non inuenimus: quæ ſi vera eſſe di-

xerimus,

A xerimus, duos eiuſdem nominis Pauli fuiſſe diſcipulos effingere opus erit. Nam com-
pertiſſimum eſt, eam ad Philemonem epiſtolam datam eſſe longe poſt ſecundam ad
Timotheum ſcriptam, vt tum ex his quæ dicta ſunt, tum etiam ijs quæ dicturi ſumus
inferius, perſpicue apparebit. Demam igitur, quem ſe reliquiſſe, & abiiſſe poſt ſæcu-
lum, Paulus deplorat; poſtea ſcribens ad Philemonem, eum ad meliorem frugem eſſe
conuerſum, & gnauiter vna cum ceteris Chriſtianæ militiæ anteſignanis collaboraſſe
teſtatur. Sed ad ipſam epiſtolam redeamus.

XII. Cum multa quæ ab eo præſtari cupiebat Paulus, Timotheum ea epiſtola admo-
nuiſſet; multaq. de his quæ obuentura eſſent mala, prænunciaſſet: demum quod ve-
hementer optabat, rogat ſemel atque iterum, vt ſe Romam quamcitiſſime conferat,
nimirum ante hiemem; atque vt vna ſecum Marcum ducat, expoſcit: ſic enim ait [a]: Fe- [a] 2. Tim. 4.
B ſtina ad me venire cito.] et paulo poſt: Marcum aſſume, & adduc tecum: eſt enim mi-
hi vtilis in miniſterio.] ac in fine: Feſtina ante hiemem venire.] Illud etiam ab eo pe-
tit, vt penulam quam reliquerat Troade apud Carpum, veniens ſecum afferret, nec-
non & libros, maxime autem membranas. Sed quid per penulam intellexerit, ſuper-
rius actum eſt ſatis, cum de Pauli aduentu Troadem narratio incidit opportuna. Mar- DE MARCO AD PAVLVM REDEVNTE.
cum hunc, cuius vna cum Timotheo aduentum exoptat, quem & in prædicatione
Euangelij ſibi vtilem fore tradit; fuiſſe illum conſobrinum Barnabæ, Ioannem dictum,
cognomento Marcum, de quo plura ſuperius, ex eo perſpectum habetur, quòd in
epiſtola quam poſt aduentum ipſorum (Timothei ſcilicet atque Marci) Romam, ſcri-
pſit ad Coloſſenſes, eiuſdem Marci cum meminit, ait: Salutat vos Ariſtarchus con-
captiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ.] Hunc porro apud Paulum ſemper
C manſiſſe vſque ad Barnabæ obitum, inde vero in Cyprum ad eam Eccleſiam curandam
vna cum Epaphra & Tychico a Paulo abire iuſſum eſſe, auctor qui res Barnabæ eſt pro- [b] Metaphr. die 19. Februarij in Auxibio.
ſecutus, affirmat [b], licet perperam Marcum hunc cum illo Euangeliſta confundat.

XIII. Ex his igitur ſatis euidens eſt, hanc de qua agimus, Pauli ad Timotheum ſcriptam
epiſtolam, ante illam ad Philemonem, & ad Philippenſes, necnon ad Coloſſenſes, eſſe DE TEMPORE PAVLI EPISTOLARVM.
datam: ſiquidem omnes illas ſcriptas eſſe conſtat poſt Timothei aduentum Romam:
quandoquidem in illis ſingulis vna cum Paulo in titulo inſcribitur & Timotheus. Im-
mo & ipſam haud multo poſt eius Romam aduentum eſſe ſcriptam, intelligi facile po-
teſt, nimirum ſtatim poſt primam ſuam coram Nerone defenſionem, cuius in ea me-
minit. Sed & cum illud admonet, vt ante hiemem ſe Romam conferat: certe ſi quis
exacte conſideret tempus, & locum ipſum, Timotheumq. agentem in Aſia, vt eiuſ-
D modi illi reddi poſſet epiſtola, & ipſe Troadem ad ſumendam penulam proficiſceretur,
ac Romam ante hiemem ſe conferret: plane inueniet, hoc ipſo anno, ineunte æſtate,
hanc ad Timotheum ſcriptam eſſe epiſtolam. Hæc vero idcirco a nobis tam exacte
ſunt diſquiſita, quòd nonnulli exiſtimarunt, hanc ipſam ſecundam ad Timotheum
datam epiſtolam, omnium nouiſsimam eſſe ſcriptam; ea nimirum ratione perſuaſi,
quòd in ea Paulus dicat ad finem [c]: Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis [c] 2. Tim. 4.
meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reli-
quo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.] eo enim ſenſu hæc putant accipienda eſſe ver-
ba, quaſi proxime eſſet Paulus martyrio coronandus, ſicq. ab eo ſpiritu prophetico eſ-
ſe prænunciata.

XIV. Sed dicant velim: Nonne idem ipſe Paulus in eadem teſtatur, ſibi Dominum apparuiſ-
E ſe, dum in ſummo illo diſcrimine verſaretur, hortatumq. eſſe, ac fore prædixiſſe, vt DILVITVR OBIECTIO.
per ipſum in omnes Gentes prædicatio impleretur? Quomodo igitur hæc ſibi cohærent,
vt inſtans Pauli conſummatio eſſet; idemq. ipſe ſic a periculo liberandus, in omnes
Gentes prædicationem Euangelij propagaturus eſſet? Sed eadem quæ tunc ſibi a Do-
mino dicta ſunt, & in eadem epiſtola ſcripta, repetere in animo eſt: ea ſunt huiuſmo-
di [d]: In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt: non il- [d] 2. Tim. 4.
lis imputetur. Dominus autem mihi adſtitit, & confortauit me, vt per me prædica-
tio impleatur, & audiant omnes Gentes.] hæc ipſe. Sicut enim cum a Iudæis Hiero-
ſolymis ad mortem expeteretur, Dominus illi adfuit, ac dixit [e]: Conſtans eſto: ſicut [e] Act. 23.
enim teſtificatus es de me in Hieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari] ita & Ro-
mæ in eodem ferme periculo conſtituto, propagationem Euangelij ab eo faciendam in
omnes Gentes prædixit. At ſicut illud impletum eſſe certum eſt, ita iſtud præſtandum

eſſe,

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse, quis poterit dubitare? Rursus vero, quomodo eo sensu accipi possunt ea verba Pauli dicentis: Iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat] quasi nosset se proxime martyrium consecuturum, veluti si de ea re diuinitus fuisset admonitus; si in ea epistola, quam postea (vt diximus) scripsit ad Philippenses, suum ad eos pollicetur aduentum, cum ait[a]: Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito?] Immo se certo scisse in vita diutius permansurum, affirmat, cum post hæc sic scribit ad eosdem Philippenses[b]: Nunc magnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Quòd si viuere in carne, hic mihi fructus operis est: et quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus vobis, ad profectum vestrum & gaudium fidei: vt gratulatio vestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad vos.] hæc ipse. Idemq. olim ad Romanos cum scriberet, se Roma in Hispanias profecturum prædixerat, inquiens[c]: Per vos proficiscar in Hispaniam.]

a Philipp. 2.
b Philipp. 1.
c Rom. 15.

XV. ELVCIDANTVR PAVLI VERBA.

Quamobrem non in alium sensum atque sententiam ea Pauli verba de instanti suo obitu intelligi posse videntur; nisi quòd fortasse fuerat sibi diuinitus reuelatum, se sub Nerone capite plectendum esse. Satis enim tempus illud instans videri poterat, quod sub eodem Principe fore nosset implendum. At quomodo non videri poterat breue ac pene momentaneum nouem, quod reliquum erat, vitæ suæ annorum spatium, si eadem plane mensura Saluatoris ad iudicandum aduentum post modicum tempus affore prædixit, ad Hebræos[d] sic scribens: Adhuc modicum aliquantulumq. qui venturus est, veniet, & non tardabit?] Sic igitur ante dictas omnes Romæ datas scriptam esse secundam Pauli epistolam ad Timotheum, satis perspectum videtur. Verum eidem tabellario, nempe Tychico, dedit etiam tunc Paulus epistolam ad Ephesios: nam licet in ea ad Timotheum dicat[e]: Tychicum misi Ephesum] tamen præteritum tempus pro præsenti vsurpasse videtur, sicut cum ad Ephesios de eodem scribens ait[f]: Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.] Hæc cum ita sint; nos tamen primum egimus de ipsa ad Timotheū scripta epistola, eo quòd multa in ea de rebus suis Romæ gestis ipse significet, ex quibus intexeretur historia; quarum nulla est mentio in epistola ad Ephesios, eo quòd ea Paulus Tychico coram significanda, minime litteris tradidisset: agemus autem paulo post de eadem epistola ad Ephesios.

d Hebr. 10.
e 2. Tim. 4.
f Ephes. 6.

XVI.

Interim, ex quo semel de ea ad Timotheum epistola suscepta est narratio, cetera quæ in ea sunt, & ad veritatem historicam insinuandam spectare videntur, in medium asseramus. Cum Paulus, post illa scripta de Tychico, agit de penula Troade deposita apud Carpum: licet de penula satis superius actum sit: tamen quod ad Carpum spectat, Pauli Troade (vt videtur) hospitem: de alio quoque Carpo eadem charitatis officia erga Fideles præstante, suscipiendo hospitio qui apud se diuerterent Christianos, apud Dionysium habetur mentio; possetq. ex eodem officio ab vtroque exhiberi solito, vnum atque eumdem esse, existimari, nisi alter Troade, alter vero in Creta id ipsum officium exhibuisse reperiretur. Verum quid de Cretensi illo Carpo memoria dignum Dionysius[g] scribat ad Demophilum, hic interim describere, non absurdum existimamus: Cum aliquando, inquit, in Cretam venissem, sanctus Carpus me suscepit hospitio, vir ob eximiam animi munditiam ad Dei speculationem vltra ferme omnes aptissimus. Denique numquam sancta mysteria celebrare cœpisset, nisi prius inter eas preces quæ antea consummantur, sacra illa ac propitia visio apparuisset. Hunc igitur (vt ipse referebat) infidelis quispiam contristauerat aliquando. Erat autem causa tristitiæ, quòd ille quemdā ab Ecclesiæ fide ad impietatis errorem adduxerat. Cumq. eius celebritatis, quam vulgus Hilaria vocat, agerentur dies: qui debuerat pro vtrisque benignissime orare, atque Dei Saluatoris auxilio alterum ab errore conuertere, alterum bonitate superare, nec desistere quin eos admoneret per omnem viam, donec pœnitentiæ tempus superesset, & ita eos ad Dei cognitionem attrahere; vt iam tandem quæ illis erant ambigua & obscura, patescerent, & ab ijs quæ præter rationem audacter admiserant, resipiscere legitima seueritate cogerentur: nescio quo pacto (cum intra se-

g Dionysius ad Demophil. epistola 8.

DE CARPO CRETENSI HISTORIA.

tra semetipsum id antea passus non esset) tunc vehementem indignationem imbiberat animo. Sic itaque affectus, obdormiuit; erat enim vespera. Circa vero mediam noctem, quo tempore consueuerat ipse semper apud se ad diuinos euigilare hymnos, expergiscitur quidem & surgit, cum somnos parum quietos & crebro interruptos, nec absque perturbatione cepisset. Stans tamen ad diuinam precem & collocutionem non satis intente, irreligiose tristabatur, & ferebat grauiter; iniquum esse dicens, si impij homines, & qui vias Domini peruerterent rectas, adhuc viuerent: et hæc dicens, precabatur Deum, vt amborum vitam turbine aliquo & fulmine prorsus extingueret.

XVII. VISIO AD ANGVENDAM NIMIAM SEVERITATEM DEMONSTRATA.

His dictis, repente se vidisse referebat, domum in qua consistebat, primum vehementer agitari, ac demum a summo culmine per medium diuidi, & quemdam ante se ingentis luminis rogum, eumq. (videbatur enim iam sub dio esse locus) a cælo ad se vsque deferri. Cælum vero istud patere conspiciebat, eiusq. cardini Iesum insidere, innumeris illi humana specie adstantibus Angelis. Et ista quidem vidisse, cum superne aspiceret, & se esse admiratum memorabat. Vbi vero ad inferiora deflexit obtutus Carpus, ipsum quoque solum instar vasti ac tenebrosi cuiusdā profundi discissum se vidisse ait, atque viros illos, quibus mala imprecatus fuerat, ante se ad os illius profundæ voraginis stare trementes ac miserabiles, & qui ipsa pedum suorum labilitate iam mergendi viderentur. Porro ab inferiori parte voraginis serpentes cernebat emergere; qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi & grauari vna atque pertrahere, interdum vero dentibus, & caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immensi pauoris viderentur incutere, vt qui modis omnibus deorsum illos præcipitare molirentur. Fuisse autem & viros quosdā in medio, qui contra eos vna cum serpentibus impetum facerent, exagitantes vna & impellentes atque ferientes. Videbantur autem illi lapsui proximi partim vi, partim etiam inuiti, partim etiam sponte, cum a malo sensim & cogerentur simul & inducerentur. Referebat autem Carpus, dum inferiora aspiceret, fuisse delectatum, atque superiora neglexisse, grauiter autem & indigne ferentem, quòd illi nondum cecidissent: et cum sæpius eo desiderij ferretur impetu, eosq. ipse niteretur impellere, semperq. frustra moliretur, molestissime tulisse, & contra eos imprecatum esse. Cum ecce vix tandem reuocatis ad superna luminibus vidit cælum sicut prius aspexerat, Iesumq. miseratum quod fiebat, de cælesti illa sede consurgentem ad eos vsque descendere, & porrigere clementissimam manum, Angelosq. vna opem ferentes aliunde alium tenuisse viros; ac dixisse Iesum Carpo stanti porrecta adhuc manu: Iā percute aduersum me. Paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati: gratum mihi istud est, dum non alij homines peccent. Tu autem inspice an tibi vtile sit, hanc istius profundi & cū serpentibus mansionem, Dei ac bonorum clementiumq. Angelorum præferre consortio. Hæc sunt quæ ego audita, vera esse credo.] hucusque Dionysius. Quòd vero hoc contigisse festis Hilarijs dicat; celebrari ea solita erant octauo Kalend. Aprilis, vt ex Gentilium Romanorum Kalendario patet. Meminit eiusdem celebritatis Vopiscus in Aureliano, & Lampridius in Alexandro, qui Matris deum fuisse solemnia tradit, non autem Panis, vt alij putarunt. Ipsa etiam die, qua hæc diuinitus accidisse Dionysius tradit, passum esse Saluatorem nostrum, opinio multorum fuit.

XVIII. DE PVDENTE ET EIVS FILIIS.

Sed ad Paulum redeamus; qui in eadem epistola ad Timotheum salutationem Fidelium subijciens ait[a]: Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.] Quod ad Pudentem pertinet; hic ille vir est clarissimus Senatorij ordinis ciuis Romanus, pater Nouati, atque Timothei, Praxedis & Pudentianæ virginum: huius domus ad radicem Viminalis posita prope Exquilinum patuit omnibus Christianis, vbi & sacræ agebantur synaxes; conuersaq. deinde penitus in ecclesiam, eadem Pastoris Titulus dicta est, de qua alibi pluribus. Linus vero, cuius hic item habetur mentio, ille ipse videtur, cui (vt superius dictum est) Petrus ab Vrbe recedens, Fideliū qui in Vrbe essent, commisit curam; quem antea Paulo ministrasse, Ignatius[b] scribens ad Trallianos testari videtur, sic dicens, cum agit de diaconis: Quid vero diaconi, quàm imitatores angelicarum virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illi exhibent, vt S. Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro.] sed hæc olim. Ceterum sicut Timotheus ex diacono est factus Episcopus, ita & Lino pastoralis cura est a Petro Romæ commissa: cui etiam post mortem in sede successit, vt suo loco dicemus.

a 2. Tim. 4.
b Ignatius epistola 5.

Vt igitur

Universidad de Deusto
Biblioteca

XIX. DE EPISTOLA AD EPHESIOS SCRIPTA.

a Athanas. in Synops. Theodoret. in præfat. in epist. Paul. & alij. b Chrysost. in præfat. in epist. Paul.

Vt igitur de ceteris ab Apostolo Romæ scriptis epistolis agamus: iam diximus, vna cum illa ad Timotheum eam ad Ephesios esse conscriptam. Quòd vero aliqui illam primo a Paulo scriptã esse contendant [a] quæ ad Galatas missa est: libentius in his Chrysostomo [b] assentimur, qui eam ante epistolam ad Romanos esse conscriptam existimauit: nullus enim, sicut in ceteris, character in ea reperitur, quo demonstrari possit eam Romæ esse conscriptam; cum in reliquis nulla sit Pauli epistola Romæ scripta, in qua de vinculis suis non habuerit mentionem: at in ea ad Galatas data, de his nihil prorsus: quæ si Romæ prima omnium (vt aiunt) scripta esset, certe eorum meminisse, necessaria data videretur occasio. Vno itaque eidemq. tabellario, quem dicit se Ephesum misisse, quippe Tychico, Paulus tum eam ad Ephesios, tum etiam ad Timotheum secundam dedit epistolam: haud enim existimandum, easdem tunc scriptas singulas litteras dedisse singulis tabellarijs. Dans igitur Tychico litteras ad Ephesios, multa etiam sine scripto de rebus suis ore communicanda tradidit [c]: meminit frequenter in ea suorũ vinculorum, vt cum ait [d]: Ego Paulus vinctus Iesu Christi.] ac iterum: Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino.] ac rursum: Legatione fungor in catena.]

c 2. Tim. 4. Ephes. 6. d Ephes. 3. 4. & 6.

XX. OCCASIO SCRIBENDI AD EPHESIOS.

e 2. Tim. 1.

Huius autem tanto citius scribendæ epistolæ occasio inde manasse videtur, quòd Ecclesia Asiana fere penitus pessumdata videretur. Nam in secunda, quam tunc ad Timotheum scripsit, epistola, de his sic queritur, dicens [e]: Scis hoc, quòd auersi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus & Hermogenes.] Quinam autem fuerint Hermogenes & Phigellus, siue Philetus (vtraque enim lectio reperitur) nihil certi reperire potuimus, nisi quæ in apocryphis Apostolorum Passionibus leguntur in Iacobo Ioannis fratre: hos nimirum fuisse maleficos, verum Iacobi opera ad fidem Christianã esse conuersos. Sed sicut Simon magus, & ipse aliquando Christianus, sed a Christiana religione deficiens, aduersus Dei Ecclesiam omnia tela conuertit; ita & hos ipsos ex Fidelibus infideles, & e Christianis apostatas factos, maximas in Ecclesiam turbas concitare, & Paulo in omnibus auersari studuisse credendum est. Apud Metaphrastem in sermone de Petro & Paulo legimus, Phigellum a Petro factum (quod non credimus) Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ, eumq. Iudæos credentes a fide auertisse. Hæc nempe illa ipsa videntur esse tempora, quæ Paulus nouissime Ephesios ad se Miletum vocatos allocutus prædixerat, inquiens [f]: Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobismetipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate.] Iam vero antea, qui ex Asia erant Iudæi, primi fuerunt qui Hierosolymis aduersus Paulum populum concitarunt, & in ipsum manus (vt vidimus [g]) iniecerunt.

f Act. 20.

g Act. 21.

XXI. AD EPHESIOS EX GENTILIBVS CHRISTIANOS DATA EPISTOLA.

h Ephes. 3. i Ephes. 2.

Quod igitur dixerat, eos qui in Asia essent, a se auersos; haud dubium est, de Iudæis intellexisse. quamobrem ad eos, qui in fide constantes erant ex Gentibus Christiani iam facti, eam dedit epistolã: ad hos enim scripsisse, eius verba declarant, quibus ait [h]; Huius rei gratia ego Paulus vinctus Iesu Christi pro vobis Gentibus.] et iterum [i]: Propter quod memores estote, quòd aliquando vos eratis Gentes in carne, qui dicebamini Præputium, ab ea quæ dicitur Circumcisio.] Scribit igitur ad hos Paulus, vt eos cõtineat in officio: quod & fideliter præstiterunt. Ignatius enim Ecclesiam Ephesinam mirifice prædicat, commendatq. ipsorum zelum, quo adeo auersati essent hæreticos, vt nec illos audire, nec illac transitum habere permiserint; sic enim ait [k]: Noui nonnullos per vos transeuntes habere peruersam doctrinam peregrini & maligni spiritus: quibus negastis transitum ad spargendam zizaniam, obturatis auribus, ne reciperetis errorem quem docent.] Et vnde hoc Ephesij? nempe, quod superius dixerat: Vos itaque estis eiusmodi, a talibus instructoribus eruditi, a Paulo Christi pleno, & fidissimo Timotheo.] et rursum: Honestissimum supra modum laudat ille vestrum decentem compositumq. ordinem, quòdq. omnes secundum veritatem viuitis, & quòd nullus sit inter vos hæresi locus, sed nec auditur nomen vllius quàm solius Iesu Christi, veri pastoris & magistri: et estis (vt Paulus vobis scripsit) vnum corpus, & vnus spiritus: propterea quòd vocati estis in vna spe vocationis vestræ.] hæc Ignatius.

k Ignatius epistola 4.

XXII. *l 2. Tim. 4.*

Cum eam ad Ephesios Paulus dedisset epistolam Tychico discipulo; & ad Timotheum (vt dictum est) secundam scribens, inter alia eum admonuisset [l], vt suum Romam versus ante hiemem acceleraret aduentum, secumq. Marcum assumeret: hæc omnia ab ipso esse præstita, certum est; siquidem (vt superius est enarratum) de aduentu

uentu Timothei Romam reliquæ a Paulo Romæ scriptæ epistolæ, quibus sicut Pauli, ita & Timothei inscriptus legitur titulus, facile monstrant. Marcum insuper secum duxisse, exploratum habetur: nam eiusdem secum Romæ agentis idem meminit Paulus scribens ad Colossenses [a], necnon etiam ad Philemonem. Tychicum etiam, quem ad Ephesios miserat, Romam iterum redijsse, ac postea eumdem in Asiam denuo ad Colossenses missum, eadem ad ipsos scripta epistola significare videtur. Verum cum hieme aduentante, nauigandi iterum hoc anno in Asiam minus data videatur facultas: anno sequenti potius, qui numeratur secundus carceris Pauli, dictæ litteræ scriptæ fuisse creduntur, eædemq. opportuno tempore nauigationis Tychico in Asiam esse datæ: de his itaque agemus anno sequenti.

RECAPITVLATIO DICTORVM

a Coloss. 4.

Quod autem pertinet ad res Romanas: eas referimus tantum, quæ ab instituto minime abhorrent. Auctor est Tacitus, hoc anno ijsdemq. Coss. Nerone secundum & Calpurnio Pisone, laudabilem illam legem a Nerone sancitam, nimirum: Ne quis Magistratus, aut Procurator, qui prouinciam obtineret, gladiatorum vel ferarum spectacula ederet: ne ea de causa (quod factitari sciebat) a prouincialibus immensam Præsides vim pecuniarum corraderent. Idem scribit de Pomponia Græcina nobilissima femina, ream esse constitutam externæ religionis acceptæ: quamobrem non leuis est suspicio, eam, vt complures alias, Christianam fidem esse sectatam. Rem vero gestam in hæc verba Tacitus scribit: Pomponia Græcina insignis femina, Plancio, qui ouans se de Britannijs retulit, nupta, externæ religionis rea, mariti iudicio permissa. Isq. prisco instituto propinquis coram de capite famaq. coniugis cognouit, & insontem nunciauit. Longa huic Pomponiæ ætas & continua tristitia fuit: nam post Iuliam Drusi filiam dolo Messalinæ interfectam, per quadraginta annos non cultu nisi lugubri, non animo nisi mæsto egit.] Agit insuper hoc anno Tacitus de iudicio Romæ acto in Celerē Asiæ Proconsulem, qui occiso Silano, illi successerat primo anno Neronis Imperij, quo tempore Paulus (vt vidimus) in ea prouincia Ephesi grauissima passus est. Hunc igitur (inquit Tacitus) accusante Asia, quia absoluere nequibat Cæsar, traxit senectam, donec mortem obiret.] ob mortem enim Silani deuinctus illi Nero videbatur.

XXIII. DE POMPONIA GRAECINA.

IESV CHRISTI ANNVS 60. PETRI ANNVS 16. NERONIS IMP. ANNVS 4.

ANno Christi sexagesimo, Nerone Imp. tertium & Valerio Messala [b] Coss. Paulus Apostolus secundum agens annum in vinculis, plures ad diuersos scripsit epistolas; quibus omnibus sicut suum, ita & Timothei, quem litteris accersitum, ante hiemem anno præterito diximus venisse Romam, nomen inscripsit. Censetur earum illa prima quæ data legitur ad Philippenses, ea nimirum occasione conscripta, quòd illi Pauli studiosissimi, mox cum audissent illum Romæ vinculis detineri, Epaphroditum ipsorum Apostolum (sic enim eum Paulus [c] appellat) Romam miserunt, qui non tantum illum inuiseret, sed & munera accepta perferret [d]. Huic quidem Romæ agenti, morboq. ad mortem vsque laboranti, cum tandem conualuisset, has ad Philippenses dedit litteras: id enim Paulus ijsdem significat, quibus etiam suum ad eos pollicetur aduentum, sic dicens [e]: Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito. Necessarium autem existimaui, Epaphroditũ fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, vestrum autem Apostolum, & ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat, & mæstus erat, propterea quòd audieratis illum infirmatum. Nam & infirmatus est vsque ad mortem: sed Deus misertus est eius, non solum autem eius, verum etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum; vt viso eo, iterum gaudeatis, & ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino, & eiusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi vsque ad mortem accessit, tradens animam suam, vt impleret id quod vobis deerat erga meum obsequium.]

I. *b Tacit. lib. 14. Plin. lib. 2. c. 7. & lib. 7. c. 20.*

DE PAVLI EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

c Philipp. 2. d Philipp. 4. e Philipp. 2.

Existimauit Theodoretus [f] hunc ipsum Epaphroditum fuisse Episcopum, ea potissimum ratione, quòd Paulus appellet eum Apostolum: eo enim nomine tunc consuetum appellari eos quos dicimus Episcopos, multis ostendit; & Episcopos tunc eos dictos esse,

II. DE EPAPHRODITO.

f Theodoret. in epist. ad Philip.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ctos esse, quos nunc vocamus presbyteros, manifeste demonstrat ex initio eiusdem epistolæ, dum ait: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & diaconis.] sed de his superius pluribus actum est. Cum igitur Theodoretus ac ceteri etiam consentiant fuisse Epaphroditum Episcopum Philippensium; vnde Dorotheus acceperit, ipsum præpositum Ecclesiæ Hadriæ, seu Hadrianæ in Syria, non inuenimus. Quamobrem sicut diuersum illum putamus Epaphroditum ab eo de quo hic agitur; ita ex sententia Metaphrastis, fuisse tres Epaphroditos, dicendum esset; nimirum Philippensem hunc vocatum Apostolum; alium quem diximus Episcopum Hadrianæ; ac denique tertium (vt idem ait) a Petro Apostolo Ecclesiæ Tarracinensi præfectum Episcopum, cuius in Romano Martyrologio habetur mentio: nisi dicere velimus vnum eumdemq. in diuersa loca translatum fuisse, quod non putamus.

III. Sed ad Paulum redeamus, qui multis Philippensium erga se studium commendat, suumq. erga illos officium propensius multis etiam argumentis significat; atque eo potissimum, quòd ad ipsos iterum suum pollicetur aduentum. An autem vinculis liber in Orientem iterum statimq. remearit, suo loco dicemus. Inter alias autem eadem epistola impartitas eis admonitiones, in primis illud inculcat, vt omnes idem sapiant, eamdemq. inter se mutuam charitatem exerceant, vtq. vnanimes idipsum [a] sentiant omnes. Istud ipsum ad eosdem Philippenses scribens postea Ignatius [b], eadem rememorans, ait: Idem dicatis omnes, vnanimes in eadem fidei regula gradientes, vt Paulus vos admonebat, &c.] Polycarpus etiam ad eosdem scribens Philippenses, eisdem in mentem reuocat eamdem epistolam scriptam a Paulo, aitque: Propterea quia neque ego, neque aliquis similis mei poterit sequi sapientiam beati & glorioſi Pauli, qui fuit apud nos, & visus est secundum faciem illis, qui tunc erant, hominibus: qui docuit certissime atque firmissime verbum veritatis, & qui absens scripsit vobis epistolas, ad quas deflectimini, vt possitis ædificari in fide, quæ data est vobis, quæ est mater omnium nostrum.] et post multa: Ego autem nihil tale sensi in vobis vel audiui, in quibus laborauit B. Paulus, qui estis in principio epistolæ eius: de vobis enim gloriatur in omnibus Ecclesijs, quæ Deum solæ tunc cognouerant.] hæc Polycarpus.

ADMONITIO DE PACE CVSTODIENDA.
a Philip. 2.
b Ignat. epist. 8.

IV. Quòd vero eadem epistola idem Apostolus de hæreticis cauendis inculcet, sic dicens [c]: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem] quos & inferius his coloribus pingens, ait: Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt] haud dubium illos signat hæreticos, qui Christum vere crucifixum esse negabant; addentes, imaginem solum eius eam visam esse pati, Christum vero se subtraxisse: cuius hæresis (vt vidimus) primus auctor fuit Simon magus; quæ in eius discipulos est infeliciter propagata, vt Irenæus [d], Epiphanius [e], & alij tradiderunt. Eamdem & Cherinthus docebat, qui diuidens Iesum a Christo, Iesum passum ac surrexisse dicebat, Christum autem nequaquam, sed impassibilem perseuerasse, ipsumq. tempore passionis a Iesu recessisse. Scribunt hæc de Cherintho idem qui supra Irenæus [f], Epiphanius [g], Theodoretus [h], & alij, qui de antiquis hæresibus commentarios edidere. Addebat Basilides Simonis discipulus hanc ad commentum fabulam, Iesum qui portabat crucem, transformasse suam speciem in Simonem Cyrenæum, eumq. esse crucifixum, Iesum autem sic eo modo a passione esse subtractũ. Sed hæc pluribus Epiphanius [i]. Hos igitur a Paulo sugillatos esse, cum eos nominat inimicos crucis Christi, nullus iure poterit dubitare: cum præsertim Ignatius [k] ad eosdem Philippenses epistolam scribens, pluribus admoneat, vt hos ipsos caueant, qui Christi crucem negarent, dicens: Princeps enim huius mundi gaudet, cum quis crucem negarit: cognoscit enim crucis confessionem suum ipsius esse exitium. Id enim trophæum est contra ipsius potentiam; quod vbi viderit, horret, & audiens timet, &c.]

HAERETICI INIMICI CRVCIS CHRISTI QVI FVERINT.
c Philip. 3.
d Iren. lib. 1. c. 20. circa finẽ.
e Epiphanius hæresi 21.
f Iren. lib. 1. cap. 25.
g Epiph. hær. 22.
h Theod. hæret. fabul. lib. 2. c. 4.
i Epiphanius hæresi 24.
k Ignat. epist. 8.

V. Plura deinde in eamdem sententiam subdens, hæc quoque ait: Ideo & in quibusdam id efficit, vt crucem negent, vt passionis illos pudeat, & mortem opinione tantum illum gustasse asseuerent: partum Virginis circumcidant, & mutilent] videlicet diuidentes Iesum a Christo, sanctissimam Dei genitricem Mariam matrem dicerent Iesu fuisse, non autem Christi. Hoc est igitur, quod tam instanter Paulus Philippenses admonuit, illis verbis ad extremum positis: Videte concisionem] hoc est, eos qui sic conci-

DE HAERETICIS CONCIDENTIBVS IESVM A CHRISTO.

concidunt ac diuidunt Iesum a Christo, quos inferius nominat inimicos crucis Christi, quòd a Christo crucem auferrent. Id est etiam, quod in eadem epistola superius dixerat, tam clarum & patens de Christi cruce proferens testimonium in hæc verba [a]: Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortẽ, mortem autem crucis.] Hinc etiam videas; quoniam non tantum Philippis in Macedonia, sed & in Asia, itemq. in Græcia, & vbique fere gentium Christiani orbis eadem hæresis ab ijsdem sceleſtissimis nebulonibus vulgabatur; eumdem Paulum in omnibus suis epistolis ad diuersas Ecclesias scriptis, de cruce Christi sæpe sæpius repetere ac ingerere testimonium, contestariq. [b] se nonnisi Christum, & hunc crucifixum prædicare; nec aliud se scire profiteri, nisi Christum, & hunc crucifixum; nec aliud conari, nisi vt crucis prædicatio effulgeret, & ne quauis occasione crucis Christi gloria minueretur, aut aliquando tolleretur: hinc etiam illa de morte Christi & passione & sanguine ab eodem crebrior facta mentio. Aduersus eos etiam pugnans idem Ignatius [c] scribens ad Trallianos, postquam de dictis hæreticis & alijs crucem Christi negantibus est locutus, hæc addit: Si surculi non fuissent, *patris diaboli scilicet*, non fuissent hostes crucis Christi, sed eorum qui occiderunt Dominum gloriæ. Nunc vero cum crucem negent, & illos passionis pudeat, tegunt Iudæorum scelus.] hæc Ignatius.

a Philip. 2.
b 1. Cor. 12.
c Ignat. epist. 5.

VI. Illud tunc insuper factum est, vt contra dictos hæreticos ipso exordio nascentis Christi Ecclesiæ emergentes, & Christi crucis memoriam penitus abolere conantes, ipsa Catholica Ecclesia cum aduersus eos vehementius obniteretur, non tantum Christi crucem verbis profiteretur, sed signis & factis. Indeq. est ductum principium, vt instar crucis, in qua passus est Christus, ligno compactæ cruces erigerentur in titulum, quas Fideles venerarentur, easdemq. diabolus exhorresceret, velut (quod dicit Ignatius [d]) trophæum erectum contra ipsius potentiam; quod vbi viderit, horret, & audiens timet.] Sed quid est, quod ait, Vbi viderit, horret] nisi quòd tunc crucis vexilla erigi solita esse significat? Moris fuisse, cum locus quispiam diuino cultui manciparetur, illic figere crucem in titulum, attigimus superius, pluribusq. inferius dicturi sumus, cum agemus de Titulo. Inde etiam Apostolica in Ecclesiam traditio fluxit [e], vt Fideles tam in sacris, quàm in ceteris rebus quibus benedicerent, manu ducta, crucis signum exprimerent, quo remedio saluberrimo ad pellendos dæmones potissimum vterentur, atque in omnibus rebus illud adhiberent. Vnde Tertullianus [f] non vt de re quapiam recens adinuenta, sed cuius antiquitatis nullum inueniatur exordium, atque adeo vna cum Ecclesia coalescere cœperit, hæc ait: Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, & cubilia, ad sedilia, quacumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum & aliarum huiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam inueniens: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.] hæc ille.

d Ignat. ad Philip. epist. 8.
e Basil. de Spiritu sancto. cap. 1. & alij.
f Tertul. de coron. mil. c. 3. 4.

VII. Sed & Cyrillus Hierosolymorum Episcopus [g]: Non pudeat igitur nos, inquit, crucifixum confiteri: sed in fronte confidenter signaculũ crucis digitis imprimatur, & in alijs omnibus crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos; cum a Deo sit hæc gratia, & signũ Fideliũ, & timor dæmonũ: triumphauit enim de illis hoc signo. Ostenta illud audacter: quando viderint crucem, recordantur crucifixi: metuunt enim eum qui contriuit capita draconis.] hucusque Cyrillus, idq. ex antiqua institutione Fidelium. Habes apud Theodoretum [h] præclarum de his militum Christianorum exemplum, qui cum ad omnem potum signarent poculum cruce, eo signo, quòd Christiani essent, detecti sunt. Admonet istud ipsum Hieronymus [i] scribens ad Eustochium, sic dicens: Ad omnem actum & ad omnem incessum manus pingat crucem.] Sed nec illud prætermittendum antiquæ Fidelium consuetudinis; cum Symbolum fidei recitarent Fideles, in verbis illis postremis, Carnis resurrectionem] consueuisse frontem crucis signaculo communire. testatur id Ruffinus in expositione Symboli, & eius rei mysterium docet. Porro signare frontem crucis signo, tam frequens & vsitatum apud Fideles omnes semper fuit in Ecclesia Dei, atque iugiter perseuerare necesse est, vt S. Hippolytus

g Cyril. Hieros. catech. 13.
h Theodor. hist. lib. 3. cap. 20.
i Hier. epist. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

martyr in libello quem scripsit de consummatione sæculi, illud firmiter asseueret, Antichristum inter alia sui aduentus ostenta & signa, prohibiturum, ne quis Fidelis sanctam crucem pingat in fronte. Ex his intelligere, lector, potes, ipsum iam appropinquare, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Rursum vero non tantum se, sed & sua cuncta signo crucis notare Fideles consueuerunt: nam & in singulis quoque cubiculis & alijs habitaculis singulas esse cruces pingendas, S. Nilus[a] ad Olympiodorum Proconsulem scribens, admonuit. At prætermittimus de his innumeras hic aceruare sanctorũ Patrum auctoritates, & recitata ab ijsdem exempla, quæ sese nobis suis locis enarranda opportunius offerent. A

[a] Apud Nicen. 2. Concil. act. 4.

VIII. VIRTVTEM CRVCIS HOSTES ETIAM PROFESSI.

Res adeo perspicua atque omnibus manifesta longiori non indiget ambitu orationis: nam & ipsi Christianorum hostes, quantum aduersus dæmones virtus crucis potestate præualeat, sæpius, licet inuiti, testati sunt; quod de Iuliano Apostata scribit Theodoretus[b]. An non Lucianus[c], Epicureus licet, & cuiusuis numinis ritus illusor, tradit, Eucratem dignum plane virum cui fides adhiberetur, cum annulum accepisset ex ferro (vt ait) ex quapiam cruce facto, aduersus prauos dæmones redditum esse securum? Accidisse putamus, vt sicut (quod Lucas[d] tradit) Iudæi exorcistæ, licet in Iesum Christum non crederent, tamen quòd scirent a Paulo & alijs Christianis in nomine Iesu pelli dæmones, & ipsi eodem nomine ad dimouendos eos ab obsessis hominibus vtebantur; ita & magi, quod a Christianis feliciter factitari conspicerent, nimirum crucis virtute eos dæmonibus imperasse; & ipsi ad coercendos, cum opus esset, impetus dæmonum, signo crucis vsi fuerint: nam & eodem Luca[e] auctore, vidimus Simonem magum æmulatum esse in Petro gratiam impartiendi Spiritum sanctum: quam si habere ipsi licuisset, magno vtique pretio redemisset. Inde fortasse de ijsdem magis, quod scribit Plinius[f], contigit, vt fragmento clui a cruce sublati, vel sparto a cruce accepto vterentur ad morbos pellendos. Sed de his satis: ac finis esto eorum quæ spectant ad Pauli scriptam epistolam ad Philippenses, quatenus ad rerum gestarum historiam & traditiones spectare videbantur. B C

[b] Theodor. hist. lib. 3. cap. 3.
[c] Lucian. in Philopseud.
[d] Act. 19.
[e] Act. 8.
[f] Plin. lib. 28. cap. 4.

IX. DE EPISTOLA A PAVLO AD COLOSSENSES DATA.

Eodem quoque anno, ijsdem Coss. scripsisse Paulum ad Colossenses epistolam, ex ijs quæ superius dicta sunt, facile demonstratur. Inscriptio enim illius, eadem cum illa quæ ad Philippenses est scripta, nempe Paulus & Timotheus, satis significat, post Timothei Romam aduentum esse datam. Ceterum quòd adhuc a se in vinculis agente sit scripta, ipse in fine declarat, dum ait: Memores estote vinculorum meorum.] Cum ergo nonnisi biennio dicatur Paulus detentus fuisse in vinculis: hoc ipso anno, qui secundus eius carceris numeratur, datam eam epistolam esse oportuit, non autem prius. Nam Timotheus, qui inscribitur in ea, nonnisi prope finem anni superioris Romam venisse potuit, nec Tychicus redijsse, quem miserat Ephesum. Dedit igitur ipsam epistolam Paulus Tychico, quem anno quoque superiori Ephesum mittens (vt vidimus) eidem ad Ephesios epistolam[g] dederat. Quamobrem Tychicum perfunctum esse apud Paulum munere tabellarij, ex iam dictis satis conijci posse videtur: eodem enim nuncio Titum[h] quoque olim Paulus accersisse visus est: eidemq. Tychico dedisse epistolam primam ad Timotheum, argumentum eius epistolæ, quod in antiquis Græcis exemplaribus legitur eidem præfixum, satis aperte demonstrat. D

[g] 2. Tim. 4. Ephes. 6.
[h] Tit. 3.

X. TABELLARII VSVS.

Non enim cuique se offerenti olim Apostoli & eorum successores Episcopi, sed certis hominibus, ijsdemq. optimis moribus præditis, ac probe notis, dare litteras consueuerant, vt apparet ex his quæ superius ex Ignatij litteris[i] ad Polycarpum scriptis, alijsq. a Cypriano ad diuersos datis[k], dicta sunt. Ceterum hi non tantum munere tabellariorum, sed & legatorum fungebantur officio: nam illis multa ore tenus communicanda credebantur, quæ coram illis, ad quos mitterentur, explicaturi essent; vt de Tychico vidimus, cum Ephesum missus est, & cum in præsentiarum ab eodem Paulo ad Colossenses legatur; ait enim ad eos scribens[l]: Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & consoletur corda vestra, cum Onesimo carissimo & fideli fratre, qui ex vobis est. Omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis.] Eidem quoque videtur Paulus dedisse epistolam ad Philemonem, vt suo loco dicemus. Rursus etiam per eumdem nuncium aliam misisse epistolã ad Laodicenses, ea quæ in fine dictæ epistolæ ad Colossenses Paulus habet, nonnullis persuaserunt; sunt autem E

[i] Ignat. epist. 11.
[k] Cyprian. epist. 10. & 24.
[l] Coloss. 4. 1

hæc

A hæc eius verba[a]: Cum lecta fuerit apud vos epistola, facite vt in Laodicensium Ecclesia legatur, & eam quæ Laodicensium est, vos legatis.]

[a] Coloss. 4.

Antiqua hæc est quæstio, an Paulus scripserit quoque ad Laodicenses. De qua acturi, in primis qui fuerint Colossenses, paucis agendum putamus; vt de qua Laodicea hæc quæ Paulus scribit, sint intelligenda, pariter cognoscamus. Colossas igitur, vnde Colossenses, auctore Strabone[b], Plinio[c], & aliis, constat fuisse oppidum in Maiori Phrygia, haud longe positum a Laodicea: ex quo certum redditur, Apostolum non esse locutum de Laodicea quæ dicitur Syriæ, nec etiam de ea quæ est in Media, sed de ea quæ est in Phrygia contra Hierapolim, iuxta flumen Mæandrum, a quo Lycus amnis manat. Liquet ex his, hallucinatos esse, qui dixerunt Colossenses dictos esse Rhodios, ob ingentem illum ab eis Solis colossum erectum, quod Suidas & alij plures recentiorum Græcorum & Latinorũ dixerunt. Præfectus olim Colossensibus Epaphras, solicitus pariter erat tam Laodicensis quàm etiam Ecclesiæ Hierapolis illis proximæ: vnde eadem ad Colossenses data epistola, de eodem Epaphra sic scribit Paulus[d]: Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum laborem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & qui Hierapoli.] Hic enim Romæ agens, vinculis pariter tenebatur adstrictus: vnde in eadem quam hoc item anno eidem Tychico ad Philemonem Paulus dedit, epistola, Salutat te, inquit, Epaphras concaptiuus meus in Christo Iesu.] sicut & Aristarchus, quem hac ipsa ad Colossenses scripta epistola concaptiuum appellat. Confutauimus superius commentum illud, quod iure Hieronymus[e] nominat fabulam, de Epaphra & Paulo, quòd pueri olim ambo vincti ducti sint Gisçala Iudææ oppido Tarsum. Post Epaphram, qui Colossenses instituit, Archippus illis datus videtur Episcopus, de quo Paulus in fine eius epistolæ hæc subdit: Dicite Archippo: Vide ministeriũ quod accepisti in Domino, vt illud impleas.] Hæc de Episcopatu Epaphræ & Archippi licet apud Ambrosium[f] scripta habeantur, tamen nulla alibi de Archippo, quòd fuerit Episcopus Colossensium, habetur mentio, sed tantum de Epaphra in antiquis Martyrologijs hoc expressum habetur. Primasius autem negat omnino Archippum fuisse Episcopum, sed diaconum fuisse tradit. B C

[b] Strabo lib. 12. cap. 13.
[c] Plin. lib. 5. cap. 32.
[d] Coloss. 4.
[e] Hier. in epist. ad Philem.
[f] Apud Ambros. in epist. ad Coloss. in fine.

XI. DE COLOSSENSIBVS, AD QVOS SCRIBIT PAVLVS.

His visis, an re vera Paulus scripserit epistolam ad Laodicenses, quam mandat legi in Ecclesia Colossensium, quid ab antiquioribus scriptum sit, in medium afferamus. Hæretici (vt auctor est Tertullianus[g]) eidem quam nos ad Ephesios scriptam habemus, Ad Laodicenses, titulum præfixerunt: Marcionem id etiam præstitisse, idem affirmat, cum ait: Ecclesiæ quidem veritate epistolam istam ad Ephesios habemus missam, non ad Laodicenos: sed Marcion titulum aliquando interpolare gestijt, & quasi in isto diligentissimus explorator.] Sicq. cum aliquid ille citaret, quod ex epistola ad Ephesios esset acceptum, titulo epistolæ ad Laodicenses edebat, vt Epiphanius[h] aduersus ipsum agens edocet. Verum ne vel leuis suspicio eius mendacij pulset legentis animum; habetur Ignatij testimonio egregie testatũ, epistolam ad Ephesios vere ad Ephesios esse conscriptam: citat enim eam ipse ad ipsos Ephesios scribens, sicq. dicit[i]: Estis (sicut Paulus vobis scripsit) vnũ corpus & vnus spiritus, qui vocati estis in vna spe vocationis vestræ.] Alij vero dixerunt, scriptam fuisse a Paulo ad Laodicenses priuatam epistolam, ab ea quæ ad Ephesios data est plane diuersam; quæ etiam circumferebatur inter Fideles, non tamen vt legeretur, sicut ceteræ, in Ecclesijs: nã inter canonicas non erat adnumerata; de qua agens S. Hieronymus[k] ait: Legunt quidam & ad Laodicenses epistolam, sed ab omnibus exploditur.] Cur autem in Ecclesia non legeretur, hanc affert causam Philastrius[l]: Aiunt epistolã ad Laodicenses scriptam: et quia addiderunt in ea quædam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia; & si legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia populo legitur.] Itaque ex Philastrij sententia, non sic apparet eam fuisse explosam, quòd non esset Pauli, sed quòd additis ei nonnullis haberetur adulterata. Quamobrem quæ edita apud Xystum[m] habetur epistola ad Laodicenses, nequaquam illa quæ olim circumferebatur, fuisse videtur: quippe cum perbreuis sit, nec quid habeat adulterinum, additamentum etiam nullum acceperit extrinsecus, sed potius eorum quæ perperam posita viderentur, vel haberentur ambigua, fuerit mutilatione contracta. Nec etiam placet, quod tradit Theophylactus, intellexisse Paulum de epistola prima ad Timotheum scripta; quòd (vt dictũ est) eadem scripta fuerit Laodiceæ. Nam quæ subest ratio, vt epistolam ante plurimos annos scriptã legi voluerit in D E

[g] Tert. contra Marcion. lib. 5. cap. 11. & 17.
[h] Epiph. haresi 42.
[i] Ignatius ad Ephes. epist. 14.
[k] Hier. de Script. Eccl. in Paulo.
[l] Philast. de haref. cap. 90.
[m] Xyst. Senens. Biblioth. lib. 2. in Paulo.

XII. AN PAVLVS AD LAODICENSES SCRIPSERIT.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesia Colossensium? vel cur illam magis, quàm reliquas ad diuersas Ecclesias datas epistolas? A

XIII. QVOD NVLLA SCRIPTA EVENERIT A PAVLO EPISTOLA AD LAODICENSES.

Chrysostomus[a] nullam putat a Paulo datam esse epistolam ad Laodicenses, ea scilicet ratione, quòd Græca edito habeat: κἀὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας] hoc est: Et illam quæ ex Laodicea scripta est.] sicq. intelligendum putauit, vt quæ a Laodicensibus missa fuisset ad Paulum, ab ijsdem Colossensibus legeretur. Hanc ferme secutus sententiam Theodoretus[b], hæc ait: Quidam existimant Paulum etiam scripsisse ad Laodicenses epistolam: itaque fictam eam epistolam proferunt. Diuinus autem Apostolus non dixit, Eam quæ ad Laodicenses; sed, Eam quæ est ex Laodicea. illi enim de aliquibus rebus ad eos scripserant. Verisimile est autem, eos vel ea accusasse quæ fiebant Colossis, vel eodem morbo cum eis laborasse: et ideo dixit hanc quoque epistolam esse legendam.] hæc Theodoretus. Sane nullam eidem tabellario ad Laodicenses fuisse a B Paulo datam epistolam, satis constat; dum in ea quam tum scripsit ad Colossenses, salutari mandat eos qui Laodiceæ essent Fideles, sic dicens: Salutate fratres, qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est, Ecclesiam.] Si enim ad Laodicenses tunc scripsisset, ipse sua epistola eiusmodi functus esset officio, nec opus habuisset illud Colossensibus delegare. Si vero antea ad Laodicenses Paulus scripsisset; illis vtique (vt modo fecit scribens ad Colossenses) vt suas litteras legendas traderent Colossensibus, in mandatis dedisset. Libentius igitur Chrysostomo ac Theodoreto inhæremus, quàm ceteris, vt nulla a Paulo scripta fuerit epistola ad Laodicenses; cũ præsertim quæ ad Laodicenses Pauli nomine spuria fertur, nequaquam sit ab antiquioribus cognita. Nam qua ratione Marcion (vt vidimus) illam quæ habetur scripta ad Ephesios, ad Laodicenos datam fuisse putauit, si ea quæ ad Laodicenos erat, extabat? Vel si & ipse illam esse C spuriam cognouisset, vir acerrimus ac pugnacissimus disputator, suam firmans sententiam, cur non illam potius quàm istam ad Laodicenses scriptam fuisse conuinceret, cum nec vllam prorsus de ea habuerit mentionem? Immo & Tertullianus, Marcionem impugnans, nullam nisi ad Ephesios scriptam, existimatam fuisse dixit epistolam ad Laodicenses falso vulgatam.

a Chrysost. in epist. ad Coloss. homil. 12.
b Theodoret. in epist. ad Coloss. in princ.

XIV.

Quòd vero Paulus eadem epistola ad Colossenses[c] hæc habeat: Volo vos scire, fratres, qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne] nonnulli sunt arbitrati tam a Colossensibus quàm etiam Laodicensibus Paulum numquam visum, fuisseq. illis ipsum facie prorsus incognitum. At hæc minime probantur Theodoreto[d]; qui ea verba declarans ait: Oportebat considerare verborum sententiam. Vult enim dicere: Non solum vestrum, sed & eorum qui me non viderunt, maximam curam gero.] Sane (quòd & hæc ad historiæ veritatem spectare noscantur) dicere non prætermittimus, ac breui compendio hic repetere Pauli peregrinationem in Asiam. Constat Lucæ[e] testificatione, Paulum vna cum socijs, cum descendisset in Phrygiam, in qua prouincia erant Laodicea atque Colossæ, absque aliqua verbi prædicatione prætereuntem venisse in Mysiam: Vetati sunt enim (inquit Lucas) a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia.] Quamobrem tum Paulum nondũ illis fuisse cognitum existimamus. Verũ post aliquot annos (vt superius notatum est) Paulus iterum est reuersus in Asiam. Id enim est quod Lucas alibi[f] ait: Factum est, cum Apollo esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus (*Asiæ scilicet*) veniret Ephesum.] vbi ipso manente factum est (vt idem ait) vt omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Iudæi, atque Gentiles. Hac igitur vltima E in Asiam peregrinatione Paulum Laodicensibus & Colossensibus Euangelium prædicasse, illisq. probe notum fuisse, iure existimandum putamus.

c Coloss. 2.
d Theodoret. in epist. ad Coloss. cap. 2.
e Act. 16. RECAPITVLATIO PEREGRINATIONIS PAVLI IN ASIAM.
f Act. 19.

XV.

Nec illud insuper ab instituto alienum existimamus (nam ad historiam etiam pertinet) scire causam, cur Paulus inter alia hæc admonuerit Colossenses[g]: Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.] Haud facilis captu est locus iste, sed perdifficilis quidem, qui & absque exacta peritia rerum gestarum illorum temporũ superari non possit. Consultus de ea re S. Hieronymus[h] ab Algasia, multa diserens, singillatimq. verba cuncta diligenter expendens, eius videtur fuisse sententiæ, vt quod spectat ad religionem Angelorum, Paulus fugillare voluerit eos qui erant

g Coloss. 2. DE RELIGIONE ANGELORVM QVAM PAVLVS DAMNAT.
h Hieron. epist. 151. q. 10.

A erant ex circumcisione colentes astra cæli, simul & Angelos: nec fuisse recens hanc apud eos illapsam hæresim, sed peruetustam, a Prophetisq. sæpius exagitatam, multis declarat. In eamdem quoque sententiam hæc Clemens Alexandrinus[a]: Neque colite Deum vt Iudæi: etenim illi soli se Deum nosse putantes, nesciunt se adorare Angelos & Archangelos, mensem & Lunam: et nisi Luna apparuerit, non agunt sabbatum quod dicitur primum, neque agunt neomeniam, neque azyma, neque magnum diem, &c.] Certe his respondent quæ non multo ante idem Paulus Apostolus de Iudaicis festis monuerat Colossenses.

a Clem. Alex. Strom. lib. 6.

XVI. IVDAEI CVLTORES ASTRORVM.

Quomodo autem hæc cohæreant, vt Iudæi errore lapsi, astra simul & Angelos colerent; non aliunde putamus accidisse, nisi quòd (vt de Pharisæis tradit Epiphanius[b]) ipsa cæli astra fuisse animata existimarent; quamobrẽ & ijsdem (vt ait) indidissent no- B mina Hebraica: et Angelos esse, sensisse videntur. æque enim ac Angelos, militiam cæli dixerunt astra, secundum illud Deuteronomij[c]: Nec adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi.] et illud Regum[d]: Adolebant incensum Baal, Soli, & Lunæ, duodecim signis, & omni militiæ cæli.] proprie vero militiam cælestem a diuina Scriptura constat nominatos Angelos, sicut & ipse Dominus Deus exercituum dictus est: sicut etiam apud Lucam[e]: Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum.] Porro vt sic Iudæi astra colerent, non fuit tunc tantum apud eos error, sed & in posteros est infeliciter propagatus: adeo vt quoniam eiusmodi errori essent addicti, Cælicolæ dicerentur: quo contumeliæ nomine notati sunt Honorij Imperatoris[f] edicto omnes Christiani, qui a religione transfugæ in Iudaismum deficerent, vt suo loco dicemus vberius.

b Epiphan. in Panar. lib. 1. c. 16.
c Deut. 17.
d 4. Reg. 23.
e Luc. 2.
f De Iudæis Cælicol. l. 19. Cod. Theod.

XVII.

C Hæc quantumlibet vera sint, & Pauli sensui æque possint accommodari, & ab alijs nonnullis recepta videantur: tamen quoniam Apostolum nouimus suis epistolis solitum insectari illos hæreticos, qui Christiano nomine in Ecclesiam Catholicam grassabantur; accuratius exquirendum est, quænam hisce temporibus hæresis sit debacchata, quæ religionem institueret Angelorum, cuius pseudoapostoli ad decipiendos Colossenses venirent in humilitate & religione Angelorum. Theodoretus[g] hunc locum explicans, testatur his temporibus hæresim fuisse exortam, quæ diceret Deum vniuersorum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse perueniri, & oportere per Angelos diuinam sibi beneuolentiam conciliare: affirmaretq. legem per Angelos esse datam. At quoniam eiusmodi Theodoreti sententia a Nouatoribus in deteriorem partem accipitur: diligentiori studio hæc cuncta examinanda proponimus. Quænam fuerit dicta hæresis, D ipse non indicat, nec in suis, quos scripsit, libris hæreticarũ fabularum, explicat: quamobrem mirati sumus, errorem eiusmodi tribui Simoni mago; cum quæ de Angelis ipse dixerit, longius ab his discrepent: quippe qui traderet (vt referunt Irenæus[h], Epiphanius[i], idemq. Theodoretus[k], & alij) se esse diuinam potentiam, quæ Iudæis vt Filius apparuisset; seq. per mentis suæ primam comprehensionem, quam Helenam esse dicebat, creasse Angelos, a quibus mundus esset effectus: porro Angelos ægre ferentes se eo modo esse creatos, in ipsam Helenam fuisse commotos, ipsamq. affeciisse ignominia: ad quam redimendam, & ab Angelis vindicandam, ipsum descendisse, ac in Iudæa hominem apparuisse tradebat. Sic igitur nullus a Simone Angelorum cultus introductus habetur; qui dicebat se in mundum descendisse, vt Angelos male moderantes terrarum orbem corriperet. Nec his insuper aptari possent, quæ Simonis di- E scipuli dixere de Angelis; quibus licet creationem rerum tribuerint, tamen quòd perperam agerent, Christum ad eos debellandos missum esse iactarunt; quod Basilidis proprium dogma fuit. Porro tantum abest, vt hi Angelos adorandos esse docuerint, quòd pugnandum esse suaderent aduersus Angelos mundi fabricatores, idq. horum affinis Carpocras tradiderit.

g Theodor. in epist. ad Col. 2. DE RELIGIONE ANGELORVM FALSO INTRODVCTA.
h Iren. lib. 2. c. 20.
i Epiphan. hæres. 21.
k Theod. hæret. fab. lib. 1. c. 2.

XVIII. QVAM CHERINTHVS RELIGIONEM ANGELORVM INTRODVXIT.

Potius igitur ad Cherinthi peruersum dogma id spectasse videri potest: quippe qui cum adeo humiliter de Christo sentiret, vt omnem ab eo diuinitatem auferret, hominem tantummodo esse confirmans, super eum Angelos extollebat, per quos mundum esse creatum traderet, Deumq. Hebræorum vnum ex illis esse Angelum prædicaret. id de eo cum citati auctores, tum etiã Tertullianus[l] affirmant. Cum igitur Cherinthus Christum deprimeret, & Angelos exaltaret; merito Paulus admonet Colossenses, dicens: Nemo vos seducat, volens placere in humilitate (Christi videlicet, cum

l Tertull. de præscr. c. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ob scandalum crucis illum fuisse tantum hominem prædicaret, adeo illum humilem reddens) & religione Angelorum: cum Angelos scilicet naturæ opifices esse iactaret. Et quod subdit, Quæ non vidit] vtique alludere videtur ad id quod de eodem Cherintho Theodoretus [a] scripsit, sic dicens: Confinxit autem etiam quasdam reuelationes, tamquam ipse eas esset contemplatus.] illis enim vtebatur ad captandam audientium fidem, multa se diuinitus vidisse mentiens, quæ (vt inquit Paulus) non vidit. Sane quidem aduersus huiusmodi hæresim de Angelorum excellentia, & de Christo Cherinthi abiectã sententiã frequenter admodum Apostolus est visus iacula intorquere; vt in primis cum ad eosdẽ Colossenses [b] scribens, hæc ait de Christi super Angelos excellentia: In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter; qui est caput omnis principatus & potestatis,] et ne per scandalum crucis putarent Christi amplitudinem diminutam, paulo post addit: Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.]

[a] Theodoretus hæret. fabul. lib. 2. c. 4.

[b] Coloss. 2.

XIX. Eodem plane argumento scripsisse videtur epistolam ad Hebræos [c], in cuius exordio hæc de Christi excellentia super Angelos sic dicit: Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula: qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis suæ, purgationẽ faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditauit. Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?] in fine autẽ eius capitis post multa de inæstimabili Christi super Angelos excellentia, quodnam re vera sit Angelorum ministerium demonstrans, sic ait: Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?] Multa præterea eodem argumento scripta habentur sequenti capite. Ad hæc etiam spectare videtur, quòd idem Apostolus scribens ad Galatas, in Asia populum, vbi agebat Cherinthus, qui & illis circumcisionem prædicabat; eo cogitur vti dicendi genere: Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præter quàm quod euangelizauimus vobis; anathema sit.] et in hanc sententiam etiam ad Corinthios [d]: Nescitis, inquit, quoniã Angelos iudicabimus?] Ad hoc item spectat, quòd non tantũ Paulus & alij Apostoli ad dictam hæresim confutandam labores immensos subiere; sed, sic Deo agente, & Angeli [e] ipsi id sponte professi sunt. Nã Ioanni ad pedes eius accidenti, vt adoraret vnum ex ijs, mox ille ait: Vide ne feceris: conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum.] quod & iterum factum est, quando Angelus subdidit: Deum adora] plane significans, non sibi, sed Deo præcipuam illam omnium maximam adorationem deberi: idq. non tantum vt Ioannem instrueret, sed in Ioanne potius vniuersam Ecclesiã aduersus eosdem hæreticos commoneret. Pertinet ad hoc ipsum, quod idem Ioannes monens Laodicensem Ecclesiam eiusdem prouinciæ metropolim, ait: Hæc dicit testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei] nimirum per quem omnes creaturæ sunt factæ, vt sic confutaret dogma Cherinthi dicentis, Angelos mundum creasse. Et quòd idem eiusdem prouinciæ præcipuos Episcopos appellet Angelos; plane significat, instar hominum Angelos hominibus ministrare, nec tantæ esse excellentiæ, vt quæ diuina sunt, ijsdem tribuantur.

[c] Hebr. 1.

PAVLVS MVLTIS CONFVTAT CHERINTHI HAERESIM.

[d] 1. Cor. 6.

[e] Apo. 19. 22.

XX. Verum licet Cherinthus ea sentiret de Angelis: quòd tamen eos suaserit adorandos, nusquam inuenimus, nec quempiam alium dictorum hæreticorum, qui mundi creationem æque Angelis tribuebant: nam super Angelos Virtutem esse diuinam omnium supremam, quam Deum dicerent, omnes affirmabant. Quinetiam tantum abest, vt Cherinthus (nam de alijs dictum est) Angelum Iudæorum, quorum legem ipse coleret, adoraret; vt potius (quod Epiphanius [f] de eo scripsit) eum malum esse diceret, ac detestaretur. Ex his videas (quod necessario dicendum est) Theodoretum haud feliciter (eius pace sit dictum) assecutum esse Pauli verborum sensum: cum in huius ad Colossenses epistolæ commentarijs [g] dicit, hæc a Paulo esse scripta, quòd tum grassarentur hæretici, qui Angelos colendos esse iactarent. Quinam hi fuerint, dicat ipse, qui omnium antiquorum hæreticorum fabulas egregie perpetuæ memoriæ commendauit. Sic ergo errore semel lapsus, in alium grauiorem impegit, vt diceret, canonem trigesimumquintum Laodiceni Concilij de his hæreticis esse intelligendum, qui Angelos colendos esse docerent,

[f] Epiphan. hæres. 28.

[g] Theodoret. ad Coloss. c. 2.

CORRIGITVR THEODORETVS ET REDARGVVNTVR NOVATORES.

docerent, quiq. in eadem regione Asiæ oratoria erexissent sancto Michaeli Archangelo: incaute nimis, quæ a Catholicis essent antiquitus instituta, hæreticis, quorum nulla esset memoria, tribuens. Quænam vero essent in ea prouincia Asiæ antiquiores memoriæ Michaelis Archangeli, & a quibus fuerint institutæ, repetere operæpretium ducimus. Haud enim frustra hæc propensiori studio tractanda suscipimus, cum Nouatores hæretici aduersus Catholicam veritatem Theodoreti sententiam vsurpent simul cum testimonio Concilij Laodiceni, quo ab Ecclesia Catholica Angelorum pium cultum abijciant. Sane quidem nullum a Cherinthianis hæreticis erectum fuisse in honorem S. Michaelis Archangeli oratorium, ex nuper dictis satis superq. liquet. Cum enim ipsum Iudæorum Deum Cherinthus diceret fuisse Angelum, haud de alio quàm de Michaele potuit intellexisse, quem ex Daniele [a] fauisse populo Iudæorum, optime nosset: verum cum illum ipsum, quem affirmaret esse Deum Iudæorum, malum diceret; nulla prorsus subest ratio, cur in honorem Michaelis erexerit oratoria: at nec alios hæreticos, de quibus est facta mentio, id præstare potuisse, quæ iam sunt dicta, demonstrant.

[a] Dan. 10.

XXI. DE RELIGIOSO ANGELORVM CVLTV.

Ceterum Angelos venerari, non hæreticorum, sed Catholicæ Ecclesiæ mos fuit: quæ præsertim in honorem sancti Michaelis Archangeli, quem patronum nouit & protectorem ob insignia eius ope accepta beneficia, memorias erigere, illumq. precari, sic & ceteros, vt apud Deum intercederent, consueuit. Id vero quàm pure, quam sancte, religiose, atque frequenter in vniuerso Christiano orbe præstari sit solitũ, satis demonstrant quæ in nostris [b] Notationibus ad Romanũ Martyrologium nuper diximus: itaque eas consulat lector qui hæc cupit. Sed vt modo agamus de prouincia & loco vbi ea facta esse dicuntur: certum est Colossis sub Laodicensi metropoli positis antiquum viguisse cultum Michaelis Archangeli; non quidem vt eum tamquam Deum colerent, sed vt præcipuum Dei ministrum, eo cultu quem sanctos Angelos decet, afficerent: idq. non hæreticorum persuasione, sed ostensione immensi prodigij, atque adeo celebri, vt in Orientali Ecclesia anniuersaria de ea re memoria ageretur sexta die Septembris: quod Græcorum antiquum Menologium in primis testatur his verbis: Die sexta Septembris, commemoratio miraculi ostensi a principe militiæ cælestis Michaele in vrbe Colossensium, quæ postea dicta est Cone.] sic enim Colossensem ciuitatem dictam esse, Oecumenius [c] item affirmat. Eiusdem celebritatis meminit Emanuel in sua constitutione de ferijs [d]. Quas pœnas dederit pseudo-Alexius Iconoclasta, qui ausus est violare dictam ecclesiã S. Michaelis in Conis, scribit eiusdẽ vrbis ciuis Nicetas Coniata [e]. Res gesta historiæ de Michaelis manifestatione Conis facta, ex antiquioribus monumentis descripta extat apud Metaphrastem [f]. Magna quidem Dei prouidentia esse factum apparet, vt in cubilibus (quod ait Isaias [g]) vbi dracones habitabant, Angelorum princeps Michael miraculorum operatione refulgens, illic congruo coleretur honore; nimirum vt Colossenses in primis sanctissimæ Trinitati, secundum institutionem Catholicam, primum omnium illi decentem ac proprium cultum impartirentur; ac deinde Angelos, quo deceret, prosequerentur honore.

[b] Martyr. Rom. die 8. Maij.

COLOSSENSES CVLTORES MICHAELIS ARCHANGELI.

[c] Oecumen. in epist. ad Colos.

[d] Apud Theod. Balsam. in Nomoc. Phot. tit. 7.

[e] Nicet. Con. in Annal. pag. 48.

[f] Metaphr. die 6. Septemb.

[g] Isai. 35.

XXII. Synodus igitur Laodicena nequaquam rectum Angelorum cultum imminuit; sed eum qui ex Gentibus erat contra diuinitatis numen, eiecit: sicut cum in superiori canone illos damnat, qui relicto cultu sanctorum martyrum, falsos adirent hæreticorum martyres, sic dicens [h]: Non oportet omnino Christianum, derelictis martyribus Christi, abire ad falsos martyres, & (*vt habet prior versio*) hæreticorum, quos ipsos constaret hæreticos extitisse: hi enim alieni a Deo sunt. Quicumque autem abire voluerit, anathema sit.] Ita etiam sequenti canone, Gentilium idolorum sectantes errores condemnat, sic dicens [i]: Non oportet Christianos derelicta ecclesia abire, & ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere. Quicumque autem inuentus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam relinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola.] hæc canon: quo, sicut superiori quæ essent hæreticorum damnat, ita quæ Gentilium idololatrarum essent, omnino proscribit.

[h] Concil. Laod. c. 34.

DE CANONE CONCILII LAODICENI.

[i] Concil. Laod. c. 35.

XXIII. At neque vlla subesse suspicio potest, vt sacrosancta Synodus Angelorum pium cultum dixerit idololatriam. Nam si eadem Synodus cultum veri martyris recipit, vt superiori vidimus canone, & alio, quo agi festa martyrum, præterquam in Qua-

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Concil. Laod. can. 51. CVLTVS ANGELORVM EX SYNODO LAODICENSI.

in Quadrageſima [a], monuit; multo magis Angelorum cultū oportuit recepiſſe: nam vt ſublimiori naturæ, potius debetur cultus Angelis, quàm hominibus. Vnde expreſſe patet, quòd ſicut ſuperiori canone recipiens Synodus cultum veri martyris, a pſeudomartyrum cultu Fideles cohibuit; ita & ſequenti, falſorum Angelorum, eorum nimirum quos venerarentur idololatræ, venerationem prohibuit: alludens fortaſſe ad Genij cultum, cuius gratia Gentiles [b] diem natalitium celebrantes, affines & amicos conuocarent: et hoc ſit quod ait canon: Ad Angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere.] vel (quod verius exiſtimamus) quòd magi ad ſuas magias perficiendas, non tantum dæmones, ſed & Angelos ſe inuocare profiterentur, hocq. honeſto nomine velarent turpiſſimas impoſturas. teſtatur hæc de his Tertullianus in Apologetico [c]. Quapropter Patres in ea Synodo congregati occultam hanc dixerunt idololatriam, quæ nimirum honeſtiſſimo prætenſo Angelorum nomine patraretur. Quamobrem & his conſentiens conſequitur canon [d], prohibens ne clerici vllo pacto magiæ operam darent. His igitur de germano ſenſu illius canonis elucidatis, ſatis Theodoreti perperam facta interpretatio remanet confutata: cum alioqui in his quæ ſpectant ad dogmata, non ſit dubium, ipſum recta ſenſiſſe de Angelis: nam ipſos non tantum veneratur, ſed & æternæ ſalutis adminiſtros nobis a Deo conceſſos, & in eo præſertim vt apud Deum intercederent, noſtramq. cauſam agerent, conſtanter affirmat [e]. Sed de his ſatis.

[b] Censor. de die natal. & Macrob. Saturnal.

[c] Tertul. in Apolog. c. 23.

[d] Concil. Laod. c. 36.

[e] Theod. diuin. decret. lib. 5. de Angelis, & in Dantel. c. 4.

XXIV. Iam quod ſupereſt de Eccleſiaſticis traditionibus, quæ eiuſdē Pauli epiſtola ad Coloſſenſes remanent conſignatæ, ex inſtituto demonſtrare proſequamur. Quod enim inferius eoſdem admonens ait [f]: Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia; docentes & commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo.] Epheſios [g] quoque ijſdem fere verbis, ſcripta ad eos epiſtola, alloquens, ad hæc eadem facienda eſt vehementer hortatus: quibus Apoſtolus Eccleſiaſtici cantus formam præſcribit: nimirum vt in gratia, quod ait, cantarent Domino in cordibus ſuis; ſcilicet vt muſicos modulos cordis chorda conciherent. Illud enim cantare in cordibus dicit (vt interpretes omnes [h] elucidant) pro eo quod eſt, non ore tantum. At hæc de cantu non ſolum Paulus admonuit; ſed & Virtutes Angelicæ docuerunt, quomodo pſallendum eſſet in Eccleſia. Socrates [i] enim hæc de Ignatio teſtatur: Ignatius Antiochiæ, quæ eſt in Syria, tertius a Petro Apoſtolo Epiſcopus, qui cum Apoſtolis ipſis multum verſatus eſt, viſionem vidit Angelorum, ſanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium; & formam canendi in ea viſione expreſſam Eccleſiæ Antiochenæ tradidit. vnde illa traditio ab omnibus Eccleſijs recepta eſt.] hæc Socrates. Sed altior atque certior eius rei fides habetur, cum de Seraphim ſtantibus ſupra thronum, atque clamantibus, & alternis vicibus canentibus, ſublimis [k] facta eſt illa manifeſtatio Iſaiæ.

[f] Coloſſ. 3.

[g] Epheſ. 5. TRADITIO DE CANTV ECCLESIASTICO.

[h] Chryſoſtom. Theod. & alij in 1. 3. ad Coloſ. & ad Epheſ. c. 5.

[i] Socrat. hiſt. lib. 6. c. 8.

[k] Iſai. 6.

XXV. Eodem plane modo ab Eſſenis, quorum res geſtas Philo [l] illuſtri memoriæ commendauit, Deo laudes alternatim cani ſolitas, eiuſdem auctoris teſtimonio expreſſum habetur, cuius hæc ſunt verba: Vbi omnes conſurrexere, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorū, alter feminarū: cuique ſuus incentor præficitur honore præſtans & canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compoſitos varijs metrorū carminumq. generibus, nunc vno ore, nunc alternis, non ſine decoris & religioſis geſtibus & accentibus, modo ſtantes, modo prorſum retrorſumq. gradum mouentes, vtcumque res poſtulat. Deinde poſtquam vterque chorus ſeorſum expleuit his ſe delicijs, velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiſcuum, ad imitationem illius olim inſtituti, quando mare, Deo iubente, alteris ſalutem, alteris perniciem attulit, præcinente viris Moyſe, Maria vero prophetide feminis.] hucuſque Philo: qui dum ait, non accentibus tantum, ſed & religioſis geſtibus ſe mouentes, illos occinere ſolitos eſſe, haud dubium eſt intellexiſſe de canticis dramatis, qui non tantum in voce, ſed & in actione conſiſterent, quorum vulgata eſt illa mentio in Eccleſiaſticis officijs: Ante thorum huius virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis] nimirum vt coram virgine recumbente in thoro eiuſmodi acroamata agerentur. De quibus & Plutarchus [m], cum de his agit: Noſtis nimirum Platonis dialogos partim narratione, partim actione quadam conſtare; qui ideo dramatici dicuntur: de his facillimos pueri ediſcunt, ita vt memoriter recitent: adiunguntur autem geſtus conuenientes perſonarum moribus, & vocis

[l] Philo de vita contemplatiua. DE CANTV ESSENORVM.

[m] Plutarch. in Sympoſ. 7. q. 8.

effictio

effictio atque forma, & affectiones dictis congruæ.] Sed exoleuerunt iam hæc: cetera vero non tantum non ſunt prætermiſſa, ſed aucta. At quod ad feminas ſpectat, ne in eccleſia vna cum viris canerent, legibus Eccleſiaſticis [a] eſt poſtea interdictum. De antiquo vſu Chriſtianorum, vt in vnum ad eccleſiam conuenientes, dies nocteſq. cantu ducerent; Ethnicorum etiam teſtificatione, nempe de his quæ Romæ agerentur, Luciani [b]; & de his quæ in Oriente, Plinij [c], qui vixere temporibus Traiani, expreſſum habetur.

[a] Synod. Antiochena.

[b] Lucianus in Philopatr.

[c] Plin. lib. 10. epiſt. 97.

Iuſtinus martyr in oratione ad Antoninum Pium, hymnos Deo a Chriſtianis decantari ſolitos tradit, cum ait: Gratos nos illi exhibentes, rationaleſq. pompas & hymnos celebramus atque decantamus, &c.] et Clemens Alexandrinus ad Gentes oratione: Hic, inquit, eſt mons Deo dilectus, mons ſobrius caſtis vmbroſus materijs. In eo autem bacchantur non fulmine ictæ Semelis ſorores Mænades, quæ in inceſta viſceratione carnium initiantur, ſed Dei filiæ, pulchræ agnæ, quæ veneranda Verbi orgia concelebrant, chorum moderatum congregantes: chorus ſunt iuſti, canticū eſt hymnus Regis omnium: pſallunt puellæ, gloria afficiunt Angeli, Prophetæ loquuntur, editur ſonus muſicus.] et paulo poſt: Si velis tu quoque, initiare; & chorum duces cum Angelis circa eum qui eſt ingenitus, & ab interitu alienus, & qui ſolus eſt vere Deus: vna nobiſcum canite Deo Verbo.] et Tertullianus [d] ad vxorem: Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabit? Audiat ſane, audiat aliquid Dei cœna, &c.] Id ipſum Cyprianus quoque, dum ait [e]: Et quando in vnum cum fratribus conuenimus, & ſacrificia diuina cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus, non paſſim ventilare preces noſtras inconditis vocibus.] Ceterum eiuſmodi hymnos canendi in eccleſia conſuetudinem, non aliunde quàm ab ipſo Domino & Apoſtolis acceptam dicit Auguſtinus [f], dum inter illa quæ ex diuina Scriptura defendi poſſunt, ait eſſe hymnorum atque pſalmorum cantum: cuius, inquit, ipſius Domini & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta.] et paulo poſt: Quando autē non eſt tempus, cum in eccleſia fratres congregantur, ſancta cantandi; niſi cum legitur, aut diſputatur, aut Antiſtites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur?] hæc ille.

[d] Tertull. ad vxor. lib. 2. c. 6.

[e] Cyprian. de orat. Dom.

[f] Auguſt. epiſt. 119. c. 18.

XXVI. DE CANTV QVID PATRES.

Id denique in vniuerſa Eccleſia fieri conſueuiſſe, Baſilius [g] aduerſus hæreticos hæc improbantes ſic aſſerit, ſcribens ad Neocæſarienſes: Ad id vero quòd propter pſalmodias accuſamur: quare potiſſimum ſimpliciores perterrefaciunt, qui vos traducunt: hoc habeo quod dicam: quòd videlicet, qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Eccleſijs Dei concordes ſunt & conſoni. De nocte ſiquidem populus conſurgens, antelucano tempore domum precationis petit: inibiq. labore & tribulatione ac lacrymis indeficientibus facta ad Deum confeſſione, tandem ad orationem ſurgentes, ad pſalmodiam inſtituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuiſi, alternis ſuccinentes pſallunt: atque ex eo ſimul eloquiorū Dei exercitationem ac meditationem corroborant, & cordibus ſuis attentiorem, reiectis vanis cogitationibus mentis, ſoliditatem ſuppeditant. Deinde vni ex his hoc muneris dato, vt quod canendum eſt, prior ordiatur, reliqui ſuccinunt: atque ita in pſalmodiæ varietate, precibusq. ſubinde interiectis, noctem ſuperant. Illucſcente iam die, pariter omnes velut vno ore, ac corde vno, confeſſionis pſalmum Domino offerunt: ac ſuis quiſque verbis reſipiſcentiā profitentur. Horū gratia ſi nos fugitis; fugietis ſimul & Ægyptios, fugietis Libyam vtramque, Thebæos, Palæſtinos, Arabes, Phœnices, Syros, & qui ad Euphratem habitant, & (vt ſemel dicam) omnes apud quos vigiliæ, ac preces, communeſq. pſalmodiæ in pretio ſunt.] hucuſque Baſilius. Innumera in hanc ſententiam afferenda eſſent teſtimonia ſanctorum Patrum, ſed breuitatis cauſa temperamus.

[g] Baſil. epiſt. 69.

IN VNIVERSA ECCLESIA VSVS CANTVS PSALMORVM.

XXVIII. Illud autem non prætermittimus dicere de vſu priſtino, olim promiſcue vna cum clericis in eccleſia cantaſſe & populum, ſimulq. ſacerdoti orationem danti vel colligenti reſpondere conſueuiſſe. Ad hæc ſpectat illud S. Hieronymi [h]: Ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui, Amen reboat.] et illud Auſonij in Ephemeride:

Conſona quem celebrant modulati carmina Dauid,
Et reſponſuris ferit aera vocibus, Amen.]

[h] Hier. in præf. in epiſt. ad Gal. lib. 2.

Verum quoniam imperitia canentium ſæpius accidebat, vt harmonicam illam Eccleſiaſticæ dignitati congruentem cantionem incompoſito vocum ſono corrumperent, in

quos

Universidad de Deusto
Biblioteca

POPVLVS CVM IN ECCLESIA CANTARE VETITVS.

quos (vt superius dictum est) Ioannes Chrysostomus[a] iure declamat: idcirco necessario Ecclesiasticis institutis prouisum est, ne præter certos ad hoc opus adscriptos quis in ecclesia psalleret. Canon enim Laodiceni Concilij[b] id prohibens ait: Non licere præter canonicos psaltes, id est, qui regulariter cantores existunt, quiq. pulpitum ascendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in ecclesia psallere.]

a Chrysost. in Isa. c. 6. hom. 1.
b Conc. Laodic. c. 15.

XXIX. CANTVS CHRISTIANORVM QVALIS.

Magnam certe sanctissimi Patres adhibuerunt diligentiam, vt perquàm religiosus, modestus, ac denique omnibus numeris ad pietatem compositus cantus Ecclesiasticus esset: quod ex eo facile colligi potest, quòd constet & in ipsis a charitate deductis Christianorum conuiuijs, Agape nuncupatis, tam pia tam sobria adhiberi cantica consueuisse. Vnde Christianus Pædagogus apud Clementem[c] hæc ait: Quemadmodum autem antequam sumamus alimentum, laudare nos conuenit factorem vniuersorum: ita etiam in potu nos ei decet psallere, cum eius creaturarum efficimur participes. Est enim psalmus numerosa & modesta laudatio: canticum spirituale, psalmum dixit Apostolus.] et paulo inferius: Sunt enim admittendæ modestæ & pudicæ harmoniæ: a sorti & neruosa nostra cogitatione vere molles & eneruatas harmonias amandando quàm longissime, quæ improbo flexuum vocis artificio vtentes, ad delicatam & ignauam vitæ agendæ rationem deducunt: graues autem, & quæ ad temperantiam pertinent, modulationes ebrietati & proteruiæ valedicunt. Chromaticæ igitur harmoniæ, impudenti in vino proteruiæ floribusq. redimitæ, meretriciæ musicæ sunt relinquendæ.] hæc Clemens. De ijsdem canticis in conuiuio Christianorum adhiberi solitis hæc Tertullianus[d]: Post aquam manualem & lumina, vt quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, prouocatur in medium Deo canere: hinc probatur quomodo biberit.] et Cyprianus ad Donatum: Nec sit vel hora conuiuij gratiæ cælestis immunis: sonet psalmos conuiuium sobrium; & vt tibi tenax memoria est, voce canora aggredere hoc munus ex more: magis carissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.]

c Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. c. 4.
d Tert. in Apolog. c. 39.

XXX. CANTVS MODESTVS LAVDATVS.

Si igitur in Christianorū conuiuijs adhiberi solita cantica tali fibula disciplinæ erant adstricta, quæ nihil penitus sineret esse fluxum atque solutum: quanto maiori solertia putandum illas institutas fuisse, quæ in ecclesia publice adhiberi solitæ erant sacræ in sacris diuinisq. mysterijs cantiones? Sed & Gentiles ipsi, qui recte saperent, damnabant illos canendi modos, qui mollibus fractisq. vocum inflexibus animos itidem molles fractosq. atque eneruatos penitus redderent. Nec alia de causa Pherecrates comicus Musicam introduxit figura muliebri totū corpus verberibus fœde mulctatam, ipsamq. Iustitiam quærentem de causa huius fœditatis; illamq. respondentem carmina in accusationem eorum, qui candorem illum suum pristinum, & cum suauitate maiestatem coniunctam, chromaticis modulis fœde corruperint. Sed & Aristophanes de ijsdem queritur, & alij plures, quòd quidam Musicam in minuta quasi fragmenta concide-
rint. hæc & alia plura id genus apud Plutarchum[e]. At quanto hæc cum detrimento animorum accidere soleant, Cicero[f] in libris quos scripsit de legibus, his verbis erudite demonstrat: Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi sonos: quorū dici vix potest quanta sit vis in vtramque partem. Nam & incitat languentes, & languefacit excitatos; & tum remittit animos, tum contrahit. Ciuitatumq. hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum seruare modum; quarum mores lapsi in molliciem, pariter sunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaq. deprauati, vt quidam putant; aut cum seueritas eorum ob alia vitia accidisset, tum fuit in auribus animisq. mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeq. doctissimus, valde hanc labem veretur: negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum.] hæc & alia plura ille: qui & in canendo non vocum tantum modum, sed & situm corporis modestiæ attemperatum monet esse seruandum: quamobrem illos potissimum, qui canendo ceruices oculosq. pariter cum modorum flexionibus torquent, reprehendit.

e Plutarch. lib. de Musica.
f Cic. de legib. lib. 2.

XXXI. Aduersus ergo eiusmodi disciplinæ transgressores est vehemens illa, sed iusta, ex Pauli verbis S. Hieronymi obiurgatio[g], dicentis: Audiant hæc adolescentuli; audiant hi quibus

g Hier. in epist. ad Ephes. c. 5.

OBIVRGATIO IN CORRVMPENTES CANTICORVM MODESTIAM.

quibus psallendi in ecclesia officium est: Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum morem guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica, sed in timore & opere in scientia Scripturarum. Quamuis sit aliquis (vt solent illi apparere) καλόφωνος; si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantator est. Sic cantet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur: vt spiritus malus, qui erat in Salue, eijciatur ab his qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos qui de domo Dei scenam fecere populorum.] hæc ille, reprehendens prauum vsum qui suo tempore apud nonnullos irrepserat. Verum si, vt decet, ad pietatem musici modi compositi sint, nihil vtilius, nec gratius quicquam auditi potest. Vnde & apud Iustinum martyrem[a] hæc eodem argumento conscripta habentur de simplici cantu Ecclesiastico: Excitat hæc cantio cū voluptate quadam animum, & flagrans ad eius quod carmine celebratur, desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum, quos cernere non est, suggestione oborientes, amolitur: mentem ad fructificationem diuinorum bonorum rigat: pietatis decertatores generosos & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit: omnium rerum quæ in vita tristes & luctuosæ accidunt, pijs affert medicinam.] hæc & alia plura ibi. His consentientia paucis expresserat Philo Iudæus[b] his verbis: Cantus, verbaq. sanitatem & salutem afferunt: cantus quidem excantando passiones animi; vt quicquid in nobis dissonat, in concentum quemdam redigendo, reprimendoq. immodicos affectus certis modulis componat.]

a Apud Iustin. mart. q. 107.
b Philo de victim. offerend.

XXXII. Huius igitur rei causa a Spiritu sancto institutum esse psalmorum concentum, S. Basilius[c] his verbis declarat: Quando Spiritus sanctus nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis, ac proinde ad ineundam vitæ rectitudinem per hoc lentescere, quòd toti ad consectandam voluptatem propenderemus; quid fecit? Nimirum Scripturæ suæ dogmatibus mixtim insperſit concinnam istam numerorum modulationem, vt auribus permulctis ac delinitis, mellico vocum concentu, clam, velut aliud agentes, fineremus in animos nostros irrepere eloquiorum vtilitatem.] hæc & alia plura id genus Basilius. Sed melius hæc docent, qui didicerunt experimento, vt Augustinus[d], qui hæc de se scribit: Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis.] Et inferius[e], cum se mirum in modum affici solere Ecclesiastico cantico dicat; dolere tamen, quòd eo raptus interdum, quæ canerentur verba minus attenderet; ac de his secum differens, hæc tandem ait: Ita fluctuo inter periculum voluptatis & experimentum salubritatis, magisq. adducor, non quidem irretractabilem sententiā proferens, canendi consuetudinem approbare in Ecclesia: vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat.] Idem Augustinus in sua Ecclesia Hipponensi sic amauit sacram canendi consuetudinem, vt interdum de nimia illius prolixitate aliqui rerum diuinarum parum studiosi quererentur, de quibus hæc ait[f]: Adhuc quoque, quod valde dolendum est, conqueri vobiscum volo; quia sunt aliqui, & maxime potentes istius mundi, qui cum veniunt ad ecclesiam, non sunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum vt abbreuiet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & auaritiam.] hæc ipse.

c Basil. homil. in Psal. 1.
d Aug. Confess. lib. 9. cap. 6.
e Aug. Confess. lib. 10. cap. 33.
f Aug. de temp. ser. 251.

XXXIII. DIVERSARVM ECCLESIARVM DIVERSI CANENDI MODI.

Ceterum licet in vniuerso Christiano orbe canendi in ecclesia semper viguerit vsus: tamen non idem vbique est seruatus canendi modus: nam hæc de Athanasio Episcopo Ecclesiæ Alexādrinæ Augustinus testatur[g]: Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quàm canenti.] hæc ipse. Verum in Oriente, vnde etiam Mediolanensis Ecclesia sub Ambrosio Ecclesiastici formam cantus accepit, suauiori vocum concentu, qui audientium animos licet tristes erigere atque mulcere posset, hymnos psalmosq. concini solitos esse, idem qui supra Augustinus affirmat[h]. Non sic Romana Ecclesia (vt aliquis existimauit deceptus commenticijs scriptis Damasi nomine peruulgatis) ab Orientali Ecclesia mutuata est modū psallendi: cum iam ab ipso institutæ sedis exordio psalmorum cantus in eadem coaluisset Ecclesia: nam Damasus non canendi ritum, sed psalterium ex translatione Septua-

g Aug. Confess. lib. 10. cap. 33.
h Aug. Confess. lib. 9. cap. 7.

gintaduo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gintaduorum ex Oriente, a Hieronymo scilicet Hierosolymis agente, accepit. Quantum autem ex antiquis monumentis colligere licet, Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec simplicitatem Alexandrinã, nec Orientalis Ecclesiæ suauiori concentu compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperauit vtrumque, vt miram quamdam cum suauitate adiunxerit grauitatem. Africanæ autem Ecclesiæ ritus, quantum ex Augustino colligitur, Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ potius quàm Orientali similis fuisse videtur: nam ait [a]: De hac re tam vtili ad mouendum pie animum, & accendendum diuinæ dilectionis affectum, varia consuetudo est; & pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendant, quòd sobrie psallimus in ecclesia diuina cantica Prophetarum; cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.] hactenus Augustinus.

a Augusſt. epiſt. 119.

A

B

XXXIV. CORRVPTORES ECCLESIASTICI CANTVS.

Execratur pariter Catholica Ecclesia modos illos musicos atque cantus, qui a Gentilibus suis ipsorum ritibus adhiberi consueuerunt; sed & illos, qui relictis Dauidicis psalmis, concinerent (vt de Donatistis tradit Augustinus) proprio ingenio hymnos excogitatos, ad nouosq. compositos musicos modulos: cuiusmodi erant & ab Ario ad Sotadis numeros compositæ cantiones, quas tantopere Athanasius [b] redarguere consueuit: sicut etiam de Meletianis tradit Theodoretus [c], solitis cum plausu manuũ & quadam saltatione hymnos concinere, & multa simul tintinnabula funi appensa mouere, & his similia: Qua de causa, inquit, Magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit.] In eamdem impietatis classem allegendus & Paulus Samosatensis, de quo hæc Synodus Antiochena ad Dionysium Romanum Pontificem scripsit: Psalmos vero, qui in Dominum nostrum Iesum Christum dicebantur, cessare fecit, velut neotericos & nuper inuentos: in semetipsum vero compositos, diebus Paschæ in medio ecclesiæ canere mulieres, maxime quas ipse prius ad canendum pro more instituerat, faciebat; ita vt horresceret si quis audiret.] Non ab his segregandus Apollinaris Laodicenus hæresiarcha, qui item a se compositos psalmos canendos quibuscumque tradidit; quos Synodus Laodicena [d] proscripsit, statuens ne Fideles canerent in ecclesia plebeios, vel (vt alia habet editio) vulgares psalmos, nimirum ad vulgaris musicæ modos attemperatos: horum auctorem fuisse Apollinarem, non idiotam quempiam, suo loco dicemus. Hieracem etiam hæresiarcham longe ante Apollinarem quosdam recens scripsisse psalmos, Epiphanius [e] tradit: quos omnes Ecclesia respuit.

b Athan. orat. 2. contr. Arian.
c Theod. lib. 4. haret. fabul.
d Synod. Laod. c. 59.
e Epiph. hareſ. 67.

C

XXXV. QVOMODO ECCLESIA RECIPIAT NOVOS HYMNOS.

Ceterum nouos piosq. conscribere atque cantare sacros hymnos ad modos Ecclesiasticos attemperatos, non crimini sed laudi datum est a maioribus nostris, ab ipsis Apostolorum temporibus: quo nomine Hierotheus ille magnus excelluit, vt Dionysius testatur in Ecclesiastica Hierarchia, & de alijs Philo de Vita contemplatiua. Quamobrem diuinos hymnos quantumlibet recens conscriptos, si præsertim pietatem præseferant, & ad modestos musicæ numeros sint accommodati, Ecclesia nequaquam respuere consueuit: vt constat in primis de hymnis a Nepote olim conscriptis, quos a nonnullis solitos fuisse decantari, Dionysius tradit, dum ait [f]: Quamquam non modo pro multis alijs rebus Nepotem amplector & diligo, vt pro fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, pro nonnullis quoque & varijs psalmis hymnisq. ab eo compositis, quibus hucusque nonnulli fratres libenter vtuntur, &c.] Accidit id ipsum de sacris hymnis compositis ab Ambrosio, Prudentio, & alijs, quos in celebriorem vsum recepit Ecclesia, Arianis tantummodo reclamantibus [g] in Ambrosium, quòd suis hymnis populum seduxisset.

f Dionyſ. apud Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 29.
g Ambroſ. ad Innoc. in fine.

D

E

XXXVI.

Quod autem spectat ad musica instrumenta (ne id prætermisisse videamur) ijsdem Christum Dominum a Christianis laudandum esse, Prudentius aduersus Iudæos agens in Apotheosi his versibus docet:

Quicquid in ære cauo reboans tuba curua remugit,
Quicquid in arcano vomit ingens spiritus hausţu,
Quicquid casta chelis, quicquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,
Aemula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebret, Christum sonet, omnia Christum,
Muta etiam fidibus sanctis animata loquantur.]

Porro

A Porro Christianus Pædagogus [a], quantumlibet ea quæ scripta sunt in Psalmis, Deum laudandum esse musicis instrumentis, ad spiritualem sensum inflectat, nolitq. ea quibus Gentilitas in suis ipsius ritibus vti consueuerit, Christianis esse communia: tamen si eadem recte pieq. vt Christianam modestiam decet, exerceantur, non prohibet, sed liberaliter indulget, cum ait: Et si ad lyram vel citharam canere & psallere noueris, nulla in te cadet reprehensio: Hebræum iustum Regem imitaberis, qui Deo est gratus & acceptus. Exultate iusti in Domino; rectos decet collaudatio: dicit Propheta. Et: Confitemini Domino in cithara, & psalterio decachordo ei psallite.] Ceterum constat testimonio Augustini [b], citharam ab ecclesiæ modulatione fuisse proscriptam, cum ait: Nonne id egit institutio in nomine Christi vigiliarum, vt ex isto loco citharæ pellerentur?] Sane quidem musica instrumenta haud antiquitus in Ecclesiam introducta & recepta esse videntur: quod auctor apud Iustinum [c] martyrem affirmare videtur, dum ait: In ecclesijs non vsus carminum per eius generis instrumenta & alia insipientibus congruentia receptus est, sed simplex cantio in eis manet.] cuius rei ratio illa videtur adscribi, quòd eiusmodi musica instrumenta a Gentilibus adhiberi consueuerint in turpibus ac sordidis vsibus, nimirum in theatris, conuiuijs, ac sacrificijs. Verum quòd post multa sæcula vsu receptum sit, vt in ecclesia adhiberentur organica instrumenta disparibus cannis simul iunctis confecta, haud iure quis poterit improbare, cum omnem in sono præseferant cum grauitate & suauitate modestiam.

a Clem. Alex. in Pædag. lib. 2. c. 4.
b Aug. pſal. 32. conc. 1.
c Iuſtin. q. 107.

XXXVII. DE MVSICIS INSTRVMENTIS.

DE VSV CITHARÆ INTERDICTO.

B

XXXVIII. PRIVATAE CANTIONES CHRISTIANORVM QVALES.

His de canticis & musicis instrumentis in ecclesia publice adhiberi solitis pertractatis; haud prætermittendam putamus laudatissimam antiquorum Christianorum consuetudinem: qui in priuatis canticis animi causa concini solitis, nequaquam amatorias cantiones vulgo communes, sed dignas Christo Domino laudes canerent. Reperiuntur eius antiquitatis vestigia in primis apud Basilium, dum tradit hymnum glorificationis, nimirum quo Patri & Filio simulq. Spiritui sancto gloria impartitur [d], a rusticis etiam cantari solitum. Sed id magis explicite S. Hieronymus sic ad Marcellam scribens [e]: In Christi, inquit, villula tota rusticitas, & extra psalmos silentiũ est. Quocumque te verteris, arator stiuam tenens, Alleluia decantat: sudans messor psalmis se auocat; & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit. hæc sunt in prouincia carmina; hæ (vt vulgo dicitur) amatoriæ cantiones; hic pastorum sibilus; hæc arma culturæ.] Imbuebatur etiam tenella infantia, vt in Alleluia vocem lingua balbutiens primum erumperet. Vnde idem Hieronymus [f] ad Lætam scribens, hæc ait: Quis hoc crederet, vt Albini Pontificis neptis de repromissione martyris nasceretur; vt præsente & gaudente auo, paruulæ adhuc lingua balbutiens, Christi Alleluia resonaret?] et inferius: Cum auum viderit, in pectus eius transiliat, de collo pendeat, nolenti Alleluia decantet.]

d Baſil. de Spirit. ſancto c. 29. & ſup. c. 27.
e Hier. epiſt. 17.
f Hier. epiſt. 7.

C

D

XXXIX. RELIGIOSVS CANTVS QVAM PROFICVVS.

Ad hæc facienda Chrysostomus [g] vehementer exhortatus est suos: ac diserte quidem a naturalibus principijs deducens orationem, sic ait: Nihil animam æque erigit, & elatam quodammodo efficit, & a terra liberat, & exoluit a vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & vt res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat perficit, vt versus modulatus, diuinum canticum numero compositum. Nostra certe natura vsque adeo delectatur canticis & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem & conuenientiam, vt vel infantes ab vberibus pendentes si fleant & afflictentur, ea ratione sopiantur. Nutrices quidem certe, quæ eos gestant in vlnis, sæpe abeuntes & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpe quoque viatores meridie agentes iugalia animalia, hoc faciunt, canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ vuas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcumque aliud opus facientes, sæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Iam vero mulieres quoque texentes, & confusa stamina radio discernentes, sæpe quidem & persæpe singulæ, sæpe autem omnes concorditer vnam quamdam melodiam concinunt: hoc autem faciunt mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, qui ex opere faciendo suscipitur, laborem caute consolari volentes: vtpote quòd anima, si carmina & canticum audierit, molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum & familiare: ne

g Chryſoſt. hom. in pſal. 41.

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

dæmones lasciua meretricia cantica introducentes, omnia euerterent; psalmos Deus A
construxit, vt ex ea re simul caperetur voluptas & vtilitas.] et post multa de vtilitate psallendi, hæc addit: Hæc dico, non vt vos tantum laudetis, sed vt filios & vxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo, aliove opere faciendo, sed maxime in mensa. Quando enim diabolus vt plurimum insidiatur conuiuijs, cum & ebrietatis & ingluuiei risusq. profusi & remissi animi auxilio vtitur: tunc maxime oportet & ante mensam & in mensa se munire psalmorum præsidio, & simul cum vxore ac liberis surgentes a conuiuio hymnos sacros Deo canere.] hæc & alia plura Chrysostomus in eamdem sententiam, reuocare cupiens Christianos ad illum pristinum laudatissimumq. vsum, cuius facta est mentio. Plura ad hæc addenda essent ex Ecclesiasticis regulis recentius restitutis; sed hæc satis ad institutum. Nunc itaque ad Paulum redeamus. B

XL. DE EPIST. AD PHILEMONEM. *a Theod. in præfat. in epist. ad Philem.*

His publicis ad Colossenses litteris datis, priuatas Paulus addit eodem tempore scribens ad Philemonem nobilem Colossensem; cuius domum Colossis ad sua tempora integram permansisse, tradit Theodoretus [a]: quæ enim temporibus Pauli esse cœpit ecclesia, eidem cultui mancipata perseuerauit in posterum. Apud Philemonem Fideles colligi soliti, eiusdem fouebantur auxilio; quod idem Paulus testatur, cum ait: Viscera sanctorum requiescunt per te frater.] Sic itaque (quod fecerat scribens ad Colossenses) Timothei nomen (vt in alijs hoc anno Romæ datis) æque ac suum inscripsit epistolæ; & quibus daretur, non tantum Philemoni, sed & Appiæ eius (vt putatur) vxori, & Archippo, ac denique Ecclesiæ quæ in domo eius collecta esset, expressit. Harum vero scribendarum litterarum occasio eiusmodi intercessit. Philemon Onesimum seruum habebat; qui a domino fugiens (non tamen vt quique scelestissimi facere consueuerunt, sed amore Pauli, cuius prædicationem in Asia positus paululum degustasset) Romam se contulit; vbi factus auditor Pauli, vehementi ardore animi fidem Christianam est penitus amplexatus: quod quidem ipsa Pauli verba significant, quibus ait: Obsecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Onesimo.] Idem cum subdit: Quem ego volueram mecũ detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis] plane declarat hanc eamdem epistolam, sicut ceteras, Romæ datam a se esse in vinculis constituto. Hunc itaque (vt æquum esse videbatur) Paulus vna cum Tychico (vt habet epistola ad Colossenses) ad suum dominum mittens, datis hisce litteris, eidem plurimum commendauit. C

XLI. DE ONESIMO FACTO EPISCOPO EPHESINO. *b Ignat. epist. 14.* *c Ignat. epist. 12. & 13.*

Quòd autem Paulus hunc iam ad Christum conuersum, tam secundum carnem, quàm secundum Deum, Philemonis fratrem appellet, sic dicens: Forsitan enim ideo D
discessit ad horam a te, vt æternum illum reciperes iam non vt seruum, sed pro seruo carissimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Domino?] manifestum est argumentum, tam Philemonem quàm Onesimũ fuisse Gentiles. Nam si Iudæi fuissent, vtique æque Pauli ac Philemonis frater dicendus erat, & non magis isti quàm illi: cumq. lege etiam vetitũ esset, ne Iudæus homo mancipium Iudæum haberet, hi potius videntur fuisse Gentiles, & hac ex parte fratres secundum carnem: eadem quippe ratione qua Iudæi inter se fratres dicebantur secundum carnem, sic & Gentiles Paulus fratres dixit secundum carnem. Annuisse vero Philemonem votis Pauli, vt redeuntem Onesimum non vt seruum, sed vt fratrem susceperit, ac libertate donarit, perspicue ex eo colligi potest, quòd constat, Onesimum post Timotheum esse factum Episcopum primatis Ecclesiæ quæ esset in Asia, nempe Ephesi. Ad E
Ephesios enim scribens Ignatius [b], summa cum laude meminit Onesimi tunc apud eos agentis Episcopi, sic dicens: Posteaquam itaque numerosam vestram multitudinem in Onesimo, viro numquam satis ob charitatem prædicando, vestro autem Episcopo, exceperim; quem opto iuxta Christum Iesum vos amare, omnesq. vos illius similes esse: Benedictus Deus, qui donauit vobis, qui tales estis, talem habere Episcopum.] meminit rursus eiusdẽ scribens [c] ad Antiochenos, necnon ad Heronem diaconum. Porro hunc Onesimum Ephesiorum Episcopum, eumdem esse cũ eo de quo agit Paulus apud Philemonem, tam Græcorum Menologium, quàm Latinorum Martyrologium, fidem faciunt. Quomodo vero idem Onesimus, sicut Ignatius, vinctus Romam perductus sub Traiano martyrium consummauerit, suo loco dicemus.

XLII. Quæ supereſt omnium nouissima Pauli epistola ad Hebræos, hoc eodem anno scriptam

A ptam esse, multæ persuadent coniecturæ. Nam hoc anno (vt vidimus) scribens ad Philippenses, de mittendo in Orientem Timotheo, quem superiori anno Romam accerserat, consilium se inijsse tradit [a]: immo & se eo venturum pollicitum esse, scribens quoque ad Hebræos [b] hæc habet eodem prope argumento: Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos.] Rursus vero, sicut fecerant Philippenses, mittentes ad Paulum Romam certum hominem, quòd eius vinculis compassi essent: Iudæos etiam eodem erga Paulum animo fuisse affectos demonstrat, vt & ipsi sint compassi eius vinculis: quod enim in Vulgata legitur [c]: Nam & vinctis compassi estis] ex Græco sic legitur: Nam & vinculis meis compassi estis, καὶ γὰρ τοῖς δεσμοῖς μου συνεπαθήσατε.] atque ita apparet, hanc eamdem epistolam, sicut reliquas in vinculis datas, Romæ esse scriptam: quod Ioannes [d] Chrysostomus B
& alij plerique confirmant. Ex his igitur, alijsq. signis, eam germanam esse Pauli epistolam, facile potest intelligi. Sed quoniam de ea re a nonnullis est dubitatum; operæpretium ducimus, quod nostro est instituto consentaneum, de ea re paulo accuratius agere.

SCRIBIT PAVLVS AD HEBRAEOS. *a Philip. 2.* *b Hebr. 13.* *c Hebr. 10.* *d Ioan. Chrysost. in præf. epist. Pauli.*

Quinam in primis extra classem Catholicorum vagantes hæretici eam non esse XLIII.
Pauli dicere ausi sint, seriatim recensebimus. Marcion hæresiarcha hæc primus repe-
ritur esse commentus [e]; Tertullianus [f] id ipsum affirmauit, tribuens illam Barnabæ; Ariani præterea omnes, vt de his testatur Epiphanius [g]; quòd nimirum de diuinitate Filij Dei certum exploratumq. haberetur ex ea testimonium: aduersus quos ea de re disputat Theodoretus in præfatione eiusdem epistolæ ad Hebræos. Eusebius horum gregalis, aliorum nomine eamdem adducit in controuersiam, dum ait a quibusdam C
affirmari, dictam epistolam ad Hebræos a Romana Ecclesia quasi non legitimã Pauli impugnatam fuisse. Reddam eius verba, quo cuncta planius elucidentur; ait enim [h]: Pauli autem quamquã quatuordecim testatæ & notæ dicuntur epistolæ: tamen quòd quidam illi epistolæ quæ est ab eo ad Hebræos scripta, perinde ac si Pauli non sit, fidem abrogare studuerint, affirmauerintq. eidem ab Ecclesia Romana contradici, in obscuro relinquere, neutiquam consentaneũ existimaui.] hæc ille; qui item agens de Caio, ait eam a Romanis Pauli non credi. Idem tamen alibi ait, Clementem citare solitum eamdem Pauli epistolam ad Hebræos: at nonne ipse erat Romanæ Ecclesiæ Pontifex? Quomodo hi dixerunt ab Ecclesia Romana eidem epistolæ contradici, si ex illa sententias tamquam pretiosissima quædam emblemata in suis scriptis Clemens Papa intexere consueuit? Sed inspiciamus Eusebij verba. Agens enim de epistola a Cle-
D mente Romano Pontifice ad Corinthios scripta, & ab omnibus æque accepta, hæc ait [i]: In ea quoniam multa nonnumquam eodem sensu ex epistola ad Hebræos sumpta inserit, & interdum ijsdem etiam verbis ex eadem petitis vtitur; apertissime quidem declarat, illud opus non recenti memoria hominum editum. Vnde merito quidem reliquis Apostoli scriptis videtur adnumerata. Nam cum Paulus epistolam ad Hebræos erudiendos patrio sermone litteris mandasset, eam alij quidem Lucam Euangelistam, alij istum ipsum Clementem Græcis litteris interpretatum esse affirmant: quod plane est verisimilius: præsertim cum & Clementis epistola, & ea quæ est ad Hebræos a Paulo missa, eamdem dictionis & loquendi formam accurate integreq. seruet, atque adeo sensus in vtroque scripto expressi non longe inter se discrepent.] hucusque Eusebius. Ex his igitur dictis constat, S. Romanam Ecclesiam, apud quam ea epistola (vt
E diximus) scripta est, nequaquam ipsam impugnasse, vel in controuersiam adduxisse, sed alios, quos superius nominauimus. At vero de Romanæ Ecclesiæ constanti fide in ea recipienda agemus inferius. Præterea idem auctor alibi [k] Caium citat numeratem tantummodo tredecim Pauli epistolas, ac proinde Pauli ad Hebræos epistolam non admittentem.

QVI NEGARVNT EPISTOLAM AD HEBRAEOS ESSE PAVLI. *e Epiph. hæres. 42. & Hier. in præf. epist. ad Titum.* *f Tertul. de pudicit. c. 20.* *g Epiph. hæres. 69.* *h Euseb. lib. 3. c. 3.* *i Euseb. hist. lib. 3. c. 32.* *k Euseb. hist. lib. 6. c. 14.*

Permoti autem videntur eam negantes duabus potissimum rationibus: tum quo- XLIV.
niam non sicut in ceteris ipsi eius exordio præfixus est titulus Pauli: tum etiam quòd diuersum a ceteris videatur dicendi genus. Sed quod ad primum: causam quam afferat Clemens Alexandrinus, qui eam esse Pauli defendit, ex Eusebio [l], qui eum citat, hic describere non erit otiosum: ait enim: Epistolam item ad Hebræos scriptam, Pauli esse affirmat, & Hebraico sermone ad Hebræos ab eo editam: Lucam autem eam accurate in Græcum, vt Græcis traderet, conuertisse: illudq. plane ex interpretatione ipsa

l Idem eodem, c. 22. DEFENDITVR ESSE PAVLI EPISTOLA AD HEBRAEOS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

facile intelligi posse, quòd epistola & Acta Apostolorum eumdem orationis stylum habeant. Atque hanc inscriptionem (Paulus Apostolus) non sine causa in epistolæ principio fuisse prætermissam. Nam cum Paulus ad Hebræos epistolam scriberet: quia illi præiudicatam animis sententiam & suspectam opinionem contra eum eiusq. doctrinam combiberant; nomen consulto admodū non scripsisse, ne in ipso exordio animos illorum prorsus ab epistolæ lectione auerteret. Deinde longius aliquanto progressus, hæc addit: Iam vero (sicut beatus quidam presbyter dicebat) quoniam Dominus ipse Apostolus Patris sui omnipotentis ad Hebræos missus fuit: Paulus, qui ad Gentes missus erat, modeste admodum, cum ad Hebræos scriberet, se Apostolum Hebræorum non inscripsit, partim propter honorem, quem Domino Hebræorum Apostolo tribuebat: partim, ne cum Gentium præco & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur.] hæc Eusebius ex Clemente: eamdemq. de titulo non appolito Hieronymus [a] rationem affert, necnon Theodoretus, & alij.

a Hier. de Scriptor. Eccles. in Paulo, & in epist. ad Galat. c. 1.

XLV. DE STYLI DIVERSITATIS CAVSA.

Quod vero ad styli diuersitatem spectat, non est mirum si a ceteris differat: nam cum aliæ ad Græcos sint datæ, Græce quoque sunt scriptæ; hanc autem ad Hebræos ipse Hebræus Hebraico sermone disertissime scripsit: quam & eloquentius conuerterunt in Græcum, siue Clemens, siue fuerit Lucas. Quamobrem & Origenes hæc ait: Ego constanter affirmabo, sensus esse Apostoli, phrasim autem & constructionem verborum alterius cuiusdam conciones Apostoli in commentarios redigentis, & velut dictata præceptoris ore scribentis. Proinde si quæ Ecclesia istam habeat epistolam, eam ipsa approbet vt Pauli, idq. hac ratione persuasa: non enim temere veteres eam esse Pauli tradiderunt. At quis scripsit epistolam, Deus vere nouit: nos autem a quibusdam accepimus, Clementem Romanæ Ecclesiæ Episcopum eam epistolam perscripsisse: ab alijs, Lucam, qui Euangelium & Acta Apostolorum litteris mandauit, illam contexuisse.] hæc Origenes apud Eusebium [b].

b Euseb. hist. lib. 6. c. 19. in fi.

XLVI.

Inanis prorsus & illa additur his obiectio, quòd Paulus (vt est apud Hieronymū [c]) Hebræus ex Hebræis scribens ad Hebræos non citet Scripturas secundum Hebraicam veritatem, sed secundum Septuaginta. Immo ex hoc ipso non leue deducitur argumentum, eam esse Pauli, qui idem scribens ad Galatas [d], cum Hebræis disputans, locum Isaiæ (vt idem notat S. Hieronymus) secundum editionem Septuaginta citauit. Nec est quòd hoc adscribatur exceptori vel interpreti, qui eam sibi licentiam arrogasset, vt quod secundum Hebraicam veritatem Paulus dictasset vel scripsisset, interpres secundum editionem Septuaginta posuisset: neminem namque puto talia præsumpsisse.

c Hier. in Isai. c. 6.

d Galat. 4.

EDITIO SEPTVAG. ETIAM A IVDAEIS FREQVENTIORI VSV RECEPTA.

Sed illud considerandum est, hoc ipso Apostolorum tempore, apud ipsos Iudæos etiam, in vsum frequentiorem receptam esse editionem Septuaginta. Hinc videas (vt de nostris taceamus) Iosephum historicum, natura Iudæum, secta (vt ipse de se tradit) Pharisæum, tam Hebraicis quàm Græcis litteris excultissimum, in suis quos scripsit commentarijs, potius Septuaginta editionem, quàm Hebraicam veritatem esse sectatum, & in eo præsertim quod est maximi ponderis, nimirum in supputatione annorum ab origine mundi. Nam dum in præfatione operis de Iudaicis antiquitatibus numerat ab origine mundi vsque ad cladem Hierosolymorum annos quinquies mille, quod etiam affirmat scribens contra Apionem [e]; plane significat, secundum ea quæ superius dicta sunt, se editionem Septuaginta esse secutum. Philonem idem præstitisse, nulli est dubium; quod alibi demonstrabimus. Quamobrem Paulum diuinas Scripturas citasse secundum Septuaginta, nulla esse debet admiratio; cum secundum vsitatiorem eorum temporum editionem id eum fecisse appareat.

e Ioseph. contra Apion. lib. 1. in princ.

XLVII. FALSO ALIIS QVAM PAVLO TRIBVITVR EPISTOLA AD HEBRAEOS.

His visis, reliquum est vt illos redarguamus, qui negantes eam esse Pauli, Clementi potius, vel Barnabæ, aut Lucæ adscribendam esse putarunt. Certe quidem Clementis fuisse, dici non potest, ex eo quòd (vt dictum est) ipse eamdem sæpius suis scriptis intexens, alterius plane auctoris quàm suam esse declarat. Barnabæ vero nec tribui posse, ex eo certum exploratumq. redditur; quòd cum nonnisi vna dicatur ab eo esse scripta epistola; quænam illa fuerit, & quàm plane diuersa ab epistola ad Hebræos, Clemens Alexandrinus, qui in libris Stromatum [f] ex ea frequenter sententias recitat, aperte significat. A Luca vero aliquam vmquam fuisse scriptam epistolam, neminem antiquorum vel recentiorum dixisse reperimus: nec certe eius muneris fuisse videtur, cum non esset Apostolus, vt eam sibi ad Hebræos scribendi arrogaret auctoritatem.

f Clem. Alex. Strom. lib. 2. sæpe lib. 5.

ritatem. Æquius igitur, & quod est veritati magis consentaneum, alij dixerunt, eamdem ab eo fuisse potius translatam, quàm scriptam. Non enim quæ ad Hebræos, sed quæ dicebatur scriptâ ad Laodicenses, a quibusdam Lucæ adscribebatur, vt testatur Philastrius [a]. Nihil dicimus de Tertulliano, cuius eam esse a quibusdam tradi, miramur quòd Xystus affirmet [b]: nam cum idem Tertullianus eamdē adscribat Barnabæ, omnis prorsus de ea re suspicio cessat.

a Philastr. de hæres. c. 90.
b Xyst. Biblioth. lib. 7. c. 8.

Sed & illud est accuratius examinandum: Quid est, quòd & a S. Hieronymo scriptum esse legatur, dictam epistolam ad Hebræos non recipi a Latinis, sicut a Græcis? Reddam primum verba Hieronymi sic scribentis ad Dardanum [c]: Illud nostris dicendum est, hanc epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesijs, & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi: licet plerique eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur; & nihil interesse cuius sit, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas canonicas; nec Græcorum quidem Ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt, & tamen nos vtraque suscipimus.] hæc ille; qui item [d] de Latinorum consuetudine alibi testatur, sic dicens: Vnde Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos, quam Latina consuetudo non recipit.] Sed an hæc tam facile sint admittenda, magna opus est consideratione; & an re vera ita se habeant, diligentius exquirendum est. Et in primis, a Græcis absque ambiguitate aliqua recipi epistolam Pauli ad Hebræos, Amphilochius in carmine ad Seleucum, quo scribit seriem librorum canonicorum, testatur his iambis:

c Hieron. epist. 129.

XLVIII. A GRAECIS RECEPTA EPISTOLA AD HEBRAEOS.

d Idem in Isai. c. 6.

Quæ vero ad Hebræos, nothæ esse dicitur
Plerisque; sed male: nam germana gratia est.] Numerat eamdem Gregorius Nazianzenus item in carmine de libris authenticis.

Quod vero ad Latinos spectat, quos ait Hieronymus illam non recipere: si de antiquioribus temporibus agitur, dicemus paulo post: si autem de recentioribus intelligit; illud animaduertendum, quænam potuerit esse differentia inter Græcos & Latinos scriptores Catholicos post Nicænum Concilium absque præiudicio violatæ fidei sinceritatis, quæ quis scripta reciperet, vel reijceret, si (quod ipse [e] testatur) in sacrosancto Nicæno Concilio statutus est certus numerus Scripturarū canonicarū? Post illud quidem tempus, si inter alias recensita haberetur dicta epistola ad Hebræos, certe religio erat si non reciperetur æque ab omnibus tam Latinis quàm Græcis. Quòd vero eadem in dicta Synodo accepta fuerit, non tantū ea ratione libere affirmari posse videtur, quòd Catholici omnes ea vsi essent aduersus Arianos, qui eam abiecerant; sed eo etiam argumento, quòd Athanasius rogatus a Constante Imperatore, vt totius diuinæ Scripturæ compendium ad se mitteret, ille Synopsim conscripsit, qua distinguens authentica ab apocryphis, inter canonicas ab Ecclesia receptas sanctas Scripturas adnumerat Pauli epistolam ad Hebræos. Nec quidem putandum est, Athanasium, qui Nicæno Concilio præsens fuit, diuersum diuinarum Scripturarum catalogum ab eo qui in Synodo editus esset, scribere præsumpsisse, cum esset eiusdem Synodi præ ceteris acerrimus propugnator. Sed & Patres qui interfuerunt Concilio Laodiceno, seriem canonicorum librorum recensentes, æque cum ceteris epistolā Pauli ad Hebræos adnumerant. Si igitur in Concilio Nicæno (vt dictum est) inter alia scripta canonica ea fuit epistola adnumerata: magnus profecto error fuisset, si (quod ait S. Hieronymus) a Latinis non fuisset accepta.

e Hier. epist. 7. EPIST. AD HEBRAEOS RECEPTA IN CONCILIO NICAENO.

L. LATINI OMNES RECIPIVNT EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

Sed quosnam per Latinos intellexerit, adhuc subtilius exquiramus. Si de antiquioribus quæritur: iam dictum est Clementem Romanum Pontificem epistolam ad Hebræos sæpius suis interserere consueuisse scriptis: adde, si placet, in his qui ab eo conscripti feruntur Apostolici canones, eamdem inter scripta canonica adnumeratam esse. Verum non Clemens tantum, sed & alij Latinorum, quorum ipse meminit de Scriptoribus Ecclesiasticis, & qui inter Latinos fuerunt celebriores, eamdem epistolam sæpe citantes, Pauli quoque titulo prænotarunt; vt inter eos Hilarius, qui in libro quarto de Trinitate hæc habet: Facturam autem, per id quod Paulus [f] ad Hebræos dixerit: Tanto melior factus est Angelis, quanto excellentius ab his possidet nomen.] idemq. alijs in locis. Gregorius Bæticus, cuius idem Hieronymus meminit, in libro quem scripsit de Fide, æque Apostoli nomine citat epistolam ad

f Hebr. 1.

Hebræos, vt cum ait: Alibi docet Apostolus [a] de Filio Dei esse scriptum: Et adorent eum omnes Angeli Dei.] Optatus Mileuitanus, quem idem inter ceteros scriptores Ecclesiasticos recenset, Apostoli Pauli nomine allegat, cum ex eiusdem epistolæ capitulo octauo testimoniū adducit contra Parmenianum [b]. Item quoque Philastrius [c] Episcopus Brixianus, qui tantum abest vt respuat, vt inter hæreses adnumeret opinionem illorum qui eam non sicut ceteras Pauli epistolas amplecterentur. Gaudentius [d] eiusdem Ecclesiæ Episcopus eamdem Apostoli Pauli nomine citat quoque epistolam. Chromatius [e] hoc itidem præstitit, & Ruffinus [f] ejusdem Ecclesiæ presbyter, Paulinus, Ambrosius, ac Augustinus [g] creberrime, qui licet non neget eidem ab aliquibus contradici, a plurimis tamen affirmari esse Pauli tradit [h]: idemq. ipse texens seriem scriptorum canonicorum, eam adnumerat cum ceteris. Cum igitur Galli, Hispani, Afri, Itali, ijdemq. omnes qui Latine scribentes, ante Hieronymi tempora floruerunt, vel saltem illius æquales extiterunt, citasse reperiantur nomine Pauli epistolam ad Hebræos: quidnam sit quod S. Hieronymus ait, eam a Latinis non recipi, expendendum est.

a Hebr. 9.
b Optat. lib. 7.
c Philast. hæres. 90.
d Gaudent. tract. 2.
e Chrom. lib. de 8. beatit.
f Ruffin. in expos. Symboli.
g Aug. de Ciuit. Dei lib. 16. c. 22.
h De doctrina Christ. lib. 2. c. 8.

LI.

Non equidem puto, quia (quod ipse ait [i]) Tertullianus eam non recepit vt Pauli, sed vt Barnabæ; ob eam causam dixerit non recipi a Latinis. Nam absit, vt vnus a ceteris omnibus discrepans Tertullianus, Catholicæ Latinæ Ecclesiæ canonem canonicorum scriptorum præscripserit; cum præsertim nonnisi in libro [k], quem scripsit postquam est factus hæreticus, id sua sententia testatū reliquerit. Sed ad alios potius quàm ad Tertullianum Hieronymus videri posset habuisse respectum, nimirum ad S. Cyprianum, qui ea minime vsus esse reperiatur; nisi Cypriani quis illud opus esse contenderit, quod titulo de Operibus cardinalibus eiusdem nomine consignatur. Verum de Cypriano haud mirandum, si qui semper præ manibus Tertullianum habuit, eumq. magistrum nominare consueuit [l], Tertulliano in eo fuerit obsecutus. De Arnobio, Minutio Felice, & Lactantio, nihil est, quòd licet eam non citarint, ab eis reiecta dici possit; quippe qui cum scripserint aduersus Gentes, nequaquam vsi sunt diuinæ Scripturæ, cui illæ minime crederent, testimonijs, sed Gentilium potius scriptis, ac rationibus: nam & Lactantius [m] Cyprianum sugillasse visus est, quòd agens aduersus Demetrianum Proconsulem, aliosq. Gentiles, nisus sit testimonijs diuinæ Scripturæ: sic enim ait: Materia non est vsus vt debuit: non enim Scripturæ testimonijs, quam ille vtique vanam, fictam, commenticiam putabat, sed argumentis & ratione fuerat refellendus.] Nullum ergo affert præiudicium veritati, si dicti auctores contra Gentiles agentes non citauerint epistolam ad Hebræos. At in alijs nonne Arnobius interpretatus psalmum centesimum quartum (nisi velit quis alium esse illum Arnobium) citat capitulum sextum Pauli epistolæ ad Hebræos? sic dicens: Paulus clamat Hebræus ex Hebræis.]

i Hier. de Scrip. Eccle. in Paulo.
k Tertul. lib. de pudicit. c. 20.
QVI LATINI ABSTINVERVNT AB EA EPISTOLA.
l Hier. de Script. Eccles. in Tertul. c. 53.
m Lact. lib. 5. c. 4.

LII.

Verum nec ad hos quidem Hieronymus videtur habuisse respectum; sed alijs credens, existimauit eam ab Ecclesia Romana non recipi. Nam idem ipse [n] in Caio hæc scribit: In eodem volumine epistolas quoque Pauli tredecim tantum numerans, decimamquartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non esse eius. Sed & apud Romanos vsque hodie quasi Pauli Apostoli non habetur.] Sed obseruandum diligenter est, hæc non esse verba Hieronymi, sed Eusebij, ex quo se plurima accepisse præfatur [o]. Agens enim de Caio, nihil videtur aliud præstitisse, quàm ad verbū describsisse quæ ab Eusebio de eodem scriptore dicta erant. Sed vt hæc facilius cognoscantur, reddam & Eusebij verba de Caio sic dicentis [p]: Tredecim solum memorat epistolas diui Pauli Apostoli: epistolam autem ad Hebræos reliquis non adnumerat. Nam illa apud quosdam Romanos, etiam adhuc, Apostoli epistola esse non existimatur.] hæc Eusebius ex versione Christophorsonia. Ruffinus autem sic transtulit [q]: Pauli Apostoli tredecim epistolas asserit: eam quæ ad Hebræos scripta est, non commemorans; quæ etiã nunc apud Latinos putatur non esse Apostoli Pauli.] Hæc igitur cum ex Eusebio Hieronymus exscripserit, maiorem illi quàm par erat fidem tribuit, dum putauit Latinos dictam epistolam non recipere.

EVSEBII, NON HIERONYMI ASSERTIO.
n Hier. de Scrip. Eccles.
o Hier. in præf. de Scripter. Eccles.
p Euseb. hist. lib. 6. c. 14. in fine.
q Ruffin. hist. lib. 6. c. 25.

LIII.

Sed an hæc omnia veritate subsistant, vtriusque auctoris appello sententiam. Primum enim de his quæ antiquioris sunt temporis, eiusdem Eusebij hic esset referenda sententia de Clemente epistolam ad Hebræos approbante, atque suis ipsius scriptis intexente; sed eam superius recitauimus. De nouissimis vero temporibus, quibus Hieronymus vixit; quid de his sentiret Romana Ecclesia, epistola Innocentij Papæ ad Exuperium

Exuperium [a] (ambo hi viuebant Hieronymi tempore, nam vtriusque meminit) satis superq. declarat, dum texens in ea Romanus Pontifex catalogū diuinorum librorum, inter eos numerat quatuordecim epistolas Pauli Apostoli. Sed ante Innocentium Papam extat decretum Romani Concilij, quod ad damnandam hæresim Apollinaris est celebratum sub Damaso Romano Pontifice; vbi nouissimo loco actum est de libris canonicis in hæc verba: Item dictum est: Nunc vero de Scripturis diuinis agendum est: Quid vniuersalis Catholica recipiat Ecclesia, & quid vitare debeat. Incipit ordo veteris Testamenti: Liber Geneseos, &c.] inferius vero in ordine noui Testamenti, inter epistolas Pauli recensita habetur epistola ad Hebræos his verbis: Ad Hebræos vna.] habentur hæc in Collectione Cresconiana omnium antiquissima atque verissima, & in nostro codice, qui antiquitate nemini cedit, ponitur pagina ducentesima trigesimaquinta. Porro dictum Concilium sub Damaso Romæ est celebratum, antequam Hieronymus scripserit librum de Scriptoribus Ecclesiasticis: nam cum se illum scripsisse dicat anno decimoquarto Theodosij Imperatoris; Damasus, qui auctor decreti illius fuerat, iam anno sexto eiusdem Imperatoris ex hac vita decesserat. Sicq. in re tam patenti de Romana Ecclesia nulla remanet amplius dubitatio. Quòd si extarent monumenta prædecessorum Romanorum Pontificum, in quibus de eadem epistola opportuna mentio incidisset, haud dubium eorumdem testimonio de eadem epistola fides obsignata mansisset. Scimus tamen, in epistola secunda Euaristi, & in prima Higinij (vt prætereamus eam quæ Clementis nomine inscripta habetur ad Iacobum fratrem Domini) ex eadem epistola ad Hebræos citari sententias: sed quoniam haud adeo firma certaq. fide subsistunt, perinde ac cetera quæ a nobis ad hanc rem probandam sunt allegata, libentius modo abstinuimus: satis superq. esse existimantes quæ diximus, ad repellendam de epistola ad Hebræos ab Eusebio illatam calumniam in Romanam Ecclesiam; quam sanctus Hieronymus (rogata venia dixerim, inuitus enim nolensq. licet, pro veritate ad ei obnitendum adducor) facile nimis, quod miramur, admisit.

a Innoc. epist. 3. QVOD ROMANA ECCLESIA RECEPIT VT PAVLI EPISTOLAM AD HEBRAEOS.
b Gelas. in Concil. Rom. decr. de lib. canon.

LIV.

Quid vero posthac senserit eadem Romana Ecclesia, Gelasius [b] fidem facit, & alij Romani Pontifices, itemq. Cassiodorus [c] Senator: Quid etiam Galliæ, Alcimus Auitus Episcopus Viennensis, qui heroico carmine texens omnia scripta canonica, hoc versu recolit quatuordecim epistolas Pauli:

Bis septena pij quod spargit epistola Pauli.]

EPISTOLA AD HEBRAEOS AB OMNIBVS VT PAVLI COGNITA.
c Cassiod. lib. 1. diuin. lect. c. 14.

Quid præterea Hispaniæ, demonstrat Isidorus [d] Episcopus Hispalensis. Quid Ecclesia Africana, Concilium Carthaginense tertium [e] atque etiam Augustinus [f] declarant. Quid denique totus Oriens, satis docuisse diximus Concilium Magnū Nicænum, Laodicenum, Athanasium, Gregorium Nazianzenum [g], Amphilochium [h]: atque (vt vno verbo dicam) quotquot postea extiterunt rerū Ecclesiasticarum Catholici tractatores, eadem de epistola ad Hebræos pari consensione firmarunt; Latinis pariter omnibus id ipsum de eadem profitentibus, exceptis tamen quibusdam Nouatoribus, quos vel ingens temeritas arguit, vel hæresis infamat, atque condemnat.

d Isidor. lib. 6. Origin.
e Conc. Carth. 3. can. 47.
f Aug. de doctr. Christ. lib. 2. c. 8.
g Gregor. Naz. in carm. de lib. canonic.

LV.

At quidni vniuersus Christianus orbis, vno excepto Caio ex classe Catholicorum, eam germanam Pauli nouerit epistolam, quæ in primis Petri Apostoli testimonio (si quis eius verba exacte consideret) appareat comprobata? sic enim ait [i]: Propterquod, carissimi, hæc expectantes, satagite immaculati & inuiolati ei inueniri in pace: et Domini nostri longanimitatē, salutem arbitremini, sicut & carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.] hæc ad Hebræos Petrus, ad quos suam primam epistolam scripserat, vt ipse in eadem testatur, sic dicens: Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam.] Porro eo argumento esse a Paulo scriptam epistolam ad Hebræos, vt mala sustinentes, fide constantes, beatorum retributionem expectarent, quis non videt? cum præsertim in his admonendis, ab illis verbis [k]: Habentes itaque fratres fiduciam] vsque ad finem totus versetur? At quoniam nulla alia fere est eius epistola, in qua hæc ipsa idem Apostolus non inculcet: merito idem Petrus ea verba mox subdit [l]: Sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his, &c.]

TESTIFICATIO PETRI DE EA EPISTOLA.
h Amphil. in carm. de lib. canonic.
i 2. Petr. 3.
k Hebr. 10.
l 2. Petr. 3.

LVI.

At eam non esse Pauli, quis poterit affirmare, si his adiunxerit ea quæ de tempore eius scriptæ epistolæ præfati sumus? Vel saltem ex sigillo Pauli, eius esse germanam quis

SIGILLVM PAVLI QVODNAM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quis poterit iure negare? Et quodnam qualeve Pauli sigillum? Ipsum hæc scribentem A
a 2. Thess. 3. ad Thessalonicenses[a] attendamus: Salutatio mea manu Pauli: quod est signũ in omni epistola.ita scribo: Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.] ad Hebræos itidem hæc eadem: Gratia cum omnibus vobis. Amen.] Sed videas & alias eiusdem Pauli epistolas sic eodem consignatas esse sigillo, vt gratiam impartiendo non eadem prorsus semper verba conscribat: quamobrem in eo tantum appareat consistere characterem, quòd in fine litterarum gratiam illis, ad quos scribit, impartiat: nam in fine epistolæ ad Colossenses habet: Gratia vobiscum.] et ad Timotheum: Gratia tecum.] Porro (quod alias diximus) in eo priuatum eius sigillum cognoscitur, quòd salutando, gratiam pro salute conscribat: quandoquidem (vt superius dictum est ex Tertul-
b Tert. contra Marcion. lib. 5. cap. 5. liano[b]) Iudæi salutando, pacem deprecarentur, Paulus vero gratiam. Sunt enim hæc verba Tertulliani: Nam & hodie Iudæi in pacis nomine appellant, & retro in Scripturis sic salutant.] et paulo post: Euangelizator enim bonorum, id est gratiæ Dei, paci eam præferendam sciebat.] At de eiusmodi salutatione gratiæ nomine superius fusius, cum de prima a Petro scripta epistola actum est. Itaque hæc iam satis (quod nostrarum partium est) de epistolæ Pauli ad Hebræos certæ fidei attestatione, tam ex Romana, quàm ex ceteris Occidentalis ac Orientalis orbis Ecclesijs comprobata. Si
c Xyst. Senen. Biblioth. lib. 7. c. 8. Belarmin. controu. lib. 1. c. 17. & alij. quæ leuissimæ reliquæ sunt Nouatorum obiectiones; eas ab alijs[c], qui aduersus illos commentarios scripsere, egregie confutatas inuenies. Ceterum hæc ipsa epistola Pauli, quæ ad Hebræos est titulo consignata, idcirco vltimo loco in codice ponitur, quòd omnium nouissima scripta habeatur; licet in ceteris disponendis, non semper ratio temporis videatur esse seruata.

LVII. DE SANCTIS ANTIQVAE LEGIS. Sed illud monendum, quòd idem Paulus in eadem ad Hebræos[d] epistola multa re- C
d Hebr. 11. ferat, quæ ad antiquam historiã pertinent; de his scilicet quæ in priori Testamento passi sunt viri sancti, nec habentur scriptis canonicis veteris Instrumenti comprehensa; vt cum de antiquioribus sanctis ait: Alij autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionẽ. Alij vero ludibria & verbera experti, insuper & vincula, & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, &c.] Hæc, inquam, etsi ex veteri Testamento non in omnibus sibi vindicant fidem; ex nouo certe, tum ex sententia Domini, tum etiam Stephani (quod obseruat Origenes scribens
e Matth. 23. ad Africanum) firmam sibi conciliant auctoritatem: vt cum apud Matthæum[e] Dominus inuehitur in Scribas & Pharisæos, dicẽs: Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarũ, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuis- D
semus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorũ in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorũ.] Ad hæc & illud spectat, quod ab eodem di-
f Luc. 13. citur[f]: Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur
g Act. 7. ad te.] vel quod Stephanus in Iudæos item declamat his verbis[g]: Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænũciabant de aduentu Iusti.]
h 1. Thess. 2. Immo & idem Paulus ad Thessalonicenses[h]: Eadem, inquit, passi estis & vos a contribulibus vestris, sicut & ipsi a Iudæis, qui Dominum occiderunt, & Prophetas.]

LVIII. SVBLATA MVLTA E DIVINA SCRIPTVRA. Sed cur hæc veteris Testamenti non sunt mandata historijs? Dicam quæ idem Origenes, pluribus de his agens, ad Africanum post multa scribit his verbis: Ad hæc dicendum, quòd ex ijs quæ presbyterorum, magistratuum, & iudicum continebant vi- E
tuperationem, Iudæi sustulerunt a cognitione populi: quæ quidem seruantur in arcanis; vt de Isaiæ nece, qui serra sectus fuit, atque alijs.] eadem ratione affirmat ab Hebraico textu historiam de Susanna esse sublatam: quam ex adytis edidere Septuaginta interpretes, atque Theodotio item diuinarum Scripturarum interpres. Sed de epistola Pauli ad Hebræos, simulq. alijs omnibus ab eo conscriptis, hic esto iam finis: illud vnum addendo, consueuisse maiores nostros, cum in ecclesia Pauli ad diuersas Ecclesias scriptæ epistolæ legerentur, eadem legenti lectori dicere: Pax tecum.] quod erat
i August. epist. 163. symbolum Catholicæ communionis. Vnde S. Augustinus[i] scribens ad Generosum, hæc ait: Quid autem peruersius & insanius, quàm lectoribus eadem epistolas legentibus dicere: Pax tecum: et ab earum Ecclesiarum pace separari, quibus ipsæ epistolæ scriptæ sunt?] hæc ipse.

Quod

A Quod ad res Romanas pertinet: multa quæ ad institutum minus faciunt, omittentes, satis sit illud meminisse, quod Tacitus[a] scribit in hæc verba: Hoc eodem anno LIX.
a Tacit. Annal. lib. 13. Ruminalem arborem in Comitio, quæ super octingentos & quadraginta ante annos Remi Romuliq. infantiam texerat, mortuis ramalibus, arescente trunco, diminutam, DE AREFACTA FICV ROMVLEA. prodigij loco habitum est.] Sed prodigium hoc quidnam portenderet, si & nobis interdum coniectari licet, & ex eo quod in sacris litteris habetur exemplum, hæc eadem interpretari: dicere haud incongrue posse videmur; sicut olim in arefacta ad Christi imperium apud Hierosolymam ficus arbore, Synagogæ infructuosæ est præmonstratus interitus; ita quoque non sine Dei consilio exiccata Romulea ficu, veteris superB stitionis abrogationem eo prodigio esse significatam, cum id manifesto experimento probarit euentus. Sicq. bene versa vice rerum, magno sane prodigio fatalis arbor, eademq. illis felicissima, Remi & Romuli cunabulis consecrata, tunc aruit, cum aridum crucis lignum a Petro Pauloq. Romæ plantatum viresceus fœcundo germine propagatur.

IESV CHRISTI ANNVS 61.	PETRI ANNVS 17.	NERONIS IMP. ANNVS 5.

HOc, qui ordine sequitur, anno Domini sexagesimoprimo, adscribuntur Fastis I.
b Tacit. lib. 14. Coss.[b] C. Vispanius & Fonteius Capito: quo Paulus, biennio in vinculis iam exacto, liber abire finitur. Reliquæ autem res gestæ Pauli vsque ad martyrium remanse-
C runt prorsus obscuræ. Quæ vero dicebantur Acta Pauli, de quibus diximus, reiecta
c Orig. in Ioan. tom. 27. sunt inter apocrypha. Ex eis Origenes[c] recitat illam tamquam a Saluatore dictam sententiam: Denuo debeo crucifigi.] alludens ad ea quæ Paulus dixerat scribens ad Co-
d Coloss. 1. lossenses[d]: Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea.] Quonam autem post hæc abierit: ex his, quas scripserat, litteris superiori anno datis, facile colligi posse videtur; quippe qui scribens ad Philippenses, his vsus est verbis: Confido autem in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos cito.] ad Philemonem vero sic: Simul autem & para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.] et in nouissima, quam ad Hebræos (vt vidimus) scripsit: Cognoscite, inquit, fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos.] Vt ex his appareat, Paulum haud in sententia perstitisse, post Romam aduentũ proficiscendi in Hispanias,
D
e Rom. 15. sicut olim ad Romanos scribens[e] his verbis significauerat: Cum in Hispaniam proficiPAVLVS ANTE REDIERIT IN ORIENTEM. sci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & a vobis deducar illuc.] et paulo post: Per vos proficiscar in Hispaniam.] Cum igitur Paulus dum Romæ teneretur in vinculis, propositum consilium proficiscendi in Hispanias mutasse visus sit, & profectionem in Orientem instituisse: an id ipsum quod conceperat animo, omnino præstiterit, haud tuto possumus affirmare: non quidem eius animi leuitate, vt parvo momento nec satis graui causa huc & illuc impelleretur; sed quòd aliter quàm statuisset, Deo monente, agere cogeretur; id ipsum eo testante, dum ad Corinthios[f] scribens, quibus spopon-
f 2. Cor. 1. derat suum aduentũ, ait: Hac confidentia volui prius venire ad vos, vt secundam gratiam haberetis; & per vos transire in Macedoniam, & iterum a Macedonia venire ad
E vos, & a vobis deduci in Iudæã. Cum ergo hoc voluissem, numquid leuitate vsus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me, est, & non?] Quamobrem an profectus sit in Orientem, haud certe affirmari posse videtur: cum præsertim olim Mileti Ephesios allocutus, numine diuino afflatus illis prædixisset, eos non esse visuros amplius faciem suã; quod certe haud potuisse contingere existimamus, si in Orientem Paulus, & in Asiam (vt pollicitus fuerat scribens ad Philemonem) iterum redijsset, quin ad optatissimam Ecclesiam Ephesinam Asiæ totius metropolim concessisset.

Hæc idcirco dixerimus, quoniam complurium antiquorum Patrum sententia tra- II.
ditum videtur, Paulum solutum vinculis esse profectum in Hispaniam. At nec ob eam PAVLVS PROFECTVS NE FVSRIT IN HISPANIAM. causam, quòd nunc (si velimus) redijsset in Orientem, videri potest elapsum tempus, quo minus potuerit proficisci postmodum in Hispanias: nam octo illi qui intercedunt anni vsque ad ipsius consummatum martyrium, non tantum fuere illi satis ad Hispanias peragrandas, sed vniuersum plane orbem Romanum ac barbarorum externas

regiones

Universidad de Deusto
Biblioteca

regiones adeundas. Hæc dicentes, operæpretium ducimus hic intexere seriem antiquorum Patrum, qui profectionem Pauli in Hispaniam suis ipsorum scriptorum monumentis egregie testatam posteris memoriæ commendarunt. Præstitisse id ipsum nos meminimus in Notationibus in Martyrologium Romanum: sed hic iterum, vt opportuniori ac decentiori loco, eadem repetere, fusiusq. prosequi, instituto consentaneum arbitramur. Sed primo quod in contrariam partem Gelasius [a] Papa scripsisse videtur, nimirum Paulum nequaquam vt antea animo instituerat, permissum esse in Hispanias proficisci, Deo aliter decernente, cuius monitu alio fuerit amandatus; inspiciamus, reddamusq. eius verba: sic enim ait: Beatus Paulus Apostolus non ideo (quod absit) fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius; quoniam cum ad Hispanos se promisisset iturum, dispositione diuina maioribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronunciauit, quod re vera voluisset efficere. Quantum enim ad diuini secreta consilij (quæ vt homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus, agnoscere) superna prætermisit dispositione præuentus.] hæc Gelasius: cuius sententia non eo quidē tendit, vt penitus neget Paulum aliquando in Hispaniam esse profectum; sed potius affirmet voluisse, sed minime tunc implesse quod esset pollicitus: quippe qui ad Romanos scribens, se propediem, simulac collectam pecuniam Hierosolymam pauperibus detulisset, Romam venturum, ac subinde in Hispanias proficisci decreuisse testatur: attamen quo minus id præstare potuerit, quas a Iudæis est passus Hierosolymis, graues ærumnæ, & quas Romæ sub Nerone biennio detentus in carcere, fuerunt impedimento.

[a] 22. q. 2. c. beatus, ex Act. Com. Concil. manuscript.

III. TESTES DE PROFECTIONE PAVLI IN HISPANIAS.

At licet Gelasius contrariæ sententiæ esset assertor: tamen si numero testium eadem definienda sit controuersia; pro vno Gelasio complures sunt ei eruditione non impares, qui profectioni Pauli in Hispanias libentius adstipulantur. At quid in primis de ea re scripserint Græci veteres Patres, quid demum Latini, in medium adducamus. Hippolytus in libello de Septuaginta duobus discipulis, aduentus Pauli in Hispanias est firmus assertor. Athanasius ad Dracontium scribens, hæc ait: Studium fuit sancto viro, *nempe Paulo*, vsque ad Illyricum Euangelium prædicare, neque segnescere, neque omittere quin Romam iret, & in Hispanias ascenderet, vt pro grauiori labore, maiore frueretur mercede laboris.] Cyrillus [b] Hierosolymorum Episcopus hæc in eamdem sententiam: Ab Hierosolymis vsque ad Illyricum disseminauit Euangelium: qui regiā quoque Romam instituebat, & in Hispaniā vsque promptitudinem prædicationis extendit.] Epiphanius [c] hæc etiam: Paulus, inquit, in Hispaniam profectus est, Petrus vero sæpe Pontum & Bithyniam visitauit.] Ioannes Chrysostomus [d] id ipsum sæpius profitetur; ac in primis: Postquam, inquit [e], Romā ingressus est, ibi quoque quanta cum modestia annunciat veritatem, quanta etiam cum libertate obstruit ora impiorum? Verum nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit.] et alibi [f]: Videas eum Hierosolymis ad Hispaniam vsque currentem.] ac rursus: Cum igitur biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est: deinde in Hispanias profectus, inuisit illic Iudæos quoque; ac tunc fortasse Romam reuersus est, quando & supplicium iussu Neronis pertulit.] Theodoretus idem affirmans, ait [g]: Quando appellatione vsus, Romam a Festo missus, defensione audita, fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est; & ad alias gentes excurrens, eis doctrinæ lucem attulit.] item [h]: Quæ Actorum nos docuit historia, quòd duobus annis primum Romæ per se degit, per se habitans in suo conducto: cum autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidisset, reuersus est, & tunc fuit truncatus capite.] insuper alibi [i]: In Italiam venit, & in Hispanias peruenit; & insulis, quæ in mari iacent, vtilitatē attulit.] Rursum Sophronius Episcopus Hierosolymitanus in sermone de Natali Apostolorum id ipsum asseuerat. Post recensitos alij complures recentiorum Græcorum idem sunt testati.

[b] Cyrill. cateches. 17.
[c] Epiph. hær. 27.
[d] In præfat. in epist. ad Hebr.
[e] Ioan. Chrys. de laud. Pauli homil. 7.
[f] Idem in Mat. homil. 76.
[g] Theodoret. in epist. ad Tim. 2. c. vlt.
[h] Theodoret. in epist. ad Philip. cap. 1.
[i] Theodoret. in Psal. 116.

IV.

Ex Latinis vetustior sanctus Hieronymus eius sententiæ grauissimus reperitur assertor, vt in primis cum ait [k]: In Hispaniam alienigenarum portatus est nauibus.] et alibi: Vsque ad Hispaniam tenderet, & a Mari rubro, immo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret.] Gregorius [l] Papa id ipsum his verbis confirmat: Ecce ipse, quem ad testimonium iam sæpe deduximus, Paulus, cum nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, vt in peccati morte iacentibus æternæ vitæ gratiam nunciaret, quid se aliud quàm esse aquilam demonstrabat?] Apud Isidorum

[k] Hier. in Isai. c. 11.
[l] Greg. Moral. lib. 31. c. 22.

Isidorum [a] (quisquis sit ille auctor) id ipsum testatum inuenies. Beda insuper [b], Ado Viennensis [c], & alij complures hoc ipsum professi sunt. Id denique Romanum Martyrologium [d] egregie profitetur, cum agit de Paulo Episcopo Narbonensi: quem secum Paulus ducturus in Hispaniam, reliquit Narbonæ. Quin & addit Ado [e] Viennensis Episcopus, eodem itinere Paulum reliquisse Trophimum discipulum Arelate, Viennæ vero Crescentem. Verum de Crescente Paulus ipse ad Timotheum scribens [f], anno primo sui carceris petijsse Galatiam (siue, vt alij legunt, Gallias) tradit: sed potuit vel ad ipsum redijsse, vel in via occurrisse, atque eo modo quo scribit Ado, eius Ecclesiæ Episcopus, Viennæ relictus esse. Porro res gestæ Pauli in Hispania, sicut & alia eius acta postquam solutus vinculis Roma egressus est, remanserunt inopia scriptorum prorsus obscuræ; licet in Græcorum Menologio [g] mentio habeatur de Xantippe & Polixena a Paulo ad fidem conuersis in Hispania: quæ vero de his apud Metaphrastem [h] leguntur conscripta, & Eusebij (vt ait) auctoritate testata; quoniam nusquam Eusebium hæc scripsisse reperire est, cetera etiam quæ subinfert, in suspicionem adduci posse videntur: verum qualiacumque sint, qui ea cupit, habet auctorem quem consulat.

[a] Isidor. de vita & obitu sanct. c. 71.
[b] Bed. in Martyrolog. 11. Kal. Aprilis.
[c] Ado in Chron. anno Dom. 59.
[d] Die 22. Mart.
[e] Ado in Chron. anno 50.
[f] 2. Tim. 4.
[g] Die 25. Septembr.
[h] Metaphr. scr. de Apostol. die 29. Iunij. Surius tom. 3. & Mich. Glyc. 3. par. Annal.

V. PAVLVS SICVT ET PETRVS DOCVIT OCCIDENTALES.

At licet hæc de aduentu Pauli in Hispanias tot tantisq. consignata sint testibus: Innocentius [i] tamen Romanus Pontifex, neminem Apostolorum, excepto Petro, Hispanias & alias Occidentalis orbis prouincias docuisse, firmiter videtur asseuerasse, cum ait: Legant si in his prouincijs alius Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inuenitur; oportet eos hoc sequi quod Romana Ecclesia custodit, a qua eos principium accepisse, non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.] hæc Innocentius. Sed haud putandum est eum a Petro Paulum diuidere voluisse, sicut ceteros Apostolos, quos iure negat Occidentales oras docuisse: nam Pauli causa diuersa esse videtur a ceteris; quippe qui & ipse, sicut Petrus, Romæ docuerit. Cum igitur idem Innocentius agens de traditis in Occidente Apostolicis institutis, eos in quos scribit, prouocet ad Romanæ Ecclesiæ ritus: cum satis constet tam Petrum quàm Paulum eam sacris institutis imbuisse; certe quidem de Paulo quid exciperet, non habebat; cum easdem tam Romæ quàm in remotis prouincijs Ecclesiasticas traditiones eum impartitum esse, dicere opus sit. At quòd tantum de Petro meminit: recte id quidem, quòd primæ sedis esset Episcopus, ex qua ceteræ deriuentur Ecclesiæ, eidemq. vnitate Catholica compaginentur. Quamobrem haud putandum, Romanum Martyrologium, cum de profectione Pauli in Hispanias meminit, a sententia Innocentij discrepasse. At de his satis: iam cetera prosequamur.

[i] Innoc. Ad Decent.

VI. LVCAS QVANDO SCRIPSIT ACTA APOSTOLORVM.

Hoc eodem anno S. Lucas Euangelista scriptionem eam absoluit, cuius est titulus, Acta Apostolorum. Cum enim in fine eius commentarij biennium egisse Paulum in suo conducto scribat, plane post illud tempus extremam manum operi se imposuisse significat. Quandoquidem, mea sententia, eam ipsum in scribendo inijsse rationem affirmari posse videtur, vt interpolatis temporibus eadem Acta conscripserit: quippe qui res, quibus præsens fuerit, continuo scriptis commendarit, omniaq. singillatim, vt gesta essent, distincte admodum fuerit prosecutus: cetera autem quæ se absente acta fuissent, ea vel breui compendio comprehensa, summatim scripserit, vel prorsus intacta reliquerit. Quòd vero S. Hieronymus dicat biennium Pauli Romæ agentis extendi vsque ad quartum Neronis annum, nos autem quinto ponamus: vnde id acciderit, iam satis superq. superius dictum est; nimirum quòd ipse vno eodemq. anno ponat eius discessionem Hierosolymis, & Romam aduentum; quæ tamen duobus annis esse peracta, nec quo inde recessit anno, venisse Romam, sed sequenti, eiusdem Lucæ testimonio est declaratum. Si igitur tertio Neronis anno addas biennium quo Paulus in suo conducto vinctus permansit; haud dubium inuenies ipsum hoc anno Neronis quinto liberum esse dimissum: quo (vt dictum est) Lucas Actorum opus absoluit. Præterea vero Lucam iterum Romam redijsse eo tempore, quo Paulus nouissime Romam rediens, martyrium consummauit, tradunt Acta passionis eius, quæ feruntur Lini nomine; de quorum fide inferius dicturi sumus.

VII.

Quonam autem Lucas abierit, postquam Roma discesserit, incertum est; hæc tamen de eo tradit Epiphanius [k]: Prædicat primum quidem in Dalmatia, ac Gallia, & in Italia, ac Macedonia.] Scimus etiam legi apud Oecumenium [l], eumdem, Roma cum discessisset,

[k] Epiph. hær. 51.
[l] Apud Oecum. in Lucam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

discessisset, in Orientem esse reuersum, rursumq. Libyam petisse, Thebanos Christiana instituisse religione, atque in vltima senectute reddidisse Deo spiritum. Sane quidem & Hieronymus [a] eum vita cælibem ad ætatis annos octuagintaquatuor peruenisse testatur. Verum alij complures antiqui probataq. fide auctores eum martyrio vita functum testantur. Nam in primis Gregorius Nazianzenus [b] aduersus Iulianum Apostatam agens, eum martyribus adnumerasse visus est, cum ait: Non victimas pro Christo cæsas reueritus es? non magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos qui & post illos & ante illos capitis sui periculo veritatem protexerunt: qui cum igni & ferro & belluis & tyrannis & præsentibus malis & denunciatis, alacri animo, veluti in alienis corporibus, immo quasi corporum expertes dimicarunt?] Paulinus Nolanus [c] his item versibus ipsum nominat martyrem:

Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas
Martyr, & illustris sanguine Nazarius.]

Rursum Gaudentius [d] Episcopus Brixianus, qui claruit eodem quo Ambrosius sæculo, hæc habet: Horum quatuor habemus in præsenti reliquias; qui regnum Dei & iustitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occisi, Deo semper viuere operationum suarum virtutibus demonstrantur: Ioannes in Sebaste Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem consummati referuntur.] De eodem hæc Nicephorus [e], breui compendio vitam illius describens: Lucas Antiochiæ, quæ est in Cœlesyria, ortus, medicus simul & pictor egregius, Thebis ad Paulum venit: atque ibi nuncio patrio errori remisso, ad Christum accessit: pro corporum curatione, animarum medicus factus, Euangelium suum Paulo præcipiente scripsit, atque itidem Acta Apostolorum. Cum Paulo autem Romæ cum fuisset, in Græciam est reuersus, plurimosq. ibi diuinæ doctrinæ & cognitionis luce illustrauit: et tandem a diuini verbi contemptoribus ex fructiferæ oleæ arbore suspensus, quòd aridi ligni, vnde crux fieret, copia non esset, Deo spiritum commendauit, cum octoginta (vt dicitur) annos natus esset, &c.]

[a] Hier. de Scrip. Eccl. in Luca.
[b] Greg. orat. 1. in Julian.
[c] Paulin. epistola 12.
[d] Gauden. tract. de dedic. Basil.
[e] Niceph. lib. 2. c. 43.

VIII. COELESYRIAE AMBITVS.

Sed hic obiter præteriisse nolumus, quòd siue hic ex Nicephoro, siue alio auctore recitauimus in Martyrologio, positam Antiochiam in Cœlesyria; a quodam recenti cosmographo nos esse reprehensos. Sed quòd ea ad verbum ex certis auctoribus exscripsimus, satis ad nostram excusationem esse posset. Verum haud consenserimus, Nicephorum, vel alios id dicentes esse hallucinatos, sed tantummodo improprie locutos: cum satis exploratum sit, tum ex antiquis cosmographis, tum ex diuinæ Scripturæ testimonijs, illam proprie dictam esse Cœlesyriam, quæ iuncta Phœniciæ montibus, Libano & Antelibano clauditur. Ceterum (inquit Strabo [f]) nonnulli totam Syriam in Cœlesyros & Phœnices partiuntur.] et post multa: Tota itaque regio vltra Seleucidem in Ægyptum & Arabiam recedens, Cœlesyria appellatur: proprie ea quæ Libano definitur & Antelibano.] hæc Strabo. Secundũ igitur illorum descriptionem non tantum apud Nicephorum legimus Antiochiam positam in Cœlesyria, sed & apud S. Hieronymum in libro de locis Hebraicis in Acta Apostolorum. Immo idem auctor, cum ibidem agit de Cilicia, eam a Cœlesyria diuidi ait Amano monte.

[f] Strab. lib. 16.

IX. DE REBVS LVCAE RELIQVA.

Sed ad Nicephorum de Luca alia addentem redeamus. Agit ibidem & de miraculis ad eius monumentum edi solitis, deq. Christi, & sanctissimæ matris eius, necnon Petri & Pauli imaginibus ab eodem coloribus effigiatis. De translatione autem eius reliquiarum Constantinopolim, cuius meminit, agemus suo loco. Eadem de martyrio in olea consummato testatur Michael Glycas [g] Græcus historicus; sed & de vnguento medico, quod ex membris eius scaturijt, quo etiam signo repertas reliquias eius tradit; eadem & Georgius [h] Cedrenus. Quid præterea de Luca dicamus, non habemus, nisi quòd Origenes [i] eumdem hunc esse Lucam cum Lucio, cuius Paulus meminit scribens ad Romanos, existimauit. Plura autem de eo superius.

[g] Glycas lib. 3. Annal.
[h] Georg. in compend. hist.
[i] Orig. in epist. ad Rom.

X. DE AGRIPPINAE NECE.

Hoc ipso anno Nero Imperator scelestissimum omnium facinus meditatus, vt Agrippinæ matri mortem inferret, naufragio id semel tentatum cum non successisset; misso Aniceto liberto cum socijs, eam occidendam curauit, mense Martio, festis Quinquatrijs. Reliquum vero anni tempus turpissimis est ab eo insumptum luxurijs. Sed hæc pluribus Tacitus [k]. Cumq. (vt idem ait) publica adulatione, lætitia quoque publica

[k] Tacit. lib. 14.

publica omnium esset, vt de salute parta Imperatoris: fortasse ea ex causa accidit, vt Paulus in carcere iam insumpto biennio, vna cum ceteris vinctis solutus vinculis, liber iuberetur abire.

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI ANNVS	NERONIS IMP. ANNVS
62.	18.	6.

I.

Sequitur annus Domini sexagesimus secundus, qui Consulatu Neronis quarto & Cornelij Cossi notatus habetur in Fastis [a]: quo Festus Iudææ Præses in prouincia diem obijt, cui successor a Nerone designatur Albinus [b], qui tamen nonnisi sequenti anno profectus est in Iudæam. Quid interim Rex Agrippa de abrogatione & substitutione summi Pontificis egerit, Iosephus [c] sic scribit: Cæsar autem de Festi morte accepto nuncio, Albinum in Iudæam misit Præsidem. Rex vero Iosepho summo Pontifice iusso priuatam vitam agere, sacerdotium eius dedit Anani filio, & ipsi vocato Anano, eodem quo pater nomine. Seniorem istum Ananum aiunt fuisse omnium felicissimum, vt qui liberos habuerit quinque, omnes potitos summi Dei pontificio, cum prius ipse ad satietatem hac dignitate esset perfunctus: quod ad eam ætatem nulli antea summorum Pontificum contigerat.] hæc Iosephus. Quod ad ipsum Ananum seniorem spectat: haud dubium est, ipsum illum esse quem idem [d] Iosephus a Quirino Syriæ Præside substitutum ait in locum Ioazari, rursum q. depositum a Valerio Grato anno primo Tiberij [e]: sicq. secundum initam a nobis superius rationem de tempore præfecturæ Quirini, inuenitur hic sedisse annos circiter quindecim: cui suffectus eius filius Eleazarus nomine: rursumq. alio tempore eiusdem Anani secundus filius Ionathas subrogatus est Caiphæ, cuius idem [f] auctor meminit: tertius vero dictus Theophilus summo etiam pontificatu potitus [g] est: eodemq. perfunctum munere quartum filium Matthiam nomine, idem Iosephus [h] tradit: vltimo demum loco, quintus filius eius Ananus iunior, de quo agimus, est subrogatus; de quo hæc Iosephus [i]: Iunior autem Ananus, qui hoc tempore pontificatum accepit, audax erat, & ferox ingenio, secta Sadducæus; quod hominum genus apud Iudæos in iudicando est seueriſſimum.] Cetera autem quæ ad ipsum spectant, dicemus anno sequenti. Qui igitur tradunt [k] Annam, vt Caipham, male perijsse; quod ad seniorem Annam spectat, longe a Iosepho discrepare noscuntur.

[a] Tacit. Annal. lib. 14.
[b] Eusebius in Chron.
[c] Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 8. DE ANANO SENIORI, ET EIVS FILIIS.
[d] Ioseph. Antiq. lib. 18. cap. 3.
[e] Ioseph. ibid.
[f] Ioseph. Antiq. lib. 18. c. 6 & lib. 19. cap. 6.
[g] Ioseph. Antiq. lib. 19. cap. 15.
[h] Ioseph. Antiq. lib. 19. cap. 6.
[i] Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 8.
[k] Niceph. lib. 2. cap. 10. in fine, & alij eum secuti.

II.

Sub ijsdem Coss. Romanam vrbem varijs exagitatam prodigijs, vulgi opinione male interpretatis, testatur Tacitus [l]; quippe quæ tum ob ortum recentis cometæ, tum ob fulmen illapsum in mensam Neronis, quasi certior reddita esset de eius morte, omnia studia conuertit in Rubellium Plancum, quòd ex Iulia gente per matrem originem duceret: qui Neronis iussu solum vertere, & in Asiã proficisci coactus est. Hæc licet præter institutum a nobis posita videantur; tamen præterijsse noluimus, quo eiusmodi saltem exemplo innotescat, quàm fallax & vanum plerumque esse soleat ex prodigijs huiusce modi futura prænoscere.

[l] Tacit. lib. 14.

III. DE LAODICEA TERRAEMOTV PROSTRATA.

Eodem item anno (vt idem Tacitus narrat) nobilis in Asia vrbs Laodicea, cuius (vt vidimus) Paulus in epistola ad Colossenses ante biennium scripta meminit, tremore terræ collapsa prosternitur: sed a ciuibus iterum breui restituitur; nam opulentissima erat. Eius namque diuitiarum occasione Ecclesiam ibi positam tepuisse, conqueritur Dominus apud Ioannem [m], sic dicens: Et Angelo Ecclesiæ Laodiceæ scribe: Hæc dicit: Amen, testis fidelis & verus, qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quoniã tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Quia dicis: diues sum, & locupletatus, & nullius egeo: et nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere a me aurũ ignitum probatum, vt locuples fias; & vestimẽtis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ: et collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego quos amo, arguo & castigo. Æmulare ergo, & pœnitentiã age.] Quod autem suadet Laodicenos indui vestimentis albis, & emere aurum ignitum: alia ab illis esse comparanda vestimenta, aliasq. diuitias esse quærẽdas, diuersasq. ab ijs quas Laodiceni ex pretiosis velleribus possiderent, insinuat. Facta enim videtur allusio ad ea,

[m] Apoc. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ in hæc verba de Laodicensibus scribit Strabo[a]: Loca quæ sunt circa Laodiceam, oues alunt excellentes, non mollicie modo lanarum, qua etiam Milesijs præstant, sed etiam ad coruorum nigredinis æmulum colorem, vnde amplos quoque habent reditus.] Tradit idem auctor inferius, eadem loca esse terræmotibus vehementer obnoxia. Eusebius vero in Chronico, anno Neronis decimo, eiusmodi cladem Laodicensem ponit, additq. non tantum Laodiceam, sed & Hierapolim, necnon & Colossas eiusdem prouinciæ nobiles ciuitates terræmotu esse prostratas. At in his quæ sunt temporum, Tacito æquius assentimur.

a Strabo lib. 12.

IESV CHRISTI ANNVS 63. PETRI ANNVS 19. NERONIS IMP. ANNVS 7.

I. SEquitur annus Christi sexagesimustertius, Coss. C. Cæsonio Pæto & Petronio Turpiliano: qui Iacobi Iusti fratris Domini glorioso martyrio, vt nobilissimo monumento, insignis redditur. Rem adeo celebrem Iosephus Iudæus etiam suis ipsius scriptis egregie testatam reliquit: quippe qui tanti ponderis Iacobi necem existimauit, vt ob tam infandum scelus, Iudæorum populum perditum, ciuitatem excisam, templum incensum, ac cetera denique mala illis obuenisse, fuerit opinatus. Sed quid ipse de Iacobo a Iudæis necato conscripserit, enarremus; sic enim ait[b]: Talis igitur cum esset Ananus, *summus scilicet Pontifex*, audax, sæuus, ingenio ferox, & secta Sadducæus; tempus opportunum se nactum ratus, mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, Concilium iudicum aduocat: statutumq. coram eo fratrem Iesu Christi Iacobum nomine, & vna quosdam alios reos impietatis peractos, lapidandos tradit. Quod factum omnibus in ea ciuitate bonis & legum studiosis vehementer displicuit: missisq. ad Regem clam nuncijs, rogauerunt, mandaret Anano, ne quid tale posthac ageret: nam ne nunc quidem recte egisse. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria, docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu aduocare Concilium. Horum verbis ille persuasus, iracunde scripsit Pontifici, daturum sibi pœnas minitans: et Agrippa Rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo pontificatum Iesu Dannæi filio concessit.] hæc Iosephus.

b Ioseph. antiq. lib. 20. cap. 8.

DE IACOBI EPISCOPI HIEROSOLYM. MARTYRIO.

II. Sed antequam cetera antiquorum scriptorum testimonia de nece Iacobi hic inseramus: quod spectat ad temporis rationem, omnes pari consensione confirmant accidisse anno septimo Neronis Imperatoris: id Eusebius[c], S. Hieronymus[d], ac denique ceteri omnes pariter asseuerant. Eusebius enim Olympiade ducentesima decima, anno primo, & Neronis Imperij septimo, hæc ait: Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellant, a Iudæis lapidibus opprimitur: in cuius thronum Simeon secundus summittitur.] hac igitur ratione eum sedisse oportuit non annis triginta (vt complures dixerunt) sed vigintinouē tantummodo: quippe qui anno trigesimoquarto, quo & Dominus passus, eius Ecclesiæ est institutus Episcopus.] Error insuper in notam numeri apud Nicephori Chronicon irrepsisse videtur, dum loco annorum vigintinouem, vigintisex sedis Iacobi notati habentur. At nec prætermittimus hic etiam confutare illorum sententiam, qui vt quoquo modo defenderent epistolam Clementis Romani ad Iacobum fratrem Domini inscriptam, & monstrare possent Iacobum hunc etiam post Petrum fuisse superstitem, affirmarunt contra sententiam omnium asserentium eum consummasse martyrium anno Neronis septimo, annos sedis Iacobi non esse numerandos ab anno passionis Christi, sed ex quo facta est in prouincias Apostolorum discessio, nempe (vt dicebat Apollonius[e]) a duodecimo anno post Iesum passum. Sed hæc omnia non tantum Eusebij, Hieronymi, & aliorum testimonio confutantur, verum ipsius quoque Iosephi: qui dum ait, tunc occisum fuisse Iacobum, cum Albinus veniret in prouinciam; cumq. eiusdem testificatione probetur, ante annos septem & menses quinque ab obsidione Hierosolymorum Albinum fuisse in eo magistratu (quod idem scribit de bello Iudaico[f]) plane certum est, hoc anno Iacobum Iustum esse martyrio coronatum. Ceterum Epiphanius[g] licet ad decrepitam ætatem Iacobum peruenisse testetur, nempe ad annos nonagintasex: tamen post ascensionē Saluatoris vixisse tradit annis plus minus vigintiquatuor. Sed & de ætatis annis ipsius quoque fides

c Eusebius in Chron. d Hier. de Scrip. Eccl. in Iacobo.

TEMPVS SEDIS IACOBI.

e Apud Euseb. lib. 5. c. 17. in fine.

f Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 12. g Epiphan. hæresi 78.

redditur dubia; cum haud facile cuipiam persuaderi possit, Iacobum fratrem Domini tempore passionis Christi egisse annum ætatis septuagesimumsecundum, & ante annos quinque (quod falsum est) martyrium consummasse.

III. Quæ autem post Iosephum de Iacobi martyrio Hegesippus & Clemens Alexandrinus coscripserint, Eusebius[a] simul colligens, narrat his verbis: Iudæi ergo, cum Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad vrbem Romam a Festo missus esset; spe penitus, qua Concilium in eius necem comparassent, excidentes, in Iacobum fratrem Domini, cui ab Apostolis sedes Hierosolymitana delata fuit, omnem suam maleuolentiam conuertunt: contra quem ea scelera, quæ sequuntur, comparata fuere. Primum illum in medium adducunt; & vt fidem Christi corā omni populo deneget, vehementer solicitant. Verum cum præter omnium opinionem liberiori ore voceq. quàm expectarent, præsente vniuersa multitudine, Filium Dei Saluatorem & Dominum nostrum Iesum ingenue & fideuter confessus fuisset: hominis testimonium (nam propter summum sapientiæ & pietatis studium, quod in vita assidue excoluerat, ab omnibus iustissimus putabatur) amplius tolerare non poterant. Eum igitur tum neci dant, cum ad illud facinus impune obeundum, interregni opportunitatem arripuissent. Quippe Festo per id tempus mortuo, summa rerum in Iudæa administratio principe & gubernatore penitus erat destituta. Ceterum quamquam Iacobi necis ratio & modus ex verbis Clementis supra citatis satis constare poterit (qui a templo præcipitatum, ac fullonis vecte percussum, mortem oppetiuisse narrat) Hegesippus tamen Apostolorum ætati proxime succedens, in quinto historiæ suæ libro, ea quæ ad illum spectant, accuratissime tradit ad hunc modum.

a Euseb. histor. lib. 2. cap. 22.

IVDAEORVM IN IACOBVM ODIVM.

IV. Iacobus frater Domini, qui a Saluatoris temporibus ad nostram vsque ætatem Iustus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Ecclesiæ administrationem vna cum ceteris Apostolis susceptt. Hic ab vtero matris suæ sanctus fuit; vinum & siceram non bibit; animalium carnibus se abstinuit: nouacula caput eius numquam rasum fuit, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta sanctorum ingredi: vestibus enim vtebatur non laneis, sed lineis dumtaxat. In templum solus intrare solitus est, atque ibi genibus humi positis, pro populi peccatis veniam postulare: cuius genua, quòd tam assidue, tum ad Deum auguste sancteq. adorandum, tum ad veniam precibus populo exposcendam, procumbebat, camelī instar tuberculis contractis obduruerunt. Qui propter singularem iustitiæ præstantiam, Iusti, & Obliæ (quod Latine, populi præsidium dici potest, & iustitia) nomen, sicut Prophetæ de eo memorant, inuenit. Quibusdam igitur ex septem sectarum fautoribus in populo sparsarum, & a me in historia ante declaratarum, ab eo sciscitantibus, quodnam esset ostium Iesu? respondit, Iesum esse Saluatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt quòd Iesus esset Christus. Sectæ autem supradictæ, neque carnis resurrectionem fore, neque vllum venturum, qui cuique sit pro his quæ recte aut secus gesserit in vita, mercedem redditurus, omnino crediderunt. Verum quotquot crediderunt, Iacobi prædicatione & hortatu crediderunt.

INSTITVTVM VITAE IACOBI.

V. Ergo cum plerique etiam ex principibus viris fidem essent amplexati: nonnulli ex Scribis, Pharisæis, & reliquis Iudæis tumultuari atque adeo vociferari cœperunt, quòd vniuersus fere populus Iesum existimabat verum esse Christum. Qui etiam ad Iacobum profecti, sic eum compellarunt: Te obnixe oramus, vt quoniam populus fide in Iesum, perinde ac si vere esset Christus, collata, in grauem errorem delapsus est, eum ab hac opinione auoces: atque vt omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandum conuenerunt, de Iesu recte vereq. erudias, te etiam atque etiam obtestamur: tibi enim omnes fidem adhibemus; nec nos solum, sed tota multitudo perhibet testimonium, quòd iustus sis, quòdq. personam non respicias. Persuadeas igitur populo de Iesu, ne erret: etenim & vniuersus populus & nos omnes tibi credimus. Idcirco statue te ipsum super pinnam templi, vt de superiori loco cunctis perspicuus sis, atque adeo tua verba a tota multitudine facile & sine impedimento audiantur. Propter festum namque Paschatis, non solum omnes Iudæorum tribus, sed multi etiam ex Gentibus conuenerant. Proinde Scribæ & Pharisæi, quos supra posuimus, Iacobo supra pinnam templi collocato cœperunt exclamare & dicere: O Iuste, cui merito omnes debemus fidem adiungere: quoniam populus Iesum crucifixum imitando aberrauit;

IACOBI GLORIOSA CONFESSIO.

tu idcirco nobis commonstra quod sit ostium Iesu crucifixi. Qui clara voce sic respon- A
dit: Quid me interrogatis de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cælo a dextris magnæ
virtutis & potentiæ Dei, & in nubibus cæli venturus est.

VI. Atque cum multi plene essent persuasi, & ob Iacobi testimonium Deum laudibus in
cælum ferrent, dicerentq. Osanna filio Dauid: Scribæ & Pharisæi de integro cœperunt primum ita inter se colloqui: Male certe & infeliciter cecidit, vt istud testimonium nostra opera Iesu tribueretur. At conscensis gradibus, illum deijciamus præcipitem: vt homines inde perterrefacti, nullam fidem eius doctrinæ adhibeant. Deinde clamare, ac dicere: O o, Iustus etiam errauit. In quo eloquia sacra apud Sapientiam [a] scripta
a Sapien. 2.
plane expleta fuere: Tollamus e medio Iustum, quoniam nobis molestiæ est & incommodo. Quocirca fructus operum suorum comedent. Tandem ergo adolescentes Iu-
IACOBVS IN PRAECEPS AGITVR.
stum præcipitem dederunt: dixeruntq. ipsi inter se, Iacobum Iustum obruere oportere lapidibus. Et quoniam deiectus in præceps, non statim mortem obijt, sed vultū sursum sublato, genibusque flexis dixit, Obsecro Domine Pater, da illis veniam, nesciunt enim quid faciant: cœperunt saxa in eum conijcere. Cumq. lapidibus illum obruere pergerent, vnus ex sacerdotibus ex filijs Rechab, filij Rechabim, qui sunt Hieremiæ testimonio commendati, voce emissa contentius dixit: Quid agitis? Iustus pro vobis Deum deprecatur.] hominem veto qui hæc dixit, fuisse Simeonem eius nepotem
b Epiphan. hæres 78.
ex sorore, filium Cleophæ, tradit Epiphanius [b]. Prosequitur Eusebius: Attamen vnus ex illis, qui fullo erat, arrepto veste, quo vestes solebat premere, in caput Iusti impegit. Ita vitā beato & felici martyrij cruciatu affectus afflictusq. amisit. In quo loco prope templum, vbi columella eius nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo man-
VI datum est. Iste Iacobus tum Iudæis, tum Græcis carus & incorruptus fuit testis, Ie- C
sum vere fuisse Christum. Non multo post Vespasianus Iudæam obsedit, Iudæosq. redegit in seruitutem. Hæc Clementis historiæ mire consentientia Hegesippus vberius pleniusq. explicauit.] hucusque Eusebius de nece Iacobi ex dictis auctoribus.

VII. Quod vero ad sepulchrum eius spectat, hæc addit S. Hieronymus [c]: Eius sepultura
c Hieronym. de Script. Eccl. in Iacobo.
titulum vsque ad obsidionem Titi, & vltimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam e nostris in monte Olueti eum putarunt conditum: sed falsa eorum opinio est.] Addit post hæc Eusebius, Iudæorum testimonio facile creditum ac diuulgatum, eius execrandi facinoris causa talia tantaq. obuenisse, quæ post hæc secuta sunt mala: immo & Io-
IVDAEORVM MALA EX NECE IACOBI ADVENISSE CREDITA.
sephi idem hæc addit verba: Iudæis quidem ad scelus vindicandum in Iacobum Iustum fratrem Domini, qui dicitur Christus, ab illis admissum (illum namque iustitiæ facile primas ferentem impie neci dederunt) istæ obuenere calamitates.] Citat & Ori- D
d Orig. contra Cels. lib. 1.
genes [d] eiusmodi Iosephi de Iacobo testimonium in hæc verba, agens contra Celsum: Iosephus enim, etsi minus in Christum credidit, causam tamen conquirens Hierosolymitani excidij, & cur esset templum delerum; cum debuisset dicere, conspirationem quam Iudaicus populus aduersus Iesum fecisset, fuisse omnium causam, & quia Christum per Prophetas iam denunciatum sustulerant: ipse vero tamquam inuitus, haudquaquam longe a vero aberrans, eo inquit hæc accidisse Iudæis, vt Iacobus Iustus ille vindicaretur, qui Iesu & frater esset, qui dictus est Christus: hunc enim, cum esset iustissimus, trucidarunt: et sane non magis ob hanc sanguinis propinquitatem, quam ob morum similitudinem, & sermonis mutui cum Iesu commercium, vt Iustus diceretur, effectum est. Si igitur ob Iacobi gratiam Hierosolymorum desolationem contigisse Iudæis ille affirmat: cur non æquius fuerit fateri, ob Christum id factum fuisse, cuius diui- E
nitatem tam multi hominum conuentus testificantur?] hæc Origenes. Sed cur Iacobi neci potius quàm Christi tributa fuerit Hierosolymitana clades; illam causam fuisse putamus, quòd haud diu post necem Iacobi cœperūt de venturis malis diuinitus ostendi prodigia; quibus illi perterriti, ea recentiori sceleri adscribebant. Agemus autem paulo inferius de singulis suo loco.

VIII. Sed quod ad eumdem Iacobum spectat: præter illa quæ de eius vitæ sanctitate a Io-
DE MIRA IACOBI SANCTITATE
e Epiphan. hæres 29.
f Epiphan. hæres 78.
sepho, Clemente, Hegesippo, & Eusebio sunt recitata; S. Epiphanius [e] ijsdem consentiens, æque affirmat, permissum illi fuisse ob egregiam spectatamq. omnibus virtutem ingredi in Sancta sanctorum semel in anno: additq. [f] ipsum semper virginem permansisse: putauitq. hunc illum fuisse, qui relicta sindone, nudus passionis Christi tempore aufugit: hæc idcirco opinatus, quòd eum lineam sindonem semper induere solitum,

dicti

A dicti auctores affirment. sed de his superius pluribus actum est. Tradit præterea, nudis pedibus incedere consueuisse: Insuper siccitate magna instante, eleuantem ad cælum manus, Deum precatum esse, ac mox pluuiam impetrasse. hæc ille & alia multa. S. Hieronymus [a] de eodem hæc habet: Vir fuit tantæ sanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere.] Chrysostomus [b] addit etiam, non tantum eius genua, sed & frontem ob iugem in pauimento prostrationem callo obductam fuisse. Sunt de eo alia ferme innumera Patrum elogia, quæ breuitati consulentes omittimus, cum præsertim de eo superius nonnihil sit dictum. Sed his omnibus hic de Iacobo addimus, ista legi in Thalmud Hierosolymitano, in Sciabath capite decimoquarto: Rabbi Eliagazer filio Dama colubri morsu ægrotante, venisse ad eum Iacobum e castello Samma, vt in nomine Iesu fabri eum curaret: sed a Rabbi Ismaele prohibitum.
B cumq. contra eū obniteretur ipse Eliagazer, affirmans id fieri potuisse, inter altercandū, serpente veneno, coram ipso Ismaele extinctus est; qui tunc exclamauit, hæc dicens: O te felicem filium Dama, qui ex hoc mundo in pace migrasti, nec transgressus es materiam sapientum.] hæc ibi: eadē quoque leguntur in Thalmud Babylonico de Idololatria capite secundo, in omnibusq. enarratis similia, nisi tantum quòd castelli nomen non Samma, sed Sauania nominatum habetur. Porro alijs in locis eiusdem Thalmud Babylonici, cū mentio habetur de Iacobo, semper nominatur discipulus Iesu fabri, contemptus gratia: eadem quoque apud Rabbi Salomonem leguntur: vt iure credatur hic fuisse Iacobus Apostolus, de quo agimus, Hierosolymorum Episcopus, qui peregrinantibus in diuersas prouincias ceteris Apostolis, ibi remansit.

a Hier. in epist. ad Galat. cap. 1. in fine.
b Chrysost. in Matth. hom. 5.

Reliquit Iacobus Ecclesiæ Dei & illud insigne sui Apostolatus monumentū, nempe IX.
C epistolam ad duodecim Tribus, quæ erant in dispersione: de qua hæc Eusebius [c]: Ab eo DE EPISTOLA IACOBI.
prima epistolarū, quæ Catholicæ nominantur, dicitur scripta esse. Illud tamen minime
c Eus. hist. lib. 2. cap. 22. in fine.
præterire decet, quòd licet a quibusdam tamquā adulterina & minime germana propterea iudicetur, quòd non adeo multi ex veteribus illius epistolæ, sicut nec eius quæ dicitur Iudæ, quæ etiam in septem Catholicarum epistolarum numero ponitur, vllam omnino mentionem faciunt: tamen nos istas cū reliquis in quamplurimis Ecclesijs publice receptas approbatasq. cognouimus.] hæc Eusebius. Hieronymus [d] etiā ab eodem
d Hier. de Script. Eccl. in Iacobo.
Iacobo eam esse scriptam epistolā testatur, sic dicens: Vnam tantum scripsit epistolam, quæ de septem Catholicis est.] at quid de ea aliqui senserint, mox subdit: Quæ ipsa ab alio quodā sub nomine eius edita asseritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem.] hæc Hieronymus, declarans tam suam quàm aliorum de epistolæ Ia-
D cobi auctoritate sententiam. Quæ cum adeo clara atque etiam patentia habeantur; miratus sum Nouatorum mentis stupiditatē, qua volunt Hieronymū dixisse Iacobi epistolam alterius cuiuspiam esse potius, sed ex tēpore obtinuisse auctoritatē. Quis non videat, hac perperā facta interpretatione, Hieronymum hisce tribus verbis ipsum contrarium sibi constitui; quippe qui dixerat a Iacobo scriptam epistolam, indeq. mox ab alio eius nomine addat esse compositā, & a tempore obtinuisse auctoritatem? At quod ait, Asseritur, quid aliud quàm aliorum esse opinionem insinuat? Sed & si quis velit, vltima illa verba: Licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem] non ex aliorum, sed S. Hieronymi sententia esse dicta: nihil præiudicij his affert quæ ab eodem prius dicta fuerant, eam a Iacobo esse conscriptam: nimirum, vt quæ prius esse Iacobi, traditione ferebatur, sic a tempore obtinuerit (vt ait) auctoritatem, vt eadem ratione
E suadente, demum canonicæ Scripturæ monumentis fuerit consignata. An dubitandum est de Hieronymi sententia, sæpius eam Iacobi esse testantis? nam in epistola ad Paulinum [e] eamdem absque aliqua ambiguitate Iacobo tribuit. idemq. aduersus Pelagianos agens [f]: Iacobus, inquit, Apostolus scribit: Si iudicas legem, &c.] et supra [g]: Nonne Iacobus Apostolus scribit: Qui in vno offendit, &c.] JIIX

e Epist. 103.
f Hier. aduers. Pelag. lib. 2.
g Idem lib. 2. aduers. Pelag.

Ex antiquis autem, quorum extant scriptorum memoriæ, Tertullianus [h] citasse re- X.
peritur eamdem Iacobi epistolam, Cyprianus itidem, necnon Origenes [i], atque recentiores. Epiphanius [k] certe dum eam citat, non satis sibi visus est Iacobum, qui eam scripsit, nominasse; sed & Apostolum, & fratrem Domini, vt quis esset auctor, certius significaretur, adiecit. Si insuper ex iudicio vniuersalis Ecclesiæ antiquioris institutionis res agitur; Concilij Nicæni calculo eam fuisse probatam & cognitam vt Iacobi germanam, quis poterit dubitare? Nam si (quod alias diximus auctoritate Hie-

h Tertull. aduers. Iud. c. 2.
i Orig. hom. 7. in Iosue.
k Epiph. in Ioan. Episc. Hierosol.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ronymi [a]) in eo catalogus scriptus est librorum canonicorum : certe ibi adnumeratam esse epistolam Iacobi, firmam fidem facit Athanasius, qui cum interfuisset Nicæno Concilio, texens Synopsin omnium Scripturarum sanctarum, eiusdem epistolæ Iacobi meminit : quod certe non præsumpsisset, si secus in Nicæna Synodo actum esset ; sicut nec Patres, qui in diuersis Concilijs congregati, contrariũ ab his quæ Nicææ statuissent Patres, aliquid tentasse dicendi sunt, dum & ipsi eamdem epistolam Iacobi nouerunt esse legitimam : prout fecisse certum est Damasum in Romano Concilio, in quo damnata est hæresis Apollinaris, vt habetur in Collectione Cresconij; itemq. Gregorium Nazianzenum [b], Innocentium Papam [c], Augustinum [d], Cassiodorum [e], Isidorum [f], ac denique ceteros omnes qui postea intexuerunt canonicorum scriptorum catalogum, quorum meminimus, cum superius egimus de Pauli epistola ad Hebræos. A

[a] Hier. in præf. in Iudith.
[b] Nazianz. in carm. de lib. canonic.
[c] Innoc. epist. 2. ad Aug. de doct. Christ. lib. 2. c. 8.
[d] Aug. de doct. Christ. lib. 2. c. 8.
[e] Cassiod. Institit. diuin. lect.
[f] Isid. lib. orig.

XI.

Videas insuper ac perfacile recognoscas Apostolicum characterem in ipso eius ingressu, cum eamdem fere præseferat inscriptionem, quæ ponitur in epistola data a Hierosolymitano Concilio, cui idem Iacobus interfuit, & pars eius magna fuit, ad Ecclesiam Antiochenam ; cum in eadem, sicut in Iacobi epistola, qui scripserunt, salutem impertiunt. Videas etiam (sicut loci & temporis ratio postulabat) ad confutandam Simonis hæresim, quæ præsertim Samariæ, non longe ab vrbe Hierosolymitana, infelici germine (vt Iustinus testatur) coalescens, in dies magis grassabatur, ab eodem Apostolo summa prudentia multa dicta ; dum in ea [g] plurimum in operum commendatione versatur, sine quibus fidem esse prorsus inanem affirmat. Nam (quod & superius dictum est, dum de erroribus Simonis narratio est instituta) prædicabat ille fidem satis esse, nec operibus esse opus. Sed hic iterum Irenæi [h] hæc de eo testantis verba opportune reddamus. ait enim : Hi qui in eum & Selenem eius spem habebant, & vt liberos agere quæ velint : secundũ enim ipsius gratiam saluari homines, sed non secundum operas iustas.] hæc Irenæus de Simone mago, qui dicebat se ipsum esse Christum, qui pati visus est Hierosolymis ; cuius hæresim Iacobus sua epistola egregie confutauit : B C

IACOBI EPISTOLA CONTRA SIMONIS HAERESIM.

[g] Iacob. 2.
[h] Irenæus lib. 1. cap. 20.

XII.

Qui nec ob id hæc de operibus dicens, aduersatur Paulo [i] ad Romanos scribenti, atque dicenti hominem ex fide sine operibus iustificari. Egregie enim Augustinus [k] Iacobum cum Paulo conciliat ; vt non sit nobis in his amplius laborandum. Sane de eadem opinione tempore Apostolorũ exorta, qua Simon & gregales eius dicerent satis esse ad salutem fidem sine operibus, hæc Augustinus [l] post multa : Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta ; aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maxime dirigunt intentionem, vt vehementer adstruant fidem sine operibus nihil prodesse : sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeq. Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt : Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.] hæc Augustinus. Iure ergo aduersus fluuium carnis libertate late fluentem agentes Apostoli, ac Iacobus præsertim, fortissimum opposuerunt aggerem. In quos enim campos non exundasset ea male accepta viuendi libertas, si sceleſtis quibuscumque absque labore, perinde ac vilissima merces, sic esset prostituenda potius quàm præstanda felicitas ; cum longe aliter Apostolica prædicatio laboribus, & ærumnis, & mille denique mortibus (vbi postularet occasio) cælestem gloriam proponeret comparandam? Habeant hunc sibi ipsis auctorem & patrem (quod iterum dico) Nouatores hæretici nostri temporis, atque tanto principe glorientur, hæresiarcha primario, & perditissimo impostore. D

[i] Rom. 3.
[k] Auguit. in Psal. 31.
[l] Aug. de fide & oper. cap. 14.

CVR IACOBVS OPERVM INCVLCARIT NECESSITATEM.

XIII.

Sed quod spectat ad diuinitus tradita sacramenta, eorũdemq. Apostolicam traditionẽ : idem Iacobus de inungendis ægrotantibus oleo sancto, cadẽ epistola hæc tradit his verbis [m] : Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eũ, vngentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus ; & si in peccatis sit, remittentur ei.] Apostolos etiam Christi tempore consueuisse infirmos vngere, & sic restituere sanitati, testatur Marcus his verbis [n] : Euntes prædicabant vt pœnitentiã agerent : et dæmonia multa eijciebãt, & vngebãt oleo multos ægrotos, & sanabant.] Nullum certe Prophetarum, vel aliorum sanctorum virorum antehac vsum esse oleo ad inungendos & curandos infirmos, vsquam inuenimus : adeo vt manifeste appareat eiusmodi institutionem a Christo Domino nostro sumpsisse originem. Porro vnctionis, quæ ad curandos infirmos a Christianis adhiberi consueuit, duplex genus reperitur ; alterum, quod ab Episcopo solemniter benedicitur, & per presbyteros ministratur E

[m] Iacob. 5.

DE OLEO SANCTO INFIRMORVM.

[n] Marc. 6.

A ministratur infirmis ; quod cum & vim habeat dimittendi peccata, sacramentum dictum a maioribus habetur, nec alijs quàm Fidelibus, sicut cetera sacramenta, tribui solet : alterum vero, quod passim a quibuscumque Fidelibus ad sanandos quoscumque ægrotos, supra vim naturalem diuina adiuuante gratia, adhiberi solitum fuit, cuius tamen nulla sit virtus sacramenti, sed quòd contineret virtutem, quam fides vel merita dantis vel suscipientis, præuia benedictione signo crucis impertita, soleant impetrare. Horum alterum in Iacobo, in Marco alterum testatum habetur.

XIV.

Quod vero ad prius vnctionis genus spectat ; sacramentum esse a maioribus nuncupatum, satis ea quæ scripta sunt ab Innocentio Romano Pontifice [a] ad Decentium, monstrant, cum ait : Sane quoniam de hoc sicuti de ceteris consulere voluit dilectio tua ; adiecit etiam Cælestinus filius meus diaconus in epistola tua, esse a tua dilectione positum illud, quod in beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est : Infirmatur quis in vobis, &c. quod non dubium est de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui oleo sancto chrismatis perungi possunt ; quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.] hæc ille : quæ passiue accipi debere, idemq. esse ac si diceret, Quilibet Christiani eo possunt inungi, eiusdem Innocentij verba declarant, cum subdit per presbyteros debere administrari, vel per Episcopum, si velit, sic dicens : Ceterum illud superfluum videtur adiectum, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de presbyteris dictum est ; quia Episcopi alijs occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Ceterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere & tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius nempe est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est sacramenti : nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi?] hucusque Innocentius, non quidem ex aliqua recenter oborta institutione, sed secundum ea quæ a maioribus tradita accepisset. B C

[a] Innoc. epist. 1. cap. 2.

SACRAMENTVM VNCTIONIS.

XV.

Diuinam plane virtutem ex sacerdotali benedictione oleum consequi, Cyrillus Hierosolymitanus [b] pluribus docet. Augustinus [c] item de oleo spirituali, nempe sacramento, hæc ait : Oleum enim visibile in signo est, oleum inuisibile in sacramento est. Oleum spirituale intus est, oleum visibile exterius est.] qui & alibi tam egregie hæc de oleo sancto infirmorum testata reliquit, sic dicens [d] : Quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus & sanguinem Christi, ille qui ægrotat, accipiat ; ac inde corpusculũ suum vngat ; vt illud quod scriptum est, impleatur in eo : Infirmatur quis in vobis, &c. Videte, fratres, quia qui infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Cum ergo duplicia bona possint in Ecclesia inueniri : quare per incantatores, & aruspices, & diuinos, vel sortilegos multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre?] hucusque Augustinus. At quis dixerit commune fuisse oleum quod post sacramentum corporis & sanguinis Christi infirmans acciperet ab Ecclesia, ex quo non tantum bonam valetudinem, sed & remissionem peccatorum consequeretur? Arbitror tamen communi vsu eiusmodi sacramentum idcirco dictum Extremam vnctionem, non quòd in extremis posito tantum debeat impertiri, cum dicat Apostolus : Infirmatur quis in vobis, &c.] sed quòd post peccatorum confessionem & acceptam Eucharistiam, nouissimum sacramentorum homini Christiano conferri soleat. In eamdem quoque sententiã Cyrillus [e], admonens suos ne in cuiusuis morbis a magis implorarent auxilium, hæc addit : Mementote & eius qui dicit : Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, orent super eum, vngentes ipsum oleo in nomine Domini, &c.] Merito igitur impudentiũ ora Nouatorum occlusit SS. Concilium Tridentinum, his verbis eos condemnans [f] : Si quis dixerit Extremam vnctionem non esse vere & proprium sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum ; anathema sit.] D E

[b] Cyril. catech. myst. 5.
[c] Augustinus in Psal. 44.
[d] Aug. de temp. serm. 215.

QVID CONFERAT HOC SACRAMENTVM.

[e] Cyril. lib. de ador. in spir. citat eũ Anastasius Nicen. q. 23.
[f] Conc. Triden. sess. 14. can. 1.

XVI.

Quod vero ad alterum vnctionis genus spectat : commune illud potius, aliqua tamen benedictione sanctificatum, quàm sacramentum dici posse videtur : quandoquidem non ad infirmorum dimittenda peccata, & inuisibilem gratiam consequendam fuerit institutum, & a quolibet Christiano in nomine Christi, & in quemlibet, etiam a fide alienum, ad sanitatem corporis consequendam sit solitum adhiberi. Eiusmodi plane erat,

DE OLEO AD MIRACVLA ADHIBERI SOLITO.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat, quod ad curandos morbos per Proculum Christianum administrari solitum scri- A
[a] Tert. ad Scapul. c. 4. bit Tertullianus[a]. Erat & id genus, quo sanctissimi Ægypti monachi ad sanitates impartiendas (quod scribit Sozomenus[b], & ante ipsum Ruffinus[c]) vti consueuerant: de eodem Seuerus in Martino, S. Hieronymus in Hilarione, & alij qui res gestas sanctorum scripsere, frequentissime meminere. Solitum erat eiusmodi, sicut aliæ species ad humanum vsum comparatæ, precibus præscriptis sanctificari (nam & apud Clemen-
[b] Sozom. histor. lib. 6. c. 20. 29.
[c] Ruffin. histor. lib. 2. c. 4.
[d] Clem. Constit. lib. 8. c. 33. tem[d] scripta habetur benedictio aquæ & olei) sicq. signo tantum crucis illud benedixisse, & in nomine sanctissimæ Trinitatis sanctificasse, atque ægrotantibus admouisse sufficeret. Insuper & oleum sacrarum lampadum, quæ ad martyrum sepulchra ardere solitæ essent, ad morbos curandos, aliaq. edenda miracula virtutem sæpius esse diuinitus consecutum, quæ superius ex Theodoreto sunt dicta & alijs, plenissimam fidem faciunt, atque satis superq. demonstrant. Sed de his hactenus. B

XVII. DE MISSA IACOBI.

Extat ab eodem Iacobo suæ Ecclesiæ tradita sacrificij forma, nempe Missa. Idq. non ex apocryphis testatum referimus, sed maiorum auctoritate: certe si quis cum ijs conferat quæ Cyrillus[e] eiusdem Ecclesiæ Hierosolymorum Episcopus in suis Mystagogicis orationibus habet, plane cognoscet ea ab ipsa Iacobi Missa esse accepta: vt illud quod
[e] Cyril. mystag. 5. sacerdos alta voce diceret: Sursum corda] & quæ de immensa gloria Dei præfari soleat ante sacra mysteria, vel quod idem diceret: Orate pro viuis & defunctis.] deq. eo quod inclamaret diaconus ante sumptionem diuinorum mysteriorum: Osculamini inuicem in osculo sancto.] atque ea accepturis, illud intonaret: Sancta sanctis.] et de populo respondente: Vnus est sanctus, &c.] ac rursum quòd cantores inter sumptionem sacræ Eucharistiæ, illud psalmi trigesimitertij concinerent: Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus.] et alia huiusmodi. Quæ omnia idem Cyrillus non aliunde quàm ex C
Iacobi Liturgia cognoscitur accepisse. Sed illud accidit (quod etiam apud Latinos factum esse constat) vt in sacratissima Missa alijs superadditis precibus, alijs vero breuiori summa contractis, ritibusq. nonnihil auctis aut mutatis, rei tamen substantia integra permanente, paulo diuersior ab illa pristina habeatur. Sed hæc satis.

XVIII. DE BRITANNIS VICTIS.

At de rebus Romanorum pauca attingamus. Hoc eodem anno rebellantes, iustis tamen (vt videbatur) ex causis, Britanni, per Paulinum Suetonium iterum profligantur, occisaq. sunt ex eis in bello ad octoginta millia virorum: sed æmulantiũ magistratuum inuidia hostibus fuit magnopere adiumento; nimirum cum misso qui succederet Sue-
[f] Tacit. lib. 14. tonio, in ignauos est translata militia. Hæc pluribus Tacitus[f].

IESV CHRISTI ANNVS	PETRI ANNVS	NERONIS IMP. ANNVS	D
64.	20.	8.	

I. MARCVS EPISCOPVS ALEXANDRINVS MARTYR OBIIT.

QVi modo sequitur Christi Domini annus sexagesimusquartus, qui & numeratur Imperij Neronis octauus, Coss. P. Mario Celso & L. Asinio Gallo, Marcus Euangelista primus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus glorioso martyrio vitæ finem accepit. Auctor est enim S. Hieronymus[g], ipsum octauo Neronis anno ex humanis esse sublatum. Successisse illi Anianum sequenti anno, tenuisseq. eam sedem annos vi-
[g] Hier. de Script. Eccl. in Marco. [h] Euseb. histor. lib. 2. gintiduos, Eusebius habet in Chronico; sed in historia[h] hæc verius: Octauo anno Imperij Neronis, Anianus vir tum Deo propter pietatem carus, tum in omnibus rebus admirabilis, primus post Marcum Euangelistam in ministerium Ecclesiæ Alexandri- E
næ successit.] Sed de Aniano alibi. Tam igitur Eusebij quàm Hieronymi testimonio
[i] Doroth. in synops. & alij. erroris arguuntur, qui dixerunt[i] Marcum sub Traiano martyrium subijsse. At quoniam Hieronymus de exitu Marci agens, de martyrio ne verbum quidem: nonnullos scimus dubitasse, an martyrio fuerit vita functus. Sed cum antiquum Romanum Martyrologium, tum etiam vetus Græcorum Menologium eum occubuisse martyrio
[k] Gelas. in Concil. Rom. de cr. de lib. autoent. æque testantur: dumq. huic veritati adstipulatur Gelasius[k], cum ait: Ipse a Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & glorioſum consummauit martyrium] nefas ducimus de ea re amplius dubitare: vnus namque ipse est nobis instar omnium, qui de Apostolis ac ceteris martyribus, quæ essent apocrypha, perspicaci considerauit obtutu.

II. Porro martyrij eius Acta paucis conscripta habentur in hæc verba: Marcus primus omnium

A omnium Alexandriæ Christi annuncians Euangelium; cum instituisset Ecclesiam Alexandrinam, insuper & alias collegisset ex Libya, Marmarica, Pentapoli, & Armoniaca regione, Thebaide, ac vniuersa prope Ægypto: tandem Dominico die, cum Missam ageret, Gentiles in eum irruentes atque tenentes, ligato fune ad collum eius, trahebant cum, raptantes per saxa ad locum Bucoli iuxta mare (erat hic locus apud Alexandriam positus, sic dictus a boculis, hoc est, vt habet Strabo[a], a bubulcis, quibus olim fuerat traditus habitandus.) Sicq. carne eius vndique lacerata atque contusa, pene spiritum redditurus, in carcerem detrusus, apparente sibi Domino vna cum Angelis, ad futurum certamen instauratur. Mane autem facto, rursum de carcere eductus, pariterq. vt ante, per scabra loca pertractus, cum ageret Deo gratias, atque diceret: In manus tuas commendo spiritum meum: impollutum Deo reddidit spiritum; sepultusq. est cum hono-
B re a discipulis suis.] hæc ex Menologio Græcorum accepta, a Latinis æque probantur, scribentibus hæc eadem, ijsdemq. pene verbis ex antiquioribus monumentis Beda[b], ac etiam Adone: Metaphrastes[c] vero rem est paulo latius prosecutus, eademq. Nicephorus[d], ceteriq. recentiores Græcorum, qui eam rem attigerunt: ætateq. iam prope matura ac semicana, passum tradunt mense qui apud Ægyptios Pharmutus, ab Hebræis Nisan, a Romanis Aprilis dicitur, vigesima quinta eiusdem.

DE MARCI MARTYRIO.

[a] Strab. lib. 17.

[b] Bed. & Ado. Martyrol. die 25. april.
[c] Metaph. 25. Aprilis.
[d] Nicephor. lib. 2. cap. 43.

His visis, decet vt quæ de Ecclesia Alexandrina ab eo instituta scribit S. Hieronymus[e], recenseamus; eademq. an in omnibus vera consistant, diligentiori examine disquiramus: sic enim ait: Constituit Ecclesiam tanta doctrinæ & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplũ sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum,
C videns Alexandriæ primam Ecclesiã adhuc Iudaizantem; quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conuersatione scripsit. et quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia; sic ille, quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit.] hucusque Hieronymus. Est hic Philonis liber, de Vita contemplatiua, siue, de Supplicibus, inscriptus. Idem S. Hieronymus[f] de Philone hæc quoque habet: Philo Iudæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci Euangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est: non solum eos sibi, sed in multis quoque prouincijs esse commemorans, & habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter
D eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrinæ quoque & continentiæ; quales & Lucas refert primũ Hierosolymis fuisse credentes.] hæc ipse, sectatus haud dubie Eusebium[g], qui ea de Christianis sub Essenorum nomine a Philone scripta esse contendit, pluribusq. id ipsum probare conatus est.

[e] Hier. de Script. Eccl. in Marco. ECCLESIA ALEXAN. OPTIME INSTITVTA.

[f] Hier. eod. lib. in Philone.

[g] Euseb. hist. lib. 2. c. 15. 16.

Epiphanius quoque in eamdem plane conspirat sententiã, qui ait[h]: Reperies autem studiose etiam hoc argumentum in commentarijs Philonis, in libro de Essæis ab ipso inscripto: qui horum conuersationem & laudes eorum exequens, & monasteria ipsorum in vicinia circa Mariam paludem recensens, non de alijs quibusdã narrauit, quàm de Christianis.] hæc & alia plura Epiphanius, insinuans Philonem de Essæis, hoc est Iessæis, esse locutum, non de Essenis: Iessæos enim a Iesu, siue a Iesse, ex quo Christus secundum carnem, affirmat nominatos esse Christianos ipso exordio nascentis Ecclesiæ.
E Eosdem, qui erant in Ægypto, Essenos fuisse Christianos, Cassianus[i] etiam existimasse videtur, dum asserit Ægyptios monachos a sancto Marco esse institutos. Id ipsum affirmat Sozomenus[k], necnon Cedrenus, qui & citat in testimonium epistolam Eusebij ad Marinum. Nicephorus[l] fatetur hoc ipsum, Beda[m], & alij recentiores, Nouatoribus exceptis, eo quòd monachorum instituta summo odio prosequantur. Quod vero ad nomen spectat; ait Suidas verbo Essæi, sic eos dictos esse a contemplando; idemq. esse Essæos, quod contemplantes; qui & genus Rechabitarum fuisse putauit. sed de his infra. Porro quod ad ipsum nomen pertinet: Essenos a vitæ sanctitate esse dictos, Chrysostomus[n] testatur, cum ait: Esseni, qui etiam Hosij, id est, Sancti, dicuntur: hoc enim vult nomen Essenorum a vitæ honestate.] Id & Philo quoque in libro cuius est titulus, Quòd liber sit probus; Essæos sanctos significare, atque a sanctitate illud eos nomen accepisse, non obscure declarat. Verum omnes Christianos ipso exordio nascentis Ecclesiæ Sanctos esse nominatos, satis superius dictũ est, cum egimus de nomine Christiano.

[h] Epiphan. hæresi 29. DE ESSENIS, siue IESSAEIS.

[i] Cassian. lib. 2. c. 5. de instit. cœnob.
[k] Sozom. lib. 1. c. 12. in fine.
[l] Nicepb. lib. 2. cap. 45.
[m] Beda in præf. in Marcum.
[n] Chrys. hom. 44. in Act.

IV.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

V. Sed quoniam (vt diximus) negant Nouatores, Essenos a Philone conscriptos, fuisse Christianos: nos, ne maiorum dumtaxat auctoritate atque numero testium agere videamur potius quàm rationibus ac historica veritate, rem ipsam accuratius prosequemur. Tradunt autem illi, non de Christianis locutum esse Philonem, sed de ea Iudæorum secta historiã contexuisse quæ Essenorum dicta esset, quam Iosephus [a] ante Christi tempus extitisse demonstrat, cum de Herode agit [b] eisdem nonnihil fauente. Sane si Plinium atque Solinum auscultemus; dicere necesse est, fuisse Essenos plane antiquissimos. Plinius [c] enim in suis Naturalis historiæ libris hæc de Essenis & eorum antiquitate conscripsit: Gens, inquit, sola in toto orbe præter ceteras mira, sine vlla femina, omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur; large frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per sæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna est, in qua nemo nascitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.] hæc Plinius, qui eos in Iudæa ad Occidentem posita habitasse tradit. Solinus [d], vt qui post Plinium scripsit, & ex Plinio fere omnia accepisse cognoscitur; eadem de Essenis cum Plinio scribit, atque ijsdem propemodum verbis, sic dicens: Interiora Iudææ Esseni tenent, qui præditi morali disciplina, recesserunt a ritu gentium vniuersarũ, maiestatis (vt reor) prouidentia ad hunc morem destinati. Nullæ ibi feminæ, venere se penitus abdicant, pecuniam nesciunt, palmis victitant: nemo ibi nascitur, nec tamen deficit hominũ multitudo. Locus ipse addictus pudicitiæ est: ad quem plurimi licet vndique gentium properant, nullus admittitur, nisi quem castitatis fides & innocentiæ meritum prosequatur: nam qui reus est vel leuis culpæ, quamuis summa ope adipisci ingressum velit, diuinitus submouetur. Itaque per immensum spatium sæculorum, incredibile dictu, æterna gens est, cessantibus puerperijs.] hucusque Solinus. Meminit & Essenorum non sine laude Porphyrius, cuius de illis sententiam Cyrillus Alexandrinus recitat [e].

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2. & de bell. Iud. lib. 2. c. 7.
DE ESSENIS QVI ANTE CHRISTVM VIXERVNT.
[b] Ioseph. antiq. lib. 15. c. 13.
[c] Plin. lib. 5. c. 17.
[d] Solin. Polyhist. c. 36.
[e] Cyrill. Alex. lib. 5. cont. Iul.

VI. Verum quod pertinet ad Essenorum antiquitatem: dum dicunt eos per multa sæculorum millia extitisse, certe non ea qua sunt dicta facilitate probantur. nam nec qui res Iudaicas sunt prosecuti, tam antiquam originem Essenis tribuunt. Existimamus enim Plinium, quia nouisset genus Iudæorum vetustissimum, Essenorum quoque Iudæorum sectam illis existimasse fuisse congenitam. Potius autem standum esse scriptoribus Gentilibus de rebus Iudaicis, quàm proprijs, nemo dixerit. nam quàm facile Ethnici errore lapsi sint, quantumlibet disertissimi, in rebus Hebraicis conscribendis, ostendimus superius, cum egimus de cœna pura, & alibi, dicturiq. sumus inferius opportuniori loco: sed interim manifestioribus rationibus rem, de qua agimus, disquiramus. Si enim tam nobile ac prope diuinum viuendi genus ante tot sæcula vigebat apud Essenos Iudæos; quæ ratio est, quòd nec in veteri Instrumento, nec nouo vlla de eo reperiatur habita mentio?

DE ANTIQVITATE ESSENORVM.

VII. Nec est quòd quis iure dicere possit, Essenos eosdem esse cum Rechabitis, quorum summa cum laude meminit Hieremias [f]. Nam diuersa ac plane discreta erat vtriusque gentis institutio. Rechabitæ enim (vt est sacris litteris consignatum) nonnisi ijs quæ terra sponte ferret absque aliqua agrorum cultura, victum quærere consueuerant: e contra vero Essenos omnes agros colere solitos, & ex his victum quærere, Philo in libro qui inscribitur, Quòd liber sit probus, & Iosephus [g] testantur. Immo eosdem Rechabitas, temporibus Sedechiæ, cũ Babylonij Hierosolymã obsiderent, coactos esse intra ciuitatem se recipere, ac sic ab instituto deficere, S. Hieronymus [h] ad Paulinũ scribens testatur: nec certe aliqua amplius de illis in diuinis Scripturis mentio habita reperitur. Ceterum haud incongruum erit dicere, Essenos a Rechabitis descendere: nam etsi Rechabitarum instituta cessassent, non tamen genus illorum extinctum est: de eis enim Dominus dixerat [i]: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.] Meminit quidem Hegesippus [k] de homine Rechabita, qui interfuit neci Iacobi Iusti.

[f] Hierem. 35.
[g] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.
[h] Hier. epist. 18.
[i] Hier. 35.
[k] Apud Eusseb. hist. lib. 2. c. 22.

VIII. Admiratione plane digna res est, quidnam sit, quòd cum in Euangelio de ceteris omnibus Iudæorum sectis habeatur mentio, nempe de Pharisæis, Sadducæis, Galilæis, & Herodianis; de Essenis, quorum vitæ institutio videri poterat præ ceteris admiratione digna, omnis memoria silentio prorsus obuoluta remanserit. Præterea, quid est quòd idem Iosephus Iudæus duobus illis disertissimis libris, quibus calumnias in

Iudæos

Iudæos ab Apione congestas, totis viribus nisus impugnat atque refellit, simulq. quicquid nobile dignumve de gente sua ex quibuscumque antiquis scriptoribus venari potuisset, ex abditissimis etiam locis gloriose admodum in medium profert, de Essenorum instituto omnium celeberrimo tacuit, cum eorum gymnasium tam celebre apertum esset Alexandriæ, vbi Apio degere consueuit? Certe vnico illo Essenorum Iudæorum vitæ institutionis exẽplo satis poterat procacis hominis refellere in Iudæos congesta mendacia, & oblatrantem retundere impudentiã. Rursum si (quod ad hæc pertinet) Ethnicos scriptores consulas, qui ante Christum vixerunt, & gentium diuersarum mores laudatissimos prosecuti sunt: eos laudasse reperies Gymnosophistas atque Brachmanas, & si quos alios qui vitæ moribus excellentes in Orbe fuissent, licet in remotissimis regionibus positos: de Essenis vero, qui eos omnes facile antecellerent, quiq. plane ob oculos omnium essent in medio terræ constituti, ne verbum quidem fecisse reperies. Sit in exemplum in primis Trogus Pompeius, & eius abbreuiator Iustinus [a], qui agens de origine & moribus Iudæorum, de Essenis ne meminit quidem. Insuper & Strabo cosmographorum clarissimus, qui ex instituto non tantum Orbis situm, prouinciarumq. ciuitates & loca, sed & gentium mores suis scriptis est exactissime prosecutus; cum agit de Iudæis, eorumq. origine atque moribus, de Essenis, qui claritate sua obscuri esse non poterant, nihil penitus refert. Aristeas item in commentario quem scripsit de Septuaginta duobus interpretibus, cum Iudæorum instituta summa cum laude recenseat, nullam prorsus mentionem fecit de Essenis.

DE ESSENIS ANTE CHRISTVM EXISTENTIBVS SILENTIVM.

[a] Iustin. lib. 37.

IX. Verum nec in his contentiosum funem trahimus, vt negemus ante Christum fuisse Essenos. Demus nihilominus Iosepho, siue alijs, vt Essenos dicamus fuisse Iudæos ex Iudæis, eosdemq. etiam ante Christum Herodis maioris tempore claruisse (nulla enim antiquior apud Iosephum de eis habetur memoria) ac ijsdem, quos ait, vitæ institutionibus claruisse: quis prohibet dicere, eosdem prædicatione Apostolorum conuersos, inter Christianos professos esse? Nam si (quod natura insitum est) habentium symbolum sit facilis communicatio: quomodo non magis ex his quàm aliarum sectarum Iudæis Christiana religio potuit propagari? Equidem omnes sectas, quæ erant in Palæstina, Christum Dominum aliquando auersatas esse, nempe Pharisæos, Sadducæos, Herodianos, & Samaritas, Euangelica attestatione exploratum habetur. De Essenis vero, quòd aliquando vel Domino, vel eius Apostolis atque discipulis vel minimum negotium fecerint, nusquam legitur. Immo quo magis hi Pharisæis ac Sadducæis dissentirent, eo facilius Christianis consensisse, quos illi vehementer auersarentur, facile credi potest. Non ita tamen hæc dicimus, vt velimus omnes Essenos Christi fidem esse sectatos (nam ex his complures in sua perfidia remansisse, Philastrius [b] testatur) sed quòd ex Iudæis credentibus Esseni potius quàm Pharisæi vel Sadducæi Christianam religionem fuerint amplexati; cũ præsertim in perscrutandis Prophetis illos intentos fuisse, ac ob eam causam veritatem rerum futurarũ attigisse, Porphyrius [c] de illis testetur.

ESSENI REDDITI CHRISTIANI.

[b] Philastr. de haeres.
[c] Apud Cyrill. in Iul. lib. 5.

X. Est & de his illud non leue argumentum: nam antiquiores Esseni, qui a Iosepho describuntur, ab his qui a Philone sunt positi, nonnihil differunt: vt appareat, hos ex illis prouenientes, non tamen eosdem esse cum illis: quippe qui Christianam religionem consectati, pristinum vitæ genus, vbi Christiana religio non contradiceret, non reliquerint, sed perfectiorem nacti legem, excultiorem quoque vitæ institutionem sint professi. Hinc videas, Essenos quorum meminit Iosephus, in Iudæa agentes, eorumq. rigidiores (nam idem de alijs Essenis item agit, qui molliores essent, ducerentq. vxores) in multis remissiores illis fuisse qui agerent in Ægypto, quorum Philo texit historiam. Nam de suis Essenis testatur Iosephus, agere solitos in ciuitatibus: qui vero a Philone scribuntur, foris in hortis ac villis viuere consueuerant. Insuper illos prandere quotidie atque cœnare, scribit Iosephus: istos vero nonnisi semel in die post occasum Solis cibum sumere consueuisse, tradit Philo; qui ex his aliquos ad tertium vsque diem ieiunos durasse, & alios sex diebus sic itidem permansisse testatur. Rursum illis per singulos pulmentum apponebatur a coquo: istis vero pro opsonio, licet conuiuarentur, sal tantum cum pane & hyssopo satis erat. Sunt & aliæ complures inter eos in ritibus differentiæ: vt plane perspicuum sit, eos, etsi nomine conuenirent, compluribus institutis inter se fuisse distinctos; ac proinde Essenos Alexandrinos, alios diuersosq. fuisse ab his, quos in Iudæa agere solitos Iosephus affirmat.

DIFFERENTIA INTER ESSENOS.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

XI. QVOD ESSENI VERE FVERINT CHRISTIANI.

Sed & illud magnopere considerandum, Essenos non alibi quàm in Iudæa, numeroq. fuisse supra quatuor millia, vt Iosephus [a] testatur: quod quidem & Philo confirmat in eo libro, quem inscripsit, Quòd liber sit omnis sapiens. At cum idem Philo in libro quem de Vita contemplatiua conscripsit, dicat eiusmodi genus hominum apud Alexandriam magno esse numero, immo & in alijs Ægypti regionibus agere, quin insuper & in multis Orbis partibus; ac etiam addat, idem vitæ genus a Græcis & barbaris esse receptum: satis manifeste declarat, nonnisi de Christianis esse locutum, qui vbique terrarum & ex omnibus gentibus eiusdem vitæ, his primis Ecclesiæ temporibus, in eumdem ferme modum institutum excolerent. Quis enim vnquam legit, Græcos vel barbaros factos Essenos, vel Iudæos Essenos in alijs Orbis prouincijs reperiri? Sic igitur cum post Christi aduentum Essenos, quos Philo describit, ab antiquis Iudæis Essenis differre certum sit; alios hos diuersosq. ab illis iure esse censendos, nempe Christianos, qui augustiorem sublimioremq. vitam a suis maioribus fuerint amplexati, merito iureq. dici posse videtur. Et vnde, rogo, tantopere post Euangelij prædicationem, testante Philone, longe lateq. per Orbem auctus est numerus Essenorum; nisi quòd ijdem erant Christiani, prædicatione Apostolica vbique gentium propagati? Quòd si & obseruationem dici sabbati Philo in Essenis commendat; haud mirum est, cum & Apostolos etiam Iudaizasse, eorum Acta testentur. hocq. est quod prouide S. Hieronymus ait: Videns Philo Iudæorum disertissimus primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem suæ gentis, librum super eorum conuersatione conscripsit.] Siue ergo velimus, dictos Christianos apud Alexandriam agentes, quòd ex Essenis ad fidem Christi venissent, esse nominatos Essenos, vel a Philone sic appellatos, quòd magna ex parte Essenorum vitam viderentur esse imitati, vel quòd non Essenos, sed Iessæos, vel Essæos a contemplatione, vel sanctitate, eo nomine (vt diximus ex Philone, Epiphanio, & Suida) libuerit nominare Christianos: satis ex his omnibus constare arbitror, ipsum Philonem, secundum Eusebij, Epiphanij, Hieronymi, & aliorum sententiam, nonnisi de Christianis esse locutum; ita tamen, vt licuit externo homini, rerum nostrarum secreta inexplorata habenti, & quæ essent Iudæorum Christianorum, Iudæis prorsus adscribere cupienti.

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 2.

A B C

XII. ALEXANDRINA ECCLESIA COLLECTA EX IVDAEIS.

Haud enim est dubitandum, magna ex parte Ecclesiam Alexandrinam a Marco ex Iudæis potius quàm Ægyptijs esse collectam: tum quòd (vt idem testatur Philo in libro quem scripsit in Flaccum) constet Ægyptios antiquo odio fuisse in Iudæos infensissimos, atque eos maxime omnium auersatos, ijs præsertim temporibus, quibus (vt vidimus) tam immaniter sub Caio in eos fuerant debacchati: ac proinde Marcum Iudæum hominem ab eis spretum, contumelijs affectum, ac denique fuisse occisum: Tum etiam quòd præ ceteris Orbis nationibus Ægyptij essent suarum superstitionũ tenacissimi. hinc Cicero [b] in Tusculanis: Ægyptiorum morem quis ignorat? quorum imbutæ mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam prius subierint, quàm ibim, aut aspidem, aut felem, aut crocodilum violent.] Verum etsi daremus (quod nullo pacto faciendum putamus) neminem Gentilium Ægyptiorum ad religionem Christianam amplexandam esse conuersum: tamen nullo id esset impedimento, quin abundans florensq. Ecclesia in Ægypto ex Iudæis indigenis, atque aliarum nationum hominibus illic agere solitis, colligi potuisset: affirmat enim idem Philo in citato nuper libro, quem scripsit in Flaccum, non minus quàm decies centena millia Iudæorum hoc ipso tempore Ægyptum habitasse.

[b] Cicer. Tusc. lib. 5.

D E

XIII. DE ALEXANDRINA CIVITATE.

De externis vero ibidem agentibus, præstat hic recitare Dionis [c] cognomento Chrysostomi, qui his ipsis temporibus scribebat, de Alexandria ciuitate ad Alexandrinos hæc verba: Et nunc hæc dixi de ciuitate, ostendere vobis cupiens, quòd si inhoneste geratis, hoc clam fieri non possit, neque inter paucos, sed inter omnes homines. Video enim ego non solum Græcos apud vos, neque Italos, neque a propinquis regionibus, Syria, Libya, Cilicia, neque qui supra illos Æthiopes habitant, neque Arabes, sed etiam Bactrianos, Scythas, & Persas, & Indorum quosdam, qui concurrunt, & semper apud vos versantur.] hæc ille. Merito igitur Ammianus [d] verticem omnium ciuitatum appellat Alexandriam. Herodianus [e] autem æque primum locum eidem post Romam tribuit, nisi quòd de secunda palma cum ea tradit certasse Carthaginem. Quod autem ab Ausonio [f] quarto loco post Romam constituatur, nempe post Constantinopolim,

[c] Dio Chrysost. orat. 32. ad Alexandr.
[d] Ammianus lib. 22.
[e] Herod. lib. 7.
[f] Auson. de ord. nob. vrb.

A polim, Carthaginem, & Antiochiam; id inde accidit, quòd (vt tradit Ammianus [a]) sub Aureliano Imp. bellis ciuilibus, disruptis mœnibus, perdidit regionum maximam partem. Porro hoc tempore Alexandria florentissima erat, principem facile vendicans sibi locum. Merito igitur, id agente diuino numine, subijt in mentem Petri pastoris omnium, vt dilectissimum discipulum Marcum, quem immensi amoris causa filium suum appellat [b], mitteret Alexandriam, vt ibi Euangelium prædicaret, vbi velut in quodã Orbis theatro ex Asia, Africa, & Europa tot gentes essent simul collectæ: idemq. iure effecerit, vt ex tot nationibus Ecclesia nobilissima suo ipsius nomine congregata, post Romanam haberetur omnium facile princeps: quam (vt vidimus) a Marco primum fundatam, stabilitam, ac demum sanguine consecratam, post ipsum administrandam consensu omnium Anianus accepit, tenuitq. (vt dictum est) annis vi-
B gintiduobus.

[a] Ammian. lib. 22. in fine.
[b] 1. Petr. 1.

Romæ interim Neronis sæuitia vnà cum impudicitia in dies magis grassata, optimos quosque e medio tollere cœpit: idemq. Octauiam vxorem calumnijs circumuentam, in insulam relegatam, mori tandem balnei vapore compulit. Sed & auaritia Principis his coniuncta flagitijs, ditissimos quosque libertorum, & inter alios Pallantem, penes quem fuerat summa Imperij tempore Claudij, e medio sustulit. Sed hæc & alia Tacitus [c] & alij pluribus. Cum vero hæc Romæ agerentur, Romanus exercitus sub Pæto duce a Parthorum Rege Pacoro sub iugum turpiter mittitur.

XIV. NERONIS SAEVITIA.

[c] Tacit. lib. 15.

C

IESV CHRISTI ANNVS 65.	PETRI ANNVS 21.	NERONIS IMP. ANNVS 9.

I. ANnus Christi sexagesimusquintus adscribitur Fastis sub Consulatu Memmij Reguli & Virginij Rufi, idemq. annus quartus ante bellum Iudaicum cœptum, octauus vero ante Hierosolymorum obsidionem numeratur; quando venturam cladem Deus ab hoc anno voluit innotescere, & assiduo prædici, vt de patratis facinoribus populus ageret pœnitentiam. Quisnam fuerit vates iste, & quid ea causa passus sit, Iosephus [d] his verbis describit: Quod autem his horribilius fuit, Iesus quidam filius Anani, plebeius & rusticus, quadriennio prius quàm bellum gereretur, in summa ciuitatis pace atque opulentia, cum ad festum diem venisset, quo ategias in ho-
D norem Dei componi in templo ab hominibus mos est, repente clamare cœpit: Vox ab Oriente: Vox ab Occidente: Vox a quatuor ventis: Vox in Hierosolymã & templum: Vox in maritos nouos, nouasq. nuptas: Vox in omnem hunc populum. Atque hæc interdiu noctuq. clamitans, omnes ciuitatis vicos circuibat. Nonnulli autem virorum insignium, aduersum omen indigne ferentes, corripiunt hominem, multisq. verberibus afficiunt. Ille autem neque pro se, nec ad eos qui se mulctabant, secreto quicquam locutus, eadem quæ prius vociferans perseuerabat. Magistratus autẽ rati, quod erat verum, magis diuinum esse hominis motum, ducunt eum ad Romanum Præfectum: vbi plagis vsque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lacrymauit; sed vt poterat, inclinans maxime flebiliter vocem, ad singulos ictus respondebat: Veh veh Hierosolymis.

[d] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 12.

DE CLADE VENTVRA HIEROSOL. A IESV ANANI PRAEDICTA.

E Albino autem interroganti (is namque iudex erat) quis esset, vel vnde ortus, aut cur ista diceret; non respondit. Non prius autem cessauit a luctu miseræ ciuitatis, donec eum Albinus furere iudicatum dimisit. Ille autem ad belli vsque tempus neque adibat quemquam ciuium, neque loqui visus est: sed quotidie velut orationem quamdam meditatus, Veh veh Hierosolymis, querebatur. Sed neque imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos mulctaretur, nec victum offerentibus benedicebat. Sola vero responsio ad omnes erat triste præsagium. Maxime autem diebus festis vociferabatur: idq. per annos septem & quinque menses continuos faciens, neque voce raucior fuit, neque delassatus est, donec obsidionis tempore, ipsa re perspectis augurijs, ipse quieuit. Supra murum enim circumiens iterum, Veh veh ciuitati, ac templo, ac populo, maxima voce clamitabat. Cum vero ad extremum addidit, Veh etiam mihi, lapis tormento missus eũ statim peremit, animamq. adhuc illa omnia lugentẽ dimisit.] II.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic Ioſephus ; & mox ſubdit : Hæc ſi quis reputet, profecto inueniet Deum quidem hominibus conſulere, modiſq. omnibus præmonſtrare quæ ſint eorum generi ſalutaria, ipſos autem ob dementiam ſuam malis voluntarijs interire.] Cetera autem prodigia, quæ eamdem cladem præceſſerunt, ſuis locis ordine temporum recenſebimus. A

IESV CHRISTI ANNVS 66. PETRI ANNVS 22. NERONIS IMP. ANNVS 10.

I. VRBIS INCENDIVM OBORTVM.

CVrrente iam anno Chriſti Domini ſexageſimoſexto, Coſſ. C. Lexanio & M. Licinio, Chriſtiani, qui Romæ erant, de incendio Vrbis calumniam paſſi, ſæuiſſimis ijſdemq. diuerſis mortis generibus enecantur. Rem geſtam in hæc verba deſcribit Tacitus [a]: Sequitur clades, forte, an dolo Principis, incertum: nam vtrumque auctores prodidere: ſed omnibus quæ huic Vrbi per violentiam ignium acciderunt, grauior atque atrocior. Initium in ea parte Circi ortum, quæ Palatino Cælioq. montibus contigua eſt. Vbi per tabernas, quibus id mercimonium inerat quo flamma alitur, ſimul cœptus ignis, & ſtatim validus, ac vento citus longitudinem Circi corripuit. Neque enim domus munimentis ſeptæ, vel templa muris cincta, aut quid aliud moræ interiacebat. Impetu peruagatum incendium plana primũ, deinde in edita aſſurgens, rurſus inferiora populando anteijt remedia velocitate mali, & obnoxia Vrbe arctis itineribus hucq. & illuc flexis, atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. Ad hoc lamenta pauentium feminarum feſſa ætate, aut rudis pueritiæ ætas, quiq. ſibi, quiq. alijs conſulebant, dum trahunt inualidos, aut opperiuntur, pars morans, pars feſtinans, cuncta impediebant; & ſæpe dum in tergum reſpectant, lateribus, aut fronte circumueniebantur: Vel ſi in proxima euaſerant, illis quoque igni correptis, etiam quæ longinqua crediderant, in eodẽ caſu reperiebantur. Poſtremo quid vitarent, quid peterent ambigui, complere vias, ſterni per agros: quidam amiſsis omnibus fort unis diurni quoque victus, alij charitate ſuorum, quos eripere nequiuerant, quamuis patente effugio, interiere. Nec quiſquam defendere audebat, crebris multorum minis reſtinguere prohibentium; & quia alij palam faces iaciebant, atque eſſe ſibi auctorem vociferabantur; ſiue vt raptus licentius exercerent, ſeu iuſsu. B C

[a] Tacit. lib. 15.

II. NERO CREDITVS INCENDIARIVS.

Eo tempore Nero Antij agens, non ante in Vrbẽ regreſſus eſt, quàm domui eius, qua Palatium & Mecœnatis hortos continuauerat, ignis propinquaret. Neque tamen ſiſti potuit, quin & Palatium, & domus, & cuncta circum haurirentur. Sed ſolatium populo exturbato & profugo, Campum Martis, ac monumenta Agrippæ, hortos quin etiam ſuos patefecit. Et ſubitaria ædificia extruxit, quæ multitudinem inopem acciperent. Subuectaq. vtenſilia ab Oſtia & propinquis municipijs: pretiumq. frumenti minutum vſque ad ternos nummos. Quæ quamquam popularia, in irritũ cadebant; quia peruaſerat rumor, ipſo tempore flagrantis Vrbis, inijſſe eum domeſticam ſcenam, & ceciniſſe Troianum excidium, præſentia mala vetuſtis cladibus aſsimulantem. Sexto demum die apud imas Eſquilias finis incendio factus, proruptis per immenſum ædificijs, vt continuæ violentiæ campus & velut vacuum cælũ occurreret. Necdum poſito metu, redibat. Leuis rurſum graſſatus ignis, patulis magis Vrbis locis, eoq. ſtrages hominum minor. delubra deum, & porticus amœnitati dicatæ latius procidere. Pluſq. infamiæ id incendium habuit, quia prædijs Tigillini Æmilianis proruperat. Videbaturq. Nero condendæ Vrbis nouæ, & cognomento ſuo appellandæ gloriam quærere. Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur: quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus deiectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant, lacera, & ſemiuſta. Domuum, inſularum, templorum, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promptum fuerit: ſed vetuſtiſsima religione, quod Seruius Tullius Lunæ, & Magna ara fanumque, quæ præſenti Herculi Arcas Euander ſacrauerat, ædeſq. Statoris Iouis vota Romulo, Numæq. regia, & delubrũ Veſtæ cum penatibus populi Romani, exuſta. iam opes tot victorijs quæſitæ, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta: quamuis in tanta reſurgentis Vrbis pulchritudine, multa ſeniores meminerant, quæ reparari nequibant. Fuere qui annotarent decimoquarto Kal. Sextiles principium incendij huius ortum, quo & Senones captam Vrbem inflammauerant. D E

A uerant.] hæc Tacitus, qui poſt multa de Neronis ædificijs enarrata hæc ſubdit:

III. CHRISTIANI DE INCENDIO CALVMNIAM PASSI.

Mox petita a dijs piacula, aditiq. Sibyllæ libri, ex quibus ſupplicatum Vulcano, Cereri, Proſerpinæque, ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare: vnde hauſta aqua templum & ſimulacrum deæ proſperſum eſt; & lectiſternia & peruigilia celebrauere feminæ, quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus Principis, aut deum placamentis decedebat infamia, quin iuſſum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat. Auctor nominis eius Chriſtus, qui Tiberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Repreſſaq. in præſens exitiabilis ſuperſtitio, rurſus erumpebat, non modo per Iudæam, originem eius mali, ſed per Vrbem etiam, quo cuncta vndique B atrocia aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti ſunt. Et pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi; atque vbi defeciſſet dies, in vſum nocturni luminis vrerentur.]

IV. CHRISTIANORVM TORMENTA.

Sed quomodo id fieri ſoleret, accipe in primis ex Iuuenale, cum ait ſatyra prima:

Pone Tigillinum: tæda lucebis in illa,
Qua ſtantes ardent qui fixo gutture fumant.]

vbi vetus gloſſographus a Pithæo editus hæc habet: Tigillinũ ſi læſeris, viuus ardebis, quemadmodum in munere Neronis, de quibus ille iuſſerat cereos fieri, vt lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent guttura ne ſe curuarent. Nero maleficos tæda, papyro, & ce- C ra ſuperueſtiebat, & ſic ad ignẽ admoueri iubebat.] hæc ibi: ſed per maleficos auctorem intellexiſſe Chriſtianos, ex his quæ recitata ſunt ex Tacito, quiſque perfacile poteſt intelligere. Seneca, qui Neronis vixit temporibus, cum plura recenſeat genera tormentorum [a], ait: Illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam.] et Iuuenalis [b]:

Auſi quod liceat tunica punire moleſta.]

[a] Senec. epiſt. 14.
[b] Iuuenal. ſatyr. 8.

Sed quomodo ait Iuuenalis: *Fixo gutture fumant?*] numquid (quod ibidem ait Seneca) per adactum per medium hominem, qui in os emergat, ſtipitem? Vtcumque id fieri contigerit, his adeo acerbiſſimis cruciamentis tunc accidit quamplurimos Chriſtianorum vita defungi.

V. CHRISTIANI INFAMATI.

Subdit autem Tacitus: Hortos ſuos ei ſpectaculo Nero obtulerat, & Circenſe ludicrum edebat, habitu aurigæ permixtus plebi, vel circulo inſiſtens. Vnde, quamquam D aduerſus fontes & nouiſſima exempla meritos, miſeratio oriebatur, tamquam non vtilitate publica, ſed in ſæuitiam vnius abſumerentur.] hucuſque Tacitus: qui quidem, quòd Chriſtianos ob flagitia dicat fuiſſe inuiſos; vel id accidit, quòd deos conſtantiſſime deteſtarentur, eaq. ratione impij haberentur; vel quòd nomine Chriſtiano complures vagarentur hæretici obſcœniſſima perpetrantes: ſicq. factum eſſe videtur, vt Chriſtianum nomen infamaretur. quæcumque enim eſſent turpia hæreticorũ, quæq. etiam conficta de Iudæis eſſent ab Apione, vel alijs, ea omnia in Chriſtianos, quòd ex Iudæis progeniti eſſent, calumnioſe admodum redundabant. Sanctiſſimi enim Patres, qui pro Chriſtianis ſcripſerunt ad Imperatores apologias, hæc ſunt plenius proſecuti. Sed de his nos alias fuſius.

VI. REDARGVITVR ERRORIS TACITVS.

Quod olim ſuis prædixerat Chriſtus, dicens: Eritis odio omnibus hominibus pro- E pter nomen meũ] ſatis hoc & alijs exemplis plurimis declaratur: nimirũ quòd ipſum nomen eſſet in crimen. quamobrem verum illud Taciti: Haud perinde in crimine incendij, quàm odio humani generis conuicti ſunt.] ſed mendaciter illud: horum aliquos crimen eſſe confeſſos, atque alios ab his eſſe delatos. Eadem enim plane conſtantia, qua Chriſtiani veritatẽ mille pœnis ſubiecti profitebantur, eadem prorſus, ne mendaciũ loquerentur, fortiter perſtare conſueuerant. At quis certius Neronis artes nouit, quàm idem ipſe Tacitus, qui hæc ſcripſit? nimirum (quod proxime in Octauiam honeſtiſſimam feminam ſuam vxorem fecerat) cum quis ſibi inuiſus e medio tollendus eſſet, falſa mox crimina, nouæq. excogitatæ calumniæ, nactis eueſtigio accuſatoribus, erant in promptu. At Tacitus odio, quo & ipſe flagrabat in Chriſtianos, quo vacare debent omnes qui res geſtas ſcribendas ſuſcipiunt, parum liberalis hiſtorici, ſed hominis qui permoueretur affectibus, ſpecimen edidit: quippe qui, cum tam ſua

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsius sententia quàm totius populi opinione Nero auctor haberetur incendij, nihilominus A
[a] Tacit. lib. 15. Annal. fontes Christianos appellat. At nonne idem ipse Tacitus [a] Subrij Flauij Tribuni militum ipsi Neroni coram palamq. Vrbis incendium exprobrantis recitat verba: Odisse cœpi, postquã parricida matris & vxoris, auriga, histrio, & incendiarius extitisti.] An non se id facturũ Nero ante prædixerat? sic de eo affirmante Suetonio [b]: Sed nec populo, aut mœnibus patriæ pepercit. Dicẽte quodã in sermone: ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί: Immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος. planeq. ita fecit.] Latine autẽ sic ex quodã versu:

[b] Suet. in Neron. c. 38.

Me moriente terra misceatur igni.] sed ex se addidit: *Me viuente.*]

VII. CVR NERO VRBEM INCENDERIT.

Cur autem id fecerit, hanc idem Suetonius affert causam: Nam, inquit, quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustijs flexurisq. vicorum, incendit Vrbem, tam palam, vt plerique Consulares cubicularios eius cum stupa tædaq. in prædijs suis deprehensos non attigerint; & quædam horrea circa domũ Auream, quorum B
[c] Dio in Neron. spatium maxime desiderabat, vi bellicis machinis labefactata atque inflammata sint, quòd saxeo muro constructa erant.] hæc Suetonius: eadem ferme Dio [c], & alij, quorum nullus habetur auctor, qui audeat Christianos vel leuiter in crimen adducere.

VIII. TEMPVS QVO DVRAVIT INCENDIVM.

Quòd vero Tacitus sex dies incendium perduraſſe testetur, totidemq. Suetonius affirmet, ac septem noctes: hæc de vehementiori incendio eos intellexisse certum est. Etenim (vt idem addit Tacitus) leuius rursus grassatus est ignis: quamobrem nec ante nouem dies fuisse extinctum, vetus inscriptio docet, cuius hæc sunt verba [d]:

[d] Descripta habetur ab Ald. in lib. de Orthograph. pag. 312.

EX. VOTO. SVSCEPTO. Q. DIVERAT. NEGLECTVM. NEC REDDITVM. INCENDIOR. ARCENDORVM. CAVSA. QVANDO VRBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIANIS. TEMPORIBVS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA. EST. NE. CVI. LICEAT C
INTRA. HOS. TERMINOS. AEDIFICIVM. EXTRVERE. MANERE. NEGOTIARI. ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID SERERE. ET. VT. PRAETOR. CVI. HAEC. REGIO. SORTI. OBVENERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS. MAGISTRATVS. VOLCANALIB. X. K. SEPTEMB. OMNIBVS. ANNIS VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

IX. PRIMA PERSECVTIO.

Quod autem ad Christianos Romæ agentes spectat: hæc persecutio prima dicenda est, licet (vt ex Tacito vidimus) repressa cum esset, iterum (vt ait) erumpebat Christiana religio: Neroni quidem omnes tribuunt primam; de quo hæc Tertullianus [e]: Consulite commentarios: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis D
[e] Tertull. in Apolog. c. 5. nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest nonnisi grande aliquod bonum a Nerone damnatum.] et in Scorpiaco [f]: Vitas Cæsarum legimus, orientem fidem Romæ primus Nero cruentauit.] alludens nimirum ad Suetonium [g] hæc de Nerone scribentem: Afflicti supplicijs Christiani, genus hominum superstitionis nouæ & maleficæ.]

[f] Tert. in Scorp. c. 14.
[g] Suet. in Neron. c. 16.

X. CHRISTIANI VT IMPOSTORES DERISI.

Eiusmodi plane a Gentilibus censebantur Christiani, quos modo præstigiatores, modo impostores, atque sophistas execrabiles, Critias apud Lucianum appellat in Philopatro, apud quem & leguntur de ipsis derisiones illæ eiusdem Critiæ, prædicationem Euangelicam subsannantis, & in hunc modum deridentis, ac detestantis: Phy, Phy, Phy, Phy, nugas illas. Heu, Heu, Heu, Heu, consultationes malas. Væ, Væ, Væ, Væ, spei inani.] Insuper quòd Apostolici viri egentes esse viderentur atque pauperri- E
mi, & secundum illud Apostoli: Sicut egentes, multos autem locupletantes] ex sacris ac diuinis Scripturarum oraculis, Gentilibus fidem Christianam capessentibus, summam gloriam atque felicitatem, ac denique bonorum omnium pollicerentur affluentiam: eos irrisor Critias & alij nugaces illi similes deridebant, scommatibus atque dicterijs pariter subsannabant; iactantes nimirum homines aduenisse, qui vias auro essent inundaturi, cum tamen ipsi pannosi essent, atque carerent obolo: eaq. omnia nonnisi leuissima esse somnia, quibus populum deciperent, atque anicularum inuenta dictitabant. Hisce igitur cachinnis atque ludibrijs soliti erant Gentiles traducere religionẽ Christianam. Ex his videas, nonnisi diuini numinis potentia factum esse, vt Christiana religio, quæ infamis ac prorsus execrabilis haberetur, atque inanis prorsus & vana, quæ & insuper furenti Cæsarum gladio sæpe compescceretur, nihilominus in dies magis ma-

A gis magisq. longe lateq. in Vrbe & Orbe feliciter læta fœcunditate & fœtu amplissimo germinaret. Sed de his superius, & alias inferius sæpe. Quod autem ad necatos a Nerone Christianos pertinet, agitur in Martyrologio Romano eorum omnium memoria annua octauo Kal. Iulij; ibiq. ijdem Primitiæ martyrum, quòd passi Romæ essent primi, dicuntur.

XI. DE EPISTOLIS SENECAE AD PAVLVM.

At nec illud dicere prætermittimus, extare Senecæ nomine epistolam ad Paulum de incendio Neroniano: sed mea sententia ab alio quopiam potius ficta videtur, quàm a Seneca scripta; cum tam aperta in ea asserantur mendacia, nimirum centum tantum trigintaduas arsisse domos, & quatuor insulas: nam cum ex quatuordecim Vrbis regionibus quatuor tantummodo integras remansisse testetur Tacitus, longe quidem maiorem exustarum domorum & insularum numerum extitisse oportuit. Rursum B
cum eadem epistola data habeatur V. Kal. Aprilis, sub Aproniano & Capitone Consulibus; plane dicendum esset, eam quinque annos ante incendium scriptam esse; quinto enim Neronis anno hi Consulatum gessere: cum alioqui, teste Tacito, qui res gestas Neronis per annos singulos accurate digesserit, hoc anno, sub Consulibus Memmio Regulo & Virginio Rufo, ea de Vrbis incendio accidisse, exploratum habeatur. Quamobrem & reliquæ illæ tum ad Paulum conscriptæ, tum a Paulo ad eum redditæ, æque nobis suspectæ redduntur: quãuis sciamus eas non recens esse excogitatas, sed antiquitus scriptas, & a S. Hieronymo [a] cognitas atque probatas, sic dicente: Non ponerem eum in catalogo sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent, quæ leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.] Citat ex vna earum locum Senecæ ad Paulum scribentis, optare se eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos.
[a] Hier. de Script. Eccl. in Seneca.
C est in epistola decimasecunda.

XII.

Nouit eas & S. Augustinus [b], qui item earumdem meminit, sic dicens: Merito ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum leguntur epistolæ) Omnes odit, qui malos odit.] licet idem Augustinus [c] ex his quæ scribit de Seneca in libris de Ciuitate Dei, nullam prorsus fidem dictis epistolis tribuisse videatur. ait enim: Hic, *nempe Seneca*, inter alias ciuilis theologiæ superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudæorum, & maxime sabbata: inutiliter id eos facere affirmans, quòd per singulos septem interpositos dies, septimam fere partem ætatis suæ perdant vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo lædantur. Christianos tamen iam tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan vo-
D luntatem. De illis sane Iudæis cum loquitur, ait: Cum interim vsque eo sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt. Mirabatur hæc dicens, & quid diuinitus ageretur ignorans.] hæc ille de Seneca. Si ergo ex sententia Augustini Seneca de Christianis numquam meminit: quomodo erit, vt dictæ epistolæ, in quibus de Christianis & religione Christiana sæpe agitur, & cum Christiano homine Christi Apostolo, Senecæ adscribantur?

[b] Aug. epist. 24.
[c] Aug. de Ciuit. Dei lib. 6. c. 11. DE FIDE EPISTOLARVM SENECAE AD PAVLVM.

XIII. VNDE COMMENTVM DE EPISTOLIS.

Vnde autem ea de dictis epistolis opinio fluxerit, facile est demonstrare. Extant enim Acta quædam passionis Pauli, Lini nomine consignata; in quibus hæc leguntur de Seneca & Paulo: Institutor Imperatoris adeo est illi amicitia copulatus, videns in eo diuinam scientiam, vt se a colloquio illius temperare vix posset: quo minus si ore ad os alloqui illum non valeret, frequentibus datis & acceptis epistolis, ipsius dulce-
E dine & amicabili colloquio atque consilio frueretur.] hæc ibi. Sed qualia hæc sint, ea quæ dicta sunt, lectorem admonere posse videntur. Quod insuper spectat ad Senecam: iam ante biennium timens ille calumniam delatorum, & Imperatoris crudelitatem, cum nec affinibus parceret nec amicis, missionem instanter petens, roganſq. reliquum vitæ tempus ruri agere sibi licere, cum non obtinuisset, simulata mala valetudine, domi mortem opperiens miser agebat. Sed hæc pluribus Tacitus [d]: de Senecæ vero obitu anno sequenti.
[d] Tacit. lib. 14. c. 15.

XIV.

Hic vero obiter de obitu Senecionis agendum, quem idem Seneca scripsit epistola ad Lucilium, monumentum egregium miserrimæ conditionis humanæ, vtpote quæ vitam hanc per momenta singula precariã [e] ducat, quam & longe contratia conceptæ spei euenta perturbent. ait enim: Omnis dies, omnis hora, quàm nihil simus, ostendit, & aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos, cum æterna me-
[e] Senec. epist. 101.

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE REPENTINO OBITV SENECIONIS.

ditantes respicere cogit ad mortem. Quid sibi istud principium velit, quæris. Senecionem Cornelium, equitem Romanum splendidum & officiosum, noueras. ex tenui principio se ipse promouerat, & iam illi decliuis erat cursus ad cetera. Facilius enim crescit dignitas, quàm incipit: pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa ereptat. Hic etiam Senecio diuitijs imminebat; ad quas illum duæ res ducebant efficacissimæ, & quærendi & custodiendi scientia, quarum vel altera locupletem facere potuisset. Hic homo summæ frugalitatis, non minus patrimonij quàm corporis diligens, cum me ex consuetudine mane vidisset, cum per totum diem amico grauiter affecto & sine spe iacenti, vsque ad noctem assedisset; cū hilaris cœnasset, genere valetudinis præcipiti abreptus, angina, vix compressum arctatis faucibus spiritum traxit in lucem. Intra pauciss imas ergo horas, postquam omnibus erat sani ac valentis officijs functus, decessit. Ille qui & mare & terra pecuniam agitabat, qui ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quæstus, accesserat, in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniæ impetu raptus est, &c.] Quàm similis hic diuiti illi, ad quem sententia illa ex Euangelio[a]: Stulte, nocte ista animam tuam repetent a te: hæc quæ congregasti, cuius erunt?] Vt hæc tibi de Gentili homine adderemus, illud impulit, quòd accidit vt Romæ his diebus e ruderibus effoderetur eiusdem Senecionis, cognomento Cornelij, lapis sepulchralis inscriptionis, quam tibi hic cudendam curauimus: sic enim se habet[b]:

[a] Luc. 12.

[b] Extat venalis apud lapicidã iuxta S. Mariam supra Mineruam.

D. M.
CORNELIAE.
PROCVLA. ET
PLACIDA. FECER.
Q. CORNELIO. SENE
CIONI. PROCVLO.
PRAETORICIO. LE
GATO. PROVIN
CIAE. ASIAE. FRA
TRI. BENE. MEREN
TI

XV. Hoc item ipso decimo Neronis anno in Iudææ procurationem Albino subrogatus est Gessius * Florus, vt colligitur ex Iosepho[c], dum ait egisse hunc biennium in magistratu, cum Nero ageret in Imperio annum duodecimum. Eusebius[d] etiam hoc anno substitutum Florum Albino tradit. Porro hic adeo scelestus fuit, vt Albinus licet pessimus, sui faceret omnibus desiderium. Nam de ingressu Flori hæc Iosephus: Gessius * autem Florus Albino successor a Nerone missus, pluribus Iudæos repleuit calamitatibus. Is Clazomenus erat genere, adduxitq. secum Cleopatram coniugem non minus improbam, per quam, vt Poppææ Augustæ amicam, Iudææ administrationem impetrauerat: adeo vero potestate violenter abusus est, vt Albinum Iudæi desiderarent, quasi beneficum. Nam ille quantum poterat, clam erat malus & nocens; Florus contra, quasi ad ostentandam missus malitiam, publice traducebat nostræ gentis iniurias, nihil sibi ad summam de rapinis & supplicijs iniquitatem reliquum faciens. Erat enim inflexibilis ad misericordiam, nullis vmquam lucris satiabilis, vndecumque parua æque captans & magna, vt etiam latronum esset particeps.] hæc & alia multa Iosephus de homine scelestissimo: qui quomodo tandem ad defectionem Iudæos compulerit, suo loco dicemus.

* Cestius
[c] Ioseph. antiq. lib. 20. c. 9. & de Bell. Iud. lib. 2. c. 14.
[d] Eusebius in Chron.

* Cestius CESTIVS FLORVS PRAESES IVDAEAE MISSVS.

IESV CHRISTI ANNVS 67.	PETRI ANNVS 23.	NERONIS IMP. ANNVS 11.

I. PERSECVTIO IN CHRISTIANOS PROPAGATA.

ANno, qui sequitur, sexagesimoseptimo, Coss. Silio Nerua & Attico Vestino, vel (vt habet Plinius[e]) Appio Iunio & P. Silio, persecutio in Christianos a Nerone occasione incendij semel excitata, datis ab ipso edictis, magis ac magis in eos sæuijt. Testatur id Seuerus[f], cum ait, postquam de incendio locutus est, & de Christianis ea de causa sæuissime trucidatis: Hoc initio in Christianos sæuiri cœptum. Post etiam datis

[e] Plin. lib. 8. c. 20.
[f] Seuer. hist. lib. 2.

datis legibus, religio vetabatur; palamq. edictis propositis, Christianum esse non licebat.] Perdurauit hæc persecutio vsque ad Apostolorum cædem: quibus temporibus Dei Ecclesia sanctorum coronis est mirifice illustrata; tantumq. abfuit vt ea causa fides tepuerit, vel remissa ex parte aliqua fuerit, vt potius noua propagatione sit aucta. Quinam autem sub eadem persecutione Romæ sint passi, complurium nomina suppeditat Romanum Martyrologium, licet ex immenso numero vix paucorum; quòd (vt suo loco dicemus) inuidia Diocletiani perierint Acta martyrum. Agemus autem inferius de eadem persecutione suo loco pluribus.

II. SIMON MAGVS QVID PERSECVTIONIS TEMPORE DOCVIT SVOS.

Inter hæc autem Simon magus, qui his temporibus (vt dicemus) Romæ agebat, ne occasione eiusmodi concitatæ persecutionis, suorũ discipulorum, quos collegerat, quibus & persuaserat (vt vidimus) se Christum esse, dispendium pateretur; eos docuit palam negare, & si opus esset, etiam idola colere. Testatur enim id Origenes[a], dum contra Celsum agens, sic dicit: Tametsi multos falleret Simon, a capitali tamen supplicio & morte, quã religionis gratia vltro Christiani subirent, ex discipulis suis vnum quempiam subtraxerit, quos vtique docuisset vt indifferenter ad idolorum se cultum haberent. Sed nihil tunc primum Simoniani illi insidiarum perpessi sunt: callebat enim sagax ille & improbissimus dæmon, qui & Iesu doctrinæ moliretur insidias, eorum animos, quos sub eius Simon ditione haberet, sua ex disciplina haudquaquam solutum iri.] hæc Origenes: ex quibus etiam significatur, Simonem hæc docuisse tempore Neronianæ persecutionis, quæ prima a Gentilibus pro idolis tuendis illata censetur: antehac enim cum nullus (quod certo sciatur) Gentilium ad eorum cultum adigeret Christianos, nulla suberat occasio vt sic ille suis consuleret sectatoribus. Ex quibus patet, Simonem ad hæc vsque Neronis tempora fuisse superstitem, & non (vt alij dicunt) sub Claudio decessisse. Sed de his supra, ac rursum inferius.

[a] Orig. contra Celsum lib. 6.

III. QVAE GESTIVS IN IVDAEOS.

Res vero Iudaicæ inter hæc in deterius prolabuntur, Cestio * Floro Iudææ Procuratore Iudæos grauius affligente, & ad defectionem penitus perurgente: quæ anno sequenti, secundo nimirum a tempore quo in Iudæam ipse aduenerat Procurator (vt Iosephus[b] testatur) est cœpta. Quæ autem hoc anno contigerint, idem Iosephus[c] sic narrat: Cestius * vero iniquitates suas in vniuersam gentem, iam palam quasi gloriaretur, exercuit; ac velut non ad regendam prouinciam, sed ad damnatorum pœnas carnifex missus, neque rapinarum vllum modum, neque afflictionum prætermisit. In miseris autem crudelissimus erat, in turpibus vero impudentissimus: neque enim quis illo amplius offendit fallacia veritatem, neque commentus est callidiores nocendi vias. Huic siquidem, viritim illatis dispendijs lucra quærere, exiguum visum est; sed totas simul dispoliabat vrbes, & labes populis inferebat: tantum non voce per totam regionem edicens, liberum esse hominibus latrocinari, dum ipse prædarum acciperet portionem. Denique ob illius auaritiam contigit totam pene deseri regionem; ita vt plurimi sedes patrias relinquentes, ad externas prouincias commigrarent.] hæc Iosephus. cetera de eo, anno sequenti.

* Gessius
[b] Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 13.
* Gessius
[c] Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 13.

IV. DE SAEVITIA NERONIS IN CONIVRATOS.

Eodem anno, dum hæc in Iudæa agerentur, Romæ detecta coniuratione in Neronem a compluribus Romanorum nobilium diu agitata atque composita: idem Nero cum ceteros, tum Senecam inter coniuratos a proditore nominatum, occidi iussit; concessit tamen illi, vt quam vellet mortem sibi deligeret. Gallio eius germanus, qui olim, (vt dictum est) cum Paulus in Græcia degeret, Proconsulem agebat in Achaia, ex nece fratris pauidus, supplex vitam obtinuit. Inter alios pene innumeros occisus est quoque Annæus Lucanus Senecæ nepos: necatus ante omnes Romanorum clarissimus Plautius Lateranus Consul designatus, cuius nobilis illa erat basilica in Cælio monte, quæ postea vsui cesserit Christianorum, & aucta in primariam conuersa est ecclesiam, quæ est appellata Lateranensis: de qua S. Hieronymus[d] ad Oceanum: Ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, &c.] sed de ea suo loco inferius. Post cladem coniuratorum, vel eorum qui aliqua leui suspicione vel fictione odio Principis pulsarentur, subsecuta est mors Poppææ Augustæ; quam licet amatissimam, Nero iracundia percitus, ictu calcis percussam occidit. Sed hæc Tacitus, Dio, & alij pluribus.

[d] Hieronymus epist. 30.

Universidad de Deusto
Biblioteca

A

I. CHristi Domini nostri anno sexagesimooctauo, Coss. Suetonio Paulino & Pontio Telesino, Petrus [a] & Paulus diuino consilio, vt afflictatæ nimis gladio Neronis Ecclesiæ Romanæ succurrerent, e diuersis Orbis partibus Romam se iterum contulerunt, atque collabentem pene Ecclesiam instaurarunt. Neronis enim gladio in Romanos occasione dictæ coniurationis conuerso, a sanguine Christianorum aliquantum temperatum fuisse videtur. Hac igitur bene vsi opportunitate Petrus & Paulus, Romæ (vt licebat) rursum Euangelium prædicarunt. Horum prædicationis nobile fragmentum recitat Lactantius, de prænunciata his diebus ab eisdē Apostolis futura clade Hierosolymitana, cuius bellum hoc ipso anno, occasione quam dicemus paulo inferius, est inchoatum. Cum enim (vt accidit) de Iudæorum defectione frequens sermo esset inter Romanos; inde suppeditatum est argumentum de his agere, quæ his verbis Lactantius [b] memoriæ commendauit: Futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt: et ea prædicatio in memoria scripta permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, vt post breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo æquaret, ipsos autem fame sitiq. confectos obsideret. Tum fore, vt corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem: postremo vt capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissime coniuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique ferro igniq. vastari, captiuos in perpetuum terris suis exterminari: eo quòd exultauerant super amantissimum & probatissimum Filium Dei.] hucusque Lactantius.

[a] Metaphr. die 29. Iunij, & alij.

[b] Lactan. lib. 4. c. 21.

B

C

II. Rursus etiam de Pauli Romæ prædicatione est insignis memoria, licet apud scriptorem impium [c]: quidam enim Triephon Romæ agens, cum Critiam Christianæ fidei derisorem catechumenum facere cuperet, hæc inter alia de se refert: Quando autem me Galilæus ille conuenit recaluaster, naso aquilo, qui in tertium vsque cælum per aerem ingressus est; quæ optima & pulcherrima sunt, inde didicit: per aquam nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.] hæc ille, quibus equidem non alium quempiam quàm Paulum Apostolum describi, omnes puto facile intelligere. nominat eum Galilæum, quòd sic Apostoli, immo & ceteri Christiani dicerentur; vel ex antiqua eius origine, vt superius dictum est. Cum igitur Triephon (vt vidimus) se Pauli discipulum profiteretur; eam ipsam artem in instituendo Gentili homine ad fidem capessendam, quam ipse didicisset a Paulo, tum adhibuisse videtur: quippe qui deorum falsitate primitus demonstrata, subinde de rerum principijs, ac Dei operibus, non ex diuina Scriptura, cui ille non crederet, sed ex auctoribus Ethnicis petijt testimonium, non secus ac Paulus fecisset Athenis. Demum ea, quam a magistro de vno trinoq. Deo didicerat, fide illum imbuit in hunc modum: Cum enim ille rogaret, dicens: Quemnā igitur tibi iurabo? Ad eum Triephon: Deum alte regnantem, magnum, ætherium, atque æternum, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, vnum ex tribus, & ex vno tria: hæc tu Iouem puta, hunc tu existima Deum.] hæc ille ibi, quantum tamen licuit tantam rem tanta breuitate describere, vel quantum externus homo & Christianis infensissimus Lucianus eadem potuit fideliter retulisse. Sed missis his, ad Petrum redeamus.

[c] Lucian. in Philopatr. QVAE LVCIANVS DE PAVLO.

D

E

III. Cum ageret Petrus Romæ, non satis sibi visum, Ecclesiæ Romanæ prospicere: sed quòd vniuersi gregis creditā sibi curam a Domino accepisset, ac præcipue Iudæorum patrocinium in Concilio Hierosolymitano sibi sumpsisset; iam secundam ad eos scribit epistolam, in qua hæc ipse [d]: Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem, vt memores sitis eorum quæ prædixi.] Ceterum haud longe ante consummatum martyrium eam a se daram esse, illis ipse verbis significat, quibus ait [e]: Iustum autem arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Iesus Christus significauit mihi.

DE PETRI SECVNDA AD IVDAEOS EPISTOLA.

[d] 2. Petr. 3.

[e] 2. Petr. 1.

Dabo

A Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitū meum, vt horum omnium memoriam faciatis.] hæc ibi.

Quod autem pertinet ad eiusdem epistolæ firmitatem: eam certe vt Petri legitimam antiquiores Theologi agnouerunt; quorum eruditissimus Hippolytus [a] Episcopus eam citat: sed audi quo præconio: Princeps Petrus, inquit, fidei petra, quem beatum iudicauit Christus Deus noster, ille doctor Ecclesiæ, ille primus discipulorum, ille qui regni claues habet, docuit nos, dicens [b]: Hoc primum scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Et erunt [c] ex vobis, qui introducent sectas perditionis, &c.] citant eam & alij. Sed quòd crederetur esse deprauata, licet publice legeretur; non fuisse in canone, ait [d] Didymus eam interpretatus; dubitatumq. de ea tradit Eusebius [e]. Sed id factum esse ob diuersitatem interpretum, S. Hieronymus [f] affirmat, sic dicens: Denique & duæ epistolæ quæ feruntur Petri, stylo inter se & charactere discrepant, structuraq. verborum. ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diuersis eum vsum interpretibus.] ac recte quidem: nam non tantum eo munere apud eum functus est Marcus, sed (quod & alias diximus ex Clemente Alexandrino [g]) & Glaucias quidam, quem Basilides falso iactabat suum fuisse magistrum. Porro non tantum quotquot sacra Concilia contexuere canonicorum librorum catalogum, vt Romanum sub Damaso, quod habet Collectio Cresconiana, Laodicenum, Carthaginense tertium, alterum Romanum sub Gelasio, omnes insuper sanctissimi Episcopi id ipsum suis scriptis præstitere, vt Athanasius in Synopsi, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Augustinus de doctrina Christiana, & qui eodem vixit tempore Ruffinus Aquileiensis, quiq. insuper his præstat auctoritate Innocentius ad Exuperium, Cassiodorus, Isidorus, & alij Orthodoxi recentiores, omnes æque eam esse Petri epistolam profitentur: quorum testata fide, Nouatorum quorumdam eam impugnantium temeritas inferius arguetur.

[a] Hippol. de Antichrist.

[b] 2. Petr. 3.

[c] 2. Petr. 2.

[d] Didymus in epist. Petr. c. 3. in fine.

[e] Euseb. hist. lib. 3. cap. 3.

[f] Hieron. epist. 150. q. 12.

[g] Clem. Alex. Strom. lib. 7.

B

C

IV. EPISTOLA SECVNDA PETRI RECEPTA.

V. Ad hanc ipsam Petri secundam epistolam, ea quæ a Iuda Iacobi fratre scripta habetur, relationem quamdam videtur habere, cum eodem ferme scripta sit argumento, ijsdemq. sententijs atque etiam verbis interdum videatur intexta: vt plane appareat, prius Petri secundam, quàm Iudæ esse scriptam epistolam. Ex quo certo signo erroris arguuntur, qui absque vllo antiquorum Patrum testimonio, ex propria animi sententia, vel falsa aliqua coniectura persuasi, dixerunt Iudam & Simonem Apostolos abhinc ante triennium fuisse martyrio in Perside coronatos; cum ex his dici posse videatur, Iudam post hæc tempora fuisse superstitem. Sed quonam anno vna cum collega martyrium subierit, fateri malumus hoc nos ignorare, quod a maioribus non sit traditum, quàm temere quid certum in re dubia statuere. Ceterum quod ad Iudæ epistolam pertinet; eam esse legitimam germanamq. Iudæ Apostoli, citata modo sacra Concilia, atque Patres qui canonicorum librorum numerum recensuerunt, firmiter profitentur. Citat eam idem qui supra Hippolytus [h] martyr, doctrina nulli antiquorum secundus; Tertullianus [i] etiam, ac insuper alij recentioris classis scriptores Ecclesiastici; Nouatoribus quibusdam exceptis, qui leuioribus eam impetunt obiectionibus: quasi probro adscribendum esset Apostolo, quòd ex Enoch libro apocrypho citauerit auctoritatem; cum & Gentiles poetas Paulus, & aram idololatriæ inseruientem, cum Athenis concionaretur, in summæ Theologiæ conuerterit testimonium, & sinceriſsimæ veritatis argumentum. Ceterum liber Enoch apud maiores haud erat vulgaris auctoritatis, cum non defuerint [k] qui dixerint ipsum esse canonicum, atque adeo, vt etiam qui in eodem libro essent errores, in Catholicum dogma sint conati transferre. Sed de his alias.

DE IVDAE EPISTOLA.

[h] Hippolyt. de Antichrist.

[i] Tertul. lib. de habit. mul. c. 3.

[k] Tert. lib. de habit. mulier. c. 3. et ibi Pamel. not. 30.

D

E

VI. Quoniam vero occasione Petri epistolæ, de ea etiam quæ post illam eodem argumento est a Iuda conscripta, agere opus fuit: hic opportune incidit, vt qui irrepserunt errores de Iudæ & Simonis nomine, confutemus. Cum autem Lucæ [l] testimonio exploratum habeatur, Simonem tantum inter Apostolos cognomento dictum fuisse Zelotem: quomodo factum est, vt Hieronymus [m] Iudam Iacobi fratrem Zelotem appellet? sic enim ipse scribit in suis in epistolam Pauli ad Galatas commentarijs: Iudæ Apostoli, sed non proditoris, qui ob insignem zeli in se virtutem, & Zelotis nomen accepit.] et alibi [n]: Iudas Zelotes in alio Euangelio Thaddæus dicitur.] Ceterum in commentario in Matthæum [o] de singulis agens, Zelotæ cognomen Simoni tantum tribuit;

DE IVDA ET SIMONE.

[l] Luc. 6. Act. 1.

[m] Hieron. in epist. ad Galat. cap. 4.

[n] Idem contra Heluid.

[o] Hier. in Mat. cap. 10.

Iudam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudam vero dictum Thaddæum, & Lebæum, tradit. Cum autem in citatis locis ipsum Iudam fratrem Iacobi, Zelotem, & Thaddæum appellet, sane videtur nomina confudisse, nempe cum vtroque Simone Iudam: sicut visus est fecisse Sophronius apud ipsum [a], cum ait: Simon Cananæus, cognomento Iudas, frater Iacobi Episcopi, qui & successit illi in Episcopatum post obitum Iacobi cognomento Iusti, vixit annos viginti supra centum: crucifixus autem sub Traiano Præfecto, mota persecutione graui, dormiuit.] hæc ipse: eadem apud Isidorum leguntur, & alios. Dorotheus autem in Synopsi duos Simones distinctos ponit: putat tamen Simonem sub Traiano passum, cognomento dictum esse Iudam. Verum Hegesippus [b] diuersos plane ponit Simonem & Iudam; quorum priorem sub Traiano passum tradit, Iudam vero nec sub Domitiano fuisse superstitem, quorum nepotes tantum tunc vixisse perhibet. Adhuc insuper Simonem Zelotem a Iuda fuisse distinctum, satis Euangelistæ demonstrant. Lucas [c] enim dum iterum Apostolos numerat, sic eos nominando discriminat: Simonem, qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi.] et alibi: Simon Zelotes, & Iudas Iacobi.] Verum hunc, quem Lucas dixit Iudam Iacobi, Matthæus [d] Thaddæum nominat: cum enim numerat Apostolos omnes; vbi Iudas ponendus erat, Thaddæum ponit: quod & Marcum [e] fecisse liquet: vt nulla prorsus sit ambiguitas, Iudam cognomento dictum esse Thaddæum. Adeo vt dilucide satis Euangelica veritate testatum habeatur, Simonem & Iudam, non vnum, sed duos fuisse Apostolos, cognomenq. Zelotes solius esse Simonis, Thaddæi vero Iudæ.

a Hier. de Scrip. Eccl. in Simone.

b Euseb. histor. lib. 3. c. 15. & cap. 20.

c Luc. 6. Act. 1.

d Matth. 10.

e Marc. 3.

VII. VNDE OBORTA NOMINVM CONFVSIO.

Rursus cum Iudas frater Iacobi dicatur, qui frater Domini, & Iustus cognominatus est: et ipsum inter eos qui fratres Domini dicti sunt, ab Euangelistis esse adnumerandum, Hegesippus [f] affirmat. Sed cum nouissimus ille Simeon, qui crucifixus est sub Traiano, & ipse frater Domini dictus fuisse tradatur; qui appellatus sit Simeon Cleophæ, qui dicitur fuisse Mariæ maritus, quæ a Ioanne [g] nominata est Maria Cleophæ, eademq. ab eo soror Dei genitricis dicta: inde accidisse putamus, vt cum tam Simeon quàm Iudas dicti fuerint fratres Domini, vnus idemq. fuisse ab his creditus sit. Cumq. Simonem Zelotem vnum quoque fuisse cum Simeone Cleophæ ijdem existimarint: hinc etiam factum est, vt hi tres quasi vnus idemq. sint habiti, dictusq. sit Simeon Iudas Zelotes. Ceterum, sicut aperte monstratum est diuersos esse inter se Simonem & Iudam, itemq. Iudam a Simeone successore Iacobi; ita etiam patet Simonem Cananæum distinctum fuisse a Simeone Cleophæ passo sub Traiano. Idq. tam Græci quàm Latini pariter profitentur, dum illi in Menologio, isti in Martyrologio diuersis diebus diuersisq. notis eos distinctos ponunt, cum singulorum anniuersariam proponunt memoriam celebrandam. Beda [h], qui eodem fuerat lapsus errore vt hos duos vnum putaret esse Simonem, sententiam retractauit. Quod vero spectat ad Iudæ atque Simonis martyrium, ceteraq. ipsorum res gestas: descriptas eas fuisse a Cratone Apostolorum discipulo, easdemq. ab Africano historicorum Christianorum antiquissimo Latinitate donatas, testatur auctor qui scripsit Passiones Apostolorum. sed quoniam illæ a Gelasio inter apocrypha reijciuntur, certum quid de his affirmare non possumus; cum præsertim S. Hieronymus [i] de Iulio Africano tantum testetur, quinque de Temporibus libros ab eo esse conscriptos. Verum quæ de ipsorum passione ab eodem incerto auctore scripta esse reperiuntur, non penitus vt falsa reijcienda esse putamus, cum (vt dictum est nuper exemplo Iudæ Apostoli) in apocryphis multa insint, quæ vera esse probentur. At de his hactenus.

f Apud Euseb. hist. lib. 3.

g Ioan. 19.

h Bed. in retract. in Act. Apostol.

i Hier. de Scrip. Eccl. c. 63.

VIII. PETRVS ET IVDAS EXAGITARVNT NICOLAITAS.

Vt vero tandem, vnde oratio digressa est, reuertatur: tam Petrus, quàm etiam post eum Iudas, in dictis quas scripserunt epistolis, in vno eodemq. versati sunt argumento, vt illis eosdem fuerint insectati hæreticos, qui luxurijs dediti, turpissimi haberentur. De quibus in primis Petrus [k]: Hi, inquit, velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & perniciem in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua pertibunt, percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes Dei delicias, coinquinationis & maculæ delicijs affluentes, in conuiuijs suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij, & inceſsabilis delicti.] hæc Petrus, & alia plura. et Iudas item de ijsdem: Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, abeuntes post carnem alteram, factæ sunt in exemplum ignis æterni pœnam sustinentes: similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt,

k 2. Petr. 2.

nunt, maiestatem autem blasphemant.] Sed quinam fuerint hi omnigenæ luxuriæ inquinati sordibus: etsi tam Simon, quàm qui eius sectam profiterentur, Menander, Basilides, Carpocras, & alij horum gregales haberentur impurissimi; hos tamen turpitudine superatos esse a Nicolaitis, nemo dubitat: de quibus quidem vehementer Ignatius [a] admonet, dicens: Fugite quoque impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes, voluptatum amatores, & sycophantas.]

a Ignat. epist. 5. ad Trall.

IX. DE NICOLAITIS

Hos dictos esse Nicolaitas a Nicolao diacono, vno ex septem primis, omnes æque consentiunt. Sed qua occasione id acciderit, diuersæ reperiuntur antiquorum sententiæ; aliorum videlicet affirmantium, ab ipso Nicolao praua horum dogmata esse excogitata. dixerunt hæc in primis Irenæus [b], Tertullianus [c], Hilarius [d], Epiphanius [e], Hieronymus [f], & alij complures, asserentes ipsum ab Ecclesia Catholica defciuisse, & in sordidissimas hæreses turpiter lapsum esse: ea nimirum ex causa, quòd ordinatus diaconus, cum ad imitationem eorum (inquit Epiphanius [g]) quos Deo addictos videbat, ab vxore, quam formosam habebat, se continuisset, & a concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset, argueretur q. ab Apostolis, quòd vxore, quam antea dimisisset, vteretur; indignum nimirum ratis, vt sacris iam officijs atque ordinibus mancipati, adhuc carnis tenerentur illecebris: illum mox hæresim excogitasse, necessariumq. ad salutem consequendam esse affirmasse, quotidie inquinari luxurijs.

b Iren. lib. 1. cap. 27.

c Tert. de præscript.

d Hilarius in Matth. c. 23.

e Epiph. hær. 25.

f Hieron. epist. 1. & 48.

g Epiph. hær. 25.

X. DE NICOLAO EXCVSATIO.

Fuit aliorum ab his diuersa sententia, dicentium sic Nicolaitas a Nicolao diacono esse dictos, vt tamen ipse culpa vacaret. Sed qua occasione id acciderit, Clemens Alexandrinus sic scribit [h]: Cum Nicolaus formosam haberet vxorem, & post ascensionem Saluatoris ei ab Apostolis fuisset exprobrata zelotypia; in medium adducta muliere, permisit cui vellet, eam nubere. Aiunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, carne vti oportere. Eiusq. factum & dictum absolute sequentes, qui eius hæresim sequuntur, impudenter effuseq. fornicantur. Ego autem audio, Nicolaum quidem numquam vlla alia, quàm ea quæ ei nupserat, vxore vsum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium etiam permansisse incorruptum. Quæ cum ita se habeant, vitij erat depulsio atque expurgatio in medium Apostolorum circumactio vxoris, cuius dicebatur laborare zelotypia: et continentia a voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud vti carne oportere, hoc est, exercere carnem: neque enim (vt existimo) volebat, conuenienter Domini præcepto, duobus dominis seruire, & voluptati, & Deo. Dicam itaque, Matthiam quoque sic docuisse, cum carne quidem pugnare, & ea vti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem.] hucusque Clemens: quæ sane & Eusebius [i] recitat ac probat, itemq. Theodoretus [k]: quibus vt consentiam, persuadet Ignatius, dum falso nomine hos dictos esse Nicolaitas, iterum tradit, nimirum cum in primis ad Trallianos scribens ait: Fugite impuros Nicolaitas, falsum sibi nomen sumentes.] et ad Philadelphios: Finem, inquit, beatitudinis constituat voluptatem, vt hi qui falso nomine Nicolaitæ dicuntur.] Ad quid igitur hæreticos illos falso nomine Nicolaitas esse dictos inculcat, nisi quia illi (vt mos est hæreticorum) honesto nomine hæresim suam quolibet quæsito prætextu velare cupientes, se Nicolaitas, quasi a Nicolao descenderent, mendaciter ac iactanter nominarent? Eamdem quoque nomenclaturam inuenies apud Clementem [l], dum ait: Alij inuerecunde, quod nunc faciunt falsi nominis Nicolaitæ.] quod verum putamus. Ceterum Nicolaum diaconum, vt virum fide Catholica probatissimum, augustiori auctum honore, factumq. ab Apostolis Episcopum Samaritanorum, Hippolytus, cuius fertur liber de Septuagintaduobus discipulis, testatur; cui consentit Dorotheus in Synopsi.

h Clem. Alex. Strom. lib. 3.

i Euseb. histor. lib. 3. c. 23.

k Theodor. hær. fab. lib. 3.

l Clem. Constit. lib. 6. c. 8.

XI. NICOLAITARVM HÆRESES.

Sed vt quænam essent praua dogmata Nicolaitarum cognoscamus: Ignatius [m] (vt ab antiquiori exordiar) ipsos negasse ait Christum fuisse Deum, sed in eo Deum habitasse. Meminit & Irenæus [n] de Nicolaitis Christi diuinitatem negantibus; quos Ioannes Euangelista æque atque Cherinthianos, scribendo Euangelium, confutauit. In hos (vt dictum est) Iudas in sua epistola sententias iaculatur, dum ait: Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt ad hoc iudicium, impij, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem & Dominum nostrum Iesum Christum negantes.] Subdit Ignatius, eorumdem eam esse assertionem, vt dicerent illegitimos

m Ignat. epist. 9.

n Iren. lib. 3. cap. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

timos concubitus bonum esse; ijdem finem ac beatitudinem constituerunt voluptatem. Irenæus præter licentiam in mœchando, nulla habita distinctione, idolothyta, vt Gentes, comedere consueuisse tradit. A

XII. At portentosa plane hos excogitasse commenta, vt aliquo saltem quæsito prætextu
[a] Epiph. hær. 25. obscœna ac impudica posse licite perpetrari docerent, Epiphanius[a] refert: additq. noua & hactenus inaudita ad incutiendum terrorem simul cum admiratione adinuenisse nomina numinum, nempe Barbelo, Prunicum, Ialdabaoth, Caulauchauch, atque Metran; diuisosq. ab inuicem, ex singulis dictis nominibus sectas singulas instituisse.
[b] Euseb. lib. 3. c. 23. Sic etiam intelligendum est quod Eusebius[b] ait, Nicolaitas ad modicum spatium temporis perdurasse: nimirum quòd pertæsi falsi nominis, non amplius se nominarent Nicolaitas, quòd facile imposturæ conuinci potuissent; sed alio rursum ad rem turpissimam obtegendam, omnium pulcherrimo quæsito nomine, se ipsos a sapientia Gno- B
NICOLAITAE GNOSTICI NOMINATI. sticos nuncuparunt. Sed cum horum alij alia superaddiderint ad hæresum noua monstra, nouis sunt appellati nominibus[c]: vt non tantum Gnostici dicerentur[d], sed &
[c] Epiph. hær. 25. [d] Aug. de hær. cap. 5. Phibionitæ, Stratiotici, & Leuitici: itemq. alij Borboritæ, qui a cœnosa turpitudine sic dicti reperiuntur. Propaginem Nicolaitarum fuisse Cleobolum & Theodorum, qui eos fugiendos admonet, testatur Ignatius scribens ad Trallianos. Sed de Gnosticis in-
[e] Apocal. 2. ferius pluribus. Aduersus autem Nicolaitas, sententia etiam Domini[e] condemnatos, scripsisse Irenæum, Hippolytum martyrem, Clementem Alexandrinum, & Origenem, Theodoretus[f] affirmat.
[f] Theod. hæret. fabul. lib. 3.

XIII. Iam vero, vt ad res gestas Petri, cuius secundæ scriptæ ab eo epistolæ occasione ad hæc narranda digressi sumus, redeamus: dum his (vt dictum est) temporibus Romæ ageret; simul qui carissimus Neroni esset, Simon magus Romæ itidem morabatur, C
NERO STVDIOSVS MAGORVM. qui diuinos iam (vt diximus) ex magia sibi honores compararet. Incredibili quidem magiæ studio tenebatur Imperator, vt non modo eiusmodi circulatores, sponte artes suas offerentes, ac vili pretio venditantes, penes se habere curaret: sed e remotis plane regionibus accersiret, quos nouisset eius artis insigniter eruditos. Vnde merito de eo
[g] Plin. lib. 30. cap. 2. Plinius[g] testatur, ea ætate omnis magiæ generis Neronem fuisse principem, vera falsaq. simul comperta habuisse. sed addit hæc insuper: Idem Nero primum imperare dijs concupiuit, *magia scilicet*, nec quicquam generosius voluit. Nemo vmquam vlli artium validius fauit: ad hæc non opes ei defuere, non vires, non discendi ingenium, aliaq. non patiente mundo.] et post alia: Magus ad eum Tyridates venerat, Armeniacum de se triumphum afferens (erat hic enim Rex, quem Corbulo Romani dux exercitus superauit) & ideo prouincijs grauis. Nauigare noluerat; quoniam expuere in maria, D
[h] Sueton. in Neron. c. 13. alijsq. mortalium necessitatibus violare naturam eam, fas non putant. Magos secum adduxerat. Magicis etiam scenis eum initiauerat: non tamen cum regnum ei daret, hanc ab eo accipere artem valuit.] hæc & alia de eo Plinius. Magnis vtique pollicitationibus Tyridatem a Nerone solicitatum vt in Vrbem veniret, magnificentissimeq. ab eo exceptum, scribit Suetonius[h].

XIV. Simon igitur magus cum ea occasione se in Neronis amicitiam insinuasset, atque
SIMON MAGVS POLLICETVR VOLATVM. de se mirifica prædicasset; nempe se virtutem Dei magnam, quæ Angelis dominaretur, & alia humanum captum transcendentia, esse iactaret: vt de his aliquod exemplum proderet, atque exhiberet experimentum, per aera volatum illi pollicitus est. His ergo fidem adhibuisse Neronem, non tantum nostrorum suppetunt testimonia,
[i] Dio Chrysost. orat. 21. sed etiam externorum. Siquidem Dio[i] cognomento Chrysostomus, in ea oratione E
quam habet de pulchritudine, hæc de Nerone: Hoc vero maxime superabat Nero; & nemo illi vlla de re quam diceret contradicebat, neque impossibile aiebat quod iusserat: ita vt, cum quemdam volare iussisset, ille & promiserit: multoq. tempore nutriebatur intus apud eum in aula, tamquam volaturus.] hæc Dio. Porro editum fuisse in theatro eiusmodi sub Nerone spectaculum, vt in eo Icarius exhiberetur volatus, auctor
[k] Sueton. in Neron. c. 12. est Suetonius[k], qui ait: Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumq. cruore respersit.]

XV. Verum enimvero Simonem magum hæc ausum, sed Petri Apostoli precibus esse prostratum, quæ dicemus, facile demonstrabunt. Hoc itidem per magiam ab alijs factitari solitum, testatur Lucianus in Philopseudo, sic dicens: Ludis tu quidem, inquit Cleodemus. At ego, qui & ipse olim minus talia credebam, quàm nunc tu (putabam

A tabam enim nulla ratione fieri posse vt ea crederem) tamen cum volantem primum conspicerem peregrinum illum barbarum (erat enim, vt ferebant, ex Hyperboreis) credidi, ac victus sum, cum tamen diu multumq. repugnassem. Nam quid facerem, cum eum cernerem in aere volantem, atque id interdiu, ac super aquam ingredientem, atque per medium ignem incedentem, idq. lente ac sensim? Tu ne, inquam ego, ista videbas, virum Hyperboreum volantem, aut super aquas ambulantem? Et maxime, inquit ille, carbatinas indutum, quo calciamenti genere illi potissimum vtuntur.] hæc Lucianus. Ad hæc spectare videtur quod Iuuenalis item de magico volatu ait: MAGICI VOLATVS.

magus omnia nouit.
Græculus esuriens in cælum, iusseris, ibit.
Ad summam non Maurus erat, non Sarmata, nec Thrax,
B *Qui sumpsit pennas, medijs sed natus Athenis.*]

His igitur de magicis volatibus, Simonis occasione, narratis; iam reliquum est, vt XVI.
quod de eius volatu ac lapsu rerum nostrarum scriptores memoriæ prodiderunt, in medium afferamus. Qui ceteris habetur antiquior Clemens[a] Romanus ex persona [a] Clem. Const. lib. 6. cap. 9.
Petri rem gestam narrat: cui cum Græci & Latini quoque historici consentiant; quod videri posset apocryphum, iam prope authenticum redditur. sic enim ait: Romam Simon cum venisset, Ecclesiam vehementer perturbauit, multos euertens, atque in DE VOLATV ET CASV SIMONIS. suam adducens sententiam; gentes vero commouebat magicis artibus. Itaque quadam die in theatrum in meridie processit; iussitq. suis operis, vt me in theatrum arriperent, pollicitus se in aere volaturum. Cumq. omnes hac de re erecti essent, ego seorsus orabam. Itaque sublatus a dæmonibus, volabat sublimis, dicens in cælum se ascendere,
C vnde illis bona suppeditaturus esset. Populo illi, veluti Deo, acclamante optima; attollens ego manus in cælum, tota mente supplicabam Deo, vt per Iesum Christum Dominum stangeret sceleſtum illum, & dæmonum vim labefactaret, in fraudem & perniciem hominum illa vtentium; illumq. perfractum non occideret, sed comminueret. Tuncq. Simonem intuitus: Si Dei, inquam, homo ego sum, Apostolus vero Iesu Christi verus, doctorq. pietatis, non erroris, cuiusmodi tu Simon: impero improbis virtutibus apostatis pietatis, quibus vehitur Simon magus, vt remittant suas vires, & ab alto hic decidat in risum eorum qui ab ipso decepti sunt. Cumq. hæc dicerem, destertus a virtutibus Simon, cum magno fragore corruit, vehementerq. concussus fregit coxendicem, & pedum talos: clamorq. plebis ortus est, quo ferebatur vnum Deum esse, quem iusse Petrus nunciaret tantum veritate fretus. multiq. ab eo
D defecerunt.] hæc ille.

Arnobius[b], qui claruit temporibus Diocletiani, aduersus Gentiles scribens, haud XVII.
putandus ea attulisse quæ aliqua saltem ex parte de leui mendacio argui potuissent, [b] Arnob. aduers. Gent. lib. 2.
vnde & quærentibus occasionem quamcumque res nostras deridendi, ansam tribuisset, hæc de his scribit: Viderant enim (*Romani scilicet*) cursum Simonis magi, & qua- PATRVM ASSERTIO DE VOLATV ET LAPSV SIMONIS.
drigas igneas Petri ore diffiatas, & nominato Christo, euanuisse. Viderant, inquam, fidentem dijs falsis, & ab ijsdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, & cruribus iacuisse perfractis; post deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque vmquam vobis necessaria iudicastis.] Hæc, inquam, cum Arnobius scribat aduersus omnes Gentes, nec vt de re aliqua in angulo
E facta testetur, sed Romæ in Orbis vniuersi theatro tam libere ac ingenue fateatur; sane quidem rem haud dubiam, quæve in controuersiam deduci vel a fidei hostibus posset, se memorasse significat. Cyrillus[c] Hierosolymorum Episcopus, qui Constantij [c] Cyrillus catech. 6. temporibus vixit, hæc in eamdem sententiam scripsit: Dilatato autem Simonis errore, par amicorum bonorum illam calamitatem correxit, Petrus & Paulus, cum essent præsides Ecclesiæ; & ostentantem se iustum Simonem statim extinxit. Cum enim prædicaret Simon in cælos se ascensurum, & vehiculo dæmonum in aerem esset sublatus: flexis genibus serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit Iesus: Quòd si duo ex vobis consenserint, de quacumque re quam petierint, fiet ipsis: concordiæ hoc telum per orationem emittentes in magum, deiecerunt illum in terram. Nec mirum est: Petrus enim erat qui claues regni cælorum portabat. Non est mirandum: Paulus enim erat, qui in tertiũ cælum raptus fuerat, & in paradisum, & audierat arcana verba,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ non licet homini loqui. Ex aere in terram depresserunt eum, qui se appellabat Deum, deinceps ad inferos detrudendum.] hucusque Cyrillus. A

XVIII.

Epiphanius[a] item: Naturæ, inquit, debitum in Romanorum vrbe Simon persoluisse reperitur, quando in media Romanorum vrbe miser ille collapsus, mortuus est.] Ad hæc sane Eusebius[b] quoque propemodum alludisse videtur, dum ait: Cum diuinus sermo iam ad Romanos peruenisset, vesana Simonis potentia extincta est, & homo ipse actutum penitus profligatus.] licet hæc tempore Claudij accidisse visus sit aliquibus affirmasse: sed superius eam opinionem confutauimus. Neque vero ab his aliud significare Philastrius[c] voluit, cum hæc dixit de eodem Simone: Cum fugeret beatum Petrum Apostolum de Hierosolymitana ciuitate, Romamq. veniret, ibiq. pugnaret cum beato Apostolo apud Neronem Regem; deuictus vndique oratione beati Apostoli, atque percussus ab Angelo, sic meruit interire, vt eius magiæ euidens mendacium B cunctis hominibus patefieret.] Sane etiam S. Augustinus[d] scribens ad Casulanum, ea occasione Romæ esse institutum ieiunium sabbati, multorum relatione testatur, sic dicens: Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamuis eam perhibeant falsam plerique Romani; quòd Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero glorioso. successu, eumdem morem retinuerit, eumq. imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.] hæc Augustinus; qui tamen opera Petri Simonem extinctum atque necatum certo confirmat, cum ait[e]: In qua Vrbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit.] Rursus[f] apud eumdem: Petrus Ananiam & Saphiram eius vxorem mendaces occidit; & Simonem magum tandiu persecutus est, donec morte perimeret.] hæc ipse. C

a Epiph. hæresi 21.
b Eusebius hist. lib. 2. c. 14.
c Philast. de hæres. cap. 3.
d Aug. epist. 86.
e Aug. de hæres. 1.
f Contra Fulgent. Donatist. cap. 23.

XIX.

Sulpitius Seuerus[g] hæc eadem testatus, ait: Tam illustris illa aduersus Simonem Petri & Pauli congressio fuit. Qui cum magicis artibus, vt se Deum probaret, duobus suffultus dæmonijs euolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante, disruptus est.] Ad hæc haud dubium Prosper Aquitanus alludit, dum ait[h]: Contra Neronẽ duo Petrus & Paulus Apostoli: at contrario Simon magus, qui & se perdidit, & Neronem decepit.] affirmat eadem Theodoretus[i], in hunc plane modum: Rursum Romam veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit. Qui cum eum tandem in miraculorum certamen prouocasset; omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbauit, cum orasset: et qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem.] Sed & Isidorus[k] Pelusiota id ipsum disertis verbis, cum ait: Quamobrem si te Simonis exemplũ non terret, qui cum baptizatus fuisset, ac ministris D Christi comitem se præbuisset, rursum ad eas res quæ ex materia constant, reuersus est, (ob idq. etiam ex alto miser in mortem sermone multorum celebratissimam præceps ruit: vt ex vna ipsius ruina perspicuum omnibus fiat, quibus supplicijs digni sint, qui cæleste curriculum mentiuntur) Simonis vestigijs animiq. instituto hære.] hæc Isidorus ad Lampetium scribens.

g Seuerus hist. lib. 2.
DE EODEM VOLATV ET LAPSV ASSERTIONES.
h Prosper de promiss. dimid. temp. cap. 13.
i Theodoret. hæret. fabul. lib. 1. cap. 1.
k Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 23.

XX.

At Maximus Taurinensis[l] de his copiosius disserens, dum causam necis Apostolorum declarat, hæc ait: Sed videamus causam quare ista perpessi sunt: scilicet quòd inter cetera mirabilia etiam magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cum enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam Filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere; atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & pre- E catione facta, vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit ad Dominum oratio, quàm volatus; & ante peruenit iusta petitio, quàm iniqua præsumptio: ante Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon peruenire in cælestibus, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxa illidens, eius crura confregit; & hoc in opprobrium facti illius, vt qui paulo ante volare tentauerat, subito ambulare non posset; & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed ne forte hoc mirum videatur, quòd magus iste præsente Apostolo per aerem aliquandiu volitauerit; hoc patientia Petri fecit: permisit enim illũ sublimius ascendere, vt altius caderet: voluit eum in excelsum leuari ad conspectum omnium, vt ruentem illum de excelso oculi omnium peruiderent. Hæc igitur iniquitatis est elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat

l Max. Taurin. serm. 5. in Natal. Apost.

A humiliat superbiam, & vniuersam deijcit vanitatem.] hucusque Maximus.

His omnibus adstipulatur liber de Romanis Pontificibus, inscriptus nomine Damasi, in Petro. His essent addenda quæ ab Hegesippo[a] Iuniori fusius habentur descripta: qui addit & de mortuo a Petro resuscitato; quæ narrantur etiam a Marcello presbytero in Actis[b] Nerei & Archillei, quæ & in his recepta fuisse videntur: nam de ea altercatione de mortuo resuscitando inter Petrum atque Simonem magum habita, meminit Leo Secundus in epistola ad Constantinum Imp. quæ recitata habetur in Sexta Synodo, actione decimaoctaua. Sed ad hæc de lapsu Simonis, iungendi dictis auctoribus videntur Metaphrastes[c], Nicephorus[d], Cedrenus[e], Glycas[f], & alij Græcorum recentiores, Latinorum Gregorius Turonensis[g], Isidorus, & alij his posteriores fere innumeri: adeo vt de re quæ in confesso est apud omnes, nefas sit amplius dubitare. Quam- B obrem monachi Orientales in libello oblato Agapeto Papæ aduersus Seuerum ac Zoaram nequissimos hæreticorum, inter alia hac obtestatione sunt vsi: vt sicut Petrus Apostolus Simonem magum deorsum prostrasset, ita ipse vellet deponere dictos hæreticos. habentur hæc in actione prima quintæ Synodi Oecumenicæ. Sic igitur cum tam Latinorum quàm Græcorum testimonio de lapsu Simonis testata habeatur historia; haud curandum nobis est, si in minimis quibusdam ad inuicem discrepent, cum in re gesta omnes æque consentiant. Quorum sententia pariter declaratur, ea de causa Neronem in Petrum acerbe commotum, iussisse vt in vincula conijceretur.

XXI.

a Hegesip. lib. 3. cap. 2.
b Apud Sur. to. 3. die 12. Maij. FIRMANTVR DICTA SVPERIVS.
c Metaphr. die 29. Iunij.
d Niceph. lib. 2. cap. 36.
e Cedren. in cõpend.
f Glycas Annal. lib. 2.
g Greg. Turon. histor. Franc. lib. 1. cap. 25.

Hic igitur finis fuit Simonis magorum omnium sceleratissimi, qui præstigijs sic oculos spectantium mentemq. omnium perstringebat, vt in sui admirationem omnes pene C conuerteret. Quænam autem hæc fuerint, quæ cum re vera non essent, tamen ab hominibus videri videbantur; referam quæ Anastasius Nicænus[h] scribit: Statuas faciebat ambulare, & in igne volutatus non exurebatur: in aere volabat, & ex lapidibus panes faciebat. Serpens fiebat, & in aliquas alias bestias transformabatur: duas habebat facies: in aurum conuertebatur: fores clausas aperiebat: vincula ferrea soluebat: in conuiuijs exhibebat spectra formarum omnis generis. Vasa quæ erant in ædibus, faciebat videri tamquam quæ sua sponte mouerentur ad ministerium, ijs qui portabant non visis: efficiebatq. vt multæ vmbræ eum præcederent, quas dicebat esse animas mortuorum. Multos autem tentantes eum dicere præstigiatorem, cum eos esset allocutus, & inde conuiuij prætextu bouem sacrificasset, & conuiuio excepisset, varijs morbis & dæmonibus subiecit. A Cæsare aliquando quæsitus & territus aufugit, sua forma alij imposita.] hucusque Anastasius de Simonis imposturis, quibus hæc per imaginem ostendebat & visum, cum nulla veritate consisterent. D

XXII.

h Anast. Nicen. quæst. 23. SIMONIS PRÆSTIGIAE.

Sed ad Petrum & Paulum reuertamur: quos quidem occasione lapsus Simonis a Nerone in carcerem (vt iam diximus) fuisse detrusos, citati superius auctores testantur. Hæc autem de casu Simonis & Apostolorum carcere facta esse Romæ mense Octobris, ex eo facile colligi potest, quòd cum Romanum[i] Martyrologium, cui Beda & Vsuardus assentiuntur, tradat Petrum & Paulum carceri mancipatos post casum Simonis, nouem in eo mensibus vsque ad mortem fuisse detentos; satisq. exploratum sit, eosdem consummasse martyrium vigesimanona Iunij: opus est, vt dicamus eosdem hoc anno, dicto mense, esse detrusos in carcerem: licet sciamus, scriptum haberi in Actis Nerei & Archillei, nec ad septem menses Apostolorum carcerem perdurasse. Sed cum ea Acta E in aliquibus fide haud integra habeantur; longeq. præstet Martyrologij ab Ecclesia recepti auctoritas, consignata pariter testimonio diuersorum; illi merito assentimur magis. Carcerem autem, quo sanctissimi Apostoli detenti sunt, Mamertinum dictum esse, tum citata nuper ex Martyrologio fidem faciunt, tum etiam Acta[k] sanctorum martyrum Processi & Martiniani probant. Sed quinam & vbi ille fuerit, consule quæ a nobis fusius notata sunt in Martyrologio Romano[l], vbi tum de Mamertino, tum etiam Tulliano, atque alijs carceribus abundantius egimus.

XXIII.

i Rom. Martyr. & alia, die 14. Martij. Beda, Vsuar. ead. die. TEMPVS CARCERIS PETRI ET PAVLI.
k Apud Sur. to. 4. die 2. Iulij.
l Die 14. Martij. B.

Ceterum in eodem carcere Processus & Martinianus milites, Apostolorum custodes, a Petro ad fidem conuersi, ab eodem sacro baptismate ibidem initiati sunt, erumpente diuina virtute ex petra fonte, vt eorumdem res gestæ declarant[m]. Admiratione enim digna res est, eumdem illic fontem in hanc vsque diem perseuerare, non tantum rerum ibi gestarum memoria nobilem, sed perenni illustrem miraculo; quippe posi- DE FONTE CARCERIS. tus in

XXIIII.

m Apud Sur. to. 4. die 2. Iulij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tus in medio carceris strati prægrandibus lapidibus Tiburtinis sibi inuicem inhærentibus, e perforato saxo altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnius vel circiter latitudine, sic aqua scaturit, vt nec foras exundet, nec, quantumlibet hauriatur, vmquam siccetur. Notissimum est eius rei experimentum, dum certis anni diebus, quibus carcer ille religionis ergo inuisitur totius Vrbis concursu, & Fideles inde hauriant aquam, & potent, & tamen fons indeficiens perseueret. In eo igitur carcere cum ad tam longum temporis spatium detinerentur Apostoli, & a Christianis Romæ agentibus atque alijs inuiserentur, Euangelium prædicare, maleq. se habentes curare, atque alia plura operari miracula non desierunt: nec enim tantum dictos duos milites in carcere positi Apostoli genuerunt per Euangelium, sed & alios quadragintaseptem: in quos simul omnes gladius Neronis sæuijt, illustriq. sic sunt coronati martyrio, quorum memoria annua celebritate recolitur [a], illorum duorum secunda Iulij, horum decimaquarta Martij, qui natalis illis dies idemq. sempiternus illuxit in cælo. Hæc autem quomodo se habuerint, ipsorum Acta [b] declarant; quæ eo fideliora esse putamus, quo breuiora noscuntur. Sed quæ post hæc secuta sint, sequenti anno, quo sunt facta, dicentur.

[a] Mart. Rom. & alia.

[b] Apud Sur. to. 4. die 2. Iulij.

XXV. Iam quod ad Paulum spectat: vt a Nerone conijceretur in carcerem, hanc etiam Chrysostomus [c] affert causam, cum ait: Neronem prorsus ex fama nouistis: vir enim impudicitiæ sceleribus omnibus insignis fuit: primusq. ac solus in tanto Imperij culmine nouos quosdam lasciuiæ, flagitij, ac turpitudinis modos excogitauit, exquisiuit, inuenit. Hic itaque Paulo beatissimo (vno enim eodemq. tempore vitam istam agebant) huiusmodi ac prorsus similia crimina obijciens his quæ vos modo sanctis obijcitis: Pellicem enim eius, quam ille deperibat atque in delicijs habebat, cum induxisset fidei ac religionis sacramenta suscipere, persuaserat vna incestum illum impurumq. congressum declinare: Hæc, inquam, ille crimina obiectans, corruptoremq. nequam, flagitiosum, ac nebulonem, & his similia, quæ vos modo perstrepitis, Paulum vocitans, primum coniecit in vincula: cum vero, vt puellæ eiuscemodi monita atque consilia dare desineret, persuadere non posset, necauit eumdem.] hæc Chrysostomus. At nihil obstat, vt alia causa Paulus, alia vero Petrus ab eodem Nerone conijcerentur in carcerem; nempe iste propter consternatum Simonem; ille, quòd Neronis pellicem ad Christianam religionem conuertisset, & ex impudicissima castam atque pudicam reddidisset: licet & in Actis passionis eius, quæ Lini nomine sunt peruulgata, de quorum fide agemus inferius, alia etiam afferatur causa, nimirum quòd Proculum Neronis pincernam conuertisset ad fidem Christi suscipiendam. Sed cetera de Paulo, anno sequenti.

[c] Chrys. aduers. vituper. vit. mon. lib. 1. eademq. Metaphras. die 29. Iunij.

CAVSA CARCERIS PAVLI.

XXVI. At quod spectat ad reliquas huius anni Neronis res gestas: is cum improborum omnium vitia in se ipsum studiosa imitatione congessisset, atque in immensum cumulasset: proborum omnium integritatem pariter insectatus, in eos quoque bellum gessit implacabile. Scribit de duobus Tacitus, quorum bonitas atque seueritas domi forisq. spectata, atque ore omnium prædicata, Neronis concitauit inuidiam, & excitauit immane odium, quo eosdem ad necem vsque est crudeliter prosecutus. Hæc haud ab instituto prorsus aliena, saltem paucis attigisse sufficiet. Facta sunt hæc ijsdem Coss. aduersus viros clarissimos Consulares, ac moribus honestissimos, Baream Soranum, atque Thraseam Pætum: scribit ea Tacitus pluribus, qui in primis quantæ ij æstimationis essent, his significat verbis [d]: Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum Nero virtutem ipsam excidere concupiuit, interfecto Barea Sorano, & Thrasea Pæto, olim vtrisque infensus.] addit a Torio Sabino Baream reum esse factum ex proconsulatu Asiæ, quem administrauerat, non quidem ex crimine aliquo quod patrasset, sed (vt idem ait) ex iustitia atque industria; quia scilicet portui Ephesiorum aperiendo curam insumpserat; vimq. ciuitatis Pergamenæ prohibentis Acratem Cæsaris libertum statuas & picturas auehere, inultam remiserat. Contigit aduentus Acratis a Nerone missi ad expilanda Asiæ templa (vt idem testatur Tacitus [e]) sub Consulatu Lecanij atque Licinij, anno Domini sexagesimosexto, Vrbis incendio memorabili: quo tempore (vt ex his apparet) Bareas Soranus Proconsulem agebat in Asia, abhinc ante biennium.

[d] Tacit. lib. 16.

[e] Tacit. lib. 13.

QVID NERO IN BAREAM SORANVM ET THRASEAM.

XXVII. Sed & quæ de nece Seruiliæ eiusdem Bareæ filiæ iussu Neronis illata idem scribit Tacitus,

Tacitus, obseruatione sunt digna, vt quæ ad res nostras nonnihil spectare videantur. Sic enim ait: Vltra hæc, sed recens, discrimini patris filiam connectebat, quòd pecuniam Magis largita esset. Acciderat sane pietate Seruiliæ (id enim nomen pullæ fuit) quæ caritate erga parentem, simul imprudentia ætatis, non tamen aliud consultauerat, quàm de incolumitate domus, & an placabilis Nero, an cognitio Senatus nihil atrox afferret. Igitur accita est in Senatum: steteruntq. diuersi ante tribunal Consulum, grandis æuo parens, contra filia intra vigesimum ætatis annum, nuper marito Annio Pollione in exilium pulso viduata, desolataque, ac ne patrem quidem intuens, cuius onerasse pericula videbatur. Tum interrogante accusatore, an cultus dotales, ac detractum ceruici monile venumdedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris contraheret? Primum strata humi, longo fletu & silentio, post altaria & aram complexa: Nullos, inquit, impios deos, nullas deuotiones, nec aliud infelicius precibus inuocaui, quàm vt hunc optimum patrem, tu Cæsar & vos Patres, seruaretis incolumem. Sic gemmas, & vestes, & dignitatis insignia dedi, quomodo si sanguinem & vitam poposcissent. Viderint isti antehac mihi ignoti quo nomine sint, quas artes exerceant: nulla mihi Principis mentio, nisi inter numina, fuit. Loquentis adhuc verba excipit Soranus: proclamatq. non illam in prouinciam secum profectam, non Plauto per ætatem nosci potuisse, non in criminibus mariti connexam, nimiæ tantum pietatis ream: separarent a se, quamcumque sortem subirent. Simul in amplexus occurrentis filiæ ruebat, nisi interiecti lictores vtrisque obstitissent.] damnatos tandem eosdem morte, idem auctor affirmat. Meminit & Iuuenalis de nece Bareæ illata, nequissimi hominis Egnatij calumnia, qui ad gloriam captandam, inter Stoicos (vt idem dicit Tacitus) profitebatur, si dicens:

Stoicus occidit Baream delator amicum,
Discipulumq. senex.]

DE SERVILIA FILIA BAREAE.

XXVIII. Quod vero ad Seruiliam spectat: non leuis quidem, ex his quæ dicta sunt, suspicionem agitat, hanc fuisse Christianam, sed magiæ ream factam dici a Tacito, quòd Christiani (vt superius vidimus) his præsertim temporibus magi esse a Gentilibus dicerentur. Sed ab his interim nos distrahit, quòd altaria complexa dicatur & aram: si tamen auctoris Christianis infensi, atque calumnijs eosdem (vt vidimus) infectantis, de rebus nostris scribentis fides tuta sit. Nam si quis rursum rem gestam altius considerando scrutetur, & quid sibi velit exacte consideret; iuuenculam ætate teneram monile, ceruicis nobile ornamentum, quo nihil eius ætatis feminis carius esse potest, ad magos consulendos, distraxisse; quasi Consulari feminæ clarissimo loco natæ, nullius alterius domesticæ rei distractione tantum pecuniarum contrahere licuisset, quæ ad pretium sordidorum hominum satis essent: is nihil aliud puto dicet, nisi (quod verius fortasse erit) ipsam Christiana fide semel imbutam (vt in alijs compluribus accidit) hisce peccatorum illecebris sponte carere voluisse, ac distraxisse mundum muliebrem, eiusq. pretium ad Fideles pauperes alendos contulisse, quos auctor Christianis infensissimus magos appellat. Humi insuper illa prostratio iuncta silentio, speciem sane refert Christianæ feminæ Deum animo enixius deprecantis. At hæc nos tantummodo coniectura, haud tamen penitus improbanda, dixisse voluimus, atque rem per transennam ostendisse; sicut alia plura de Christianis ob eodem auctore obscuritate velata potius, quàm perspicue narrata esse noscuntur.

XXIX. Ceterum Nero (vtar Taciti verbis) cum conaretur in Vrbe virtutes ipsas excidere, ac penitus profligare; non tantum (quod dictum est) Principes Apostolorum necí tradendos carceri mancipauit, atque dictos honestissimos Senatores e medio sustulit, sed & promulgato edicto sub ijsdem Coss. philosophos exegit ab Vrbe. Testatur id ipsum Philostratus [a], cum ait: Eo tempore Nero philosophari non sinebat homines; inanem operam sibi videri philosophiam dicens, quæ diuinandi peritiam adumbraret. Et philosophi aliquot accusati fuerant, quia diuinandi artem exercere dicerentur. Sed vt alios omittam, Musonius Babylonius, qui sapientia secundus ab Apollonio putabatur, in carcerem detrusus, in summo vitæ periculo versabatur; & nisi valido robustoq. corpore extitisset, in carcere proculdubio mortuus fuisset.] Sed quòd Nero nunc primum homines callentes diuinandi peritiam, nempe magos, cuiusmodi arti proximos putauit esse philosophos, adeo sit detestatus; nulla alia causa illi oblata cognoscitur,

PHILOSOPHI AB VRBE PVLSI.

[a] Philostr. lib. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gnoscitur, nisi quòd (vt vidimus) cum a Simone mago se, licet sero, intelligeret esse de- A
lusum, ceteros quoque magos, quos antehac magno pretio redemisset, immenso est odio prosecutus: repentina enim eiusmodi Neronis in contrarium facta mutatio, hæc opinari suadet.

XXX. APOLLONIVS TYANAEVS ROMAM VENIT.

Sed quid inter hæc hostis humanæ naturæ diabolus? Simone iam extincto, nouum rursus infert magum in Vrbem. Nam hoc ipso anno, dum hæc in hunc modum Romæ se haberent, Apollonius Tyanæus Romam se contulit: erat hic magia excellens, licet foris philosophum Pythagoreum ostentaret. Hic cum Romam venisset, sequenti die (vt Philostratus [a] testatur) innotuit Telesino, hoc anno Consulatum agenti, cuius fouebatur patrocinio: addit insuper ab eodem Apollonio tunc puellam feretro impositam a mortuis excitatam: licet ipse auctor, qui hæc scribit, an vere mortua esset, se affirmare non audere testetur. Sed tam vera hæc esse puto, quàm quod ait, hoc anno sub B
Consulatu Telesini eumdem prædixisse de fulgure in Neronis mensam decidente: quod ante sex annos accidisse, nempe anno Domini sexagesimosecundo, Nerone quartum & Cornelio Cosso Coss. auctor est Tacitus [b], qui exactius ceteris per annos singulos ex Consularibus Fastis diligenter res gestas est prosecutus. Cum igitur in his leuioribus Philostratus de Apollonio mendacij arguatur; cuius fidei cetera sint, quæ adeo miranda ab eo de eodem impostore sunt prodita, facile quis intelligere poterit.

[a] Philostr. lib. 4.

[b] Tacit. lib. 4.

XXXI. QVANTAE EXISTIMATIONIS APOLLONIVS.

Vix quisquam satis digne valeat vmquam exprimere, quantum humano generi obfuerit Philostratus, scribendo res gestas Apollonij Tyanæi, easdem amplificando mendacijs: vt videatur plane inuentum fuisse diaboli. Quod enim non valuit perficere in Simone mago nuper extincto, id in Apollonio implere conatus est: quippe qui æmulus Christi gloriæ; sicut scripto iam Euangelio, longe lateq. per Orbem innotescebant C
Christi res gestæ; suum ipse statuens Antichristum, pseudoeuangelium quoque actorum ipsius per mendacissimum hominem scribendum curauit; cui fidem præstantes homines, nihilo Christo minorem fuisse Apollonium existimarent; vel, sicut istum ea perfeciisse magia complures compertum haberent, eadem quoque arte Christum vsum esse falso ac absurde effutirent. Commentario namque edito in Christianos, Hierocles philosophus, vnus ex Areopagi iudicibus, nihil magis monstrare conatus est, quàm Apollonium æqualem fuisse Christo. Porro eius insanias Eusebius aduersus eum scribens egregie confutauit: quem consulat, qui hæc plenius scire cupit. de eo, tacito eius nomine, Lactantius [c] hæc tradit: Alius eamdem materiam mordacius scripsit, qui erat e numero iudicum, qui auctor in primis persecutionis faciendæ fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos, quos afflixerat, insecutus est.] et post multa: Item cum D
facta eius mirabilia destrueret, nec tamen negaret; voluit ostendere Apollonium vel paria, vel etiam maiora fecisse. Mirum quòd Apuleium prætermisit.]

[c] Lactan. lib. 5. cap. 2. & 3.

XXXII.

Sic igitur Apollonius commentarijs Philostrati illustratus, eam consecutus est gloriam, vt complures eu m vt Deum colerent; vt de Ephesijs idem Hierocles testatur [d], illos eum coluisse sub nomine Herculis Alexicaci: sed & Alexander Imperator eo illum honore prosecutus est, vt æqualem illum faceret Christo, ac dijs suis, cum in suo Larario (quod scribit Lampridius) inter deorum imagines, Christi æque & Apollonij collocasset. Testatur & Dio in Caracalla, ab eodem Imperatore Antonino Caracalla Apollonium in honore habitum, atque adeo ipsi nobile monumentum extruendum curasse. Scribit de eiusdem cultu hæc Anastasius Nicænus [e]: Apollonij autem in hodiernum vsque diem in nonnullis locis peraguntur sacra: alia quidem ad auertendas bestias qua- E
drupedes & volucres, quæ possunt homines lædere: alia autem ad sistendos fluxus fluminum, quæ cursu feruntur inordinato: alia autem ad auertenda illa quæ sunt ad perniciem & interitum hominum comparata. Non solum autem in vita eius hæc per ipsum fecerunt dæmones: sed etiam post eius mortem ad eius monumenta manentes, quædam fecerunt signa in eius nomine, ad eos decipiendos, quos dæmon facile seducit & pellicit ad res huiusmodi.] hæc ille. Verum de statua eius, operatione dæmonum responsa dante, hæc scripta habentur apud Iustinum [f]: Dæmonis ipsius in illius statua insidentis, & homines oraculis edendis in errorem, vt Apollonium sicuti Deum honorarent & colerent, inducentis, os Dominus obturauit, responsis eius abolitis.] hæc ibi.

[d] Refert Lactan. lib. 5. c. 3.

[e] Anastas. lib. quæst. q. 23.

APOLLONII PRAESTIGIAE.

[f] Apud Iustin. lib. quæst. q. 24.

XXXIII.

At quoniam (quod habet paroemia) fur furem probe nouit: Lucianus Samosatensis [g], qui eodem sæculo vixit, cum impostura detegit Alexandri, qui & ipse vt Deus

[g] Lucianus in Pseudomant.

coli stu-

A coli studuit, ipsum in schola alterius Tyanæi, Apollonij huius discipuli, turpiter professum esse in primis demonstrat; additque: Erat videlicet ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyanæo illo versati, totam illius tragœdiam pernouerant. Vides quanam e schola tibi hominem refero?] hæc ille, primam Alexandri vituperationem instituens a schola, ex qua homo ille omnium scelestissimus prodijsset. Cumq. Apollonij vitam, tragœdiam nominet, plane innuit alio fine vitam clausisse, quàm aliquo ex his, qui a Philostrato, vt de re ambigua, sunt descripti. at de his infra. Addit auctor, Apollonium hoc eodem anno, Consule Telesino, ab Vrbe recessisse, atque in Hispaniam esse profectum. Instar Christi, diabolus suos eodem quoque tempore in orbem terrarum pseudoapostolos misit, quorum coryphæus Apollonius videretur. de ceteris vero suo loco dicturi sumus inferius: nunc ad res gestas Neronis redeamus. Nero igitur

QVALIS APOLLONIVS.

B Imperator hoc ipso anno (vt idem tradit auctor [a]) Achaiam, vt Isthmū foderet, nauigauit. Porro Isthmi fossione reddita irrita; idem Nero in Olympijs certans, omnes superans citharœdos & aurigas, laureis certamine meritis coronatur. Sed hæc pluribus Lucianus [b], Suetonius [c], & alij. Huius putamus occasione Neronis absentiæ, & longioris in Achaia factæ moræ, accidisse vt Petrus & Paulus Apostoli semel carceri mancipati, ad nouem mensium spatium (vt dictum est) eodem detinerentur ergastulo: ne, nisi redeunte Nerone Romam, mortis supplicio afficerentur.

[a] Philostratus lib. 4. in fine.

[b] Lucianus in Nerone.

[c] Suet. in Nerone cap. 22.

Quod vero spectat ad res Iudaicas; hoc eodem anno, octaua Aprilis, cum vndique Iudæi Hierosolymam ad diem festum conuenissent, magna prodigia de futura clade Iudæorum apparuere. quænam hæc fuerint, Iosephus sic describit [d]: Ante defectionem, primiq. belli motus (*id enim hoc anno contigisse, modo dicemus*) ad diem festum

XXXIV.

[d] Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 12.

C Azymorum populo conueniente, octauus erat dies Aprilis mensis, hora nona nocturna, circum aram itemq. templum tantum lumen effulsit, vt clarissimus dies putaretur; & hoc vsque ad mediam permansit horam: quod imperitis quidem bonum augurium esse videbatur; sacrorum vero peritis, priusquam eueniret, statim dijudicatum est. Eodem quoque festo die, etiam bos, cum ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Orientalis autem porta interioris templi, cum esset ænea atque grauissima, & sub vesperam vix a viginti viris clauderetur, seriq. ferro vinctis obseraretur, pessuloq. altos haberet in saxeum limen demissos, vno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere. His autem curriculo per custodes templi magistratui nunciatis, ascendit ille, vixq. eam potuit claudere. Verum & hoc iterum ignaris quidem signum optimum videbatur; Deum namque bonorum portam aperuisse dice- D
bant. prudentiores vero templi tutamen sponte sua dissolutum iri cogitabant; & hostium donum esse portas aperiri, solitudinemq. illo ostenso signari, inter se pronunciabant. Post dies autem festos, diebus paucis, vicesimoprimo mensis Maij, visio quædam apparuit fidem excedens. Pro fabula autem fortasse, quod dicturus sum, haberetur, nisi qui viderunt superessent, & clades dignæ præsagijs secutæ fuissent. Namque ante Solis occasum visi sunt per inane ferri currus totis regionibus, & armatæ acies tranantes nubila, & ciuitati circumfusæ. Festo autem die, quam Pentecosten vocant, nocte sacerdotes intimum templum more suo ad diuinas res celebrandas ingressi, primum quidem motum quemdamq. strepitum senserunt, postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret: Migremus hinc.] hucusque Iosephus de rebus quæ hoc anno ante defectionem Iudæorum contigerunt: cetera autem quæ recenset prodigia, alio tempore facta sunt.

DE PRODIGIIS CLADIS IVDAICAE.

E Narrat ex his aliqua Tacitus [e] paucis: Visæ per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere templum. Expansæ repente delubri fores: et audita maior humana vox excedere deos, simul ingens motus excedentium.] hæc ille.

[e] Tacit. hist. lib. 5.

Verum quoniam ex sententia Augustini scribentis ad Hesychium [f], & aliorum sanctorum Patrum, constat a Domino prænunciatum esse apud Matthæum [g], Marcum [h], & Lucam [i], Hierosolymorum excidium, & quæ antea essent manifestanda prodigia pariter declarata; ea ipsa omnia his temporibus accidisse, haud erit difficile demonstrare. At quoniam (vt est apud Matthæum) non tantum signa consummationis ciuitatis, sed & aduentus eius Dominum Apostoli rogauerunt: eorum quæ ab ipsis narrantur, alia signa Hierosolymorum excidium, alia vero Domini præcedere debebant aduentum: quæ autem ante Hierosolymorum cladem minus apparuisse noscuntur, eadem ad secundum Domini aduentum esse referenda, nemo poterit dubitare. Quod igitur ait

XXXV.

[f] Aug. epist. 80.
[g] Matth. 24.
[h] Marc. 13.
[i] Luc. 17.

DE PRODIGIIS A DOMINO PRAENVNCIATIS.

Euangeli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Euangelista: Consurget gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum:] si quis dixerit per ea demonstrata esse bella ciuilia, quæ vno & dimidio anno quatuor occisis Imperatoribus, sunt conflata; equidem puto scopum veritatis attinget. quam vero immania & plane portentosa illa fuerint, Tacitus[a] significat. Sed & quod subdit Matthæus: Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modo, neque fiet] Iosephus[b] plane testatur, numquam aliam gentem talia passam esse, qualia tunc perpessa est gens Iudæorum. Testatur id ipsum in nuper citata ad Hesychiũ epistola Augustinus, nimirum Dominum illis verbis, Iudæorum, de qua agimus, cladem significare voluisse. De fame vero & pestilentia prædictis a Domino, satis sunt ipso experimento declarata: quæ sibi inuicem fuisse coniuncta, Iosephus[c] testatur. De terræmotibus per diuersa loca futuris; tradit Eusebius in Chronico, temporibus Neronis tum Romam, tum Asiam ingentibus terræmotibus esse vexatam, tresq. nobilissimas Asiæ ciuitates esse prostratas, eodemq. tempore Solem passum esse deliquium. De pseudoprophetis, qui his temporibus surrecturi erant, vt multos deciperent; hæc etiam accidisse ante cladem Hierosolymitanam, suo loco monstrabimus. Si qua autem narrantur ab Euangelistis, quæ ante eius vrbis excidium minime euenisse dicuntur; ea (vt diximus) referenda sunt ad Christi aduentum, de quo etiam Apostoli Dominum rogauerunt. quæ enim Dominus singillatim atque distincte ventura prædixit, mixtim & diuerso inter se ordine ab Euangelistis sunt recensita.

a Tacit. lib. 1. hist.
b Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. c. 11.
c Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 17.

XXXVI. RERVM IVDAICARVM STATVS.

Hoc igitur anno duodecimo Imperij Neronis, & septimodecimo Agrippæ Regis, mense Maio, Iudæis deficientibus a Romanis, cœptum esse bellum Iudaicum, Iosephus[d] est auctor: qui & singulas causas quæ præcesserunt, quibusve temporibus contigerunt, exacte conscribit. In primis[e] enim cum iam biennio intolerabilem plane Cestij Flori Procuratoris tulissent tyrannidem; spe etiam quam conceperant de Cestio Syriæ Præside, hoc anno Paschæ tempore Hierosolymam veniente (apud quem Iudæi omnes supplices egerant, vt tam nefandis mederetur malis) cum iam erga Florum viderent eum propensiori animo esse, spe omni penitus exciderunt. At nouis insuper, ijsdemq. deterioribus superadditis causis, eo sunt desperationis adacti, vt præcipuorum quorumdam factione obstinatissimo animo aduersus Romanos penitus rebellauerint. Sed inspiciamus singula.

d Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 9. & de bello Iud. lib. 2. c. 13.
e Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 23.

XXXVII. *f Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 24.*

Quid Cæsareæ maritimæ his diebus acciderit, Iosephus[f] narrat his verbis: In Cæsarea habitantes Iudæi habebant synagogam prope locum cuius erat dominus quidam Gentilis Cæsariensis: et frequenter quidem egerant, vt ad eorum ius illa possessio iungeretur, multis partibus maius pretium, quàm res meruerat, offerentes. Dominus autem loci, preces eorum despexisse non contentus, ad maiorem dolorem ædificauit in loco tabernas, ita vt angustum eius transitum & prorsus coarctatum relinqueret. Primum igitur feruentiores aliqui iuuenum prosilientes, ædificationem vetarabant. Cum vero Florus hos a prohibendo cohiberet; non habentes Iudæorum nobiles quid agerent, inter quos erat Ioannes Publicanus, inflectunt Florum oblatione octo talentorum, vt ædificationem vetaret. Ille autem, ob capiendum tantummodo, promittens se cuncta facturum, accepta pecunia, de Cæsarea egressus est, venitq. Sebasten, seditioni facultatem tribuens, quasi qui pugnæ spatium Iudæorum primatibus vendidisset. Sequenti vero die, Iudæorũ sabbato, cum plebs ad synagogam coisset; seditiosus quidam Cæsariensis vas Samium ante ingressum eorũ ponens, alites immolabat. Hoc factum Iudæos incoercibiliter accendit: quippe & legem suam contumeliam pertulisse, & locum ipsum dicebant esse pollutum. Pars autem Iudæorum, quæ erat constantior atque modestior, denuo apud iudices esse conquerendum rebatur. Seditiosi autem & iuuentute turgentes Iudæi effundebantur in rixam. Stabant autem ad confligendum parati etiam Cæsariensium tumultuosiores: ex composito quippe missus fuerat, qui pro synagogæ foribus immolaret. sicq. continuo est pugna commissa.

XXXVIII. Interueniens autem lucundus, qui ad prohibendum erat relictus, præfectus equitum, vas illud quidem, quod positum fuerat, iussit auferri, & tumultum sedare pergebat. Cum vero superatus esset præ Cæsariensium violentia: Iudæi statim libros legis rapientes secessernnt in Narbata: regio quædam eorum hoc nomine appellatur, direpta a Cæsarea stadijs sexaginta. Primates autem eorum duodecim cum Ioanne in Sebasten ad Florum venerunt, de his quæ acciderant conquerentes, & vt auxilio esset rogabant

A rogabant, quamuis reuerenter, tamen eum & de octo talentis admonentes. Ille vero illico comprehensos eos vinciri iussit, arguens cur leges de Cæsarea auferre ausi fuissent. Ob hoc igitur apud Hierosolymitas grauissima indignatio nascebatur, verumtamen adhuc iram suam frenabant. Florus vero, quasi ad hoc operam suam locasset vt bellum inflammaret, misit ad sacrum thesaurum, vt inde decem & septem talenta auferrentur, quasi eam pecuniam impensæ Cæsaris flagitaret. Tunc vero statim inuasit populum multa confusio: concurrentes ad templum, maximis vocibus nomen Cæsaris appellabant, vt a tyrannide Flori liberarentur, orantes. Quidam vero seditiosorum in Florum maledicta iaciebant vltima; & canistrum circumferentes, stipem eius nomine postulabant, quasi inops & miserrimus talibus indigeret auxilijs. His autem omnibus nihil est a cupiditate deterritus, sed multo magis ad prædandum irritatus est. Denique cum de-

FLORVS PROVOCAT IVDAEOS AD REBELLIONEM.

B beret Cæsaream veniens, ignem belli illic nascentis extinguere, causasq. tumultus submouere, pro quo etiam mercedem acceperat pactus: tamen cum exercitu equitum atque peditum Hierosolymam contendit, vt Romanis armis, ad quod volebat, vteretur, ac timore ac minis vrbem circumdaret. Tunc populus lenire eius impetum volens, obuiam militibus processit cum solitis vtique fauoribus, & Florum honorare officijs paratus. Ille autem præmittens cum equitibus quinquaginta Centurionem nomine Capitonem, discedere eos iussit: neve eum, in quem tam grauia maledicta iecissent, falso denuo honore deluderent: oportere quippe eos, si viri sunt fortes, animiq. constantis, etiam in præsentem effundere contumelias, nec solum in verbis, sed etiam in armis amorem libertatis ostendere. His dictis exterrita multitudo, simul etiam militibus,

C qui cum Capitone venerant, in medium vulgus irruentibus, diffugerunt, antequam Florum salutarent, aut militibus officia consueta redderent. Discedentes igitur in domos cum metu atque humilitate, peruigilem duxere noctem. Florus quidem tunc deguit in regia.

XXXIX. Postridie autem aduersus eos extructo tribunali sublimius resedit: conuenientesq. sacerdotum Principes, & ciuitatis vniuersa nobilitas, adstiterunt tribunali. His præcepit Florus, vt omnes qui maledicta in eum succlamassent, protinus darent; edicens, in ipsos esse, nisi reos produxerint, vindicandum. Ad hæc respondent Iudæi: populum quidem pacifica quæque sentire: illis vero qui errauissent in verbis, veniam conferendam postulabant: In tanta siquidem multitudine, nihil esse mirandum, offendi aliquos temerarios, & per ætatem insipientes: esse autem impossibile, eorum qui deliquerint, discrimen agitari, cum & singulos nimium pœniteat, & præ timore ad negandum sint

D parati: debere autem illum, si consuleret gentis quieti, & vellet Romano Imperio seruare vrbem, magis propter multos innoxios dare veniam paucis delinquentibus, quàm propter paucos improbos turbare multitudinem tantam bonorum. Ad hæc ille magna indignatione inflammatus, militibus exclamauit, vt forum rerum venalium, quod erat in superiori parte ciuitatis, diriperent, & passim obuios trucidarent. Illi vero ad lucri sui cupidinem addita auctoritate rectoris, non solum illum diripuerunt locum in quem fuerant immissi, sed in vniuersas insilientes domos, interficiebant habitatores. Fuga autem erat per angiportus omnes, & cædes eorum qui comprehendebantur; direptionis quoque nulla species præteribatur. Multos autem etiam nobilium comprehendentes, adduxerunt ad Florum, qui illos verberibus laniatos in crucem sustulit. Denique omnis numerus illo interfectorum die cum paruulis & mulieribus (neque enim

FLORVS IMMITTIT MILITES IN IVDAEOS.

E vel lactentibus pepercerant) fuit sexcenti triginta. Grauiorem autem faciebat calamitatem videri nouitas Romanæ calamitatis: quod enim nemo vmquam prius, tunc Florus ausus est, vt viros scilicet equestris ordinis pro tribunali flagellis cæderet, & patibulis affigeret; quorum etsi origo Iudæa, tamen Romana dignitas erat.] hæc de primis incitamentis ad defectionem Iosephus.

XL. Quæ qui diligenter obseruat, & Iudæorum præterita in Iesum Saluatorem commissa facinora memoria repetens, mente considerat; plane intelliget, diuinam vindictam lentis passibus gradientem, ex æquo supplicia compensare delictis, & ab ipso nomine auspicari punitionem. Qui enim olim Iesum Nazarenum, ac proinde Floridum nuncupatum, & ab Isaia[a] floris nomine demonstratum, recipere contempsissent, spreuissent, ac denique occidissent, in præsentia Florum omnium scelestissimum spernentem, diripientem, occidentem, & in omnibus immanissime sæuientem ferre, honorare, &

a Isaiæ 11.

in omni-

Universidad de Deusto
Biblioteca

DE CHRISTO ET FLORO ANTITHESIS.

in omnibus obsequi, & quibusuis officijs prosequi compelluntur. Quòd abiecissent, inquam, florem, nacti sunt Florum. At qualis ille, & qualis iste? De illo enim sanctus Propheta prædixerat: Flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini: et non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ.] sic denique quòd summam allaturus pacem esset flos iste, mox subdit: Habitabit lupus cum agno, & pardus cũ hædo accubabit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur.] Quàm vero in his omnibus admiranda quadam antitheſi contrarius Florus extiterit; quæ modo diximus, & superius de eodem ex Iosepho recitauimus, & quæ etiam suis locis in posterum dicturi sumus, facile demonstrabunt: haud enim opus est verbis describere, quem sua ipsius facta viuis coloribus quodammodo exprimunt. Satis hic tantum sit dixisse; illum venisse, vt saluaret; hunc, vt perderet: illum, vt pacem abundantius impertiret; hunc vero, vt pacem inuentam profligaret, conflaret bellum, ac Iudæos funditus deuastaret; quiq. inde auspicaretur vindictam, vnde immane ipsorum delictum fuerat consummatum. Adegerant illi tandem Christum in crucem; sed per Florum in primis eorum nobilissimi patibulis affiguntur. At hæc quidem leuia videri possunt, si cetera quæ a Floro, ac demum Flori occasione sunt subsecuta, pensentur.

XLI.

DE BERENICE ROGANTE FLORVM.

Cum autem Berenice Agrippæ Regis germana tunc Hierosolymis ageret, quo nuper voti, quod nuncupasset, explendi causa venerat, Florumq. deprecaretur vt a cæde milites reuocaret: Ille (inquit Iosephus[a]) neque in multitudinem interfectorum, neque in nobilitatem precatricis, sed tantum ad lucra sua, quæ de rapinis congregarentur, aspiciens, contempsit annuere. Impetus autem militum etiam aduersus Reginam efferatus est. Non solum quippe sub oculis eius obuios quosque mulctabant ac trucidabant, sed etiam ipsam, nisi confugisset in aulam, interfecissent. Ibi autem peruigilem noctem cum intenta custodia egit, verens vtique irruptionem militum. Venerat autem Hierosolymam, vt vota Deo solueret. His enim, qui morbo, vel alijs necessitatibus implicantur, mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino, & capillos radere. Quem morem Berenice Regina illis exercens diebus, nudipes etiam ad tribunal stetit, deprecans Florum: et præterquàm quòd ipsi nihil honoris habitum est, etiam de vita sua periclitata est. Hæc autem facta sunt sextodecimo die mensis Maij. Postridie autem conueniens multitudo in forum, quod erat in superiori parte ciuitatis, magnis clamoribus de his qui interfecti fuerant, querebantur. Potissimum autem inuidiosæ in Florum voces erant. Quod veriti primates quique & Pontifices, disruptis vestibus, & viritim singulos comprehendentes, postulabant, vt ab his verbis, quorum causa tanta mala pertulerant, desisterent, neque in maiorem indignationem Florum mouerent. Sicq. sedata est multitudo, tam reuerentia precantium, quàm spe quòd nequaquam Florus vltra in eos sæuiret.

[a] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 25.*

XLII.

Ille autem videns multitudinis tumultum fuisse compressum, angebatur; & denuo eam inflammare cupiens, Pontifices cum nobilibus aduocauit. Itaque vnum ait argumentum fore, quòd nihil vlterius de nouandis rebus cogitaret, si populus obuiam procederet militibus de Cæsarea venientibus: veniebant autem duæ cohortes. Qui cum conuocasset populum ad occurrendum, mandat Centurionibus, vt nullam salutationem redderent obuiantibus Iudæis. Ad quod si offensi petulanter quippiam essent locuti, statim in eos vterentur armis. Pontifices ergo, collecta multitudine in templo, precabantur vt occurrerent Romanis, & ante graue incommodum cohortes solemniter salutarent. His hortationibus seditiosi quique abnuebant, & ob interfectorum dolorem reliqua multitudo iungebatur audacibus. Tunc vero omnes sacerdotes, omnesq. Leuitæ sacra vasa proferentes ornatumq. templi, citharistæ etiam & cantores cum musicis organis procidebant ante multitudinem, & obnixissime deprecabantur vt illum templi honorem custoditum esse vellent, neque ad direptionem vasorum sacrorum Romanos contumelijs incitarent. Erat autem videre sacerdotum Principes sparsis cinere capitibus, & pectora disruptis vestibus nuda monstrantes, nominatim singulos quosque nobilium compellare, ac denuo in commune multitudinem precari, ne ob modicum peccatum patriam suam proderent his qui direptioni eius inhiarent.] Cum

IVSSI OCCVRRERE IVDAEI MILITIBVS.

tandem

tandem id ægre, vt obuiam irent militibus venientibus, suasissent; quid post hæc secutum sit, idem Iosephus narrat his verbis:

XLIII.

Obuiam prodierunt, iamq. cominus factos salutauerunt. Illis autem nihil respondentibus, seditiosi Iudæorum aduersus Florum, cuius hæc fierent consilijs, succlamarunt: confestimq. milites comprehendentes eos, cædere fustibus adorti sunt, atque in fugam versos persequentes equites proculcabant. Corruebant multi quidem, cum a Romanis cæderentur; plures autem, cum se mutuo propellerent. In ipsis autem portis grauis facta est compressio; & vnoquoque alterum præuenire cupiente, tardior fuga cunctis fiebat. Collabentium autem durus erat interitus: suffocatu enim & proculcatu miseri disperibant, neque ad sepulturam quisquam proximis suis cognoscendus remanebat. Irruebant etiam pariter milites immoderate, eos quos comprehendissent cædentes; & per ingressum, qui Bezetha vocatur, detrudebant multitudinem, transire cupientes, vt Antoniam & templum obtinerent. Quos etiam Florus consecutus, eduxit de regia eos qui secum erant, & in arcem transire nitebatur. Frustratus tamen est eius impetus. Conuersus quippe aduersus eos populus repugnauit, & per tecta euadentes obruebant saxis Romanos: qui cum superne venientibus sagittis vincerentur, nec possent defendere multitudinem, quæ per angustos arctabatur ingressus, ad reliquum se exercitum, qui erat in regia, receperunt. Seditiosi autem verentes ne superueniens denuo Florus templum occuparet, per Antoniam ex templo ascendentes, porticus a templo ad Antoniam continentes interciderunt, quatenus auaritiam Flori desperatione compescerent.] hæc Iosephus de occursu a populo facto militibus. At quàm pro antiquo delicto iusta vltionis statera noua pœna pensatur! Cum enim olim (vt habet Matthæus[a]) Principes sacerdotum & Scribæ ægerrime accepissent, Iesum, qui Saluator Hierosolymam veniebat, faustis puerorum & plebis acclamationibus excipi: modo miserandis plane modis & artibus persuadere populo compelluntur, vt exeant obuiam, & salutent milites, qui eos perdituri venirent.

IVDAEI CAESI A MILITIBVS.

[a] *Matth. 21.*

XLIIII.

Discessit[b] post hæc Florus Hierosolymis, Cæsaream proficiscens; haud tutum sibi ratus, licet cum militibus, Hierosolymis agere, populo tantopere in eum exacerbato: deditq. litteras ad Cestium Syriæ Præsidem, quibus defectionis arguebat Iudæos. E contra vero eidem a senioribus Iudæorum sunt redditæ litteræ de perpetratis a Floro in Iudæos sceleribus. Tunc Cestius, vt rem cognosceret, Politianum Tribunum Hierosolymam misit: qui cum inspexisset Iudæos tantummodo esse concitatos in Florum, Romanis vero præstare fidem & obseruantiam, est regressus ad Cestium. Interea Rex Agrippa, vt deploratis rebus consuleret, conuocans populum ad concionem, diserta habita oratione, persuadere nisus est, nihil eos debere innouare, sed quiescere, & ferre, vt possent, Florum, donec qui ei succederet a Cæsare mitteretur. Populus autem cum in ceteris acquieuisset Agrippæ; cũ de subijciendo se Floro audisset, vehementer incensus, nec a verborum in Regem contumelijs temperauit: sed eum protinus e ciuitate pepulerunt: in quem & procaciores nonnulli etiam lapides coniecere: qui sic contumelijs affectus decessit in regnum. Nec id tantum: sed cum[c] factiosorum hominum conflaretur in vnum exercitus, inde Romanorum ijdem occulte aggressi præsidium, quod vocabatur Massada, eo potiti, Romanos omnes qui ibi erant, interfecerunt.

[b] *Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 20.*

DEFECTIO IVDAEORVM.

[c] *Ioseph. de bello Iud. lib. 2. cap. 27.*

XLV.

His addidit Eleazarus Ananiæ Pontificis filius vi militum valens, vt suaderet sacerdotibus nonnisi pro Iudæis hostias immolare. Quamobrem consuetæ hostiæ pro Imperatore & Romanis offerri, sunt reiectæ, quamuis reclamantibus Pontificibus & Phariſæis: qui videntes arbitrio seditiosorum omnia misceri, & iam defectionem multis esse argumentis declaratam; quo se ab ea innocentes esse significarent, ad Florũ & Agrippam legatos miserunt, eorum implorantes auxilium ad compescendum seditiosorũ furorem. Contempsit hæc Florus, videns iam, quod diu cupiebat, adesse. Agrippa autem ad seditiosos coercendos ter mille equites misit. Hi cum venissent, in duas partes diuisa est ciuitas: in alteram, eamq. superiorem ad arcem Sion conuenere nobiles & optimates vallati præsidio equitum: inferiorem vero vrbis partem seditiosi occuparunt, & templum, quod profanarunt, missilibus & fundis a longe aduersus inuicem assidue certantes. Sed præualentibus tandẽ seditiosis, & superiorem ciuitatis occupantibus partem, incenderunt regiam Agrippæ, & Ananiæ Pontificis domum, simulq. in

BELLVM CIVILE CONFLATVM INTER IVDAEOS.

Archiuis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Archiuis ignem iniecerunt. Facta sunt hæc decimaquarta mensis Augusti: decimaquinta vero inuadentes Antoniam munitissimam turrim, ceperunt; & qui in ea sunt inuenti, pariter occiderunt. Impetum inde facientes in regiam, vbi Romanorum militum erat præsidium iunctum Agrippæ militibus, obsidione diutius fatigatos eo adegerunt Agrippæ milites, vt sponte recedentes, relictis Romanis, reuerterentur ad propria: quibus sic destituti Romani, locum relinquentes, sese receperunt in turres Hyppicos, Phasselum, & Mariamnem. hæcq. sunt acta (vt idem testatur Iosephus) sexta die mensis Septembris. A

XLVI. Septimo autem die [a] Ananias Pontifex, qui hactenus latitauerat, capitur, & cum Ezechia germano trucidatur. Omnium dux post Eleazarum erat Manahemus sectæ Galilæorũ hæresis auctoris filius, de quo sæpe superius mentio facta est. Hic tamquam eo scelere nobilitatus insigniter, regali incedens habitu, mouit ad inuidiam socios Eleazari; qui eum interfecerunt: ijdemq. in Romanos milites exarmatos, & iuramento præstito, iussos abire liberos, insilientes interfecerunt, idq. sabbati die, contra patriæ instituta religionis. Dum hæc Hierosolymis a Iudæis rebellantibus agerentur; eodem die, eademq. hora (inquit Iosephus [b]) quasi aliqua cælesti prouidentia, Cæsarienses Gentiles habitantes apud se Iudæos trucidarunt omnes: ita vt vno tempore super viginti millia hominum cæderentur, & a cunctis Iudæis vacuata Cæsarea remaneret. Tunc & in tota fere Palæstina Iudæis & Syris digladiantibus ad inuicem, omnis fere ciuitas in duos contrarios diuidebatur exercitus. Porro vbi maior pars Gentilium esset, ijdem Iudæos qui apud se agerent, nulla habita ratione ætatis vel sexus, singulos occiderunt; quorum non fuit exiguus numerus. nam Scythopolitæ (vt idem testatur auctor) occiderunt Iudæorum tredecim millia: Ascalonitæ duo millia quingentos: Ptolemais ciuitas duo millia: Tyrij, complurimis occisis, reliquos vinculis manciparunt: Alexandriæ vero quinquaginta millia numerata sunt Iudæorum corpora occisorum: idque, omnia procurante Augustali Præfecto Tiberio Alexandro, Alexandri olim Alabarchæ filio, Iudæo homine, sed Romanorum studiosissimo, atque religionis patriæ desertore.

a Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 18.

b Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 19. 20. 21.

B

C

XLVII. Interea vero Cestius Syriæ Præses [c], exercitu valido comparato, veniens in Palæstinam, oppida Iudæorum, quantum licuit, deuastauit, & inter alias ciuitates Ioppen captam incendit, occisiq. in ea sunt Iudæi numero octo millia quadringenti. hæcq. & alia in Iudæa & Galilæa facta sunt anno eodem circa tempus Scenopegiæ, cum reliquus populus Iudæorum ascendisset ad diem festum. Mense autem Octobris a Cestio Hierosolyma obsidetur. cumq. eius potiri illi sæpius offerretur occasio, ab eo fuit prætermissa atque neglecta, sic Deo disponente; tum ne qui in ea adhuc erant Christiani, pari pœna cum impijs afficerentur, sed egrediendi ex vrbe opportunitas & spatium temporis concederetur; tum vt etiam longe grauioribus obsessi intus Iudæi pœnis afflictarentur. Sed milites Cestius reuocans, in magnum discrimen Romanum adduxit exercitum: adeo vt plurimis ab insequentibus Iudæis ex suis cæsis, ceteros nonnisi turpi fuga valuerit liberare; desideratis ex Romanis militibus quinque millibus atque trecentis peditibus, & nongentis octuaginta equitibus: hæcq. facta sunt hoc anno duodecimo Neronis Imperatoris, die octauo mensis Nouembris, cum interim Nero ageret in Achaia, vnde postea misit in Iudæam Vespasianum. Nam ea accepta clade, Cestius transfugas Iudæos nobiles misit ad Neronem in Achaiam, vt declararent quanti ponderis esset bellum Iudaicum. Tunc Damascenj [d], audita clade Romanorum a Iudæis illata, decem millia Iudæorum recluſa prius in thermis, mox sæuissime iugularunt. His peractis, Ananus Pontifex pater Eleazari seditiosorum ducis eligitur, vt vna cum Iosepho Gorionis filio, omnia quæ in ciuitate gerenda essent, administraret. hi dispositis in diuersis prouincijs ducibus, qui eas aduersus Romanos defenderent, ad resistendum Romanis omnia collocant studia, & vires comparant.

c Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 22.

CESTIVS OBSIDET HIEROSOLYMAM.

d Ioseph. de bello Iud. lib. 2. c. 25.

D

E

XLVIII. Cum hæc autem Hierosolymis agerentur (inquit Iosephus [e]) quamplurimi Iudæorum futurorum malorum non falsi coniectores, Hierosolymis elapsi, in alias emigrarunt regiones.] Ex his autem fuisse Christianos, qui Hierosolymis agebant, testatur Epiphanius [f]. Porro illi inde fugientes, in exteriorem prouinciam recessere, atque maiori ex parte Pellam incoluere; quòd sic eos Christus, vt antequam obsidione cingerentur, alio se reciperent, olim admonuisset. Hic quippe annus, hoc plane tempus est a

e Ioseph. de bell. Iud. lib. 2. c. 25.

CHRISTIANI RECEDVNT HIEROSOLYMIS.

f Epiph. hæres. 29. & 30.

A est a Domino in Euangelio præsignatũ, cum de ventura Iudæorũ clade verba faciens apud Matthæũ [a] hæc ait: Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto (qui legit, intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c.] Sed quid per abominationẽ desolationis Dominus intellexerit, Lucas [b] de ijsdem agens, videtur his verbis significasse, quibus a Domino ea fuisse explicata videri possunt: Cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.] Est hæc interpretatio S. Augustini [c]: sed id ante ipsum Origenes [d] dixerat. Quam adiuuat, quòd sicut per Romanũ exercitum videtur abominatio designata, ita per locũ sanctũ potest tota intelligi Palæstina: nã auctoritate Philonis in libro de legatione ad Caium, constat ipsam prouinciã dictam esse Terram sanctam. At vero qua de causa Romanus exercitus abominatio a Domino dictus sit, exactiori est diligentia perquirendum.

a Matth. 24.

b Luc. 2.

c Aug. epist. 80. ad Hesichium.

d Orig. in Mat. tract. 24.

B

Cum abominationis nomine idolum in diuinis Scripturis debere intelligi, multis pateat testimonijs: non plane illa quæ ab alijs affertur causa fuisse videtur, vt exercitus abominatio dicta sit, quòd scilicet ex Gentilibus constaret hominibus, qui idola colerent: nam semper Iudæis, vbicumque agerent, eiusmodi ob oculos posita erat abominatio: siquidem (vt Iosephus [e] sæpius tradit) tempore dierum festorum Romani milites pro foribus templi adstabant armati ad comprimendos subitaneos, qui occasione ingruentis multitudinis & compressionis exoriri possent, tumultus. Alia igitur eius nominis est ratio afferenda ab ea diuersa, nempe illa quæ Iosephi testimonio plus satis testata redditur; nimirum quòd in exercitu Romano militaria essent insignia imaginibus effigiata. Quantum hæc autem Iudæi abominarentur, Iosephus [f] illo plane declarat exemplo, cum ait: Vitellius Syriæ Præses ad bellum paratus Arabicum, assumptis duabus legionibus, & leuis armaturæ atque equitum auxilijs missis a socijs Regibus, properans versus Petram, peruenit Ptolemaidem. Cumq. vellet per Iudæam exercitum ducere, occurrerunt eius regionis principes, deprecantes transitum: neque enim patrios ritus permittere vt inferantur vllæ imagines, quales Romana signa habebant pleraque. Quorum precibus flexus, mutauit sententiam de itinere proposito.] hæc Iosephus; quibus plane liquido declaratur, Romanos milites qui agerent Hierosolymis, nequaquam vti solitos insignibus militaribus imaginibus exornatis, ac illos præsertim qui diebus festis apud templum excubias agerent: qui enim Iudæi passuri essent ea a militibus Hierosolymis ostentari, quæ nec per regiones transire suas sunt passi? Ad hæc quoque spectare videtur, quod ait Suetonius in Tiberio, solas Syriacas legiones nullam Seiani imaginem inter signa coluisse: qua etiam ex causa idem in Iudæos erat animo infensissimus. At vero cum Romani iam hostes effecti ad Hierosolymorum obsidionem mœnibus inhæsissent; haud dubium est, eosdem consueta signa imaginibus effigiata vexisse, ac pariter ostentasse. quamobrem illud iam tempus aduenisse videretur a Domino præmonstratum; vt, cum viderent abominationem desolationis stantem in loco sancto, sibi fuga consulerent: quæ non tantum abominatio, sed & abominatio desolationis idcirco dicta, quia idem exercitus iterum rediturus, plane complanaturus, ac funditus desolaturus erat Hierosolymorum ciuitatem.

C

XLIX. DE ABOMINATIONE DESOLATIONIS.

e Ioseph. antiq. lib. 20. c. 7.

f Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.

D

Hoc igitur primo aduentu exercitus Romani, ipso eius aspectu, suos, vt fugam captarent, videri potest Dominus admonuisse, quòd posthac non amplius liberum esset Iudæis Hierosolymis agentibus inde recedere. Nam sequenti anno sic ciuitas Zelotarum est arctata custodijs, vt nulli amplius egrediendi fuerit data facultas, nisi qui forte ingenti vi pecuniarum eam redemisset, vt & testatur idem [g] Iosephus. Verum Christianos Hierosolymis agentes fuisse pauperrimos, eosdemq. omnibus iam diu spoliatos bonis, eleemosynarum collectione indiguisse, multa quæ sunt superius dicta significant. Et quoniam iam non Hierosolymæ tantum excidendæ essent, sed circumposita prouincia deuastanda, quod cœptum est agi anno sequenti, cum a Nerone Vespasianus in Iudæam est missus: idcirco non solum Dominus suos admonuisse voluit, vt Hierosolymis egrederentur; sed omnes, inquit, qui sunt in Iudæa, fugiant ad montes.

L. DOMINI PRAEDICTIO ADIMPLETA.

g Ioseph. antiq. lib. 5. c. 2.

E

At nimis certe aliena illa videtur interpretatio [h]; vt illis verbis Dominus voluerit, eos tantum qui in Iudæa essent, præmonuisse, & non qui Hierosolymis: eaq. de abominatione desolationis intelligi velit, non cum a Cestio ad modicum tempo-

LI.

h Bened. Perer. in Dan. lib. 10. prope finem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ris ſpatium ciuitas eſt obſeſſa, ſed cum poſtea a Tito Veſpaſiano eſt arctiſſima obſidione vallata. Quonam modo, quæſo, poſt obſidionem Hieroſolymorum, iam a Veſpaſiano deuaſtata Iudæa, fugæ amplius locus erat? Quidve opus erat fuga illis in Iudæa agentibus, qui iam penitus vaſtati eſſent? Illa certe Domini verba fugam tantopere inculcantis, eamq. iterum atque iterum admonentis, atque exemplo fici arboris inſinuantis, quid aliud viſa ſunt ſignificaſſe, niſi ipſum maxime monere voluiſſe, ne ſui in tam grandia inciderent mala? Nam ſicut olim, ne innocens Lot periret cum Sodomitis, maxime cauit; ita ne innocentiſſimi Chriſtiani ſceleſtiſſimorum ſupplicio inuoluerentur, ea longe antea prædicendo commonuit. Sed fruſtra hæc omnia, ſi tunc illis fugiendi nullus amplius locus ſupereſſet, vel quòd conſumpti iã eſſent, vel quòd nullus fugæ pateret exitus. Quis inſuper dixerit, vindictam illam immaniſſimam ad vlciſcendum grauiſſimum omnium ſcelus in Iudæos immiſſam, nimirum ob illatam necem Chriſto Ieſu omnium Redemptori, comprehendiſſe etiam nobiliſſimam illam Eccleſiam, non Iacobi tantum, ſed omnium Apoſtolorum alumnam; illos, inquam, ea pœna conſtrictos, qui Chriſtum colentes, iam tot tantaq. a Iudæis, quorum ad eos ſcribens Paulus meminit, paſsi eſſent? & non potius eos liberos abijſſe, ſecundum quod habetur in Pſalmo [a]: Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant a facie arcus, vt liberentur dilecti tui.] Fugiſſe plane Chriſtianos qui erant Hieroſolymis (niſi fortaſſe perpaucis quibuſdam exceptis, qui ſegniter agentes, quæ prædicta a Domino erant, minus cauiſſent) antequam obſtructus & interceptus penitus eſſet exitus egrediendi, non tantum ea quæ ſunt ſuperius Epiphanio auctore dicta declarant: ſed perſpicuum illud de his eſt argumentum, quòd Simeon Hieroſolymorum Epiſcopus, qui Iacobo fratri ſucceſſerat, nequaquam cum ceteris Iudæis, qui ibi ſunt inuenti, necatus eſt; quem conſtat ad tempora Traiani fuiſſe ſuperſtitem, & ſub eodem Imperatore conſummaſſe martyrium. Nec eſt quòd quis dicat, eum non occiſum, ſed ductum fuiſſe captiuum: nam Ioſephus firmiter aſſeuerat, omnes occiſos eſſe, ſeruatis tantummodo factionis principibus, qui ducti ſunt in triumphum, & certis quibuſdam corpore valentiore potentibus viris, quorum alij ad opera damnati ſunt, alij vero ad pugnandum in theatris cum beſtijs. Certe horum numero comprehenſum eſſe Simeonem iam centenarium, neminem dicturum puto: at nec ex numero eorum eſſe potuit qui venditi ſunt; nam illos tantum qui infra annum ætatis decimumſeptimum eſsent, occiſis ceteris, venum expoſitos, idem Ioſephus tradit.

[a] *Pſal. 59.* FIDELIVM FVGA HIEROSOLYMIS.

LII. SVPPELLECTILIA QVOQVE SALVATA.

At non tantum ipſum, & ceteros quibus præerat Epiſcopus, liberos fuiſſe foras egreſſos, verum etiam Eccleſiæ illius ſupellectilia in tuto eſſe collocata, quæ ſcribit Euſebius [b] de Iacobi cathedra ad ſuam vſque ætatem integra ſeruata, plane declarant; quæ quidem ſi Hieroſolymis remanſiſſet, abſque dubio cum ceteris conflagraſſet. Ex dictis igitur neceſſaria aſſumptione conſequitur (cum manifeſte appareat, Chriſtianos Hieroſolymis agentes, inde egreſſos ſibi fuga conſuluiſſe, quod eis minus facere licuiſset in ſecunda validiori obſidione) affirmandum eſse id ab eis actum poſt primam ſub Ceſtio obſidionem: ac proinde abominatio illa deſolationis a Matthæo deſcripta, ſi ad Romanum exercitum referenda eſt, ſecundum quod a dictis auctoribus ex Lucæ verbis declaratum videtur, intelligenda eſt non de alia quàm de hac prima inuaſione & obſidione facta per Ceſtium. Sed in his admirari non ſatis poſſumus admirabile plane Dei conſilium: nam & hoc vehementer admiratus eſt ipſe Ioſephus hiſtoricus. Cum multis vijs daretur Ceſtio aditus ingrediendi cum exercitu ciuitatem, nobilibus portas aperire ſpondentibus, & precibus inuitantibus, alijſq. etiam occaſionibus ciuitatem capiendi ſe dantibus; Deo tamen id omne agente, neglexit: Sed ob id nempe, ne qui intus adhuc erant Chriſtiani, pœnis ob impietatem Iudæis debitis, vna cum illis afflicerentur.

[b] *Euſeb. hiſt. lib. 7. c.14.*

LIII. At licet eiuſmodi interpretatio de abominatione deſolationis (quaſi a Luca fuerint declarata illa Domini verba dicta eſse de exercitu Romanorum hoc anno primũ Hieroſolymam obſidente) multis a nobis ſtabilita eſse videatur atque firmata: tamen re magis magiſq. perſpecta, haud adduci poſsumus in eam ſententiam, vt exiſtimemus Lucam Euangeliſtam ſic ea de exercitu dixiſse, vt quæ a Domino dicta eſt abominatio, declararet: quin potius, ſicut in ceteris ſæpe accidit, immo in eodem narrationis contextu factum apparet, vt quod a Domino dictum eſset, ſed ab alio Euangeliſtarum præter-

A prætermiſſum, alius ſuperadderet; ita euenerit, vt quod Matthæus omiſerat, Lucas apponeret, adderetq. non tantum datam eſse in ſignum futuræ cladis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto a Matthæo conſcriptam, ſed prædictũ quoque fuiſſe a Domino, & in ſignum additum, cum viderent Hieroſolymam ab exercitu circumdari. Hæc autem vt potius opinemur, nec priori a nobis recitatæ ac illuſtratæ ſententiæ aſſentiamur, illud potiſsimum perſuadet, immo & affirmare compellit, cum non qualemcumque abominationem fore aſpiciendam, ſed quæ ſcripta eſſet a Daniele Propheta, Dominus inculcarit: ex quo quidem, quid per locum ſanctum intellexerit, ſatis expreſſe declaratum eſse videretur, dicente Daniele [a]: Et erit in templo abomina- [a] *Daniel. 9.*
tio deſolationis.]

Sic igitur quod dixit Dominus de loco ſancto, non de alio quopiam loco quàm de LIV.
B templo eſse intelligendum, fateri quiſque neceſſitate compellitur; ac proinde nihil eſt GERMANVS SENSVS DE ABOMINATIONE.
quòd ea abominatio ad exercitum Romanorum ciuitatem obſidentem aptari poſſit. Quamobrem cum ea ſigna eodem tempore futura dicat, nimirum abominationem viſum iri in templo, & ciuitatem ſimul ab exercitu obſidendam: dicere pariter compellimur; non aliam fuiſſe abominationem illã deſolationis tunc in templo inſpiciendam, niſi profanationem templi, hoc ipſo anno (vt vidimus) a ſeditioſis factam, cum illud more caſtrorum muniſſent, vt inde aduerſus ſuos contribules Iudæos ferocius dimicarent. Non enim exteriorem tantum templi partem ab eis occupatam fuiſſe, Ioſephus teſtatur [b]; ſed cingente Ceſtio ciuitatem obſidione, eoſdem ſeditioſos in interiorem par- [b] *Ioſeph. de bel. Iud. lib. 2. c. 17.*
tem templi ſe recepiſſe, idem auctor [d] tradit; prioremq. inuaſionem templi ab eis factam [c] *Idem eodem, c. 24.*
ſignificat hoc anno, menſe Auguſto; poſteriorem vero hoc itidem anno, menſe Octo-
C bri, affirmat. Sic igitur eodem plane tempore vtrumque ſignum prædictum videtur, nempe abominatio illa facta in templo, & ciuitas ab exercitu obſeſſa. Abominatio quidem omnium ſordidiſſima ac funeſtiſſima videri poterat, ſceleſtiſsimos ac perditiſsimos homines armatos, ſanguine madentes ciuium occiſorum, non atrium tantum, ſed interiorem quoque templi partem (horrendum dictu) impudentiſsime occupaſſe. Execranda enim quædam ac deteſtanda peccata abominationem dici conſueuiſſe, innumera diuinæ Scripturæ exempla teſtantur.

At quòd non tantum abominatio dicta ſit, ſed deſolationis; id factum eſse putamus, LV.
quòd ea abominatio in ſignũ data ſit futuræ deſolationis; neque id tantum a Gabriele, ABOMINATIO DESOLATIONIS CVR DICTA.
Daniele, & a Domino diſcipulis ſuis: ſed & (quod ſcribit Ioſephus [d]) vetus quidam [d] *Ioſeph. de bel. Iud. lib. 5. c. 2.*
ſermo ferebatur, tunc demum ciuitatem capiendam, ſancta quoque flammis exuren-
D da eſse lege belli, cum ſeditio fuiſſet exorta, templumq. Dei propriæ Iudæorum manus violaſſent. quæ (vt ſæpius dictum eſt) hoc anno facta eſse, cum exploratiſsimũ ſit; plane deſolationis ſignũ fuiſſe, omnes intelligunt. Quo inſpecto, memores hæc omnia a Domino fuiſſe in ſignum data, Chriſtiani (vt diximus) Hieroſolymis receſſerunt. Sed quoniam eadem iactare ſolitos inter ſe Iudæos, ex antiquo quodam oraculo, auctore Ioſepho cognouimus; inde etiam accidit, vt non Chriſtiani tantum, qui his ſignis ſic fuiſſent a Redemptore noſtro præmoniti, ſibi fuga conſulendum putarint: ſed (quod [e] *Ioſeph. de bel. Iud. lib. 2. c. 25.*
ſcribit Ioſephus [e]) complures Iudæorum tum his permoti, tum etiam ea coniectura perſuaſi, quòd adeo Iudæi deliquiſſent, inſectando & cædendo Romanum exercitum; rati nimirum hæc ipſa grauiori fore mulcta luenda, hiſq. magis magiſq. exaſperatis animis Romanorum, nullum eſse relictum amplius locum veniæ, ſe liben-
E tius fugæ mandarint. Tantum igitur abeſt, vt eo ſucceſſu proſpero, Iudæi, qui inter eos prudentiores erant, animo elati ſint, vt potius viderentur penitus conſternati; quòd humano etiam iudicio mala, quæ ex ea cauſa a Romanis obuentura eſſent, potuiſſent facile coniectari. Nam ait Ioſephus [f]: Poſt Ceſtij vero caſus aduerſos, nobi- [f] *Ioſeph. ibid.*
lium Iudæorum multi, tamquam e naui peſſum itura, ex ciuitate enatabant.] addit & de quibuſdam Iudæorum primarijs, qui ijſdem temporibus magis delegerunt confugere ad Ceſtium profligatum, quàm cum ſeditioſis victoria elatis agere Hieroſolymis. At de his quæ ad Iudaicas res geſtas hoc anno pertinent, ſatis: cetera ſuis locis inferius dicemus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

IESV CHRISTI ANNVS 69. | PETRI ANNVS 25. | NERONIS IMP. ANNVS 13.

I. SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI MARTYRIVM.

ANno Redemptoris nostri sexagesimonono, L. Fonteio Capitone & C. Iulio Rufo Coss. cum iam Nero ex Achaia Romam redijsset, Petrus & Paulus Principes Apostolorum, cum eadem qua semper eidem restitissent constantia, vna eademq. die tertio Kalend. Iulij, eius iussu diuerso mortis genere glorioſum subiere martyrium. Sed quomodo hæc se habuerint, agendum exacte de singulis. Atque in primis quod ad rationem temporis spectat; illi redarguendi videntur, qui ipsorum necem in annum decimumquartum Neronis referunt; quos in manifestum esse lapsos errorem, certum est. Nam cum Neronis Imperium cœperit mense Octobri, Coss. Marcello & Auiola; nullum est dubium, hunc esse eius Imperij annum decimumtertium, qui terminetur eodem mense Octobri, quo & quartusdecimus inchoatur. Sed cum æque perspicuum sit, ipsum anno sequenti, quarto Idus Iunij occisum esse, nec peruenisse ad tertium Kalendas Iulij, quo die Apostoli necati sunt: impossibile plane redditur, vt ijdem dici possint anno sequenti decimoquarto Neronis Imperij martyrio vita functi esse. Sic igitur affirmare necesse est, eodem hoc anno, ijsdemq. Coss. ac Neronis Imperij decimotertio, Petrum & Paulum Apostolos coronatos esse martyrio.

II. DE TEMPORE MARTYRII APOSTOLORVM.

Corrigenda est ergo lectio Eusebij in Chronico, quam alij videntur esse secuti, qui anno decimoquarto Neronis, quo & occisus est, ponunt dictorum Apostolorum martyrium, Olympiade ducentesima vigesima, anno quarto: sicut & Hieronymus [a] quoque Eusebium secutus; dum tam de Petro quàm de Paulo ait, a Nerone occisos esse decimoquarto eius Imperij anno. Sed diuersa ab his omnibus fuit Epiphanij [b] sententia, affirmantis tam Petri quàm Pauli obitum contigisse duodecimo Neronis anno. At inter duo hæc extrema, media sententia, eos passos esse anno Neronis decimotertio, verior esse probatur. Sed ab his omnibus discrepat Cassiodorus, cũ ponit post bienniũ a dictorum Consulatu necem Apostolorum; cum longe ante illud tempus Nero esse inhumanis desijsset. verum ne audiendus quidem ipse; cum omnium sententia exploratum habeatur, ipsos sanctos Apostolos consummasse martyrium sub Nerone. Sed verius existimatur in Cassiodori Chronicon mendum irrepsisse. At hæc satis de his quæ ad annum passionis spectant. Ceterum eadem a nobis firmata sententia de nece Apostolorum anno decimotertio Neronis, grauissimos habuit assertores, nimirum Caium antiquum Theologum, Zephyrinum Romanum Pontificem, & Dionysium Corinthiorum Episcopum; quos omnes citans Metaphrastes [c], ipsorum sententiæ adstipulatur atque concordat, dum anno trigesimosexto (numerando ab anno Domini trigesimotertio) post passionem Domini eos necatos affirmat, nimirum hoc anno Domini sexagesimonono.

[a] Hier. in Scrip. Eccl. in Petro & Paulo.
[b] Epiph. hæres. 27.
[c] Metaphr. die 29. Iunij.

III. QVO DIE APOSTOLI PASSI SINT.

Quod vero ad diem vtriusque martyrij attinet: cum omnes æque in vnam eamdemq. conspirent sententiam, vna eademq. die, nempe tertio Kalendas Iulias, martyrio vita functos esse: diuersa tamen inter eos intercedit opinio; existimantibus quibusdam ex ipsis, sic vna eademq. die mensis Iunij vtrumque ductum ad mortem, vt tamen non eodem anno contigerit. Qui hoc sensit inter alios reperitur Prudentius [d], dum sic hymno cecinit:

Vnus vtrumque dies, pleno tamen innouatus anno,
Vidit superba morte laureatum.]

hæc ille, quem etiam secutus videtur Arator [e], dum item occinit:

Cum natura dedit, geminos quos addidit astris
Non eadem, tamen vna dies, anniq. voluto
Tempore sacrauit repetitam passio lucem.]

[d] Prud. Peristeph. hym. 12.
[e] Arat. in Act. Apost. lib. 2. in fine.

Id etiam affirmasse S. Augustinus [f] videtur, cum ait: Currunt itaque vterque ad palmam martyrij, & vterque perueniunt ad coronam, non quidem eodem temporis cursu; sed anni vertentis occursu.] hæc ipse.

[f] Aug. de sanct. serm. 28.

IV. Verum magis vera atque probata illorum esse videtur assertio, dicentium eodem anno

anno ambos vna die martyrij palmam adeptos esse: quam sententiam, qui nuper sunt recensiti antiquiores Patres, Caius, Zephyrinus, & Dionysius Corinthiorum Episcopus, a dicto citati auctore sequuntur: his adde Eusebium [a], Epiphanium [b], Hieronymum [c], Maximum [d], Cassiodorum [e], & alios recentiores fere innumeros. Id quidem tam Romanæ Ecclesiæ Martyrologium, quàm Græcorum Menologium tradunt. His pariter Acta quæ de passione ipsorum habentur scripta (qualiacumque sint, & quouis edita auctore) assentiuntur. Sed eiusmodi opinionem de diuerso anno a quibusdam hæreticis fuisse vulgatam, Concilium Romanum sub Damaso, quod continet Cresconiana Collectio (est in nostro codice pagina 236.) post canonem de libris apocryphis, testatur his verbis: Post has omnes Propheticas, & Euangelicas, & Apostolicas, quas superius deprompsimus, scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est: etiam intimandum putauimus, quòd quamuis vniuersæ per Orbem diffusæ Catholicæ Ecclesiæ quasi vnus thalamus Christi sit, Sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis synodicis constitutis ceteris Ecclesijs prælata est: sed & Euangelica voce Domini Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum: et quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælo. Addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis: qui non diuerso (sicut falso hæretici garriunt) sed vno eodemq. die gloriosa morte cum Petro in vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter supradictam S. Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt.] hæc ibi; quæ pene omnia repetita sunt a Gelasio in decreto Concilij septuaginta Episcoporum. Verum de tempore hactenus.

[a] Euseb. in Chron.
[b] Epiph. hæres. 27.
[c] Hier. de Scrip. Eccl.
[d] Maxim. ser. de S. Petro.
[e] Cassiodor. in Chron.

VNA DIE EODEMQ. ANNO PASSI APOSTOLI.

Quænam vero obitum ipsorum præcesserint, ex probatis auctoribus pauca nobis potius, quàm ex incertis apocryphisq. multa narranda proponimus. Ex Achaia Romam rediens Nero ea pompa triumphali quam Suetonius [f] scribit, Apostolos, quos Simonis magi causa vel alijs vinxisse diximus, noua superaddita accusatione, vltimo supplicio condemnauit. Quænam autem ea fuerit, ex S. Ambrosio [g] & alijs facile intelligitur: datum enim illis crimini tradunt, quòd feminas ad meliorem frugem & præcipue castitatem seruandam conuertissent. Multum enim in his versati sunt Apostoli, vt quas ad Christianam fidem capessendam inducerent, easdem in primis caste & pudice viuere suaderent. Nam Tacitus, Suetonius, Dio, & ceteri, qui Neronis historias conscripsere, testantur in nobilissimas quasque feminas eius libidinem absque aliquo pudoris freno impudentissime esse grassatam. Dum vero (vt de Petro primum agamus) expectabatur executio feralis sententiæ: indignissime ferentes Christiani, sic a se pastorem omnium abripi Petrum; vt fuga sibi suisq. consuleret, instantissimis precibus & obtestationibus admonentes, vix tandem vt id faceret persuaserunt, immo potius compulerunt. Non deerat ad hæc præstanda carceris custodum officium Processi & Martiniani, quos (vt dictum est) idem Petrus initiauerat sacro baptismate. Quomodo autem egressus, ac iterum Domino admonente sit reuocatus ad carcerem; sanctum Ambrosium hæc accurate scribentem audiamus. In Auxentium enim dum inuehitur, hæc ait:

[f] Suet. in Neron. c. 25.
[g] Ambros. in Auxent. de Bas. nou. trad. fere in med. edit. Rom. tom. 5.

V. NOVA ACCVSATIO IN APOSTOLOS.

VI. FVGA PETRI E CARCERE.

Idem Petrus postea, victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos Gentilium. Quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est: rogabatur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? nocte muro egredi cœpit: et videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemq. ingredi, ait: Domine, quo venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi; qui carnem, passione susceptа mortis, exuerat: Quòd enim mortuus est, mortuus est semel; quòd autem viuit, Deo viuit. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit; interrogantibus Christianis responsum reddidit: statimq. correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.] hucusque S. Ambrosius. Hæc ipsa de Petro fugam arripiente, & Domino illi occurrente pariter & admonente, habentur etiam in Actis passionis eius, quæ feruntur a Lino conscripta:

Universidad de Deusto
Biblioteca

scripta: quæ quidem fuere aliquando fortasse sincera; quæ autem modo extant, Manichæorum reperiuntur tincta fuligine, sicut & de Actis illis Andreæ queritur Augustinus [a]: nam sicut in illis Andream, ita & in istis Petrum habes non tantum castitatem recte suadentem, & concubinas ab hominibus diuellentem, sed male docentem etiam ne viris suis vxores debitum redderent: quæ quidem a sincera Apostolica prædicatione procul abhorrent. Germana illa quidem olim extitisse noscuntur, e quibus ea quæ scribit, idem qui supra est mutuatus S. Ambrosius, qui ait Petrum tantum castimoniam prædicasse: sed ea quæ diximus, vel adiecta, vel diuersa (quod verius putamus) ab illis fuisse, nulli dubium esse posse videtur.

[a] *Aug. de fid. contra Manich. c. 18.*

VII.

Habentur eadem, quæ ex Ambrosio recitauimus de fuga Petri e carcere Mamertino, æque testata ex Actis [b] sanctorum martyrum Processi atque Martiniani, necnon ab Hegesippo Iuniore [c], & alijs. Sed illa est tantum inter eos discrepantia: dum alij ipsorum dixerunt hæc contigisse statim post lapsum Simonis, antequam Petrus esset detrusus in carcerem: alij vero, postquam carceri mancipatus, iam ad supplicium peteretur: quod & verius ea potissimum ratione existimamus: Nam cum ijdem affirment, eum, statim vt reuersus est, ad supplicium duci iussum; nullum plane datur spatium nouem mensium carceris, quod (vt dictum est superius) illic, antequam martyrium consummarent ijdem Petrus & Paulus, intercurrisse certum habetur. Citat eamdem quoque historiam S. Gregorius [d], his verbis: Et Petro ait; Venio Romam iterum crucifigi. Qui enim in se ipso iampridem crucifixus fuerat, in Petro iterum crucifigendum dicebat.] Paulum etiam vna cum Petro fugam arripuisse, citata nuper Acta Processi & Martiniani tradunt. Legimus Origenem [e] ex quibusdam Pauli Actis recitare eadem ferme verba Paulo dicta esse a Domino, quæ idem perhibetur Petro dixisse; sic enim ait: Quòd si cui placet admittere quod in Actis Pauli scriptum est, tamquam a Saluatore dictum: Denuo debeo crucifigi.] verum hæc ille ex apocryphis.

[b] *Apud Sur. tom. 3. die 2. Iulij.*
[c] *Hegesip. de excid. Hierosol. lib. 3. c. 2.*
[d] *Greg. in Psal. 4. pœnit.*
DE PAVLI FVGA.
[e] *Orig. in Ioan. tom. 27.*

VIII.

Porro antequam mortis supplicio ijdem afficerentur, ambo more Romano virgis cæsi fuisse traduntur. De Petro, quòd vilis haberetur persona, nulla potest esse dubitatio; cum more maiorum, qui vltimo supplicio damnati essent, antea virgis cæderentur. De Paulo vero, quòd ciuis Romanus esset, & lege Valeria primum, ac deinde lege Porcia haberetur immunis, addubitari posset. Verum constat tam ex lege duodecim tabularum, quàm etiam lege sacra, cum aliquod ab his immane fuisset perpetratum delictum, tunc eosdem centuriatis comitijs condemnatos, affectos verberibus primum, capite deinde truncandos. Cum igitur apud omnes grauissimum omnium scelus haberetur impietas; Paulum eius criminis iudicio postulatum & condemnatum, antequam vltimo supplicio subijceretur, virgis cæsum fuisse, nullus iure poterit dubitare: cum præsertim adhuc Romæ in ecclesia S. Mariæ Trans pontem extent & in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apostoli alligati & virgis cæsi feruntur.

APOSTOLI VIRGIS CAESI.

IX.

Habet insuper traditio potius quàm certa assertione antiquorum scriptorum veritas confirmata (nam quæ de his legitur a quibusdam Dionysij Areopagitæ nomine edita scriptio, non probatur) ipsos Apostolos supplicium mortis subituros e carcere simul eductos, extra portam Trigeminam perductos esse. more siquidem maiorum id actum fuisse videtur: nam reos extra Vrbem percuti solitos, in Martyrologio Romano notauimus. Cur autem extra illam potius portam ad subeundum supplicium ducti sint, quid certi affirmare possimus, nihil est, nisi quod coniectura tenuibus quibusdam rimulis monstrat. Certum est enim, extra portam Trigeminam, quæ & Ostiensis dicitur, agere consueuisse mendicos, vilesq. personas, illicq. eosdem accipere stipem: quod quidem Plautus non obscure significat, dum ait:

Vel extra portam ire Trigeminam ad sacculum licet:
Quod mihi ne eueniat, nonnullum periculum est.]

DE PORTA TRIGEMINA.

Id ipsum demonstrat Plinius [f] sic dicens: Item P. Minutio Præfecto annonæ extra portam Trigeminam vnciaria stipe collata.] In Vaticanum postea horum sedem fuisse translatam, Ammianus [g] annuere videtur, dum ait: Accitos a Vaticano quosdã egentes, opibus ditauerat magnis.] sic dicens de Lampadio Vrbis Præfecto, qui pecuniam quam alij expendere consueuerant in publicorũ munerum editionem, ipse in pauperes erogasset. Contingere itaque facile potuit, vt exagitati vehementer a Nerone Christiani, non amplius intra Vrbem, sed foras inter viles personas agere iussi essent: sicut auctore

[f] *Plin. lib. 34. c. 5.*
[g] *Ammian. lib. 27.*

A ctore Philone [a] & alijs vidimus, Iudæis Transtiberinam regionem ad habitandum fuisse traditam. qua etiam consideratione dicere possumus, Apostolos extra portam Trigeminam simul esse ductos, sed non simul in eodem loco supplicio affectos: immo ab illis qui eos ducebant, mutato consilio, esse ab inuicem separatos, quòd Petrum in gratiam Iudæorum in ea regione, vbi Iudæi degerent, voluerint crucifigi: Paulum vero inter Christianos, non tamen crucifigi, sed (quòd ciuis Romanus esset) placuerit subijci gladio. Sed hæc (vt diximus) coniectura potius, quàm certa assertione affirmando proponimus.

[a] *Philo de leg. ad Caium.*

Quod vero in primis ad Paulum spectat: cum a Petro, mutua prius salutatione impartita more Christiano in osculo sancto, in hunc modum diuisus esset, ad præscriptum supplicij locum recta perducitur. Inter eundum quid acciderit, in Actis passio-
B nis eius, quæ nomine (vt sæpius antea diximus) Lini feruntur, magna ex parte habentur expressa. At quoniam, sicut multa in eis esse vera facile suademur, ita eadem multis mendacijs esse obuoluta cognoscimus: idcirco illa tantum quæ antiquorum scriptorum testimonio probata, vel traditione firmata esse noscuntur, nostris chartis intexemus, & in primis quæ in eis de Plautilla clarissima femina scripta habentur. Traditur ergo Paulus, cum ad locum pergeret passionis, comitantibus populorum turbis innumeris, venisseq. ad portam Vrbis, habuisse obuiam nobilissimam matronam, nomine Plautillam (licet alij alio nomine eam dictam esse velint) quam illam fuisse putamus matrem Flauiæ Domitillæ, cuius habetur mentio in Romano [b] Martyrologio, atque in Actis sanctorum Nerei & Archillei; eamq. a Petro fuisse baptizatam, ac demum hoc anno post Apostolos vita functam, eadem Acta tradunt. Hanc cum flentem intuitus
C esset Apostolus, ab ea velum petijt, quo feriendus gladio ex more obduceret oculos. consueuisse etiam Iudæos fascia velare oculos eorum qui capite truncandi essent, Iosephus [c] demonstrat, dum ait: Is autem eum, reuinctis post terga manibus, oculisq. fascia obstrictis, in conspectum Romanorum veluti capite cæsurus produxit.] Cum igitur ad illud opus velum Paulus ab illa petijsset: libenter illa parens, liberaliter tradidit, illud ipsum, vt erat pollicitus, postea receptura. Locus ille vbi hæc facta sunt, dicitur esse prope portam Ostiensem, huius rei gratia veteri memoria consecratus.

[b] *Martyrolog. Rom. 20. Maij.*
DE PLAVTILLA CLARISSIMA FEMINA.
[c] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 14.*

X.

Cum autẽ sic Paulus duceretur, tres milites ex his qui ex apparitura erant, ad Christi fidem conuertit; quos in confessione Christianæ religionis constantes, eiusdem Imperatoris gladius martyres fecit die secunda Iulij, quæ anniuersaria celebritate recolitur [d]. Horum nomina fuisse, Longinum, Acestum, & Megistum, nuper citata Acta
D testantur. Vbi vero tandem ad locum supplicio destinatũ Paulus perductus est, fusis ad Deum precibus, alacri animo (quòd id diutius exoptasset) iugulum præbuit. Locus ille dictus ad Aquas Saluias, tertio ab Vrbe lapide distans, alio nomine Gutta iugiter manans, est appellatus [e], vbi Christianorum carnificina est aliquando habita: nam & Zenonem ac decem millia militum illic fidei Christianæ causa fuisse obtruncatos, tum loci illius vetera monumenta, tum Romanum Martyrologium [f] atte stantur. Illic igitur cum ictu carnificis Paulus capite truncaretur, non tam sanguinis fluenta e sectis venis, quàm lactis (res plane miranda) largiter fluxerunt.

[d] *Martyrolog. Roman. Bed. Vsuard. & alij ea die.*
PAVLVS TRVNCATVR CAPITE.
[e] *Martyrolog. Rom. 9. Iulij.*
[f] *Eodem die 9. Iulij.*

XI.

XII.

Res quidem adeo insignis non tantum ex dictis Actis, sed & alijs compluribus habetur testibus confirmata. Nam & S. Ambrosius [g] de re tam celebri & clara, nec dubitatione aliqua obscurata, his verbis meminit: De Pauli vero ceruice, cum eam persecutor
E gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait [h]: Lac vobis potum dedi, non escam? Hæc est plane promissionis illa terra, quam Deus patribus nostris promisit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ dimanantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq. permiscet; sed de illa tum Pauli, tum similium Pauli, quæ iugiter purum suaueq. distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior, & lacte candidior? quæ epistolæ tamquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit.] hucusque Ambrosius. Sed & sanctus Ioannes Chrysostomus [i], eiusdem veritatis grauissimus assertor, sic ait: Beatus autem Paulus, cui caput ense præcisum est, vir cuius

[g] *Ambr. serm. 68.*
[h] *1. Cor. 3.*
LAC CVM SANGVINE EX PAVLI COLLO FLVXIT.
[i] *Chrysost. orat. in Princ. Apost. tom. 5. Niuel. edit.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cuius laudes verbis exprimi nequeunt. At cuiusmodi ensis illius guttur, Dominicum A
inquam instrumentum cælo suscipiendum, & terræ tremendum, peruasit? Qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in eius veste qui te percussit? qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, vt ipse vna cum socijs ad fidem traduceretur, ita affecit.] hæc de lacte.

XIII. Subdit de alijs tunc eo miraculo ad fidem Christi conuersis; ac demum quotum ætatis suæ annum martyrij tempore ageret, his docet: Sit mihi instar coronæ gladius ille, qui triginta & quinque viros summa ad seruiendum Deo alacritate Domino mancipauit.] ita quidem Vossius in Latinum transtulit: sed quæ versio non probetur Herbipolensibus Academicis, cū textus Græcus post priorem editionem satis mihi exploratus, ita habeat: ξεάκοντα πέντε ἐδούλευσε τῷ κυρίῳ μετὰ πάσης παῤῥησίας] hoc est: Trigintaquinque, *annos scilicet*, seruiuit Domino cū promptitudine animi.] pergit vero Chrysostomus: Perfecto itaque octo & sexaginta annorū vitæ cursu, quē pro pietate institutum tenuerat, quieuit.] hæc ipse. Sunt etiam de his alia complura, sed recentiorum testimonia. Porro & locus ipse de alijs quoque nos admonet: quæ etsi minime scriptis consignata habeantur, fideli tamen maiorum traditione testata redduntur. Tres enim ibi scatent fonticuli dulcis aquæ, qui tunc primum erupisse dicuntur, cum Pauli caput excisum tribus se saltibus vi quadam spiritus diuinitus agitauit: quorum primus dulcior lactis saporem aliqua ex parte reddat; ceteri, quamuis haud longe a primo distent, paulo diuersum gustui saporem afferant. cuius rei ea ratio solet afferri, quòd ipso primo fluxu lac venæ dederunt, ac inde sanguinem. Qui quidem locus plane celeberrimus, Trium fontium dictus, frequenti Christianorum visitatur concursu. Sudarium vero Plautilla recepit, cum ministerio expleto, Apostolus eidem per visum apparuit. illudq. esse putatur, quod Constantina Augusta, magna instantia apud sanctum Gregorium Romanum Pontificem agens, ad se mitti postulauit: qui haud sibi concessum esse, quòd vna cum corpore eodem clauderetur sepulchro, quod aperire nefas esset, litteris ad eam redditis, excusauit[a]. Corpus vero Apostoli a Lucina clarissima femina senatoria sublatum, in suo prædio via Ostiensi honestissimo tumulo locatum fuit. At de Pauli martyrio hactenus.

DE MIRACVLO TRIVM FONTIVM. B C

[a] *Greg. reg. lib. 2. epist. 3.*

XIV. PAVLI APOSTOLI EFFIGIES. De effigie vero eiusdem atque statura, operæpretium nos facturos existimamus, si quæ ab antiquioribus scriptoribus memoriæ commendata habentur, his addamus. Nam in primis hic repetenda ducimus, quæ Triephon Critiam catechumenum instituens apud Lucianum sic loquitur[b]: Ego, inquit, docebo te quid sit vniuersum, & quid fuerit ante omnia, & quæ item constitutio, quodve corpus vniuersi. Quando enim me Galilæus ille conuenit recaluaster, naso aquilo, qui tertium vsque ad cælum per aerem ingressus est, quæq. optima & pulcherrima sunt inde didicit; per aquas nos renouauit, in beatorum vestigia insistere fecit, & ex impiorum regionibus nos reduxit.] hucusque ille; quem equidem his coloribus atque notis non alium quàm Paulum descripsisse, omnes credimus facile intelligere: nam aliquem alium Apostolorum, vel aliorum Christianorum, tertium cælum conscendisse, nouimus neminem. Staturam vero ipsius haud proceram fuisse, sed potius breuiorem, tum ea quæ ipse de se, tum quæ Chrysostomus scribit, facile ostendunt. Ad Corinthios[c] enim secundo scribens, quæ de se aliqui dicerent, refert his verbis: Epistolæ, inquiunt, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma.] Quamobrem haud grandiori eum fuisse statura, interpretes æque consentiunt: his enim alludit Ioannes Chrysostomus[d] dicens: Qui tricubitalis est, & cælum attingit.] His omnibus ea consentiunt, quæ demum a Nicephoro[e] his verbis narrantur: Paulus autē corpore erat paruo & contracto atque incuruo & paululum inflexo, facie candida, annosq. plures præseferente, & capite modico: oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant; nasus pulchre inflexus, idemq. longior; barba densior, & satis promissa, eaq. non minus quàm capitis coma canis respersa erat.] hæc ipse: quæ haud aliunde putamus quàm ab antiquioribus imaginibus esse accepta. A Christianis enim, qui ex Gentilibus credidissent, Petri & Pauli imagines olim fuisse, viuentibus illis, effigiatas coloribus, easdemq. ad posteros per manus traditas, Eusebius[f] testatur sic dicens: Nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis colorum varietate expressas conseruataſq. aspeximus: idq. propterea (sicut verisimile est) quòd maiores nostri ad Gen-

[b] *Lucianus in Philop.*

D

[c] *2. Cor. 10.*

[d] *Chrysost. hom. de Princip. Apostol. tom. 5.*

[e] *Niceph. lib. 2. cap. 37.*

E

[f] *Eusseb. histor. lib. 7. c. 14.*

A ad Gentilis consuetudinis similitudinem quàm proxime accedentes, eos qui tamquam saluatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidij attulissent, apud se honore in hunc modum afficere consueuerant.] hæc Eusebius. At de Paulo satis: ad Petrum iam redeamus.

XV. DE LOCO MARTYRII S. PETRI. Quod in primis ad locum martyrij pertinet: cum nulla sit dubitatio, eum Transtiberim, vbi Iudæi agere consueuissent, ad supplicium crucis subeundum fuisse transmissum: quo potissimum loco eius regionis fuerit affixus cruci, est diligentius exquirendum. In Actis passionis eius, quæ Lini nomine scripta feruntur, hæc scripta habentur: Peruenit denique vna cum Apostolo & apparitoribus populus infinitus ad locum qui appellatur Naumachia, iuxta obeliscum Neronis in monte.] Rursus vero in libro de Romanis Pontificibus, qui fertur nomine Damasi, dum agitur de sepultura
B Petri, hæc scripta habentur: Sepultus est via Aurelia ad templum Apollinis, iuxta locum vbi crucifixus est, iuxta palatium Neronianum, in Vaticano, iuxta territorium Triumphale.] hæc ibi: Sed plane loca esse confusa noscuntur, vt locus sepulturæ credatur idem cum eo vbi est crucifixus: at certe diuersum fuisse, quæ dicturi sumus, facile declarabunt.

XVI. VATICANVS COLLIS ATQVE IANICVLVS. Enimvero antequam de Petri crucis loco agamus, necessarium ducimus de ipso Vaticano colle atque Ianiculo pauca differere, atque etiam elucidare. Scimus complures, licet eruditos, errore lapsos esse, putantes Vaticanum collem illum tantum dici debere, vbi nunc cernitur posita nobilissima basilica Vaticana: et Ianiculum modico illo contineri spatio, quo trans viam Triumphalem leui tumulo exurgens, atque ad sublimiora scandens, terminatur illa planicie quæ vergit ad Auentinum. Hos insigni-
C ter decipi, perspicue demonstrabimus. Et in primis quanto amplioribus spatijs maiores Ianiculum mensi fuerint, Dionysius Hallicarnassæus[a] his verbis indicat: Venientes percurrerunt populando vsque ad Tiberim & montem Ianiculum, ad vigesimum ab Vrbe stadium & vlterius.] quibus sane demonstrat, totum illum vsque ad pontem Miluium porrectum montem appellatum esse Ianiculum. Nam quonam pacto, quæso, ad viginti stadia distare ab Vrbe Ianiculum ait, cum eius montis pars illa propinquior, quam hi putant tantum dici Ianiculum debere, vix duobus stadijs distet ab ea? Omnes igitur colles illi, qui modicarum vallium interstitio sibi coniuncti, ab eo termino qui est proximus Auentino atque Vaticano, continuantur, & super prata Mutia porriguntur, ac prope pontem Miluium terminantur, Ianiculus a maioribus dicebantur. Sed hæc omnia etiam clariora redduntur ex his quæ Martialis[b] habet de
D hortis suis, quos cum dicat positos in Ianiculo, tamen prope pontem Miluium sitos esse, his versibus declarat:

[a] *Dionys. Halicarn. lib. 9.*

[b] *Martial. epigram. de hortis suis lib. 4.*

Longo Ianiculi iugo recumbunt.] ac inferius:
Cum sit tam prope Miluius, sacrumq.
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.]

His & alijs quæ eodem auctor habet epigrammate, manifeste erasse noscuntur qui hortos Martialis in ea parte Ianiculi posuerunt, quæ erat Vrbi vicinior, respiciens contra theatrum Pompeij. At mea quidem sententia, descriptus a Martiale ceteris eminentior collis ille videtur, qui (vt ipse scribit) propinquior ponti Miluio, reliquis vicinioribus collibus altior supereminet: cui quidem assertioni cetera etiam, quæ a Martiale ibidem illis versibus sunt scripta, respondent.

E Præterea vero sicut Ianiculus longe porrectus protenditur (vt dictum est) vsque ad pontem Miluium; ita Vaticanus non illa tantum Ianiculi parte continetur, in qua est hodie basilica Vaticana: sed Vaticanum quoque appellatam esse eam Ianiculi regionem, quæ versus Auentinum in longum porrecta, a latere trans flumen oppositum habebat theatrum Pompeij, Horatius[c] his versibus demonstrare videtur: XVII.

[c] *Horat. lib. 1. carm. oda 20.*

——— *datus in theatro*
Cum tibi plausus,
Care Mæcenas eques, vt paterni
Fluminis ripæ, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.]

Vbi Porphyrio: Vaticanum, inquit, montem non longe esse a theatro Pompeij scimus;

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus; quem resonuisse simul cum ripis populi plausus dicit.] hæc ille: eadem & Macro. A
Ex quibus declarari videtur, partem eam Ianiculi, quam hodie frequentius Latine
DE LOCO VBI PETRVS CRVCIFIXVS EST. ipsum Ianiculum nominamus, Vaticanum quoque esse dictam: vt ex his iam liquido
appareat, nequaquam a veritate aberrasse eos qui dixerunt passum esse Petrum in Va-
ticano; nec tolli quo minus æque verum sit, ipsum in ea Ianiculi parte, vbi eius rei ex-
tat memoria recens honorifice restituta, fuisse cruci affixum; quæ & pariter (vt vidi-
mus) Vaticanus diceretur: idemq. locus postea, puto honoris causa, ob nobilem Pe-
tri triumphum, Mons aureus dici meruit; quod nomen frequentiori vsu hactenus per-
seuerat. Certe inter alia Vrbis loca, in quibus Christianos martyrio affici consueuisse
[a] Prud. Peristeph. hym. 11. Prudentius[a] scribit, Ianiculus adnumeratur. sic enim canit his versibus:

Ianiculum cum iam madidum, fora, nostra, Suburram
Cerneret cluuie sanguinis affluere.] B

ea enim loca potissimum Christianorum carnificina in Vrbe nobilitata fuisse viden-
tur; cum alioqui (vt dictum est) extra Vrbem mortis reos duci consueuisse, more ma-
iorum, certum sit.

XVIII. Ceterum in ea quoque Vaticani parte, in qua Circus Neronis erat, simul & horti,
[b] Tacit. lib. 15. [c] Hieronym. de Script. Eccl. in. iussu eiusdem Imperatoris quamplurimos Christianos sæuissime fuisse necatos, ex Ta-
DE LOCO SEPVLTVRAE PETRI. cito[b] superius demonstrauimus. Verum locum illum sepulturæ potius quàm martyrij
fuisse putamus: siquidem Hieronymus[c] ait, sepultum fuisse in Vaticano iuxta viam
Triumphalem. Distinctus plane fuisse videtur locus sepulturæ ab eo vbi martyrium
subijt: nam non vnum eumdemq. fuisse, ipse nuper citatus liber de Romanis Pontifi-
cibus docet, dum ait sepultum fuisse iuxta locum vbi crucifixus est: qui quòd in eo-
dem monte situs esset, satis propinquus esse videri poterat: ac sic ille vere (quod dixi- C
mus) locus martyrij fuisse dicatur, qui in summo Ianiculo positus, eiusdem rei gestæ
memoria est insigniter illustratus. cui quidem loco & cetera superius recitata, præter
illa quæ habentur de obelisco, aptari posse videntur: nam ibidem haud procul a mon-
te deorsum in plano prope Tiberim posita Nàumachia erat, quæ ab alijs Iulio Cæsari,
[d] Dio in Neron. [e] Tacit. lib. 15. ab alijs vero Augusto adscribitur: nam auctor est Dio[d], Naumachiam ab Augusto fa-
ctam: Tacitus[e] vero eumdem locum nominat stagnum Agrippæ, vbi in nauibus Ne-
ro epulum lautissimum exhibuit. Ceterum a Nerone nonnisi Circum ad agitandos
equos in Vaticano fuisse constructum, Tacitus tradit: nec quempiam antiquorum in-
uenimus, qui Naumachiam a Nerone in Vaticano factam esse meminerit: siquidem
(vt idem qui supra auctor est Dio) Naumachiam cum exhibuit, bellum videlicet Persa-
rum cum Athenienſibus, illam non in Circo, sed in theatro ab eo editam tradit. Vbi D
nam autem fuerint stagna Neronis, ab eodem ædificata ad eiusmodi exhibenda specta-
[f] Martial. lib. 1. epigram. 2. cula, satis expressum habetur a Martiale[f], qui describens ingentem molem amphithea-
tri Domitiani Cæsaris, inter alios habet hos versus:

Hic vbi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.]

meminit & in fine eiusdem libri primi Epigrammatum de eodem Neronis stagno. Ex
his igitur hæc summatim colligimus, passum esse Petrum supplicium crucis in ea sum-
mitate Ianiculi, seu Vaticani montis, quæ esset imminens Naumachiæ deorsum iuxta
Tiberim positæ: sepultumq. in ima Vaticani parte, apud quam Neronis horti essent,
& Circus cum obelisco. hæc de loco.

XIX. Quod ad supplicium crucis spectat: omnium sanctorum Patrum sententia liquet, E
DE CRVCIS SVPPLICIO. [g] Hier. de Scrip. Eccl. c. 1. ipsum capite deorsum verso, & in sublime pedibus eleuatis, cruci confixum fuisse;
idq. factum ex animi sui sententia, cum assereret se indignum (vt verbis[g] Hieronymi
vtar) qui sic crucifigeretur vt Dominus suus. Prætermittimus referre, quæ in dictis
Actis passionis eius, Lini nomine inscriptis, de eiusmodi inuersæ crucifixionis myste-
rio fusius disseruntur: sed quæ tantum ab antiquis Patribus memoriæ sunt commenda-
ta, velut quædam passionis eius trophæa nobilissima, recensebimus: et in primis quæ
[h] Orig. in Genes. apud Euseb. lib. 3. c. 1. Origenes[h] ceteris antiquior scribit in hæc verba: Petrus ad extremum Romæ cum ver-
saretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci affixus est.] S. Augu-
[i] Aug. serm. de sanct. 28. stinus[i] de his agens, hæc ait: Currunt itaque vterque ad palmam martyrij, & vterque
perueniunt ad coronam.] et paulo post: Petrus pro Christo capite deorsum verso in li-
gno suspenditur: Paulus pro Christo gladio trucidatur. Ille proprijs greſſibus profici-
scebatur

A scebatur ad Christum; oculisq. ad superiora respiciens, beatum spiritum deducebat ad
cælum.] At Chrysostomus[a]: Gaudeas, inquit, Petre, qui ligno crucis fruitus es, & ad [a] Chrysost. hom. in Princ. Apost.
Magistri similitudinem recta quidem figura sicut Dominus noster crucifigi noluisti,
sed magis inuerso capite, veluti e terra ad cælum iter parans. O clauos illos beatos, qui
membra illa sanctissima pertransierunt.] Sed & Prudentius[b] hæc quoque his versibus: [b] Prud. Peristeph. hym. 12.

Prima Petrum rapuit sententia, legibus Neronis
Pendere iussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri,
Exigit vt pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
B *Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,*
Hoc mente mator, quo minor figura.]

Maximus[c] præterea: Hic est, inquit, Petrus, qui dum ad crucem tamquam Christi di- [c] Max. in Nat. Apost. serm. 1.
scipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non timuit, sed æqua- MYSTERIVM CRVCIFIXIONIS PETRI.
litatem crucis Dominicæ declinauit; vt ostenderet vniuersis, admirandæ se humilita-
tis virtutem, nouiq. mysterij disciplinam & inter tormenta seruasse.] Theodoretus
aliam quoque affert causam, sic dicens[d]: Cum ad mortem crucis a Nerone damnatus [d] Theod. orat. de charit.
esset, rogauit carnifices, ne similiter atque Dominus trabi affigeretur, sed contrario
modo. Veritus (quod est verisimile) ne eadem passio eumdem sibi ab insipientibus ho-
norem conciliaret; ideo rogauit vt manus inferius, superius autem pedes affigerentur.]
hæc ille. Sunt de his aliorum sanctorum Patrum testimonia, atque etiam præconia:
C sed hæc satis pro instituti ratione.

Cum in cruce sic affixus martyrium consummasset, a Marcello presbytero[e] eius cor- XX.
[e] Act. Lini. pus curatum, aromatibusq. conditum magnificentissime more regio, nedum Iudaico
traditur sepulturæ. Alia enim ab his diuersa erat Romanorum consuetudo: nam de his
Neronis temporibus, cum agitur de Poppæa Augusta defuncta, hæc Tacitus[f]: Cor- [f] Tacit. lib. 16.
pus eius non igni abolitum, vt Romanus mos, sed Regum externorum consuetudine
differtum odoribus conditur.] Sepultum fuisse Petrum in Vaticano, non tantum cita-
ta a nobis superius testimonia, sed & Prudentius[g] monstrat his versibus: [g] Prud. aduer. Sym. lib. 1. LOCVS IN VATICANO VBI PETRVS SEPVLTVS.

Aut Vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses.]

Sed quod ad loci faciem spectat; fuisse illam partem Vaticani oliuis feracem, & fonte
D irriguam, idem ipse Prudentius docet his versibus[h]: [h] Prud. Peristeph. hym. 12.

Dextra Petrum regio tectis tenet aureis receptum,
Canens oliua, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitauit
Fontem perennem chrismatis feracem.]

Sic igitur glorioſissimo martyrio tam Petrus quàm Paulus vita functi sunt; locaq. XXI.
ipsa vbi eorum sacra corpora sepulta fuerunt, non quidem obscura, sed (quod miran- CLARISSIMA APOSTOLORVM MEMORIA.
dum est) inter persecutores absque iactura vel contumelia aliqua, clarissima remanse-
runt, eademq. velut nobilissima trophæa victoriæ a Christianis summo honore sunt
habita. Est de his testis locupletissimus Caius antiquus Theologus, quem temporibus
Zephyrini Papæ vixisse, Eusebius[i] tradit, qui & hæc ipsum dicentem inducit: Ego, [i] Euseb. lib. 2. cap. 24.
E inquit, Apostolorum trophæa perspicue possum ostendere. Nam si lubet in Va-
ticanum proficisci, aut in viam quæ Ostiensis dicitur, te conferre; trophæa eorum,
qui istam Ecclesiam suo sermone & virtute stabilierunt, inuenies.] hæc ipse. Consue-
uisse Christianos, etiam persecutionis tempore, non tantum qui Romæ erant, sed ex
remotioribus tã Orientalis quàm Occidentalis orbis partibus Romam venire, vt vene-
randa Apostolorum sepulchra inuiserent ac venerarentur, historiæ complurium san- [k] Sur. tom. 1. 14. Febr. & Roman. Martyrol. 19. Ianuar.
ctorum martyrum declarant. Nam ex Perside venisse constat Martham, Marium,
& Audifacem temporibus Claudij Iunioris, sub quo etiam martyrio sunt coronati, vt
ipsorum Acta demonstrant[k]: idq. & Maurus, qui etiam martyrium subijt, fecisse repe- [l] Martyrolog. Rom. 22. Nou.
ritur, & alij[l]. Verum locum Petri fuisse miraculis quoque celebrem, verba illa [m] nu- [m] Extant apud Sur. in Actis S. Alex. Papæ, die 3. Maij.
tricis Hermetis significant, quibus ait: Tu si ad limina Petri duxisses eum, & Christo
credidisses, hodie filium tuum haberes incolumem.]

Porro

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXII. ORIENTALES CONATI SVRRIPERE CORPORA APOSTOLORVM.

Porro tentasse Orientales Christianos hoc eodem anno surripere sacra corpora Apostolorum, & in Orientem transferre, ac vti suos gentiles sibi vendicare, Gregorius Papa ad Constantinam Augustam scribens, testatur his verbis [a]: Eo tempore quo passi sunt, ex Oriente venerunt, qui eorum corpora, sicut ciuium suorum, repeterent: quæ ducta vsque ad secundum Vrbis milliarium, in loco qui dicitur ad Catatumbas, collocata sunt: sed dum ea inde leuare omnis multitudo eorum conueniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, vt talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex pietate Domini meruerunt, leuauerunt, & in locis quibus nunc sunt condita, posuerunt.] hæc Gregorius. A

a Gregor. lib. 3. epist. 30.

XXIII. CVLTVS S. PETRO EXHIBITVS AB IMPERATORIBVS.

At reddita Ecclesiæ pace, Christiani Imperatores eadem inuisere, venerari, & debito religionis obsequio colere, studiosius quæsierunt, ac propensius curauerunt. De his enim hæc S. Augustinus [b]: Nunc, inquit, ad memoriam piscatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia piscatoris.] et alibi scribens ad Madaurenses [c]: Videtis & Imperij nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulchrum piscatoris Petri, submisso diademate, supplicare.] Et Chrysostomus [d]: Seruorum Christi splendida sunt sepulchra, quæ Vrbem maxime regiam occupauerunt, & dies perspicui sunt: diem festum terrarum orbi facientes, non ædificiorum amplitudine & splendore (hac enim parte excellunt) sed, quod amplius est, conuenientium studio. Nam & ipse ille purpura indutus peregre proficiscitur, sepulchra illa complexurus; & fastu deposito, contingit sanctos, rogans vt sibi apud Deum patrocinentur; & tabernaculorum opificem & piscatorem patronos etiam mortuos deprecatur ille diadema gestans.] hucusque Chrysostomus. Hæc quàm sint vera, ipsæ Gallæ Placidiæ Augustæ [e] litteræ ad Pulcheriam Augustam testantur his verbis, dum sui in Vrbem aduentus ad limina Apostolorum causam reddit, sic dicens: Vt Romam frequentibus concursionibus adæque desideremus inspicere, causa est nobis amplectendæ religionis, vt terminis sanctorum nostram exhiberemus præsentiam: quos certum est pro sua virtute in cælestibus constitutos, neque inferiora despicere. Nos itaque sacrilegium esse credimus, si solemnium ordinem denegemus.] hæc ipsa. In hanc eamdem sententiam idem qui supra [f] Chrysostomus: Relictis omnibus, ad sepulchra piscatoris & pellionis currunt & Reges, & Præsides, & milites. Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantq. piscatorum ostiarij Reges.] B C

b Augustin. de Sanct. serm. 28. in fine.
c Aug. epist. 42.
d Chrysost. in 2. ad Cor. 12. hom. 26.
e Habentur in præamb. Conc. Chalced.
f Chrysost. hom. Quod Christ. sit Deus.

XXIV. DE PAVLI SEPVLCHRO.

Idem alibi [g] cum agit de eorumdem sepulchris, hæc de Pauli theca: Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre puluerem corporis illius, quæ adhuc in Christo deerant implentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelij vbique seminantis; puluerem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est?] et paulo post: Vellem videre sepulchrum, quo recondita sunt arma iustitiæ, arma lucis, membra nunc viuentia, tunc vero cum in hac vita essent, mortua.] et alibi [h]: Nullus ex Romanis Regibus tanto in honore fuit, quanto hic est. Cererum Imperator foris alicubi iacet abiectus: hic autem velut viuens & regnans tenet.] Idem de Petri sepulchro [i]: Quot Reges vrbes euerterunt, portus extruxerunt, & nominibus suis inscriptis decesserunt; nec tamen eis quicquam profuit, sed silentio & obliuioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est prosecutus, & ciuitatem maxime regiam occupauit, etiam post mortem resplendet Sole clarius.] D E

g Chrysost. in epist. ad Rom. homil. 32.
h Chrysost. in 2. ad Tim. hom. 4.
i Chrysost. hom. in Psal. 48.

XXV. VRBIS MVNITIO CORPORA APOSTOLORVM

Horum sepulchris Vrbem esse munitam, alibi idem Chrysostomus tradit, cum ait [k]: Hoc corpus plebem hanc munit, quod quauis turri, innumerisq. mœnibus ac vallis est tutius: et cum ipso corpus etiam beati Petri, &c.] Eadem & Christianus nobilis poeta Venantius Fortunatus versibus cecinit [l]; quæ velut sepulchrorum ipsorum hic epitaphium sunto:

k Idem in epist. ad Rom. homil. 32.
l Venant. Fort. lib. 3. carmin.

Cælorum portæ, lati duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgurat arce Petrus.
Inter Apostolicas radianti luce coronas
Doctior hic monitu, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, & astra per illum:
Quos docet ipse stylo, suscipit ille polo.

Pandit

Pandit iter cælis hic dogmate, clauibus alter:
Est via cui Paulus, ianua fida Petrus.
Hic petra firma manens, ille architectus habetur:
Surgit in his templum, quo placet ara Deo.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres Vrbs caput Orbis habet.
Hi radiant oculi pretioso in corpore Christi,
Lumine qui proprio cetera membra regunt.]

Quàm autem hæc de protectione Vrbis sint vera; cum innumera sint exempla suis locis inferius recitanda, vnum modo satis habeatur Gregorij Romani [a] Pontificis testimonium ex his quæ experimento didicit: sic enim scribit ad Rusticianam Patriciam, rogans vt Romam veniret: Si gladios Italiæ & bella formidatis; solicite debetis aspicere, quanta beati Petri Apostolorum Principis in hac Vrbe protectio est; in qua sine magnitudine populi, & sine adiutorijs militum, tot annos inter gladios illæsi Deo auctore seruamur.] hæc Gregorius. A B

a Greg. lib. 7. epist. 33.

XXVI. VRBS ROMA AB APOSTOLIS SERVATA.

At quis eruditus ac prudens, velut e sublimi specula mentis oculis lustrans Orbem, & omnes qui vmquam fuerunt principatus & regna considerans, non intelligat ea omnia Principum in eis regnantium sceleribus esse conuulsa, ac funditus perijsse, Romanum vero Imperium sub tot tantisq. illud regentibus feralibus monstris nonnisi diuina virtute potuisse subsistere? Quo enim potissimum tempore sub omnium scelestissimo Imperatore ipsum Romanum Imperium in maiori videretur positum esse discrimine: eidem, veluti collabenti parieti trabe suffulto, crucis virtute succurritur; & duabus hisce viuis columnis in medio nutantis molis erectis, Vrbi cum Imperio pariter casuræ opportune consulitur. Iam enim sæculum ipsum aduenerat, quando antiquo oraculo Tiberij Imperatoris temporibus peruulgato, finem Romani imminere Imperij dicebatur. Recitans illud Dio [b], sic ait: In primis omnes commouebat recordatio oraculi, quod decantatum fuerat Tiberij temporibus. id erat: C

b Dio in Neron.

Τελὸς δ' ἔσεσθαι πιεστελλομένων ἐνιαυτῶν
Ῥωμύλου ἔμφυλος ὀλοῇ στάσις.] Latine sic redditur:
His tertrecentis circumuoluentibus annis
Seditio perdet Romanos.]

Quæ autem, quantaue post Neronis occubitum concitata fuerint bella ciuilia, vt anno vno tres occisi fuerint Imperatores, paulo inferius dicturi sumus. Sicq. aduenisse iam tempus oraculi, æque omnes non immerito existimarunt. D

XXVII. PRODIGIA IMMENSA SVB NERONE.

Verum hæc visa sunt nonnullis portendere prodigia numquã antea præteritis sæculis visa: quæ Plinius [c], qui tunc viuebat, eaq. videbat, sic scribit: Non minus mirum ostentũ cognouit ætas anno Neronis Principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus; pratis, oleisq. (intercedente via publica) in contrarias sedes transgressis in agro Marrucino, prædijs Vettij Marcelli equitis Romani, res Neronis procurantis.] Refert hæc idem itẽrum alibi his verbis: Super omnia, quæ vmquam audita sunt, erit prodigium in nostro æuo Neronis Principis ruina, factum in agro Marrucino Vettij Marcelli e primis equestris ordinis, oliueto vniuerso viam publicam transgresso, aruis inde e contrario in locum oliueti profectis.] At quid idem Plinius amplius? Amnes, inquit [d], retro fluere, & nostra vidit ætas, Neronis Principis annis postremis, sicut in rebus eius retulimus.] Hæc cum scribat Plinius, nemo dubitet fuisse verissima. Nam qua ratione mentiri eum oportuit, cum viuentes adhuc extarent testes, qui eum mendacij turpiter arguissent? E

c Plin. lib. 2. c. 83. & lib. 17. c. 25.
d Plin. lib. 2. cap. 103.

XXVIII. MVTATIO RELIGIONIS PRODIGIIS ANNVNCIATA.

Cum igitur hæc sic se habeant, & rerum in meliorem statum mutationem portendisse visa sint illis: interpretetur hæc, qui velit, Neronis præmonstrasse interitum. Nam qui, rogo, melior secutus est rerum status, cum sub tribus, qui successerunt, Imperatoribus, Galba, Othone, & Vitellio, tribus bellis ciuilibus visum sit Romanum Imperium penitus conflagrasse, & alia complura deploranda plane ab omnibus accidisse, quæ breui compendio Tacitus [e] collegit? Quòd si postea Vespasiani Imperio cuncta visa sint floruisse: cito tempus illud, velut dies Alcyonij, est præterlapsum: nam qui illi successit Domitianus, tempora Neroniana restituit. His igitur consideratis, verior visa est illa prodigiorum interpretatio; nimirum, vt per ea signa, religionis in melius mutatio monstraretur, de qua Prudentius [f] hisce versibus:

e Tacit. lib. 1. hist.
f Pruden. Peristeph. hym. 2. de S. Laurent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Discede adulter Iuppiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebemq. iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri:
Tibi, id quod ipse amaueras,
Factum Neronis officit.]

XXIX. Sed quàm egregie Romana Ecclesia perfusa Apostolorum Principum sanguine fuerit illustrata, Tertullianus [a] his explicat: Felix, inquit, Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Ioannes Apostolus, postquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.] et alibi [b]: Orientem fidem primus Nero cruentauit. Tunc Petrus ab altero cingitur, cum cruci affigitur. Tunc Paulus ciuitatis Romanæ consequitur natiuitatem, cum illic martyrij renascitur generositate.] Rursum de eadem Romana Ecclesia hæc Theodoretus [c]: Habet autem communium quoque Patrum & veritatis doctorum Petri & Pauli sepulchra, quæ Fidelium animas illuminant. Horum autem beatissimorum par plane diuinum exortum quidem est in Oriente, & radios in omnem partem emisit: in Occidente autem prompto & alacri animo vitæ suscepit occasum, & nunc illinc orbem terræ suis radijs illustrat: ij vestram sedem effecere magis illustrem: ea est vestrorum bonorum colophon.] hæc ille. At non omittimus quæ itidem de illustrata Vrbe Apostolorum sepulchris Ioannes Chrysostomus [d] scribit; nosq. ea velut corollarium, licet omnibus pene vulgata, hic ad postremũ addimus: Ego, inquit, Romam propterea diligo; tametsi & aliunde queam illam laudare, nempe a magnificentia, ab antiquitate, a pulchritudine, a multitudine, a potentia, a diuitijs, & a rebus in bello fortiter gestis: sed relictis omnibus istis, ob id illã beatam prædico, quòd erga illos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram disseruit, & postremo vitam apud eos finiuit. Vnde & ciuitas ista hinc facta est insignis plusquàm a reliquis omnibus: et quemadmodum corpus magnum ac validum, duos habet oculos illustres, sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cælum splendescit, quando radios suos Sol ex sese dimittit, quemadmodum Romanorum Vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Paulus, hinc Petrus: considerate & horrete, quale spectaculum visura sit Roma, Paulum videlicet repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Qualem rosam Christo mittet Roma? Qualibus coronis duabus ornatur Vrbs ista? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc Vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ.] hucusque ipse.

[a] *Tertullian. de præscript.* ROMA ILLVSTRATA SANGVINE APOSTOLORVM.
[b] *Idem in Scorpiaco.*
[c] *Theodoret. in epist. ad sanct. Leon. Pont.*
[d] *Ioan. Chrysost. in epist. ad Roman. hom. 32.*

XXX. Ad hæc etiam addimus, quod non tantum sepulchra Apostolorum magno sunt honore habita, sed & ipsa passionis instrumenta. Siquidem vincula, quibus Petrus in carcere vinctus fuit, perquisita atque inuenta, Balbina virgo [e] filia Quirini Tribuni est summopere venerata. Quæ custodita, & ad posteros per manus transmissa, indita eis diuina virtute, miraculis coruscarunt: qua de re a Patribus mirificis præconijs sunt prædicata: ex illis enim tenuia ramenta Christianissimos Principes ad collum religionis causa gestare consueuisse, suo loco dicemus. Ac demum (quod vltimo loco dicimus) tantum abfuit vt Principibus Apostolorum glorioso martyrio vita functis, credentium fides tepuerit, vt magis magisq. fuerit propagata: eorum enim exemplo incensa sunt corda credentium, magnoq. fœnore numerus martyrum est Romæ auctus, vt sanctus Leo [f] his explicat verbis: Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina seminis in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur: qui Apostolicorum æmuli triumphorum, Vrbem nostram purpuratis & longe lateq. rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt.] Sed de his modo satis.

DE VINCVLIS PETRI.
[e] *Acta Alexãd. Pap. apud Sur. 3. Maij.*
[f] *S. Leo ser. 1. in Natal. Apost.*

XXXI. His itaque de martyrio Petri postremo loco narratis; qualis eiusdem corporis effigies atque

A atque statura fuerit (nam de Paulo superius actum est) quæ ab alijs scripta inuenimus, recitabimus. Diximus nuper Eusebij [a] auctoritate, eos qui ex Gentibus ab Apostolis prædicatam Christi fidem accepissent, accepti tam immensi beneficij memores, illorum imagines coloribus vel alio modo exprimendas curasse. testaturq. idem auctor, se in hunc modum Christi Domini & Apostolorum Petri & Pauli pictura expressas imagines a maioribus conseruatas aspexisse. Affirmat & Augustinus [b], effigiari consueuisse Christi imaginem hinc inde Petrum & Paulum (quod & alias diximus) pictos habentem. Ex his igitur haud difficile fuit, vt ipsorum vultus quibusdam lineamentis, maiori saltem ex parte, hisce imaginibus haberentur expressi: quæ etiam scriptorum monumentis fuerunt ab alijs memoriæ commendata. Nam & Nicephorus [c] his verbis Petri imaginem reddit: Petrus quidem haud crassa corporis statura fuit, sed quæ aliquan-
B to esset erectior, facie subpallida & alba admodum: capilli & capitis & barbæ crispi & densi, sed non admodum prominentes fuere: oculi quasi sanguine respersi, nigri: supercilia prope euulsa: nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus, simusq. magis.] hæc ille. Sed ea de oculis sanguineis sic accipe, quòd assiduo ploraſſe feratur.

[a] *Euseb. hist. lib. 7. c. 14.*
[b] *Aug. de consens. Euang. lib. 1. c. 10.*
[c] *Niceph. lib. 2. c. 37.* PETRI EFFIGIES.

At non Petrus tantum, sed & vxor Petri perstans in fidei Christianæ confessione, & ipsa quidem digna tanto viro vxor, adepta est palmam martyrij. Quando autem id acciderit, non satis constat; licet compertum habeatur, ante Petrum eam illud obijsse certamen, cum de vtroque hæc scribat Clemens Alexandrinus [d]: Aiunt certe, beatum Petrum, cum vidisset vxorem suam duci ad mortem, lætatum quidem esse propter vocationem, & quòd domum reuerteretur: valde tamen exhortando & consolando, proprio nomine eam compellantem dixisse: Heus tu, memento Domini. Tale
C erat beatorum matrimonium.] hæc Clemens. Verum qui coniugem habuit Petrus, filiam quoque ex ea genuisse traditur, eamdemq. susceptam antequam ad supremam Apostolatus dignitatem assumeretur a Domino. nam constat tum Tertulliani, tum S. Hieronymi (vt alias fusius dictum est) sententia, coniugatos Apostolos, ex quo a Christo vocati sunt, fuisse ab vxoribus continentes. Ceterũ quòd Petronilla sit dicta, in baptismate potius, more maiorum, cum renata, quã cum nata est, oportuit contigisse: nam eo tẽpore Simon, & non Petrus, parens eius, ex quo ipsa nomen accepisse videtur, appellabatur: cum præsertim haud vsu frequenti receptum esset apud Hebræos, vt filij a parentibus nomen sumerent deriuatum, ac molli vocis inflexione ac desinentia diminutum; nisi a Romanis illud mutuati essent, vt Drusilla & Priscilla, quarum me-
D minit Lucas [e] in Actis. Quinetiam magis proprie Petronilla a Petronio, quàm a Petro deducta videri posset: nam a Petro Petrilla, vt a Prisco Priscilla, a Druso Drusilla, dicenda potius videretur. Erat autem Romæ nobilis familia Petronia [f], licet olim equestris tantum ordinis, ex qua Petronij complures viri clarissimi, vt ille qui nuper sub Caio Caligula missus est Præses in Syriam, vir egregia probitate spectatus, de Iudæis optime meritus, cuius opera templum Hierosolymitanum ab eiusdem Imperatoris immani impietate seruatum est (vt diximus superius) impollutum.

[d] *Clem. Alex. Strom. lib. 7.*

XXXII. VXOR PETRI MARTYR.

[e] *Act. 18. & 24.*
[f] *Valer. lib. 4. c. 7.*

Qua ratione sæpe in mentem venit dubitare, num sic dicta fuerit Petronilla filia Petri, sicut ab eodem Apostolo [g] nominatus est Marcus filius suus, cum ait: Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone, & Marcus filius meus.] cum præsertim Marcelli
E presbyteri epistola, qua agitur de eadem Petronilla Petri filia, eam dicat adeo fuisse formosam, vt Flaccus vir nobilis eam ardentissime adamarit: nam cum Petri filia ante Apostolatum (vt diximus) nata, iam prouectioris essẽt ætatis, haud putandum tam excellentis formæ fuisse, vt eam homines deperirent. Nam si obitus Petronillæ tunc contigit, quando Nicomedes presbyter, qui a Flacco teneri iussus est, statim vt corpus Feliculæ sepulturæ mandauit, martyrium consummauit (quod Vsuardus in Nicomede accidisse tradit sub Domitiano Imp.) plane dicendum esset, eam tunc fuisse sexagenariam: sin vero eam sequenti anno a Petri martyrio esse defunctam dixerimus (quod nemo tradit) fuisse eam iam quadragenariam affirmandum esset: cui ætati si iugem morbum addas, quo eam afflictatam esse Acta tradunt; plane haud eiusmodi potuit esse præstantis formæ, vt Flaccus eam tam vehementer amaret. Quamobrem ea quæ Marcelli nomine scripta habetur epistola, nonnihil fide minuitur. Sed & de fide il-

XXXIII. DE PETRONILLA.

[g] *1. Pet. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Auguſt. contr. Adim. c. 17.

lius epiſtolæ nos ambiguos pariter reddit S. Auguſtinus [a], dũ agens contra Adimantum Manichæum, hiſtoriam de Petri filia paralytica precibus patris ſanata, cum apocryphis recenſet. Sed quicquid ſit, hæc de illa redduntur certa firmaq. maiorum traditione, compluribusq. illuſtrata monumentis; Petronillam ſanctiſſimam virginem extitiſſe, eamdemq. a maioribus nominatam eſſe, quauis ex cauſa, filiam Petri; cuius nomine conſtructum fuerit vetus ac nobile cœmeterium [b], eiuſq. natalis anniuerſaria commemoratione ſit celebris, omnibus Martyrologijs [c] ac pariter Kalendarijs illuſtrata. Sedit autem Petrus Romanæ ſedis Epiſcopus (vt ex his quæ de ſedis eius inſtitutione ſunt dicta, perfacile colligi poteſt) annis vigintiquatuor, menſibus quinque, & diebus vndecim. Si qui autem aliter annos ſedis Petri numeraſſe videantur; ex inita a nobis ſuperius ratione inſtitutæ ſedis eius, erroris arguuntur ac conuincuntur. Nam cum durante adhuc anno ſecundo Claudij, Chriſti vero quadrageſimoquinto, die decima octaua Ianuarij Romæ ſedere ipſum cœpiſſe, ſit demonſtratum; atque ſuperius itidem manifeſtiſſima ratione declaratum, hoc anno ſexageſimonono, vigeſimanona Iunij martyrio diem obijſſe; abſque dubio ſediſſe præſcripto annorum, menſium, atque etiam dierum numero reperitur. A B

b In Aliis Greg. Papa ij.
c Die 31. Maij.
ANNI SEDIS PETRI.

XXXIV. Poſtquam autem hic de Petri martyrio, atque vxoris, necnon filiæ ad Deum tranſitu actum eſt: de germani ipſius, Andreæ ſcilicet glorioſo per crucem quoque conſummato martyrio vt dicamus, inſtituti ratio a nobis videretur exigere: ſed cunctabunda diu hæſit oratio, apocryphorum præpedita timore, quo minus libere, vt aſſolet in rebus certa fide exploratis ac veris, hactenus profilierit. Quod enim in primis ad tempus ſpectat; quo potiſſimum anno paſſus ſit, apud antiquiores nulla prorſus mentio reperitur: quid autem ex recentioribus aliquis pro animi arbitrio dixerit abſque vlla teſtificatione maiorum, fides incerta ſequatur auctorem: haud enim libenter illius veſtigia aſſectamur, quem in obſcuro atque inuio tramite dux certior ac tutior non præcedat. Illud tantum de Andreæ martyrij tempore in Paſſionibus Apoſtolorum (quas, qualeſcumque ſint, ante Gelaſij Papæ tempora lectitari conſueuiſſe, certũ eſt) licuit reperiſſe: ipſum ſcilicet poſt Petrum coronatum eſſe martyrio; licet, quoto Domini anno, vel ſub quo Imperatore, inexploratum penitus relinquatur: illic enim ipſi a Ioanne Apoſtolo per viſum dictum habetur poſt aſcenſum Petri [d]: Andrea, poculum Petri bibiturus es.] hæc ibi. De reliquis autem, quoniam paſſionis Andreæ Acta a Manichæis corrupta, ab eiſdemq. citari ſolita fuerunt, remanſit eorum (vt Auguſtinus [e] declarat exemplo) in Eccleſia dubia fides. Quæ vero de Andreæ martyrio in epiſtola presbyterorum Achaiæ habentur expreſſa, digna exiſtimata ſunt vt in Eccleſia recitentur: quæ cum publica lectione nota ſint omnibus, hic ea deſcribere prætermiſimus. C D

d Paſſ. S. Andreæ, c. 20.
e Aug. de fide contr. Manich. c. 38.

XXXV. Sed ad Romanæ Eccleſiæ ſtatum deſcribendum redeamus, quam Petri martyrio afflictatam reliquimus. Verum enimvero ne tam Vrbis, quàm Orbis vniuerſalis Eccleſia, ſummo truncato capite, paſtoreq. orbata, deſtituta penitus remaneret; mox in locum Petri ſubrogatus eſt Linus natione Tuſcus, patria Volaterranus: qui ſedit annos vndecim, menſes duos, dies vigintitres. Sed quoniam alij tradiderunt poſt Petrum ſediſſe Clementem; de his omnibus exactiori diligentia eſt nobis agendum. Inualuit penes nonnullos ea ſententia, Linum nequaquam poſt obitum Petri, illi ſucceſſorem ſuffectum, Romanæ Vrbis Epiſcopum ſediſſe; ſed tantum viuente adhuc Petro, dum illum vniuerſalis Eccleſiæ ſolicitudo ab Vrbe in diuerſas Chriſtiani orbis prouincias euocaret, ordinatum eſſe coadiutorem Epiſcopum vna cum Cleto; qui ambo ſimul loco ipſius Petri obirent Eccleſiaſticas functiones: Linum vero, vrgente Neronis perſecutione, martyrio eſſe ſublatum anno ſequenti ſub Conſulatu Capitonis & Rufi. Hæc accepta eſſe noſcuntur ex libro vulgato nomine Damaſi de Romanis Pontificibus, ſed a diuerſis auctoribus (vt verius puto) collecto: nam demonſtrabimus pluribus locis continere repugnantia inter ſe, fere in vnoquoque Pontifice, in annis cuiuſque conſignandis: vt ſatis perſpicue intelligi poſſit, e duobus ſaltem auctoribus librum illum eſſe conſarcinatum, nulla habita a collectore ratione eorum quæ inter ſe pugnantia eſſe viderentur. Eamdem de Lino ſententiam ſecutus eſt Metaphraſtes [f], qui tamen in eo ab illa diſcrepat, quòd ante martyrium Petri, immo ante annum duodecimum Neronis Imperatoris, Linum fuiſſe defunctum affirmat. Scimus alios, neminem tamen ex E

LINVS SVBROGATVS PETRO.

f Metaphraſt. 29. Iunij.

antiquis,

A antiquis, eiuſdem libri de Pontificibus auctoritate permotos, neutrum, nec Linum, nec Cletum inter Romanos adnumeraſſe Pontifices Petri ſucceſſores, ſed corepiſcopos tantum eos fuiſſe, dixiſſe. At in re tanta non quid auctor incertus, quidve aliqui ex recentioribus dixerint, attendendum putamus, ſed innitendum antiquioribus certis probatiſq. rerum Eccleſiaſticarum ſcriptoribus, quibus potiſſimum & certa ratio ſuffragetur.

Sed in primis accuratius eſt diſquirendum, an ſolida veritate conſiſtant anni Romanorum Pontificum in eo libro numerati per Conſules: quantumlibet enim auctor ignoretur; ſi in eo veritas nulla ex parte vacillet, maiorem ipſa ſibi quouis alio eo nomine vindicat auctoritatem. Equidem tempora adnumerata per Conſules libentioribus ſunt accipienda auribus; cum ceteris illa frequentior, liberalior, & verior noſcatur eſſe chronographia, atque in vſum frequentiorem accepta, quæ a Faſtis deducta eſt Conſularibus. Certe quidem cum vetera monumenta in antiquis ſcriptoribus interdum inuenimus eſſe Conſulibus conſignata, magno afficimur gaudio, perinde ac ſi in tenebris oberranti fax aliqua ex optato perfulgeat. Verum ſicut ad tempora elucidanda nihil his poſſet accidere opportunius; ita ſi ab aliquo falſo coniectore vel impoſtore commenticij Conſulatus affigantur, omnia ſimul confundi, ac luce parentia mox obſcuriſſima reddi neceſſe eſt. Sed agedum, cuius ſint fidei Conſulatus in Lino poſiti, videamus. Hæc ibi ſcripta habentur: Fuit autem temporibus Neronis a Conſulatu Saturnini & Scipionis vſque ad Capitonem & Rufinum, vel Rufum Coſſ.] Hac habita per Coſſ. ratione; quidnam eſt, quòd ab alijs poſt Petrum ſucceſſor ponitur Cletus, vel Clemens; cum ex notatis Conſulibus, Linum conſtet poſt Petrum quoque ſediſſe vſque ad nonum Kalen. Octobris? An duos ſimul ſediſſe volunt? aut Linum non ſediſſe, quem idem citatus liber ſediſſe ponit? Sic igitur videas eiuſdem ſcriptionis auctoritate ratum haberi, poſt Petrum ſediſſe Linum, continuantem ſedem ſuam, qui olim non vt Pontifex, ſed vt corepiſcopus, dum vixit Petrus, ſedere cœpit: dicendumq. eſſe ea ratione, ſediſſe Linum ſaltem annum vnum, menſes duos, & dies vigintiquatuor. B C

XXXVI.

EXQVIRENDA VERITAS TEMPORVM PER CONSVLES.

Rurſum vero cum auctor poſt Linum ponat Cletum, eiuſdemq. ſedis annos his ſignet Conſulibus, dicens: Fuit temporibus Veſpaſiani & Titi, a Conſulatu Veſpaſiani ſeptimo & Domitiani quinto, vſque ad Domitianum nono & Rufinum Conſules:] ſi (vt vult) Cletus Lino ſucceſsit; quomodo ponit eum poſt illos nouem annos, qui intercurrunt a Conſulatu Capitonis & Rufi, quo Linum vult eſſe morte ſublatum, vſque ad ſeptimum Conſulatum Veſpaſiani ſedere cœpiſſe; cum ſecundum eam rationem dicendum eſset, nouem illis annis ſedem vacaſſe? Verum ſecundum Conſulum rationem auctor errore lapſus conuincitur; dum poſt Linum, Cletum recenſet: nam ex Coſſ. ab eo notatis in Clemente, quem ponit poſt Cletum, Clemens immediate poſt Linum fuiſſet recenſendus: nam eum ſediſſe ait ſub Galba & Veſpaſiano a Conſulatu Thrachali & Italici vſque ad nonum Veſpaſiani Conſulatum: ſicq. ipſum ſedere cœpiſſe ſequenti anno ab obitu Lini, perſeueraſſeq. vſque ad annum duodecimum: cum alioqui idem auctor dicens ſediſſe tantum annos nouem, ſibi ipſi minus conſentiat; ſicut etiam a ſe ipſo diſcrepat, dum Cletum annis duodecim ſediſſe ponit & amplius; qui ſecundum Conſules a ſe poſitos, annis tantum ſeptem inchoatis ſediſſe dicendus eſset. Immo cum idem auctor ponat Clementem martyrio occubuiſſe anno tertio Traiani Imperatoris, longius a ſe ipſo diſſentit, dum primo habet eum ſediſſe annos nouem, vel ſecundum poſitos Coſſ. annos duodecim; ac denique numerando a tempore inſtitutionis, nimirum a Conſulatu Thrachali & Italici vſque ad tertium Traiani annum, trigintatres annos ſediſſe, videatur aſſerere. Sed & abſurdius illud eſse videtur, quòd ea habita ratione annorum ſedis Clementis, nullum tempus ſedis Cleti videatur eſſe relictum, immo nec Anacleti, quem intra illud tempus ſediſſe, Conſules ab eo poſiti docent. Ex his videas, per quos anfractus, & quanto cum diſcrimine prodendæ veritatis, rerum Eccleſiaſticarum narratio ducenda eſſet, ſi quæ in eo ſcripta ſunt libro, abſque diligenti perueſtigatione quis eſſe ſuſcipienda contenderet; vt neceſſario ſibi ipſi contraria dicere opus eſſet. D E

ERRORES EX CONSVLATIBVS DEPREHENDI.

XXXVII.

XXXVIII. Hæc igitur in ipſo limine narrationis ſucceſſionis Romanorum Pontificum voluimus poſuiſſe; quo lector intelligat, libro illi, cũ in ſingulis fere Pontificibus anni notati

Universidad de Deusto
Biblioteca

per Consules diuersi habeantur ab illis, qui in singulorum fronte ipso narrationis exordio habentur adscripti, haud facile innitendum esse, sed illi potius inhærendum Romanorum Pontificum chronographiæ, quæ antiquiorum scriptorum & Romanæ Ecclesiæ potissimum testimonio confirmetur. Quod igitur ad veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores pertinet: cum S. Ignatius [a], qui eodem sæculo vixit cum Apostolis, dicat Clementem successisse Cleto (sic enim legendum esse pro Anacleto, postea demonstrabimus) plane declarat ipsum Clementem tertio loco, nempe post Linum & Cletum, Romanæ Ecclesiæ Pontificem præfuisse. Et cum addit: Cui nunc succesit beatissimus Clemens, Petri & Pauli auditor] quænam illa essent tempora, idem his quæ eadem epistola superius dixerat, significare videtur, dum ait: Multorum aduersariorum arbitrio exagitor, partim exilijs, partim custodijs, partim vinculis.] hæc ipse, qui & in custodia positus, dictam epistolam scripsit ad Mariam Cassobolitem, vt idem ibi post multa testatur, sic dicens: Vehementer concupiui venire ad vos, & vna vobiscum requiescere & refici. Verum non est in hominis potestate via eius: impedit enim meam voluntatem militaris custodia, quæ non permittit vltra progredi.] Quibus sane intelligitur (nisi velimus dicere, quod ratio non patitur, hæc accidisse in vltimis eius vinculis, cum Traiani tempore, vt dicemus, Romam vinctus perductus est) sub Domitiano ea contigisse, esse affirmandum. Nam a morte Neronis nulla alia excitata est in Ecclesia persecutio vsque ad Domitianum. Sic igitur ex Ignatij sententia iam exploratum habetur, Clementem non ante Domitiani tempora Romanæ Ecclesiæ curam pontificiam suscepisse post Cletum. Ceterum eam epistolam Ignatij esse legitimam, ex his quæ habentur in epistola ab eodem scripta ad Heronem diaconum, facile cognosci potest, vbi & de Cassiano suo hospite, cuius in dicta epistola meminerat, habuit mentionem, ibidemq. de eadem Maria præclarum ab eodem Ignatio elogium scribitur. Sed de his suo loco pluribus.

[a] Ignat. epist. 4. ad Mariam Cassob.

CLEMENS CLETO, NON PETRO SVCCESSIT.

XXXIX.

Rursus vero ex ijs quæ ex Hegesippo proximo Apostolorum temporibus Eusebius [b] in suam historiam transtulisse visus est, dum habet anno duodecimo Domitiani Imp. Clementem sedere cœpisse, non solum citatum Ignatij testimonium roboratur, sed etiam manifestissimi erroris redarguuntur qui eum substitutū fuisse Petro dixerunt. His accedit Tertullianus, qui libro tertio carminum, quæ scripsit in Marcionem, non tantum tertio loco post Petrum ponit Clementem, sed adhuc etiam quarto, nimirum post Anacletum, his scilicet versibus:

[b] Euseb. lib. 3. c. 12.

GERMANA SVCCESSIO ROMANORVM PONTIFICVM.

Ex quibus electum magnum, plebiq. probatum
Hac cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum,
Maxima Roma Linum primum considere iussit:
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis:
Huius Anacletus successor sorte locatus;
Quem sequitur Clemens, &c.]

hæc ille, numerans Romanos Pontifices vsque ad Anicetum tantum, quando opus illud ipse Tertullianus scribebat, quo tempore Marcion (vt suo loco dicemus) Romam ad Anicetum venit. Ex his itaque tantum abest vt concedamus post Petrum statim successisse Clementem; vt non mediocris animum suspicio pulset ex his quæ habent Ignatius, Tertullianus, & ex Hegesippo Eusebius, & alij, Clementem non tertio loco, sed quarto post Petrum sedisse, ac post Linum, Cletum, ac etiam Anacletum, cui successisse tradunt, sedere cœpisse. Verum post Cletum, sed ante Anacletum esse ponendum, verius esse putamus.

XL.

Insuper cum Eusebius [c], ac ceteri omnes tam Græci quàm Latini auctores testentur, Clementem subijsse martyrium tertio anno Traiani Imperatoris, idq. S. Hieronymus [d] firmiter asseueret, immo & ipse liber de Romanis Pontificibus aperte doceat: qua ratione, quæso, dicere possumus Clementem sedisse statim post Petrum, cum ab eo tempore vsque ad tertium Traiani annum intercurrat trigintatrium annorum spatium? At quis vmquam somniauit tam longo tempore Clementem sedisse, immo & quis dixit ipsum amplius nouennio Ecclesiæ Rom. præfuisse, id Eusebio, idq. nuper citato libro, id denique ceteris recentioribus attestantibus? Et, si semper dicto tempore a Nerone vsque ad Traianum sedit Clemens: quisnam, rogo, locus assignabitur Cleto? vt dicere prætermittamus de Lino, quem volunt eadem persecutione Neronis absque honore Romanæ sedis Pon-

[c] Euseb. hist. lib. 3. c. 28. Niceph. lib. 2. c. 18. [d] Hier. de Scrip. Eccl. in Clem. cap. 15.

dis Pontificatus martyrio esse præreptum. Vel si non Clementem, sed Cletum successisse Petro dixerimus: eum quidem oportuit sedisse annos vigintiquinque, vt eius successor Clemens sedens annos nouem, decessisse ex hac vita dicatur anno Traiani tertio. Sed quis vmquam reperiri possit, qui eidem ad summum plusquàm annorum duodecim numerum aliquando tribuerit? His igitur exactius consideratis; necessario dicendum est, ante Clementem, Lino, Cletoq. esse sedis certa tempora tribuenda.

LINVS ET CLETVS SEDERVNT ANTE CLEMENTEM.

Id quidem & maiores cognouisse, certum est: qui enim numerarunt primam illam Romanorum Pontificum successionem, omnes semper Clementem tertio loco posuerunt; licet plerique, siue vitio scriptoris acciderit, siue alia ex causa, Anacletum pro Cleto posuisse inueniantur. Ecce tibi Irenæus [a] in primis quàm exacte est rē prosecutus, sic dicens: Fundantes igitur & instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quæ sunt ad Timotheum epistolis meminit. Succedit autem ei Anacletus: post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens; qui & vidit Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc intonantem prædicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet.] hæc Irenæus. Optatus Mileuitanus [b], & ipse retexens catalogum Romanorum Pontificum vsque ad sua tempora, sic exorditur: Cathedra vnica, quæ est prima de dotibus: sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, &c.] hæc ille, Cletum præteriens, vtpote quem existimasset vnum eumdemq. esse cum Anacleto. Sed Epiphanius [c] contra prætermittens Anacletum, tantum ponit Cletum, sic dicens: Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit: Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Euaristus, &c.] S. Augustinus [d] secutus Optatum, Cletum ratus eumdem cum Anacleto, illum prætermisit. S. Hieronymus, Romanæ alumnus Ecclesiæ, hæc ait [e]: Clemens, de quo Apostolus Paulus ad Philippenses scribens ait, Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ: quartus post Petrum Romanus Episcopus; siquidem secundus fuit Linus, & tertius Cletus: tametsi plerique Latinorum, secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.] hæc ille; qui secundum eorum fortasse sententiam [f], alibi dixit Clementem sedisse post Petrum. Sed hæc ille tunc obiter; verum cum de Clemente ab eo diligens est instituta narratio (vt vidimus) post Linum & Cletum sedisse ipsum affirmat.

[a] Iren. lib. 3. cap. 3.

QVO ORDINE NVMERATI ROM. PONTIFICES.

[b] Optat. lib. 2.

[c] Epiph. hæres. 27.

[d] August. epist. 162.

[e] Hier. de Scrip. Eccl. in Clemen. c. 15.

[f] Hier. in Isai. c. 52. in fin.

XLI.

Porro hanc fuisse Romanæ Ecclesiæ ea de re traditionem, satis locuples testis est Romanum Martyrologium [g]: nam in Lino hæc habet: Romæ S. Lini Papæ & martyris, qui primus post beatum Petrum Apostolum Romanam Ecclesiam gubernauit.] et in Cleto: Natalis beati Cleti Papæ, qui secundus post Petrum rexit Ecclesiam in persecutione Domitiani.] ac denique in Clemente: Natalis S. Clementis Papæ, qui tertius post B. Petrum Apostolum Pontificatum tenuit.] In ipso etiam sacro canone Missæ, eodem ordine quo sederunt, ijdem Linus, Cletus, & Clemens positi esse videntur, secundum antiqua diptycha, dum post Apostolos primi hi tres recensentur Romani Pontifices. Idem quoque alij fere omnes tam Græcorum quàm Latinorum æque senserunt, tertio loco post Petrum numerantes Clementem; & primo loco post Petrum, Linum ponentes. Enimvero & id ipsum in Hispaniarum ecclesijs sacro hymno constat antiquitus decantatum: nam in antiquo illo Breuiario Toletano S. Isidori, in sacro hymno quo laudes S. Clementis in ecclesia canebantur, hæc inter alia habentur expressa:

[g] Roman. Mart. 23. Septemb. 26. April. & 23. Nouemb.

XLII.

Romanæ sedis tertium Antistitem,
Quem Christus sibi consecrauit martyrem, &c.]

Quamobrem quæ habentur in epistola Ioannis [h] Papæ Tertij nomine inscripta, & alia Leonis Papæ Secundi, quam citat Marianus Scotus cum agit de Clemente, quibus declaratur non fuisse a Petro Linum & Cletum institutos Romanæ sedis Episcopos, sed tantummodo coadiutores, non aliter quidem sunt intelligenda, nisi quòd sic sederint dum Petrus vixit, vt non æquale Petro Pontificium nacti sint, sed coadiutores tantummodo illius extiterint; quod & nos profitemur. nam aliter illa accipi verba, quæ nuper dicta sunt, prohibent. Quòd vero addit auctor ibidem, successori suo Clementi summum Pontificatum a Petro esse collatum, eumdemq. post Petrum Pontificiam potestatem tenuisse; ad illud fortasse voluit alludisse, quòd Tertullianus [i], licet (vt dictum

[h] Ioan. iij. ad Episcop. Germ.

QVOMODO LINVS ET CLETVS COREPISCOPI.

XLIII.

[i] Tertul. de præscrip. c. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dictum est) quarto loco Clementem ponat, tamen eum a Petro ordinatum fuisse tradit. Nam & sic Epiphanius [a] quoque de Clemente ait, viuente adhuc Petro ab eo manus impositionem accepisse, sed Episcopatu recusato, remoratum esse ad vtriusque obitum: recitatq. fragmentum eiusdem Clementis epistolæ, sic dicentis: Secedo, abeo, erigatur Ecclesia Dei.] affirmat id ipsum Ruffinus [b], sed ex epistola, quam in Latinum vertit, falso inscripta eiusdem Clementis nomine ad Iacobum fratrem Domini: quam si Clementis esse germanam dixerimus, ad Simeonem potius tunc Hierosolymorum Episcopum, eumdemq. fratrem Domini, quàm ad Iacobum, quem (vt diximus) longe ante hæc tempora martyrio functum vita cognouimus, scripta fuit. Sed de his inferius suo loco. Satis igitur ex his narratis stabilis firmaq. remanet Ecclesiæ Romanæ sententia de Petri successoribus, consensuq. antiquorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum stabilita: Lino & Cleto, etsi tempore sedis Petri, eo absente, munere pontificio vt coadiutores sint functi, ac etsi Clemens a viuente Petro fuerit Episcopus Romanæ Ecclesiæ prælectus & ordinatus, eumdem Clementem cessisse; ijsdemq. altero post alterum vsque ad obitum Pontificatu summo perfunctis, & (vt tradit Epiphanius) Romanum Episcopatum duodecim annis tenentibus, demum tertio loco suffectum esse Clementem. Hæc licet pluribus dicta videantur, necessario tamen tractata: nam si in ordine & tempore primorum Romanorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omnino cogetur.

[a] *Epiph. hæres. 27.*

[b] *Ruff. in præf. lib. Recogn.*

XLIV. MARTYRES ROMÆ POST PETRVM.

Sed vt ad cetera quæ post necem Apostolorum & Lini successionem contigerunt (quod instituti ratio postulat) redeamus: tantum abfuit, vt necatis Apostolis, excitata semel a Nerone in Christianos persecutio extincta fuerit, vt potius vehementioribus flammis exarserit, & impetu grauiori reuixerit. Nam in eos in primis qui sibi familiarius adhæsissent, rabies Imperatoris incenditur, simulq. gladius persecutionis exeritur: id quidem Acta superius citata testantur. Erant enim ex his complures ex ipsius Neronis familia, quorum meminit Paulus Romæ scribens ad Philippenses [c] his verbis: Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de domo Cæsaris sunt.] Ex his vnum fuisse Torpetem, Euellium alterum, Romanum [d] Martyrologium docet: ceterorum nomina vna cum Actis ipsorum in obscuro manserunt. Passi & tunc feruntur duo milites custodes carceris Processus & Martinianus: itemq. Herodion & Olympas, sed ante Petri martyrium; quorum quidem meminit Metaphrastes [e]. passæ item sub Nerone feruntur religiosissimæ feminæ Basilissa [f] & Anastasia, Apostolorum discipulæ, & aliæ complures. At non longe ab Vrbe in Thuscia eodem tempore passi sunt Ptolemæus Episcopus a S. Petro ad prædicandum Euangelium illuc missus, necnon Romanus Episcopus Nepesinus, ac triginta Christiani ad fidem per Ptolemæum conuersi: quòd vero Acta habeant sub Claudio subijsse martyrium, de Nerone Claudio intelligendum est, secundum ea quæ superius in Claudio dicta sunt.

[c] *Philip. 4.*

[d] *Martyrolog. Roman. die 29. Maij, & 11.*

[e] *Metaphr. die 29. Iunij.*

[f] *Martyrolog. Roman. die 15. April.*

XLV. MARTYRES ALII DIVERSIS IN LOCIS.

At non Romæ tantum & locis iuxta Vrbem positis, sed & in alijs ciuitatibus atque prouincijs sub eodem Nerone passi martyres reperiuntur: nam tradit Orosius [g] per omnes prouincias pari persecutione Christianos vexari a Nerone mandatum esse: horum vero magnà ex parte nomina exciderunt, exustis Ecclesiasticis monumentis a Diocletiano Imperatore, vt suo loco dicemus: adeo vt vix paucorum habeatur mentio in Romano Martyrologio. Sed omissis ceteris (non enim nostri est instituti omnium Ecclesiarum martyres omnes prosequi) quæ pertinent ad ea quæ Romæ sunt gesta, tantummodo nunc prosequamur. Commendantur in hac persecutione studia inter alias duarum sanctissimarum mulierum, Lucinæ, atque Perpetuæ: quarum prior hoc elogio celebratur in Romano Martyrologio [h]: Hæc de facultatibus suis sanctorum necessitatibus communicans, Christianos in carcere detentos visitabat, & martyrum sepulturæ inseruiebat: iuxta quos & ipsa in crypta a se constructa sepulta est.] De Perpetua vero hæc [i]: Baptizata a B. Petro Apostolo, Nazarium filiũ, & Africanum virum ad fidem Christi perduxit, & multa sanctorum martyrum corpora sepeliuit, ac tandem bonorum operum meritis cumulata migrauit ad Dominum.]

[g] *Oros. lib. 7. cap. 7.*

[h] *Martyrolog. Roman. die 30. Iunij.*

[i] *Martyrolog. Roman. die 4. Augusti.*

XLVI. Ceterum sæuissimam fuisse non Romæ tantum, sed toto orbe Romano Neronis persecutionem, vetus illa inscriptio facile persuadet, quam secundo Annalium tomo positam hic suo loco in recentiori hac editione restituendam putamus. Eiusmodi enim tunc fuit titulo, quòd Christianos omnes occidendos mandasset atque latrones, sculpto

A sculpto lapidi commendatus:

NERONI CL. CAES. AVG
PONTIF. MAX. OB PRO
VIN. LATRONIB. ET HIS
QVI NOVAM GENERI HVM
SVPERSTITIONEM INCVLCAR
PVRGATAM

Potes ex ijs quoque lector probe conijcere, fuisse Hispaniarum Ecclesiam (nam in Hispania hæc inscriptio reperta est [a]) his temporibus florentissimam, dum tamquam ingens quoddam ab impijs æstimatum est collatum a Nerone beneficium, quòd Christianis eam prouinciam expurgasset, ob idq. memorabile facinus eo velut eximio gloriæ titulo honorassent. At licet hac inscriptione nulla expressa sit mentio nominis Christiani, quòd ipsi Ethnici & nomen ipsum exhorrerent; tamen nonnisi de Christianis ea posse intelligi, necessarium illud est argumentum, quòd nulla Neronis tempore, nec ante diu, vel postea alia noua in Orbẽ inuecta est religio, quàm Christiana: nec certe Nero omnium superstitiosissimus aliam quamlibet superstitionem Gentiliciã potuit persecutus esse, qui etiam magicis ritibus addictissimus erat. Sed & illud verborum illorum obserua, SVPERSTITIONEM INCVLCAR. quod Christianorum proprium fuit, religionem omni studio, totis viribus, verbis factisque, cunctis denique neruis suscipiendam omnibus Gentibus ingerere. Considera & ex his, vehementissimam Neronis persecutionem fuisse; vt creditum fuerit, Christianam religionem ab eo penitus extirpatam.

[a] *Habet Aldus post schol. in Clement. Cæs. in descript. prouin. Hispan. ex cruc. nis pagi Maramesar.*

XLVII. CVR NERO A PERSECVTIONE CESSAVIT.

Quieuisse autem Neronem a Christianorum persecutione, a Petro & Paulo in visu perterritum, eadem sæpius citata Acta testantur. Nec mirum. Si enim (quod Dio [b] scribit) post illatam matri, quamuis omnium scelestissimæ, necem, sic terroribus est exagitatus, vt non valeret loco consistere; quanto magis hæc ipsum passum esse putandum est, cum præcipuos Dei amicos, eosdemq. sanctissimos, morte mulctatos, e medio sustulisset? His igitur, & alijs, quæ ex diuersis Orbis partibus ab ipso in Christianos ceteros pararentur, sæuissimus homo perterritus, reliquum quod in stomacho coquebat iræ, in Christianos haud euomere potuit, cum sibi rebusq. suis solicitius consulere cogeretur. His accessit (quod etiam nolentem inuitumq. a persecutione Christianorum abstraxit) Romani exercitus iam in Gallia facta defectio: nam hoc anno cum adhuc moraretur in Achaia, audita est Caij Iulij Vindicis, qui Prætorem agebat in Gallijs, cum exercitu facta rebellio: quando prætermissa (vt ait Lucianus [c]) Isthmi fossione, se, vt de bello deceneret, recepit in Vrbem: licet Suetonius [d] ipsum de motu illo Galliarum ex Achaia redeuntem, cum Neapoli in Campania esset, certiorem factum esse tetigerit eo die quo matrem occiderat, ipsis festis Quinquatrijs, mense Martio. Sed hæc licet magni ponderis esse viderentur, nec contemnenda; tamen non tanti ab eo existimata sunt, quæ elatum eius animum consternare penitus valuissent: verum (quod post illatam necem Apostolis accidit) Hispaniarum quoque defectione nunciata, animo penitus collapsus est: quod Suetonius [e] declarat his verbis: Postquam etiam deinde Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animoq. male fracto, diu & sine voce & prope intermortuus iacuit.] Sed quid post hæc Neroni acciderit, sequenti anno pro gestæ rei ordine & tempore dicemus: cetera vero de clade in Britannia Romanis illata, & de his quæ passus est Romanus exercitus in Armenia, quæ hoc anno contigisse Orosius [f] tradit, præteritis temporibus, quo ea a nobis sunt recensita, accidisse, scriptorum Gentilium assertione monstrauimus: quos consulat, qui ea accuratius nosse desiderat.

[b] *Dio in Neron.*

[c] *Lucianus de Isth. foss.*

[d] *Sueton. in Neron. c. 40.*

[e] *Sueton. ibid. c. 42.*

[f] *Oros. lib. 7. c. 7.*

XLVIII. Dum hæc Romæ agerentur, Vespasianus, qui, cum adhuc Nero degeret in Achaia, ab eo cum exercitu aduersus Iudæos missus fuerat, grauissimis cladibus eos affecit: quas hic summatim ex Iosepho [g] eas prolixius persequente, collectas, eo quo illatæ sunt ordine referemus. Et illud in primis quod ait, Ascalone Iudæorum decem millia fuisse perempta; quibus etiam haud post multum temporis spatium tradit fuisse superaddita occisorum octo millia: expugnaseq. deinde Vespasianum tradit Gadarensium ciuitatem, quam, occisis puberibus omnibus, iussit incendi: obsessaq. præterea Iotapata munitissima ciuitate, quinta Maij, ea potitum esse prima Iulij, occisis

[g] *Ioseph de bello Iud. lib. 3. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

CLADES IVDAEAE PROVINCIAE A VESPASIANO ILLATAE.

sis in ea quadraginta millibus Iudæorum, captiuis vero ductis mille ducentis, & inter alios Iosepho Matthiæ duce, qui hæc scribebat. Expugnataq. est deinceps ab eodem Iapha Galilææ ciuitas, peremptis quindecim millibus Iudæorum: quos autem captiuos cepit, fuit numerus duorum millium centum triginta. Samaritanorum, qui se munierant in monte Garizin, desiderata sunt vndecim millia atque sexcenti; quod accidisse auctor tradit vigesimaseptima mensis Iunij. Ioppe vero cæsa addit Iudæorum quatuor millia ducentos. Sexto post hæc Idus Septembris, expugnata Tarichææ ciuitate munita ad stagnum Genezaret posita, occisaq. sunt Iudæorum sex millia quingenti, & eorum qui foris erant mille ducenti: captaq. iuuenum robustorum sex millia, reliquæ vero multitudinis triginta millia & quadringenti sunt venditi. Gamala quoque vigesimatertia Octobris in potestatem redacta, quatuor millia Iudæorum in ea perempta, reliquorum quinque millia voluntario præcipitio periere. Hisce atque alijs cladibus Iudæis affectis, Vespasianus hoc anno Galilæam prouinciam omnium potentissimam, ac pariter munitissimam, refertamq. gentibus robustissimis, penitus debellauit. Illi igitur, qui primi omnium atque frequentius Christi Iesu prædicationem audierunt, nec tot tantisq. visis miraculis crediderunt, ante omnes diuino iudicio Romanis vlciscentibus, perfidiæ & impietatis dedere pœnas. Tunc etiam in ciuitates Capharnaum atque Corozaim deplorata atque a Domino prædicta mala euenisse putantur.

XLIX. HIEROSOLYMA A ZELOTIS EXAGITATA.

His sic se habentibus in Galilæa, Hierosolymitana ciuitas, mutuo inter se Iudæis ciuili bello digladiantibus, ingenti clade domesticorum afficitur. Nam cum data esset belli administratio [a] Anano Pontifici (hunc cum Iosephus [b] dicat fuisse senioris Anani filium, haud dubium illum esse demonstrat Ananum, quem, cum alias summus Pontifex esset, Iacobum fratrem Domini occidisse [c] tradit) qui in Galilæa Romanorum gladium euaserant, ingenti plane numero Hierosolymam, tamquam ad locum tutiorem confugientes, ciuitate excepti, non tantum ciuibus necessariam insumebant annonam, sed tumultuabantur, eosdemq. deprædabantur, atque etiam occidebant: seq. receperunt in templum, vt munitissimum aduersus ciues, ex industria velut exædificatum castellum: adsciueruntq. sibi nomen, Zelotæ [d], vt qui profiterentur præ ceteris zelare, ardenter scilicet amare, & præ ceteris tutari Dei legem, & patria instituta; & ad hoc venisse, vt horum causa vitam profunderent. Horum factione & illud perfectum est, vt sortito summum eligerent sacerdotem: vnde obtigit sors Phano cuidam homini rusticano obscurissimo & rerū sacrarum imperitissimo. Excitante interea Anano Pontifice Iudæorum animos in Zelotas ad vindicandas iniurias templi, & illis ex æquo in ciues incensis; cum ventum esset ad prœlium, & crebris insultibus magnæ vtriusque partis cædes fierent: ciuibus tandem præualentibus, amissa illi exteriore templi parte, in interiorem, vt munitiorem locum, se receperunt.

[a] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 25.*
[b] *Idem eodem lib. 4. c. 5. & seq.*
[c] *Ioseph. antiq. lib. 2. c. 8.*
[d] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 38.*

L. DE NECE PONTIFICVM.

Cum interim sic essent obsessi; dolo Ioannis e Giscali, qui simulabat se Anano ciuibusq. studere, re vera fauens Zelotis, cum in Ananum, quòd ciuitatem daturus esset Romanis, rumorem sparsisset, factum est vt Idumæi, quasi vindices patriæ libertatis, Hierosolymam vocarentur: qui cum venissent, & non sine labore tandem clanculum in ciuitatem essent admissi, ingentem stragem fecere ciuium, occisis ex illis octo millibus & quingentis: nec id illis satis; sed in Pontifices odio exardescentes, eos quæsitos occiderunt, eorumq. corpora insepulta abiecere: fuitq. inter alios Ananus Pontifex maximus in ciuitatis medio iugulatus. Miserandum plane spectaculum (inquit Iosephus) erat videre Pontifices sacris paulo ante indumentis amictos, & toto Orbe celeberrimæ religionis auctores, quiq. vndique in ciuitatē commeantibus venerabiles habebantur, iacere nudos in prædam canibus & feris expositos.] Sed ex his etiam videas, æqua lance pensari vindictam. nam sicut a sacerdotibus, Pontificibus cogentibus Concilium, de inferenda morte Christo sumptum est exordium; ita ab ipsorum nece in primis ad Hierosolymitanum excidium ianua est patefacta.

LI. IDVMAEI CVM ZELOTIS IVNCTI AD NECEM CIVIVM.

Post occisionem Pontificum, Zelotæ [e] simul Idumæis coniuncti, in plebem grassati sunt, ac reliquum vulgus; ex eisq. peremere quamplurimos, quorum nullus est numerus. Rursus in nobiliores gladium conuertentes, eosdem captos & diris cruciatibus exagitatos, diuerso modo necarunt: fuitq. numerus duodecim millium nobilium occisorum. Zacharias etiam, vir sublimis, & in rebus agendis potens, in medio templo est

[e] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 4. c. 5.*

plo est occisus: quod displicuit Idumæis, qui indignati ad propria reuersi sunt. Hæc autem ipso hiemis tempore facta esse, quo Idumæi Hierosolymam aduenerunt, Iosepho auctore, comperta habentur. Quamobrem cetera quæ post hæc secuta sunt, in narrationem rerum gestarum anni sequentis reijcienda esse videntur. Porro si quis ea quæ hoc anno in Iudæa tum a seditiosis, quos diximus, tum a Romanis sub duce Vespasiano sunt facta, altiori consideratione disquirat: plane intelliger, imaginē quamdam repræsentasse illorum quæ fuerant de ventura Iudæorū clade a Christo olim prædicta. Nam quod dixerat apud Lucam [a]: Cum audieritis prœlia & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis:] prœlia illa videntur intelligi posse, quæ a Romanis sunt illata: et per seditiones, quæ a seditiosis (sic enim a Iosepho nominantur) agitari cœptæ sunt turbæ, quæ nec finem aliquem habuere, neque vsque ad eiusdem vrbis excidium esse desierunt. Sed quoniam hæc dolorum initia forent; idcirco Dominus subdit: Sed nondum statim finis.] Verum tum hæc, tum alia de clade Hierosolymitana a Domino fuisse prædicta, eademq. omnia suis ipsis temporibus euenisse, perspicue monstrabimus, suis locis singula recensentes.

[a] *Luc. 21.*

IESV CHRISTI ANNVS 70.	LINI ANNVS 1.	NERONIS IMP. ANNVS 14.

I. A Dueniente iam Christi anno septuagesimo, Consules creati sunt C. Silius Italicus & Galerius Trachalus Turpilianus. meminit huius Consulatus Plinius Iunior [b], huicq. nostræ assentitur chronologiæ, sic dicens de Silio Italico: Nouissimus a Nerone factus est Consul: ita postremus ex omnibus, quos Nero Consules fecerat, decessit. Illud etiam nobile, quòd vltimus ex Neronianis Consularibus obijt, quo Consule Nero perijt: quod me recordantem fragilitatis humanæ miseratio subijt. Quid enim tam circumcisum, tam breue, quàm hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modo fuisse; cum interim ex ijs qui sub illo gesserunt Consulatum, nemo iam supereſt?] hæc Plinius ad Caninium Rufum scribens philosophatur. At nec tacendum quod de ijsdem Consulibus Suetonius [c] scribit his verbis: Consules ante tempus priuauit honore, atque in vtriusque locum solus inijt Consulatum; quasi fatale esset, non posse Gallias debellari, nisi a Consule, ac susceptis fascibus.] Extat quoque epigramma [d] Martialis de Consulatu Silij Italici: sed sub Domitiano iam tertium puto suffectum.

[b] *Plin. lib. 3. epist. 7.*
[c] *Sueton. in Neron. c. 43.*
[d] *Martial. epig. lib. 8.*

II. DE OBITV NERONIS.

Inter hæc autem cum C. Iulius Vindex, qui defectionem in Gallijs excitarat, a militibus Rufi, qui Germaniam obtinebant, occideretur, idemq. Rufus Imperator designatus esset: cumq. his omnibus infaustis illud etiam adderetur, quòd Rubrius Gallus, quem contra rebellantes mittebat, defecerit: nec, quod ipse Nero conceperat, vniuersum Senatum interficere posset; quòdq. a Prætorianis etiam militibus desertus esset: desperatione melioris status omnino deficiens, vili indutus veste, fugam arripiens, vna cum tribus vel quatuor libertis, in prædium vnius ex his, Phaontis nomine, inter viam Salariam & Nomentanam, quarto ab Vrbe lapide positum, venit: vbi in spelunca delitescens, cum equites se quærentes aduentare cognouit, sibi ipse, licet pauidus, intulit manus: quem ægre morientem vnus ex libertis Epaphroditus confecit, quarto Idus Iunij (ea die qua olim Octauiam coniugem interfecerat) agens suæ ætatis annum trigesimumsecundum, cum imperasset annos tredecim menses septem, & dies vigintiocto, numerando a die sequenti obitus Claudij Imperatoris. De his fusius agunt Suetonius [e], Dio [f], & alij complures, simulq. de funere eius ac sepultura.

[e] *Sueton. in Neron. c. 43. 44. 45. vsque 49.*
[f] *Dio in Neron.*

III. Illud tamen haud prætermittendum, ex nostris nonnullos scriptores non ignobiles erroris opinionem quamdam sectatos esse, Neronem fuisse Antichristum, ea nimirum ex causa, quòd Paulus ad Thessalonicenses [g] secundo scribens, & de Antichristo verba faciens, quasi tunc viueret Antichristus, illud adiecisset: Mysterium iam operatur iniquitatis.] Sed si diligenter attendissent tempus quo a Paulo illa scripta fuit epistola, nullo negotio eiusmodi errorem, ne in eum laberentur, declinassent. Nam cum ex his quæ superius dicta sunt, constet, non sub Nerone, sed sub Claudio eam a Paulo fuisse scriptam

[g] *2. Thess. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

scriptam epistolam; nulla potuit esse suspicio, Paulum illis verbis Neronem significare voluisse. Ex quo videas (quod sæpius inculcamus) quantum conferat exacta in rebus perquisitis temporum ratio, sine qua interdum labi in portentosos errores necesse sit. De Nerone esse locutum Paulum, opinatus est inter alios S. Ioannes Chrysostomus[a], sic dicens: Neronem mysterium iniquitatis vocat, dicens: Mysterium enim nunc agit iniquitatis.]

a Chrysost. ser. de aleemos. & collat.

IV. NERO CREDITVS ANTICHRISTVS.

Sed concepto semel errore, in alios deformiores necesse est incidere: nam ex his deterior illo fluxit, vt Nero adhuc viuere crederetur. Reddam verba sancti Augustini[b] de his referentis duas opiniones: Vnde, inquit, nonnulli illum resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alij vero nec eum occisum putant, sed subtractum potius, cum putaretur occisus, & viuum occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit cum crederetur extinctus; donec suo tempore reueletur & restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio.] hæc Augustinus. Eius autem ab eo recitatæ posterioris sententiæ Seuerus etsi non auctor, tamen assertor habetur, dum ait[c]: Vnde creditur, etiam si se gladio ipse transfixerit, curato vulnere eius, esse seruatus, secundum illud quod de eo scriptum est: vt plaga mortis eius curata est, sub sæculi fine mittendus, vt mysterium iniquitatis exerceat.] hæc ille. Sed quod magis displicet in Seuero, hæc eadem ipse impingit sancto Martino, cum ait[d]: Ceterum cum ab eo de fine sæculi quæreremus, ait nobis: Neronem & Antichristum potius esse venturos: Neronem in Occidentali plaga, Regibus subactis decem, imperaturum; persecutionem hactenus exercendam, vt idola Gentium coli cogat. Ab Antichristo vero Orientale Imperium esse capiendum: qui quidem sedem & caput regni Hierosolymam esset habiturus: ab illo vrbem & templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, vt Christum Dominum cogat negari, se potius Christum esse confirmans: omnesq. secundum legem circumcidi iubeat. Et ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendū, atque sub illius potestate vniuersum Orbem cunctasq. gentes esse redigendas.] hæc & alia Seuerus in dialogis: qui etsi non alia, hac certe de causa iure a Gelasio[e] adnumerati sunt inter apocrypha, hoc titulo: Opuscula Posthumiani & Galli apocrypha.] sic enim commentarius ille inscriptus habetur, quòd in dialogis illis Posthumianus & Gallus interloquantur. Ceterum si velimus ea vere a sancto Martino esse dicta: haudquaquam illa prophetico putanda sunt spiritu pronunciata; sed quæ ab alijs narrata vel scripta accepisset, ea his exposcentibus enarrauit.

b Aug. de Ciu. Dei, lib. 20. c. 19.

c Seuer. histor. lib. 2.

d Seuer. dialog. lib. 2. in fine.

DE NERONE FABVLA VVLGATA.

e Concil. Rom. sub Gelasio in decret. de libris apocryph.

V. NERONEM ADHVC VIVERE IACTATVM INTER GENTILES.

At non ea tantum occasione, quòd a Paulo hæc de Antichristo & Nerone esse dicta putauerint, in eum errorem sunt lapsi: sed accesit ad ea confirmanda, quòd inter Gentiles etiam vulgata esset quædam opinio, Neronem fuisse subductum, & non occisum; quod Suetonius[f] his indicat verbis: Non defuerunt, qui per longum tempus vernis æstiuisq. floribus tumulum eius ornarent, ac modo imagines prætextas in Rostris proferrent, modo edicta quasi viuentis, & breui magno inimicorum malo reuersuri. Quinetiam Vologeses Parthorum Rex, missis ad Senatum legatis de instauranda societate, hoc magnopere orauit, vt Neronis memoria coleretur. Denique cum post viginti annos, adolescente me, extitisset conditionis incertæ, qui se Neronem esse iactaret; tam fauorabiliter nomen eius apud Parthos fuit, vt vehementer adiutus, & vix redditus sit.] hæc Suetonius. Sed eadem dilucidius Tacitus[g] his verbis: Sub idem tempus Achaia atque Asia falso exterrita, velut Nero aduentaret, vario super exitu eius rumore, cumq. pluribus viuere fingentibus, credentibusque.] Idemq. addit de seruo arte & vultu simillimo, qui se esse Neronem fingens, & flagitiosos colligens, solicitabat ceteros ad defectionem: quem Calpurnius Asprenas, qui eo tempore regebat sub Galba Galatiam atque Pamphiliam, occidit, caputq. sectum oculis comaq. toruum, ac vultu truci, ad abolendam de Nerone falsam opinionem & liberandas timore prouincias, in Asiam, indeq. Romam perueheudum curauit. Immo & Parthos non leuiter ea fama permotos, idem auctor superius testatus est his verbis[h]: Mota etiam prope Parthorum arma falsi Neronis ludibrio.] Sed de his hactenus.

f Suetonius in Neron. c. 57.

g Tacit. histor. lib. 2.

h Tacit. histor. lib. 1.

VI. GALBA IMPERIVM ARRIPIT.

Cum sic igitur Nero spontanea nece ex hac vita migrasset, extinctaq. prorsus progenies Cæsarum esset; Seruius Sulpitius Galba a militibus, quibus præerat, acclamatus

matus est Imperator; tenuitq. Imperium menses septem, & dies septem. De cuius genere, ortu, magistratibus, rebus gestis per ætates singulas etiam ante Imperium, moribus, & disciplinis, necnon studio militari, aduentuq. in Vrbem, Suetonius, Plutarchus, Tacitus, Dio, & alij scripsere; quos consulat qui ea cupit: nos autem instituti memores, ea tantummodo attingemus, quæ suscepti muneris esse nouerimus. Dum hæc aguntur in Occidente, ijsdem Coss. cum Vespasianus anno præterito Romano exercitu Galilæam in Palæstina prouinciam, quæ ab Imperio Romano defecerat, magno labore tandem feliciter debellasset; ad Hierosolymam, quæ reliqua esse videbatur, expugnandam, omnem comparat apparatum. Verum cum quæ in ciuitate agerentur percepisset, diras illas & implacabiles ciuiles discordias, quibus Iudæi consumerentur; obsidionem distulit: ratus nimirum, si foris illi bello premerentur, mox inter se concordiam inituros, viresq. aduersus Romanos pro vrbis defensione iuncturos.

VII. HIEROSOLYMA BELLO CIVILI DIRE AFFLICTATA.

Interea Iudæis Hierosolymis habitantibus cum nec intus manere tutum esset, in ea flagrante intestina discordia, nec foras egredi, custodijs vbique positis prohibentibus ac pariter sæuientibus; miserrimus omnium reddebatur status, miserandaq. in omnibus eius ciuitatis facies videbatur. Nam (quod ait Iosephus[a]) ab illis ius hominum calcabatur, ridebatur etiam diuinitas, Prophetarumq. responsis tamquam vulgaribus fabulis illudebant. Cum vero multa contempsissent de virtute ac vitijs statuta maiorum; etiam quæ de patria olim prædicta fuerant, vera esse exitu probauere. Vetus enim quidam sermo ferebatur, tum demum ciuitatem captum iri, sancta quoque exurenda esse lege belli, cum seditio suisset exorta, templumq. Dei propriæ manus ante violassent. Quibus Zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes, ministros se præbuerunt.] hæc Iosephus.

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 2. 3.

VIII. IOANNES DVX SICARIORVM IN SVOS INSVRGIT.

Sic igitur laborante intus seditione; quæ foris erant, haud pacatiora videri poterant: nam factio sicariorum, duce Ioanne homine factiosissimo, & tyrannidem meditante, insignem Romanorum munitionem Massada cepit: ijdemq. in alia loca grassantes, cuncta rapina ac cæde miscebant. Hæc agebant illi temporibus Azymorum; nullaq. pars videbatur Iudææ prouinciæ esse relicta, quæ non vna simul cum Hierosolymis interiret. Cum hæc agerentur ab illis, Gadareni, Transamnanæ regionis populi, sibi timentes a gentilibus suis Iudæis, quem per legationem secretam acciuerant Vespasianum, quarta die mensis Martij in ciuitatem recipiunt: qui vero seditiosi erant Romanis infensi, ex ciuitate fugerunt: sed perstricti a Magistro equitum Placido, ad tredecim millia cæsa sunt: maior tamen numerus fuit eorum qui se in Iordanem dedere præcipites. Expugnata sunt ab eodem Placido alia loca, inter quæ Iulias, olim dicta Bethsaida, Petri Apostoli patria. Sicq. Galilæa similiter Transamnana rursus est a Romanis subacta. Dum vero hæc & alia aduersus Iudæos mala in dies sæuiora exercerentur, iamq. Vespasianus profectionem pararet, vt Hierosolymam obsideret; nunciata morte Neronis, & Galbæ Imperio, a cœptis desijt. Cumq. quid esset acturus ambigeret; nihil melius sibi visum est, quàm Titum filium suum legare ad nouum Imperatorem salutandum. Profectus est Titus, & cum eo etiam Rex Iudæorum Agrippa, qui aduersus suos Romanis adhæserat, nauigauit. Quæ vero post hæc acciderint, sequenti anno suo loco dicturi sumus.

IESV CHRISTI ANNVS 71. LINI ANNVS 2. OTHONIS IMP. ANNVS 1.

I. OTHO IMPERATOR, ET VITELLIVS.

A Dueniente Christi Domini nostri anno septuagesimoprimo, Ser. Sulpitio Galba Augusto & T. Vinio Rufino Coss. decimasexta Ianuarij, idem Galba in foro a militibus occisus est, cum imperasset (vt dictum est) mensibus septem, & diebus septem, annum natus septuagesimumtertium[b]. Arripuit mox Imperium fauore militum, quos in Galbam concitauerat, M. Siluius Otho, Neroni olim carissimus, a quo in Hispaniam missus fuerat Quæstor; tenuitq. menses tres ac dies quinque. Nam exercitus Romanus in Germania haud ratam habens eius electionem, aduersus eum creauit Imperatorem A. Vitellium; qui in Italiam præmisit exercitum, de summa re-

b Suet. in Galba c. 20. & seq.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum cum Othone ipse postea dimicaturus: cum ille, siue rerum desperatione, vel ne sui causa (vt tradunt) bello ciuili inter se milites necarentur, sibi ipse prudens volensq. mortem consciuit die vigesima Aprilis, anno suæ ætatis trigesimooctauo, nonagesimoquinto Imperij die. Cui succedens Vitellius, tenuit menses octo & dies quinque. Fuit hic ille Vitellius, Lucij Vitellij illius filius, qui [a] sub Claudio Syriā prouinciam administrauit, de Iudæis (vt dictum est) optime meritus, præfuitq. illi prouinciæ vsque ad Caium Caligulam, qui in eius locum substituit Petronium, de quo plura superius. A

[a] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 11.

II. Vespasianus [b] interea, quinta mensis Iunij, Cæsarea profectus, quæ reliqua esse videbantur loca Iudææ, Romano subiecit Imperio, tribus exceptis castellis, quæ a latronibus tenebantur, Herodio, Massada, & Macherunte, ac ipsa Hierosolymorum ciuitate: cum tamen interim longe his grauiora Iudæi paterentur a contribulibus suis. Nam Simon Gerasenus [c], dux factus eorum qui foris erant, latronum Idumæorum, ac quorumcumque poterat, loca alia depopulabatur; & aduersus Zelotas, tā qui foris, quàm qui agerent Hierosolymis, ciens prœlia, quoscumque inueniebat Iudæorum, funesta morte, vel crudeli membrorum obtruncatione afficiebat: indeq. magno comparato exercitu, Hierosolymam obsedit. Sic igitur Zelotæ intus in ciues, foris Simon in ceteros quos inueniret, omni crudelitatis genere grassabantur. Mira Dei vindicta, vt eo tempore, quo gladius Romanorum in Iudæos sæuire cessasset, latronum & factiosorum agmina in eosdem intus & foris crudelius essent armata. Ciues autem quo aduersus Zelotas viribus prævalerent, Simonem cum suis receperunt in ciuitatem, nescientes inde sibi maiorem prouenturam cladem. Ingressus itaque cum suis in vrbem Simon, Zelotas, qui se in templo munierant, continuo est aggressus: sed resistentibus illis ex editis locis, opus frustra tentauit; sicq. conatus eius redditus est plane irritus. Sed quæ post hæc Hierosolymis facta sint, suo loco dicemus paulo inferius. B C

[b] Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 8.
[c] Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 7.

SIMON IVDAEVS DVX IN SVOS ARMATVR.

III. Interea Romæ cum Vitellius turpissime imperaret, tam Senatum ac populū, quàm etiam milites nouandarum rerum cupido incesserit. Sed opportune (quod erat in optatis) accidit, vt Vespasianus [d] Vrbis cladem commiseratus, iraq. simul incensus, de liberanda Vrbe ipsoq. Orbe deliberarit. Hæc cum apud milites loqueretur, omnibus annuentibus, ab ijsdem acclamatus est Imperator: cui recusanti, rectores legionum magis instabant, circumfusiq. milites cum gladijs eidem mortem minitantes, nisi quod ab omnibus nomen esset oblatum acciperet. Iurasse postea in ipsum exercitum qui in Iudæa erat, quinto Nonas Iulij, auctor est Tacitus [e]; Suetonius [f] vero quinto Idus factum tradit. Ceterum cœptum esse numerari annum primum Vespasiani ab ipsis Kal. Iulij, idem Suetonius tradit [g]. Præsto illi fuit Mucianus Syriæ Præses cum quatuor legionibus, sperans se illi fore collegam in Imperio. Cupiens insuper duas, quæ in Ægypto erant, legiones sibi coniungere, dedit litteras Alexandriam ad Præfectum Augustalem, qui tunc erat Tiberius Alexander, ex Iudæo factus Gentilis, & Romanorum studiosissimus: qui primus ante alios legiones, vt in Vespasianum Imperatorem iurarent, adegit Kalend. Iulij. Hæc vero omnia ei ex animi sententia successerunt. Quin etiam & duæ aliæ legiones, quæ in Mysia erant atque Pannonia, iusiurandum ei præstiterunt. Insuper & qui in Africa erant milites (vt Tacitus [h] tradit) eidem adhæserunt. Post vero, cum Alexandria redijsset in Palæstinam, diuersarum prouinciarum ac ciuitatum adfuere legationes, salutantes eum Imperatorem, coronasq. simul aureas offerentes. D E

[d] Ioseph. de bel. Iud. lib. 5. c. 10. 11. 12.

VESPASIANVS ACCLAMATVS IMPERATOR.

[e] Tacit. lib. 2. histor.
[f] Sueton. in Vespas. c. 6.
[g] Suet. ibid.
[h] Tacit. lib. 1. histor.

IV. Præmisso interim pedestri itinere Muciano cum copijs, ipse Vespasianus Alexandriam abijt, inde nauigaturus in Vrbem. Horum omnium prior, qui cum legionibus Mysiæ atque Pannoniæ in Italiam aduersus Vitellianos pugnans, rem bene gesisit, fuit Antonius. Cum interea Sabinus Vespasiani frater moræ impatiens, simulq. Domitianus filius eiusdem Vespasiani vna cum compluribus alijs nobilibus, adiunctis sibi cohortibus vigilum, occupant Capitolium: quos cum oppugnare studerent Vitelliani, ab his qui intus erant, incensum est templum Iouis Capitolini. tunc & Domitianus insperata sibi fuga consuluit; Sabinus vero retentus occiditur. Aduentante vero postera die Antonio cum exercitu, resistentibus Vitellianis, tertio intra Vrbem inter eos commissum est prœlium: sed tandem illis cedentibus, Vitellius sæpius fugam captans, ac rediens, demum se occultans, a militibus perquisitus & inuentus sæuissime trucidatur sui Imperij (vt tradit Iosephus [i]) octauo mense, die quinto, mensis Octobris die ter-

BELLO CIVILI ROMAE OCCIDITVR VITELLIVS.

[i] Ioseph. de bel. Iud. lib. 4.

A die tertio, anno suæ ætatis quinquagesimoquarto (vt Dio) vel septimo, vt Suetonius & Tacitus tradiderunt.

V. Sequenti autem die Mucianus cum ceteris copijs in Vrbem ingrediens, grassantes milites in ciuium domos repressit. Hæc omnia fusius Iosephus, qui tamen in his quæ sunt temporis, tum a Græcis tum a Latinis dissentit historicis: nam Dio [a] Vitellium regnasse dicit annum vnum, decem minus diebus, quod & apud Tacitum [b] confirmatum reperitur. Verum vt hos conciliemus: qui eius Imperio tribuunt annum vnum, certum est non numerare ab obitu Othonis, sed ex eo tempore, quo a militibus Imperator est acclamatus. Sed a Iosepho idem dissentit Tacitus, dum ille tradit Vitellium occisum esse mensis Octobris die tertia, Tacitus [c] vero mense Decembri. His rebus gestis, ac vix tandem post cædes & prædas compressis ac ad officium redactis militibus, B ex S. C. [d] T. Flauio Vespasiano miro consensu omnium est decretum Imperium, qui id tenuit annos decem, minus sex diebus, numerando ab eo tempore, quo primum Alexandriæ a militibus (vt tradit Suetonius in Vespasiano [e]) Imperator est salutatus ea qua diximus die. Verum enimvero quòd diuersi diuersum ponant numerum annorum Imperij Vespasiani, inde euenisse videtur, quòd alij numerant a tempore necis Vitellij, alij ex quo per Senatusconsultum est illi decretum Imperium, alij rursum a tempore quo ab exercitu salutatus est Imperator hoc anno, mense Iulio, vt facit Suetonius, qui ait: Tiberius Alexander Præfectus Ægypti primus in verba Vespasiani legiones adegit Kal. Iulij: qui principatus dies in posterum obseruatus est. Iudaicus deinde exercitus V. Idus Iulij apud ipsum iurauit.] hæc Suetonius [f]. Interea vero Vespasianus expecto opportuno tempore nauigandi, Alexandria soluens, Romam se contulit.

[a] Dio in Vitellio.
[b] Tacit. lib. de Oratore.
[c] Tacit. hist. lib. 3.

EX S. C. VESPASIANVS IMPERAT.

[d] Tacit. hist. lib. 4.
[e] Sueton. in Vespas. c. 6.
[f] Sueton. in Vespas. c. 6.

C VI. Quænam admiratione digna Vespasiano contigerint, dum Alexandriæ esset, his verbis Tacitus [g] enarrat: Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriæ statos æstiuis flatibus dies, & certa maris opperiebatur, multa miracula euenere, quis cælestis fauor, & quænam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus ad genua eius aduoluitur, remedium cæcitatis exposcens gemitu, monitu Serapis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit: precabaturq. Principem, vt genas & oculorum orbes dignaretur respergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, vt pede & vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primo irridere, aspernari: atque illis instantibus, modo famam vanitatis metuere, modo obsecratione ipsorum & vocibus adulantium in spem induci: postremo existimari a medicis iubet, an talis cæcitas & debilitas ope humana superabiles forent. Medici varia differere: huic non exesam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapsos in prauum artus; si salubris vis adhibeatur, posse integrari. id fortasse cordi deis, & diuino ministerio Principem electum. denique patrati remedij gloriam penes Cæsarem, irriti ludibrium penes miseros fore. Igitur Vespasianus cuncta fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam vltra incredibile, læto ipse vultu, erecta quæ adstabat multitudine, iuste exequitur. Statim conuersa ad vsum manus, ac cæco reluxit dies. Vtrumque qui interfuere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.] hucusque Tacitus: hæc eadem narrat Suetonius [h], atque etiam alij. D

[g] Tacit. hist. lib. 4.

MIRACVLA TRIBVTA VESPASIANO QVALIA.

[h] Suet. in Vespas. c. 7.

VII. Verum hæc altiori digna sunt indagine. In primis enim præsentia Tyanæi magorum omnium celeberrimi, & Vespasiano amicitia coniunctissimi, nonnihil moueor, E vt existimem ea omnia fuisse eiusdem Apollonij Tyanæi arte excogitata. His enim diebus aderat Alexandriæ, ac pluribus alijs imposturis, quas recenset Philostratus [i], in sui admirationem conuerterat Alexandrinos, aliarumq. prouinciarum, qui illic versari soliti erant, homines. Sed & in his quæ sunt visa miracula, illud etiam considerandum: eas non fuisse eiusmodi ægritudines, quæ (quod refert Tacitus) a medicis curari minime valuissent. Si igitur medici ea præstare potuissent, multo certe facilius dæmones valuere, quorum illud fuit plane consilium, ad obscurandam Christi gloriam, vt quæ olim a Prophetis de Christi regno prædicta essent, tribuerentur Vespasiano. Quod enim de Messia venturo sacris erat litteris consignatum, nempe quòd vniuerso dominaretur Orbi, vt de Vespasiano intelligeretur, plurimis persuasit: Nam (quod Tacitus ait [k]) pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore vt valesceret Oriens, profectiq. Iudæa rerum potirentur: quæ ambages

QVAE CHRISTI SVNT, VESPASIANO ADSCRIPTA.

[i] Philostr. in Apollon. lib. 5.
[k] Tacit. hist. lib. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Suet. in Vespas. c. 4.
[b] Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 12.

Vespasianum ac Titum prædixerant.] hæc Tacitus. Suetonius [a] vero eadem habet in hæc verba : Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur.] Id ipsum & Iosephus [b], cum dicit: Quod maxime eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum, itidem in sacris libris inuentum : quòd eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ imperium habiturus. Id quidem illi quasi proprium acceperunt; multiq. sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem plane responso, Vespasiani designabatur Imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator.] hæc Iosephus: qui impietatis caligine offusus, ea esse de Messia intelligenda vel non nouit, vel dissimulans quod sciebat, temporibus inseruiens, sic est Vespasiano adulatus, vt olim alij Iudæi maiori Herodi, affirmantes illum esse quem Deus pollicitus fuerat per Prophetas; vnde Herodiani sunt dicti.

VIII.

VESPASIANVS A IVDAEIS PLVRIBVS CREDITVS MESSIAS.

[c] Euseb. lib. 3. c. 12.

At si prophetica vaticinia de Vespasiano locuta erant; cur ab eodem postmodum tam exacta facta est perueſtigatio de stirpe Iuda, & familia Dauid, & (vt tradit Eusebius [c]) quos inuenit occidit : nisi quòd in comperto esset, non aliunde quàm ex ea progenie Christum venturum esse? Sed qui errauerunt ab vtero, & locuti sunt falsa, & legitimum germanumq. Messiam contempserunt; non hunc solum, sed & factiosissimos homines principatui inhiantes, seq. illum esse Orbis Principem iactantes, miserrime sunt passi. Sic igitur decepti Iudæorum complures, & inter eos idem Iosephus, in eam prorsus conspirarunt sententiam, vt ea non de Iesu, quem crucifixissent, sed de Vespasiano essent intelligenda. Id quippe iam ante Iudaica superstitio in monte Carmelo, idq. Iosephus historicus (quod ipsemet testatur) eidem Vespasiano prædixerat; quod & Suetonius his verbis significat: Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmauere sortes, vt quicquid cogitaret, voluereteq. animo, quantumlibet magnum, id esse prouenturum pollicerentur. Et vnus ex nobilibus captiuis Iosephus, cum conijceretur in vincula, constantissime asseuerauit fore vt ab eodem breui solueretur.] hæc Suetonius [d]. Et quoniam, qui huiusmodi esset, ab Isaia [e] prædictum erat, fore vt multa operaretur miracula : hac quoque ex parte prouisum fuit, vt idem quasi per laruam quamdam Rex ille maximus appareret, nempe Messias. At illud certe in Vespasiano impleri non valuit, quod de Christi regno prædictum erat, ipsum futurum æternum, nec finem aliquando accepturum; cum nec ad decennium eius Imperium potuerit propagari.

[d] Sueton. in Vespas. c. 5.
[e] Isai. 35.

IX.

MIRACVLA GENTILIVM QVALIA.

[f] Polyb. hist. lib. 16.

Sed quod pertinet ad miracula, quæ non tantum hominibus, sed dijs ipsis a diuersis historicis Gentilibus sunt adscripta : cuius sint fidei, sinceriſsimus testis est Polybius [f], inter eos clarissimus auctor : cuius sententiam rebus his, de quibus agimus, valde accommodatam, hic recitare operæpretium ducimus. sic enim ait: Fama autem est, & creditur apud Vargelietas, quòd statua Dianæ Cindyadis, quamuis sub dio sit, neque nebulam neque pluuiam patiatur; sicut & statuæ Vestæ apud Iassæos. Et ista etiam historiographi nonnulli dixerunt. Ego vero, nescio quomodo, eiusmodi historiographorum sententijs toto hoc tractatu constanter repugno, & succenseo. Videntur autem mihi talia prorsus puerilem sensum recipere, qui citra considerationem non modo absurda, sed & impossibilia complectitur. Etenim si quis corpora quædam sic illuminari posse diceret, vt vmbram non constituant, id animi prorsus esset insensati: quod Theopompus fecit, dicens, eos qui Iouis templum, quod in Arcadia est, ingrediuntur, haud adumbrari. Huic autem conforme est quod iam dicitur. Itaque in omnibus quidem illis quæ plebis pietatem erga numen conseruant, condonandum est nonnullis historiographis, qui de talibus monstrosa loquuntur : in eo vero quod modum hunc excedit, ignoscendum non est.] hæc Polybius; quæ quidem ad verbum hic voluimus exscripsisse, quo appareat, quantæ sint fidei, quæ ab Ethnicis scriptoribus multis chartis de portentis & miraculis, scriptis sunt prodita.

X.

TRIPLICI FACTIONE DIVISI IVDAEI GRASSANTVR IN SE INVICEM.

[g] Iosepho. de bel. Iud. lib. 5. c. 1.

Dum hæc Alexandriæ aguntur, vbi Titus vna cum patre Augusto vsque ad tempus commodioris eius nauigationis agebat : licet a Romanorum armis Iudæi aliquanto temporis spatio quieuissent; nihilominus bellis ciuilibus mutuo digladiantes, longe deteriora, quàm ab externis hostibus, a suismet gentilibus patiuntur. Nam præter illa quæ sunt a nobis summatim superius recensita, addit Iosephus [g], seditionem Hierosolymis inter duas partes, nempe populum ciuitatis atque Zelotas, auctam esse trifariam : primæq. factionis, eorum scilicet qui ex latronibus collecti erant, Simon Gioræ

Gioræ filius princeps erat : secundæ vero, nempe Zelotarum, dux erat Ioannes, de quo superius facta est mentio : tertiæ autem, quæ ab his est dirempta, factionis præses erat Eleazarus Simonis filius, qui interiorem templi partem occupans communiuit, exteriorem vero Ioannes tenebat. Ex quo etiam admirari possimus tantam amplitudinem & magnitudinem templi, in quo duo exercitus sibi ipsis contrarij habitarent absque violatione tertiæ eiusdem partis, quæ dicebatur Sancta sanctorum. Simon vero superiorem ciuitatis partem occupauerat. His igitur in hunc modum diuisis trifariam, digladiantibusq. inter se, templi atrium sanguine inundauit; &, quod vltimum illis exitium attulit, frumentariæ cellæ, in quibus ad plures annos frumentum reconditũ erat, incendio sunt absumptæ. Sed hæc omnia Iosephus pluribus describit; quæ a nobis breuitate contracta sunt, quòd auctor ille in manibus omnium habeatur. Quapropter hoc satis sit dicere, adeo miserrimum populum triplicibus his dilaceratum ac compressum fuisse hostium factionibus, vt pro Romanis, quo citius ciuitate potirentur, vota nuncuparent; rati nimirum, illos licet insensissimos hostes, & acceptas sub Cestio contumelias vlciſci paratos, tamen respectu præsentis, quem experiebantur, infeliciſsimi rerum status, habendos fore amicos cariſsimos, atque optatiſsimos seruatores. Reliqua de his anno sequenti.

XI.

IGNATIVS EPISCOP. ANTIOCHENVS.

[a] Eusebius in Chron. & hist. lib. 3. c. 16.
[b] Euseb. ubi sup.
[c] Orig. hom. 6. in Lucam.
[d] Martyrolog. Rom. & alia die 6. Maij.
[e] Menolog. die 7. Septemb.

Hoc eodem anno, Olympiade ducenteſima duodecima, anno primo (vt numerat Eusebius [a]) Euodio Episcopo Antiocheno ex hac vita sublato, subrogatur qui aliquando collega sedisset Ignatius. Hic (vt idem auctor tradit [b]) sedit annos quadraginta, nimirum vsque ad vndecimum Traiani annum. Ea controuersia, quòd alij successum Petro ab Euodio in sede Antiochena, alij vero dixerunt ab Ignatio, superius a nobis est fusius pertractata. Sed & testatur Origenes [c], post Euodium absque vlla dubitatione eumdem Ignatium tertio loco rexisse Ecclesiam Antiochenam. Quod autem ad obitum spectat Euodij : cum tam Latini [d] quàm Græci [e] æque testentur, illum martyrio ex hac vita esse sublatum; non id accidit, quòd his temporibus a Vespasiano vel Tito aliqua fuerit in Christianos persecutio excitata, quos tradunt moribus fuisse placidos & humanos : nam & Titus sequenti anno Antiochiam pergens, Gentilium tumultum & iras in Iudæos concitatas repressit, ac Antiochenos continuit in officio. Quamobrem quod ad martyrium eius spectat, alia potius causa exquirenda esse videtur : quam quidem eam esse putamus, quæ a Iosepho [f] de rebus Antiochenis agente describitur. Ipse enim dum recenset quæ hoc anno, quo Vespasianus perrexit Antiochiam, Iudæi in ea ciuitate a Gentilibus passi sunt, rem gestam in hunc modum enarrat : Cum Antiochensium populus concionaretur in theatro, Antiochus Iudæus, tum patri suo tum ceteris Iudæis infensus, progressus in medium, patrem suum & ceteros deferebat; insimulans eos, quòd vna nocte totam ciuitatem incendere statuissent : et velut huius consilij participes quosdam hospites Iudæos tradidit. His autem auditis, populus iram cohibere non poterat : sed in eos quidem qui traditi fuerant, ignem iussit afferri; statimq. omnes in theatro concremati sunt. In multitudinem vero Iudæorũ properabant irruere; si eos celeriter vlti essent, patriam suam seruatũ iri existimantes. Antiochus autẽ iracundiam magis accendere, mutatæ voluntatis argumentum, quòd Iudæorũ mores odisset, exhibere se credens, si Paganorũ ritu sacrificaret; idemq. iussit ceteros compelli facere : renuendo enim, manifestos insidiatores fore. Huius autem rei periculo ab Antiochensibus facto, pauci quidẽ consenserũt : alij vero, qui noluerũt, perempti sunt.]

[f] Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 21.

IVDAEI QVID PASSI AB ANTIOCHENIS.

XII.

CHRISTIANI NECATI CVM IVDAEIS.

Hæc & alia Iosephus de cladis in Iudæos illatæ instigatore Antiocho Iudæo cum scribat, facile adduci possumus, vt complures ex Iudæis qui fidem Christi amplexi essent, eiusdem fuerint criminis insimulati, eodemq. experimento tentati, ac ob eam causam martyrij coronam, tum maxime inter eos Euodius, acceperint. Quomodo enim Antiochus peperciſſet Iudæis Christianis, qui se in parentem ceteroſq. gentiles suos tam ferum atque scelestum exhibuit? Vel quonam pacto, qui erant ex circumcisione Christiani, Petri & Pauli discipuli, beatiſsimæ Eccleſiæ illius alumni, non prius millies subijſſent mortem, quàm idolis Gentilium immolarent? Sicq. iure meritoq. existimare possumus, eadem fere ex causa Iudæos Christianos Antiochiæ subijsse martyrium, qua ſimilibus insimulati calumnijs a Nerone Fideles Romæ sunt cæsi. At non hic finis Antiochensium Iudæorum occisionis : siquidem haud multo post, cum scelestiſsimorum quorumdam opera iniecto igne, quamplurima nobiliſsima loca

Universidad de Deusto
Biblioteca

publica incendio conflagrassent, in Iudæos ex priori calumnia culpa conuersa, ne vnus quidem ex eis supersuisset, nisi Præses magna vi illorum impetum repressisset. Sed de causa Euodij martyrij, quam opinamur, hæc satis. A

XIII. EVODII NOMINE SCRIPTA.

Eiusdem Euodij Ignatius [a] scribens ad Antiochenos meminit hoc elogio: Memen-
tote Euodij beatissimi pastoris vestri, qui primus post Apostolos gubernacula Eccle-
siæ vestræ sortitus est: ne simus pudori patri.] Citatur a Nicephoro [b] Euodij nomine scri-
pta epistola, cuius erat titulus, Lumen: quam tamen ab antiquioribus nec citatam, ne-
que aliter cognitam esse reperimus. Idem auctor de eius successore Ignatio olim puero
hæc scripsit: Ignatium tenellum adhuc tamquam simplicem & sincerum manibus suis
Christus sublatum exhibuit; atque simplicitatem & integritatem discipulis ostendere,
aut commendare volens, Nisi efficiamini sicut paruuli, inquit, non intrabitis in regnum
cælorum.] hæc Nicephorus: sed vnde acceperit, non inuenimus. B

a Ignat. epist. 12.
b Niceph. hist. lib. 2. c. 3.

IESV CHRISTI ANNVS 72. LINI ANNVS 3. VESPAS. AVG. IMP. ANNVS 1.

I. TRansacto anno tot cladibus ac malis memorabili, dissolutisq. tot tantisq. ci-
uilibus bellis Romanorum Imperium afflictantibus, feliciori velut aura flante
respirat Orbis, Iudæis tantummodo in deteriora labentibus. Præsenti igitur anno, qui
est Domini septuagesimus secundus, Vespasiano Augusto [c] & Tito Coss. idem Impera-
tor Alexandria Romam nauigaturus, Titum filiũ in Iudæam reuerti iubet [d], vt quod
reliquum esset belli Iudaici, absolueret. Hic Cæsaream primum veniens, omnem, qui C
ad expugnandam ciuitatem opus esset, comparat apparatum. Instabat dies Paschatis,
cuius occasione ingens numerus peregrinorum ex more Hierosolymam ad diem fe-
stum conuenit, putantes fortasse Vespasianum & Titum, quòd ad bella ciuilia arma
diuertissent, de Hierosolymis in præsentiarum minus fore solicitos, sed ad stabiliendum
Imperium omne studium ac operam nauaturos, ac proinde hoc saltem anno ab Hiero-
solymorum obsidione temperaturos. At hæc eos fefellit opinio: nam collectis vndique
legionibus, quas Iosephus [e] recenset, auctoq. exercitu pluribus copijs, Titus decima-
quarta die mensis Aprilis (quod idem auctor testatur [f]) prope Hierosolymam castra
posuit in monte Oliueti, qui ἔλαιὸν Græce [g] dictus est: vnde Dominus (quod dictum est
superius) olim respiciens ciuitatem, fleuit super eam [h], vt qui præ oculis haberet diris-
simam omnium cladem, quam his perditissimis temporibus a Romanis suscepturi es- D
sent Iudæi omnium hominum infelicissimi.

c Tacit. hist. lib. 4.
d Ioseph. de bel. Iud. lib. 3. c. 11. DE OBSIDIONE HIEROSOLYM.
e Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 1.
f Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 4. & 16.
g Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 2.
h Luc. 19.

II. Sed antequam res gestas recensere aggrediamur, hic de dici Paschatis huius anni
tempore difficultas, quæ ex Iosephi textu oboritur, primum omnium elucidanda pro-
ponitur. Quidnam est quòd Iosephus [i] anno obsidionis & excidij Hierosolymæ incidis-
se dicat diem Azymorum in decimamquartam mensis Aprilis: quod cum nullo pote-
rit conuenire nec astronomico, nec cyclico, neque Iudaico computo, neque Christia-
no: cum hoc anno Domini septuagesimosecundo, quo & secundus annus Vespasiani
incipit (secundo namque eius Imperij anno & Iosephus & Tacitus cladem Hierosoly-
mitanam accidisse affirmant) dies decimaquinta mensis Nisan secundum omnem mo-
tus lunaris computum vigesimasecunda die Aprilis, vel certe modo ciuili tardius con-
tigisse probetur. Quapropter cum apertissime demonstrari possit cladem Hierosoly- E
mitanam in hunc annum incidisse, facile inducimur in sententiam Roberti Ardenij vi-
ri eruditi Societatis IESV, vt existimemus hunc locum Iosephi esse corruptũ, conti-
gisseq. librariorum incuria vt numerus XIV. pro XXII. vitiose scriberetur. quod qui-
dem (vt ille optime adnotauit) in Græco facile potuit euenire, si pro κ cum β simul
iunctis & continuatis, quæ litteræ numerũ XXII. significant, ι & δ exarentur. scripto-
ris nãque velocitate facile hæ litteræ ita separantur partim, partim inter se confundun-
tur, vt prima pars litteræ κ, videatur ι, & pars secunda cum β coniuncta appareat δ.
hoc enim modo solent continuari ιδ, atque hoc pacto rite scribitur hic numerus: at
facile diuiditur & confunditur sic, ιδ. cernis quàm facilis calami sit flexus, quàmq.
facilis scriptoris sit lapsus, præsertim scribentis velociter. Sed iam cœptam prosequa-
mur historiam.

i Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 4.

Cum

A Cum igitur (vt dictum est) Hierosolyma conferta esset indigenis & peregrinis; qui intus erant, cum in Romanos progrediendum esset, omni semoto inter se odio, pari-
bus animis, magnaq. audacia id præstitere, adeo vt sæpe Titum cum suis in discrimen
adduxerint. Ceterum dum intus essent, ciuile rursus inter eos bellum incalescebat:
nam ipsa die Azymorum a Ioanne [a] immissis clanculum suis militibus armatis in tem-
plum, quotquot ibi reperti sunt Zelotæ, omnes ad vnum ab illis sunt interfecti; sicq.
ex tribus factionibus duæ tantummodo remanserunt, Ioannis altera, altera vero Si-
monis. In templo itaque Dei ita cædi meruerunt, qui veluti templi honorem æmu-
lantes, tot cædes ibidem perpetrassent. III. ZELOTAE OMNES OCCISI.

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 4.

Inter hæc cum pugnando Titus Iudæum hominem captum audiuit, in crucem
agi pro muro iussit [b], vt eo spectaculo ceteri territi cederent. Post hæc autem admoue-
B ri ad murum machinas iubet: sicq. quinto Nonas Maij primum murum expugnat [c].
Deinde quinto die post Romani sunt secundo potiti [d], atque aggressi tertium. Cumq.
ex Iudæis complures quotidie caperentur, nimirum saltem quingenti per singulos dies,
interdum plures: eos omnes ante oculos ciuium Titus crucibus suffigi iussit; adeoq.
multiplicatus est eorum numerus, vt (quod Iosephus [e] ait) iam spatium crucibus dees-
set, & corporibus cruces. Erant hi, qui ex ciuitate, fame vrgente, foras egredi coacti
sunt. Crucifixi ex illis ipsi sunt, vel absque dubio illorum filij, qui clamauerant in
Christum: Crucifige, crucifige] quiq. dixerunt: Sanguis eius super nos, & super fi-
lios nostros.] IV. IVDAEI A TITO IVSSI CRVCIFIGI.

b Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 7.
c Eod. lib. c. 8.
d Eod. lib. c. 9.
e Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 12.

Cumq. fames magis magisq. in dies inualesceret, eoq. necessitatis ciues compelleret,
vt foras potius optarent egredi, seq. dedere Romanis crucis suppliciũ subituros, quàm
C intus fame perire: Titus hæc sciens, quo magis eadẽ via eos perurgeret, omnem exitum,
ne quis vel ad herbas pascendas egredi posset, occlusit, aggeribus quinque contra vrbem
extructis; quod opus cœptum duodecima mensis Maij, vigesimanona eiusdem mensis
perfectum est. Sed ijsdem a Iudæis dissipatis, Titus nouum opus aggressus est, nempe
murum construere circum ciuitatem, quo omnis penitus interceptus esset exitus. Quan-
ta autem celeritate consummatum sit opus, plane superat humanum captum: quod
Iosephus admirans, in hæc verba descripsit: Murus quidem vno minus quadraginta sta-
diorum erat. Ad hoc autem foris castella tredecim ædificata sunt: eorum gyrus denis
stadijs numerabatur. Totum autem opus triduo constructum est, vt tamen dignum
mensibus videretur, celeritas vero fide careret.] Sic igitur videas iam diuinitus imple-
tum esse, quod illis verbis Dominus prædixerat, dum Hierosolymorum defleret inte-
D ritum [f]: Venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, *f Luc. 19.*
nempe muro, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui
in te sunt.] hinc & alia mala, eo quo prædicta sunt ordine, impleta fuerunt, de quibus
inferius est agendum. V. TITVS CINGIT MVRO CIVITATEM.

Sic ergo muro septi Iudæi, adeo fame vexati sunt, vt innumera hominum multitu-
do sit morte consumpta; quorum corpora ab illis proijciebantur extra mœnia [g]: quæ
circuiens Titus, vbi plena cadaueribus omnia vidit, altamq. saniem tabefactis corpo-
ribus defluentem, ingemuit, & extentis manibus Deum testabatur, factum illud suum
non esse. His accesit noua calamitas. Eorum namque, qui vrbe egressi ad Romanos
confugerent, cum alij auido stomacho cibo gustato protinus interirent, alij vero accu-
ratius, moniti aliorum exemplo, cibum lente capientes euaderent: hos Syri atque Ara-
E bes milites noctu venati, putantes intus habere in visceribus auri depositum, occide-
bant, fœdeq. eorum viscera scrutabantur, an aurum deglutitum reperirent: increbue-
rat enim rumor, eos vrbe egressos, quod haberent aurum, ne ab hostibus auferretur,
voratum in visceribus collocasse. Quorum viscera sic sunt patefacta, vna tantum nocte
duo millia hominum fuerunt reperta, vt idem auctor affirmat. sed eiusmodi immane
facinus Titus mox cohibuit, comminatus supplicij his qui ea deinceps tentarent. Hæc
Iosephus ipse, qui tunc aderat, conscribens, exclamans ait: Deus enim damnauerat
populum, & omnem viam salutis ad interitum verterat.] ac paulo post [h]: Puto, si Ro- *h Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 7.*
mani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse ciuitatem,
aut diluuio perituram, aut fulminum ac Sodomæ incendia passuram.] VI. IVDAEI VENTRE EXECTI.

g Ioseph. de bel. Iud. lib. 6. c. 14. & 15.

Quis autem fuerit numerus eorũ qui intus fame consumpti periere a decimaquarta
mensis Aprilis, qua cœpit obsidio, vsque ad Kalend. Iulij; custos vnius portæ Man- VII.

næus

Universidad de Deusto
Biblioteca

FAME NECATORVM NVMERVS

næus Lazari filius transgressus ad Titum, testatus est, per eam portam sibi creditam elata fuisse cadauerum centum quindecim millia & octoginta, absque illis quæ propinqui sepelissent. Post hæc nobiliores profugi, mortuorum egenorum sexcenta millia portis eiecta nunciabant, aliorum vero numerum minime potuisse comprehendi: nam cum pauperibus efferendis non sufficerent, congesta dicebant in maximis ædibus cadauera esse inclusa.

VIII. Porro cum populum tanta inuasisset fames, vt nec essent herbæ, quibus vesci possent; ex stabulo fimum quærebant in cibum, collectoq. stercore vescebantur. Sed ea magis in dies inualescente, eos nec ab humanis carnibus temperasse, Iosephus testatur [a]. Iam enim calceamentis, cingulisque, ac insuper corijs quibus scuta tegebantur, detractis, insumptis, veterisq. fœni laceramentis magno pretio venditis; quæ his careret, eo immanitatis redacta est, fame improba compellente, nobilis ac prædiues mulier, Maria nomine, filia Eleazari, a seditiosis iam exuta vitæ substantijs, vt quo sibi consuleret, fame rabida impulsa, lactentem filium occiderit, quem comestura mox coxit: cuius nidoris odore illecti milites, qui sibi victum, quacumque possent, raptu quærebant, cum eius peruasissent domum, partem assati filij, quæ supererat, intuiti, detestati facinus, abiere. Moxq. repleta est eius sceleris fama tota ciuitas, & vnusquisque (inquit auctor [b]) ante oculos sibi cladem illam proponens, tamquam hoc ipse admisisset, horrescebat.

[a] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 6.*

MATER NECAT FILIVM AD CIBVM.

[b] *Idem eodem lib. 7. c. 8.*

IX. Hæc ipsa haud dubium longius spectans tempora Dominus Iesus, cum perduceretur ad crucem, & mulieres ipsum lamentantes præ commiseratione vidisset [c], ait: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flere, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: et collibus: Operite nos.] Dixisse credimus hæc illas, his præsertim temporibus, cum tam horrendum Mariæ facinus accepissent; insuper & eadem quæ addit Dominus verba repetisse, videlicet: Si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido? nimirum, Si mulier nobilis ac prædiues eo est necessitatis impulsa, vt ex carnibus filij victum sibi comparare sit coacta, quid erit de ceteris nec diuitijs nec nobilitate pollentibus? Quin & quòd nullum malorum esset effugium, intus fame magis magisq. in dies sæuiente, & circumseptis hostili pariete foras egrediendi omni facultate prærepta, desperatione extrema compulsas easdem illas verisimile est tunc dixisse hæc a Domino prædicta verba: Montes cadite super nos, & colles operite nos: easdemq. lamentantes sæpius lugubres nænias iteraſſe.

IMPLETA DOMINI VATICINIA.

[c] *Luc. 23.*

X. Cum hæc miserrima, qui intus erant Iudæi, cogerentur perpeti mala, ijsdemq. longe deteriora imminerent: licet a Tito per se [d], perq. suos ipsorum gentiles, qui ad castra Romanorum confugerant, ad deditionem honestam sæpius inuitarentur; quin etiam rogarentur, vt si non sui, templi saltem rationem haberent, ne irruentes illud milites inflammarent: tantum abfuit, vt ipsorum saluti Romanos vel Iudæos consulentes audirent, vt his omnibus spretis, obstinato animo se omnia libentius experturos mala iactarent, quàm se dederent Romanis. Titus igitur contestatus Deum & homines, se ad vrbis & templi excidium inuitum compelli, validius turrim nomine Antoniam, quæ erat iuxta templum, oppugnat [e]: quam tandem expugnat [f] vigesimaquarta die mensis Iulij, cum milites iunctam turri ab Aquilone partem porticus templi incendio concremarunt: Occidentalem vero porticum ipsi Iudæi, qui intus obsessi erant, quo Romanos, qui occupauerant illam, perderent, incenderunt vigesimasexta die [g] eiusdem mensis Iulij. Octaua autem die mensis Augusti, Titus ad templum expugnandum machinis comportatis, igni ferroq. oppugnationem aggreditur; commiseratus tamen nobilissimi omnium templi incendium, quod interiora porticus depascebat, restingui iussit. Inde ad consulendum vocatis proceribus, quid de templo esset agendum, singulorum sententias rogat: cumq. complures in eam sententiam irent, templum esse incendio consumendum; ipse sui prærogatiua suffragij, illi parcendum esse decreuit: sicq. iussi sunt milites quiescere, & a templi excidio temperare.

[d] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 2.*

[e] *Idem eodem lib. 7. c. 5.*

[f] *Idem eodem lib. 7. c. 6.*

TEMPLVM INVADITVR.

[g] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 9.*

XI. Sed licet hæc Titus decreuisset, eiusq. dicto refragari nullus auderet; vi tamen Numinis compellente (quod Christus olim prædixerat) factum est, vt cum Iudæi, qui intus

intus detinebantur obsessi, in Romanos, qui foris erant, irruerent: cum eorum furori Romani resisterent, ac tandem illos intro regredi facta compressione compellerent: militum quidam (inquit Iosephus [a]) non expectato cuiusquam edicto, neque tantum facinus veritus, sed diuino quodam motus impetu, a contubernali suo sustollitur, & ex ardente materia raptum ignem in fenestram inserit auream, vnde ad membra circum templum ædificata de Septentrionali regione aditus erat. Flamma vero excitata, ludæorum quidē calamitate dignus clamor exoritur, & ad subueniendum properabant; neque iam vitæ parcendū rati, neque viribus temperandū.] hæc Iosephus. Absens, dum hæc agerentur, Titus erat: qui his acceptis, ad locum properat, vtq. restingueretur incendium iubet, clamat, vrget, instatque, nec ob clamantium strepitum valuit exaudiri: sicq. magis magisq. flamma inualescente, nulla amplius valuit humana ope restingui. Facta est huiusmodi templi conflagratio (vt idem testatur Iosephus [b]) decima die mensis Augusti, qua etiam alias a Rege Babylonis fuerat concrematum: a prima structione templi, quam Salomon Rex inchoauerat, annis mille centum triginta, mensibus septem, & diebus quindecim; a posteriori vero per Cyrum facta, annis sexcentis triginta nouem, & quadraginta quinque diebus, secundum supputationem a Iosepho collectam. Sed cū dicat, eam accidisse anno secundo Imp. Vespasiani: plane significat, se non numerare ab hoc anno, quo, extincto iam Vitellio, cœpit Imperium administrare, sed præterito; cum (vt dictum est) idem Vespasianus ab exercitu salutatus est Imperator.

INCENDITVR TEMPLVM.

[a] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 10.*

[b] *Idem eodem lib. 7. c. 9. 10.*

XII. At vero quid interea Romæ? O rerum humanarum vices contrariæ! Dum in Iudæa templum olim sanctissimum exuritur, prorsusq. disijcitur, ac solo penitus adæquatur: Romæ Capitolium bello ciuili nuper concrematum, a Vespasiano sumptuosissime restituitur: cuius areæ dedicatio facta est magna pompa vndecimo Kalend. Iulij. Scribit rem gestam Tacitus [c]: addit autem Suetonius [d], Imperatorem suo collo extulisse rudem ex veteri ædificio refossum. Sicq. reuulsis fundamentis, exportatoq. rudere, iniectoq. in eis primum auro atque argento, primarius lapis a Pontifice maximo Gentilicijs ritibus consecratus locatusq. est [e]. Vnde magis etiam flagrans Dei ira in Iudæos ostenditur; dum in eorum odium atque inuidiam, non tantum ipsorum templum miserrime deijci, sed delubrum Iouis eodem tempore in sublime magna gloria exædificari permittit, secundum quod olim dixerat per Isaiam [f]: Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.]

VESPASIANVS CAPITOLIVM RESTITVIT.

[c] *Tacit. histor. lib. 4.*

[d] *Sueton. in Vespas. c. 8.*

[e] *Tacit. histor. lib. 4.*

[f] *Isai. 1.*

XIII. Ad tam immensa Iudæorum mala & illud non leue his diebus accessit [g], quòd pseudopropheta iactaret, decipiens populum infelicem, salutem Deum polliceri omnibus qui in templum ascenderent: qui eidem præstantes fidem, eo se contulerunt, & ad sex hominum millia omnes æque incendio sunt insumpti. Addit insuper Iosephus, a seditiosis illis tyrannis, qui his tēporibus aderant Hierosolymis, superinductos fuisse pseudoprophetas multos, qui denunciarent populo, vt expectarent auxilium Dei, ne fugerent, aut deditionem facerent; vt sic vana spe alitos intra mœnia continerent. Hæc quidem, mea sententia, præmonstrasse certo modo visus est Dominus [h], cum de eiusmodi clade agens cum suis, quos, vt fugerent, admonuit; ne hisce falsis pseudoprophetarum promissis deciperentur, hæc est effatus: Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic; nolite credere: Ecce in deserto; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.] At licet de prodigijs nihil Iosephus dicat, rebus bellicis totus intentus; tamen par est credere, eos, vt tam ingentem populum vana spe in officio continerent, aliquid esse malis artibus operatos. Ea enim a Domino prædicta, ad Hierosolymam pertinuisse [i], Augustinus ad Hesychium scribens, pluribus declarauit.

DE IVDAEIS IN TEMPLO CONCREMATIS.

[g] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 11.*

[h] *Matth. 24. Marc. 13. Luc. 17.*

[i] *Aug. epist. 80.*

XIV. Verum & (quod ex Iosepho [k] superius recitauimus) cum esset in oraculis, appropinquasse iam tempus, quo ex Iudæa proditurus homo summa rerum potiturus esset, & dominaturus toti orbi terrarum; quisque illorum seditiosorum principum, vt se esse illum ipsum persuaderet, adsciuerat sibi pseudoprophetas, qui eadem in populū diuulganda curarent; quo sibi hac etiam arte populi gratiam conciliantes, eo modo velut diuinitus sibi concessum auspicarentur imperium. Hæc ipsa erant, quæ Dominus, excidium illius vrbis prædicens, inter alia signa posuit, cum apud Lucam [l] ait: Videte ne seducamini. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum; & tempus appro-

QVO PRAETEXTV FACTIOSI SIBI REGNVM ADSCISCERE STVDENT.

[k] *Ioseph. lib. 4. cap. 12.*

[l] *Luc. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

appropinquauit. Nolite ire post eos.] vel quod est apud Matthæum: Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est: nolite exire.] per hæc enim Simonem sæpius dictum significasse visus est: qui in deserto collectis latronibus, alijsq. perditissimis superadditis, ad quadraginta millia virorum sibi exercitum comparauerat. Quod vero mox addit, dicturos esse, Ecce in penetralibus] non alium præsignasse putamus, quàm Ioannem, quem, eodem Iosepho auctore, vidimus, nedum porticum templi cum Zelotis sibi vendicasse, sed ipsum secundum templum, quod Sanctum dicebatur, occupasse. Sicut igitur intra vrbem diuersarum erant factionum tyranni, qui singuli vniuersi Orbis decantatum oraculis æmularentur imperium: ita etiam diuersi erant pseudoprophetæ, quorum alij alijs studentes, propherantes in populo dicerent: Ecce hic est Christus: Ecce illic: Ecce in deserto: Ecce in penetralibus, templi videlicet. Qui vero illis auscultassent, qui sic dicerent: Ecce in penetralibus: eo abeuntes, omnes æque cum factiosis (vt diximus) consumpti sunt. Sed iam cetera prosequamur, quæ post templum excisum secuta sunt: quæ quidem Iosephus [a], qui aderat, sic describit:

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 13.

XV. TITVS SACRIFICAT IN TEMPLO.

Romani quidem, postquam seditiosi ad ciuitatem confugere, templo itemq. omnibus circũ locis ardentibus, signa in templo posuere contra portam Orientalẽ: ibiq. celebrato sacrificio, maximis cum clamoribus declarabant Titũ Imperatorem. Vsque adeo vero præda satiati sunt milites, vt in Syria, dimidio quàm pridem fuerat, pretio pondus auri veniret.] hæc ille. Assentirer libenter his qui putarunt abominationem desolationis, quam in templo visendam esse Dominus prædixerat, hanc aram ad sacrificium a Romanis recenter erectam, vbi Titus more Gentium immolauit, esse intelligendam; vel signa militaria ibidem affixa, eodem esse nomine nuncupata: nisi Dominus ea prædicens, & ad fugam parandam eadem signa ponens, suos, cum hæc vidissent, ad montes fugiendum esse, admonuisset: nam his diebus, neque his qui in Iudæa erant, quòd excisi prorsus essent, nec his qui Hierosolymis agerent, quòd iam hostium essent, locus aliquis videretur fugæ esse relictus. Ne igitur eam Domini admonitionem fuisse prorsus inanem dicere cogamur; aliam a Domino abominationem esse prædictam, necesse est affirmare; eam nimirum, quam superius, cum de his fusius actum est, longiori habita disputatione, posuimus.

XVI. SACERDOTES OCCISI.

Post hæc autem sacerdotes omnes, qui intus latebant in templi recessibus, cum vix tandem se dederent Tito, eiusdem iussu omnes sunt ad supplicium ducti. Incenso iam templo, inflammandæ etiam ciuitatis a Tito militibus licentia data est: cum filij Izatæ Regis, Helenæ Adiabenorum Reginæ filij, eiusq. fratres cum multis alijs, supplices ad Titum venientes, ab eo suscepti atque seruati, Romamq. sunt ducti. Porro tam Helenam quàm filium Christianos fuisse, superius diximus Orosium non leuiter opinatum esse. His respondent quæ S. Augustinus [b] ad Hesychium scribens tradit his verbis: Non enim debemus ambigere, quando euersa est Hierusalẽ, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcisione crediderant, siue fuerant crediturí, electi ante constitutionem mundi, propter quos breuiarentur dies illi, vt tolerabilia mala fierent.] hæc Augustinus, illum Euangelistæ explicans locum: Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.]

b Aug. epist. 80.

XVII. QVOMODO ET EVA BREVIATI DIES ILLI.

At quomodo fuerint breuiati, complures sententias ibidem recitat Augustinus: sed nobis illa maxime probatur, qua dicitur, Dei consilio munitiones inexpugnabiles a Tito esse citius expugnatas. Nam si tardius Romani Hierosolymis potiti essent, sic illi obsessi atque arctati miseri absque dubio fame penitus consumpti fuissent: sed ea breuitate, seu dicamus potius paucitate dierum id factum est, vt ex plebe immensus plane numerus, ex populo autem (vt idem Iosephus [c] tradit) seruata sint plusquàm quadraginta millia: ex quorum numero aliquot saltem paucos repertos fuisse Christianos; vel si hactenus non fuissent, demum admonitos his tam manifestis signis ac malis perpessis (licet sero) tandem Christi fidem suscepisse, nemo prudens (vt credimus) negarit. Horum ergo causa dies esse abbreuiatos a Domino, omnes facile dicturos esse putamus, maxime qui considerant, ab obsidione vsque ad expugnationem ciuitatis nec quatuor integros menses esse interlapsos: quippe quæ decimaquarta Aprilis a Tito est obsessa, & octaua mensis Augusti in eam primo sunt ingressi Romani, atque decima tandem incensum est templum. Sed reliqua prosequamur.

c Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 15.

XVIII. Exusto penitus templo, capta & incensa etiam ciuitate, superior illa pars vrbis integra

tegra habebatur [a], quæ superiori eminens loco, Sion dicta, ceteris ciuitatis partibus munitior erat. In eam seditiosi ingressi, in primis octo millia Iudæorum & quadringentos ibi inuentos occiderunt, ipsamq. regiam prædati sunt: rursus etiam ceteri Iudæorum, qui ab eis inuenti sunt in cuniculis latitare, crudeliter necati sunt. Titus igitur, vt hos expugnaret, vigesima die mensis Augusti, Sion oppugnaturus, machinas bellicas parat; illisq. absolutis, septima die Septembris aggreditur, & diuino instinctu potius quàm humanis viribus (quod ipse Titus testatus est) ea potitus est: sicq. octaua die mensis eiusdem vrbem integram cum munitionibus cepit, ipso die sabbati (vt auctor est Dio in Nerone) proditaq. tunc sunt a sacerdotibus templi sacra vasa, & Pontificis ornamenta. Qui ex Iudæis se Romanis suppliciter dedidissent, in ambitu templi asseruari iussi; & antequam de eis quid esset agendum decerneretur, duodecim millia fame consumpta sunt.

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 14. 15. 16.

SION ARX CAPTA A TITO.

XIX. NVMERVS OCCISORVM ET CAPTIVORVM.

Demum Iosephus [b] colligens interemptorum & captiuorum numerum (vt qui præsens facile inuenisse potuit) hæc ait: Captiuorum quidem omnũ, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium comprehensus est numerus, mortuorum vero per omne tempus obsidionis vndecies centum millia. Horum plerique gentiles fuere, sed non indigenæ: ab omnibus enim regionibus ad Azymorum diem festũ congregati, bello subito circumfusi sunt: vbi primo quidem illis pestifera lues ex loci angustia nasceretur, deinde citius fames.] hæc & alia ille; qui ex hostijs eo Paschatis tempore cædi solitis, & numero per contubernia epulantium, eorum qui tunc Hierosolymis essent, deducit numerum, atque subdit, saltem numerum eorum qui puri essent, quibus liceret solum vesci azymis, fuisse ad vicies centena ac septingenta millia: porro ingentem oportuit fuisse illorum numerum, qui necessitate naturæ, vel alia ex causa puri minus essent. Tunc ergo, inquit, velut in carcerem tota gens fato conclusa est, & farta hominibus ciuitas obsidebatur.] Eorum qui erepti sunt [c], alij ad opera damnati, missi sunt in Ægyptum; alij qui formosiori essent corpore, triumpho seruati sunt: plurimos robustos viribus elegit Titus per prouincias pugnaturos in theatris cum bestijs. Qui vero infra decimum & septimum annum agerent, simul cum feminis venditi sunt, sed vilissimo pretio, eo quòd non reperirentur emptores, & qua alerẽtur deesset annona.

b Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 17.

c Idem eodem lib. 7. c. 18.

XX. CIVITAS DIRVTA, PAVCIS MEMORIAE CAVSA RELICTIS.

Sic igitur capta ciuitas, non tantum inflãmata, sed solo tenus prostrata est: id namque prædixerat Dominus [d], dum flens miserabilem vrbis casum, inter alia hæc prælocutus addidit: Et in terram prosternent te.] ac item [e]: Non relinquetur in te lapis super lapidem, qui non destruatur.] Hæc de templo dicta sunt, cuius lapides & structuram adeo admirabantur Apostoli: cũ alioqui tam ingentes simul plumbo ferroq. connexi ijdem lapides essent (quod superius iam dictum est) vt impossibilis plane eius videretur demolitio. Verum adeo collapsum, contritum, atque conuulsum fuit templum cum ceteris immensæ molis ædificijs, vt nec ipsius saltem vestigia, quòd illic aliquando fuissent, reliqua viderentur; sicut nec reliquæ ciuitatis, cuius tantum pars muri ad castrorum munitionem relicta esset, tribusq. solummodo permanentibus turribus, quæ essent quasi indices, vt qualis Hierosolyma tunc fuisset, nescientibus demonstraretur. quod Iosephus [f] his potissimum verbis significat: Postquam vero quos occideret, quidve raperet, non habebat exercitus, quòd iratis animis omnia deerant (neque enim parcendo, si esset quod agerent, abstinuissent) iubet eos Cæsar totam funditus iam eruere ciuitatem, ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phasselo, & Hippico, & Mariamne, muriq. tanto, quantum ciuitatem ab Occidente cingebat: id quidem, vt esset castrũ illic custodiæ causa relinquendis: turres autem, vt posteris indicarent, qualem ciuitatem, quàmve munitissimam Romanorum virtus obtinuisset. Alium vero totum ambitum ciuitatis ita complanauere diruentes, vt qui ad eam accessissent, habitatam aliquando esse vix crederent.] hæc Iosephus.

d Luc. 19.

e Luc. 21.

f Ioseph. de bell. Iud. lib. 7. c. 18.

XXI.

Ipse tamen in his considerandis, in eo se obtusum potius ac minus veri amantem, quàm ingenio perspicacem atque disertum præbuit, dum causam disquirens, cur tanta mala Iudæos inuasissent, adscribens ea omnia seditiosorum illorum criminibus, hæc addit, dum de clade Hierosolymitana agit [g]: Nulla alia re tantis infelicitatibus digna, nisi quòd talem progeniem, qua subuersa est, edidit.] hæc ille; sed humiliter & abiecte nimis rem tantam perpendens atque considerans, quæ esset pœna peccati, eamdem existimauit causam esse supplicij; immemor & quod superius dixisset, existimatum

g Idem eodem lib. 7. c. 29.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EX QVONAM DELICTO TALIA PATI MERVERE IVDAEI.

tum ob necem illatam Iacobo Iusto tanta mala infelices apprehendisse Iudæos. Ceterum si quis huius sæculi Iudæorum peccata consideret, menteq. reuoluat maximum omnium existimatum esse peccatum impietatem, cum scilicet relicto Dei cultu, populus idola Gentium coleret (hoc enim nullum immanius videbatur posse scelus existimari) cuius rei causa captiuitatem Babylonicam, & alia grauissima olim passi essent mala: rursumq. attendat, a nullo magis quàm ab hoc Iudæos præsenti sæculo abhorruisse peccato: nam nonnisi de Tiberio filio Alexandri Alabarchæ testatur Iosephus defecisse a ritu patrio ad Romanorum superstitionem, & si qui forte ex ijsdem illi adhæserunt: adeo vt dici non possit crimen fuisse publicum omnibusq. commune, vt alias factum a Iudæis reperitur: nec par sit credere, ob leuiora delicta maximam omnium esse a Deo cladem inflictam: inducat ipse Iosephus in animum necesse est, ab eis admissam fuisse impietatem, ac crimen maximum omnium, & quod superet idololatriam. At quodnam illud esset, a nobis est perspicue declarandum. Id certe non potuit peccatum esse in Iacobum scelestissime perpetratum: nam & aliàs sæpius, testimonio Domini, certum est a Iudæis occisos esse sanctissimos viros atque Prophetas; nec tamen vmquam talem, ob eam causam, tantamq. eos expertos esse vindictam. Ex vindictæ igitur pondere cum iure quisque dixerit immanitatem pensandam esse delicti; non aliud quidem quod illis adscribat, inueniet, nisi horrendum illud & maxime omnium execrandum facinus, quod in Christum Dei Filium a Patre missum, tot oraculis Prophetarum prænunciatum, ac etiam tot tantisq. miraculis illustratum, ac testimonijs declaratum, ante annos trigintaocto iniquissime atque immanissime admiserant. Quod si defuisset, cetera ab eis admissa delicta eius generis fuisse videbantur, quæ etsi captiuitate fuissent expianda (vt alias factum erat) temporanea, non tamen perpetua & omnium immanissima desolatione plectenda.

XXII. IVDAEORVM SCRVPVLOSA LEGIS OBSERVATIO.

Verum quod spectat ad exactum Iudaicæ religionis huius temporis cultum: mecum ipse præsens sæculum ac etiam præteritum mente contemplans, ipsos video, in his quæ ad externa pietatis officia pertinent, religiosiores suis maioribus atque præstantiores fuisse. Nunc enim ante oculos ponamus quæ pluribus superius dicta sunt, sed hic breui compendio repetenda; quanto propensiora erga legis obseruationem fuerint studia Iudæorum: vt cum idolorum subiecti essent cultoribus, ne leui quidem eorum impietatis macula fœdarentur, & idololatriæ vel leui vmbra attingerentur. Meminisse igitur in primis debemus (vt ex his quæ post Christum natum sunt facta, exordiamur exempla) nobilissimos iuuenes, vitæ dispendio, sæuissima suscepta morte, aquilam auream, quam pro foribus templi Herodes affixerat, detraxisse, ac securibus concidisse[a]. Quanta constantia insuper Pilato restiterunt, qui non in templo, sed in suo palatio scuta, eademq. (vt ex Philone[b] superius docuimus) sine imaginibus in regia ipsa tantum, domicilio Præsidum, dedicaturus erat? Quo vero ardore etiam Vitellium Syriæ Præsidem, ne cum exercitu Romano, quòd haberet militaria insignia imaginibus ornata, per Iudæorum regionem transiret (quòd nefas esse ducerent in terra sancta quauis occasione imagines inspici) fuerint enixius deprecati, idem sane Iosephus[c] est auctor. Quali quantaue animi fortitudine Caio Imperatori tum in Ægypto, tum in Iudæa restiterint, quantasq. clades subierint, cum ipsi soli in vniuerso orbe Romano ipsum Caium Deum dicere nollent, satis superq. Philo[d] scripto de ea re commentario declarauit. Quas pugnas, quæue subierint pericula, cum Cæsarienſibus atque Dorensibus non patientes vel fumo idololatriæ pollui, ex Iosepho[e] satis dictum est superius. Quàm insuper acerrimi fuerint violatæ religionis vltores, Cumana[f] tempora testata sunt. Quot religionis seruandæ causa diuersis temporibus insigniores Romam ad Imperatores legauerint, haud erit facile recensere. Quàm etiam obseruantes fuerint legis patriæ, vel ex eo saltem potest quisque colligere, quòd patria lingua loquentes, execrarentur eos qui Gentibus vel saltem idiomate communicarent[g]. Quàm denique ipsi quoque Iudæorum principes his diebus patriæ religionis fuerint studiosi, de Agrippa Rege satis superq. & admiratione quidem ac stupore digna recitauimus ex Philone: et de Berenice vidimus ex Iosepho, eam adeo fuisse piam, vt inter Nazaræos profiteri non erubuerit.

XXIII. Ceterum tantum abfuit vt ob idololatriæ peccatum Iudæi tot cladibus fuerint exagitati, vt vnus ex eis nobilissimus (cuius sæpe mentio facta est superius) Tiberius Alexander

a *Ioseph. antiq. lib. 17. c. 8.*
b *Philo de leg. ad Caium.*
c *Ioseph. antiq. lib. 18. c. 7.*
d *Philo de leg. ad Caium.*
e *Ioseph. antiq. lib. 19. c. 6.*
f *Idem antiq. lib. 20. c. 4. 5.*
g *Ioseph. antiq. lib. 20. in fine.*

A xander a Iudaismo deficiens, cum ad superstitionem Gentilium abijsset, non tantum aliqua pœna diuinitus affectus sit, quin potius non sine diuino consilio summis honoribus a Romanis auctus fuerit, qui & his diebus nobilissimum omnium magistratum ageret, Augustalem præfecturam Ægypti; eidemq. aduersus Iudæos vna cum Vespasiano & Tito egregiam nauanti operam, ex animi sententia cuncta succederent. Sicq. videas, Iudæorum peccatum vsque adeo immane fuisse, vt ex eis qui esset idolorum culturæ insigni impietate notatus, visus sit dignus præmio, eoq. vsus fuerit Deus vindice omnium scelestissimi criminis Iudæorum. TIBERIVM APOSTATAM SECVTA SVNT MVLTA FELICIA.

XXIV. Contra vero si quis horum temporum consideret Iudæorum animum erga Dei cultum propensiorem: dicet certe non eius neglectu eos tot incurrisse mala. Sane quidem haud satis digne admirari valeo, dum mecum ipse recogito, ac mente diutius voluo,
B quòd hoc ipso anno, cum Romanorum hostilis ageret in Palæstina aduersus Iudæos armatus exercitus; cumq. a seditiosis trifariam inter se diuisis, immanissimis cladibus ciuitas vrgeretur, quam & depopularetur simul (vt vidimus) crudelissima fames: nihilominus, hoc inquam ipso anno, eo ipso tempore, perinde ac si summa esset rerum tranquillitas, & affatim abundaret annona, nihil prorsus remittentes officij legitimi, omnes ex more ex diuersis Orbis regionibus ad celebrandum Pascha se Hierosolymam contulerunt, immo & concluserunt. Quis hæc considerans, non admiratione tantum, sed plane stupore mentis extra sensus corporis efferatur? Ex his sane perspicue videas quàm iniqua lance Iosephus expendat iudicium diuinæ vindictæ: dum vult recentioribus factiosorum quorumdam Iudæorum sceleribus, innocentes omnes, quotquot ex diuersis Orbis partibus ad diem festum venissent, talia passos esse; & quotquot insuper
C post illos ex eodem germine nascituri essent, omniũ dirissimam eamdemq. perpetuam experturos esse vindictam. Illorum quippe nequitia, velut quadam virga furoris ad infligendas Iudæis meritas pœnas, vsus est Deus; quos tali perfunctos munere æque puniuit. Sed de his modo satis. IVDAEI LEGITIMORVM OBSERVANTISSIMI.

XXV. Quod autem ad tempus tantæ cladis illatæ spectat: idem qui hæc omnia prædixit Redemptor humani generis Iesus Christus, malorumq. omnium causam quam diximus, suis discipulis reserauit; & non tantum signa quæ præcederent demonstrauit, sed & vt se res esset habenda pariter significauit; idem inquam, & tempus quo hæc essent implenda, voluit declarasse: quippe qui dixit[a]: Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant: cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.] Vidit vtique ea ætas & generatio, quæ ab ipso prædicta sunt; cum
D nonnisi trigintaocto annorum spatium (vt dictum est) ab eo tempore intercesserit. Ea igitur cum necessario referenda sint ad Hierosolymitanum excidium, cuius facta est rogatio, ac data responsio: miramur nonnullos interpretes vehementissime laborare, vt ad Domini aduentum ad iudicandum ea verba possint accommodare: cumq. quantumuis laboris insumpserint, id haud feliciter sibi ipsis assecuti videantur, mystice potius, vel aliquo alio sensu eadem fuerint verba interpretati: cum re vera ille sit historicus sensus, idemq. germanus, vt de Hierosolymorum excidio ea a Domino fuerint verba prolata. TEMPVS CERTVM CLADIS HIEROSOLYMITANAE PRAEMONSTRATVM.

a *Luc. 21.*

XXVI. Obseruandum quidem ex verbis illis, quæ tum a Matthæo & Marco, tum etiam a Luca sunt recitata (quod & superius memini me dixisse) ea responsione Dominum duplici Apostolorum rogationi satisfacere voluisse: nimirum, quòd illi de tempore quo es-
E set templũ excidendum, & quando ad iudicandũ venturus esset, Dominum rogassent, dicentes: Quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui?] ipse cum in primis quæ rem vtramque signa atque prodigia præcessura essent, aperuisset; quod ad tempus pertinet, priori tantum illorum petitioni sic satisfaciendum putauit, vt palam faceret quod petierant, nempe vt eadem ætate omnia illa, quæ scilicet ad eam rem spectabant, euentura fore significaret: posteriori vero petitioni nequaquam. Nam quod ad sui aduentus tempus spectat, hæc habet Marcus[b] Christum dixisse suis: De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.] Itemq. rogantibus ijsdem de his alias, dixit[c]: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.] Quamobrem nihil est quod dici possit, ea verba de excidio Hierosolymæ dicta, ad aduentum Domini debere referri. Ceterum tam Apostoli, quàm discipuli, simulq. omnes Christiani (vt ex Pauli, Petri, Iacobi, atque Ioannis epi- TEMPVS DIEI IVDICII OCCVLTVM RELICTVM.

b *Marc. 13.*
c *Act. 1.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

stolis compertum habetur) æque existimabant breui affore Domini aduentum ad iudicandum: quod tamen (vt dictum est) eos penitus latere voluit. Nec quemquam moueat, quòd vltimo loco ea verba a Luca sint posita, quasi ob eam causam referenda essent ad Domini iudicandum aduentum: nam cum ea quæ sunt a Domino dicta, ab Euangelistis diuerso referantur ordine, satis aperte declaratur, ipsos (vt alias sæpe accidit) non quo ordine ea a Domino sunt narrata, sed potius quæ dicta essent, scriptis mandasse, sicq. mixtim ea signa ab eisdem esse diuerso ordine recitata. Prudens igitur lector quæcumque a Domino prædicta cognouerit, quæ Hierosolymorum excidium non præcesserint, certo sciat in aduentu Domini eadem fore implenda: eoq. certius id accipiat, quòd sicut ea quæ de Hierosolymitana clade fuerant prænunciata, esse in omnibus adimpleta iam videt; cetera quoque quæ de suo aduentu eodem orationis contextu sunt asserta, æque euentura non dubitet.

XXVII. Quod rursus ad tempus spectat: Hierosolymorum ciuitatis excisæ annos Iosephus sic numerat [a]: A Rege Dauid vsque ad Titum annos mille centum septuaginta nouem: ex quo autem est condita, vsque ad excidium, annorum duo millia centum septuaginta septem.] Porro eiusmodi historia non a Iosepho tantum scriptis memoriæ prodita est; sed, vt rem omni æuo memorabilem, scriptores etiã Ethnici sua historia sunt fusius prosecuti, vt inter alios Tacitus [b], cuius tamen fides in recensendis Iudaicis rebus sic vacillat, vt merito Tertullianus [c] eumdem mendaciorum loquacissimum appellet; quem & nos superius, alia oblata occasione, cum opus fuit, refellimus. Attigerunt eadem Suetonius, Plutarchus, & Dio: sed & in Chronicis Phlegon Hadriani libertus (vt auctor est Origenes [d]) eiusdem cladis templi & ciuitatis meminit, atque accidisse ait circa annum quadragesimum a decimoquinto Tiberij Cæsaris: re vera autem ab eo tempore vsque in præsens quadraginta & vnus numerantur. Auctor est Minutius Felix in Octauio, eamdem Iudæorum cladem scriptam quoque fuisse ab Antonio Iuliano, sic dicens: Scripta eorum relege: vel si Romanis magis gaudes (vt transeamus veteres) Flauij Iosephi, vel Antonij Iuliani de Iudæis require: iam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam; nec quicquam accidisse, quod non sit his, si in contumacia perseuerarent, ante prædictum.] Verum non tantum lucubrationes Antonij Iuliani exciderunt, sed nec nomen eius apud alium aliquem veterem memini me legisse, nisi apud vnum [e] Gellium in Noctibus Atticis, vbi egregium rhetorem magnopere laudat. Post hos omnes Hegesippus, non maior ille vicinus temporibus Apostolorum, sed alius longe iunior, quem constat vixisse post tempora Constantini, eamdem rerum gestarum historiam Græce conscripsit. Fertur alia eiusdem argumenti tractatio, auctore Iosepho quodam, qui inscribitur filius Gorionis, qui eodem vixit tempore dictæ cladis, a quo dictus Hegesippus nonnulla mutuatus aggregat, & inter alia lamentationem illam de Hierusalem, adinstar Hieremiæ Lamentationum lugubrium: verum cum in multis auctor ille reperiatur errasse, nec illum esse putemus auctorem qui habetur inscriptus, libentius abstinuimus.

XXVIII. Subactis in hunc modum Iudæis a Tito, imperatum est illis tributum, nimirum vt quod in templum inferre quotannis soliti essent didrachma, illud ipsum penderent Ioui Capitolino. Affirmat Iosephus [f] hoc ipsum de didrachmate a Tito imperato Iudæis tributo. Agens etiam Origenes de eodem tributo Iudæis indicto, vt persoluerent Romanis, idem ipsum sua ætate ab eis pendi solitum testatur in epistola quam scripsit ad Africanum. Sic igitur hoc anno Iudæi subacti a Romanis, numquam amplius post hæc seruire desierunt, aut definent aliquando, vsque ad mundi finem: nec enim est spes aliqua restituendæ iterum Hierosolymæ, vel templi denuo excitandi: nam secundum quod a Daniele [g] prædictum est, vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Experimentum quidem eius rei est hactenus demonstratum, cum sub Ethnicis Imperatoribus semper eos constet fuisse vexatos: sed & cum Christianæ fidei apostata in inuidiam & odium Christianorum, omnibus Romani Imperij viribus conatus est templum iterum restituere, territi opifices prodigijs atque portentis, terra etiam euomente ignes, a cœptis desistere coacti sunt. sed de his suo loco plenius. At nec certe quæ passi sunt Iudæi ab Ethnicis, ea contigerunt instigatione Christianorum: nam si quis cuncta exacte perquisitigarit, inueniet profecto illos semper Gentilium Imperatorũ fuisse exagitatos edictis, Christianorũ vero Augustorum (vt quæ de his

[a] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 18.*

SCRIPTORES CLADIS HIEROSOLYMITANAE.

[b] *Tacit. lib. 5. hist.*

[c] *Tertul. in Apolog. c. 16.*

[d] *Orig. in Matthæum tractat. 29.*

[e] *Gellius lib. 1. cap. 4.*

TRIBVTVM IVDAEORVM ROMANIS DARI SOLITVM.

[f] *Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 28.*

[g] *Daniel. 9.*

his extant editæ sanctiones declarant) fuisse officijs & beneficijs affectos.

Tanta igitur clade exagitata gens Iudæorum, omnibus Gentibus est reddita odiosa: sicq. exuta templo, sacrificijs, & ciuitate, per diuersas Orbis partes (vt olim Cain, quòd interfecisset fratrem suum, vagus factus est & profugus super terram) semper aberrans, cunctis nationibus est reddita abominabilis: vbique & in omnibus proterue se gerens. vnde Rutilius [a] Clementianus: XXIX.

a Rutil. in Itinerar.

Atque vtinam numquam Iudæa subacta fuisset
Pompeij bellis, imperioq. Titi.
Latius excisæ pestis contagia serpunt,
Victoresq. suos natio victa premit.]

IVDAEI VBIQVE VAGI ET ODIO HABITI.

Hæc de Iudæis esse intelligenda, & non de Christianis, qui a Gentilibus sæpe sæpius Iudæi dicti reperiuntur, fidem faciunt ea quæ ab Augustino [b] de Seneca dicta sunt, & in primis de Christianis, his verbis: Christianos tamen iam tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare Seneca ausus est: vel ne laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra forsitan suam voluntatem. De illis sane Iudæis cum loquitur, ait: Cum interim vsque eo sceleratissimæ gentis consuetudo conualuit, vt per omnes iam terras recepta sit, victi victoribus leges dederunt.] hæc & alia ibi S. Augustinus de Iudæis. Sed & [c] Prudentius:

b Augustl. lib. 6. de Ciuit. Dei c. 11.

c Prudent. in Apotheo. contra Iud.

——— extirpata per omnes
Terrarum pelagiq. plagas tua membra feruntur.
Exilijs vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede reuulsus,
Supplicium pro cæde luit, Christiq. negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.
En quo priscorum virtus defluxit auorum.]

Sic itaque etsi secundum propheticum oraculum illud, quod præcinuit Dauid [d], acciderit: Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei: sed disperge illos in virtute tua, & depone eos] iusta vltione e terra penitus meruissent auferri: misericorditer tamen actum est, ne penitus consumerentur; verumtamen sic viuerent, vt vbique essent in opprobrium Gentibus, & in derisum omnibus nationibus. Quàm impar ceteris populis a Romanis deuictis fuerit sors Iudæorum, considerans Augustinus [e] ceteras gentes a Romanis subiugatas, easdemq. sic fuisse Romanis compaginatas, vt Romani æque dicerentur: Omnes, inquit, Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur: Iudæi tamen manent cum signo, nec sic dicti sunt, vt a victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille est, qui cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum, ne quis eum occideret: hoc est signum, quod habent Iudæi.] hæc ipse: qui omnia in Christianorum vtilitatem multipliciter a Deo permissa esse, pluribus explicat. Enimvero quod ad Romanorum nomen pertinet, Iosephus Iudæus hæc ait: Romanorum clementia cunctis non paruulum donum appellationis suæ concessit, non solum viris singulis, sed etiam maximis gentibus in communi: Hispani denique antiqui, & Tyrrheni, & Sabini, Romani vocantur.] Iudæi vero vbicumque locorum sint, Iudæi semper nominati habentur, nec vmquam Romano dignati nomine. XXX.

d Psal. 51.

e Aug. in Psal. 58.

IVDAEI RELICTI IN SIGNVM PATRATI SCELERIS.

Porro non tantum ex nomine (quod plane tetrum Imperator [f] appellat) sed & alijs innumeris plane signis, quibuscumque sæculis Iudæos fuisse notatos, facile quis inueniet: quippe qui a militia, magistratibus, alijsq. publicis officijs, & ijs quæ alijs compluribus nationibus, licet barbaris, concessa fuerunt, priuilegijs, reperiuntur fuisse discreti. An non perpetuæ illis infamiæ nota inusta videtur, cum eorum corporibus tam grauis fœtor inhæserit? ex eo enim & nomen sunt assecuti, vt fœtentes Iudæi nomine dicerentur. vnde Ammianus Marcellinus [g] hæc scribit de Marco Imperatore: Ille enim cum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium sæpe tædio percitus, dolenter dicitur exclamasse: O Marcomanni, o Quadi, o Sarmatæ, tandem alios vobis deteriores inueni.] hæc Ammianus. Sic igitur videas, non dicam Christianorum sententia (quorum est omnium misereri, & nemini insultare) sed Ethnicorum omnium per singula sæcula de Iudæorum infelicitate elogia esse decantata, natura ipsa in eos inclamante, vnaq. omnium sententia confirmante, eos cunctorum mortalium esse miserrimos. XXXI.

f l. 19. de Iud. Cod. Theod.

IVDAEI ETIAM FOETORIS SIGNO INFAMES.

g Ammianus Marc. lib. 22.

Universidad de Deusto
Biblioteca

XXXII. DE LVCTV ANNIVERSARIO IVDAEORVM.

At vero nec illud dicere prætermittimus; Iudæos, noscentes se templo ac ciuitate penitus spoliatos, omniumq. esse infelicissimos; vt saltem lacrymis, quod aliunde non possent, solamen aliquod inuenirent; consueuisse anniuersaria die, persoluto tamen pretio (cum aliter non liceret) ea adire loca, lacrymas fundere, & misere lamentari. Vnde S. Hieronymus [a]: Vsque ad præsentem, inquit, diem perfidi coloni, post interfectionem seruorum, & ad extremum Filij Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Hierusalem: et vt ruinā suæ eis flere liceat ciuitatis, pretio redimunt: vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas. Videas in die quo capta est a Romanis & diruta Hierusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq. obsitos, & in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes: congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει eius, de Oliueti monte quoque Crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & sparsi crines, & miles mercedem postulat, vt illis flere plus liceat. Et dubitat aliquis, cum hæc videat, de die tribulationis & angustiæ, de die calamitatis & miseriæ, de die tenebrarum & caliginis, de die nebulæ & turbinis, de die tubæ & clangoris? Habent enim & in luctu tubas; &, iuxta prophetiam, vox solemnitatis versa est in planctum. Vlulant super cineres sanctuarij, & super altare destructum, & super ciuitates quondam munitas, & super excelsos quondam angulos templi, de quibus quondam Iacobum fratrem Domini præcipitauerunt. Hæc de captiuitate dicta sint Iudæorum.] hucusque Hieronymus. Atque hactenus de Iudæorum clade & excidio Hierosolymæ.

[a] Hieron. in Sophoniam c. 1.

XXXIII. DE MODESTIA TITI.

Titus vero his rebus magnifice gestis, nequaquam animo se extulit, neque ea victoria insolenter vsus est: quippe qui optime nosset, non humana virtute, sed Dei iusta vindicta, Iudæorum regionem & ciuitatem esse deletam. Quamobrem oblata sibi corona aurea a prouincijs proximis noluit coronari, testatus se prorsus indignum. Idq. Philostratus [b] his verbis affirmat: Interea Titus captis Hierosolymis, omnia circum loca cadaueribus compleuerat. Finitimæ autem gentes ob victoriam coronare ipsum voluerunt: ille vero tali honore indignum se esse respondit: non enim se talium operum auctorem, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti manus suas præbuisse.] Quomodo autem Apollonij monitis nonnihil perfecerit, idem auctor pluribus narrat.

[b] Philostratus lib. 6.

XXXIV. TITVS A DANIELE PRAEMONSTRATVS.

Hoc ipsum namque erat in diuinis oraculis, nempe in Daniele [c]: Ciuitatē & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: et finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.] Populus namque Iudaicus (licet alij Romanum intelligant) in se ipsum (vt vidimus) arma conuertens, cæde & incendio perdidit ciuitatem, quam Titus dux exercitus solo penitus adæquauit, ita vt fieret plane vastitas & desolatio. Eiusmodi vaticinio certo annorum præscripto numero declarato, satis perspicue Iosephus intellexit Iudæos per Vespasianum ac Titum profligandos atque sternendos. Sed errore lapsus est, dum quem ducem venturum agnouit, eumdem ipsum esse putauit de quo est scriptum in Genesi [d]: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est (seu, cui repositum est:) ipse erit expectatio Gentiū.] ac proinde eidem vaticinatus est Orbis imperium, confundens simul ducem qui venturus esset ad saluandum, cum eo qui demoliturus esset ciuitatem & sanctuarium. Cetera vero de triumpho Titi dicemus anno sequenti, quo exhibitus est: nam reliquam huius anni partem, & sequentis principium vsque ad nauigationis opportunum tempus, Titus egit in Palæstina; postea vero Antiochiam pergens, parteq. Syriæ peragrata, tandem se contulit Alexandriam, vnde postea Romam solueret. sed quæ in singulis memoratis locis ab eodem sint laudabiliter gesta, Iosephus [e] pluribus narrat.

[c] Daniel. 9.

[d] Genes. 49.

[e] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 19. 20. 24.

IESV CHRISTI ANNVS 73. LINI ANNVS 4. VESPAS. IMP. ANNVS 2.

I. A Dueniente Christi anno septuagesimotertio, Vespasianus Augustus secundo & M. Cocceius Nerua Consulatum gesserunt. Qui autem ordinarijs Consulatibus etiam

etiam suffectos adnectunt, ponunt hoc anno Consulatum tertium Vespasiani, vt Iulius Frontinus [a]. Verum qui olim in Fastis Consularibus fuerit ordo seruatus, dicemus anno sequenti. Hoc igitur anno Titus cum manubijs Iudæorum ex Ægypto Romam veniens, de parta gloriosa victoria nobilissimum triumphum egit, qui a Iosepho [b] describitur. At ex his pauca tantummodo (quod instituti ratio exigit) attingemus. Ducti sunt in triumphum Ioannes & Simon, illarum factionum, quarum causa tot mala sunt oborta & consummata, præcipui duces, & cum his alij insuper septingenti viri, electi robore, & forma præstantes, ad hoc delecti atque seruati. Hinc videre est in antiquis compluribus numismatibus [c] Titi Imperatoris, trophæum cū duobus captiuis assidentibus effigiatum; similiter & triumphalem quadrigam, quam duo itidem captiui præcederent. Sunt & alia Vespasiani signo notata numismata, quorum alijs inest mulieris figura sedens humi ad trophæum, alijs eadem mulieris effigies mæstæ sedentis sub palma, quæ erat Iudææ prouinciæ hieroglyphicū; hac inscriptione signatis: IVDAEA CAPTA. S. C. quorum subiecimus tibi, has quas intueris, expressas formas.

[a] Iul. Fro. lib. 2. de aquaduct. TITVS DE IVDAEIS TRIVMPHVM EGIT.

[b] Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 24.

[c] Collegit, & edidit Adolphus Occon. lib. de Rom. Imp. numis.

d

[d] Ex num. argent. Lalij Pasqualini Rom.

e

[e] Ex num. aureo Lalij Pasqualini Rom.

Quis, amabo te, ista videns, consideransq. Iudææ sub mæroris confectæ forma mulieris imaginem repræsentari, non continuo illud Hieremiæ [f] lamentationis in memoriam reuocet de Hierosolyma ab hostibus capta: Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentiū: princeps prouinciarū facta est sub tributo. Plorans plorauit in nocte, lacrymæ eius in maxillis eius: non est qui consoletur eā ex omnibus caris eius, &c.] vel illud funestum atque lugubre indignationis Dei in eam effusæ [g]; Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: proiecit de cælo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui?]

[f] Thren. 1.

[g] Thren. 2.

Quod rursum ad triumphum Titi Vespasiani pertinet: adhuc visitur Romæ ad radices Palatini in arcu triumphali marmore sculptum candelabrū cum alijs victoriæ insignibus, quæ perducta sunt in triumphum; atque ex aduerso Titi triumphantis quadriga; hacq. inscriptione fornix in frontispicio consignatus: SENATVS. POPVLVS QVE. ROMANVS. DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F. VESPASIANO AVGVSTO. Sed & in lapide seorsum posito hæc etiam [h]: II.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO. PONTIFICI. MAXIMO
TRIBVN. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. PP
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R
QVI. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIIS. QVE. ET

[h] Describit Manutius in Orthogr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

AVSPICIIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET VRBEM. HIEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVS. QVE. AVT. FRVSTRA PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT A

III. DE TEMPLI SPOLIIS IN TRIVMPHVM DEDVCTIS.

Sed cum clarissimi triumphi pompam quamplurima ornamenta redderent celeberrimam: quæ tamen templo ablata sunt sacra vasa, in triumphum perducta, maiori admiratione in se oculos omnium conuertebant; de quibus sic Iosephus [a]: Spolia vero alia quidem passim ferebantur: eminebant autem ea quæ apud Hierosolymam in templo reperta sunt, mensa aurea ponderis talenti magni, & candelabrum similiter quidem auro factum, sed opere commutato ad vsus nostri consuetudinem: nam media quidem columna basi inhærebat, tenues autem ab ea cannulæ producebantur, formatæ ad similitudinem fuscinæ, ad summum quæque in lychni speciem fabricatæ: erant autem numero septem, septimi diei, qui apud Iudæos est, indicantes honorem. Post hæc autem portabatur lex Iudæorum, nouissima spoliorum.] hæc & alia Iosephus, qui tamen dicere prætermisit de præclarissimis templi vasis, quæ in triumphum deducta, ac deinde in templo Pacis ædificato, vna cum alijs ornamentis (vt idem testatur auctor) sunt collocata: Quorum, inquit, visendorum studio, per totum Orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur; quomodo aliud apud alios situm esset, videre cupientes. Illic repositis, quæ Iudæorum fuerant, instrumentis, his se Titus magnifice efferens, legem eorum & penetralium vela purpurea in Palatio condita seruari præcepit.] B

[a] Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 24.

IV. QVAM AMPLO THESAVRO TEMPLVM REFERTVM.

Quàm autem ampla fuerint dona & vasa aurea e templo a Tito sublata, licet Iosephus non dicat; ex his tamen quæ idem alibi testatur auctor, dum de expilato a Crasso templo historiam narrat, aliqua saltem ex parte facile assequi possumus. Si enim direpto olim templo Olympiade centesima quinquagesimatertia ab Antiocho Epiphane, cum post Olympiadas tantum vigintiocto, nimirum (vt Eusebius ponit) Olympiade centesima octuagesimaprima, annis intercurrentibus centum atque duodecim, cum a Crasso idem templum est iterum expilatum, tam ingens ac pene incredibilis est ibi thesaurus repertus, quantumlibet parum felicia illa fuerint tempora quæ inter vtrumque spatium interceserunt, semper fere bellorum agitata turbinibus, quibus Iudæi diuersis afflicti sunt cladibus: quibus putandum diuitijs fuisse templum locupletatum ab eo tempore vsque in præsentem annum, Olympiade duocentesima duodecima, maiori annorum numero, nempe centum vigintiquatuor annis interlabentibus, quibus vsque ad Neronis tempora nullo prorsus bello Iudæa vexata fuit? C D

V. DE TEMPLI DIVITIIS CVM EXPILATVR A CRASSO.

Sed quid de expilatione a Crasso facta idem Iosephus scribat, vt ex illa hanc considerare possimus, hic recitare operæpretiũ esse ducimus: sic enim ait [b]: Crassus autem expeditionem contra Parthos parans, in Iudæam peruenit, & pecuniam sacram, quam Pompeius non attigerat, duo millia talentorum abstulit, totoq. reliquo auro, cuius summa accedebat ad octo talentorum millia, templum spoliauit. Tulit etiam trabem ex auro solidam, trecentas minas pendentem: mina autem apud nos constat duobus libris & dimidia. Hanc ei trabem tradidit sacerdos sacri thesauri custos Eleazarus, non præ malitia, nam erat vir bonus & iustus: sed cum concreditam haberet aulæorum templi custodiam ex hac trabe pendentiũ, quorũ admiranda pulchritudo erat & apparatus pretiosissimus; videretq. Crassum totũ esse in colligendo auro; timens omnibus templi ornamentis, trabem hanc redemptionem pro omnibus ei dedit; cum prius eum iureiurando obstrinxisset, nihil aliud loco moturum, contentũ eo quod ipse traderet, æstimatum plurimis aureorum millibus. Hæc trabs inserta erat trabi cauæ ligneæ; quod ceteris omnibus ignotum, solus sciebat Eleazarus. Crassus tamen & hæc pro reliquo templi auro accepit, & mox violato iureiurando, totum quantum intus erat, egessit. Nec est mirandum tantas diuitias in nostro templo fuisse, cuius Deum cum omnes vbique terrarum Iudæi venerentur & colant, tam ex Europa quàm ex Asia longo tempore huc eas contulerant.] hæc Iosephus, qui eam rem alio adhuc testimonio, nempe Strabonis Cappadocis, testatam reddit. E

[b] Ioseph. antiq. lib. 14. c. 12.

VI.

Cererum templi diuitias huius temporis antiquioribus illis longe præstitisse, ex his quæ dicta sunt, facile possumus intelligere; cum præsertim muneribus etiam priorum Romanorum Imperatorum templum ipsum fuisse locupletatum, Philo [c] testetur. Quomodo

[c] Philo de legat. ad Caium.

A modo autem postea ex templi vasis nonnulla a Genserico Vandalorum Rege, cum Vrbem deprædatus esset, in Africam sint translata, & inde ad Hierosolymitanam ecclesiam perlata, suo loco dicemus. Demum (vt vno iam verbo rem absoluam) quicquid decorum apud Iudæos potuit inueniri, a Tito sublatum, Romam allatum est: vsque adeo (quod testatur Plinius) vt tunc etiam balsami arbuscula translata fuerit Romam: sed non ipse primus eam attulit; quandoquidem Pompeius olim eadem cum ceteris hostium spolijs ornauerat triumphi pompam. sunt vero hæc verba Plinij [a]: Ostendere arbusculam hanc Imperatores Vespasiani (vterque enim simul pater & filius de Iudæis debellatis triumphum duxere) clarumq. dictum a Pompeio Magno: In triumpho arbores quoque duximus.] et paulo post: Sæuiere in eamdem Iudæi, sicut in vitam quoque suam: contra defendere Romani, & dimicatum pro B frutice est. Serit nunc eam fiscus, & numquam fuit numerosior aut procerior.] hæc Plinius: eadem Solinus [b] de redundantia balsami tempore Vespasiani: qui post triumphum de Iudæis exhibitum, Iano clauso, pace vbique terrarum composita, constituere templum Pacis aggressus [c] est, de quo suo loco, nimirum eo quo dedicatum fuit anno, dicemus.

ARBOR BALSAMI PERLATA IN TRIVMPHO.

[a] Plin. hist. nat. lib. 12. c. 25.

[b] Solin. in Polyhist. c. 38.

[c] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 24.

Inter hæc vero a Lucilio Basso Legato duo castella munita, quæ in Iudæa residua erant, Herodion & Mencherus, fortissime expugnantur; tertium vero, quod reliquum erat omnium munitissimum, Massada nuncupatum, magno cum labore tandem a Flauio Silua captum atque excisum est: cum, qui illud propugnarent Iudæi, ne in manus Romanorum venirent, se inuicem mutuis vulneribus confecerunt. Hæc omnia extrema funera Iudæorum idem Iosephus historicus [d] pluribus prosecutus est. Dum hæc C aguntur, dat in mandatis Vespasianus Augustus Liberio Maximo procuratori [e], vt omnem terram vendat Iudæorum. sic enim fieri oportebat, deserta habitatoribus terra, relicta ei custodia octingentorum tantummodo militum, quibus Emmaus traditur incolenda; quæ mutato antiquo nomine, & nouo ex parta victoria consecuto, Necopolis est appellata.

VII. CASTELLA RELIQVA EXPVGNATA.

[d] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 25. 28.

[e] Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 26.

VIII. CAESAREA FACTA COLONIA.

Cæsarea vero maritima, olim Turris Stratonis dicta, vbi necatis antea Iudæis, Gentiles qui eam incolebant, summa rerum potiebantur, remansit totius Palæstinæ metropolis: quæ ob egregiam a ciuibus nauatam operam contra Iudæos, a Vespasiano Imperatore facta est colonia Romanorum, & immunis a censu capitis & possessionum, vt Paulus [f] I. C. testatur his verbis: Diuus Vespasianus Cæsarienses colonos fecit, non adiecto vt & iuris Italici essent; sed tributum his remisit capi- D tis: sed diuus Titus solum etiam immune factum interpretatus est.] Sed quid de Rege Iudæorum Agrippa? Hic [g] ex quo tempore nauigauit Romam ad Galbam, non amplius reuersus est in Iudæam: nec post eum aliquis suffectus est in locum ipsius Rex Iudæorum, Romanis tantummodo Iudææ dominantibus. Berenice etiam soror eius Romæ agens, Tito erat in delicijs: amabat enim eam vehementissime, atque adeo, vt nuptias ei esse pollicitus diceretur; tamen simulatque se huiusce modi amore a populo ignominiæ notis sugillari cognouit, se ipsum generosa animi virtute cohibens, inuitus licet (vt ait Suetonius) ab Vrbe dimisit inuitam. Eam quippe Titi vxorem Sextus Aurelius nominat, quòd coniugali affectu ab eo eadem tractaretur. Ex his de Agrippa Rege narratis, mendacij redarguitur auctor, qui Iosephi Gorionis nomine scribit triennio cum dimidio ante Hierosolymorum excidium Agrippam Regem a Vespasiano E fuisse necatum; cum etiam Iosephi testificatione constet, eum a Vespasiano fuisse amicissime habitum.

[f] l. vlt. ff. de censib.

[g] Ioseph. de bel. Iud. lib. 3. c. 6.

IX. IVDAEI VBIQVE PERDITI.

Quod vero ad ceteros Iudæos spectat; mirum quidem dictu: qui gladium obsidionis euaserant, quocumque perrexerunt, eos Dei vindicta secuta, miserabiliter perdidit ac deleuit. Tria enim millia Iudæorum, qui in nemus Iardes dictum confugerant, a Lucilio Basso Legato sunt interfecta [h]. Rursum, qui in Ægyptum fuga lapsi se contulerant, æque male perierunt. Erant enim Galilæi secta; qui non satis habuerunt, periculum euasisse, sed nouas illic ciere turbas cœpere, & veteres adhuc renouare quæstiones, & praua dogmata stabilire, affirmareq. vnum tantum dicendum Dominũ esse Deum, nec eo nomine Romanos Imperatores esse nuncupandos; sicq. (vt fecerant in Iudæa) gentiles suos ad defectionem solicitabant; vsque adeo, vt qui contradiceret, enecarent. Quamobrem seniores Iudæorum execrantes horum temeritatem, ceteros Iudæorum

[h] Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 29. GALILAEI OBSTINATISSIMI.

in eos

Universidad de Deusto
Biblioteca

in eos concitarunt : qui tandem omnes capti sunt : cumq. omni genere tormentorum eos exagitarent, quo hoc solummodo extorquerent, vt Cæsarem dominum fatentur; nemo cessit, neque dicere velle visus est, sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conseruauere, tamquam brutis corporibus, non animis etiã, cruciatus ignemq. susciperent. Maxime vero puerorum ætas miraculo spectantium fuit : nec enim eorum quisquam commotus est, vt dominum Cæsarem nominaret : vsque adeo corporum infirmitatem vis audaciæ superabat.] hæc Iosephus[a]; qui addit & de Iudæis ter mille, qui in Cyrene Ægypti prouincia, a Catulo eius regionis Præfecto, eodem nomine sunt trucidati, inter quos plures etiam innocentes oppressos fuisse tradit. Cum hæc & alia accepisset Vespasianus de Iudæis tumultuantibus in Ægypto, nunciante hæc omnia Lupo Augustali Præfecto; eidem in mandatis dedit, vt eorum templum, quod habebant in ea prouincia, Onion appellatum, demoliretur.

a Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 29. 31.

X. TEMPLVM IVDAEORVM IN AEGYPTO.

Quod autem ad Onion spectat; hoc nomen sumpserat ab Onia Pontifice, tempore cladis ad Antiocho illatæ : hic enim cum confugisset ad Ptolemæum, obtinuit ab eo apud Heliopolim templi fabricandi gratia octoginta stadiorum aream : vbi in modum castelli circumquaque munitum templum ædificauit in schismate aduersus ceteros Iudæos Hierosolymis agentes : qui hæc contra legem agi, indigno animo ferebant; licet hi hanc, quæ ipsis iusta videbatur, obtenderent causam, fuisse nimirum ante annos nongentos septuaginta ab Isaia prænunciatum, ædificandum templum in Ægypto. Quod ædificatum sic perseuerauit integrum annis trecentis trigintatribus : sed hoc tempore a Præfecto clausum, nulla data locum adeundi facultate, derelictum omnino remansit, atque alteri vsui cessit, adeo vt ne vestigium quidem amplius in eo cultus religiosi reliquum esset. Hucusque Iosephus[b] de cladibus sub Vespasiano & Tito Iudæis illatis.

b Ioseph. de bel. Iud. lib. 7. c. 30.

XI. *c Euseb. hist. lib. 3. c. 11.*

Sed eodem tempore quid itidem Iudæis acciderit, his tradit Eusebius[c] : Fertur, inquit, præterea Vespasianum post vastationem Hierosolymorum mandasse, vt omnes ex Dauidis genere prognati, diligenter conquirerentur; quo nemo apud Iudæos ex illa regia stirpe omnino in posterum superesset : indeq. in Iudæos maximam denuo cladem & persecutionem fuisse concitatam.] hæc ipse. At hæc de familia Dauidis abolenda, vnde in mentem Vespasiani venerunt? nisi, quòd eidem significatum esset, oraculis Prophetarum esse prædictum, ex Dauid progenie regnaturum hominem, cuius imperium esset æternum? Cum enim ei adulantes, cetera quæ erant in oraculis, quasi de eo prædicta essent, Iosephus & alij illi accommodassent; hoc quod aduersari videret, in hunc modum irritum reddi curauit.

XII. IOSEPHVS QVANDO ET VBI HISTORIAM SCRIPSIT. *d Ioseph. contra Apion. lib. 1.*

Hic igitur finis esto rerum Iudaicarum, quæ sunt a Iosepho conscriptæ, Romæ dum ageret otiosus post triumphum Titi; obtulitq. commentarium Vespasiano ac Tito, & cum alijs pluribus, tum etiam Agrippæ Iudæorum Regi tunc ibidem, Romæ scilicet, agenti : quod & ipse quidem testatur scribens contra Apionem[d] his verbis, cum de sua captiuitate & Romam aduentu agit : Deinde Romæ tempus vacationis habens, omni iam negotio præparato, vsus aliquibus cooperantibus mihi propter eloquentiam Græcam & rerum eruditionem, exhibui. Tantaq. mihi securitas adfuit veritatis, vt primos omnium Imperatores belli Vespasianum & Titum testes non expauescerem. Primum namque illis obtuli libros, & post illos multis quidem Romanorum, qui bellis interfuere : plurimis vero nostrorum eos etiã venum dedi, qui Græca eruditione videbantur imbuti, quorũ est Iulius Archelaus, Herodes honestissimus, & ipse admirabilis Rex Agrippa. Isti siquidem vniuersi testimonium perhibuere, quòd veritatem diligenter excolui.] hæc Iosephus.

IESV CHRISTI ANNVS	LINI ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
74.	5.	3.

I. *e Plin. hist. nat. lib. 2. c. 18.*

QVi ordine sequitur annus Domini septuagesimusquartus, consignatur in Fastis Coss. Vespasiano Aug. tertium & Tito Vespasiano Cæsare secundum. Sic enim se habuisse veteres Fastos Consulares, Plinius[e] non obscure significat, dum (vt posuimus) hunc annum dictis describit Consulibus, tot vicibus vtroque ipsorum Consulatu perfuncto

perfuncto, nimirum (vt dictum est) patre tertium, & filio Tito secundum. Quamobrem plane constat eos[a] errare, qui hoc anno Vespasiani quartum & Titi secundum ponunt; sicut dum adiungunt quintum eiusdem Augusti Consulatum cum Titi tertio : sumpto nimirum errore, quòd primum annum Imperij Vespasiani notant eiusdem Imperatoris Consulatu secundo, cum tamen de primo eius Consulatu nulla mentio habeatur in Fastis, in quibus sint adscripti Consules ordinarij. Nam antea Vespasianus fuerat tantum Consul suffectus : quamobrem cum creatus est postea ordinarius, non bis Consul in Fastis adscribendus erat, sed semel : quam consuetudinem Romæ vsque ad Seueri Imperatoris tempora perdurasse, auctor est Dio[b].

CONSVLES ORDINARII HVIVS ANNI. *a Panu. Oleãd. & alij in Fast. Cons.*

b Dio lib. hist. 40.

II.

Idq. idem necessario admonuisse oportuit, tum ad horum conuincendos errores, tum etiam vt in omnibus rationi temporum sit consultum : sunt enim hæc verba Dionis, dum agit de Cæsaris primo Consulatu : Tametsi, inquit, iam ante Consularibus ornamentis decoratus fuerat; non tamen hunc suum Consulatum secundum nuncupauit : idq. in simili re ab omnibus deinceps vsque ad nostra tempora obseruatũ est. Primus enim omnium Seuerus Imp. cum Plautiano honores Consulares tribuisset, cumq. deinde in Senatũ adscriptum, eum Consulem postea faceret, iterum Consulem esse dixit; idq. exemplum alij deinde sunt secuti.] hæc Dio. Quamobrem cum Suetonius[c] de Vespasiani Consulatibus ait : Consulatus octo veteri addidit:] haud dubium, ipsum cum ceteris adnumerasse etiam primum Consulatum eius non ordinarium, sed honorarium, quem suffectus duobus mensibus anni[d] nouissimis gessit tempore Claudij. Qua etiam ratione errore labi certum est, qui Consulatum Domitiani, quem gessit cum Messalino anno sequenti, secundum ponunt; cum constet eodem auctore Suetonio[e], ipsum ante Imperium adeptum gessisse sex Consulatus, sed ex his vnum tantummodo ordinarium, de quo suo loco dicendum. Sed eadem Dionis sententia complures alij corrigendi essent errores, in quos chronographi, ea quæ ab ipso sunt dicta ignorantes, sunt lapsi, dum in Fastis Consularibus intexendis, ex suffectis etiã Consulatibus ordinarios numerarunt : quos nos bona fide, ne omnia inuertere videremur, interdum secuti sumus; cum alioqui nullum afferatur rationi temporis præiudicium, cum non suffectos, sed ordinarios tantum Consules in suis ipsorum Fastis posuerint, licet auctos numero suffectorum. Insuper ne quis errore labatur; illud etiam monendum putamus, reperiri diuersam rationem esse habitam diuersorum Consulatuum : nam ad annorũ numerum consignandum ordinarij tantum (vt diximus) adscribebantur in Fastis; in alijs vero monumentis etiam publicis, vt in nummis, vel alijs inscriptionibus, obseruauimus notatum reperiri numerum suffectorum, simulq. etiam ordinariorum Consulatuum. Hæc qui non considerat, in errorem ferri sæpissime necesse erit. His vero ad temporis rationem elucidandam ex instituto narratis : iam quæ hoc anno facta habentur, in medium adducamus.

c Sueton. in Vespas. c. 2.

d Sueton. in Vespas. c. 4.

RATIO HABITA IN NVMERANDIS CONSVLATIBVS.

e Sueton. in Domit. c. 2.

III. SECTAE IVDAEORVM DESTRVCTAE, VEL MVTATAE. *f Epiphan. haresi 19.*

Excisa his temporibus (vt diximus) secta Galilæorum, quæ in Ægypto cœperat coalescere : nec reliquæ diutius subsistere valuerunt : profligatis enim Iudæis, praua etiam illorum dogmata extingui cœperunt. Vnde Epiphanius[f] : Post expugnationem, inquit, Hierosolymorum, permansit tum hæc, *Offenorum videlicet*, tum aliæ modico tempore, quæ appellantur hæreses, Sadducæorum inquam, Scribarum, Pharisæorum, Hemerobaptistarum, Nazaræorum, Offenorum, & Herodianorum : donec singulæ pro occasione & tempore dissipatæ & solutæ sunt.] hæc ipse. Verum potius mutatæ sunt, quàm extinctæ : siquidem nequaquam omnino esse desierunt : nam complures ex illis pertæsi Iudæorum infamiæ, & gloriam Christianorum e contrario æmulantes, illis adhæserunt; sed ita tamen, vt non crederent sicut illi; sed commixtione quadam, tamquam ex diuersis generibus animantium, horrendum monstrum conflarent. Dicemus de singulis, sed ante omnes de Samaritis, de quibus sæpius antea.

IV. DE SAMARITIS ET NAZARAEIS. *g Procop. de ædif. Iust. Imp. h Epiphan. haresi 18. i Epiphan. haresi 29.*

Quod igitur pertinet ad Samaritas : sicut illis natura insitum erat, vt quod semel in errorem adducti susceptissent, semper pertinacissime retinerent; sic complures illorum, quamuis fidem Christianam fuerint amplexati, tamen priorem errorem non dimiserunt vsque ad Iustiniani tempora; cum in Palæstina tumultuantes, immisso milite, sæuissime sunt trucidati[g]. Rursus vero etsi Nazaræi, qui ante Christi aduentum erant[h], esse desierint; noua tamen eiusdem nominis secta his ipsis diebus post Hierosolymorum cladem emersit; de qua hæc Epiphanius[i] : Est autem hæc Nazaræorum hæresis in Berrhœorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

rhœorum regione circa Cauam Syriam, & in Decapoli circa Pellæ partes, & in Basanitide, quæ Cocaba appellatur, & Cocaba Hebraice dicitur. Illinc enim initium factum est, post discessum ab Hierosolymis, omnibus discipulis in Pella habitantibus, cum Christus iussisset relinquere Hierosolymam ac secedere, quoniam passura esset obsidionem. Et hac de causa Berrhœam habitantes, illic (vt dixi) vitam degebant. Hinc Nazaræorum hæresis initium habuit. Errauerunt autem & hi, circumcisionem iactantes, & adhuc sub maledictione sunt.] Hi igitur quòd Christo credidissent, nacti sunt Matthæi Euangelium, de quo superius facta est mentio; licet Theodoretus [a] dicat hos vsos esse Euangelio apocrypho secundum Petrum.

[a] *Theod. lib. 2. hær. fab.*

V. Tolerati sunt Nazaræi in Ecclesia per illud tempus, quo legalibus vsi sunt interdum etiam Apostoli, cum aliqua nimirum occasio id postularet; nec ab Ecclesia eiecti sunt: immo nec a ceteris eo nomine distinguebantur, cum (vt dictum est superius) Christiani omnes etiam Nazaræi dicerentur, vt habent Apostolorum Acta [b], atque Epiphanius pluribus docet [c]: quo nomine adhuc sancti Hieronymi tempore vtebantur, cum Christianos dicere vellent Hebræi. Nam (vt idem Hieronymus [d] ait) sub nomine Nazarenorum ter in die Christianis maledicebant: licet Epiphanius [e] velit nonnisi dictos hæreticos, Nazarenos appellando, eos intelligere voluisse. Sed de his superius. Eiusmodi secta diutius perdurauit in Oriente, cuius asseclæ alio nomine Minæi dicti reperiuntur: de quibus hæc sanctus Hieronymus [f] scribens ad sanctum Augustinum: Vsque hodie, inquit, per totas Orientis synagogas inter Iudæos est hæresis quæ dicitur Minæorum, & a Pharisæis vsque damnatur: quos vulgo Nazaræos nuncupant: qui credunt in Christum Filium Dei natum de Maria virgine, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt Iudæi esse & Christiani, nec Iudæi sunt, nec Christiani.] hæc Hieronymus. Scripserunt [g] aduersus huiusmodi hæreticos Iustinus martyr, Irenæus, Origenes, & alij complures, qui texuerunt catalogum hæreticorum, vt Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Ioannes Damascenus, & alij recentiores. Porro Nazaræi consortio Ebionæorum, a quibus (vt Epiphanius [h] tradit) nonnulla mutuati, vehementer sunt infamati.

[b] *Act. 24.*
[c] *Epiph. hær. 29.*
[d] *Hier. in Isai. c. 52.*
NAZARAEI FACTI HAERETICI
[e] *Epiph. hær. 29.*
[f] *Hier. epist. 89.*
[g] *Theod. hæret. fab. lib. 2.*
[h] *Epiph. hær. 30.*

VI. Eodem etiam tempore, nimirum post excidium Hierosolymæ, emersit impostor sceleratissimus, Ebion nomine, ex quo nefanda Ebionitarum hæresis est exorta, cuius primordia sic idem describit Epiphanius [i]: Initium autem huius cœpit post Hierosolymorum captiuitatem. Quandoquidem enim omnes in Christum credentes eo tempore in citeriori regione habitabant; maiori ex parte in Pella ciuitate quadam Decapolis, quæ in Euangelio scripta habetur, prope Batanæam & Basanitidem regionem, tunc eo digressis, & ipsis istic vitam agentibus, ex hoc occasio contigit Ebioni. Et incepit quidem habitationem habere in Cocaba, vico quodam in partibus Carnaim, Arnen, & Astaroth, in Basanitide regione, velut fama ad nos perlata habet. Hinc sane malam suam doctrinam auspicatur, vnde & Nazaræi supra mihi indicati sunt. Hic enim coniunctus illis, & illi huic, vtraque pars de propria improbitate alteri impartiuit. Et differunt quidem altera ab altera in aliqua re, verum in mentis peruersitate se mutuo expresserunt.]

DE EBIONE HAERESIARCHA.
[i] *Epiph. ibidem*

VII. Sed & Ebionæis paulo post coniunctus est [k] Elxai Ossenorum antiquæ hæresis facile princeps; ex quo accidit, vt (quod est in prouerbio, aspis a vipera mutuata venenū) magna facta sit accessio impietati, dū ex pluribus portentis vnum est monstrum effigiatū, in vnū coeuntibus Samaritis, Iudæis, Ossenis, Nazaræis, Cherinthianis, Carpocratianis, & alijs; quos Ebion simul iungens, vnū ex his corpus componens, omne turpitudinis & impietatis prodigium superauit. Vnde Epiphanius [l]: Quemadmodū, inquit, si quis copulasset sibi ornamentum ex diuersis lapillis pretiosis, & vestem variegatā, & splendide se exornasset: sic hic vice versa, quicquid horrendum est, & pernicioſum, & abominabile, informeq. ac incredibile & odio plenum, id a singulis sectis accepit, & se ipsum in omnes efformauit. Samaritarum enim habet abominationem, Iudæorum nomen, Ossenorum vero & Nazaræorum opinionem, Cherinthianorum formam, Carpocratianorum improbitatem, & Christianorum vult habere appellationem.] hæc Epiphanius, qui & inferius de Ebione eiusmodi enarrat historiam: Hic, inquit, Ebion etiam ipse in Asia habuit prædicationem, & Romæ. Radices autem spinosarum propaginum

[k] *Epiph. hæres. 19. 30.*
HAERESVM MIXTVRA DEFORMIS.
[l] *Epiph. hær. 30.*

paginum habet in Nabathæa, & Paneade.] Ac post multa de eius dogmatibus dicta, hæc addit:

VIII. S. Ioannes prædicans in Asia, mirabile opus feciſſe narratur ad veritatis delineationem. Cum enim vitam degeret admirandam, & dignitatem veritatis ipsius decentem, & penitus non lauaretur, coactus est a Spiritu sancto progredi vsque ad balneum, dixitque: Accipite mihi quæ pertinent ad balneum. Et cum comites ipsum sequentes mirarentur, venit ad ipsum balneum: et vbi peruenisset ad eum qui lauantium vestes susciperе solet, interrogauit: Quis est intus in balneo? At olearius seruandis vestibus inseruiens (in gymnasijs enim hoc officium est aliquorum, quotidiani alimenti acquirendi gratia) ad Ioannem dixit: Ebion intus est. Ioannes vero statim intelligens Spiritus sancti ductum, ob quam causam impulisset ipsum vsque ad balneum venire (velut dixi) memoriæ videlicet gratia, vt relinqueret nobis veritatis argumentū, qui sint serui Christi, & Apostoli, ac filij eiusdem veritatis, qui vero vasa diaboli & portæ inferni, non valentes contra petram, & ædificatam super ipsam sanctam Dei Ecclesiam: statim vbi se turbasset, & leuiter fleuisset, vt omnes audirent, in testimonium ac declarationem impollutæ veritatis doctrinæ: Festinate, inquit, fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem. Et nemo miretur de eo quod audit, Ioannem cum Ebione congressum esse. Multo enim tempore beatus Ioannes in vita permansit, & vsque ad Traiani regnum durauit.] hæc Epiphanius.

DE S. IOANNE ET EBIONE.

IX. Verum hæc de Ioanne & Ebione recitata, Cherintho potius abscribuntur ab alijs auctoribus, vt Irenæo [a], Eusebio [b], Theodoreto [c], & alijs. At ne dicamus Epiphanium esse hallucinatum; haud inconueniens erit existimare, vtrumque simul in balneis repertum esse: siquidem magna necessitudo, ex impietatis similitudine comparata, intercedebat inter eos. cum enim multi dicant occasione Cherinthi a Ioanne scriptum esse Euangelium: S. Hieronymus [d] Ebionis causa id factum affirmat, quòd scilicet communicatione hæresis eadem vtrisque censerentur esse communia; licet (quod Tertullianus [e] ait) non fuerint omni ex parte Ebion & Cherinthus inter se consentientes; cum ille a Deo mundum esse creatum, Cherinthus vero ab Angelis diceret esse factum. Hic ipse Ebion in primis, quo minus veritate polleret, calumnijs fouere mendacia aggressus est: quippe qui cum in docendo Paulum primas ferre videret, in eum maledicta iacere, contumelijsq. eum proscinderе orsus est: idq. eo consilio, vt nutantes Iudæorum animos ab eo redderet penitus alienos. Aiebat enim ipsum esse Græcum, non natura Iudæum, sed factum ex Gentibus proselytum ea occasione, quòd Hierosolymis agens adamasset filiam sacerdotis, quam cuperet ducere in vxorem; vtq. fieret voti compos, circumcisionem accepisse: sed cum nec ita quod optasset, fuisset assecutus, ad impugnandam circumcisionem & legem esse conuersum. Sic igitur existimans hac ratione Pauli prædicationem & scripta se conuulsisse, falsa Acta nomine Apostolorum edidit, in quibus vna cum impietate multa coagmentata essent mendacia.

[a] *Iren. lib. 3. c. 4.*
[b] *Euseb. hist. lib. 3. c. 22.*
EBIONIS CVM CHERINTHO CONNEXIO.
[c] *Theod. hæret. fabul. lib. 2.*
[d] *Hier. de Scrip. Eccl. in Ioanne.*
[e] *Tertullian. de præscript. c. 48.*
EBION HOSTIS PAVLI, MVLTA IN EVM.

X. Insuper (quod idem tradit Epiphanius) Circuitus Petri per Clementem scriptos corrumpens, & pauca admodum vera relinquens, ad suas hæreses confirmandas viam aperuit. Id quidem testatum reddi ex eiusdem Clementis Encyclicis, idem auctor tradit, sic dicens: Idem Clemens ipsos per omnia redarguit in epistolis, quas scripsit, Encyclicis, quæ in sanctis ecclesijs leguntur, quòd alium habeant characterem fides eius & sermo ab his quæ sub nomine ipsius in Circuitionibus corrupta sunt. Ipse enim (*nempe Clemens*) virginitatem docet, at illi non admittunt.] De eodem Clemente idem tradit auctor, quòd dum vixit Iacobus frater Domini, qui virginitatem excolebat, tanti viri ductus exemplo, virginitatem extollere, seq. eius cultorem exhibere cœpesit: addit etiam, ipsum insuper laudibus celebrasse Eliam, & Danielem, & Sampsonem, & omnes Prophetas, quos illi abominantur. Sed hæc etiam: Itaq. in Circuitionibus in totum se ipsos transtulerunt, mentientes contra Petrum multis modis; quasi ipse quotidie se in aquam merserit purificationis gratia, velut etiam ipsi: ab animatis item & carnibus ipsum abstinuisse, & ab omni edulio alio ex carnibus facto dicunt, velut etiam ipsi faciunt: nam & ipse Ebion & Ebionitæ penitus ab his abstinent.] multa tamen eosdem facere, quæ rite fieri nosset, vt baptismate initiari, idem affirmat, qui addit:

Universidad de Deusto
Biblioteca

addit : Mysteria (*nempe sacram Eucharistiam*) faciunt ad imitationem sanctorum in ecclesia, ab anno in annum per azymos, hoc est, panes non fermentatos : at alteram mysterij partem per aquam solam.] Quinetiam (vt tradit Eusebius[a]) diem Dominicum rite, vt nos, celebrabant. A

[a] *Euseb. hist. lib. 3. c. 21.*

XI. ARTES EBIONIS.

Sed & ad conciliandam sibi maiorem fidem, dici voluit Ebion, idcirco, quòd volens libensq. esset pauper effectus ; testans se fuisse vnum ex illis qui pretium suarum rerum posuissent ad pedes Apostolorum. In hunc igitur modum Ebion, exploso Paulo, Petrum sibi adstipulari mentitus, nomenq. Christianum aucupans, & aliquos Ecclesiasticos ritus vsurpans, hisq. iactis ad erigendam structuram impietatis fundamentis, horrendum est dicere, quales abominationes superstruxerit. A Deo enim duos dicebat fuisse ad rerum dominiū ordinatos, Christum videlicet, & diabolum, illumq. accepisse in sortem futurum sæculum, huic vero mundū fuisse concreditum : porro illū velut vnum ex Angelis, sed ceteris maiorem esse creatum ; & quod pertinet ad carnem assumptā, ex viri semine procreatū ; eumdemq. Adā primo se induisse, ac postea exuisse. B

XII. EBIONIS ERRORES.

Quod spectat ad politiam ; Ebionæi, vt Nazaræi, æque Legem cum Euangelio tradebant esse seruandam ; vtebantur autem Matthæi Euangelio, sed decurtato, sicut & ceteris diuinis scriptis : quinetiam (vt auctor est Irenæus[b]) Hierosolymam adorabant, quasi esset domus Dei. Sed & (quod Tertullianus[c] ait) adeo Ebion Iudæis fauit, vt Legem præferret Euangelio, ad illud sane excludendum, & Iudaismum vindicandum. Cogi insuper voluit omnes vxorem ducere, etiam impuberes ; liberum quoque relinquens, vt quot quis pro arbitrio vellet, vxores acciperet. De Ebione insuper, eum damnans, meminit Ignatius ad Philadelphios scribens his verbis : Si quis dicat vnum esse Deum, & confiteatur Christum Iesum, sed eum nudum esse hominem putet, non autem Deum vnigenitum, Sapientiam, & Verbum Dei, sed solum anima & corpore constare censeat ; huiusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est eiusmodi inops sensu, cognomento Ebion.] Clemens Romanus etiam (vt nuper vidimus) suis Encyclicis eiusdem Ebionis impietatē damnauit. Insuper Irenæus[d], Tertullianus[e], & Origenes etiam suis scriptis Ebionem & Ebionæos sæpe exagitarunt ; quod & fecerunt Eusebius[f], Epiphanius[g], Philastrius[h], Augustinus[i], Theodoretus[k], ac demum ceteri recentiores, qui de hæresibus commentarios conscripserunt. At de Ebione satis. C

[b] *Iren. lib. 1. c. 26.*
[c] *Tertul. de præscrip. c. 48.*
[d] *Iren. lib. 1. c. 26.*
[e] *Tertul. de præscrip. c. 48.*
[f] *Euseb. hist. lib. 3. c. 21.*
[g] *Epiph. hæres. 30.*
[h] *Philastr. de hæres. c. 38.*
[i] *Aug. de hæres. ad Quodvultdeum.*
[k] *Theod. hæret. fab. lib. 2.*

XIII. DE MENANDRO DISCIPVLO SIMONIS.

Sed his ipsis item temporibus, quibus Ebionæi vigebant, discipuli quoque complures Simonis magi, Dei Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, turpiter infamabant ; dum Christianum nomen nundinantes, blasphemias ac impietates veluti calice aureo propinabant. Horum præcipuus erat Menander, idemq. Samaritanus & magus, eiusdemq. Simonis discipulus primogenitus ; de quo Iustinus martyr, qui & ipse patria Samaritanus illum optime nosset, in oratione ad Antoninum Pium hæc habet : Deinde (*post Simonem videlicet*) Menandrum quemdam, & ipsum Samaritanum, in vico Caparetaia ortum, Simonis discipulum, & a dæmonibus ipsum quoque exagitatum, Antiochiæ multos arte magica seduxisse scimus ; qui sectatoribus etiam suis minime morituros esse persuasit. Sunt vero nunc quoque ab eo reliqui nonnulli, qui hoc profitentur.] hæc Iustinus. De eodem hæc breuiter post Irenæum Tertullianus[l] : Post Simonem magum Menander discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens, quæ Simon ipse : quicquid se esse Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans habere posse quemquā salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset.] Dicebat enim (vt idem[m] alibi ait) mortem ad suos non modo non pertinere, sed nec peruenire. At egregie salibus suis eidem Tertullianus illudit ; quòd, licet tot tantaq. Menander ipse suis polliceretur discipulis, perpaucos tamen habuit sectatores : vnde hæc idem auctor subsannans ait : Quod hoc Menandri balneum ? Comicū credo : Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo pauciſsimi lauant ? suspectam enim faciam tantam raritatem securisimi atque tutisimi sacramenti.] Porro cum eius dogmata ea esse quæ erant Simonis, testetur : cum de Simone iam satis superius dictum sit, haud opus est eadem recensere. Agunt præterea de eodem omnes nuper recensiti auctores. Sectati sunt tamen eum inter alios Basilides & Saturninus, quos condiscipulos fuisse Epiphanius[n] tradit : verum diutius vixisse ferunt, nimirum ad tempora Hadriani Imperatoris. Sed de his susius alias. D

[l] *Tertul. de præscrip. c. 46.*
[m] *Tertul. lib. de anim. c. 50.*
[n] *Epiph. hæres. 23.*

Meminit

Meminit in eadem epistola Ignatius de Cleobulo atque Theodoto horum temporum hæreticis, sed eorum, quos diximus, potius sectatoribus, quàm nouarum hæresum inuentoribus : sic enim ait, postquam de Simone, Menandro, Basilide, & Nicolaitis verba fecit : Fugite præterea maligni illius nepotes Theodotum & Cleobulum, qui gignunt mortiferum fructum, quem qui gustarit, continuo moritur, non temporalem hanc, sed æternam mortem.] Porro diuersus est hic Theodorus ab illo Byzantino coriario hæresiarcha, de quo suo loco. In his omnibus illud considerandum est, his qui ex circumcisione prouenerunt hæreticis peculiare fuisse, nouos velut a sanctis scriptos effingere commentarios, eisdemq. tamquam recens in lucem editis ad suas hæreses confirmandas vti solere : de quibus hæc apposite Origenes[a] : Oportet ergo caute considerare : vt nec omnia secreta quæ feruntur in nomine sanctorum susci- A
XIV. DE CLEOBVLO ET THEODOTO.
[a] *Orig. in Matt. tract. 23.*
piamus, propter Iudæos qui forte ad destructionem veritatis scripturarum nostrarum quædam scripserunt, confirmantes dogmata falsa : nec omnia abijciamus, quæ pertinent ad demonstrationem scripturarum nostrarum. Magni ergo viri est audire & adimplere quod scriptum est : Omnia probate ; quod bonum est, tenete. Tamen propter eos qui non possunt quasi trapezitæ discernere inter verba quæ vera habeantur, vel falsa, & non possunt semetipsos cautos seruare, vt verum quidem teneant apud se, & ab omni etiam specie mali abstineant ; nemo vti debet ad confirmationem dogmatum libris qui sunt extra canonizatas scripturas.] hæc Origenes. Sed admirabile plane fuit in his Dei consilium, qui tum falsa dogmata, tum etiam improbata atque commenticia scripta sic in lucem prodi permisit, vt ijsdem cognitis ab Ecclesia atque reiectis, quæ vera quæve germana atque legitima essent, magis elucidata, patentius innotescerent, probataq. veritas solidiori firmitate subsisteret. B
IVDAEI CORRVPTORES DIVINAE SCRIPTVRAE. C

Eodem anno tertio Vespasiani Imperatoris, S. Martialis Episcopus Lemouicensis, Galliarum dictus Apostolus, qui ex Oriente Romam cum Petro venerat, & ab eodem in Gallias fuerat amandatus, cum Lemouicenses, Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, & Aquitanos populos, eosq. qui a Rhodano in Oceanum vergunt, ad pietatem Christianam instituisset, honestissimo labore perfunctus, hoc ipso anno (vt eius Acta testantur) ex humanis sublatus est. Porro (vt & hic eius exordia repetantur) tradunt hunc illum fuisse puerulum, de quo Andreas olim Domino roganti dixerat : Est puer hic habens quinque panes & duos pisces.] Verum cum dicant, ipsum vnum fuisse ex septuagintaduobus discipulis ; opus est vt affirment, non sic ætate fuisse puerum nominatum, sed more Hebræorum, qui & homines etiam grandioris ætatis eo modo pueros nuncupabant. Feruntur eius res gestæ, scriptæ ab Aureliano eius successore : leguntur etiam eius nomine duæ scriptæ epistolæ, quarum altera est ad Burdegalenses, altera vero ad Lemouicenses & Tolosanos conscripta. sed de his alias. Illud etiam memoria dignum de Martiale traditur, suscitasse mortuum, admoto ei baculo S. Petri, quem ab eo sibi datum Romæ acceperat : meminit eius historiæ & Innocentius Papa[b]. D
XV. DE S. MARTIALE EPISCOPO LEMOVICEN.
[b] *Innoc. extr. de sacr. vnct. in fine.*

IESV CHRISTI ANNVS 75.	LINI ANNVS 6.	VESPAS. IMP. ANNVS 4.

Sequens hic Christi annus septuagesimusquintus notatur ab alijs Consulatu Domitiani Cæsaris iterum, & M. Valerij Messalini. Verum cum (vt anno superiori dictum est) nonnisi numerus ordinarij Consulatus in Fastis[c] sit describendus ; primus hic, & non secundus Domitiani Consulatus dicendus esset. Sed in eo etiam error inesse videtur, dum in ijsdem Fastis anno primo Titi Imperatoris Domitianus Consul septimum ponitur ; cum constet Suetonij[d] auctoritate, eumdem Domitianum ante adeptum Imperium ita sexies Consulatum gessisse, vt ex eis vnus tantummodo fuerit ordinarius ; ac proinde vnus tantum adscribendus esset in Fastis. Quamobrem errore positum numerum Consulatuum, ex antea dictis exoritur non leuis suspicio tantum, sed vera certaq. scientia. Eadem igitur ratione ex Dione allata, & Plinij (vt vidimus) testimonio roborata ; cum annus superior sit consignatus Coss. Vespasiano tertium & Tito secundum, cumq. rursus idem Dio[e] dedicationem E
I. EMENDATVR ERROR DE NVMERO CONSVLATVVM.
[c] *Cuspin. & alij.*
[d] *Sueton. in Domitian. c. 2.*
templi
[e] *Dio in Vespas.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

templi Pacis factam esse dicat Vespasiano sextum & Tito quartum Consulibus, ex ipso superius recitato notandorum Consulatuum ordine affirmare necesse est, tam præsenti quàm sequenti anno eumdem Vespasianum Consulatum gessisse, nempe hoc anno quartum, sequenti vero quintum, ac demum sextum. Quapropter præsenti anno dedisse putamus nomen Consules Vespasianum Augustum quartum & Valerium Messalinum, qui a Iulio Frontino [a] ponitur: Consulatus vero Domitiani, quem ponit Suetonius ordinarium, in alium annum reijciendus erit.

a Iul. Front. de aquæduct. lib. 2.

II. EDICTVM DE PELLENDIS AB VRBE PHILOSOPHIS.

Hoc tempore Vespasianum de pellendis ab Vrbe philosophis dedisse edictum, Dio testatur his verbis [b]: Cum alij multi excitati ex Stoica disciplina, in quorū numero fuit Demetrius Cynicus, multa inutilia his qui audiebant, publice dissererent occasione philosophiæ, atque ita multos occulte in varias sententias traherent; Mucianus Vespasiano persuasit, vt omnes qui essent eius sectæ, ex Vrbe expelleret; dixitq. in eos multa, ira magis incitatus, quàm studio doctrinæ. Itaque Vespasianus statim philosophos præter Musonium Roma expulit.] hæc Dio. Ceterum non id nouum Romæ videri poterat: neque licet & Nero id fecerit, vel alij ei similes, optimo Principi adeo ignominiæ vertebatur, cum id fieret more maiorum: nam (vt auctor est Gellius [c]) iam longe ante, florente Republica, sub Consulatu Fannij Strabonis & Valerij Messalæ promulgarum fuerat Senatusconsultum de philosophis & rhetoribus Vrbe pellendis: quòd scilicet adolescentes earum scientiarum addiscendarum cupidi viderentur ab armis auocari, & vitam agere otiosam ac plane inertem.

b Dio in Vespas.

c Gell. lib. 15. c. 11.

III. CVR VESPASIANVS EXEGIT AB VRBE PHILOSOPHOS.

Porro hæc facta sunt a Vespasiano, non quidem quòd odio prosequeretur philosophiam, vtpote bonorum morum conciliatricem, cuius (vt Philostratus ait) plurimum amans fuit; sed quòd sic persuasus a Muciano ob solutam nimis dicendi libertatem. Ceterum Suetonius [d] auctor est ipsum Vespasianum leniss ime tulisse philosophorum contumaciam. Ex his vnus erat (vt ait Dio) ille Demetrius, qui (vt testatur Philostratus) socius erat Apollonij Tyanæi, qui eum Tito Cæsari proficiscenti ex Ægypto dederat monitorem. Hæc cum dicat Philostratus [e] in Apollonio; idem [f] meminit de Musonio Babylonio, qui sub Nerone carceri mancipatus, grauissima passus erat: licet auctor duos videatur Musonios recensere, alterum Babylonium, alterum vero Tyrrhenum, eosdemq. sub Nerone grauiter exagitatos. Sed cum de Babylonio agit, eum secundum ab Apollonio sapientia fuisse testatur. Sed & Vespasianus ad id faciendum compulsus est, licet inuitus (quòd sic iam necessitas postularet) ad compescendam garrulam ipsorum linguam, & petulantem potius quàm ingenuam philosophoq. dignam dicendi libertatem, qua passim proscindentes Imperatorem, indeq. apud abiectum vulgus gloriam aucupantes, idem in Principem commouebant. Quamobrem vt famæ Imperatoris, ipsiusq. Reipublicæ tranquillitati consultum esset; æquum visum est, eosdem tali edicto percelli, & ab Vrbe longius ablegari.

d Suet. in Vespas. c. 13.

e Philostr. in Apoll. lib. 6.

f Idem lib. 4. & 7.

IV. EXCELLENTIA CHRISTIANAE PHILOSOPHIAE

Reprehenditur & a Seneca [g] huiusmodi philosophorum in quoscumque, ac potissimum in Principes dicendi temeritas potius, quàm libertas. nam ad Lucilium scribens hæc ait: Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ fideliter deditos, contumaces esse, ac refractarios, & contemptores magistratuum, aut Regum, eorumve per quos publica administrantur.] Damnat & Dio in suis Ægyptiacis philosophorum Cynicorum in eo genere dicendi procaciam. At quantum his præstat Christiana modestia, quæ leuissimam quampiam contumeliam in priuatum etiam hominem dictam, perpetuo gehennæ igne dignam esse intelligit; quæ parendum esse Principibus etiam discolis, eosdemq. in honore habendos, scit esse lege diuina præscriptum? Numquam enim in tot acerbissimis ab Imperatoribus illatis in Christianos persecutionibus, quempiam illorum ob dicacitatem conuentum esse iudicio, quis poterit inuenire: quod, qui scripserunt pro Christianis Apologias, vt Tertullianus, & alij, facile demonstrarunt. Quamobrem philosophorum complures, qui veræ sapientiæ amantes essent, & veritatis studiosi, sublimissimam omnium Christianorum philosophiam esse considerantes, admiranteq. apud eos non paucos quosdam illud vitæ culmen attingere, sed æque omnes eo nomine esse dignos; pedestri, quam sectati fuerant, philosophiæ nuncium remittentes, delegerunt in schola piscatorum discipulos esse potius, quàm Athenis magistros profiteri.

g Senec. lib. 10.

V. Primum omnium sapientum, qui cunctis philosophorum scientijs Christianæ religionis

gionis prætulerit sapientiam, fuisse vidimus Dionysium Areopagitam: alios item plures eumdem imitatos, licet præsentis quoque vitæ dispendio, Christi fidem esse sectatos, complura demonstrant exempla; de quibus singulis suo loco dicemus. Sed quod ad hæc pertinet tempora, Eleucadius Platonicus philosophus a S. Apollinare Episcopo Rauennate ad Christi fidem conuersus, eidem his temporibus Vespasiani Imperatoris martyrio vita functo, cum sedisset annis vndetriginta, in Episcopatu post Abderitum successit. De tempore sedis Apollinaris & eius martyrio Petrus Damiani his testatur verbis: Apollinaris quanta gloria, quanta sit excellentia, admirari digne non possumus, cuius martyrium per viginti & nouem annorum spatium per innumerabilia fuerit tormenta productum, &c.] hæc & alia plura in sermone quem habuit de S. Eleucadio, cuius mentio facta est. Vespasiani namque temporibus passum esse Apollinarem, cum eius vitæ Acta, tū Romanum Martyrologium [a], aliaq. Bedæ, Vsuardi, & Adonis, testantur. Sed id quidem non accidit, quòd aliqua a Vespasiano fuerit in Christianos persecutio excitata: sed cū Apollinaris Christi fidem prædicans, ab idolis Gentes auertisset, & eorumdem sacerdotum in se odium concitasset; illorum exagitatus calumnijs, subrepto ab Imperatore rescripto, tamquam seductor quispiam & facinorosus homo iussus est ab vrbe pelli, nisi dijs immolare assentiretur: quod ipse facere recusans, non tantum expulsus est, sed etiam sæuissime trucidatus, martyr occubuit. Plura de eo dicenda essent, atque etiam de Rauennatibus successoribus Pontificibus: sed quoniam (quod sæpe professi sumus) nostri non est instituti, priuatarum Ecclesiarum, nisi interdum Patriarchalium, facta prosequi, satis esse putauimus ex his aliqua vel leuiter attigisse. Quocirca ad institutam semel de philosophis narrationem redeamus.

DE S. APOLLINARE EPISCOP. RAVENN.

a Martyrolog. Rom. 23. Iulij & alij.

VI. DE PHILOSOPHIS ORBEM CIRCVMEVNTIBVS.

Consideratione illud profecto dignum est; hoc ipso sæculo, quo Apostoli Domini, ac Apostolici viri, ad imbuendos Christiana religione populos vniuersos, totum pene orbem terrarum peragrarunt; complures e contra philosophos, perinde ac si eamdem inijssent instituti rationem, itidem circumeundo prouincias peruagatos in Orbem, adijsse nobilissimas ciuitates, eoq. prætextu vt mores labefactatos corrigerent, habuisse de prauis moribus corrigendis ad populum conciones: sed sic eos ad meliorem frugem conatos esse (vt videbatur) inducere, vt tamen Gentiliciæ auitæ superstitionis cultum seruandum potissimū inculcarent. Fuerunt, qui id præstiterunt, complures: et vt prætermittamus dicere de Apollonio, de quo fusius alibi, præstitit hoc insigniter Dio, cuius mentio est apud Philostratum in Tyanæo [b]: sed eo licet tacente, ipsius Rhodiacæ, Corinthiacæ, Tarsicæ, Borysthenicæ, & aliæ a diuersis locis, in quibus eas habuit, denominatæ orationes, quàm multus in his fuerit, satis aperte declarant. His Euphratem Apollonij perneccessarium adde, atque Demetrium, Musonium etiam coniunge. Eiusdem etiam professionis erat Damis Pythagoreus, Epictetus Stoicus, Lucianus Epicureus, sed non cum his comparandus; & alij, ex quibus eos qui in Vrbe erant, Domitianus est insectatus. Sed non silendus Diogenes Iunior, qui cum populum vexasset multis contumelijs, in theatro eum obiurgans, virgis cæsus est. Erat etiam eiusdem classis ille, cuius meminit Dio, qui eamdem sibi vendicans libertatem dicendi in populum, capite truncatus est [c].

b Philostr. lib. 5.

c Dio in Vesp.

VII. CVIVS AESTIMATIONIS CHRISTIANA RELIGIO.

Hos igitur aduersarios passos esse qui Christianæ religionis fundamenta iacerent, nemo iure poterit dubitare: nam cum ex sententia Pauli, Græci sapientiam quærerent, hancq. istiusmodi verborum phaleris ijsdem glorioss issime ostentarent, quorum (inquit Iuuenalis [d])

Ingenium velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isæo torrentior]

d Iuuenal. satyr. 3.

haud dubium audientes horum sermones, pronis eos auribus accepisse: e contra vero barbaros, quos dicerent Iudæos homines, nouam ac peregrinam inuehentes religionem, eamdemq. superantem humanum captum, dum hominem cruci affixum Deum esse contenderent, habuisse contemptui. Sed & quòd Christiana fides Iudaica censeretur esse religio, vt quæ a Iudæa & Iudæis hominibus, & de Iudæo homine, quem dicerent esse Deum, prædicaretur; Romanis, his præsertim temporibus, exosa admodum & execrabilis reddebatur. Antiquum hoc erat odium: quo enim animo Romani olim erga Iudæorum religionem esse solerent, sententia Ciceronis in oratione pro Flacco, ad hæc quoque tempora valde accommodata, declarat his verbis: Stantibus Hierosolymis, pacatisq. Iudæis, tamen istorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

religio sacrorum a splendore huius imperij, grauitate nominis nostri, maiorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis, quòd illa gens quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quàm cara dijs immortalibus esset, docuit; quòd est victa, quòd elocata, quòd seruata.] hæc Cicero, cum a Pompeio tantum debellati Iudæi essent. At quid de Iudaica religione, ijs potissimum temporibus, cum immanissima omniũ clade affecti essent, ijdem existimasse potuerunt? Quid Græci? Plutarchus, Lucianus, & alij multis in locis reliquere testatum. Quid Ægyptij? Apio Alexandrinus duobus libris de ea re editis patefecit, dum vniuerso terrarum orbi, tamquam in scena, Iudaicam religionem exhibuit risu ac sibilis insectandam. His adde (quod diximus) inhærentem religioni Iudaicæ ignominiam crucis, cum Iudæi homines in Vrbem & Orbem inferent crucifixi hominis Iudæi cultum: hoc plane omne illis videri poterat portenti genus excedere.

VIII. Sed & in his omnibus & contra omnia superexcellens vis atque potentia crucis enituit: quæ radijs ac fulgoribus diuinitatis effulgens, omnes mox humanæ sapientiæ dissijciens tenebras, diuinaq. potentia omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei humi prosternens, omnem intellectum (mirabile dictu) redegit in obsequium Christi: vt virtus (quod idem ait Apostolus [a]) non esset ex homine, sed ex Deo. Quis enim videns nouella germina fidei, suo ipsius ortus principio, cum semen Apostolicum e terra nascens erumperet, continuo ipsorum Iudæorum rabiem implacabilem experiri, furore Gentilium concuti atque percelli, & adhuc insuper humanæ sapientiæ artibus radicitus prope conuelli; non omni spe caderet, atque animo omnino deficeret? Sed qui vocat ea [b] quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt; delegit ea quæ mundi esse viderentur infirma, vt fortia quæque confunderet; & ad confutandos sapientes, stulta quæsiuit, & quæ ignobilia essent & contemptibilia, vt (quod ait Apostolus) tam ea quæ non sunt, quàm ea quæ sunt, destrueret; ne gloriaretur aduersus eum omnis caro, hæcq. omnia non humanarum esse virium, sed Dei plane potentiæ, omnes ex æquo cognoscerent.

[a] 2. Cor. 10. VIRTVTE DIVINA, NON HVMANA PROPAGATVM EVANGELIVM.

[b] Rom. 4.

IX. DE PEREGRINO PHILOSOPHO. Sed quoniam de philosophis semel est instituta narratio; hic opportune accidit (nam & temporis etiam ratio postulat) vt quæ ab impostore quodam, Peregrino philosopho nominato, sub nomine Christiano sunt gesta, narremus: quæ quantumlibet a Christianorum hoste & blasphemo homine scripta sint, ex eis tamen nonnulla vtilia elici possunt, quæ antiquos illos laudatissimos Christianorũ mores, ac præsertim erga fratres peregrinos, vel carcere detentos propensiorẽ curam ac studiũ charitatis insinuent: sicq. (secundum illud de Ennio dictum) aurum ex stercore seligentes, relinquentes blasphemias, cetera scitu digna narrabimus. Res igitur in hunc modum se habuit: Impostor quidam sceleratissimus ex Paro insula oriundus, immanissimorum criminum reus (patrem enim suum necauerat, & amore puerorum erat turpiter infamatus) patrium solum vertens, pœnæ timore perterritus, in regionem, in qua minime cognitus esset, proficisci in animum duxit. Sed quo omnia ad vitæ vsum sibi suppeditarentur abunde prospiciens, lustransq. mente vniuersum terrarum orbem; cum nulla sibi gens visa esset, quæ alios libenter ad se venientes susciperet, & peregrinos beneuolentiæ prosequeretur officijs, quos præsertim suæ esse sciret religionis homines; nec aliam quamlibet nationem tanta liberalitate prosequi egentes ac miserabiles quasque personas, perinde ac Christianos: mox ad eos proficiscendi consilium inijt. Ad hos cum peruenisset impostor, eos conueniens, se Christianæ religionis cupidissimum simulauit. Quid plura? dedit nomen, initiatur baptismate, ad eumq. loci gradum promotus est tandem, vt (quod ait auctor) profiteretur inter prophetas ac ceteros rerum sacrarum principes: quippe qui se & magistrum præberet, qui alios fidem Christianam doceret, ac sacros libros interpretaretur, necnon & alios a se conscriptos legendos traderet.

X. At ne quid sibi deesse videretur, quod ad culmen Apostolicæ perfectionis spectare nosset; operatus est, vt pietatis causa detruderetur in carcerem, vbi velut nouus Paulus vinctus, glorioſe sua vincula ostentaret. Sed eo consilio hæc omnia faciebat, vt ex oblationibus Christianorum sponte ac largiter dantium ingentem pecuniæ vim ea arte corraderet: qui cum in his præstandis officijs munificentissimi haberentur, quæ non profudissent eius causa, quem nondum sibi perspectum, velut Apostolum alterum iam

iam haberent? Sed quæ fuerint erga impium hominem piorum studia, ex eodem auctore, qui hæc scriptis mandauit, in medium afferamus. Cum primum enim eum e carcere liberare, & nulli parcentes impensæ redimere conati essent, nec voti compotes facti, hisce eum quotidie prosequebantur officijs, & colebant obsequijs: Mane, inquit, quidem illico videre erat iuxta carcerem præstolantes anus, viduas quaspiam, & orbos puerulos: illorum enim pars etiam vna intus cum illo somnum capiebant, corruptis pecunia custodibus. exinde omnis generis cœnæ inferebantur variæ, & sacri inter se sermones dicebantur. Quinetiam in Asia pleraſque vrbes fuisse constat, ex quibus venerunt quidam laturi auxilium, Christianis mittentibus ex publico, neque non collocuturi, & virum consolaturi. Incredibile vero est, quantum studium & celebritatem ad hoc ostendant, si quid tale vulgo innotuerit: illico enim nulli rei parcunt.] hæc ipse.

CHRISTIANORVM CHARITATIS OFFICIA.

Addit his vero auctor causam, cur sic affecti essent Christiani, vt nec bonis, nec vitæ parcerent, sed omnia libentissime profunderent, sic dicens: Proinde Peregrino quoque multæ tunc opes ab illis mittebantur sub vinculorum prætextu; nec vulgarem rerum prouentum lucrifaciebat. Etenim haud dubitanter sibi persuaserunt, se omnino immortalitate potituros, perpetuoq. victuros esse: quamobrem & mortem magno contemnunt animo, ac non pauci sua sponte semetipsos occidendos obtulerunt. Deinde primus illorum quoque legislator eorum persuasit animos, quemadmodum inter se omnes fratres essent. Postea vero quàm semel a nobis desciuerunt, Græcorum deos constanter abnegant, solum crucifixum illum colentes.] Addit hæc insuper: Proinde apud illos omnia ex æquo habentur contemptui, præter fidem, quam exacte exploratam a quocumque deferente suscipiunt; quòd facile sit eos ab impostoribus seduci, eosq. breui fieri opulentos.] Subdit auctor de eodem Peregrino, quòd tandem dimissus fuit a Syriæ Præside, cum alioqui ille se libenter mortem oppetere demonstraret, seu potius fingeret.

XI. CHRISTIANI SPE VITAE AETERNAE OMNIA PRAESTANT.

XII. Post hæc autem eumdem Peregrinum auro suffarcinatum in patriam redijsse, auctor ipse testatur, ac subinde de secunda ab eo inita peregrinatione hæc ait: Secunda itaque susceptа peregrinatione, egreditur vagaturus, satis sibi viatici in Christianis repositum esse existimans, a quibus quaquauersum incedebat stipatus, in omni agebat rerum abundantia: atque in hunc modum aliquantum temporis alebatur. Tandem admisso nescio quo aduersus illos flagitio; siquidem visus erat (vt opinor) nescio quid ex interdictis comedisse; non recipientibus amplius illis, magna est rerum difficultate perplexus.] At prætermittimus cetera recensere: nam satis putamus hæc esse ad ea quæ ad res nostras pertinent. Prosequitur enim auctor narrare ceteras eius peregrinationes, Romamq. aduentum: et quomodo edicto Imperatoris, philosophis ex Vrbe proscriptis (factum enim id fuit rursum a Domitiano Imp. paucos post annos) tam ipse, quàm ceteri qui erant Romæ philosophi, nempe (vt ait) Musonius, Dio, Epictetus, & alij, Vrbe egredi sunt coacti. At hic tandem noua arte immortalem sibi gloriam paraturus, re vera tamen scelerum suorum supplicium luiturus, in Olympijs solemni pompa sese dedit incendio exurendum: cuius rei gestæ, qui præsens vidit, historiam ipse Lucianus conscripsit. Hæc summatim ex Luciano ad Chronium accepta voluimus enarrasse, vt huiusmodi exemplo, quæ a nostris de ea re scripta sunt, planius innotescerent, suisq. coloribus velut in tabula cernerentur expressa: vt illud in primis, quod se passum Paulus [a] dicit: Periculum in falsis fratribus.] de quibus & Dominus dixerat [b]: Venient ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.] Quales igitur eiusmodi esse solerent, ipsum exemplar ex vero redditum vidimus in Peregrino; qui merito dictus est cognomento Proteus, quòd omnem, quam sibi vellet, formam superinduceret [c].

RELIQVA PEREGRINI, AC FINIS EIVS.

[a] 2. Cor. 11.

[b] Matth. 7.

[c] Gellius Noct. Attic. lib. 12. c. 11. & Ammian. lib. 29.

XIII. Ex his insuper facile intelligimus, quæ de Mensurio Episcopo Carthaginensi recitat S. Augustinus [d]: nimirum quòd prudenter agens, noluisset recipere quosdam pseudomartyres, qui lucri gratia se inter martyres coniecissent, vt pecunijs ditarentur, vel lautius ibi viuerent. Sic enim ait: Quidam etiam in eadem epistola facinorosi arguebantur, & fisco debitores, qui occasione persecutionis, vel carere vellent onerosa multis debitis vita, vel purgare se putarent, & quasi abluere facinora sua, vel certe acquirere pecuniam, & in custodia delicijs perfrui de obsequio Christianorum.] Sicq.

[d] Aug. in Breuic. coll. die tert. c. 12.

OFFICIA CHRISTIANORVM ERGA VINCTOS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex his videas, quæ ipso initio exurgentis Ecclesiæ detentis in carcere causa fidei a Fidelibus compluribus præstari consueuerunt officia, eadem etiam exhibita reperiri in vltima persecutione sub Diocletiano, de qua ea quæ nuper sunt recitata ab Augustino, intelliguntur: sicq. semper eumdem in Ecclesia morem esse seruatum. vnde merito Tertullianus [a] sic scribit ad martyres in carcere constitutos: Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ vobis & domina mater Ecclesia de vberibus suis, & singula fratres de operibus suis proprijs in carcerem submministrant, capite aliquid & a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum.] et post aliqua de ijsdem: Immo & quæ iusta sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ, & agapen fratrum.]

[a] Tertul. ad Martyres c. 1.

XIV. Sed videamus quæ ad hæc spectantia S. Cyprianus [b] habet, cum absens clerum admonet, vt confessorum, qui detinerentur in carcere, propensiorem curam gererent, eisdemq. omnis impenderetur humanitas. Adeo namque frequens esse solebat, confessores detentos in carcere visitare, vt ad euitandam inuidiam persecutorum, oportuerit eumdem S. Cyprianum [c] suos litteris cohibere, sic scribentem: Peto quoque, ad procurandam quietem, solertia & solicitudo vestra non desinat. Et si fratres pro dilectione sua sunt cupidi ad conueniendum, & visitandos confessores bonos, quos illustrauit iam glorioſis initijs diuina dignatio: tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem simul iunctam puto esse faciendum: ne ex hoc ipso inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur; & dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo, & prouidete, vt cum temperamento hoc agi tutius possit; ita vt presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent: quia & mutatio personarum, & vicissitudo conuenientium, minuit inuidiam.] hæc Cyprianus, plane significans, solitos esse presbyteros illic in carcere offerre sacrificium, quod Missam dicimus, ex quo haud dubium confessores communicarent: quæ quidem omnia pietatis officia Fideles vt sibi præstare liceret, erogata (vt vidimus in Peregrino) in carceris custodes pecunia collectitia, redimere consueuerant.

[b] Cypr. epist. 37.

FREQVENS VISITATIO CONFESSORVM.

[c] Cypr. epist. 5.

XV. Rursus vero, quod pertinet ad descripta a Luciano Christianorum charitatis studia in suscipiendis hospitibus, in quibus præstandis satis sibi esse viatici Peregrinus existimauit, ita vt non tantum ab illis aleretur, sed etiam in via deduceretur, atque sic (vt ait) quaquauersum stipatus incederet: commendat hoc immensam Christianorum erga fratres dilectionem, atque illam ipsam, quam hisce puto temporibus Ioannes Euangelista [d] laudat in Gaio, sic scribens: Carissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimoniū reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos, bene faciens, deduces digne Deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere huiusmodi, vt cooperatores simus veritatis.] hæc Ioannes per omnia his consentientia, quæ ex Luciano sunt recitata. Porro Tertullianus [e] adeo frequentem ac necessariam inter Fideles intercessisse mutuam hospitalitatē significat, vt inter Catholicæ communionis symbola illam adnumeret, dicens: Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, vna est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnam omnes probant vnitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis, quæ iura non alia ratio regit, quàm eiusdem sacramenti vna traditio.] hæc Tertullianus, qui per contesserationem hospitalitatis, certum quoddam signum intelligit, quod qui ferret, vt Ecclesiæ Catholicæ legitimus filius, quocumque pergeret, a Fidelibus æque Catholicis honorifice reciperetur hospitio. Quod quidem signum cum adulterassent hæretici, a Catholicis noscitur sæpe mutatum, ac litteris tandem commissum, quas Patres in Nicæno Concilio nominatuere Formatas.

[d] Ioan. epist. 3.

HOSPITALITAS QVAM CVSTODITA ET FREQVENTATA A CHRISTIANIS.

[e] Tertul. de præscrip. c. 20.

XVI. Iure igitur Lucianus de Peregrino ait, satis sibi esse viatici ipsum existimasse in Christianorum hospitalitate repositum: nam non recipere, nec coniungere oblatam tesseram, idem erat, quod a Catholica communione seiungere. Verum & apud Gentiles illud vsurpatum erat, vt idem esset confringere tesseram, ac amicitiam dissoluere. vnde apud Plautum [f]:

[f] Plaut. in Cistel.

DE TESSERA HOSPITALITATIS APVD GENTILES.

Hic apud nos iam Alcesimarche confregisti tesseram.]

Pactæ namque etiam apud illos erant per tesseram mutuæ hospitalitates, eoq. fœdere mutuæ pariter amicitiæ fouebantur: quæ sic sancte ac inuiolate cultæ, manabant ad posteros. vnde apud eumdem auctorem [g]:

[g] Plaut. in Penulo.

Si ita

Si ita est, tesseram
Conferre si vis hospitalem, eccam attuli.
Agedum ostende. est par probe: nam habeo domum.
O mi hospes salue multum. nam mihi tuus pater,
Pater tuus ergo hospes Antidamas fuit:
Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.]

At si hæc mutuæ charitatis officia adeo insolubiliter inter Gentiles ipsos excolebantur; quid putandum factum esse inter Christianos; cum, etiam eiusdem Luciani testimonio, hi præ ceteris mutua inter se charitate coniunctissimi essent? Sed hæc satis ad insinuandos de ea re antiquos Ecclesiæ mores.

IESV CHRISTI ANNVS 76. LINI ANNVS 7. VESPAS. IMP. ANNVS 5.

I. VLTIMVM LVSTRVM.

SEquens ordine temporum annus Christi septuagesimusextus, adscribitur antiquis Fastis Vespasiano Augusto quintum & Tito Cæsare tertium Consulibus; quibus (vt auctor est Censorinus [a]) ab eodem Vespasiano, Censorem etiam agente, habitum est nouissimum lustrū: nam exinde a Consulatu Domitiani duodecimo & Cornelij Dolabellæ, per Capitolinos agones anni cœpti sunt numerari, vt suo loco dicemus. Quod autem spectat ad hoc vltimum lustrum; haud alienum ab instituto esse putamus, si de longa ætate complurium qui eodem lustro censi sunt, quæ scribit Plinius, hic describamus; ne pro monstro habeatur, quòd Simeon, frater Domini dictus, centum & viginti annos natus, cruci affixus martyrium consummarit; siue quòd alij his ipsis temporibus ex Apostolorum discipulis centenarij, vel maiori ætate decesserint.

[a] Censor. de die natali. c. 15.

II. DE AETATE LONGAEVA MVLTORVM.

Plinius [b] enim hæc ait: Accedunt experimenta, & exempla recentissimi census, quem intra quadriennium Imperatores Cæsares Vespasiani, pater filiusq. Censores egerunt. Nec sunt omnia vasaria excutienda: mediæ tantum partis inter Apenninum Padumq. ponemus exempla. Centum viginti annos Parmæ tres edidere, Brixelli vnus CXXV. Parmæ duo CXXX. Placentiæ vnus CXXXI. Fauentiæ vna mulier CXXXII. Bononiæ L. Terentius Marci filius, Arimini vero Marcus Aponius C. & L. Tertulla CXXXVII. Circa Placentiam in collibus oppidum est Velleiacium, in quo CX. annos sex detulere, quatuor centenos vicenos, vnus CXL. Marcus Mutius Marci filius, Galerius Felix. Ac ne pluribus moremur in re confessa, in regione Italiæ octaua centenum annorum censi sunt homines quinquaginta quatuor, centenum denum homines quinquaginta septem, centenum vicenum quinum homines duo, centenum tricenum quinum aut septenum totidem, centenum quadragenum homines tres.] hucusque ex tabulis census Plinius: qui decipi non potuit, cum in ijsdem censibus ex Consulum notis quisque annus, quo quis natus esset, describi solitus, manifestior appareret. Hæc igitur qui attenderit, haud mirabitur, si præter Simeonem, quem diximus, Dionysium, Ignatium, Quadratum, Hermam, Polycarpum, & alios omnes Apostolorum discipulos, qui & Dominum viderunt, vel vidisse potuerunt in humanis agentem, ad Traiani & Hadriani tempora, vel vlterius, vitam duxisse legat; qui diuina etiam agente dispensatione, tam longæuam ætatem vixerunt, vt ita Dei Ecclesiæ consultum esset aduersus hæreticos tunc emergentes. Quid enim Apostoli credidissent, & quæ alios docuissent seruanda, huiuscemodi grauissimi ac veracissimi testes rogantibus certo certius tradere, & quæ oculis aspexissent, verisime affirmare potuerunt.

[b] Plin. lib. 7. cap. 49.

IESV CHRISTI ANNVS 77. LINI ANNVS 8. VESPAS. IMP. ANNVS 6.

I. [c] Dio in Vespas.

SEquenti anno Domini septuagesimoseptimo, Vespasiano sextum & Tito quartum Coss. templum Pacis augustissime ædificatum (vt auctor est Dio [c]) dedicatum est; inq. eo, præter alia hinc inde toto terrarum orbe quæsita ornamenta, ea præsertim,

TEMPLVM PACIS DEDICATVM.
a Ioseph. de bello Iud. lib. 7. c. 24. in fine.

sertim, quæ e templo Hierosolymitano sublata, ducta fuerant in triumphum, sunt reposita. Iosephus[a] enim de eodem templo agens, hæc scribit: Vespasianus Pacis templum ædificari decreuit. Itaque mira celeritate, quæ hominum cogitationem superaret, effectum est. Magna enim diuitiarum largitate vsus, insuper perfectis id picturæ ac figmentorum operibus exornauit. Omnia namque in illud sanum collecta ac deposita sunt, quorum visendorum studio, per totum Orbem, qui ante nos fuerant, vagabantur; quomodo aliud apud alios situm esset, videre cupientes. Hic etiam reposuit quæ Iudæorum fuerant instrumenta, his se magnifice efferens. Legem vero eorum & penetralium vela purpurea in Palatio condita seruari præcepit.] hæc Iosephus.

II. STVDIVM VESPASIANI.

Cur autem Vespasianus, nullo maiorũ exemplo, Paci primus templum erexerit (vt superius susius demonstratum est) cum alias sæpius hostibus grauioris momenti superatis, Vrbiq. tranquilla pace donata (vt Augusti præsertim temporibus accidit) nullus vmquã repertus sit, qui ei numini templum extruxerit; non leuis admirationis occasio exoritur. Sed certe eam huius rei gerendæ causam coniectura haud contemnenda significat: nimirum quòd (vt superius dictum est) Iudæorum, ac Iosephi præsertim historici adulatione, ipsum illum se esse Regem persuasus, qui ex Iudæa proditurus, vniuerso dominaretur Orbi (quod de Christo dictum a Prophetis erat) omnia pariter quæ de illo prædicta erant, in se transferre curauerit. Nam quod ad eam rem spectare videbatur, etiam (vt vidimus) miracula operandi virtutem se assecutum esse adeo palam ostentauit, vt ab omnibus ferme eius temporis historicis, vt fuit creditum, sic etiam tamquam res probe testata atque confessa, memoriæ fuerit commendata. Porro eam ipsum gloriam affectasse, manifestum illud fuit argumentum, dum (quod & antea dictum est) eos qui erant ex familia Dauidis, conquiri iussit, atque conatus est tollere, ne quis ex ea stirpe, qua tamen Christus dicebatur nasciturus, extaret: id enim vnum sibi videbatur obstare, quo minus in omnibus fieret voti compos.

III. ERIGENDI TEMPLI PACIS RATIO.
b Isai. 9.

Sic igitur in hunc modum (vt vidimus) Vespasianus affectus animo, quòd audisset in oraculis[b] esse, illum ipsum Regem, pacis Principem nominandum, & in immensum fore ab eo propagandum imperium, pacisq. inde nullum futurum esse finem, sic dicente Isaia: Vocabitur nomen eius, Princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis] eadem perinde ac de se dicta essent, a Iosepho oblata sibi sumens, celeberrimum omnium templum erigens, Paci æternæ dicauit: eo enim titulo templi porticus faciem fuisse notatam, numismata antiqua declarant. sed & vetus inscriptio, quæ Romæ in ædibus Farnesianis lapidi insculpta legitur, in qua & descriptæ sunt Tribus quæ ad templi structuram pecuniam contulerunt, hæc habet primo loco notata verba: PACI AETERNAE. cetera quæ sequuntur, prætermittimus, quòd sit alias eadem inscriptio a nobis superius recitata. In nummo etiam argenteo in hunc modum: PACI AE[c], deest TERNAE. Hisce igitur monumentis, quòd esset Princeps pacis, & auctor pacis æternæ, quæ in propheticis oraculis docente Iosepho sciret expressa, ea de se esse prænunciata voluit credi, & reddi manifeste testata. Hæc vero licet sint a nobis (vt superius diximus) ex coniectura deducta; nihilominus haud facile ab alijs, omnia simul exacte considerantibus, contemnenda fore putamus.

c Adolph. lib. de Numis.

IESV CHRISTI ANNVS	LINI ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
78.	9.	7.

I. Annus Domini septuagesimusoctauus Coss. Vespasiano septimum & Tito quintum adnotatur in Fastis: quo, sicut & alijs huic coniunctis, nulla reperimus Ecclesiastica gesta, quæ horum nota Consulum consignentur: cum alioqui sciamus, huius pacis opportunitate, veluti diebus Alcyonijs, bene vsos esse Christianos ad propagandam longe lateq. per Orbem Christianam religionem. At quoniam, quid quolibet anno gestum sit, ex antiquis verisq. Ecclesiasticis monumentis vti certum exploratumq. tradi nequit: consultius existimamus, hos Consules, atque etiam alios plures rerum nostrarum vacuos præterire, quàm pro arbitrio, quid hoc vel illo anno sit factum, velle diuinare, ac fingere; quod contra Ecclesiasticæ scribendæ historiæ perfectos numeros a quibusdam recentioribus factitatum inuenimus, dum his annis Thomæ, Bartholomæi, Nathanaelis, vel aliorum sine auctore ponunt martyria contigisse.

IESV

IESV CHRISTI ANNVS	LINI ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
79.	10.	8.

Christi Redemptoris nostri anno septuagesimonono Consulatum gessisse reperiuntur Vespasianus octauum, & Domitianus primum: sed si suffectum eius Consulatum cum hoc primo ordinario numeres, hic sextus ordine ponetur. Atque adeo hic est ille ipse Domitiani ordinarius Consulatus, cuius Suetonius meminit, ita dicens cum agit de eius temporibus ante adeptum Imperium: In sex Consulatibus nonnisi vnum ordinarium gessit, eumq. cedente & suffragante fratre] nempe Tito. Quamobrem errare mihi videntur, qui hunc annum signant Consulatu Vespasiani octauo, ac Titi sexto: nam & in antiqua[a] inscriptione octauus Consulatus Vespasiani iungitur cum sexto Domitiani. Est enim huiusmodi: T. VESPAS. AVG. VIII. FLAV. DOMIT. VI. COSS. Q. CLAVD. SER. OFF. FEC. CASTR. PRAET.] Quod igitur Suetonius ait, cedente fratre & suffragante, gessisse Domitianum Consulatum ordinarium; sic intelligendum, vt, cum hactenus ipse Titus semper ordinarius creatus Consul esset, & e contra Domitianus semper suffectus, hoc anno vice versa (id agente Tito) Domitianus ordinarius, Titus vero suffectus Consul esset, sicq. sexies & ipse Consul creatus esset, nempe quinquies ordinarius, ac semel suffectus. Hic ille quippe annus, quo Plinius nominat Titum sexies Consulem. Porro hunc eumdem esse annum quo ea scribebat, certum argumentum elicitur ex his quæ alibi idem auctor scribit[b], dum numerat quatuor annos a tempore census Vespasiani: nam (vt dictum est auctore Censorino) habitus est census ille, eodem Vespasiano quintum, & Tito tertium Coss. a quo numerari incipiunt quatuor anni vsque ad tempus præsens, quo ea scribebat, cum (vt dixerat in præfatione) ageret Titus sextum Consulatum.

a Apud Panuin. comment. Fast. lib. 2.

b Plinius lib. 7. cap. 49.

IESV CHRISTI ANNVS	LINI ANNVS	VESPAS. IMP. ANNVS
80.	11.	9.

I. DE LINI PAPAE MARTYRIO ET SEDIS TEMPORE.

Anno Domini octuagesimo, Commodo & Prisco Coss. Linus Romanus Pontifex, cum sedisset annos vndecim, menses duos, & dies vigintitres, nono Kalendas Octobris, Saturnini Consularis iussu, martyrio coronatur. At cum tam Eusebius, quàm etiam Epiphanius tribuant Lino annos duodecim; non sic dixisse putamus, quasi eos expleuerit, sed quòd ipso anno suæ sedis duodecimo mortuus sit. Verum cum Eusebius duodecim annos Linum sedisse velit, affirmetq.[c] euoluto anno secundo Titi ipsum decessisse; nulla hæc ratione sibi cohærent. nam a tempore Petri martyrij vsque ad secundum Titi annum, quatuordecim saltem voluuntur anni. Nos vero, cum non appareat quot diebus alicuius Pontificis sedes vacauerit, a die sequenti obitus præcedentis, annos eius qui subrogatus est, cogimur numerare. Sicq. recensentes Lini annos a die post martyrium Petri, deducentesq. annos vsque ad diem qua anniuersaria eius commemoratio in Ecclesia antiquitus fieri consueuit; non tantum annos, sed & menses & dies hac ratione tutius putamus esse ponendos: cum præsertim diuersa a diuersis scribantur, nec quicquam certi habeatur, quod omni ex parte subsistat. Hac igitur ratione habita annorum, non tantum Lini, sed & Cleti eius successoris, & Clementis, qui tertio loco post Petrum successit, hoc potissimum anno Lini obitum, & Cleti ingressum ponere, satius visum est.

c Eusebius in Chron. & hist. lib. 3. c. 12.

II. TITI MANSVETVDO.

Certe sub Vespasiano potius quàm sub Tito Linum consummasse martyrium, ea etiam ratione persuademur, quòd de eodem Tito scribat Suetonius[d], ea fuisse humanitate præditum, vt etiam a sontium supplicio abhorruerit, eaq. ex causa Pontifex Maximus creari voluerit, vt se a sanguine temperaret. Sunt enim hæc Suetonij verba: Pontificatum Maximum ideo se professus accipere, vt puras seruaret manus, fidem præstitit: nec auctor posthac cuiusquam necis, nec conscius, quamuis interdum vlciscendi causa non deesset; sed periturum se potius quàm perditurum adiurans. Duos patricij generis conuictos in affectatione Imperij, nihil amplius, quàm vt desisterent

d Sueton. in Tito. c. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sisterent, monuit; dicens, Principes fato dari: si quid præterea desiderarent, promit- A
a Dio in Tito. tens se tributurum.] hæc & alia Suetonius. Sed & Dio hæc de Tito [a]: Non modo Senatorem, quamdiu principatum tenuit, nullum interfici iussit, sed nec alius quispiam sub eius Imperio morte affectus est. De crimine impietatis numquam cognouit, nec permisit alijs vt cognoscerent.] Sed quid hoc, nisi eum Christianos iure suo quiete agere voluisse, ac proinde nullum sub eius Imperio ea de causa morte mulctatum esse? Non sic sub Vespasiano: nam etsi non aliorum, saltem delinquentium punita sunt crimina; innocentium vero nemo ductus, ipso sciente: nam & hæc de eodem scribit Sue-
b Sueton. in Vespas. c. 15. tonius [b]: Non temere quis punitus insons reperitur, nisi absente eo, & ignaro, aut certe inuito, atque decepto.] Ceterum Christiani rei violatæ religionis in crimen adducebantur, ac etiam puniebantur.

III. Sed etsi (quod scribit [c] Dio) philosophi libere nimium obloquentes, ab eo ex Vrbe B
c Dio in Vesp. exacti sunt, & ex illis vnus ea de causa securi subiectus est, alius vero virgis publice cæsus: haud putamus absque pœna illos esse dimissos, qui deos Gentium dicerent nonnisi malos dæmones esse, omnemq. simul Vrbis idolorum superstitionem esse submouendam, veritate Euangelica testarentur. Quamobrem ea de causa non Linus tantum, sed & alij sub Vespasiano martyrium subijsse narrantur, vt Apollinaris Rauennæ Episcopus, de quo supra mentio facta est, & Leontius [d], Hypatius, Theodolus mi-
d Metaphrast. die 19. Iunij. lites, & si qui alij, ob eam nimirum causam supplicio affecti, quòd in deos esse impij visi sint. Errorem vero, qui ex appositis Consulibus irrepsit in librum qui nomine Damasi vulgatur a multis, de Romanis Pontificibus, quo Lini martyrium accidisse ponitur sub Consulatu Saturnini & Scipionis, superius cum egimus de ingressu Lini, refellimus. C

IV. De eius Pontificatu, cuius exordia in miserrima tempora inciderunt, cum bellis ciuilibus Vrbs & Orbis conflagrare viderentur, nulla prorsus alia videtur memoria esse relicta, acerrimis persecutionibus Ecclesia deuastata, præter pauca illa quæ in eodem commentario descripta ponuntur in hæc verba, post factam de martyrio mentionem: Item ex præcepto B. Petri constituit, vt mulier velato capite in ecclesiam introiret. Hic fecit ordinationes duas, Episcopos quindecim, presbyteros decem & octo: qui sepultus est iuxta corpus B. Petri in Vaticano, nono Kal. Octobr.] hæc ibi. Scripta fuisse a Li-
e Thritem. de vir. illustr. & Sixtus Senens. no [e] fertur historia de altercatione Petri cum Simone mago, sed non extat. Acta vero CLETVS SVCCESSIT LINO. passionis Petri & Pauli, quæ itidem Lini nomine inscripta habentur, multis esse referta erroribus, superius est demonstratum. Post Linum subrogatus est Cletus Romanus, patre Æmiliano, ex Vico Patricij. D

IESV CHRISTI ANNVS 81.	CLETI ANNVS 1.	VESPAS. IMP. ANNVS 10.

I. SEquenti anno Domini octuagesimoprimo Vespasianus nonum & Titus septimum Consulatum adierunt; tametsi re vera hic sextus habeatur Titi ordinarius
f Sueton. in Tito c. 6. Consulatus: nam licet ex Suetonio [f] constet eum vna cum patre septem Consulatus gessisse, vnus ex his tamen suffectus habetur, quo (vt ex eiusdem auctoris sententia
OBITVS VESPASIANI, ET ANNI EIVS IMPERII. dictum est) fratri Domitiano cessit ordinarium Consulatum: sicut pariter octauus [g] hic E
g Suet. in Vesp. cap. 8. censetur Consulatus ordinarius Vespasiani; sed nonus erit, si primus ille pariter adnumeretur, quem suffectus gesit temporibus Claudij. Hoc igitur anno idem Vespasianus Augustus annum agens ætatis sexagesimumnonum, mensem vnum, & diem septimum, octauo Kalend. Iulij, ex hac vita morbo sublatus est, cum imperasset annos decem minus sex diebus, ducendo annorum numerum ab ea die, qua in Ægypto a militibus primum Imperator acclamatus, est auspicatus Imperium, nimirum a Kal.
h Suet. in Vesp. cap. 6. Iulij, Galba & T. Vinio Rufino Coss. is enim dies (vt idem Suetonius [h] ait) vt initium ac velut natalis dies Imperij fuit in posterum obseruatus. Cur autem alij alium eiusdem Imperij ponant annorum numerum; inde euenit, quòd exordij susceptj ab eo Imperij alij aliam inierunt rationem, vt satis superius dictum est.

II. Defuncto itaque Vespasiano, Titus filius eius statim capessit Imperium, quod tenuit

A nuit annos duos [a], menses duos, & dies viginti; de quo quidem hæc Dio [b]: Titus ex TITVS IMPERAT.
a Sueton. in Tito c. 11. quo tempore principatum solus obtinuit, nec cædes fecit, nec amoribus inseruiuit; sed
b Dio in Tito. cap. 8. comis, quamuis insidijs peteretur, & continens, Berenice in vrbem reuersa, fuit: adeo mores statim mutauit.] Neque vero tacebo quod scribit de eo Suetonius: adeo enim ait fuisse animo in omnes beneficentissimo, vt non permitteret quempiam a se minus voti compotem factum tristem abire: Et aliquando, inquit, recordatus super cœnam quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritoq. laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi.] quam quidem sententiam hic voluimus recitasse,
c Hier. in epist. ad Galat. c. 6. quòd eam sanctus Hieronymus vehementer admiratus, in suis in epistolam [c] Pauli ad Galatas commentarijs hæc dicat: Breue est vitæ istius curriculum. Hoc ipsum quod loquor, quod dico, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore
B meo mihi aut crescit, aut deperit. Titus filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis subuersis Hierosolymis, Romam victor ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt, cum quadam nocte sero recordaretur in cœna quòd nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis: Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die Iudicij? Quòd si hoc ille sine lege, sine Euangelio, sine Saluatoris & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit & fecit; quid nos oportet facere?] hæc ipse.

III. At vero nec præterijsse volumus quod hoc anno accidit immensum veluti mox DE MONSTROSA ERVPTIONE FLAMMARVM EX VESVVIO. casuri mundi prodigium: nimirum cum facta est admiranda illa ex monte Vesuuio
d Sueton. in Tito c. 8. flammarum eruptio, quæ a Suetonio [d] summatim scribitur, sed a Dione [f] fusius enar-
C ratur. Accidisse enim ait vehementem illam Vesuuij eruptionem hoc ipso primo anno Titi Imperij sub tempus autumni: Plinius [g] Iunior cœpisse ait Kalendis Nouembris, hora septima. At quoniam prodigij loco res est habita, quæ & imaginem quam-
f Dio in Tito. dam præseferret diei nouissimæ: eamdem recensere, haud inutile arbitramur. sic enim
g Plinius epist. ad Tacit. ait: Eo tempore magnus numerus hominum inusitata magnitudine, quales gigantes finguntur, in eodem monte, regioneq. finitima, ac proximis ciuitatibus interdiu noctuq. vagari, versariq. in aere visus est. Post hæc consecuta est maxima siccitas, ac repente ita graues terræmotus facti, vt ea omnis planicies feruida esset, & culmina montium subsiderent. Ad hæc sonitus subterranei, tamquam tonitrua, & super terram mugitibus similes extiterunt. Deinde mare simul fremere, omne cælum resonare; ingensq. & repentinus fragor, quasi montes simul conciderent, exaudiri. Tum exi-
D liere primum immensi lapides, & ad summos vertices peruenere: deinde magna copia ignis fumique, ita vt omnem aerem obscuraret, occultaretq. Solem, non aliter quàm si defecisset.

IV. Igitur nox ex die, & tenebræ ex luce factæ erant; putantibus nonnullis, gigantes se- IMAGO VLTIMI CASVS MVNDI. ditionem inter se facere, quòd multæ imagines eorum in fumo conspicerentur, quòdq. clangor tubarum audiretur. Alij existimabant, aut mundum in chaos redigi, aut igne consumi: ob eamq. causam properabant alij ex ædibus in vias, alij de vijs in ædes confugere, atque e mari in continentem, & e continenti in mare se recipere; alij turbari, & quæ nondum venerant, existimare tutiora rebus præsentibus. Tanta vero erat copia cineris, vt terram mareq. atque adeo ipsum aerem compleret: quæ res multa damna, vt cuique sors tulit, importauit non solum hominibus, prædijsq. ac pecoribus, sed
E etiam pisces volucresq. omnes peremit; duasq. vrbes, Herculanum & Pompeios, populo sedente in theatro, penitus obruit. Postremo tantus fuit cinis, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Ægyptum, introieritq. Romam, eiusq. aerem compleuerit, & Solem obscurauerit. Id Romæ accidit paucis post diebus, cum omnes ignorarent id quod factum erat in Campania, nec quid esset, coniectura assequi possent. Itaque etiam ij putare cœperunt omnia sursum deorsum ferri, Solemq. in terram cadere, aut terram in cælum conscendere. Quamquam autem hic cinis non attulit statim grauia incommoda populo Romano, tamen postea morbum pestilentem & grauem immisit.] hucusque Dio.

V. Hæc autem & alia id genus a Deo viua exempla data esse hominibus ignis æterni
b Tertull. in Apolog. c. 48. quo peccantes in inferis punirentur, Tertullianus [h] in primis declarat his verbis: Nouerunt & philosophi diuersitatem arcani & publici ignis: ita longe alius est qui vsui humano,

Universidad de Deusto
Biblioteca

CVR PERENNES IGNES HOMINIBVS DEMONSTRATI.

humano, alius qui iudicio Dei apparet, siue de cælo fulmina stringens, siue de terra per vertices montium eructans. Non enim absumit quod exurit; sed dum erogat, reparat: adeo manent montes semper ardentes, & qui de cælo tangitur saluus est, vt nullo iam igni decinerescat. Et erit testimonium ignis æterni, hoc exemplum iugis iudicij pœnam nutrientis. Montes vruntur, & durant: quid nocentes & Dei hostes?] hæc Tertullianus. Sed enim Minutius Felix in Octauio, dum de gehennæ ignis incendio, ab his ipsis etiam mutuatus exemplum, verba facit, hæc habet: Illic sapiens ignis membra vrit, & reficit, carpit, & nutrit: sicut ignes fulminum corpora tangunt, & absumunt: sicut ignes Ætnæ, & Vesuuij montis, & ardentium vbique terrarum, flagrant, nec erogantur: ita pœnale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.] Et Pacianus[a]: Si de cruciatu exomologesis retractatis, gehennam recordemini, quam vobis exomologesis extinguet. vim eius & de præsentibus æstimate, cuius fumariola quædam maximos montes subterraneis ignibus decoquunt. æstuat indefessis flammarum globis Ætna, & Lisaniculus, & Vesuuius Campanus: et quo nobis iudicij perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur, nec vllis tamen sæculis finiuntur.] hæc ipse. Quamobrem eiusmodi terræ fauces, ex quibus iugiter ignis exhalare solet, veluti quædam inferni portæ, per quas delinquentium animæ inferrentur, appositæ in visu monstratæ sunt sanctis viris, vt de anima Theodorici Ariani Regis Gothorum Gregorius[b] tradit.

[a] Pacian. de punit. & conf.

[b] Greg. Dialog. lib. 4. c. 30.

VI. DE CASV MVNDI OPINIO VVLGATA APVD GENTILES.

Sed quod ad ea quæ dicta sunt spectat: illud Dionis elucidandum est, dum ait, hisce tam insolitis visis prodigijs, complures existimasse mundum in chaos redigi, aut igne consumi. Id enim non aliunde in eorum mentem venisse potuit, quàm quòd vulgatum erat ex carminibus Sibyllinis, mundum incendio periturum. Recitantur autem a Lactantio[c] eiusmodi oracula in hæc verba:

[c] Lactant. de ira Dei, c. 23.

Καὶ ποτὲ τῷ ὀργῷ θεὸν ἐκ ἔπι φειδύοντα,
Αλλ' ἐξεμβεβίωντα, καὶ ὠλόντά τε γένναν
Ανθρώπων ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ πίρθοντα. *hoc est*:

Et tunc Deus iram non amplius placantem, sed aggrauantem, & perdentem genus hominum, & totum id incendio depopulantem.] At hæc quidem haud recondita erant in penetralibus sacrarum ædium, vt paucis cognita essent; sed omnibus nota, vtpote a poetis publice decantata: nam idem Lactantius hæc ea de re Nasonis carmina recitat:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq. regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.]

VII.

Ad hæc etiam quæ apud Cumas his diebus acciderunt, referenda esse Sibyllæ vaticinia existimauit etiam Plutarchus[d], qui post illa recensita hæc addit: Hæc vero, quæ recens apud Cumas & Dicæarchiam acciderunt, nonne pridem decantata carminibus tempus veluti debens persoluit? eruptionem, inquam, montani ignis, feruorem maris, saxorum & massarum flagrantium venti vi eiectionem, tot tantarumq. simul vrbium interitum, vt hodie qui ad ea loca accedunt, non possint cernere vbinam conditæ fuerint.] hæc Plutarchus, qui his temporibus Romæ clarebat inter eruditos. Eiusdem plane argumenti Sibyllina illa quoque erant carmina, quæ dicebantur Ακροστιχὰ, quorum meminit Cicero[e], & quæ recitauit Constantinus[f] in consessu Patrũ. Sed quid sequenti anno Romæ acciderit, non minori existimamus esse admiratione dignum, quàm quæ ab eodem Dione conscripta, & ab alijs confirmata, hic intexuimus.

[d] Plutarch. de Pythia oracul.

[e] Cic. de diuin.

[f] Apud Euseb. in orat. Constãt. ad S. cœtum. cap. 21.

IESV CHRISTI ANNVS 82. CLETI ANNVS 2. TITI IMP. ANNVS 2.

ANno Christi octuagesimosecundo, Tito Augusto octauum & Domitiano Cæsare septimum Coss. Roma incendio diuinitus immisso, tribus diebus, totidemq. noctibus magna ex parte conflagrauit: qua quidem inflammatione qualis quantaq. fuerit facta iactura ædium priuatarum, ex publicis, quæ sunt exustæ, facile potest intelligi: hæc enim ait[g] Dio: Anno sequenti, Tito ad visendam calamitatem Campaniæ profecto

[g] Dio in Tito.

profecto, multa Romæ conflagrarunt: quod incendium tamen non extiterat ex terra. Nam Serapium, Septa, Isium, templum Neptuni, balnea Agrippæ, Pantheon, Diribitorium, theatrum Galbæ, scena Pompeij, Octauiana ædificia vna cum libris, templum Iouis Capitolini cum proximis templis, igni consumpta sunt. Ita id malum diuinum potius quàm humanum fuit. Licet enim ex his quæ commemoraui, cetera quæ eo incendio perierunt, conijcere.] hucusque Dio. Meminit eiusdem quoque incendij Suetonius[a], perdurasseq. ait per triduum.

INCENDIVM VRBIS.

[a] Sueton. in Tito, c. 8.

At quis hæc attente agitans animo, non obstupescat ad inscrutabilia Dei iudicia, cum sub æquissimo Principe peste & incendio intus forisq. Vrbs & finitimæ regiones adeo fuerint afflictatæ; si mente repetens, illud quoque consideret, temporibus sceleratissimi omnium Imperatoris, nimirum Caij Caligulæ, omnibus bonis, licèt inuito Principe, Romanam abundasse Rempublicam? Nam de illis temporibus hæc Suetonius[b]: Conqueri palam Caius de conditione temporum suorum solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur: Augusti principatum clade Variana, Tiberij ruina spectaculorum apud Fidenas, memorialem factum. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquando terræ optabat.] hæc de Caio Suetonius. Sed cur tam contrariæ vices in Principibus contrarijs plane moribus imbutis, illius solum est nosse, qui (quod est in Psalmo) terribilis est in consilijs super filios hominum.

II. DEI IVDICIA INSCRVTABILIA.

[b] Suetonius in Caio, c. 31.

Verum enimvero hæc omnia ad profectum Euangelij prouenisse, intelligere facile possumus, eaq. bene vsos esse occasione Fideles, qui (vt sæpius dictum est) prope aduentum Domini affuturum existimabant, & prædicabant: nam Hierosolymis iam excisis, impletisq. de ijsdem quæ Dominus prædixisset, reliqua etiam quæ de futuro suo ipsius aduentu signa adiunxerat, iam impleri putabant. Rursus etiam Gentiles his perterritos malis, & Sibyllinis oraculis mundi per ignem interitum prædicentibus monitos, id ipsum iam imminere existimasse: cumq. in eamdem sententiam multa etiam a Christianis afferrentur, non tantum non contempsisse, sed pronis eos auribus accepisse, ac subinde non prætermisisse quæ ab illis salubria afferrentur consilia, est opinandum. sicut & alias vidimus Constantinopoli accidisse; cum imminente nube ignea desuper, multa millia hominum ad ecclesiam, vt baptismo initiarentur, confugerunt: quod cum alij, tum etiam Ioannes Chrysostomus[c] scribit. sed de his suo loco. Consueuisse namque Christianos de extremo mundi casu cum Gentilibus verba miscere, monere videtur illud Senecæ[d] ad Polybium: Mundo, inquit, quidam minantur interitum: et hoc vniuersum, quod omnia diuina humanaq. complectitur (si fas putas credere) dies aliquis dissipabit, & in confusionem veterem tenebrasq. demerget.] At hæc non tantum Christiani ex diuinæ Scripturæ oraculis, sed ex carminibus etiam Sibyllinis (vt diximus) inferebant, quibus & aliqui sapientes essent adstipulati.

III. CHRISTIANI BENE VSI OPPORTVNITATE.

[c] Chrysostom. in Act. hom. 46.

[d] Senec. de consolat. ad Polyb.

Certe quidem naturali quodam instinctu docentur homines, vt cum aliqua necessitate premuntur, quantumlibet Gentiliciæ superstitionis cultores sint, nihilominus eo tempore parentes primis illis naturalibus impulsionibus animi, non deos, sed Deum protinus inuocent. Vnde Lactantius[e]: At, inquit, si qua necessitas grauius pressérit, tunc Deum recordantur: si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegauerit, si sæua tempestas, si grando ingruerit; ad Deum confugiunt, a Deo petitur auxilium, Deus vt subueniat oratur. Si quis in mari vento sæuiente iactatur, hunc inuocat: si quis aliqua vi afflictatur, hunc protinus implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit; non solum obtestatur; sed per eiusdem diuinum atque vnicum numen, hominum sibi misericordiam quærit. Numquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam vero deseruit, & pericula recesserunt; tum vero ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant: Deo autem, quem in ipsa necessitate imploraverunt, ne verbo quidem gratias agunt.] hæc ipse: qui & superius multis demonstrat, cogente (vt ait) natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpere veritatem. quod & Tertullianus in libro quem scripsit de testimonio animi aduersus idola, & in Apologetico[f] pluribus demonstrauit, & post eum Minutius Felix[g], & alij. At de his hactenus. In tanta autem rerum Ecclesiasticarum

IV. NATVRA DOCET VERAM RELIGIONEM.

[e] Lactant. lib. 2. cap. 1.

[f] Tertull. Apologet. c. 27.

[g] Minut. Felix in Octauio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

solitudine, magnarum rerum breues tantum lineas, easdemq. pertenues, ducere potius, quàm præsentis temporis Ecclesiæ statum coloribus repræsentare, conceditur. Nam (quod sæpius diximus) sic comparati sumus, vt iciuniorem interdum lectorem potius abire sinamus, quàm ea ingerere, quæ certæ probataeq. veritati assueti non recipiant.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI ANNVS	TITI IMP. ANNVS
83.	3.	3.

I. TITI IMP. OBITVS.

HIc qui sequitur Christi annus octuagesimustertius, Flauium & Pollionem (vt habet Dio [a]) habuit Coss. licet loco Flauij habeant alij Sextum Annium Siluanum: sed præstat auscultare Dionem potius, quàm quosuis e latebris recens erutos Fastos. Hoc igitur anno Idibus Septembris, Titus Imperator summo dolore optimorum omnium, veneno per Domitianum fratrem (vt fama fuit) mortem oppetijt, annos natus quadraginta unum, cum imperasset post patrem biennio, mensibus duobus, & diebus viginti. Hæc ex Suetonio [b] atque Dione.

a Dio in Tito.

b Sueton. in Tito c. 11.

II. DOMITIANVS IMPERAT.

Successit in locum eius Domitianus ipsius germanus, homo natura sæuus, ingenio ferox & vafer: quem nec multis officijs Titus clementissimus valuit demereri. Verum ipso principatus initio ipsum ab omni cæde abstinuisse, idem tradit [c] Suetonius. Laudatasq. sanciuit leges; vt illam in primis, ne quis in posterum intra fines Romani Imperij castraretur: quippe qui sciret huiusmodi homines solere esse in delicijs dominorum, & hoc (vt ait Dio [d]) quo se sanctiorem Tito esse demonstraret. Meminit eiusdem legis Suetonius [e], laudaturq. mirifice ab Ammiano, & alijs. Addidit etiam, vt legem Iuliam de adulterijs restitueret, & grauissimis pœnis exagitaret nobiles potissimum; feminas, quæ pudicitiæ violatæ conuincerentur: probrosis [f] autem lecticæ vsum ademit, iusq. capiendi legata & hereditates. Ad hæc spectant adulatoria illa, quæ his temporibus Martialis scribebat, vt illud [g] in primis:

c Sueton. in Domit. c. 9.

d Dio in Domitiano.

e Sueton. in Domit. c. 7.

f Idem c. 8.

g Martial. Epig. lib. 6. epig. 9.

Lusus erat sacræ connubia fallere tædæ,
Lusus & immeritos executisse mares.
Vtraque tu prohibes, Cæsar, populisq. futuris
Succurris, nasci quos sine fraude iubes.
Nec spado iam, nec mœchus erit, te præside, quisquam:
At prius, o mores, & spado mœchus erat.]

III. DOMITIANVS VINDEX PVDICITIÆ.

His igitur legibus editis, videri sane poterat Vrbis mutata facies, & ex turpissima facta pudica. Nam metu Principis, quem nossent animo ferocissimum, complures continebant se ab alieno toro: vnde idem ille, cum complura ab eo facta egregia prædicet, hoc tandem versu apponit coronidem:

Plusq. tibi debet Roma, pudica quòd est.]

Sed cum hæc agerentur non amore virtutis, sed timore seueræ legis; omnem fictam fuisse speciem illam pudicitiæ, tradit Iuuenalis, qui his vixit temporibus, & secunda satyra Vrbis turpissimas effusasq. libidines insectatur. Certe nec ipse legislator erat purus, quippe qui nepti Iuliæ [h] stuprum intulit, ac velut pro coniuge habuit, libidinosusq. (vt ait Dio) non in mulieres tantum, sed & in pueros fuit. Sic igitur cum ipse moribus turpissimus esset, pudicitiæ legum seueriissimus vindex erat, vsque adeo vt de Vestalibus virginibus diriissimam habuerit quæstionem, in quas more maiorum animaduertit, quem scribit Plutarchus in Numa, Liuius [i], Dionysius [k] Halicarnasseus, & alij. Sed de his post duos sequentes annos agendum.

h Dio in Domitiano.

i Liuius decad. 1. lib. 8.

k Dionys. lib. 2. init. Rom.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI ANNVS	DOMIT. IMP. ANNVS
84.	4.	1.

DE IOSEPHO HISTORICO.

CHristi Redemptoris anno octuagesimoquarto Domitianus octauum inijt Consulatum vna cum Flauio Sabino. Agebat adhuc Romæ hisce temporibus Iosephus historicus: quem (vt de se ipse testatur [l]) æque ac Vespasianus & Titus, Domitianus etiam est prosecutus officijs & beneficijs. nam ait: Post Titum Domitianus maioribus etiam

l Ioseph. in Vita sua in fine.

etiam me cumulauit honoribus: nam & accusatores meos Iudæos capite puniuit, & seruum eunuchum filij mei pædagogum, meum calumniatorem, puniri mandauit: et, quod est honorificentissimum, immunitatem prædiorum, quæ in Iudæa habeo, mihi concessit. Domitia porro Cæsaris vxor numquam mihi benefacere destitit.] hæc ipse: qui Romæ agens, bene vsus hoc otio, ad res patrias conscribendas, nempe de Antiquitatibus Iudaicis, adiecit animum: quando autem absoluerit, & quæ alia idem Romæ scripserit, dicemus suo loco opportunius.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI ANNVS	DOMIT. IMP. ANNVS
85.	5.	2.

ANno Christi octuagesimoquinto, Domitiano Augusto nonum & Virginio Rufo Coss. idem Imperator, quam hactenus simulauerat humanitatem atque clementiam exuens, immani feritate in ciues sæuire cœpit; quorum [a] diuersis prætextibus alios relegauit, alios vero vltimo affecit supplicio. Sed hæc pluribus, qui res ab eo gestas scripserunt, Suetonius, Philostratus, Dio, & alij. At vero non hæc tantum, sed & postea philosophos persequi aggressus, præconis edicto illos ab Vrbe discedere iussit. Tunc enim Musonium, de quo superius est facta mentio, Dionem cognomento Chrysostomum, Epictetum Stoicum, & Peregrinum Vrbe exactos, auctor est Lucianus [b]; licet, quod ad Peregrinum attinet, ab alio potius quàm a Domitiano expulsum esse demonstret. De se ipso idem testatur Dio [c], non amplius nisi eo mortuo, regnanteque Nerua, se in Vrbem reuersum. Exactus est & Demetrius [d] iterum, qui ceteris audacior Puteolis mansit; licet non tantum Roma, sed (vt Suetonius [e] tradit) ex Italia quoque omnes abire imperasset. Fit quoque mentio a Philostrato [f] de philosophis a Domitiano ejectis; qui, habitu mutato, partim in Hispaniam, partim in Libyæ, Scythiæve deserta confugerunt. Quidam vero viuendi ratione mutata, sese illi scelerum consiliarios adiunxerunt; vt inter alios Euphrates, qui ex philosopho assentator est factus atque delator, vt idem Philostratus [g] de eo scribit. Addit his & Dio [h], plures a Domitiano occisos esse, quòd philosophiæ operam darent, & inter ceteros Rusticum Arulenum, Maternum etiam sophistam, ceteris (vt ait) iterum ex Vrbe pulsis: vt non mireris si Eusebius de his iterum agat, nimirum nono eius Imperij anno, ac rursum decimoquinto. Meminit eiusdem Domitiani edicti ex Senatusconsulto Gellius [i], additq. Epictetum Stoicum ea de causa Roma Nicopolim discessisse. Quid vero post hæc in Iudæos, ac quid demum in Christianos edicto sanxerit, suo loco non reticebimus.

a Eusebius in Chron. DOMITIANVS INSECTATVS PHILOSOPHOS.

b Lucian. in Peregrin.

c Dio orat. 45.

d Philostratus lib. 7.

e Sueton. in Domit. cap. 10.

f Philostr. lib. 7.

g Philostr. lib. 8.

h Dio in Domit.

i Gell. lib. 18. cap. 12.

IESV CHRISTI ANNVS	CLETI ANNVS	DOMIT. IMP. ANNVS
86.	6.	3.

ANnus Domini octuagesimussextus Coss. habuit Domitianum decimum, & Iunium Sabinum: quo ipse Domitianus templa incendio exusta temporibus Titi, & inter alia delubrum Iouis Capitolini iterum concrematum intra annos duodecim, summa impensa restituenda curauit [k]. Adiecit & noua: sub ipso namque maxime aucta est superstitio Gentilicia, vt docet Martialis [l] epigramma, cuius est exordium:

I. DOMITIANVS VVLT VIDERI PIVS.

Sanctorum nobis miracula reddis auorum.]

Addidit insuper templum Flauiæ gentis, Flauioq. instituit sacerdotes. Ad hæc etiam spectat Martialis [m] item epigramma adulatorium, quod sic habet:

k Sueronius, Dio, & alij.

l Martial. lib. 8. prope finem.

m Martial. epigram. lib. 9. in princ.

Quantum iam superis Cæsar, cæloq. dedisti,
Si repetas, & si creditor esse velis:
Grandis in ætherio licet auctio fiat Olympo,
Coganturq. dei vendere quicquid habent.]

et in fine, in eadem perstans sententia, hæc addit:

Expectes, & sustineas Auguste, necesse est:
Nam tibi quod soluat, non habet arca Iouis.]

Universidad de Deusto
Biblioteca

ita vt non mirum sit, si Christianos odio sit prosecutus, etiam affines; quando cultui A
deorum sic penitus erat addictus.

II. Eodem prætextu etiam religionis illibatæ seruandæ, hoc eodem anno tertio eius
Imperij (vt Eusebius [a] auctor est) tres virgines Vestales ob stuprum damnatas, idem
Imperator, more maiorum, viuas infodi iussit. Quænam istæ fuerint, & quæ causa
præcesserit eiusmodi iudicij iam propemodum antiquati, iterum instituendi, Plutar-
chus [b] narrat, dum detestatur immane facinus, quod perpetratum Romæ esset, cum
ex Sibyllinis (vt ferebatur) oraculis, duos viros totidemq feminas innoxios viuos
defodissent, sic dicens: Ipsi autem (*Romani videlicet*) non multis ante annis, duos
viros, totidemq. mulieres, in foro Boario, alteros Græcos, alteros Gallos, viuos
defoderunt.] sed qua occasione id factum sit, paulo inferius declarat his verbis:
Narrant enim, Heluiam quamdam virginem equo vehentem, fulmine ictam, re- B
pertumq. fuisse equum nudum iacentem, nudam quoque virginem ipsam, tam-
quam dedita opera vestibus sceleris patrandi causa reductis, calceis, annulis, capi-
tisq. redimiculo hinc inde dispersis, lingua extra os exerta. Tum vates respondis-
se, ingens opprobrium sacris virginibus oblatum, foreq. vt publice id innotesceret: sed
& equitum coniunctum fore quoddam dedecus. Ibi barbari cuiusdam equitis seruum
indicium detulisse de tribus Vestalibus virginibus, Æmilia, Licinia, & Marcia, sub
idem tempus vitiatis, & quæ iamdiu cum viris incestam consuetudinem habuissent,
de quibus viris esset etiam Butetius indicis dominus. Et Vastales quidem criminis con-
uictas, dedisse pœnas: ceterum vt atrociori in re, placuisse vt a sacerdotibus Sibyllini
libri consulerentur. Ibi inuenta fuisse oracula, quæ euentura hæc & malum publicum
allatura prædicerent: cuius auertendi causa, peregrinis quibusdam & alienis genijs C
duos Græcos, totidem Gallos homines, viuos eo in loco defossos, Romani iubebantur
dedere.] hucusque Plutarchus.

III. Ceterum si recenti exemplo Neronis, Christiano sanguine incendij piaculum ex-
piantis, agenda res est; siq. testimonio Tertulliani, & aliorum affirmantium, Ro-
manos omnia prodigia, atque mala quæ obuenirent, Christianorum causa (quòd im-
pij dicerentur & deorum contemptores) ab irato numine immitti solere existimasse,
ob eamq. causam eosdem ad pœnas quæsiuisse, æstimanda res est: equidem puto ve-
ritatis scopum attinger, si quatuor illos innoxios infossos viuos numinis placandi cau-
sa in foro Boario, Christianos fuisse quis dixerit. Nam qualiter in Christianos Genti-
les affecti essent, hæc ait Tertullianus [c]: Christianum hominem, omnium scelerum
reum, deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimas.] D
ob idq. habitos tradit [d] publicos hostes: Quos, inquit [e], existiment omnis publicæ cla-
dis, omnis popularis incommodi esse causam. Si Tiberis ascendit, si Nilus non ascen-
dit in arua, si cælum stetit, si terra mouit, si fames, si lues; statim Christianos ad leonem.]
hæc Tertullianus. Ac de his hactenus.

a Eusebius in Chron. VIRGINES VESTALES SVPPLICIO DAMNATAE. *b Plutarchus probl. Ro. q. 83.*

c Tertull. in Apolog. cap. 2. *d Tertull. in Apolog. cap 35.* *e Tertull. in Apolog. cap. 40.*

IESV CHRISTI ANNVS 87. CLETI ANNVS 7. DOMIT. IMP. ANNVS 4.

ANIANVS MORITVR, ABILIVS SVBROGATVR. *f Eusebius in Chron.* *g Euseb. hist. lib. 3. cap. 12.*

QVi sequitur annus Domini octuagesimusseptimus, adscribitur in Fastis Consu- E
latu vndecimo Domitiani Augusti, & Aurelij Fuluij: quo, defuncto S. Aniano Epi-
scopo Alexandrino, in eius locum (vt Eusebius [f] auctor est) subrogatus fuit Abilius,
quem eidem sedi præfuisse tradit tredecim annis. hæc ipse in Chronico, & in historia
his verbis [g]: Quarto anno Domitiani, Anianus, qui primus (*post Marcum scilicet*) Ec-
clesiæ Alexandrinæ præfuit, cum annos viginti duos in eo munere compleuisset, exijt
e vita: in cuius locum suffectus est Abilius.]

IESV

A IESV CHRISTI ANNVS 88. CLETI ANNVS 8. DOMIT. IMP. ANNVS 5.

CHristi Redemptoris anno octuagesimooctauo, Domitiano Augusto duodecimum I.
& Cornelio Dolabella Coss. idem Imperator (vt auctor est Censorinus [a]) per Ago- ANNI AGONALES.
nes Capitolinos annos esse in posterum numerandos instituit: sicq. ab hoc anno primus *a Censor. de die natal. c. 14.*
Agonalis cœptus est numerari. Porro instar Olympiadum, Agonem vnumquemque
annos quatuor continuisse, idem auctor docet ex eo quòd numerat trigintanouem
Agonas ab hoc anno vsque ad Consulatum Vlpij Criniti & Proculi Pontiani, quo illa
scribebat [b]. Verum sic instar Olympiadum Agon quilibet continet annos quatuor, vt *b Censor. c. 16.*
B non tamen vna cum Olympiade ijdem incipiant numerari: nam ille a fine mensis Iunij,
Agonalis vero post sex menses, nēpe a mēse Ianuarij inchoatur: qua ratione hic ipse qui
numeratur ducentesimæ decimæsextæ Olympiadis annus primus, cœptus tamen anno
superiori, Agonalis est primus: quod quidem ex his quæ de numero Olympiadū idem
auctor scribit, apparet. Videtur enim Domitianus æmulatus esse Græcorum gloriam,
dum obtinuisset vsus, vt ex Olympicis certaminibus superiora sæcula fuerint numerata:
cum ipse, vt ab Agonalibus secutura tempora numerarentur, instituit. Sed sciendum
quoque est, quolibet Agonali exacto, anno quinto, qui sequentis Agonalis primus
diceretur, certamen quod Quinquennale vocabatur, edi solitum: de quo hæc scri-
bit Suetonius [c] in Domitiano: Instituit & Quinquennale certamen Capitolino Io- *c Suetonius in Domit. c. 4.*
ui triplex, Musicum, Equestre, & Gymnicum, aliquanto plurium, quàm nunc est,
C coronatorum.]

Sed hic obiter & illud considerandum proponimus, errare eos qui periodum nume- II.
randi annos per Indictiones cœptum esse dixerunt Augusti temporibus. Nam Censori- PER INDICTIONES SVPPVTATIO.
nus egregius scriptor, & annorum supputator nobilissimus, dum agit de antiquis om-
nibus quæ in vsu fuissent annorum supputationibus, Indictionum nullam prorsus fecit
mentionem. Sed de Indictionibus alias. Quod ad Agonalia spectat; Clemens Alexan-
drinus, dum libro primo Stromatum numerat a primo Agonali Domitiani vsque ad
mortem Commodi annos centum & vndecim, quatuor annorum spatio (nisi error in
notam numeri irrepserit) errore lapsus videtur, cum tantum centum & septem anni eius
temporis numerentur. At de ratione Agonalium satis.

D IESV CHRISTI ANNVS 89. CLETI ANNVS 9. DOMIT. IMP. ANNVS 6.

ANnus Domini octuagesimusnonus, Domitiani Augusti Consulatu decimoter- DOMITIANVS VVLT COLI DEVS.
tio & Volusij Saturnini consignatur in Fastis: quo Eusebius notat in Chronico
Domitianum eo vesaniæ peruenisse, vt se Deum & Dominum iusserit appellari. de
quo hæc Suetonius [d]: Pari arrogantia, cum procuratorum suorum nomine forma- *d Sueton. in Domit. c. 13.*
lem dictaret epistolam, sic cœpit: Dominus & Deus noster sic fieri iubet. Vnde insti-
tutum post hæc, vt ne scripto quidem ac sermone vsquam appellaretur aliter.] Hinc
assentator ille poeta [e]: *e Statius Siluar. lib. 4.*

En hic est Deus, hunc iubet beatis
E *Pro se Iuppiter imperare terris.*] et Martialis:
Edictum Domini Deiq. nostri.] et illud [f]: *f Martial. lib. 8. epigr. vlt.*
Posse Deum rebus pariter musisq. vacare
Scimus.] sic Martialis, Deum Domitianum appellans. Sed magna plane
insania, dum idem Imperator deæ virginis filius dici voluit, nempe Palladis: quod
si quis facere detrectasset, tamquam magni criminis reus detrudebatur in carcerem,
prout apparet ex his quæ Philostratus scribit [g]. Sed cur filius virginis dici voluit? num- *g Philostrat. in Tyaneo lib. 7.*
quid a Iosepho Iudæo eius lateri inhærente suggestum ex oraculis Prophetarum ita fo-
re qui in perpetuum regnaturus esset Rex, quod antea suggesserat idem Iosephus Ve-
spasiano? Sane quidem Domitianum eamdem spem concepisse, vt quod Vespasianus
fuerat consecutus, ipse acciperet: inde potest coniectura sumi, quòd sicut ille, ita & iste
inquiri fecit si qui reliqui essent ex familia Dauid, vt suo loco dictū est. Inani igitur tali

Universidad de Deusto
Biblioteca

sublatus spe, diuinum sibi adsciuit honorē, vt Deus & Virginis filius diceretur. Sed hæc A
omnia opportune de nouo Deo contingebant; quo Christianis, ad confutandam superstitionem Gentium de dijs reliquis, noui Dei exemplo, quinam illi fuissent, certum patensq. suppeteret argumentum.

IESV CHRISTI ANNVS 90. | CLETI ANNVS 10. | DOMIT. IMP. ANNVS 7.

I. ANno Domini nonagesimo, Domitiano decimumquartum & Minutio Ruso Coss. idem Imp. pugnaturus aduersus Dacos, Roma discedit [a]. Res ab eo gestas con- B
a Eusebius in Chron. scripsit Dio, in omnibus ostendens in superbissimo Principe magnam cum animi torpore coniunctam ignauiam.

IESV CHRISTI ANNVS 91. | CLETI ANNVS 11. | DOMIT. IMP. ANNVS 8.

I. NOnagesimoprimo anno Domini, Aurelio Fuluio & Sempronio Atracino Coss. ex Dacica expeditione reuersus Domitianus, in ciues gladium vertens, complures ex
b Eusebius in Chron. c Philostratus lib. 7. & 8. illis occidit [b], ac plerosque in exilium misit, & inter alios Cocceium Neruam, qui postea in Imperium eidem successit [c]. Hunc cum audisset Imperator vti consue- C
APOLLONIVS REVS VOCATVR ROMAM. tudine Apollonij Tyanæi, quem sciebat magum; timens Imperio, ipsum Tyanæum Romam accersit horum criminum reum factum; nimirum, quòd vaticinandi causa de Neruæ futuro Imperio puerum occidisset; quòdq. nouo genere indumenti, nosset, & alia id genus; sed tum maxime, quòd eos coleret homines, quos ipse Imperator odisset.

II. Veniens ille Romam, ab Æliano Vrbis Præfecto, qui olim in Ægypto familiariter eo
APOLLONIVS QVID CORAM DOMITIANO. vsus fuerat, comiter est exceptus: nam pro munere magistratus eum nonnisi laxiori carcere adstringi voluit. Perductus vero ad Domitianum, ab eodem coma barbaq. contemptus causa, coram se radi, ac inter sceleratos vinciri iubetur. Qui enim in philoso- D
d Horat. ser. lib. 2. satyr. 3. phos bellum iurasset, quod philosophiam ostentantium videbatur insigne, amputari illi in primis mandauit. Nihil plane his indignius hisce hominibus accidere posse, illud ab Horatio [d] in Damasippum Stoicum imprecatum demonstrat:

Dij te Damasippe, deæq.
Verum ob consilium donent tonsore.]

III. Sic igitur Apollonius nudatus barba, e carcere vocatus iterum, & causam suam age-
APOLLONIVS EVANVIT AB OCVLIS DOMITIANI. re iussus; post defensionem habitam, cum eum inuitum Domitianus retinere vellet, inuisibilis ille factus euanuit, & Puteolis, vbi socij expectabant, improuisus apparuit, non auxilio (vti ipse profitebatur) deorum, sed magia. Huiusmodi ludum, a Philostrato descriptum, Romæ incantator & magus exhibuit, quo omnes in admirationem conuertit. Ipse vero Ephesum est reuersus, vbi mansit vsque ad interitum Domitiani. Quòd vero Cedrenus tradat eumdem Apollonium Roma recedentem profectum esse Byzantium, inde vero Antiochiam, in ijsq. ciuitatibus suas exercuisse præstigias, ma- E
gnamq. sibi existimationem ob eam causam comparasse: miramur, si hæc vera sunt, Philostratum, qui singulas res ab eo gestas est prosecutus, hominemq. mitifice coluit, prætcrire potuisse; cum præsertim nullam laudandi hominis reliquerit occasionem. fides igitur sit penes auctorē. At de his quæ subdit ex Anastasio Antiocheno, tu consule quæ de eodem Apollonio a nobis superius dicta sunt. Post hæc autem Domitianus Cocceium Neruam, Romam reuocatum, Consulem designauit, de quo plura inferius.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 92. | CLETI ANNVS 12. | DOMIT. IMP. ANNVS 9.

ANno Christi Redemptoris nonagesimosecundo, Domitiano Augusto decimumquintum & Nerua Cocceio secundum Coss. Ioannes Euangelista, qui Asianas Ecclesias curabat, atque Ephesi morabatur (siue inuidia Apollonij, quem fuisse in Chri- I.
IOANNES APOSTOLVS REVS ROMAM VENIRE IVBETVR. stianos infensissimum, omnes puto facile intelligere; vt qui vbicumque locorum esset, neminem suis aduersantē studijs magis quàm Christianos haberet: siue fortasse Euphra- B
tis philosophi desertoris apud Domitianum agentis, his officijs assueti, aut opera Ebionis hæresiarchæ eiusdem Ioannis hostis acerbissimi; quem Romam venisse, superius dictum est: vel aliter quoquo modo acciderit) ipse, inquam, Ioannes ad Domitianum Imperatorem reus impietatis a Proconsule Asiæ Romam vinctus mittitur. Id enim hoc potissimum anno accidisse, ipso exordio persecutionis per Domitianum excitatæ, cum nondum vsque ad gladium progressa esset, existimamus, hæcq. de Ioanne velut præludia præcessisse. Feruntur quædam epistolæ Domitiani, & Proconsulis Asiæ, vltro citroq. datæ, de Ioanne reo impietatis constituto Romam mittendo, deq. eius gestis coram Domitiano, nomine Procori scriptæ. Sed quoniam in multis mendacissimus hic auctor fuisse conuincitur; si qua vera in eis insunt, sicut esse credimus, eadem haud tuto possumus affirmare.

II. Ceterum inter alia ab eodem auctore relata, verum illud esse credimus (exemplo C
eorum quæ nuper diximus Apollonium passum esse a Domitiano) quod ait iussum esse inter alia ab eodem Domitiano, Ioannem quoque ignominiæ causa tonderi. Sed illa etiam certa veraq. esse noscuntur, quæ idem auctor scribit, Ioannem Romæ immissum esse in feruentis olei dolium, siue potius solium: nam eiusdem ve- IOANNES QVAE ROMAE PASSVS.
ritatis grauissimi sunt adstipulatores. Siquidem Tertullianus [a], qui ceteris præstat antiquitate, hæc eadem his verbis testata reddit, dum agit de Romana Ecclesia: Ha- a Tertullian. de præscript. c. 36.
bes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præsto est. statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in insulam relegatur.] hæc Tertullianus. Sed & S. Hieronymus [b] eadem refert, Tertullianum citans, dum scribit aduersus b Hieron. in Iouin. lib. 1.
D Iouinianum; & in Matthæum [c] his verbis: Si legamus Ecclesiasticas historias, in quibus fertur quòd & ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde c Hier. in Mat. c. 20.
ad suscipiendam coronam Christi athleta processerit, statimq. relegatus in Patmos insulam sit, &c.]

III. Quòd vero idem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc de Ioanne dicat: Quar- DE PERSECVTIONE DOMITIANI.
todecimo igitur anno secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim] apparet ipsum S. Hieronymum non tam annum Ioannis relegationis consignare voluisse, quàm exordium Imperij Domitiani, a quo est persecutio excitata, monstrasse. Etenim non simulatque in Imperium ingressus est, Christianos vexare cœpit: nam Ethnicorum scriptorum testimonio dictum est, Domitianum, fratris gloriæ æmulum, qui benignitate & clementia E
summam sibi laudem comparauerat, tunc ab omni prorsus cæde abstinuisse. At licet Eusebius prope finem eius Imperij eam persecutionem permotam dicat: tamen cum Cletum sequenti anno gladio persecutoris adeptum esse coronā martyrij constet; iam hoc anno, Ioannis confessione persecutionem cœptam esse putamus: quæ tamen ipso sui exordio non fuit adeo sæua, vt postea visa est; cum videamus Ioannem non mortis supplicio esse affectum, vt ceteros, sed in insulā relegatum. Verum quod spectat ad Ioannis res Romæ gestas; extat ibi vetus ac nobile Ioannis martyrij, & tam insignis editi miraculi monumentum apud Portam Latinam, vbi sæuum illud contigit illatum esse supplicium: immo & ipsa dies qua hæc facta sunt, pridie Non. Maij, perpetua est memoria illustrata, dum eadem recurrente quolibet anno Romæ & alibi annua celebritate recolitur.

IV. De relegatione autem Ioannis in Patmo, non solum ex antiqua traditione, sed ex

ipsiusmet

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Orig. in Matthæum tract. 24. IOANNES RELEGATVR IN INSVLAM.

ipsiusmet Ioannis testimonio certam fidem sibi vendicans Origenes [a] hæc ait: Imperator Romanorum (sicut docet traditio) condemnauit Ioannem dantem testimonium verbi Dei, in insulam Patmos, sicut ipse de suo martyrio docet, non dicens quis eum condemnauerit, sed vbi condemnatus fuerit. Dicit enim in Reuelatione sua hoc modo: Ioannes frater vester & socius in tribulatione & in regno & in patientia Iesu, fui in insula quæ vocatur Patmos, propter verbum Dei, & propter testimonium Iesu Christi.] Ceterum hæc sub Domitiano esse facta, tam Latini quàm Græci Ecclesiastici scriptores affirmant, excepto Epiphanio [b]; qui quidem, nescimus quomodo errore lapsus, sub Claudio iam Patmo reuersum dicit. sicut etiam errasse reperitur Aretas Cæsariensis, qui in suis in Apocalypsim commentarijs Ioannis exilium sub Nerone accidisse testatur; ex eo, puto, deceptus, quòd vna simul Tertullianus martyrium Petri, Pauli, atque Ioannis in nuper citato loco recenseat. Victorinus Pictauiensis, necnon Primasius, in commentarijs quos ediderunt in Apocalypsim, tradunt Ioannem illuc a Domitiano esse relegatum ad effodienda metalla. Est illa insula vna ex Sporadibus, habens in circuitu (vt scribit Plinius [c]) triginta mille passus, ab Icara (vt tradit Strabo [d]) versus Occasum sita. At vero non simulatque illuc accessit, eam quam scripsit Apocalypsim accepit; sed ad finem Imperij Domitiani eam vidisse, Irenæus [e] testatur, sic dicens: Neque enim ante multum temporis visum est, sed pene sub nostro sæculo ad finem Domitiani Imperij.] quamobrem de ea suo loco agemus. Cum illic exul moraretur Ioannes, ad pietatem instituisse omnes eiusdem insulæ accolas, ex antiquioribus monumentis Metaphrastes affirmat [f].

b Epiph. hær. 51.

c Plin. lib. 4. cap. 12.
d Strabo lib. 10.
e Iren. lib. 5.

f Metaphras. in Ioanne. apud Oecumen. in Apocalypsim.

IESV CHRISTI ANNVS 93. — CLEMENS ANNVS 1. — DOMIT. IMP. ANNVS 10.

I. CLETVS PAPA MORITVR, CLEMENS SVFFICITVR.

ANno Christi nonagesimotertio, Vlpio Traiano & Acilio Glabrione Coss. sæuiente magis Domitiani persecutione in Christianos, Cletus Romanus Pontifex vigesimasexta mensis Aprilis martyrio coronatur, cum sedisset annos duodecim, menses septem, & dies duos, numerando Cleti annos a sequenti die ab obitu Lini. De eodem Cleto hæc leguntur in libro de Romanis Pontificibus, qui a multis citatur nomine Damasi: Hic ex præcepto beati Petri vigintiquinque presbyteros ordinauit in vrbe Roma: qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, sexto Kalend. Maij: et cessauit Episcopatus dies viginti.] Post Cletum suffectus est Clemens Romanus e regione Cælij montis, patre Faustino natus, antiquus Petri & Pauli Apostolorum discipulus: hunc enim illum esse, cuius Paulus meminit ad Philippenses [g], omnes existimant. Quòd vero a Græcis nonnullis dicitur Clemens successisse Anacleto, errore putamus factum librariorum, vt pro Cleto scripserint Anacletum: nam (vt apparet) Græci decepti nominum similitudine, sicut Marcellum & Marcellinum, ita etiam Cletum & Anacletum vnum eumdemq. putantes confuderunt. At de his alias satis dictum.

g Philip. 4.

II. DE ANNIS SEDIS CLEMENTIS.

Sed enim & de anno institutionis Clementis corrigendus est Eusebius, nec ab alio quàm a seipso; quippe cum dicat Clementem sedisse annos nouem, rursumq. affirmet ipsum [h] obijsse anno tertio Imperij Traiani, ponatq. eius ingressum anno duodecimo Domitiani [i] Imperatoris; hæc sibi non cohærent. nam si annis nouem sedi præfuit, peruenisset saltem ad annum quartum Traiani, vel quintum: vel si dixerimus anno tertio Traiani (vt ait) martyrium consummasse, nonnisi ad summum octo annis eum sedisse oportuit. Quamobrem habito respectu ad annos Cleti, cui successit, & annos nouem Clementis, & menses, quibus sedit, hic iure ponimus eius ingressum. Quòd vero non primo loco post Petrum, sed tertio sederit, superius satis demonstratum in ordinatione Lini.

h Euseb. histor. lib. 3. c. 28.
i Euseb. histor. lib. 3. c. 12.

III. DE PERSECVTIONE DOMITIANI IN CHRISTIANOS.

His igitur exordijs, Ioannis exilio, & Cleti Romani Pontificis nece, secunda in Christianos a Domitiano est persecutio excitata, de qua hæc Eusebius [k]: Cum Domitianus multum in multos crudelitatis & nequitiæ declarasset, & non exiguam patriciorum & illustrium virorum multitudinem Romæ temerario & iniquo iudicio interemisset, alios q. infinitos dignitate præstantes non solum patrijs finibus eiectos, exilio

k Euseb. histor. lib. 3. c. 13.

mulctas-

set, sed etiam omnibus facultatibus, & fortassis immerito & sine causa exuisset: tandem in sceleratam Neroniani in Deum odij & impietatis hereditatem successit. Secundus namque erat, qui contra nos Christianos (licet pater eius Vespasianus nihil iniuriæ aut mali in nos animo aliquando excogitasset) persecutionis incendium excitauit.] hæc Eusebius: qui iure eum heredem nominat Neronianæ sæuitiæ: nam & ab Ethnicis Domitianus Nero est appellatus. vnde Iuuenalis [a]:

Cum iam semianimum laceraret Flauius Orbem
Vltimus, & caluo seruiret Roma Neroni.]

a Iuuen. satyr. 4.

IV. SIMILIS NERONI DOMITIANVS.

Certe Nerone sæuiorem Tacitus [b] Domitianum fuisse testatur, dum post cædes nobilissimorum recensitas, addit: Nero tamen subtraxit oculos, iussitq. scelera, non spectauit. Præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici, cum suspiria nostra subscriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus & rubor, a quo se contra pudorem muniebat.] hæc Tacitus: qui & de eodē hæc superius: Domitiani natura præceps in iram, & quo obscurior, eo irreuocabilior.] Testatur & Tertullianus in Apologetico [c] Domitianum similem fuisse Neroni, sic dicens: Tentauerat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate: sed qua & homo facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegauerat. Tales semper nobis insecutores, iniusti, impij, turpes, quos ipsi damnare consueuistis, & a quibus damnatos restituere soliti estis.] hæc Tertullianus.

b Tac. in Vita Iulij Agricolæ.

c Tertull. in Apolog. c. 5.

V.

Sed plane errore lapsus cognoscitur, dum vult eum quasi facti pœnitentem exules reuocasse: id siquidem non ab eo, sed ab eius successore Nerua esse factum, omnes affirmant, Dioq. [d] expresse demonstrat, hæc dicens: Nerua autem eos, qui rei facti erant impietatis, absoluit, exulesq. restituit.] Reos enim, more Gentilium, eos dicit impietatis, qui deos negarent: cuius criminis idem Domitianus, vt vanæ superstitioni addictissimus, acerrimum vindicem se præbuit. Verum hæc Tertullianus scripsisse videtur Hegesippi auctoritate; sed (vt apparet [e]) loquitur ille de ea persecutione quæ mota est in Iudæos, cum mandauit inquiri illos qui ex stirpe Dauid progeniti essent: quos cum inuenisset pauperrimos, culturæ agrorum addictos, contempsit, sicq. animo conceptam in eos persecutionem repressit. sed de ea re suo loco dicemus. Ceterum qui ab eodem Christianitatis causa in insulas relegati fuerunt, certum est eos mansisse vsque ad eius successorem Neruam; vt Ioannis Euangelistæ, atque Flauiæ Domitillæ, & aliorum, de quibus dicturi sumus, exempla declarant.

d Dio in Nerua. DOMITIANVS INQVIRIT HOMINES STIRPIS DAVIDICAE.

e Apud Euseb. lib. 3. c. 5.

VI. PERSECVTIO IN CHRISTIANOS A CRIVS SAEVIIT.

At vero tantum abest vt in Christianos excitatam persecutionem Domitianus represserit; vt, cum primum eius religionis summos vertices exilio vel morte sustulisset; postea maiori rabie sæuiens, etiam in propinquos sibi carissimos, nempe Clementem Consulem patruelem, inq. eius vxorem & neptem Flauias Domitillas, vltimo sui Imperij anno persecutionis furorem conuerterit, illum occidendo, has in insulas relegando, vt inferius suo loco dicemus. Quamobrem verius dici posse videtur, persecutionem in Christianos a Domitiano hoc anno morte Romani Pontificis cœptam, & aliquando posteris temporibus intermissam, acerbiori iterum sæuitia reuixisse, ac immanius debacchatam esse: quod plane perspicuum erit, cum nouissima eius Imperij gesta narrabimus.

VII. * Cletum IGNATIVS PERSECVTIONE AGITATVS.

At quoniam (vt dictum est) his ipsis persecutionis exordijs, qui præ ceteris in Ecclesia esse videbantur illustres, primi ad supplicium quæsiti sunt: apparet & S. Ignatium Antiochenum Episcopum hoc eodem anno eadem esse clade vexatum. Scribens [f] enim ipse ad Mariam Cassobolitem, spectatissimam sanctitate feminam, de Clementis creatione hoc anno facta, hæc habet: Mihi autem in mentem venit, & dicam verum fuisse sermonem quem de te audieram, cum Romæ apud beatum Anacletum * Papam esses, cui nunc successit beatissimus Clemens, Petri & Pauli auditor, &c.] Idem de persecutione, quam tunc pateretur, hæc narrat: Ego vero, o beata, non tam meus quam aliorum nunc factus, exagitor partim exilijs, partim custodijs, partim vinculis. At nihil eorum curo; verum eorum iniurijs erudior, vt Iesum assequar, fruar supplicijs mihi paratis.] et post multa: Vehementer concupiui venire ad vos, & vna vobiscum requiescere & refici. Verum non est in hominis potestate via eius: impedit enim meam voluntatem militaris custodia, quæ non permittit vltra progredi. At pro statu rerum in quo versor, nec facere nec admittere quicquam possum.] hæc Ignatius.

f Ignat. epist. 4.

Porro

Universidad de Deusto
Biblioteca

VIII. Porro eam epistolam, scriptam ab eo Antiochiæ, antequam in exilium duceretur, esse germanam, ostendunt ea quæ in fine eiusdem leguntur, iunctis his quæ tũ ad Antiochenos, tum ad Heronem suum diaconum postea sub Traiano, cum Romam duceretur, conscripsit. Ait enim ad Mariam Cassobolitem scribens: Salutant te presbyteri, & diaconi, & ante omnes sacer Hero. Salutat te Cassianus hospes meus, & soror mea, & vxor eius, & carissimi eorum liberi.] Ad Antiochenos [a] sic: Saluto Cassianum, & coniugem eius, & carissimos liberos illius.] et ad Heronem [b] diaconum Ecclesiæ Antiochenæ de eodem Cassiano hæc habet: Saluta Cassianum hospitem meum, & pudicissimam eius coniugem, & carissimos eorum liberos.] et paulo post de ipsa Maria Cassobolite, quæ tunc temporis agebat Antiochiæ: Saluta quoque pudicissimam Mariam filiam meam eruditissimam, & quæ in domo illius est, Ecclesiam: pro cuius anima libens meam commutem: quæ specimen est piarum feminarum.] hæc Ignatius; ex quibus etiam, velut contesseratione quadam, intelligere possumus, eam ad Mariam scriptam germanam esse epistolam. De qua quidem dubitarem, an vno eodemq. tempore, cum ad leones Romam sub Traiano ducendus esset, vna cum reliquis tunc ad diuersas Ecclesias datis, cum eiusdem esse plane videatur argumenti, scripta hæc fuerit: nisi manifeste appareret ex verbis ipsius, hanc scriptam esse simulatque Clemens est creatus Romanus Episcopus; illas vero certo constaret datas esse Traiani tempore, cum iam Clemens ex hac vita migrasset. quod perspicuum apparet eiusdem testimonio scribentis ad Philadelphios, dum adnumerat Clementem inter eos qui virgines vsque ad obitum permansissent: sic enim ait, dum alloquitur virgines: Fruar vestra sanctimonia, vt Iesu filij Naue, vt Melchisedech, & Elisei, vt Hieremiæ, & Baptistæ Ioannis, vt dilectissimi illius discipuli, vt Timothei, vt Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in puritate exegerunt hanc vitam.] hæc Ignatius. Atque de his hactenus.

[a] Ignat. epist. 12.
[b] Ignat. epist. 13.
DE IGNATII EPISTOLA AD MARIAM CASSOBOLITEM.

IX. His prope temporibus Pergami in Asia Antipas illustris martyr passus est; de quo in primis Ioannes [c] meminit his verbis: In diebus illis Antipas testis meus fidelis occisus est apud vos, vbi sedes est satanæ.] hæc Ioannes: qui cum dicat, scribens Apocalypsim, iam diu ante Antipam passum esse; constetq. ex Actis eius sub Domitiano esse martyrio coronatum; plane datur intelligi, Antipam ipso initio persecutionis Domitiani subijsse martyrium. Ioannem enim constat, ex Irenæo, vltimo tempore Domitiani scripsisse Apocalypsim. Cetera autem, quæ ab eodem Domitiano Imperatore in Christianos sunt facta, suis locis inferius sunt dicenda.

[c] Apoc. 2.
ANTIPAE MARTYRIVM.

IESV CHRISTI ANNVS 94. — CLEM. ANNVS 2. — DOMIT. IMP. ANNVS 11.

I. Christi Redemptoris anno nonagesimoquarto, Coss. Domitiano Augusto decies-septies, & Volusio Saturnino, persecutio in Christianos ab eodem Imperatore semel excitata, & in ipsos præcipue Christianæ religionis Antistites sæuire ausa, & ad Consulares viros, alios q. nobilissimos Romanos ciues progressa, Acilium Glabrionem, qui superiori anno (vt vidimus) gessit Consulatum cum Traiano, e medio sustulit, simulq. alios complures reos factos impietatis, quòd deos patrios non colerent. Dolemus vehementer, tam illustrium martyrum Acta penitus excidisse, nec (sicut de alijs multis accidit) vllam prorsus reliquam esse memoriam, nisi quæ in Gentilium historicorum commentarijs subobscure est consignata. Periere omnia scriptorum monumenta, inuidia Diocletiani, iubentis ea (vt suo quoque loco dicemus) penitus inflammari. At quod spectat ad Glabrionem: scribit Dio [d], eum vna cum nonnullis alijs, illato crimine ἀθεότητος, quòd ad Iudæorum mores transisset (sic enim, vt sæpius dictũ est, quòd ex Iudæis descenderent, Christianos Ethnici appellabant) primo quidem adhuc agentem Consulem vocatum in Albanum ad Iuuenalia, & in sententia persistentẽ, in theatrum esse immissum, vt cum immani leone pugnaturus, ab eo discerperetur: sed ab illo non tantum non est læsus, sed eum egregie ipse confecit. Quamobrem postea, eadem ex causa, quòd Romanos deos non coleret, iussus est interfici. Hæc ex Dione. Quomodo autem postea eadem persecutio ad domesticos vsque atque propinquos Imperatoris grassata sit, suo loco dicemus.

DE MORTE ACILII GLABRIONIS.
[d] Dio in Domit.
[e] Suet. in Dom. c. 12.

II. Suetonius [e] auctor est, Iudæos etiam Romæ agentes a Domitiano vexatos esse nouis &

A uis & grauissimis exactionibus. Sunt hæc verba ipsius: Præter ceteros Iudaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui velut professi Iudaicam intra Vrbem viuerent vitam, vel dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore frequentissimoq. concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.] hæc Suetonius. Et Martialis [a] itidem de Iudæo occultare se volente, ne tributum penderet, epigramma scripsit, vbi hæc in fine:

Dum ludit media, populo spectante, palæstra,
Delapsa est misero fibula: verpus erat.]

DE IVDAEIS A DOMITIANO VEXATIS.
[a] Mart. lib. 7. ad Menophilũ.

De eodem item tributo a Domitiano Iudæis indicto Martialis [b] etiam his versibus me- [b] Mart. lib. 5.
B minit in epigrammate in Christum:

Sed quæ de Solymis venit peruſtis
Damnatam modo mentulam tributis.]

Rursus etiam dicta persecutione tributi Iudæos fuisse Romæ vexatos, vt pro singulis III.
arboribus ruris, quod conduxissent, tributum pendere cogerentur, Iuuenalis declarat his versibus [c]:

[c] Iuuen. satyr. 3.

Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnumq. supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iussa est
Arbor, & eiectis mendicat silua Camœnis.]

hæc ille de Iudæis, quòd nemus Egeriæ conduxissent. Sed de eodem cophino & fœno idem agit, dum malis artibus lucrum captare solitos demonstrat his versibus [d]:

[d] Iuuen. satyr. 6.

C *Cum dedit ille locum, cophino fœnoq. relicto*
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna sacerdos
Arboris, & summi fida internuncia cæli:
Implet & illa manum, sed parcius ære minuto:
Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.]

Sed quidnam est, quòd idem auctor de Iudæis iterum agens, de cophino vt peculiari eorum supellectile meminit, necnon & fœno? Putarunt alij, res Iudæorum ab origine repetentes, Iudæos munus illud, cui in Ægypto Pharaoni seruientes, fuerant adscripti, postea vbicumque gentium agerent, numquam amplius deseruisse: nimirum, vt de eis est testatum in Psalmo [e]: Manus eius in cophino seruierunt] eodem vase ho- IV.
D minibus ipsos deseruire consueuisse. Quisnam autem esset eiusmodi vasis vsus, Augustinus [f] sic scribendo declarat: Per cophinum, inquit, significantur opera seruilia. Mundare stercora, terram portare, cophino fit, &c.] Alij etiam recentiores [g] illum locum interpretati, eiusmodi ministerio Iudæos in Ægypto mancipatos esse tradunt. Meminit de eodem cophino Sidonius Apollinaris [h] ad Basilium scribens: nam ait: Ordinis res est, vt dum in hac allegoria versamur, Ægyptius Pharao sedeat cum diademate, Israelita cum cophino.] Huiusmodi cophini occasione, de Iudæo homine dictum vult intelligi interpres illud Martialis [i] de cistifero, dum ait:

DE FOENO ET COPHINO IVDAEORVM SVPELLECTILE.
[e] Psalm. 80.
[f] August. in Psal. 80.
[g] Nicol. de Lyra ibid.
[h] Sidon. Apoll. lib. 7. epist. 6.
[i] Martial. lib. 5. epig. in Gell.

Dum te posse negas nisi lato Gellia clauo
Nubere, nupsisti Gellia cistifero.] Certe quidem miscuisse se illam Iudæo homini, idem alibi [k] scribit.

[k] Martial. lib. 7. in Gell. epig. 30.

E Hæc cum alij senserint, non improbamus; sed afferimus nostra. Quod igitur ad fœnum & cophinum spectat; per ea Iuuenalem sordidam Iudæorum mendicitatem significare voluisse, existimamus: nam in primis per fœnum intelligi debere vilissimum quoddam tomentum ad recumbendum compositum, distichon illud eiusdem Martialis [l] declarat, cuius est titulus, *Fœnum*.

V.
MENDICANTES IVDAEI PER COPHINVM ET FOENVM DESCRIBVNTVR.
[l] Martial. lib. 14.

Fraudata tumeat facilis tibi culcitra pluma,
Non venit ad duros pallida cura toros.]

hisce plane significans, per fœnum intelligi stratum pauperiorum. Per cophinum autem, vas vimineum, seu cistam, qua Iudæi mendicantes vterentur, intelligi debere, quæ scribit Iosephus [m] de Iudæis Hierosolymis Flori auaritiæ illudentibus, persuadent, dum ait: Canistrum circumferentes, stipem eius nomine postulabant, quasi inops & miserrimus talibus indigeret auxilijs.] hæc Iosephus. Iudæos sane Romæ

[m] Ioseph. de bel. Iud. lib. 2. c. 14.

mendicare

Universidad de Deusto
Biblioteca

[a] Martial. lib. 12.

mendicare consueuisse, illud Martialis [a] in epigrammate ad Sparsum demonstrat: A

A matre doctus nec rogare Iudæus,
Nec sulphuratæ lippus institor mercis.]

Docent & hoc ipsum quæ superius ex Iuuenale sunt recitata, vt illud:

—— *Eiectis mendicat silua camœnis.*] et illud:

—— *Iudæa tremens mendicat in aurem.*]

Sic igitur ab eodem de Iudæis miserrimis mendicantibus egregie ea dicta sunt:

—— *Quorum cophinus, fœnumq. supellex.*] et illud de ijsdem:

—— *Cophino, fœnoq. relicto.*]

quòd scilicet ea paupertate premerentur, vt eorum supellex fœnum esset ad recumbendum, & cista seu cophinus ad mendicandum.

VI. IVDAEVS SOLITVS PERMVTARE SVLPHVR VITRO.

Nisi per cophinum velimus intelligi cistam illam, qua Iudæus institor mercis sulphuratæ (sic enim eum nominat Martialis) ad vendenda illa, vel (vt alibi [b] ait) ad permutanda fracto vitro, gestare soleret, prout hodie quoque eosdem æque miserrimos facere videmus. Rupta quidē vitra sulphuratis permutari solita, non Martialis tantum in alias citatis locis a nobis, sed & in epigrammate ad Priscum [c] his versibus indicat: B

[b] Martial. lib. 1. epigr. in Cal.

[c] Martial. lib. 20.

Quæ sulphurato nolit empta ramento
Vatiniorum proxeneta fractorum.]

Itemq. Statius [d] sic dicens:

[d] Stat. lib. 1. Siluar. de Saturn.

Illic agmina confremunt Syrorum:
Hic plebs scenica, quiq. comminutis
Permutant vitreis gregale sulphur.]

Insuper & Iuuenalis [e] testatur eo versu: C

[e] Iuuen. satyr. 3.

Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.]

Sed de Iudæorum ludibrijs a poetis Ethnicis decantatis, iam satis: itaque ad ea quæ hoc eodem anno sunt gesta, orationem conuertamus.

VII. DE CORNELIA VESTALIVM MAXIMA VIVA DEFOSSA.

Hoc ipso anno vndecimo Domitiani Imp. (vt auctor est Eusebius [f]) Cornelia virgo Vestalis Maxima, absens & inaudita a Domitiano obiecti stupri damnata, miserando modo, more maiorum, viua sub terram defossa, morti adigitur. Rem plane miseratione dignam Plinius [g] Iunior ad Minutianum exacte describit his verbis: Cum Domitianus Vestalium Maximam defodere viuam concupisset, vt qui illustrari sæculum suum huiusmodi exemplo arbitraretur: Pontificis Maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos Pontifices non in regiam, sed in Albanam villam conuocauit. Nec minore scelere, quàm quod vlcisci videbatur, absentem inauditamq. damnauit incesti; cum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset: nam vidua abortu perijt. Missi statim Pontifices, qui defodiendam necandamq. curarent. Illa nunc ad Vestam, nunc ad ceteros deos manus tendens, multa, sed hoc frequentissime clamitabat: Me Cæsar incestam putat; qua sacra faciente, vicit, triumphauit. Blandiens hæc, an irridens, ex fiducia sui, an ex contemptu Principis dixerit, dubium est. Dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam nocens ducta est. Quinetiam, cum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, hæsisset q. descendente stola, vertit se ac recollegit: cumq. ei carnifex manum daret, auersata est, & resiluit; fœdumq. contactum quasi plane a puro castoq. corpore nouissima sanctitate reiecit: omnibusq. numeris pudoris, πολλὼ πρόνοιαν ἔσχεν ἀνοχήμεως πεσᾶν. quod est Euripidis in Hecuba de Polyxena, ac sic Latine redditur: Magnam cautionem adhibebat, vt decenter caderet.] hactenus Plinius. Hæc igitur ex Plinio de Cornelia Vestalium Maxima voluimus retulisse, ad insinuandam Domitiani Imperatoris immensam immanitatem atque sæuitiam, indeq. sumendum argumentum existimandi quàm crudelis fuerit persecutio ab eodem in Christianos excitata. Si enim in eos quos reos violatæ religionis aliqua leui coniectura putasset, tam vehementer est exacerbatus: quid eum fecisse credendum in illos qui auersarentur penitus deos, ac pariter detestarentur? In quos adeo est cæco furore bacchatus, vt nec sibi sanguine coniunctorum, quos solos haberet heredes Imperij, vllam prorsus rationem habendam esse putarit, quin in eos quoque animaduerteret, vt suo loco dicemus. At de his satis: iam ad ea quæ anno sequenti facta sunt, nos conferamus. D E

[f] Eusebius in Chron.

[g] Plinius lib. 4. epist. 11.

IESV,

A

IESV CHRISTI ANNVS 95. CLEM. ANNVS 3. DOMIT. IMP. ANNVS 12.

QVi sequitur ordine annus Domini nonagesimusquintus, Coss. Sex. Pompeio Collega & Cornelio Prisco, Fastis adscribitur: horum Consulum Tacitus meminit in Vita Iulij Agricolæ, quem hoc anno diem obijsse tradit. Hoc tempore, laborante diro schismate Corinthiorum Ecclesia, Clemens Papa, ad quem spectabat vniuerso Christi gregi prospicere, scripta ad eos egregia, qualis pastorem omnium deceret, epistola, ad pacem & mutuam concordiam ineundam conseruandamq. adducere conatus est. Celebris & præclara admodum ea fuisse prædicatur; cum eam auctoritatem obtinuerit, vt perinde ac Apostolicæ epistolæ publice in aliquibus ecclesijs legeretur: quod scribit Eusebius [a], qui eam mirifice laudans, & ex Hegesippo omnium antiquissimo testimonium adducens, Huius, inquit, Clementis vna fertur esse epistola, omnium iudicio approbata; illustris illa quidem, & digna plane admiratione, quam tamquam ex Romanæ Ecclesiæ persona ad Corinthiorum Ecclesiam tunc quidem exarauit, cum iam Corinthi grauis esset conflata seditio. Hanc sane cum veterum, tum nostra ipsorum memoria, plurimis in ecclesijs publice lectam, vsurpatamq. cognouimus. Quòd autem (vti docuimus) id temporis Corinthiorum seditio concitata sit, Hegesippus locuples testis est.] hæc Eusebius. I. CLEMENS PAPA SCRIBIT AD CORINTHIOS. B [a] Euseb. lib. 3. c. 12.

De eadem agens Irenæus [b]; cum eam plurimum laudat, quo scripta esset argumento, declarat, atque etiam hæc de ipso Clemente ait: Post eum, tertio loco ab Apostolis, Episcopatum sortitur Clemens; qui & vidit ipsos Apostolos, & contulit cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet. Non solus enim, sed adhuc multi supererant ab Apostolis docti. Sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi erant fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians quam in recenti ab Apostolis receperant traditionem, annunciantem vnum Deum omnipotentem, factorem cæli & terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, & aduocauerit Abraham, qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui Legem disposuerit, & Prophetas miserit, qui ignem præparauerit diabolo & angelis eius. Hunc Patrem Domini nostri Iesu Christi ab Ecclesijs annunciari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, & Apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere; cum sit vetustior epistola his qui nunc falso docent.] hæc Irenæus de Clementis epistola, cuius compendium summatim perstrictum recitasse visus est, dum in ea ipsum egisse de illa quæ in Deum esset, fide, & Ecclesiæ traditionibus, affirmat. II. ARGVMENTVM CLEMENTIS EPISTOLAE. C [b] Iren. lib. 3. c. 3.

At quoniam maximo Ecclesiæ damno, iniuria temporum ea penitus excidisse videtur: operæpretium existimauimus, ex ipsa, quæ possunt inueniri a maioribus, qui eam legerunt, citata fragmenta, atque sententias suis ipsorum verbis redditas in vnū coniungere; & perinde ac nobilissimi artificis simulacrum confractum, etsi non ex integro, ex parte saltem, quantum licet, ob oculos repræsentare. Atque vt a Clemente [c] Alexandrino sumamus exordium, hæc ipse in primis habet: Porro autem Clemens quoque Apostolus in epistola ad Corinthios, ipse quoque nobis quamdam formam eius qui est præditus cognitione describens, dicit: Quis enim apud vos versatus, omni virtute perfectam firmamq. ac stabilem fidem vestram non probauit? temperatamq. ac moderatam vestram in Christo pietatem non est admiratus? & vestri in hospites amoris magnificos vestros mores non prædicauit? & perfectam firmamq. ac stabilem cognitionem non beatam esse censuit? nam citra personarum acceptionem omnia fecistis, & in Deo legitime ambulastis.] hæc autem (vt facile conijci potest) erant in ipsius exordio epistolæ; eo modo pie sancteq. ab eis captans in primis beneuolentiam, vt sic suauiter delinitos, in eam quam optabat, pacem adduceret. III. FRAGMENTA CLEMENTIS EPISTOLAE. D [c] Clem. Alexan. Strom. lib. 4. E

His ex epistolæ exordio recitatis, mox subinfert eiusdem narrationem, eo ordine cuncta referens, secundum breuiorem summam ab Irenæo præscriptam; in qua nonnulla habentur (quod alibi testatur Eusebius [d]) ex epistola Pauli ad Hebræos; sicq. ait IV. [d] Euseb. hist. lib. 3. c. 38.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SERIES NARRATIONIS.

ex Clementis verbis[a]: Fixis ergo oculis eos intueamur qui magnificæ eius gloriæ perfecte seruierunt. Accipiamus Enoch, qui in obedientia iustus inuentus, fuit translatus: et Noe, qui cum credidisset, fuit seruatus: et Abraham, qui propter fidem & hospitalitatem, Dei amicus, pater autem Isaac est appellatus. Propter hospitalitatem, veramq. religionem, Lot fuit seruatus ex Sodomis. Propter fidem & hospitalitatem seruata est Raab meretrix. Propter patientiam & fidem, in pellibus caprinis & ouinis, & ex camelorum pilis contextis vestibus ambulauerunt præcedentes regnum Christi: dicimus autem Eliam, & Elisæum, Ezechielem, & Ioannem Prophetas. Qui enim Dei amicus propter fidem liberam vocatus est Abraham, non fuit gloria elatus; sed magna vtens modestia, dixit: Ego autem sum terra & cinis. Et de Iob sic scriptum est: Iob autem erat iustus, & reprehensioni non obnoxius, Deum rite colens, abstinens ab omni malo. Is sua patientia superauit tentatorem, & simul fuit testis, & a Deo accepit testimonium: humilitatem amplectitur, & dicit: Nullus est mundus a sorde, ne si sit quidem vnius diei vita eius. Moyses fidelis seruus in tota domo eius, dixit ad eum qui ex rubo dabat responsa: Quis ego sum, quòd me mittis? Ego autem sum voce tenui, & lingua tardiori, vt Domini vocem ministrem per linguam humanam. Et rursum: Ego sum vapor ex olla. Deus autem superbis resistit, humilibus dat gratiam. Iam vero Dauid quoque, de quo testimonium ferens dicit Dominus: Inueni hominem secundum cor meum, Dauid Iesse filium, oleo sancto vnxi eum. Sed ipse quoque dicit ad Deum: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam: et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum in conspectu meo est semper. Deinde tacite significans peccatum, quod legi non subijcitur; scite suam ostendens modestiam, subiungit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Dicit enim alibi Scriptura: Spiritus Domini lucerna scrutans ventris penetralia. Et quo quis se iuste gerens euadit maiori cognitione præditus, eo est ei propinquior spiritus lucidus. Sic iustis appropinquat Dominus, & nihil eũ latet in nostris cogitationibus, & quas facimus, dispensationibus: Dominum Iesum dico, qui omnipotenti sua voluntate corda nostra intuetur, cuius sanguis fuit pro nobis sanctificatus.] hæc ibi.

[a] Clem. Alex. Strom. lib. 4.

V.

At de aduentu Christi hæc ex eadem epistola S. Hieronymus[b]: Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Iesus Christus non venit in iactantia superbiæ, cum posset omnia; sed in humilitate: in tantum vt verberatus a ministro sacerdotis, responderit: Si male locutus sum, argue de peccato: sin autem bene, quid me cædis? habens duodecim Angelorum millia, qui illius nutibus obedirent.] Insuper de aduentu Filij Dei ad iudicium, deq. igne, quo impij sunt plectendi, tam ex Prophetis quàm Apostolis, insuper & Sibyllæ vaticinijs, Clementem in dicta ad Corinthios epistola egisse, apud Iustinum martyrem[c] testatum habetur. Sed & inferius idem qui supra Clemens: Scriptum est, inquit, in epistola ad Corinthios: Per Iesum Christum insipiens & obscurata mens nostra in lucem pullulat. Per eum voluit Dominus nos immortalem gustare cognitionem. Vnde etiam euidentius ostendens proprietatem cognitionis, subiunxit: Cum hæc ergo sint manifesta, vel procumbentes in profundum diuinæ cognitionis, debemus omnia rite & ordine facere, quæ nos iussit Deus peragere ordinatis temporibus. Sapiens ergo suam ostendat sapientiam, non verbis solum, sed in bonis operibus. Humilis ferat testimonium non sibi, sed in eo quòd ipse testimonium accipiat ab alio. Qui carne castus est, non insolescat, sciens esse alium qui ei suppeditat continentiam. Videte fratres: quo maiori cognitione digni habiti sumus, eo maius subimus periculum.] hæc ibi. Idemq. alibi[d]: Idem Clemens in epistola ad Corinthios, his verbis inquit, exponens differentiam eorũ qui sunt probati in Ecclesia: Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermonũ, sit stupendus in operibus.] ac rursum[e] eadem alibi repetens, hæc addit: Sit castus & mundus: Eo enim debet esse magis humilis, quo videtur esse maior, dicit Clemens in epistola ad Corinthios.] Sed sunt hæc pauca ex multis: nam de traditionibus ipsum in ea egisse, satis superius est demonstratum.

[b] Hieronym. in Isai. c. 52.
[c] Iustin. q. 74.
[d] Clem. Strom. lib. 7.
[e] Clemen. Alex. Strom. lib. 6.
[f] Hier. a Iuerf. Iouin. lib. 1.

VI.

Quod vero testatur Hieronymus[f] Clementem in suis epistolis omnem pene sermonem

nem de virginitatis puritate contexuisse; demonstrat plures etiam a Clemente esse scriptas epistolas. Meminit & S. Epiphanius[a] de pluribus Clemẽtis epistolis, quæ legi solerent in ecclesijs, quibus inter alia ait ipsum conquestum de hæreticis, quòd Petri Circuitus a se scriptos deprauassent. dumq. addit, iuxta S. Hieronymi sententiam, eisdem litteris Clementem prædicasse virginitatem; plane constat diuersas ab his fuisse, quæ hodie habentur titulo Clementis inscriptæ. Posteriorem autem illam, quæ Clementis etiam nomine ad Corinthios vulgata ferebatur epistola, nequaquam perinde ac priorem approbatam scribunt Eusebius[b] & S. Hieronymus[c]. cuius cum meminit Photius in sua Bibliotheca, eam ad Corinthios quoque fuisse titulo prænotatam ait; sed quòd quædam haberet noua & inusitata, & incongruas Scripturarum interpretationes, iure explosam ab omnibus monstrat. Citat idem S. Hieronymus[d] ex quadam Clementis epistola locum de mundis trans Oceanum positis, quem Origenes[e] interpretatur. Sed quod ad epistolam, de qua est sermo, ad Corinthios scriptam pertinet: testatur Dionysius[f] eiusdem Ecclesiæ Episcopus, eam ab illis esse asseruatam ab antiquis temporibus, ibiq. in ecclesia legi solitam. Sed de his hactenus: de reliquis vero quæ nomine Clementis scripta feruntur, dicemus inferius.

[a] Epiph. hæres 30. PLVRES CLEMENTIS EPISTOLAE.
[b] Euseb. hist. lib. 3. c. 32.
[c] Hier. de Script. Eccl. in Clem.
[d] Hier. in epist. ad Ephes. c. 2.
[e] Orig. peri arch. lib. 2.
[f] Apud Euseb. hist. lib. 4. c. 22.

VII. PLVRES EPISCOPI A CLEMENTE ORDINATI.

At qui (vt dictum est) vniuersæ per orbem Christianum diffusæ Ecclesiæ Clemens, vt Petri successor, pastorali cura præerat, non tantum solicitus fuit vt dissidentes inter se Corinthios in concordiam reuocaret; sed, vti opus esse videret, plures etiam ordinauit Episcopos, nempe Taurinum[g], quem dedit Ebriocensibus, Lucianum Bellouacensibus, Dionysium Parisiensibus, Santonensibus Eutropium, Nicasium Rhotomagensibus, & alios alijs, cum nouas erigeret diuersis in locis Ecclesias.

[g] Martyrolog. Rom. & alij die 11. Aug.

IESV CHRISTI ANNVS 96.	CLEM. ANNVS 4.	DOMIT. IMP. ANNVS 13.

I.

CHristi Redemptoris annus nonagesimusextus scribitur in Consularibus Fastis L. Nonio Asprenate & M. Arricino Clemente Coss. adnumeraturq. annus Domitiani Imperij decimustertius, quo Iosephus Iudæus historicus commentarium de Antiquitatibus Iudaicis, viginti libris distinctum, absoluit. Testatur id ipse sic dicens[h]: Atque ita concludetur harum Antiquitatum tractatio comprehensa viginti voluminibus, versuum vero sexaginta millibus. Quòd si Deus concesserit, compendio rursum referam belli casus, & quæ nobis in præsentem vsque diem euenerunt, quæ incidit in decimumtertium annum principatus Domitiani Cæsaris, ætatis vero meæ sextum & quinquagesimum. Promisi etiam scripturum me quatuor libros de Iudæorum opinionibus, quas habent de Deo, eiusq. essentia, & de legibus: quare per eas alia liceat nobis facere, alia non liceat.] hæc ipse (vt in Vita sua testatur) Romæ agens: vbi cum videret Christi Ecclesiam florentissimam, quæ in dies magis vbique gentium, ac potissimum Romæ, & apud nobiles, ipsosq. (vt dicetur) affines Cæsaris feliciter propagabatur, licet Christianus non esset, tamen ne inofficiosi historici querela tam iusta vrgeri posset, quòd rem toto Orbe perspicuam obuolutam silentio reliquisset, illud superius dictum de Christo elogium suis scriptis intexuit[i].

[h] Ioseph. antiq. lib. 20. c. vlt. IOSEPHI HISTORICI LVCVBRATIONES.
[i] Ioseph. antiq. lib. 18. c. 4.

II. QVAE DATA IOSEPHO OCCASIO VT DE CHRISTO MEMINERIT.

Cum enim Iudæorum res inspiceret penitus esse collapsas, Vespasianumq. defecisse, cui vaticinatus tribuerat quod Christo re vera oraculis Prophetarum prænunciatum erat Imperium; iamq. tempus Messiæ aduentus præterijsse videri posset: prudentis potius quàm pij hominis partes agens, illud de Iesu, quòd Christus haberetur a plurimis tam Iudæis quàm Gentilibus, protulit testimonium. de quo quidem illud tantummodo monuisse sufficiat (nam de his superius actum est) aliter se habuisse eius lectionem S. Hieronymi temporibus, ab ea quæ legitur in præsentiarum. Nam quod Latina versio habet: Christus hic erat] S. Hieronymus[k] sic ex Græco reddidit: Et credebatur esse Christus.] quæ lectio nobis magis probatur, vt quæ consentiens videatur auctoris studio & professioni; quippe qui se esse Iudæum, & non Christianum, in omnibus præseferret: licet in ceteris quæ in eam sententiam de Christo scribit, numine ipsum cogente, professus sit veritatem. Sed illud de Iosepho dicere non prætermittimus, quòd in fine eius commentarij, quem se absoluisse testatur hoc anno decimo-

[k] Hier. de Scrip. Eccl. in Ioseph. c. 13.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tertio Domitiani Imperatoris, pollicetur se rursum scripturum compendio bella quæ Iudæis obuenerint vsque ad illud ipsum tempus: cum alioqui idem ipse, tum ibi, tum aduersus Apionem[a] agens, manifeste profiteatur, se temporibus Vespasiani & Titi scripsisse bella Iudaica. An vero id præstiterit, vt eadem rursus compendio scriberet, ignoratur: commentarius enim ille non extat, sicut nec quatuor illi libri, quos de Iudæorum opinionibus scribere instituisset. A

[a] *Ioseph. contra Apion. lib. 1.*

IESV CHRISTI ANNVS 97. CLEM. ANNVS 5. DOMIT. IMP. ANNVS 14.

I. ANno autem Domini nonagesimoseptimo Domitianus Augustus decimumseptimum vna cum Tito Flauio Clemente inijt nouissimum Consulatum, de quo hæc Suetonius[b]: Consulatus decem & septem cepit, quot ante eũ nemo: ex quibus septem medios, continuos; omnes autem pene titulo tenus gessit, nec quemquam vltra Kal. Maij, plures ad Idus vsque Ianuarias.] De ijsdem Consulatibus toties iteratis hæc Ausonius[c] Gallus: Scis septem & decem Domitiani Consulatus, quos ille inuidia alteros prouehendi, continuando conseruit, ita in eius auiditate derisos, vt hoc eum pagina Fastorum suorum fecerit insolentem, neque potuerit præstare felicem.] hæc Ausonius ad Gratianum. Quo ipso anno Ioannes Euangelista, quam vidit, scripsit Apocalypsim, in ea vbi exul agebat, insula Patmo; quo amandatum fuisse decreto Domitiani anno decimo eius Imperij, non autem præsenti (vt multi sunt opinati) iam diximus. Prope finem vero eius Imperij commentarium illum scripsisse, auctor est Irenæus[d], qui eum est interpretatus, sic dicens: Nomen eius per ipsum vtique editum fuisset, qui & Apocalypsim viderat: neque enim ante multum temporis visum est, sed pene sub nostro sæculo, ad finem Domitiani Imperij.] hæc Irenæus. B C

[b] *Suet. in Domit. c. 13.*

[c] *Auson. de suo Consul. grat. action.*

IOANNES SCRIBIT APOCALYPSIM.

[d] *Iren. lib. 5.*

II. Ioannes enim post necem Petri & Pauli Apostolorum, quorum prædicatione Ecclesiæ Asianæ fuerant fundatæ, & ad pietatem optime institutæ; ne, quòd in ea regione (vt dictum est) complures hæretici agerent, eorum artibus a sincera fide, quam semel accepissent, exciderent; eas idem ipse protinus administrandas curandasq. suscepit. Magis enim assentimur Epiphanio[e], dicenti, eum in senectute curasse Asianam Ecclesiam, his verbis: Illic enim S. Ioannes post ætatem senectã iubetur a Spiritu sancto prædicare, & reflectere errantes in via.] hæc ille: cui, inquam, magis assentimur, quàm S. Hieronymo[f] dicenti, totas Ecclesias Asiæ a Ioanne esse fundatas. Nam ex his quæ dicta sunt superius, constat, Ecclesias Minoris Asiæ magna ex parte a Petro esse erectas, a Paulo autem alias plures: quippe qui Ephesi (vt vidimus) triennio docuerit, & complures Asiæ partes Euangelium prædicando (vt ex Luca norauimus) peragrauerit: sed sic tamen (vt ipse de se testatur scribens ad Romanos 8)[g] ab Hierosolymis vsque ad Illyricum omnia repleuerit Euangelio, vt nequaquam illud prædicaret vbi ab alijs idem fuisset annunciatum. sunt enim hæc eius verba: Ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi: sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent.] Hæc igitur cum de se testetur Paulus (vt omittamus de singulis Asiæ Ecclesijs dicere) Ephesinam Ecclesiam, quæ est metropolis totius Minoris Asiæ, vbi (vt sæpe dictum est) ipse Paulus triennio docuit, a nullo alio quàm ab ipso fuisse fundatam, necessaria assumptione deducitur. D E

IOANNES POST NECEM APOSTOLORVM CVRAVIT ECCLESIAS ASIAE.

[e] *Epiph. hæres. 51.*

[f] *Hier. de Scrip. Eccl. in Ioan.*

[g] *Rom. 15.*

III. Quamobrem etsi (quod multi testantur) cum Hierosolymis iussi sunt abire Fideles, Ioannes vna cum Dei genitrice Ephesum venit; non tamen illum ibi Euangelium prædicasse, atque Ephesinam Ecclesiam erexisse constat. Consultius ergo Ignatius in ædificatione Ecclesiæ Ephesinæ Paulum Ioanni præponit, sic dicens, ad Ephesios scribens: Inueniar in sorte Christianorum, qui cum Apostolis in virtutem Iesu Christi semper conuersati sunt, Paulo, Ioanne, & fidelissimo Timotheo.] Verum quod ad Timotheum pertinet, non sic putamus vltimo loco positum, quòd post Ioannis obitum ipse illam curasset Ecclesiam, quem constat ab Apostolo Paulo adhuc in illis regionibus agente fuisse præfectum ipsi Ecclesiæ Ephesinæ; sed honoris causa potius ante

TIMOTHEVS A PAVLO CREATVS EPISCOPVS EPHESINVS.

Timotheum

A Timotheum ab eo nominatum esse Ioannem. Qui vltimis temporibus, cum post necem Apostolorum Asiæ Ecclesias ab hæreticis vexari cognosceret, in Asiam profectus est, ac in ea positas curauit Ecclesias: quarum, licet exul, cum solicitudinem maximam gereret; ad easdem, quæ de septem præcipuis eius prouinciæ Ecclesijs, ac demũ de alijs a Domino sibi fuissent diuinitus reuelata, conscripsit, quæ non tantũ scriptorum monumentis consignata, sed grauissima etiam contestatione ad finem posita, firmata atque roborata reliquit. Sicq. hac ex parte dici posse videtur, haud mentitum esse S. Hieronymum dicentem, Ecclesias Asiæ a Ioanne esse fundatas, cum ille eas adhuc nouellas verbis atque scriptis firmiter stabilisset.

IV. Sed eamdẽ Apocalypsim, sicut alios complures diuinæ Scripturæ canonicos libros, cum Cerdon[a], Marcion[b], & Alogi (sic dicti hæretici) impugnarunt, tum etiam complures antiquarum rerum Ecclesiasticarum scriptores in controuersiam adduxerunt, an ab ipso Ioanne Apostolo scripta fuerit: affirmantes potius ab alio quopiam Ioanne presbytero eam scriptis mandatam esse. Verum temeritatem atque procaciam Cerdonis & Marcionis eam omnino improbantium, & aliorum qui eamdem Cherintho nimis inconsulte tribuerant[c], cum alij plures, tum Epiphanius[d] de his vberius agens, refellit. Sed primum videamus quomodo intelligendum sit, quod S. Hieronymus[e] scribens ad Dardanum sic ait: Quòd si eam (*epistolam scilicet ad Hebræos*) Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas; nec Græcorum quidẽ Ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadẽ libertate suscipiunt: et tamen nos vtraque suscipimus; nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque vtriusque abutuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis facere solent: quippe qui & Gentilium litterarum raro vtantur exemplis, sed quasi canonicis & Ecclesiasticis.] hæc Hieronymus: cuius sententia duo hæc affirmari videntur: in primis, veteres scriptores Ioannis Apocalypsim vt canonicam scripturam probasse: deinde temporibus suis, Græcarum Ecclesiarum consuetudine illam minus habitã esse ratam, nec cum ceteris canonicis scripturis fuisse receptam. At an hæc & quomodo in omnibus vera haberi debeant, inuestigemus. B C

[a] *Tertull. de præscrip. c. 51.*

[b] *Tertull. aduers. Marcion. lib. 4. c. 5.*

APOCALYPSIS IMPVGNATA.

[c] *Euseb. hist. lib. 3. c. 28. & Philastr. lib. de hæres.*

[d] *Epiph. hæres. 51. & 45.*

[e] *Hieron. epist. 129.*

V. Quod ad primum pertinet: certe verum esse probatur, tam Græcos quàm Latinos Patres, qui sæculum S. Hieronymi præcesserunt, eamdem Apocalypsim inter canonicas scripturas adnumerasse, vt ex Græcis auctoribus sunt Dionysius[f], Irenæus[g] (ipse enim Græce scripsit) Iustinus martyr[h], Hippolytus[i] item martyr, Theophilus[k] Antiochenus, Meliton, Clemens[l] Alexandrinus, Origenes[m], Dionysius[n] Alexandrinus, Athanasius[o], & si qui alij Hieronymo antiquiores: ex Latinis vero Tertullianus[p], Cyprianus[q], Hilarius[r], quos secuti sunt postea recentiores, vt Seuerus, Prosper, & alij. Quòd si ex horum numero aliquis existimauit eam esse alterius Ioannis, quàm Euangelistæ; nihilominus idem eam vt canonicam scripturam habuit. Sic igitur verissima esse probatur Hieronymi assertio, qua affirmat antiquos scriptores eamdem Ioannis Apocalypsim vt germanam canonicamq. scripturam cognouisse, sicut & Patres omnes qui interfuerunt Concilio Ancyrano[s], quod ante Nicænum Magnum Concilium celebratum esse constat. D

VETERES ASSERTORES APOCALYPSIS.

[f] *Dionys. Eccl. hierarch. c. 3.*

[g] *Iren. lib. 5.*

[h] *Iust. dialog. cum Tryphon.*

[i] *Hippolyt. de consummat. mundi.*

[k] *Euseb. lib. 4. c. 23. 25.*

[l] *Clem. Alexan. in Pædag.*

[m] *Orig. hom. 7. in Iosue, & Psal. 1.*

VI. Quod vero idem auctor affirmat, suis temporibus Græcorum Ecclesias non recipere Ioannis Apocalypsim: videamus apud quosnam Græcos, Orientalesq. omnes, aut Ægyptios, vel alios quibus diuinæ Scripturæ Græcis litteris traditæ haberentur, inter scripta canonica Apocalypsis non recenseretur. Certe inter Græcos scriptores Ecclesiasticos, eosdemq. Catholicos, qui Hieronymi ætate vixere, Epiphanius[t], qui licet Hieronymo ætate senior, tamen eodem cum illo viuebat sæculo, non tantum huic veritati adstipulatur, sed non ab alijs quàm hæreticis Alogis & Theodosianis tradit impugnatam esse Ioannis Apocalypsim. Ceterum nequaquam putandum S. Hieronymum ea temere effutisse, aut Græcorum Ecclesias calumniatũ esse: sed ea in re visus est habuisse respectum ad S. Basilium, Amphilochium, Gregorium Nazianzenum, atque Nyssenum, qui visi sunt ab ea interdum abstinuisse. nam ipse Gregorius Nazianzenus, dum texuit catalogum librorum canonicorum, nullam penitus de Apocalypsi Ioannis habuit mentionem, sicut nec Conciliũ & Laodicenũ, ea de causa fortasse, quod qui Clementis nomine habetur canon Apostolorum octuagesimusquartus, nihil prorsus de Apocalypsi. Quamobrem & Amphilochius, æqualis Basilij atque Gregorij, in E

[n] *Dionys. Alex. apud Euseb. lib. 4. c. 24. 26. & lib. 7. c. 25.*

[o] *Athan. in Synopsi.*

QVI NON RECEPERINT APOCALYPSIM.

[p] *Tertul. de præscrip. c. 33. & in Scorpiaco c. 12. & aliis locis.*

[q] *Cypr. aduers. Iudæos.*

[r] *Hilar. præfat. in Psal.*

[s] *Concil. Ancyr. can. vlt.*

[t] *Epiph. hæres. 51.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

carmine ad Seleucum, quo texit catalogum canonicorum librorum, hæc in fine habet: A
Aſſ Apocalypſim Ioannis aliqui
Iis inſerunt: rurſus ſed longe plurimi
Adulterinam dicunt.] Sic igitur videas manifeſtam rationem, cur S. Hieronymus dixit Græcorū conſuetudinem non recipere inter Scripturas canonicas Apocalypſim, quòd ſcilicet Græcorum plurimi illam non admitterent, aliquibus tamen ex his eam recipientibus. Verum ſic dicit a plurimis haberi adulterinam, quòd ſcilicet inter canonicos libros ijdem non intexuerint.

VII. APOCALYPSIS TEMPORE EPIPHANII FIDES.

Sed horum diuerſa eſt ratio ab his quos diximus eam impugnaſſe, nempe Alogos & Theodoſianos, quos in claſſem hæreticorum Epiphanius reijcit: nam dicti Patres etſi eam recenſere prætermiſerunt, non tamen pertinaciter impugnarunt. Abſque enim iactura fidei tunc temporis ea non vti, liberum fuiſſe, idem ipſe Epiphanius eodem in loco teſtari videtur, cum aduerſus eoſdem hæreticos ait: Et ſi quidem ſuſcepiſſent Euangelium, *Ioannis ſcilicet*, Apocalypſim vero reiecíſſent; dixiſſemus vtique: Numquid iuxta exactam rationem hoc faciunt, apocryphum non admittentes, propter ea quæ in Apocalypſi profunde & obſcure dicta ſunt? Quando vero non ſuſcipiunt libros a Ioanne prædicatos, manifeſtum eſt, &c.] ex quibus inducimur, vt opinemur nullam factam eſſe mentionem Apocalypſis in Concilio Nicæno, in canone quem S. Hieronymus editum vult de libris authenticis. Nam ſi Apocalypſis inter alios canonicos libros adnumerata fuit: quomodo a tantis Eccleſiæ Orientalis doctoribus eadem valuit præteriri, atque ſilentio ſepeliri? B

VIII. APOCALYPSIS AB VNIVERSA ECCLESIA RECEPTA.

Ex quo autem cuiuſque arbitrio relicta res eſt: in his omnibus Hieronymi præſtat ſequi ſententiam, qua profitetur ſe in ea re antiquorum magis ſectari velle auctoritatem; quam etiam Græcorum Catholica Eccleſia ſecuta eſſe videtur. Nam & poſt citatos auctores, Ioannes Chryſoſtomus, qui eodem tempore multa ſcripſit, Ioannis Apocalypſim citaſſe reperitur; & qui poſtea ſecuti ſunt, eamdem abſque aliqua controuerſia receperunt, ac Latini ſimiliter, vt in primis qui Hieronymi tempore viuebat, Damaſus: nam in Romano Concilio ſub ipſo celebrato, quod habet Creſconiana Collectio, in canone de libris canonicis adnumeratur æque cum ceteris Apocalypſis Ioannis: rurſumq. Innocentius Papa [a] ad Exuperium Toloſanum, & Gelaſius in canone de libris canonicis, eodem ipſam iure cenſuerunt habendam. Id Ruffinus in expoſitione Symboli: Auguſtinus itidem de Doctrina Chriſtiana, Caſſiodorus, Iſidorus, & omnes hi qui texuerunt ſeriem librorum canonicorum, demum reliqui omnes Orthodoxi Patres, qui poſtea in Eccleſia floruerunt, in eamdem ſententiam pari conſenſu dedere ſuffragia: vt de ea re amplius dubitare, plane nefas atque religio videatur. C

a Innoc. epiſt. 3.

IX. DE DVOBVS IOANNIBVS AMBIGVITAS.

Sed & illæ antiqua de duobus Ioannis nomine nuncupatis, Apoſtolo ſcilicet, & alio quem presbyterum dixerunt, eſt obſcuritas elucidanda. Primum auctorem, qui duos Ioannes introduxerit, conſtat, teſte Euſebio [b], fuiſſe Papiam, Ioannis diſcipulum, de quo hæc ipſe ex eiuſdem Papiæ verbis: Si quis presbyter mihi fortaſſe occurrebat, qui cum Apoſtolis verſatus fuiſſet; dicta Apoſtolorum ab eo diligenter ſciſcitabar: nempe quid Andreas dixiſſet, quidve Petrus, quid Philippus, quid Iacobus, quid Ioannes, aut Matthæus, aut quis alius Domini diſcipulus; quæ denique Ariſtion, & Ioannes presbyter, qui in numero diſcipulorum Domini habebantur, locuti fuiſſent. Neque enim ea quæ ex libris petebantur, tantum mihi ſubſidij allatura exiſtimaui, quàm ea quæ exceperam ex hominum voce & ſermone, qui adhuc in vita manebant.] hæc Papias; ex cuius ſententia videas in primis traditiones ab eo pluris quàm ſcripta æſtimatas eſſe. Pergit Euſebius: Quo in loco eſt operæpretium animaduertere, Ioannes ab eo duos enumerari. Priorem, quem cum Petro, Iacobo, Matthæo, & reliquis Apoſtolis percenſet, declarat manifeſto fuiſſe Ioannem Euangeliſtam: alterum, oratione variata, alijs extra numerum Apoſtolorum aſſociat: quem, cum Ariſtionem illi ordine præpoſuerit, ipſum presbyterum vocat: ſic vt ex his narratio eorum vera eſſe oſtendatur, qui dixerunt duos eodem nomine nuncupatos fuiſſe in Aſia, duoq. illorum Epheſi eſſe ſepulchra, & vtrumque ad hanc vſque ætatem Ioannis nomine appellari. Quibus animaduertere eſt in primis neceſſarium: nam videtur valde probabile, poſteriorem Ioannem Apocalypſim, quæ eius titulo inſcribitur (ſi quis priori non cenſeat tribuendam) oculis peruidiſſe. Quinetiam Papias (quem modo D E

b Euſeb. hiſt. lib. 3. c. 33.

A modo poſuimus) dicta Apoſtolorum, ab his qui cum illis verſati fuiſſent, fatetur ſe excepiſſe, Ariſtionis item & Ioannis presbyteri ſe fuiſſe auditorem. Nam ſæpenumero illorum memoriam vſurpat nominatim, & traditiones eorum in ſua ſcripta illigat.] hucuſque Euſebius de duobus Ioannibus ex Papia; ſed tamen in Chronico, ſcriptam eſſe Apocalypſim a Ioanne Euangeliſta, firmiter aſſeuerat.

X. IOANNES SENIOR QVIS.

At quod de Ioanne Seniore, altero ab Euangeliſta, ex Papia recitat; cum ille ipſum dicat fuiſſe antiquum diſcipulum, non Apoſtolorū, ſed Domini: hunc illum eſſe exiſtimamus Ioannem Mariæ filium, cognomento Marcum, conſobrinum Barnabæ, cuius habetur mentio in Actis [a] Apoſtolorum. quòd ſi diuerſum hunc ab eo eſſe dixerimus: affirmare neceſſe erit, non duos eodem tempore, ſed tres Ioannes in Eccleſia claruiſſe. Sed haud concedit Seniorem Ioannem fuiſſe illum cognomento Marcum Dionyſius B Alexandrinus [b], qui ea potiſſimum ratione permouetur, quam ſic exprimit: Eſt item alius Ioannes in Actis Apoſtolorum, cognomento Marcus: quem Barnabas & Paulus ſibi in ſocietatem adſciuerant. Vtrum ſit hic qui Apocalypſim ſcripſerit, non poſſum pro certo affirmare: nam non eſt ſcriptis a Luca proditum, cum in Aſiam vna cum illis aduentaſſe: ſed ſoluentes (vt ipſe ait) a Papho, Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergem Pamphiliæ: Ioannes vero ab illis decedens, reuertitur Hieroſolymam.] hæc ille. Sed quæ eſt hæc ratio? quaſi minus poſthac licuerit ei deſcendere in Aſiam, & Euangelium prædicare. Immo & in Aſiam deſcendiſſe, & illic nauiter ſe geſſiſſe, ſuperius eſt demonſtratum, cum de Paulo egimus; qui Romæ in vinculis cum eſſet, Timotheum in Aſia agentem, ſecundam ad eum epiſtolam ſcribens, rogat, vt Romā venturus, ſecum Marcum ducat: quem illum fuiſſe, qui proprio nomine eſt dictus Ioannes, C ſatis alibi a nobis declaratum eſt. Quamobrē in eam libentius adducimur ſententiam, vt Ioannes Senior ille fuerit Mariæ filius cognomento Marcus, a Timotheo ex Aſia ad Paulum perductus Romam: de quo idem Paulus ad Philemonem agentem in Aſia ſic ſcribit: Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, &c.] quippe qui in Aſia verſatus, Aſiano homini optime notus eſſet.

a Act. 12. 13.

b Apud Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 25.

XI. APOCALYPSIS IOANNIS SENIORIS CREDITA.

Porro Ioannis Senioris eſſe Apocalypſim, exiſtimauit idem Dionyſius, qui eam vindicat a calumnia dicentium fuiſſe a Cherintho conſcriptam (ſed quomodo potuit opus illud eſſe ipſius, quo in multis locis de Filio Dei Cherinthi dogma deſtruitur?) hæcq. addit [c]: Verum ego librum ipſum nullo modo audeo abrogare; præſertim cum adeo multi fratres eum tam magni æſtiment: ſed hanc mecum de eo opinionem concipio, longe abſtruſiorem in eo eſſe materiam, quàm mens mea facile conſequi queat; & in D ſingulis prope ſententijs ſenſum quemdam myſterijs inuolutum & valde admirabilem deliteſcere, plane exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quemdam reconditiorem verbis ipſis incluſum: atque iſtas res non propria ratione metior ac pondero, ſed fidei potius tribuo; & altiores diuinioreſq. profecto arbitror, quàm quas ipſe vllo pacto cogitatione comprehendere valeam: atque non eas improbo, quas non intelligo; ſed ideo potius admiror, quòd mentis acie luſtrare non queo.] hæc Dionyſius, ac digna plane Catholico tractatore ſententia, qua ceteri merito erudiantur, in diuinis Scripturis ea quæ non intelliguntur, non tantum non ſpernenda eſſe, ſed maiori ea nos debere reuerentia proſequi. Sed qui ea ſugillant atque deſpiciunt, haud dubium illis aſſociantur, de quibus ait Iudas Apoſtolus: Hi autem quæcumque ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter tamquam muta E animalia norunt, in his corrumpuntur.] At poſt hæc Dionyſius multa deducit, quibus ſibi perſuaſum ait, Ioannis presbyteri illud fuiſſe opus: ſed ea ab alijs [d] facile refelluntur.

c Apud Euſeb. hiſt. lib. 7. c. 25.

d Xyſt. Senenſ. in Bibliorh. & Belarm. controuerſ. lib. 1. c. 19.

XII. IOANNES THEOLOGVS IDEM EVANGELISTA.

Certe quidem neminem Græcorum inuenire eſt, qui Dionyſium ſit ſecutus, vt alterius Ioannis quàm Euangeliſtæ, illud eſſe opus affirmarit. Sed rurſus cum titulum, Ioannis Theologi, commentario Græci præfixerint; plane non alterius Ioannis, quàm Euangeliſtæ eſſe ſignificarunt; Athanaſium nimirum ſecuti, qui hæc ait in Synopſi: Eſt præterea Apocalypſis Ioannis Theologi a priſcis ſanctis & Spiritu Dei imbutis Patribus, velut quæ illius ſit, accepta & approbata, cuius eſt principium: Apocalypſis, &c.] Et in fine, quem Ioannem per Theologum intellexerit, ſic declarat: Apocalypſis Ioannis. hoc nomine vocatur hic liber, propterea quòd hanc reuelationem ipſe Ioannes Euangeliſta & Theologus in inſula Patmos dicta, Dominico die vidit.] Porro eadem nomenclatura vſos eſſe maiores, vt Ioannem Euangeliſtam, Theologum cognomento dice-

[a] Dionys. Areopag. ad Ioann. epist.
[b] Cyril. Hieros. catech. 12.
[c] Epiph. hær. 51.
[d] Io. Chrysost. in præfat. in Psal. 37.
[e] Cyril. Alex. lib. 3. de Trinit.

to dicerent, quamplurima sunt exempla, vt in primis Dionysij [a] ad eum scribentis, Hippolyti martyris de consummatione mundi, dum ait: Secundū hanc consonat Ioannes Theologus dilectus Christo.] Id ipsum Cyrillus Hierosolymitanus [b], Epiphanius [c], Ioannes Chrysostomus [d], Cyrillus Alexandrinus [e], & alij: vt ex his videas, ex Græcorum Patrum nomenclatura sic affixum illum titulum a Græcis, Theologi, quo certius affirmarent non alium quàm Ioannem Euangelistam esse operis auctorem. Ad hæc Dionysius Alexandrinus cum de pluribus eiusdem nominis viris agit, antiquum illum refert morem, quo Christiani olim solebant filijs suis indere nomen alicuius Apostolorum; sic enim ait: Ceterum Ioannis Apostoli ὁμωνυμεῖς arbitror: qui propter singularem amorem quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam de eo haberent, & propter imitationem qua ad illum imitandum flagrabant, & quòd a Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem amplexati sunt: quemadmodum nomina Pauli & Petri Fidelium liberi crebro ferunt.] hæc Dionysius.

A
B

XIII. CHERINTHVS SCRIPSIT REVELATIONES.

Rursus quod ad Ioannis spectat Apocalypsim: sparsa olim calumnia, a Cherintho hæresiarcha eam esse conscriptam, vnde emerserit, dicere ac simul confutare non prætermittimus. Id quidem vt apertius cognoscamus; quod superius dictum est, breuiter est repetendum: hæreticos, quo minus veritate agere posse confiderent, eo magis ad impostura esse conuersos, & inter alia complures falsas reuelationes, quasi sibi diuinitus allatas excogitasse, easdemq. interdum Apostolorum, vel aliorum insignium virorum titulo nobilitasse, vt reuelationes Pauli, Petri, Thomæ, Stephani, & aliorum, quorum superius facta est mentio: ciusmodi generis commentum excogitasse Cherinthum vernosum hæresiarcham, Caius [f] antiquus Theologus tradit his verbis: Cherinthus, qui per adumbratas reuelationum, tamquam a magno quodam Apostolo conscriptarum, species, absurda portenta, præstigiasq. quasi per Angelos sibi ostentatas, nobis falso comminiscebatur, hæc asseueranter introducit; Post resurrectionem carnis humanæ, regnum Christi terreste futurum, & apud Hierusalem homines in carne cupiditatum & voluptatum blanditijs inseruituros: Qui cum sacrosanctis Dei eloquijs esset infensus, numerum mille annorum (habuit enim in animo homines in fraudem illicere) in nuptiarum festis & celebritate dicebat consumptum iri.] hæc Caius: eadem prope ex Dionysio Alexandrino idem Eusebius exscripsit; sed de Cherintho [g] hanc alibi refellit opinionem.

[f] Apud Euseb. hist. lib. 3. c. 22.
[g] Euseb. lib. 7. cap. 20.

C

XIV. CHERINTHI HÆRESES.

Verum enimvero, vt hæc magis eluceſcant; necesse esse putamus, vt quæ essent Cherinthi dogmata, in primis inuestigemus; ac subinde inspiciamus, an ea consentientia sint doctrinæ Apocalypsis. Irenæus [h] insanias eius summatim complexus, ait in primis Cherinthum negasse a Deo factum esse mundum, sed a virtute quadam separata ab ea principalitate distante: Iesum natum vt ceteros homines, sed descendisse in eum Christum post baptismum in figura columbæ: Christumq. tempore passionis recessisse a Iesu, sicq. Iesum tantū passum esse, & surrexisse, Christum vero immortalem perseueraſſe.] hæc de illo Irenæus: eadem Tertullianus [i]; addens illum dixisse, Deum Hebræorum non Dominum, sed Angelum fuisse. Propugnatorem insuper Cherinthum se exhibuisse aduersus Apostolos pro obseruatione legalium, superius dictum est; cum alioqui legislatorem Hebræorum non esse bonum ipse iactaret. Insuper eumdem Christi resurrectionem negasse, sed in die Iudicij resurrectionem eius futuram, vt ceterorum, affirmasse, Epiphanius [k] tradit. Ad hæc addit Philastrius [l], Cherinthum martyres blasphemasse, Iudam proditorem in honore habuisse, ac demum ex diuinis Scripturis nonnisi Matthæi Euangelium ex parte tantummodo recepisse; ac denique (quod superius dictum est) turpem illum millenarium, legaliumq. obseruationem Iudaicam excogitasse. His igitur omnibus quàm egregie aduersetur liber Apocalypsis, nemo non videt. In eo namque omnium Deus creator prædicatur, Christusq. eius filius ante sæcula, ipseq. Principium nominatur; ac ipsum esse passum, & se ipsum resuscitasse, in eodem affirmatur; commendantur & sancti martyres summopere, vt Antipas illustris martyr Ecclesiæ Pergamensis. Ac denique apparet quàm diuersus sit millenarius Ioannis ab illo Cherinthi: licet verius sit, pro mille annis Ioannem intellexisse gloriæ perpetuitatem: quod omnes, qui eum legunt, puto facile intelligere; præsertim si, quæ de ea re scripta ibi sunt ab interpretibus, exquirantur. Sed in his non amplius immorandum: iam cetera quæ sunt historiæ prosequamur.

[h] Iren. lib. 1. cap. 25.
[i] Tert. de præscript. c. 48.
[k] Epiph. hær. 28.
[l] Philastr. de hæres. c. 47.

D
E

His

XV. DIONYSIVS AD IOANNEM.

A His vltimis temporibus relegationis Ioannis in Patmo, Dionysius Areopagita [a] perbreuem scribens epistolam, inter alia de eius liberatione in proximo futura prænunciat, secundum quod postea contigit statim post obitum Domitiani, qui sequenti occisus est anno. Sunt hæc eius verba: Post paululum vero (dicam enim, etsi audax dictu videatur) tibi carissima societate iungemur. Ero autem prorsus dignior cui fides habeatur, si quæ tibi prænota sunt, quæ & ex Deo didici, hæc loquar: quòd scilicet ex Patmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reuersurus, illicq. perages boni Dei imitationes, easq. posteris trades.] hucusque Dionysius. Meminit eiusdem epistolæ Metaphrastes [b], additq. insulanos omnes illic agentes a Ioanne ab impietate ad veram Christi religionem esse conuersos. Nicephorus [c] insuper, & alij complures, vt Michael Syncellus, Suidas, Ilduinus, & alij, cum Dionysij relegunt commen-
B tarios, de eadem epistola ad Ioannem exulem in Patmo, fecere mentionem.

[a] Dionys. ep. 8. 10.
[b] Metaphr. in Ioan. apud Oecumen.
[c] Niceph. hist. lib. 2. c. 20. vide Lipom. tom. 4.

XVI. PERSECVTIO IN IVDÆOS FAMILIAE DAVID.

Rursum vero his item vltimis Domitiani Imperij annis, cum persecutio in Christianos excitata magis magisq. sæuiret; in eos etiam Iudæos, qui reperti essent ex Dauid familia progeniti, conuersa est: idq. tum odio Christi, tum etiam ea ex causa, quòd Iudæorum attestatione ratum firmumq. haberetur, testatum oraculis Prophetarum, venturum hominem ex progenie Dauid, qui regnum assumeret, & in immensum propagaret, atque perpetuo retineret. Hæc autem quomodo se habuerint, Eusebius [d] ex Hegesippo illorum temporum scriptore sic narrat: Cum Domitianus ipse omnes ex Dauidis stirpe & familia proseminatos e medio penitus tolli iussisset; vetus fama est, Iudæ posteros (hunc fratrem Saluatoris secundum carnem fuisse liquet) vtpote qui non a Dauide solum suum genus, sed etiam ab ipso Christo sanguinis coniunctionem du-
C cerent, a quibusdam Iudaicarum sectarum fautoribus in iudicium esse vocatos. Idq. Hegesippus explicat hoc modo: Alij ex genere Domini Saluatoris nostri orti, nepotes Iudæ (qui frater illius secundum carnem dicebatur) adhuc erant superstites: quorum nomina maleuoli detulerunt, tamquam ex stirpe Dauidica genus suum deriuantium. Istos vero quidam nomine Locatus ad Cæsarem Domitianum deduxit. Hic enim de aduentu Christi, vt Herodes iam olim, metu erat non exiguo perculsus. Qui cum ab illis rogasset, vtrum essent ex genere Dauidis procreati, ita rem se habere plane confessi sunt. Tandem ei ab ipsis scisciranti, quot & quantas haberent possessiones, & quantam pecuniarum summam: vterque responsum dedit, solum nouem millia denariorum sibi suppetere, & dimidiatam tantummodo partem ad singulos ipsorum spectare: istasq. facultates non in argento se possidere dicebant, sed in censu agrorum, qui
D solum continebant iugera trigintanouem; ex quorum fructibus se non modo vectigalia pensitare, sed etiam suam ipsorum vitam in ijsdem labore & industria colendis sustentare asseruerunt. Suas denique manus, quæ pro ipsis laborum suorum testimonium dicerent, ostendere cœperunt: corporis item duritiem, & callum ab opera assidua & diligentia contractum, qui in eorum manibus tamquam vestigia laborum susceptorum impreſserat, demonstrare. Rogati etiam, vt de Christo & regno eius, quodnam esset, & quando, quove loco existeret, rationem redderent: illud non mundanum & terrestre esse, sed cæleste & angelicum, quod in ipsa sæculi consummatione declarandum foret; quando Dominus cum gloria & maiestate e cælo descendens, de viuis & mortuis esset sententiam dicturus, & cuique mercedem secundum opera & vitæ officia redditurus. Vnde Domitianum nihil mali contra eos decreuisse: sed tamquam abiectos &
E simplices aspernatum, liberos illos dimisisse, atque adeo destitisse a persecutione, quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat. Istos ita periculo & crimine solutos deinceps, tum quòd testes Domini erant, tum quòd ex eius stirpe generati putabantur, Ecclesijs præfuisse; & pace iam in Ecclesia constituta, ad Traiani vsque tempora vitam propagasse.] hæc Hegesippus.

[d] Euseb. hist. lib. 3. c. 13.

XVII. PERSECVTIO AN ET QVANDO REPRESSA.

Addit & Eusebius de eadem persecutione repressa Tertulliani sententiam. Quæ omnia nos superius sic interpretati sumus, non vt vbique locorum quieuerit gladius persecutionis in Christianos semel exertus: nam quomodo cessasse dicere poterimus, cum ille magis sæuiens, ad domesticos quoque peruenerit, & sequenti anno (vt proxime dicturi sumus) ipse Imperator cognatos etiam, ea de causa, alios nece, alios vero exilio mulctarit? sicq. quòd in infimos quosque Christianos eadem persecutio recrudesceret (vt suo loco dicemus) idem Imperator occidi meruit anno sequenti, vt vna cum

persecu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perſecutione finierit quoque vitam. Quamobrem vel oportuit Hegeſippum intellexiſ- A
ſe de perſecutione in eam tantum Eccleſiam quæ in Iudæa erat, atque ex ea cauſa tantummodo permota eſſet: Vel ſi de vniuerſa Eccleſia intellexit; dicendũ, eam non hoc penultimo Domitiani anno factam eſſe, ſed antea, eamdemq. perſecutionem ſemel extinctam, iterum his temporibus reuixiſſe, atque ad obitum vſque Domitiani perſeueraſſe: quod tum quæ a nobis ſuperius dicta ſunt, tum quæ modo dicturi ſumus, facile declarabunt.

IESV CHRISTI ANNVS 98. CLEM. ANNVS 6. DOMIT. IMP. ANNVS 15.

B

I. FLAVIVS CLEMENS OCCIDITVR.

CHriſti anno nonageſimooctauo, Fuluio Valente & Antiſtio Vetere Coſſ. Flauius Clemens Conſularis, vix perfunctus munere Conſulatus anni ſuperioris, quòd Chriſtianam religionem amplexus eſſet, ab eodem Domitiano iuſſus eſt occidi. hæc ex Dione. Sed antequam eius de hac re ſententiam recitemus; quæ de eius nece a Suetonio[a] rem obſcurius inuoluente potius quàm explicante, ſunt ſcripta, narremus. ſic enim ait: Denique Flauium Clementem, patruelem ſuum, contemptiſſimæ inertiæ, cuius filios etiam paruulos ſucceſſores palam deſtinauerat, & abolito priore nomine, alterum Veſpaſianum appellari iuſſerat, alterum Domitianum; repente ex tenuiſſima ſuſpicione, tantum non ipſo eius Conſulatu interemit: quo maxime facto maturauit ſibi exitum.] hæc Suetonius: qui & immenſa prodigia, quæ octo ſequentibus menſibus, quibus vixit, contigerunt, proſequitur recenſere. Sed quòd ignauiæ atque inertiæ nomine Flauium Clementem ſugillet, ex eo accidit, quòd Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi, ac proinde pacifici, vrbanos ſtrepitus & Palatij ac curiarum tumultus vitare ſolerent. Vetus enim ac frequens hæc erat in Gentilium ore in Chriſtianos ſolita iactari contumelia, nimirum quòd eſſent inertes: quam quidem refellens Tertullianus[b] hæc ait: Sed alio quoque iniuriarum titulo poſtulamur, & infructuoſi in negotijs dicimur.] ſed in prauis operibus Chriſtianos omnino frigidos inerteſq. ſe habere, in bonis autem ſtudioſos ac ſedulos eſſe, pluribus monſtrat. Quamobrem, quod erat ſummæ virtutis ſpecimen in Clemente; quòd, cum filios Imperatores poſſet habere, dummodo eadem quæ Domitianus numina coleret, prætuliſſet his omnibus ignominiam crucis; Suetonius contemptiſſimæ adſcribit inertiæ.

a Sueton. in Domit. c. 15.

b Tert. in Apolog. c. 42. 43. 44. 45.

II. DE FLAVIA DOMITILLA.

Ceterum non tantum eam ob cauſam in ipſum Clementem Exconſulem, ſed & in D
vxorem, & neptem, atque alios eius domeſticos Chriſti religionem profitentes, a Domitiano excitatam perſecutionem ſæuiſſe, ſed multo acrius in alios Chriſtianos tunc Romæ agentes graſſatam eſſe, Ethnici hiſtorici quoque teſtantur. Sed quæ ab vno eorum eſſent memoriæ commendata, ſic ſcribit Euſebius[c]: Tantopere vero temporibus illis, quæ ſupra demonſtrauimus, noſtræ fidei doctrina ſplendeſcebat, vt ij etiam ſcriptores, qui a ſermone & diſciplina religionis noſtræ videntur prorſus alieni, hiſtoriarum ſuarum monumentis cum perſecutionem, tum martyria, quæ id temporis geſta erant, tradere, minime grauati fuerint. Qui etiam temporũ ordinem accurate & tamquam ad amuſſim obſeruabant; narrabantq. Flauiam Domitillam, ex ſorore Flauij Clementis (qui vnus ex Conſulibus tum Romæ fuit) prognatam, cum alijs pleriſque ob Chriſti teſtimoniũ anno decimoquinto Domitiani, in inſulam Pontiam ſupplicij & E
mulctæ cauſa extruſam.] hæc Euſebius: qui & vnde hæc acceperit, in Chronico declarat, ſic dicens: Scribit Brutius plurimos Chriſtianorum ſub Domitiano feciſſe martyrium; inter quos & Flauiam Domitillam, Flauij Clementis Conſulis ex ſorore neptem, in inſulam Pontiam relegatam, quia ſe Chriſtianam eſſe teſtata eſt.] hæc Euſebius (vt ait) ex Brutio, ſeu (vt verius legendũ putamus) ex Erutio Claro illuſtri viro, ad quem extant litteræ Plinij[d] Iunioris: nam de Brutio nullam reperimus mentionem. Ceterum Erutius ab eo ſummopere cum multis alijs, tum etiam eruditione laudatur, dum ſcribit ad Apollinarem[e]. Niſi velimus Brutium hunc, quem citat Euſebius, eſſe Brutianum illum virum clariſsimum, cuius idem Plinius meminit ſcribens ad Tyronem[f], quem conſtat his diebus vixiſſe: ſed is an aliquid, quod ad hiſtoriam pertinet, memoriæ commendarit, incertum eſt. At ſiue ex his aliquis, aliusve quis fuerit, haud curandum eſt.

c Euſeb. hiſtor. lib. 3. c. 14.

d Plinius lib. 2. epiſt. 10.

e Idem de eod. lib. 2. epiſt. 9.

f Plinius lib. 6. epiſt. 22.

Sed

A Sed & in hoc illud conſiderandum: ſi Ethnicus auctor hiſce noſtris rebus & præ- III.
claris admodum facinoribus ſuam ipſius hiſtoriam illuſtrari arbitratus eſt: haud putandum, tam ſegnes ac deſides fuiſſe Chriſtianos, vt ea ſcriptis mandare neglexerint. Etenim cum aliorum, tum Clementis Papæ potiſſimum in his inuigilaſſe ſtudium, certum eſt: nam ab eo ad hoc opus fuerunt inſtituti ſeptem Notarij, quibus & ad id præſtandum regiones Vrbis diuiſit: qui (quod habet liber de Romanis Pontificibus nomine Damaſi) Acta martyrum ſolicite & curioſe per regiones quiſque ſuas perquirerent, atque conſcriberent. Quod plane argumento eſt, non vno tantum in loco Vrbis de Chriſtianis carnificinas exerceri ſolitas, ſed multis, ſecundum illud[a] Prudentij, etiam ſuperius recitatum:

CLEMENTIS PAPÆ OPVS.

a Prudent. Peri-ſtephan. hym. 11.

Non contentus humum celſæ intra mœnia Romæ
B *Tingere iuſtorum cædibus aſiduis;*
Ianiculum cum iam madidum, fora, roſtra, Suburram
Cerneret eluuie ſanguinis effluere.]

At non Brutius tantum (ſiue dicere malimus, Erutius) ea de Chriſtianis ſcriptorum IV.
monumentis teſtata reliquit; ſed & Dio de Flauio Clemente, Flauiæ Domitillæ patruo, & eius vxore Flauia item Domitilla dicta, ijſdemq. Chriſtianæ fidei fortiſsimis teſtibus (vt qui eius teſtandæ cauſa ſpreuere Imperium, & ſubiere martyrium) hæc paucis ſcribit: Eodem anno Domitianus cum multos alios, tum vero Flauium Clementem Conſulem (etſi nepos eius erat, duxeratq. vxorem Flauiam Domitillam propinquam ipſius) morte affecit, illato ambobus crimine ἀθεότητος: cuius rei cauſa, multi, qui in mores Iudæorum tranſierant, damnati ſunt; quorum pars occiſa eſt, pars ſpoliata fa- FLAVIA DOMITILLA RELEGATA IN INSVLAM.
C cultatibus. Domitilla tantummodo in Pandatariam relegata eſt.] hæc Dio, haud dubiũ de Chriſtianis intelligens: ludibrij enim cauſa in mores Iudæorũ tranſire dicebantur, qui abiecta deorũ ſuperſtitione, Chriſtianam religionem inciperent profiteri: tum quòd e Iudæis Chriſtiani deſcenderent; tum etiam quòd ſicut illi, idola omnia execrantes, ab illis æque impij dicerentur. Quis enim ſibi perſuadeat, Romanorum nobiliſſimos, hoc potiſſimum tempore, quo Iudæorum ciuitas & templum a Romanis ipſis eſſet exciſum, & ipſi penitus profligati, & infames vbique redditi, tam cupidos fuiſſe Iudaicæ ſuperſtitionis, vt eius aſſequendæ cauſa, bonorum omnium ac vitæ etiam diſpendium ſubire vellent? Quibus vero contumelijs, Romæ præſertim, proſcinderetur Iudaica ſuperſtitio, Martialis & Iuuenalis locupletes teſtes ſunt. Ceterum frequenter Iudaico nomine Chriſtianam religionem Gentiles eſſe ſolitos conſignare, multis alijs in locis
D ante demonſtrauimus.

Sed quod pertinet ad Flauiam Domitillam (niſi in citatis modo hiſtoricis error in- V.
ſit) iam duas habemus Flauias Domitillas diuerſis in locis pro Chriſtiana religione exules, nempe amitam, atque neptem. Ad hæc etiam ſpectare perſpicuum eſt, quod ait Tacitus in Vita Iulij Agricolæ ante funera ciuium vita functi, his verbis: Non vidit Agricola obſeſſam curiam, clauſum armis Senatum, & eadem ſtrage tot Conſularium cædes, tot nobiliſſimarum feminarum exilia & fugas.] Eiuſdem nominis atque familiæ aliæ quoque fuerant, nempe Flauia Domitilla vxor Veſpaſiani, ex qua (vt Sue- FLAVIAE DOMITILLAE PLVRES
tonius[b] tradit) nati ſunt Titus & Domitianus Imperatores, & horum ſoror alia Flauia Domitilla: ſed tam mater quàm filia defunctæ ſunt cum Veſpaſianus adhuc priuatus ageret: maior autem Flauia Domitilla, Cæſarum mater, relata fuit inter di-
E uos, & in eius honorem inſtituti ſunt ſacerdotes, qui dicerentur Flauiæ Domitillæ, vt vetus docet inſcriptio[c]; colebaturq. in templo gentis Flauiæ[d], quod in ſexta regione ad Malum punicum, ſic dictum vicum, poſitum erat. Sed de Flauia Domitilla Clementis vxore Philoſtratus[e] eſt hallucinatus, dum eam dicit fuiſſe ſororem Domitiani Imperatoris: nam eius ſororem ita dictam, ex Veſpaſiano & Flauia Domitilla matre genitam, defunctam eſſe (vt diximus) cum adhuc pater priuatus eſſet, Suetonius[f] & alij tradiderunt.

b Suetonius in Veſpaſ. c. 3.

c Apud Panuin. Vrb. Rom. pag. 300.

d Suetonius in Domit. c. 1.

e Philoſtr. lib. 8.

f Suetonius in Veſpaſ. c. 3.

Quæ vero celebrior ceteris habetur Flauia Domitilla Clementis Conſulis neptis vir- VI.
go, primum (vt dictum eſt) in Pontiam inſulam relegata, ac demum (vt dicemus) egregio martyrio nobilitata ac illuſtrata, illa ipſa eſt, cuius annua celebritas agitur ſeptima die Maij. Hæc igitur matre Plautilla, Clementis Conſulis ſorore (vt habet Euſebius) & non vxore, genita eſt: quæ baptizata a S. Petro principe Apoſtolorum, eodem

FLAVIA DOMITILLA VIRGO ET MARTYR.

prope

Universidad de Deusto
Biblioteca

prope anno quo crucis supplicium subijt, ex hac vita subducta est. Verum Flauiam A
Domitillam eius filiam ad pietatem instituit Clemens Romanus Episcopus: qui eamdem, cum virginitatem suam Deo vouisset, sacro velamine consecrauit. Eo enim desiderio dedicandæ Christo virginitatis accensa fuit in primis sermonibus Nerei & Archillei eunuchorum, quos S. Petrus ad fidem Christianam amplexandam conuerterat. Sed cum ijdem secuti essent eam in insulam, inde abstracti, & Tarracinam missi, ibi sub Memmio Rufo Consulari, post tormenta suscepta, pœna capitis damnati sunt. Verum Flauia Domitilla post exilium, tandem sub Traiano (vt suo loco dicemus) nobile martyrium consummauit. Sed hæc omnia fusius in dictorum martyrum Actis[a]. De Pontia insula, exilio Flauiæ Domitillæ egregie illustrata, S. Hieronymus[b], cum de Paula agit Roma Hierosolymam nauigante, hæc ait: Delata ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam seminarũ sub Domitiano Principe pro confessione nominis Christiani Flauiæ Domitillæ nobilitauit exilium: videnscq. cellulas, in quibus illa longum martyrium duxerat, sumptis fidei alis, &c.] hæc Hieronymus. Atque de Flauia Domitilla modo satis. B

a Apud Surium 7. Maij.
b Hieron. epist. 27.

VII. DE CLEMENTE CONSVLARI MARTYRE.

Sed quod pertinet ad Clementem Consulem eius patruum: cum ex Dionis sententia superius recitata, quasi impius, quòd Christianus cum esset, deos non coleret, occisus esset; ac proinde martyrij titulo meritissimus iure censeri debeat: quòd eius mentio nulla in Martyrologio vel alijs antiquitatis monumentis habeatur; iniuria temporum id euenisse putamus; factumq. esse, vt si qua eiusdem Clementis nobilissimi martyris memoria reliqua esset post nostrarum scripturarum Diocletiani tempore facta naufragia, omnes Clementem Romanum Pontificem mente concipientes, vnum eumdemq. nominibus confusis atque personis, Clementem esse existimarint. At quantum in Christianos ceteros furens illa persecutio fuerit debacchata, quæ tam caros ipsius Imperatoris sustulit, quiuis facile intelligat. C

VIII. DE CRVDELITATE DOMITIANI.

Sed quod ad sæuitiam Domitiani significandam spectat: nec illud prætermittendum est silentio, consueuisse etiam Domitianum præ nimia crudelitate, casus tragicos in miserorum corpora in theatro ex vero repræsentare: quod epigramma Martialis de vera cruce Laureoli[c] & alijs aperte significat, & Iuuenalis[d] hæc eadem deplorans tempora his versibus:

c Martial. lib. 1. epigram. 7 de pœna Laureoli.
d Iuuenal. satyr. 8. in fine.

Qua fornace graues, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus: vt timeas, ne
Vomer desinat, ne marræ & sarcula desint. &c.]

e Herod. lib. 1. Vnde merito de eo ait Herodianus[e]: Nihil sibi ad extremam crudelitatem reliqui D
fecit.]

IX. *f Iuuen. satyr. 4. in fine.*

Verum cum tam atrociter in Christianos persecutionis impetus fureret, meruit Domitianus, vleiscente iam numine, tandem gladio tolli. Quod egregie Iuuenalis[f] versibus cecinit: licet more Gentilium, ignominiæ causa Christianos, perinde ac vilissimas personas, cerdones appellet, sic dicens:

Atque vtinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sæuitiæ, claras quibus abstulit Vrbi
Illustresq. animas impune, & vindice nullo.
Sed periit, postquam cerdonibus esse timendus
Cœperat. Hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.]

hæc ille, qui propter effusum Christianum sanguinem Domitianum fuisse necatum E
putauit. nam cum ait, tunc illum perijsse, cum cerdonibus timendus esse cœperat; haud dubium alludit ad necem ipsi illatam a Stephano Flauiæ Domitillæ Christianæ feminæ, quam in insulam ab eo diximus relegatam, procuratore: qui simulans se de coniurationis indicio illi offerre libellum; e brachio, quod ad collum appensum, fractam manum fingens, dolose gestabat, exerens gladium, atque percutiens, fortiter agens, illum se defendentem confodit, atque necauit. Sed hæc pluribus Suetonius[g], Philostratus[h], Dio[i], & alij, licet diuerso modo rem gestam referant. Occisus est igitur Domitianus (vt idem Suetonius tradit) decimoquarto Kalendas Octobris, anno ætatis suæ quadragesimoquinto, Imperij decimoquinto, ac die præterea quinto.

DOMITIANVS OCCIDITVR.
g Sueton. in Domit. c. 17.
h Philost. lib. 8.
i Dio in Domit.

X. Flagrabant (inquit Dio in Nerua) odio in Domitianum ciues: quare statuæ omnes tum aureæ, tũ argenteæ, in illius honorẽ constitutæ, subito in massam conflatæ fuerunt.

Arcus

A Arcus præterea in eiusdem vnius titulum & nomen substructi euertuntur.] Nomen insuper ipsius e saxis radi iussum, Macrobius[a] testatur, sic dicens: Octobrem vero suo nomine Domitianus inuaserat: sed vti infausturn vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, mensis quoque vsurpatione tyrannicæ appellationis exutus est.] At hæc, cum Nerua Imp. designatus esset, sunt a ciuibus facta.

DOMITIANI MEMORIA DELETA.
a Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 12.

Sed antequam de Nerua, eius in Imperium successore, agamus, præstat hic summatim relegere præclarissimos martyres, qui sub eadem Domitiani Imp. persecutione diuersis in locis glorioso martyrio Dei Ecclesiam suo sanguine illustrarunt. Inter eos enituit in primis S. Eutropius Episcopus Santonensis, ad Gallias ordinatus Episcopus a Clemente missus; quem ferunt Hierosolymis olim versatum, Christum vidisse, ipsumq. allocutum esse. Hic igitur a Galliarum Præfecto, quòd aduersus Gallorum superstitionem, nouam videretur religionem inducere, necari iubetur[b]. Eadem grassante persecutione, in Gallijs itidem Lucianus[c] Episcopus Bellouacensis, Maximianus & Iulianus presbyteri occisi sunt: Carnoti vero Caraunus[d], item Nicasius Episcopus Rotomagensis, Quirinus presbyter, Scubiculus diaconus, Patientia virgo, & alij. Passus etiam eadem Domitiani persecutione S. Romulus Fesulanus in Tuscia Episcopus, qui illuc a Petro Apostolo ad prædicandum Euangelium missus fuit, & alij fere innumeri, quorum nomina exciderunt: hi enim clariores habiti sunt. B XI.

MARTYRES PASSI SVB DOMITIANO.
b Martyrolog. Rom. Græc. 30. April.
c Ibid. 2. Ianu.
d Ibid. 28. Maij.

Sublato iam Domitiano Imperatore, Nerua Cocceius, tam Senatus consensu quàm militum, suscepit Imperium, tenuitq. annum vnum, menses quatuor, & dies nouem: cuius egregias laudes historici, qui res ipsius gestas scripserũt, mirifice prædicarunt. Nouo enim Principe, qui respectu Domitiani visus est optimus, cum Vrbs ipsa in primis, C tum Orbis quoque Romanus Domitiani sæuitia fatigatus, respirare paululum cœpit. Hic igitur cum primum liberas Imperij habenas moderari cœpit, nihil antiquius habuit, quàm Christianos a Domitiano impietatis titulo condemnatos, atque exules factos, postliminio restituere: vetare insuper, ne quis vlterius, qui deos non coleret, Christianamq. religionem sectaretur, vt impietatis reus accusaretur; hæc enim Dio his verbis testatur[e]: Cetcrum Nerua, omnes qui impietatis in deos rei fuerant, absolui voluit, & exules in patriam reduxit.] et paulo post: Edicto vetuit, ne liceret, aut impietatis, aut Iudaicæ sectæ (*eo enim nomine, vt alias dictum est, Christianos significabant*) quempiam dehinc insimulari.] hæc Dio. Quamobrem tum Flauiam Domitillam seniorem, atque iuniorem, tum alios suos a Domitiano in insulam relegatos, Romam esse reuersos, affirmare opus est, licet quæ extant ipsorum Acta de his nihil habeant; immo sub Nerua pas- D sos tradunt ex illis Maronem, Eutychetem, & Victorinum: sed sub Nerua Traiano id accidisse, Romanum Martyrologium[f] restiturum affirmat. Quomodo vero ijdem omnes sub Traiano subierint martyrium, suo loco dicemus. Sustulit & Nerua Imperator grauissima illa tributa, quibus Iudaicus populus (vt dictum est) sub Domitiano grauissime pressus erat: argenteus enim nummus id exprimit huiusmodi inscriptione atque imagine: FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA S. C. palmaq. est in medio posita, prout hic ex nummo vides expressum.

e Dio in Nerua.
f Rom. Martyr. die 15. April.

XII. NERVA IMPERAT AC RESTITVIT CHRISTIANOS EXVLES.

g

g Lilij Pasqualini Rom.

E

Sed quod ad palmam spectat: Iudæam prouinciam eo signo exprimi solitam, tum ex his, tũ ex alijs veteribus monumentis, omnes æque consentiunt. Sed cur ita? quòd ferax sit prouincia illa palmis; quod non solũ diuinæ Scripturæ testificationibus compertum habetur, sed etiam scriptorũ Gentilium assertione, Plinij[h], Strabonis[i], & aliorũ: et si qui-

h Plin. lib. 5. c. 27.
i Strab. lib. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dem aliæ prouinciæ in Oriente palmis abundent, Iudæam ceteris præstare, ob eamq. A
a Plin. lib. 13. c. 4. rem esse inclytam Plinius [a] æque tradit. Sed & ab ipsis Iudæis palmæ figuram intra tem-
b 3. Reg. 67. 2. Paral. 3. Ezech. 40. 41 pli ornamenta frequenter receptam esse, docent diuinæ [b] Scripturæ. Erat & apud Ægyptios palma figura hieroglyphica anni, quòd (vt Orus Apollo testatur) ipsa sola arbor ex omnibus ad singulos Lunæ ortus singulos etiam ramos procreet, ita vt duodecim ramorum productione annus expleatur. fortasse & hanc ob causam apud Iudæos, Lunarium mensium obseruantissimos, maiori quàm ceteræ arbores in pretio habita. Quod autem ad tributum Iudaicum sublatũ: quàm calumnioſe a Domitiano Imp. impositum fuerit, & quàm acerbissime exactum, suo loco superius dictum est ex Suetonio & alijs.

XIII. Sed quod ad edictum pertinet de restituendis exulibus; eiusdem vigore Ioannes
IOANNES APOSTOLVS REVERSVS EPHESVM. Apostolus, qui in Patmon a Domitiano fuerat relegatus, exilio soluitur, atque Ephe-
c Eusebius hist. lib. 3. c. 23. sum reuertitur: vbi tradit Eusebius [c] denuo sedem ac domicilium rerum suarum col- B
d Eusebius hist. lib. 3. c. 17. locasse, atque Asiæ Ecclesias gubernasse. Sed de rebus ab eo gestis in Asia, postquam exilio liber illuc accessit, hæc ex Clemente Alexandrino Eusebius recitat [d], sic dicens: Posterior autem testis, Clemens scilicet, in eo opere quod inscripsit: Quis sit ille dues, qui saluetur: vt primum ipsum tempus commonstrauit, historiam pariter cum primis necessariam, his præsertim qui ex honestis vtilibusq. rebus audiendis aliquid capiunt oblectationis, adiungit. Sumamus igitur in manus historiam, & legamus. Sic vero se habet:

XIV. Audite fabulam: quid dixi fabulam? immo veram & certam historiam de Ioanne Apostolo memoratam, quæ nobis constanter tradita est, & memoria firme custodita. Vbi vero tyranno mortuo, ex insula Patmo erat Ephesum reuersus, quorumdam rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, hic Episcopos constituturus, illic integras Ecclesias rite C
dispensaturus, alibi certos homines, sibi Spiritus sancti instinctu demonstratos, in clerum delecturus. At cum ad vrbem quandam non longe inde distantem, cuius etiam nomen nonnulli memorant, se contulisset; & alia quoque officia, quæ ad animos fratrum inter se dissidentium conciliandos pertinebant, obijsset: ad extremum adolescentulum, corporis viribus valentem, vultu & oris conformatione venustum, animi impetu flagrantem, forte conspicatus, statim in eum, qui ibi Episcopus erat constitutus, oculos conuertit, eumq. sic affatus est: Hunc adolescentulum omni studio, cura, & cogitatione, coram Ecclesia & Christo teste, tibi tuæq. fidei commendo. Quem cum Episcopus in suam tutelam accepisset, & omnia se facturum fuisset pollicitus; Ioannes eadem iterum atque iterum illi edisserit, eiusq. fidem contestatur. Ephesum deinde redit. Episcopus ille adolescentulum sibi concreditum in domum suam recipiens, educa- D
uit pro suo, in officio continuit, fouitq. humaniter; ad extremum baptismi sacramento illuminat.

XV. Postea vero vbi sigillo Domini (*nempe sacramento confirmationis, vt addit interpres*) tamquam perfecta tutaq. eius animæ custodia obsignasset, nonnihil de cura & obser-
LAPSVS ADOLESCENTIS. uatione in eo instituendo suscepta remisit. Quem quidem non solum liberior viuendi potestas, quam fuerat paulo ante tempus adeptus, verum etiam quidam adolescentes eius æquales otio languidi, inertia dissoluti, & omni malorum genere assuefacti corruperunt. Et primum exquisitis conuiuiorum opiparorum delicijs alliciunt, inuitumq. noctu deinde educentes, ad furti societatem coeundam attrahunt: tum maiora moliri flagitia hortantur. Iste pedetentim assuescit; & propter generosam animi magnitudinem, tamquam equus effrenatus, & nimium sibi suisq. viribus præfidens, extra re- E
ctam viam impetu fertur; frenaq. acriter præmordens, procliuius in profundum vitiorum gurgitem se præcipitat. Atque cum iam in desperationem salutis in Deo sitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit; sed maximis quibusdam ac nefarijs facinoribus admissis, vbi semel omni improbitate & nequitia perditus euaserat, nullã non sceleris labem ex æquo cũ alijs contrahere secum statuit. Illis igitur in familiaritatem adscitis, & magna latronum turba collecta, animo prompto paratoq. se ducem manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate denique acerbissimum præbuit.

XVI. Interea temporis, vbi necessaria ad rem incidebat occasio, Ioannes accersitur. Ille vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione dispositas esset: Age, inquit, Episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus Ecclesia teste, quam gubernas, tibi commi-

A commisimus. Hic vero primo attonitus obstupuit, arbitratus pecuniam, quam num- IOANNES REQVIRIT MALE CVSTODITVM DEPOSITVM.
quam acceperat, a se per fraudem & dolum malum repeti: et tamen neque facile crede- re poterat ea a se reposci per calumniam, quæ neutiquam habuisset; neque Ioanni de- positum repetenti omnino diffidere. Verum simulatque Ioannes dixerat: Adolescen- tulum repeto, & animam fratris: senex demisso vultu ingemiscens, & item lacrymans: Ille, inquit, mortuus est. Quomodo & quo genere mortis? Deo, inquit, mortuus est: nam nequam, & perditus, & vno verbo, latro euasit; & iam pro ecclesia, in qua versa- batur, montem cum nefaria hominum sui similium turba occupat. Apostolus ergo ve- ste dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: Bonum, inquit, custodem animæ fra- tris tui te reliqui. Equus iam iam mihi adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab ecclesia, ita vt erat, cum festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum, a primis latronum
B excubitoribus prehenditur: qui neque fugam parans, neque euitare studens, sed voci- ferans admodum, dixit: Huc huius rei causa accessi; me ad principem vestrum dedu- cite. Qui quidem ad tempus, vt erat armatus, expectabat.

Verum vt Ioannem aduentantem agnouerat, præ pudore fugam capessit. Hic vero XVII.
ætatis suæ oblitus, illum pro viribus propere insequitur; atque clamans: Quid, inquit, REVOCATVR DEVIVS ADOLESCENS A IOANNE.
fili, me tuum ipsius patrem inermem & ætate confectum fugis? Miserere laboris mei, fili; ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te reddam ratio- nem; &, si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro omnibus no- bis: pro tua anima meam dabo: consiste, crede: Christus me misit ad te. Ille vbi hæc audiuerat: primum oculis humi defixis, constitit; deinde arma abiecit: tum horrore perfusus grauiter & acerbe lamentatus est: senem ad se aduentantem complectitur:
C fletu & mærore, quoad poterat, pro culpa satisfacit: et dextera sola occultata, la- crymarum vnda secundo baptizatur. Apostolus rata & constanti asseueratione, ei se a Saluatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollice- tur: atque ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tamquam aqua pœnitentiæ ablutam purgatamq. osculatus, illum ad ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro illo inuocat, continuis ieiunijs vna cum eo se macerat, varijs diuinæ sapien- tiæ sententijs eius animum, quasi quibusdam blanditijs mitigat, tranquillatque; neque prius (vt fertur) inde decessit, quàm illum ecclesiæ ministerio præfecisset. Cuius con- uersione magnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illustre denique trophæum a peccatis resurrectionis, per exteriora pœniten- tiæ signa hominibus proposuit ad imitandum. Ista a Clemente hoc modo præscripta,
D tum ad rei gestæ cognitionem, tum ad vtilitatem legentium accommodata, istum lo- cum obtineant.] hucusque Eusebius.

Ioannes Chrysostomus ad Theodorũ lapsum scribens, eiusdem adolescentis exem- XVIII.
plo eum ad meliorem frugem reuocare conatus, hæc ait: Quæ gesta sunt cum illo iu- TESTES VERITATIS HISTORIAE.
uene, qui pridem discipulus fuit Ioannis illius filij Zebedæi, deinde longo tempore ducem egit latronum; iterum a sanctis manibus beati senis interceptus, in superiorem virtutem e lustro, e spelunca latronum, penetrauit; ipse non ignoras: nosti enim non minus quàm ego. Sæpenumero te admirantem audiui referre beati viri conde- scensum, & mansuetudinem, & suauitatem illicem: quoniam prior cruentam dexte- ram exosculatus est, hærens in amplexu adolescentis, & ea via reduxit ad amissam vir- tutem.] hæc Chrysostomus, vt rem absque vlla dubitatione testatam, summatim re-
E tulit. Citat eamdem historiam Cassianus [a], & alij plures. Sed & Antiochus [b] monachus scriptor nobilis, qui claruit Zenonis Imp. temporibus, eamdem recitans, Irenæum ipsius allegat auctorem.

a Cassian. coll. lat. 24. c. 26.
b Antioch. serm. 122.

Adduntur ad hæc alia multa miranda a Ioanne peracta, vt mutatio virgarum in au- XIX.
rum, & saxorum in gemmas: sed quia sunt apocrypha, æque reijcienda putamus. Fe- DE MIRACVLIS IOANNIS.
runt & viduam necnon adolescentem defunctos ab eodem Ioanne esse reuocatos ad vitam: sed hæc ex Pseudoprochoro, vel alijs, quorum fides in omnibus non probatur. Illud vero de mortuo homine ad vitam restituto, firmũ habetur, & testimonio Apol- lonij antiquioris Theologi, quem citat Eusebius [c], comprobatur. Confirmat hoc ipsum Sozomenus [d] sic dicens: Non solum Petrus Apostolus mortuum suscitauit, sed & Ioannes Euangelista Ephesi, Philippi filiæ Hierapoli; & eadem a multis tum veteri- bus, tum nostri temporis pijs viris (*nempe ab Epiphanio inter alios*) esse gesta reperies.]

c Euseb. lib. 5. c. 17. in fine.
d Sozom. lib. 7. c. 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Plura sane eademq. magna edita esse a Ioanne miracula, cum reuersus est Ephesum, vt credamus, illud magnopere persuadet; quòd Apollonius Tyanæus, magus illorum temporum (vt dictum est) famosissimus, ei ob oculos positus erat: qui cum se exemisset e manibus Domitiani, qui eum Romæ detinuit vinctum in carcere, ab Vrbe recedens, & per Græciam se in Asiam conferens, Ephesi morabatur. Oportuit igitur, vt olim Petrum aduersus Simonem magum, sic Ioannem magna virtute in magum obniti, ne, qui credidissent, eius malis artibus in præceps adducerentur; & eo magis, cum præsertim recens esset exemplum, quo Apollonius magnam de se apud Ephesios existimationem concitauerat. Quodnam vero id fuerit, breuiter enarrare, operæpretium ducimus. A

XX. APOLLONIVS NECEM DOMITIANI NVNCIAT EPHESIIS. *a Philostratus lib. 2.*

Hoc ipso anno, quo diximus Domitianum a Stephano liberto Clementis esse necatum, idem Apollonius eiusmodi facto Ephesios in admirationem adduxit. Nam ea ipsa die & hora, qua Imperator gladio a Stephano impetebatur, Apollonio concionem habenti ad populum, in media oratione (inquit Philostratus [a]) nouum quid & incredibile occurrit. Nam concise magis quàm consueuerat, verba proferens; tandem quasi horum, quæ dicere vellet, oblitus, conticuit, toruis oculis in terram aspiciens. Tres inde aut quatuor passus e loco vbi constiterat progressus; Percute tyrannum, percute tyrannum, clamabat: non vt qui e speculo veritatis imaginem traheret, sed qui res ipsas ante se fieri videret, & auxilium afferre conaretur. Cum stuperent Ephesij, qui frequentes aderant: subsistens Apollonius, sicut facere solent, qui rem aliquam, dum fit, videntes, quo tandem euasura sit expectant: tandem, Confidite, inquit, o viri; Tyrannus namque occisus est hodie; quid autem dixi, hodie? immo potius hoc ipso temporis momento, ita me Pallas adiuuet. Cumq. illum insanire putarent Ephesij, cuperent tamen vera esse quæ diceret, sed propter periculi magnitudinem talibus verbis aures præbere metuerent: Non miror, inquit Apollonius, vos mihi non adhibere fidem, iam nunc ea narranti apud vos, quæ nondum omnes qui Romæ sunt cognouere. sed iam ecce cognoscunt.] B C

XXI. EPHESII ERGA APOLLONIVM PROPENSIORES.

Hæc vera esse, quæ ab Apollonio dicta erant, cum postmodum tabellarij cum litteris festinantes, certo firmarent; vix credi potest, ad quantam ille de se Ephesios admirationem ac pariter æstimationem adduxerit; vt tum his, tum ceteris ibidem rebus ab eo gestis, eumdem vt quempiam deorum colerent. nescientes enim, vnde hæc occulta scire Apollonio suppeditaretur, eum, proinde ac si plus quàm homo esset, plurimi faciebant; quippe qui Ephesi agens, quæ Romæ fierent, spectare oculis videretur. At hæc haud mirabitur, qui considerauerit, peculiare id fuisse magorum, vt per parhædos ipsos, quos vocant, familiares dæmones, imagines rerum quæ longe abessent, ob oculos mentis repræsentatas inspicerent. Nam, vt de multis alijs taceamus, Iulianus Apostata (quod suo loco dicturi sumus fusius) eiusmodi arte, quæ Romæ vel alibi in Occidentali Imperio agerentur, ipse, cum esset in Oriente, nosse curabat. Ceterum apud rerum ignaros magna hæc in Ecclesia Ephesina potuit esse tentatio: quamobrem ne eiusmodi Tyanæi imposturis Christiana religio dispendium aliquod pateretur, opportune his diebus reuersus Ioannes ad Ephesios, mortuum quem diximus, suscitauit, & alia complura (vt par est credere) mirabilia est operatus. D

XXII. *b Dionysius epist. 10.* DIONYSIVS MITTITVR IN GALLIAS.

Cum vero de restitutione Ioannis nuncium accepisset Dionysius Athenarum Episcopus, sicut ad eum olim exulem in insulam relegatum scripserat [b] fore, vt breui mutuo congressu inuicem iungerentur: illum mox Ephesum conuenisse, æquum est opinari. At hæc tempora Dionysium egisse in Oriente, facile omnes consentiunt: post hæc vero, fortasse Ioannis consilio, Romam ad Clementem Pontificem se contulisse, ab eodemq. vna cũ Rustico & Eleuterio in Gallias esse amandatũ, fidem faciunt, qui ex antiquioribus monumentis eius res gestas scriptis memoriæ prodiderunt. Mittendi in Gallias tam insignem totaq. Ecclesia spectatum virũ, ea fere necessitas incumbebat; quòd primi illi a Petro ad prædicandum ibidem Euangelium missi discipuli, vita functi erãt, quorum aliquos (vt dictum est) gladius sæuientis Domitiani sustulerat. Martialis enim antiquus discipulus vita functus erat. Sub eodem Domitiano pariter obijsse diem Eutropium, Lucianum, & alios, iam nuper est dictum. Quamobrem nobilissimæ Gallicanæ iam coalescenti Ecclesiæ pastoribus destitutæ, Clemens, qui alios eodem miserat, opportune consuluit, vt Dionysium in Gallias mitteret. E

XXIII. Hæc cum plurimorum auctoritate testata habeantur: qui de his dubitant, dicant, velim,

A velim, quæ ratio esse potuit, quæve causa interceserit, vt viuente adhuc Dionysio, Publius daretur Episcopus Athenienses, & post eum Quadratus? Nam cum (vt suo loco dicemus) Dionysius sub Hadriano Imp. consummarit martyrium, ad illud plane constat [a] tempus Quadratum rexisse Ecclesiam Athenienses, & ante eum Publium: quinimmo & Narcissus Domini discipulus ante hos omnes post Dionysium ab Hippolyto [b] ponitur: vt satis ex his appareat, illos, viuente adhuc Dionysio, creatos esse Athenarum Episcopos, nimirum quòd ille fuisset alio amandatus: Sed quonam? certe ad alias ciuitates vel prouincias, quàm in Galliam missum esse, nulla prorsus vel leuis memoria extat, vel coniectura. Nec existimare fas est, eum hisce temporibus, omnibus Apostolis, vno excepto Ioanne, morte sublatis, cum maxima omnium incumberet necessitas Euangelij prædicandi, suæ Ecclesiæ nuncio remisso, segnem ac otiosam vitam B sibi constituisse. Sicut igitur postea factum scimus a Polycarpo Ioannis Euangelistæ discipulo, vt ex Asia complures in Gallias (vt suo loco dicemus) ad Euangelium prædicandum, illudq. pariter propagandum missi fuerint: ita nunc putamus, persuasione Ioannis Dionysium Romam primum ad Clementem, inde eiusdem consilio in Galliam esse profectum. At de Dionysio inferius suo loco nobis fusius agendum erit.

EPISCOPI ATHENIENSES.

a Euseb. lib. 4. c. 22. & Hier. de Scrip. Eccles. in Quadrato.

b Hippol. de 72. discipulis.

IESV CHRISTI ANNVS 99.	CLEMENTIS ANNVS 7.	NERVÆ IMP. ANNVS 1.

C ANno Christi Redemptoris nonagesimonono, Nerua Augustus tertium inijt Consulatum, adsciuitq. sibi collegam Virginium Rufum, quem (inquit Dio) Romanæ legiones olim Imperatorem nominauerant, minime veritus eum vel in collegam assumere.] laudatissimus hic a Plinio [c] prædicatur, quòd Imperium recusasset a militibus oblatum, quòd eruditus & optimus ciuis esset; eiusq. obitum deplorat, vt amantissimi patris. Quomodo autem vita functus sit in hoc suo Consulatu, agens annum octogesimumtertium, idem describit; laudatumq. ait funebri oratione a Cornelio Tacito, horum temporum viro eloquentissimo. I.

c Plin. lib. 2. epist. 1.

His item temporibus, secundum ea quæ ab Athanasio & alijs testata habentur, S. Ioannes Euangelista suum Euangelium edidit. sunt enim hæc verba [d] Athanasij: Euangelium secundum Ioannem prædicatum est a Ioanne Apostolo & dilecto, cum exul esset in Patmo insula, & postea ab eodem Ephesi editum per Caium dilectum D Apostolorum hospitem; de quo Paulus ad Romanos scribens dicit: Salutat vos Caius hospes meus, & tota Ecclesia.] Fertur de eadem re sententia Hippolyti [e] Episcopi Portuensis & martyris in hæc verba: Ioannes Iacobi frater, cum in Asia verbum Dei propagaret, imperante Romæ Domitiano, in Patmum insulam est deportatus. Inde a Nerua reuocatus Ephesum, conscripto Euangelio, & patefactione quam conspexerat, vita excesit, annos natus centum & sex.] Post restitutionem itaque ab exilio, incerto tamen anno, ab eo scriptum esse Euangelium, Epiphanius [f] quoque testatur, sic dicens: Cogit sanctus Spiritus Ioannem recusantem Euangelium annunciare ob metum & humilitatem in senecta ipsius post nonaginta annos vitæ eius, post reuersionem ipsius a Patmo.] Sed quod addit: Quæ facta est sub Claudio Cæsare] memoria lapsum puto, vel in codicem mendum irrepsisse: nam haud facile probari poE test, quòd Ioannes sub Claudio nonagenarius saltem ætate fuerit. Consentit Irenæus [g], scriptum fuisse Ephesi a Ioanne Euangelium; licet quo tempore id acciderit, minime dicat. In eamdem sententiam complures alij tum Græcorum, tum etiam Latinorum abiere. II.

d Athanas. in Synopsi. EVANGELIVM IOANNIS EDITVM.

e Recitat Cedren. in Nerua.

f Epiph. hæres 51.

g Iren. lib. 3. c. 1. & Euseb. lib. 5. c. 8.

Dixerunt alij [h] conscriptum ab eo fuisse Euangelium in insula Patmo, editum vero Ephesi. Addit autem qui hæc scribit Metaphrastes, tonitrua, fulgura, atque terrores complures esse factos, cum Ioannes opus aggressurus esset, perinde ac olim acciderat, cum Moyses in vertice Sina montis legem accepisset; sic dicens: Cum solutus lege exilij Ephesum esset reuersurus, insulani precibus agunt, ne recedat: quod cum persuadere non possent, secundæ faciunt petitionis initium; ne scilicet totum se ipsum auferret, sed se ipsum loquentem assiduo suis scriptis relinqueret; vtq. Christi Euangelium, & ea quæ ipse viderat de Christo, scriberet. Annuit ille; & III.

h Metaphras. apud Lip. to. 1. Doroth. in Synopsi. SIGNA DIVINITVS OSTENSA.

Universidad de Deusto
Biblioteca

antequam opus aggrederetur, tum ſibi, tum alijs indixit ieiunium: et Prochorum ſequi iubet, ac cum eo montis aſcendit verticem, & more Samuelis rectus erigitur, & ſicut Moyſes manibus eleuatis effiguratur, & mentem a ſenſibus abſtrahit. Tuncq. horrenda tonitrua, terrores, & fulgura his ſimilia, quæ antea Moyſi legem recipienti contigerant, facta ſunt. Ad extremum tonitrua in vocem exprimuntur, atque reſonat: In principio erat Verbum.] A

IV. At non putet quis hæc contemnenda, quòd ab auctore haud admodum antiquo, cuius interdum fides vacillet, tradita habeantur; vel quòd apud Pſeudoprochorum hæc fere eadem ſcripta ſint [a]. Nam vt primum ratione aganus: ſi ex ſententia Pauli [b] miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Quamobrem hæc haud adeo incredibilia videri debent, etiam ſi ſcripta habeantur in apocryphis: in eis enim multa vera interdum ineſſe admixta, neminem exiſtimamus negaturum. At vero non ex apocrypho aliquo, quæ ipſe ſcribit, ſibi vendicat S. Hieronymus [c]; ſed ex antiqua veraq. hiſtoria, quam citat, ab alijs fuſius explicata, ſic ſummatim recenſet: Coactus eſt ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius ſcribere; & ad ipſum (vt ita dicam) Dei Verbum non tam audaci, quàm felici temeritate prorumpere. Vnde & Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, cum a fratribus cogeretur vt ſcriberet, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto ieiunio, in commune omnes Deum deprecarentur. Quo expleto, reuelatione ſaturatus, illud prooemium e cælo veniens eructauit: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.] hucuſque Hieronymus; ex quibus quæ ſunt dicta, ex parte firmantur. Ceterum norunt omnes qui in eius ſcriptis verſati ſunt, ipſum præ ceteris apocrypha auerſari ſolitum, nec adeo facile abſque delectu, inconſulto palato, rancida vel inſipida deglutire. Quòd inſuper idem Ioannes a Domino dictus ſit filius tonitrui: Epiphanius [d] id cauſa Euangelij dictum putat, cum de Ioannis Euangelio hæc ait: Ioannes re vera tonitrui filius per propriam ſuam grandiloquentiam, velut ex quibuſdam nubibus, a ſapientiæ ænigmatibus piam nobis de Filio intelligentiam iuxta ſimilem modum perſuaſit.] Sed idem eſt, nominatum eſſe filium tonitrui, quod fulmen: ſicut apud Hieremiam [e], vſitata Hebræorum phraſi, filiæ pharetræ, ſagittæ dicuntur. B C

a Prochor. c. 36. *b 2. Cor. 3.* *c Hier. in præf. in Euang. Mat.* CONFIRMATIO DICTORVM. *d Epiph. hæreſ. 73.* *e Thren. 3.*

V. Quod vero ad cauſam ſpectat, qua Ioannes permotus, eiuſmodi ſcribendi Euangelium ſubierit prouinciam: præter illam de Patmos inſulæ habitatoribus nuper aſſertam, idem Hieronymus [f] duplicem affert, ſic dicens: Nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cherinthum, alioſq. hæreticos, & maxime tum Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: vnde & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam cauſam huius ſcripturæ ferunt: quòd, cum legiſſet Matthæi, Marci, & Lucæ volumina; probauerit quidem textum hiſtoriæ, & vera eos dixiſſe firmauerit; ſed vnius tantum anni, in quo & paſſus eſt poſt carcerem Ioannis, hiſtoriam texuiſſe. Prætermiſſo itaque anno, cuius acta a tribus expoſita fuerant, ſuperioris temporis; antequam Ioannes clauderetur in carcerem, geſta narrauit; ſicut manifeſtum eſſe poteſt his qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint.] hæc ipſe. Porro illam potiſſimam fuiſſe cauſam, vt hæreticos, qui Chriſti diuinitatem omnino negaſſent, ſcripto Euangelio confutaret, Irenæus [g], Epiphanius [h], & alij omnes affirmant. D E

CAVSA SCRIBENDI EVANGELIVM. *f Hier. de Script. Eccleſ. in Ioan. c. 9.* *g Iren. lib. 3. c. 11.* *h Epiph. hæreſ. 51.*

VI. Scriptum vero fuiſſe ab eo Euangelium Græce, omnes conſentiunt: tranſlatum autem antiquitus in Hebraicum, & Tiberiade in gazophylacio Iudæorum aſſeruatum temporibus ſuis, auctor eſt Epiphanius [i]: ac illud fortaſſe intelligit Papias, Euangelium ſecundum Hebræos nuncupatum: nam de Papia hæc habet Euſebius [k]: Aliam porro narrat hiſtoriam de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum eſſet inſimulata: quam quidem Euangelium ſecundum Hebræos complectitur.] niſi intelligere velimus de Euangelio Matthæi, quo Nazaræi vtebantur. Illud enim ſecundum Hebræos nominare conſueuit Epiphanius, & Hieronymus, qui illud in Latinum conuertit, in quo tunc ineſſet eiuſmodi hiſtoria, quam putamus fuiſſe diuerſam ab ea quæ narratur a Ioanne [l] de muliere a Phariſæis rea adulterij

IOAN. EVANGELIVM GRAECE SCRIPTVM. *i Epiph. hæreſ. 30.* *k Euſeb. lib. 3. in fine.* *l Ioan. 8.*

A rij conſtituta. Nam cum Papias multorum criminum dicat illam feminam accuſatam; Ioannes vero habeat vnius tantum facinoris, nempe quòd deprehenſa eſſet in adulterio, inſimulatam: plane diuerſam ab illa fuiſſe, cuius nulla eſſet mentio apud Euangeliſtas, ſignificare videtur. Quòd ſi vnam eamdemq. fuiſſe mulierem dicere magis placet; tunc illud affirmare neceſſe eſt, per Euangelium ſecundum Hebræos, ea ratione quam diximus, Euangelium Ioannis Papiam intellexiſſe.

VII. SVIS EPISTOLIS IOANNES BASILIDEM CONFVTAT. At ſicut idem Ioannes, ſcripto Euangelio, Cherinthum, Ebionem, & alios Chriſti diuinitatem negantes hæreticos viſus eſt confutare voluiſſe; ita etiam duabus prioribus, quas ſcripſit, epiſtolis, aduerſus Baſilidem [a] & alios Chriſti carnem negantes, eam certo teſtimonio adſignatam & egregie teſtatam voluit reliquiſſe. Baſilidem igitur, & gregales eius, dicentes Chriſtum non vere carnem aſſumpſiſſe, ſed per phantaſiam apB paruiſſe, ſicq. nec vere eſſe crucifixum, ſed omnia in imagine facta, neganteſq. [b] Chriſti cauſa eſſe ſubeundum martyrium, ijſdem Ioannes ſugillat epiſtolis: vt in primis cum ipſo exordio primæ epiſtolæ aduerſus eos eiuſmodi fortiſſimum teſtimonium ponit [c]: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, &c.] ac demum: Omnis ſpiritus, qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: et omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt; hic Antichriſtus eſt, de quo audiſtis, quoniam venit; & nunc iam in mundo eſt.] ac rurſum in ſecunda epiſtola eodem argumento, ſed breuius ſcripta: Multi, inquit, ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & Antichriſtus.] Et quod ad martyrium ſpectat, aduerſus venenum illorum dogC matum eiuſmodi propinat antidotum, dicens [d]: Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei; Deus in eo manet, & ipſe in Deo.] ac rurſum [e]: Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis.]

a Epiph. hær. 24. *b Ibidem.* *c 1. Ioan. 1. & epiſt. 4.* *d 1. Ioan. 4.* *e 1. Ioan. 5.*

VIII. DE IOANNIS EPISTOLIS. Sed quod pertinet ad fidem trium Ioannis epiſtolarum: primam quidem vt Ioannis germanam ab omnibus receptam eſſe, S. Hieronymus [f] tradit: reliquas duas, quòd in inſcriptione vtriuſque ponatur Ioannes Senior, alterius Ioannis, quem Seniorem eſſe dictum teſtatur Papias [g], fuiſſe, nonnullos exiſtimaſſe, idem affirmat; eadem & Origenes [h]. Ceterum quid de his ipſe ſenſerit, ad Euagrium [i] ſcribens, hiſce verbis ingenue profitetur: Clangit tuba filius tonitrui, quem Ieſus amauit plurimum, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: Presbyter electæ Dominæ, & filijs eius, quos diligo in veritate. Et in alia epiſtola: Presbyter Caio cariſſimo, quem diliD go in veritate.] Hæc Hieronymus inculcat, cum de Epiſcopi & Presbyteri nominibus agit, de quibus nos ſuperius. Oſtendit enim Presbyteri nomen commune fuiſſe Epiſcopis, atque adeo ipſis Apoſtolis; idq. non tantum ex citatis Ioannis epiſtolis, ſed & Petri dicentis [k]: Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum.] Certe quidem ſi quando ex facierum ſimilitudine filios eodem parente genitos licuit iudicare; tres illas epiſtolas verbis, ſententijs, ſtylo, charactere vnam eamdemq. præſeferentes imaginem, ab vno eodemq. auctore eſſe conſcriptas, quiuis facile poterit intelligere.

f Hieronym. de Script. Eccleſ. in Ioan. *g Apud Euſeb. lib. 3. c. vlt.* *h Apud Euſeb. lib. 9. c. 19.* *i Hier. epiſt. 85.* *k 1. Petr. 5.*

IX. DE FIDE EPISTOLARVM IOANNIS. In primis enim quod ad verba atque ſententias ſpectat, in multis id contigit demonſtrari: vt cum ait [l] in prima: Non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus.] in ſecunda item: Non tamquam mandatum nouum ſcribens vobis, ſed quod haE buimus ab initio.] Rurſum in prima [m]: Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.] et in ſecunda eamdem plane his verbis ſententiam reddit: Qui recedit & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina Chriſti, hic & Patrem & Filiũ habet.] Quod item in prima [n]: Omnis qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit.] in tertia idem his verbis: Qui bene facit, ex Deo eſt: et qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit.] Et quod in [o] prima habet: Vt diligamus opere & veritate.] eadem in ſecunda & tertia de diligendo in veritate frequenter inculcat. Dum item in prima hæc habet [p]: Multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: et omnis qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt; & hic Antichriſtus eſt.] In ſecunda ijſdem pene verbis eamdem reddens ſententiam, ait: Multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Ieſum veniſſe in carne: hic

l 1. Ioan. 2. *m Ibidem.* *n 1. Ioan. 3.* *o Ibidem.* *p 1. Ioan. 4.*

eſt ſedu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

est seductor, & Antichristus.] Rursum in prima: Hæc est charitas, vt mandata eius custodiamus.] et in secunda: Hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandata eius.] At quæ frequens in tribus illis epistolis facta est charitatis, dilectionis, veritatis inculcatio, plane declarat in duabus illis epistolis eamdem, quæ in prima, genuinam elucere, atque perspicue conspici Ioannis imaginem. A

X. DE TITVLO PRIMAE EPISTOLAE,

Sed & eiusdem eas esse partus Ioannis, qui Euangelium scripsit, maiores qui canonicorum librorum contexuere catalogũ, tam Græci, quàm Latini, æque consentiunt omnes, dum tres numerarunt semper Ioannis Apostoli & Euangelistæ epistolas: vt de his dubitare, summæ videatur esse stultitiæ. Verum quòd primæ epistolæ nullus inscriptus sit titulus; non ita factum putamus, vt ea sic absque alia inscriptione eius qui scripsit, & ad quos data sit, vt se habet, fuerit exarata: sed potius existimamus eius titulum excidisse; quippe quæ a maioribus eo titulo consignata reperitur, vt sic ab eis citaretur: B Ioannes ad Parthos. Quomodo enim scissent eam ad Parthos datã esse; nisi titulus eum qui dedit, & ad quos fuerit data, monstrasset? Apud Higinum [a] enim & Augustinum [b] eo titulo ea citata epistola habetur. Cum autem apud Parthos Ioannes prædicauerit Euangelium, ad eosdem eam ipse epistolam scripsisse putatur. Hæc iam satis de Ioannis epistolis. Quando autem ex humanis desierit, suo loco dicturi sumus.

a Higin. epist. 1.
b Aug. lib. quæst. noui test. q. 39.

XI. DE OBITV APOLLONII TYANAEI.

Hoc eodẽ anno impostor ille Apollonius Tyanæus, de quo sæpe antea mentio a nobis facta est, qui magicis artibus vniuersi Orbis oculos in se conuerterat, honesta capta occasione mittendi legationem ad Neruam Imp. quo exule familiariter vsus erat, discipulum Damidem, quem conscium ac testem haberet suarum actionum, à se ablegans, ne vltimi sui finis testis esset, occultam oppetens mortem (quo immortalis crederetur in cælum esse translatus) incerto exitu clausit diem extremum. Sed hæc his verbis Philostratus [c] ex Damide: Vt igitur a se Damidem amoueret, & ne coram testibus moreretur, occasionem epistolæ meditatus est, qua illum Romam mitteret ad Neruam Imperatorem: et Damis quidem cum ab eo discederet, vehementer se turbatum dicit, quamuis futurorum esset ignarus. Apollonius autem quamuis optime sciret quid euenturum esset, nihil tamen abeunti dixit, quale dicere solent, qui se numquam amplius mutuo sint visuri: adeo persuadendi cupidus erat, se semper esse victurum. Discedentem autem his verbis admonuit: O Damis, quamquam satis in te ipso habeas philosophiæ: me tamen respice. Et de Apollonio quidem Tyanæo hactenus ab Assyrio Damide scriptum est. De mortis autem genere, si modo mortuus est, nihil est a Damide scriptum. Sermones autem multi varijq. circumferuntur.] hæc Philostratus Apollonij studiosissimus: qui & varias de eius interitu subdit opiniones vulgo iactatas: quas cum nec ipse D certa assertione confirmet; merito, vt inanes ac plane ridiculas, prætermittimus. C

c Philost. lib. 8.

XII. *d Lucian. in Alexandro.* MALVS EXITVS TYANAEI.

Verũ nonnisi malo exitu eum vita functum esse, perfacile conijci potest ex [d] Luciano, dum vitam Apollonij, tragœdiam appellat, &: cum de alio mago Tyanæi discipulo, Erat, inquit, ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyanæo illo versati erant, totamq. illius tragœdiam pernouerant. Vides quanam e schola tibi hominem refero.] hæc Lucianus, vt de re omnibus nota, & amicum alloquens, qui ea omnia optime nosset. Idemq. dum agit de discipulis Apollonij, qui imposturis, incantationibus, magijsque, & alijs malis artibus operam dabant, ijsdemq. vita turpissimis, & amore puerorum infamissimis; qualis eorum magister fuerit, facili coniectura poterimus assequi. Eant igitur impij, qui eo impudentiæ peruenere atque blasphemiæ, vt non erubuerint Christum Dominum Redemptorem nostrum cum Tyanæo conferre: nam etsi E non aliunde, certo ex fructibus vtriusque (quo nihil est naturalius) qualis vterque fuerit, perspicue cognosci potuerit. Sed de his alias.

XIII. *e Dio in Nerua.* TRAIANVS ADOPTATVS A NERVA.

Eodem anno, ijsdemq. Coss. Nerua Imperator [e] cum se iam senio fatiscentem, & continuis morbis in dies magis magisq. langueścentem, ac deficientem viribus conspexisset, consulturus Romano Imperio, nulla habita ratione sibi sanguine coniunctorum, quem putauit virum frugi dignumq. ad habenas Imperij moderandas, M. Vlpium Traianum, Hispanum hominem, agentem tunc in Germania cum exercitu, adoptauit in filium, ac Cæsarem nominauit. hæc cum Dio, tum Plinius pluribus prosecutus est ea oratione,, quam pro gratiarum actione habuit in suo Consulatu. sed nos de eodem plura inferius.

IESV

A

IESV CHRISTI ANNVS 100. CLEMENTIS ANNVS 8. NERVAE IMP. ANNVS 2.

CEnteſimo iam adueniente Chriſti anno, Nerua Aug. quartum & Traiano Cæſare ſecundum Coſſ. idem Nerua Imp. ſexto Kal. Februarij morbo conſumptus [a], ætatis annos ſexagintaquinque, menſes decem, & dies totidem agens, cum imperaſſet annum vnum, menſes quatuor, ac dies nouem, vita functus eſt, ſucceſſitq. Traianus. At hic finis eſto Annalium tomi primi: auſpicaturis ſecundum ab anno primo eiuſdem Imperatoris: vt idem annus centeſimus finis ſit primi Annalium tomi, & ſecundi B principium.

OBITVS NERVAE.

a Die in Nerua

C

EMenſo igitur primi ſæculi quaſi laborioſo vaſti maris itinere, opportunam ſtationem iam nacta, contrahens vela oratio conquieſcat: ita tamen, vt non otioſa conſiſtat; ſed his, quorum auſpicio e portu ſoluit, eorumdemq. ope altum pelagus enauigauit, gratias immenſas agat, eaſdemq. iugiter repetat; ipſi nimirum Deo Patri, auctori omnium bonorum, ac Filio, humani generis Redemptori, ſimulq. donorum omnium largitori Spiritui ſancto, necnon & ſanctiſſimæ Virgini Dei genitrici Mariæ, vt conciliatrici diuini Numinis: ipſi namque ſicut hæc omnia noſtra accepta ferimus, ita pariter & offerimus; vt ipſa eadem, qualiacumque ſint, dilecto Filio ſuo porrigat, vt impartita benedictione ſanctificet, illamq. pro munere gratiam poſcat, vt ipſe ſit nobis portio in terra viuentium. Amen.

ANNALIVM TOMI PRIMI

FINIS.

INDEX

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX IN TOMVM PRIMVM ANNALIVM ECCLESIASTICORVM.

A

A, pro I, vsi Syri. 115.e
Aaron benedixit populum extendens manum. 213.b
Aaron vxorem de tribu Iuda Elizabeth accepit. 12.c
Aaronis virga vbi posita esset in tabernaculo. 25.b
Aaronis virga magorum virgas deuorauit, quid mystice. in præf. pag. 2.
Abagarus, siue Augarus, vel Agabarus Rex Edessæ Syriæ ciuitatis. 104.d
Abagarus pictorem misit, vt Christi imaginem exprimeret. 105.d
Abagari & Iesu epistolarum fides, & sententia Gelasii. 105.b
Abagarus Thaddæum accersit, & ab eo curatur. 310.e
Abagari, & Thaddæi collocutio. 311.c.d.e
Abbas Dionysius cognomento Exiguus canones Apostolicos in Latinum vertit. 385.e
Abdiæ Babylonij nomine Vitæ Apostolorum. 326.d
Abdiæ nomine liber reiectus. 394.e
Abiæ vices quota. 26.e
Abilina prouincia. 86.d
Abila ciuitas. 86.d
Abilius post Anianum Episcopus Alexandrinus. 724.e
Ablutio pedum quando facta a Domino. 151.e
Ablutio pedum ante conuiuium Iudæis & Romanis solita. 152.a
Abominatio desolationis a Domino prædicta quid. 661.b. 662.e. arguuntur de ea errores complures.
Abominatio cur exercitus Romanorum. 663.a
Abraham decimas sacerdoti persoluit. 471.d
Abraham amicus Dei dictus, & non dissoluetur, epitheto vocatus. 45.b
Abraham Cariatharbæ habitauit. 26.e
Abrahæ tres Angeli vbi visi. 27.b
Abraham ex Cætura filij Iexan & Madian. 51.d
Abraham ex Cætura & Agar filios heredes cum Isaac non instituit. 51.e
Abraham donatos filios Cæturæ dimisit. 51.e
Abraham quinque Reges, id est, dominos oppidorum debellauit. 53.c
Abraham in quo monte filium immolare iussus. 175.c
Abraham vxorem sororem nominans non est mentitus. 15.b
Abrasio capitis diuersi generis, sed omnis in contumeliam. 571.e
Abrasio capitis lugentis symbolum. 574.a
Abstemium fuisse Paulum vnde probetur. 570.c
Abstinere a sanguine fuisse olim in Ecclesia receptum. 384.e
Abstinere a sanguine cur & Gentiles iussi sint. 385.b
Abstinere a sanguine præcipitur in Can. Apost. 384.e
Abstinere Christianos a sanguine, Ecclesiæ Occidentalis consensu antiquatum est. 385.c
Abstinentia a sanguine quid significaret. 384.e. 385.a
Absolutio peccatorum per sacerdotem. 437.c
Absolutio a Deo, non ab homine. 444.a
Abusio differendi in annum sumptionem Eucharistiæ. 500.c
Accensio lucernarum Aegyptiorum solemnitas. 551.d
Acceptabilis annus qui. 111.
Accubitus Tobiæ. 151.
Accumbere per contubernia. 125.
Accumbere Iudæos more Romanorum. 151.
Accumbere cum veste cœnatoria. 152.e
Acetum fasciculo hyssopi conditum sistendi sanguinis vim habere. 179.e
Acetum solitum propinari cruci affixis ad quid. 179.d
Acetum propinari solitum ad accelerandam mortem, commentum est. ibid.
Aceto sumpto Dominus expirauit, cur. 180.c
Achaia proconsularis prouincia facta. 421.d
Achaiæ Proconsul Gallio frater Senecæ. 421.d
Acheldema ager sanguinis. 163.e. 164.
Achiabus Herodem se ipsum interfecturum cohibuit. 68.e
Achibas doctor Pharisæus. 4.d
Achior Amanitis. 13.d
Acilij Glabrionis mors. 730.d
Acme a Cæsare occiditur propter quid. 67.a
Acolythi quot olim in Romana Ecclesia. 338.b
Acolythorum ordinem prætermittit Ignatius. 337.d. 338.a
Acolythorum officium. 338.b
Acta Iesu a nece Ioannis. 125.c
Acrates a Nerone missus ad expilanda Asiæ templa. 652.e
Acta Pilati conficta a Maximino Imperatore. 83.c. eaque duplicis generis. ibid.
Acta Pilati falsitatis manifeste arguuntur. 83.c
Acta Pilati descripta Romæ asseruabantur. 216.e
Acta Apostolorum nascentis Ecclesiæ infantiam texunt. 218.e
Acta Apostolorum quo anno absoluta. 623.d
de Actibus Apostolorum libri apocryphi. 218.e
Acta SS. Samonis, & Guriæ. 105.d
Acta diuersorum Apostolorum. 326.a
Acta Bedæ a Basilio scripta. 366.e
Acta Barnabæ scripta nomine Marci. 394.c
Acta Barnabæ de cœnaculo Domini. 219.a
Acta Theclæ & Pauli apocrypha. 363.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Acta passionis Theclæ an apocrypha. 363. d.e
Acta Petri a Lino conscripta non sincera. 665. e
666. a
Acta Andreæ corrupta. 218. e
Actorum Apostolorum nomen. 221. e
Actorum locus cap. x. elucidatus.
Actiaca pugna 40. ante annos, quàm describeretur Orbis ab Augusto. 28. c
Actiaca victoria quando contigit. 35. b
Actiaca pugna victus Antonius. 36. a
Adam sepultum esse in Hebron, de quo intelligendum. 176. e
Adam formatus eo ipso die, quo contigit incarnatio Verbi. 26. c
Adam maximus quis. 176. e
Adæ corpus ibi sepultus, vbi crucifixus est Christus. 175. c
Adam in Golgotha sepultus. 175. d
Adam primus non fuit sepultus in Hebron. 175. d
Adam vnus e numero gigantum. 176. e
Adamas Berenices pretiosissimus. 586. e
Adagium, Camelus per foramen acus, quomodo intelligendum. 137.
Adagium, Non est adire Corinthum cuiuis integrum. 460. c
Ader turris distans mille passus a Bethlehem. 48. a
Adiabenici. 264. c
Adiurare Christianis licitum. 432. a
Adiuratio dæmonum. 431. e
Adiurationis probati ritus adhiberi possunt. 432. b.c
Ado Episcopus Viennæ. 290. b
Adolescens deuius a Ioanne reducitur. 747. b
Adonidi vulnerato spongia admota videtur. 180. b
Adonidi & Veneri templum ab Hadriano erectum ad abolendam præsepis memoriam. 44. e
Adoptionis Christi generationes. 11. d
Aduentus Pauli Romam tempus. 591. d.e
Aduentus Vitellij Hierosolymam. 268. d
Aduentus Filij Dei Iudæis & Gentilibus prænunciatus. 7. d.e
Aduentus Christi præsagia Augusto tributa. 10. d
Aduentu Christi tantum defecerat sceptrum Iudæ. 3. d
Aduentus Christi opportunum tempus. 2. c
Aduenæ dispersionis Hebræi qui dicerentur. 250. c
Aedes Dianæ argenteæ Ephesi quæ. 506. d
Aedes Minervæ in fano Apollinis quæ dicantur. 507. d.e
Aedes plurimæ diis dicatæ. 47. b
Aegyptum Simon Petrus petit. 325. d
Aegypti Prætor Flaccus. 278.
Aegyptij abstinent ab esu ouium. 302. c
Aegyptij suarum superstitionum tenacissimi. 636. c
Aegyptiorum Orthodoxorum opinio de die natalis Christi. 40. e
Aegypti simulacra prostrata aduentu Christi. 58. a.b
Aegyptus illustrata aduentu Christi. 58. a
Aegypti desertus illustratur transitu Domini. 58. e
Aegyptus fons idololatriæ. 58. d
Aegyptij sacerdotes in crucem acti. 82. c
Aegyptij detestantur pastores ouium. 302. c
Aegyptij ouem, bircum, & bouem mactari non patiebantur, & cur 302. c
Aegyptij sexta Ianuarij aquam hauriunt, & reponunt. 95. e
Aegyptiorum opinio de tempore Christi nati. 40. e
Aegyptij volunt Christum natum, & baptizatum eodem die. 40. e
Aegyptiorum sacerdotum immane scelus aduersus Paulinam. 82. c
Aegyptij Christum, quando natum dicerent. 34. b
Aegyptiorum mos eadauerum condiendorum. 195. a
Aegyptij monachi manibus laborabant. 410. b
Aegyptij sacerdotes iudices erant. 457. c
Aegyptij mundabant se aqua, antequam templa adirent. 483. a
Aegyptij suarum superstitionum tenacissimi. 636. d
Aegyptius vatem se simulans Iudæos seducit. 544. b
Aegyptij frequentes lucernas accendere soliti. 551. d
Aegyptij monachi a S. Marco instituti. 633. e
Aegyptios antiquo odio fuisse in Iudæos. 636. c
Aelianus Vrbis Præfectus Apollonio familiariter vsus. 726. c
Aeliæ Episcopus honoratus. 271. d
P. Aelius Asiæ administrator. 509. e
Aelius Seianus Seij Strabonis filius. 83. a
Aemulatio diaboli in Simone mago. 258. d
Aeneæ sepulchra multis in locis monstrantur. 428. e
Aeneas paralyticus sanatus a Petro. 283. d
Aeneatores & tibicines adhibiti in funere nobilium apud Græcos & Latinos. 110. d
Aennon idem quod Aenan. 99. d
Aennon pro Salem iuxta Sichem. 99. b
Aequinoctium obseruatum in Paschate, & Azymis. 148. a
Aera numeri nota, quando & vbi ab ea cœpti anni numerari. 32. c
Aerius Episcopis infensus, & cur. 522. e
Aerius hæresiarcha. 522. e
Aerius festorum dierum impugnator. 522. e
Aerium Hieronymus impugnat. 522. e
Aerianismum hæretici Hieronymo falso impingunt. 522. e
Aeschines quid Demosthenem obiecerit. 506. d
Aestimatio Petri summa apud omnes. 393. b
Aestimatio sacerdotalis quanta apud omnes gentes. 457. c
Aetas Christi cum baptizatur. 306. e
Aetas Christi de sententia sanctorũ Patrum. 185. d. 186. a.b.c.d
Aetas Herodis. 66. b
Aetas Ioseph. 75. e
Aetas Pauli post conuersionem. 262. a. & ante conuersionem. 262. d.e
Aetas multorum longæua. 715. c
Aetas Augusti. 77. e
Aethicus de geometrica descriptione nominatus ab auctore. 33. b
Aethiopas ab Aegyptijs, id est, a Iudæis, qui Aegyptum habitabant, circumcisionem didicisse. 259. e
Aethiopas doctos colere Deum immortalem, ac rursus alterum mortalem. 259. e
in Aethiopia feminas regnare consueuisse. 260. a
Aethiopiæ Reginæ Candaces appellatæ. 260. a
Aethiopia præueniet manus eius Deo, quando impletum. 260. b
Aethiopiæ sacerdotes Reip. imperabant. 457. c
Aethiopiæ Erythra. 260. d
Aethiopum religio. 259. e
Aetnæ montis eruptio admiranda. 720. a
Affinium Regis vestis qualis. 160. a
Africanus Theologus. 12. c
Africam Simon Petrus petit. 325. d
Africana Ecclesia a Petro erecta. 325. c
Africani ab Apostolis Euangelium acceperunt. 325. c
Africanos a Romana Ecclesia Euangelium habuisse profitetur Augustinus. 325. c

Afri

Afri monachos attonsos deridebant. 574. e
Africanæ Ecclesiæ ritus in psallendo. 611. e
Agabus Paulum vincula Hierosolymis passurum prophetat. 567. d
Agabus famem sub Claudio Imperatore futuram prædicit. 332. e
Agape Christianorum quid. 491. e
Agape funeralis. 494. a.b.c.d
Agapes in dedicationibus ecclesiarum. 494. e
Agapes quando exhiberi solitæ. 494. e
Agapes in ecclesiis exhiberi solitæ. 494. c
Agapes Concilio Gangrensi probatæ. 495. a
Agapes diuidendi ratio. 494. b
Agapes extra ecclesiam faciendæ. 495. c
Agapes quomodo Gregorius Anglis concessit. 495. c
Agapeti Papæ litteræ. 316. a
S. Agathæ ecclesia ab Arianis vendicata. 252. a
Ager siguli qui. 144. b.
emptus ad sepulturam peregrinorum. ibid.
quanti constiterit, ampla disputatio. ibid.
Agis Delphos profectus decimas Deo soluit. 447. a
Agnus innocentissimus Christus ipso Paschatis die immolatus in cruce. 151. b
Agnus Dei origo & miracula. 651. a
Agni Paschalis comedendi a stantibus vsus intermissus. 153. b
Agnorum esus Thebanis interdictus. 302. c
Agnorum nomine Gentiles designantur. 285. e
Agon Capitolinus quot annos contineret. 725. a
Agonalis annus. 725. a
Agri Hieremiæ pretium. 145. c
Agricolæ Consulis obitus. 742. d
Agrippa Aristobuli filius ex Mariamne. 3. c
M. Agrippa tam Syriæ, quàm toti Orienti præfectus. 29. b. 235. d
Agrippa primus nomine Romano apud Hebræos vocatus. 265. d
Agrippæ Iudæi carcer. 267. d
Agrippa a Tiberio vinculis mancipatus. 368. c
Agrippa, mortuo Tiberio, regnum Iudæorum consecutus est. 367. e
Agrippa Herodem Tetrarcham apud Tiberium iudicio postulat. 267. c
Agrippæ Regis in Iudæam reditus. 377. d
Agrippa Rex ab Alexandrinis ludibrio habitus. 278. c
Agrippa catenam auream suspendit in templo. 307. b
Agrippæ reditus Hierosolymam honoribus augetur. 307. b
Agrippa cognomento Herodes occidit Iacobum fratrem Ioannis. 312. d
Agrippa accepit a Claudio regnum, & ius in sacerdotium. 313. b
Agrippa Petrum magna diligentia custodit in carcere, & cur. 313. b
Agrippa Tyrijs & Sidonijs iratus, & cur. 315. b
Agrippæ ad Caium libellus supplex. 297. b
Agrippæ filius Romæ apud Claudium educatur. 360. d
Agrippæ filius Iudæis pontificiæ stolæ custodiam retinendam impetrat. 376. a
Agrippæ filius in regno Herodis patrui sui Rex constituitur a Claudio. 377. d
Agrippa Berenices contubernio infamatur. 586. d
Agrippa summum sacerdotium Ismaeli Phabæi filio contulit. 544. d
Agrippa Iosepho Cabi pontificium detulit. 587. d
Agrippæ & sacerdotum dissensio. 587. c
Agrippa Iosepho abrogato Ananum Pontificem substituit. 625. c
Agrippa Hierosolymis pellitur. 659. d
Agrippa ad seditiosos coercendos ter mille equites Hierosolymam mittit. 659. e
Agrippæ regiam seditiosi inuadunt. 659. e
Agrippæ non successit alius Rex Iudæorum. 660. e
Agrippa post excidium Hierosolymitanum superstes. 703. e
Agrippæ Iudæi carcer. 267. d
Agrippa Roma discedendi facultatem petit. 277. d
Agrippa Romam aduenit iterum Caium salutaturus. 296. c
Agrippæ filiæ ignominia affectæ. 360. b
Agrippæ sensus deficit. 296. d
Agrippæ dolor pro ritibus patrijs conseruandis. 297. a
Agrippa religione abstinet a Petri nece. 313. b
Agrippa tertium murum adiungit Hierosolymis. 313. e
Agrippa filius Aristobuli accusator Herodis. 85. b
Agrippæ vexatio in Apostolos. 317. a
Agrippæ Regis mores. 360. b
Agrippæ Regis interitus. 359. e
Agrippa Rex a Nerone donatus quatuor ciuitatibus. 445. b
Agrippa Præses Syriæ. 29. b
Agrippinæ filius Nero Imperator. 445. b
Agrippina Claudij Imp. vxor. 379. c
Agrippina venenum Claudio propinat. 445. b
Agrippina Colonia. 411. c.d
Agrippina Augusta. 411. a
Agrippina Claudij vxor pro Iudæis. 379. b
Agrippina Neronis mater. 445. c
Agrippinæ dolo Sillanus interemptus. 509. e
Agrippina iussu Neronis interempta. 624. c
Alabarchæ functio quæ. 376. d.e
Alabarchæ statua Romæ. 376. d
Alabastritem lapidem ad vasa vnguentaria excauari. 121. c
Alabastrum vaguenti, regale donum. 121. c
Alabastrum vnguenti capiens libram vnam. 121. c
Alabastrum vas sic appellatum propter fragilitatem. 121. e
Alba vestis annulo ornata. 165. c
Alba veste induitur Christus ab Herode. 165. e
Albinus Præfectus iudex. 584. d
Albinus iudex. 637. c
Aldelmus libros de Virginitate metro scripsit. 366. b
Alexander pater Tiberij gradus in templo fecit. 74. e
Alexander filius Herodis. 60. c. 619. c
Alexander Tiberij pater portas templi ornauit. 226. d
Alexander omnium Iudæorum ditissimus, & maxime pius. 229. c
Alexander Lysimachus Alabarcha cognomento dictus. 229. e
Alexander & Hymenæus satanæ traditi a Paulo. 449. c
Alexander tumultum Ephesinum sedat. 508. d.e
Alexander Imp. adiudicat locum ecclesiæ ædificandæ. 481. a
Alexandria quando debellata. 35. b
Alexandria vertex omnium ciuitatum appellata. 636. e
Alexandrina præfectura Augustalis dicta. 271. b
Alexandrina Ecclesia, & sedes. 274. c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Alexandrina Ecclesia cur primum locum post Romanam obtinuit. 358.a
Alexandrina naui vsus Paulus. 591.c
Alexandrinæ naues quæ. 592.a
Alexandrina Ecclesia a Marco optime instituta. 633.c
Alexandrina Ecclesia collecta ex Iudæis. 636.d
Alexandrini in Agrippam Regem inuidia commoti. 276.a
Alexandrini tumultus sedati. 306.a
Alexander Iudæus patriæ religionis desertor. 686.d
Alexander ex Iudæo Gentilis Vespasiano fauet. 229.c
Alexander & Ioannes, qui interfuerunt Concilio inter Apostolos habito, qui. 229.d
Alexander & Hymenæus in errorem lapsi cur. 511.d
Alexander Imp. vt deus coli voluit. 654.e
Alexander Imp. in schola Apollonij versatus. 637.a
Alexandria quondam Orbis theatrum. b id.
Alexandriæ habitabant decies centena millia Iudæorum. 279.a
Alexandriæ quinquaginta millia Iudæorum occisa. 660.c
Alexandrina Ecclesia præfertur Antiochenæ. 271.c
Alexandri Alabarchæ statua Romæ. 376.d
Alexandri Imp. rescripta pro Ecclesia Christianorum. 481.a
Alexandri Herodis filij impostura pro regno obtinendo. 71.c
Alexandrum Alabarcham a Caio vinctum Claudius dimittit. 306.a
Alexander monachus res gestas S. Barnabæ prosecutus. 146.b
Alexius Iconoclasta punitus. 607.c
Aliturus mimus Neronis. 583.e. contra Paulum agit. 593.b
Alleluia signum conuocandi monialer. 562.c
Alludit in Christo eligente septuagintaduos ad numerum seniorum, quos Deus præcepit Moysi vt eligeret. 135.e
Alphæi Iacobus nominatus. 22.d
Alphæi Maria an eadem vna sit cum Maria Cleophæ. 25.b
Altare e saxis impolitis extructum. 25.a
Altare incensi quod, & quando incensum adolebatur. 25.a
Altare aureum in penetralibus. 25.a
Altercatio Petri & Pauli quomodo accipienda, vt vterque a peccato vindicetur. 391.b
Altercatio de templo Hierosolymitano apud Alexandrum Magnum. 102.e
Aluerniæ mons quando scissus terræmotu. 181.b
Amalarij opinio de sonitu lignorum non probatur. 562.a
Amasea Ponti oppidum. 315.e
Ambiguitas trium mysteriorum in die Epiphaniæ. 96.c. 97.a
M. Ambiuius Syriæ Præses. 29.e
Ambrosius confitentium peccata deflebat. 443.b
Ambrosius in causis iudicandis occupatus. 458.d
Ambrosij vita ab auctore edita. 459.a
Ambrosij hymni in Ecclesia recepti. 612.d
Ambrosius traditionum testis. 420.d
Amen illegitimum triplex. 503.a
Amen quid significet. 157.b
Amen respondet populus. 502.e
Amen vox vnde vsurpata. 503.a
Amen triplex. 503.b
Aminadab filia Elizabeth. 12.c
Ammaus idem quod Emmaus. 504.b
Ammiani error de septem Magis. 51.b
Amnes retro fluere visi sub Nerone. 673.d
Amorrhæus permansit habitare in Elim, quid significet. 433.c
Amphipolim Macedoniæ ciuitatē petunt Paulus & Silas. 402.c
Amphitheatro collapso quot millia hominum contrita. 85.d
Anabaptistæ de Magorum historia dubitant, quod nec fecerunt Manichæi. 50.a
Anacletus idem cum Cleto falso creditus. 680.a
Anacletus & Clemens Petri diaconi. 237.a
Analogia de corona spinea Domini, Isidori Peluſiotæ. 107.c
Ananelus ignobilis Iudæus ab Herode ad pontificiam dignitatem elatus. 4.a
Ananias vi publica depositus. 24.e
Ananias post necem Stephani Damascum profectus Ecclesiam collegit. 251.d
Ananias vnus ex septuaginta. 136.c
Ananias & Saphira morte puniti, cur. 231.a
Ananias Pontifex cum Ezechia germano trucidatur. 660.a
Ananias Nebedæi filius succedit in pontificatu Iosepho Camidæ filio. 376.a
Ananias summus Pont. & Ananus dux Romam vincti mittuntur. 379.a
Ananus Pont. Max. 16.b
Ananus senior quinque habuit filios, omnes Pontifices. 625.b
Ananus iunior, & ipse Pontifex. 625.c
Ananus sæuus, audax, & secta Sadducæus. 625.c. 626.b
Ananus post tres menses deponitur, & cur. 626.c
Ananus Iacobum & quosdam alios lapidandos tradit. 626.c
Ananus proditionis accusator, & in medio ciuitatis iugulatur. 682.e
Anastasius Imperator a Symmacho Papa mulctatus. 457.a
Anastasius Sinaita Episcopus Antiochenus. 40.a
Anathema vox ambigua. 505.a
Anathema dicitur quod Deo dicatum est. 505.b
Anathema fieri quomodo Paulus cupiebat. 505.c
Anathema idem quod maledictum. 505.c
Anathema interdum occisionem sonat. 505.d
Anaxagoras Clazomenius. 405.b
Anconæ ciuitatis Italiæ nomen vnde ductum. 243.b
Anconæ miracula per Stephanum operata. 243.a
Ancyra Galatiæ. 315.e
Ancyranum Concilium ante Nicænum. 529.c
Andreas Cretensis. 16.d
Andreas primus venit obuiam Iesu, deinde Petrus. 92.c
Andreas & Petrus Ioannis discipuli. 92.b
Andreæ cur Simon Petrus prælatus. 92.d
Andreæ martyrij tempus. 676.d
Andreas cælibem vitam duxit. 92.d
Andreas senior Petro. 92.e
Andreas a Petro baptizatus. 98.c
Andreas ad Scythas missus. 323.b
Andreæ quæ prouincia ad prædicandum obtigerit. 323.b
Andreæ prædicatio. 323.b
Andri insulæ templum Libero patri dicatum, & fons vini sapore. 96.a
Andronicus dicit pro templo Hierosolymitano. 102.d

Andronicus Messalami filius, Iudæorum patronus. 102.d
Andronico & Tonanti excommunicatio a Synesio Episcopo infertur. 459.e
Andronicus Apostolus appellatur. 525.a
Andronicus Episcopus in Pannonia. 542.e
Angelus Dei Centurioni visus. 285.b
Angeli in Scriptura dicuntur Cælestis militia. 605.a
Angeli Episcopi appellati. 606.d
Angeli præsides templi, tempore mortis Domini auditi. 181.c
Angeli apparitio ad Christi sepulchrum. 195.b
Angelus Ioseph monens vt fugeret in Aegyptum, quando apparuit. 57.d
Angelo Laodiceæ quæ scribantur in Apocalypsi. 625.e
Angelorum religio quæ. 604.e
Angelorum cultus religiosus. 607.b
Angelorum cultus ex Synodo Laodicensi. 608.a
Angelos mundum creasse, Cherinthi hæresis. 606.d
Angelorum idololatria quæ intelligenda. 607.e
Angelus a dextra altaris incensi visus est Zachariæ. 25.d
Angelus Iudæorum. 606.e
Angelorum cultus in Ecclesia. 606.e
Angelos esse astra putauerunt Iudæi, & cur. 605.a.b
Angelos adorabant, id est, astra cæli. 605.a
Angelos negabant Sadducæi, sed contra Pharisæi. 5.d
Angelos supra Christum Cherinthus exaltauit. 606.a
Angelum apparuisse mulieribus, & Euangelistarum concordantia. 195.c
Angelus nuncius Verbi incarnati. 26.b
Angelus ad Petrum: Surge descende: locus explicatus. 221.e
Angelus Petrum de carcere liberat. 313.d
Angelus confortat Dominum. 161.c
Angelus ad Ioseph, vt redeat in terram Iuda. 69.e
Anglis quomodo Agapes a Gregorio concessæ. 495.c
Anianus Marco Alexandriæ succedit. 632.d
Aniani obitus. 724.d
Anicetus de coma clericis non nutrienda. 573.a. 574.a
Anicetus Neronis libertus Agrippinam interimit. 624.e
Animalia immunda Iudæis prohibita quid signabant. 383.d
Animaduersio vtilis. 451.a
Animaduersio Agrippæ in custodes carceris Petri. 315.d
Animas cum corporibus interire putabant Sadducæi. 5.d
Animalia nefanda quæ apud Iosephum. 108.b
Animarum transmigratio apud Pharisæos. 4.e
Animas defunctorum inquietare quid. 245.b
Animosa Petri promissio. 161.a
Anna mater Virginis Mariæ. 14.e
Anna de qua stirpe nata. 15.a
Annæ sorores. 15.a
Anna gratiam significat. 15.d. 16.c
Anna vnum tantum virum, & vnam filiam habuit Mariam. 15.a.b
Anna sterilis in senectute per orationem concepit Mariam ex Ioachim. 15.b.d
Anna mater Virginis comparata Annæ matri Samuelis. 15.d. 16.a
Anna vidua. 7.b
Anna filia Mathan sacerdotis, & Mariæ. 14.e
Anna vbi nupsit. 15.a
Annam tertio nuptam esse dicentium error. 15.a
Annam ex eodem viro tres filias peperisse dicentium error. 15.a
Anna ex genere sacerdotali. 15.c
Anna prisca genuit Samuelem per orationem. 15.d
Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser. 57.b.c
Anna prophetissa in templo habitauit. 18.d
Anna prophetissa religiosissima monialis appellata. 57.c
Anna idem quod Ananus, vide, Ananus.
Anna si vt Caiphas male perierit. 625.c
Anna & Caiphas quomodo simul Principes sacerdotum dicantur. 87.c
Anna mittit Iesum ligatum ad Caipham, & cur. 162.d
Annæ primum præsentatur Christus, & Apostoli, & cur. 88.b
Annæus Lucanus Senecæ nepos a Nerone occisus. 643.e
Annano Pontifici sacerdotium ademptum. 79.e
Annales in quibus differunt ab historia. in præfat. pag. 4.
Annales non requirunt verborum ornamentum. in præf. pag. 4.
Annalium scribendi ratio. ibid.
Annalium basis est verus annus natiuitatis Christi. 35.e
Annalibus Ecclesiasticis non sunt incertæ res inserendæ. in præf. pag. 2.
Anni natiuitatis Christi ignoratio fuit multis errandi causa in ceteris. 33.e
Anni in Hispanijs ab æra numeri nota quando cœpit sunt numerari. 32.c
Anni Augusti numerati a nece Cæsaris. 35.b
Anno trigesimo expleto Christus baptizatur. 36.
Anni ab Vrbe condita varij. 37.c
Anni ab origine mundi ex veris sententijs. 40.b
Anni quinquies mille sexcenti octogintaquinque a mundi principio vsque ad obitum Lucij Veri. 40.b
Anni enumerati ab Adam vsque ad mortem Commodi. 40.b
Anni a mundi origine vsque ad Synodum Oecumenicam numerantur sex mille centum nonagintanouem. 40.b
Anni exordio ipsum integrum denominare consueuisse maiores. 189.b
Anni prædicationis Christi quomodo distinguendi. 111.a
Anni per Olympiadas vtiliter supputantur. 33.e
Anni ab origine mundi diuersimode supputantur. 39.d
Anni secundum supputationem Septuaginta interpretum. 40.b
Anni secundum supputationem Hebræorum. 39.e
Anni Imperatoris Augusti. 77.e
Annibal Carthaginensis velata facie aurum in templo Dianæ deposuit. 507.b
Annio tribuit quidam Chronicon Philonis. 60.a
Annius Rufus. 29.e
Annius Pollio in exilium pulsus. 653.a
Anniuersaria dies defunctorum. 245.d
Anniuersaria dies Cathedræ Romanæ antiquitus celebrata. 341.d
Anniuersaria solemnitas in cuiusque Episcopi præfectura. 341.e
Anniuersaria solemnitas a Græcis celebrata de imagine

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saluatoris. 105.d
Anniuersariæ sanctorum celebritates. 558.d
Annorum singulorum habenda ratio in historia conscribenda. in præf. pag. 5.
Annorum sex millia ab origine mundi enumerat Cyprianus. 40.b
Annorum ab Vrbe condita supputandi ratio diuersa. 37. c
Annorum regni Herodis supputatio quæ falsa, quæ vera. 38.a
Annorum calculus secundum Romanam Ecclesiam, iuxta Septuagintaduos interpretes. 40.a
Annos Christi numerare a conditæ Vrbis tempore, neque tutum, neque certum. 37.e
Annos ab origine mundi aliter Hebræi, aliter Romanæ Ecclesiæ traditio supputat. 40.a
Annos Herodis Ioseph supputat. 38.a
Annos regni Herodis quomodo enumerant aliqui, vt Iosephum Euangelistæ concilient. 38.d
Annus passionis Christi. 139.b
Annulus sponsalis. 463.b
Annulo obsignabantur arcæ. 463.c
Annulorum qualia signa. 463.d
Annulus zonæ alligatus, sine annuli vel zonæ fractura elapsus. 56.e
Annulus in veste candida quid. 155.e
Annulus dari solitus pro arrha in qualibet pactione. 463. b
Annulum ferreum Romani gestabant. 463.c
Annulum ferreum dabat sponsus sponsæ apud Romanos. 463.c
Annulum sponsus cur dat sponsæ loco arrhæ. 463.b
Annulum semper vxor in digito portabat, ad quid. 463. c
Annuli insculpti Christi nomine duabus litteris. 463.b
Annuli Christianorum quo signo sculpendi. 463.d
in *Annulis sanctorum virorum imagines.* 464.a
Annulus sponsalis quo signo sculperetur apud Christianos. 463.e
Annulus S. Macrinæ cruce insculptus. 463.e
Annus quo natus est Christus. 33.e
Annus natalis Domini idem qui & descriptionis Quirini. 34.c
Annus Consulatus Lentuli & Messalinij quotus Imperij Augusti. 35.b
Annus & dies institutionis Triumuiratus. 35.d
Annus Tiberij quintusdecimus, annus placabilis. 85.e
Annus primus prædicationis Christi a Ioanne digestus, ab aliis prætermissus. 97.d
Annus natalis Christi deducitur a tempore baptismi. 36.a
Annus Augusti Imperatoris, quo natus est Christus. 97.d
Annus primus Agonalis quando cœptus numerari. 725.a
Annus ab origine mundi quo natus est Christus. 38.c
Anthropomorphitæ. 18.b
Antichristi qui dicantur a Ioanne. 751.b
Antidicomarianitæ hæretici. 370.a
Antigonus Assamonæus vltimus Rex Iudæorum. 3.c. M. idem *fauore Parthorum eijcit Hyrcanum.* ibid.
Antigono Assamonæo cruci alligato, & fustibus cæso Antonius caput truncari mandauit. 3.e
Antigono in crucem acto regnum Iudaicum extinctum. M. 4.a
Antigonus regnum Herodis inuasit. 29.a
Antiochenæ cathedræ dies festus. 271.c
Antiochena Ecclesia præfertur Hierosolymitanæ, & cur. 271.b
Antiochena Ecclesia collecta primum fuit ex Iudæis. 272.b
Antiochenæ Ecclesiæ dissensio. 381.a
Antiochena sedes quando fundata. 272.b
Antiochenus Episcopus primus Euodius post Petrum. 274.b
Antiochenæ Ecclesiæ primus Episcopus Petrus, inde Romam translatus. 270.d
Antiochenæ Ecclesiæ præfertur Alexandrina, & cur. 271.c
Antiochensium Iudæorum occisio. 689.e
Antiocheni in Iudæos grassantur. 689.e
Antiochena Ecclesia a Petro & Paulo fundata. 273.d
Antiochenæ Ecclesiæ fundamenta. 270.d
Antiochenæ Ecclesiæ profectus. 308.b
Antiochenam Ecclesiam curat Barnabas. 345.e
Antiochiæ Iudæi habitantes. 272.b
Antiochiæ dissensio oborta inter Fideles. 377.b
Antiochiam missus Barnabas. 242.e
Antiochiam reuersi Paulus & Barnabas. 377.a
Antiochiæ facta contentio inter Paulum & Petrum. 388.b
Antiochiæ fit collecta. 334.c
Antiochiæ primum discipuli Christiani cognominantur. 308.c
Antiochus Iudæorum sceleratissimus. 689.d
Antiochus cognomento Pius Hyrcanum obsedit. 222.d
Antiochus Iudæus Antiochensium instigator. 689.c
Antipas martyr quo tempore passus. 730.c
Antipas Galilææ ac Perææ Tetrarcha constitutus. 69.a
Antipas Herodes sceptrum Iudæ quomodo habuit. 3.b
Antipas Galilææ Tetrarcha Romam profectus, vt contra Archelaum ageret. 69.e
Antipas & Philippus alteram dimidiam regni partem ab Augusto consequuntur. 71.a
Antipater Herodis pater. 30.a
Antipater filius Herodis. 60.c
Antipater a C. Iulio Cæsare procurator est institutus. 66.b
Antipater patris arbitrio a Cæsare relictus. 68.c
Antipater obscuro funere conditus. 69.a
Antipater Herodis filius in spem regnandi venit. 69.a
Antipatris filius proselytus Herodes Idumæus ex S. C. Romæ regnum Iudæorum accepit. 3.e
Antipater, Aristobulus, & Alexander filij Herodis occisi. 60. d
Antipatrum filium iussit Herodes occidi. 49.a
Antiquitas Ecclesiæ. 1.d
Antiqui discipuli Christi. 136.c
Antistitem electum non minus quàm a tribus Episcopis consecrari debere Petrus instituit. 239.a
Antonia turris. 80.a. *expugnata a Tito.* 692.d
Antoninus Rom. Consul nullus repertus Fastis adscriptus ante Christi aduentum. 14.d
Antonij Acta rescissa. 39.c
Antonius Iudæam debellauit. 3.e
Antonius res Orientales administrat. 29.a
Antonius Iulianus egregius rhetor. 698.c. *eius lucubrationes exciderunt.* 698.c
Antonius quid in Antigonum Regem Iudæorum. 3.e

Antonius Carafa Cardinalis Bibliothecarius Græcam Septuagintaduorum interpretum editionem in lucem vindicauit. 40. c
Antonius vitæ monasticæ illustrator. 90.b
Anulinus bona Ecclesiastica restituenda curauit. 474.c
Apelles tragœdus Caij consiliarius contra Iudæos, & eius mors. 291.a.b
Apion grammaticus ad Caium contra Iudæos pro Alexandrinis legatus. 303.b
Apion Iudæos falso calumniatur. 292.d
Apion qualis, a Iosepho confutatur. 303.c.d
Apocalypsim Ioannis qui non recipiant. 737. c
Apocalypsis a quibusdam tributa Ioanni presbytero. 737.a
Apocalypsis Ioannis cur Cherintho tribuatur. 740.b
Apocalypsis Ioannis Euangelistæ scriptura canonica, & vere Ioannis Apostoli. 737.c
Apocryphorum librorum catalogus. 326. 327
Apocrypha mordicus defendi non debent. 371.e
Apocrypha nomine Pauli. 327.c
Apocrypha de Actis Apostolorum. 326.a
Apocrypha de obstetrice Mariæ Virginis. 45.d
Apocrypha caute admittenda. 425.e
Apocrypha scripta de B. Maria. 371. a
Apollinaris Laodicenus hæresiarcha. 612.c
S. *Apollinaris Episcopus Rauen. martyr longissimùm, & quando.* 711.a
Apollinaris cum Petro Romam venit. 322.a
Apollinem cinem Athenienſem Paulus conuertit. 408.b
Apollinis studiosissimus Augustus quale ab eo responsum accepisse dicatur. 10.a.b
Apolline genitus traditur Augustus. 10.a
Apollini templum in Palatio ab Augusto erectum. 10.b
Apollinis Delphici de Christo oraculum. 10.b
Apollinis Delphici oraculum obmutuit. 10.a
Apollo Alexandrinus ab Aquila & Priscilla instituitur, & potens in Scripturis. 423.b
Apollo commendatur a Paulo. 446.d.e
Apollo prædicatio qualis. 447.a
Apollonij testimonium de tempore diuisionis Apostolorum. 316.d
Apollonij Theologi sententia de discessu discipulorum Hierosolymis. 275.d
Apolloniaci qui. 448.c
Apolloniam petunt Paulus & Silas. 402.c
Apollonius Tyanæus magus. 406.a
Apollonius Tyanæus Romam vocatur reus. 726.c
Apollonius Tyanæus Romam venit. 654.a
Apollonij Tyanæi de fulgure in Neronis mensam decidente falsum vaticinium. 654.b
Apollonius Tyanæus an mortuam puellam suscitauerit. 654.a
Apollonius Tyanæus pro deo habitus. 654.d
Apollonij statua dæmonum operatione dabat responsa, quæ tandem obmutuit. 654.e
Apollonius Tyanæus discipulos suos per Orbem misit. 655.a
Apollonius Tyanæus in Hispaniam profectus. 655.a
Apollonius Tyanæus an bene finierit. 655.a
Apollonius Tyanæus Romam accersitur, in carcerem truditur, illuditur. 726.c
Apollonius inuisibilis factus euanuit. 726.d
Apollonius Roma recedens quo profectus sit. 726.e
Apollonius Tyanæus Ephesi acceptus. 445.a. *& inter diuos relatus.* ibid.
Apollonij Tyanæi aduentus Ephesum. 510.b
Apollonij Tyanæi præstigiæ a Philostrato scriptæ. 510. c. d
Apollonius mortem Domitiani absens cognouit. 748.a
Apollonij quales discipuli. 655.a
Apollonij exitus. 752.e
Apollonius antiquus Theologus. 250.b
Apollophanes philosophus. 406.e
Apollophanis verba ad Dionysium. 406.e
Apophoreta quando exhiberi consueuerunt. 477.a
Apophoreta conuiuis abeuntibus grata & pretiosa conferebant Romani. 159.a
Apophoretica relationis virginum. 477.a
Apostolatus Pauli, & Barnabæ. 336.a
Apostolatus non debet esse spontaneus. 336.e
Apostolatus nobilior Iudæorum, quàm Gentium. 387.d
Apostolatuum distinctio. 338.b
Apostoli apud Hebræos qui, & quod eorum munus. 112. e
Apostoli ex quibus tribubus. 113.e
Apostoli omnes Galilæi 64.b
Apostoli missi ad prædicandum Euangelium, redeunt ad Christum. 125.c
Apostoli partim ex tribu Iuda, partim ex tribu Zabulon, & Nephtalim. 113.a
Apostoli a Christo cur electi. 113.a
Apostoli quomodo loquebantur linguis. 221.b
Apostoli in templo docent. 232.e
Apostoli conijciuntur in carcerem. 233.e
Apostoli cæsi. 234.b
Apostoli Hierosolymis remanserunt, facta dispersione aliorum omnium Christianorum. 250.e
Apostoli quando diuisi per totum Orbem. 316.e
Apostoli in quas singuli regiones profecti. 120.d
Apostoli nominati Episcopi in Ecclesiis præfecti. 599.e
600.a
Apostoli sacerdotes a Domino facti. 154.d
Apostoli reprehenduntur, quòd spicas euulsissent sabbato. 111.e
Apostoli in Galilæam abeunt post resurrectionem. 206.b
Apostoli manuum opus exercebant. 410.c
Apostoli vxore caruerunt præter Petrum. 469.b
Apostoli ad fidem conuersos caste viuere suadebant. 665.c
Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. 528.b
Apostolis linguarum donum datum, & quomodo. 220.e
Apostolica salutatio Romani Pont. ex Apostolorum traditione. 351.b
Apostolica auctoritate traditum, quod vniuersa tenet Ecclesia. 14.c
Apostolica traditio orare ad Orientem. 563.e
Apostolicarum sanctionum aliæ omnibus communes, aliæ priuatæ. 397.d
Apostolici sales necessitas. 527.a
Apostolicum depositum quod. 412.b
Apostolicum munus imponere manus. 254.a
Apostolicus ordo. 113.a
Apostolis mandatum a Saluatore, ne Hierosolymis discederent vsque ad certum tempus. 250.b
Apostolis omnibus communia. 206.c
Apostolis excutiendus erat puluis de pedibus contra non recipientes eos. 362.e
Apostolorum electio. 212.e
Apostolorum ordinis functio quamdiu perseuerauit. 113.a
Apostolorum temporibus proximus Hegesippus. 23.d
Apostolorum & Petri paupertas qualis. 229.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolorum genus. 183.d
Apostolorum princeps Petrus. 113.b
Apostolorum stirps. 113.e
Apostolorum sacrificia. 156.c
Apostolorum discipulus Ignatius. 156.e
Apostolorum Ecclesia. 220.a
Apostolorum nomine multa edita. 327.d
Apostolorum discubitus in cœna. 153.a
Apostolorum contentio vnde orta. 153.c
Apostolorum diuisio nonnisi Spiritus sancti instinctu facta est. 319.b
Apostolorum diuisionis veritas inuestigatu difficilis, breuibus tractanda. 325.e
Apostolorum leges barbaros domant. 319.e
Apostolorum quædam procuratio distincta. 387.c
Apostolorum canon de non abijcienda vxore declaratus. 530.a
Apostolorum litteræ ex Concilio Hierosolymitano. 384.a
Apostolorum sepulchra venerationi habita. 674.d
Apostolorum officia apud Hebræos. 113.a
Apostolus Iosephus apud Iudæos. 113.a
Apparitio facta Dei genitrici. 199.e
Apparitio Christi Petro ante ceteros facta. 199.c
Apparitio Christi facta Iacobo post resurrectionem. 210.b
Apparitio Domini facta Mariæ Magdalenæ. 202.d
Apparitio Domini facta duobus discipulis euntibus Emmaus. 230.e
Apparitio Domini facta Thomæ. 205.e
Apparitio Domini omnium celeberrima. 210.a
Apparitio Domini nouissima. 211.a
Appellatione Iudææ duæ tantum tribus includuntur. 99.c
Appensi in patibulo eadem die ante occasum Solis sepeliebantur. 182.a
Appia vxor Philemonis. 614.b
Appij forum quantum ab Vrbe distaret. 591.c
Apsides gradatæ Episcoporum. 347.c
Apulei locus correctus. 173.a
Aqua benedicta loco lauacri succeßit in Ecclesia. 484.a
Aqua tantum non expiantur delicta. 483.d
Aqua in vinum mutatur pluribus in locis. 95.e
Aquæ ad baptismum miraculum pluribus in locis in Occidente. 96.c
Aquæ in vinum versæ miraculum quando contigit. 96.c
Aqua vino miscenda in sacrificio Missæ. 495.e
Aqua in Christi præsepe miraculo creuit. 44.d
Aquæ calidæ in agro Gadareno. 108.a
Aquæ calidæ non longe ab Emmaus. 79.b
Ad Aquas Salluias locus dictus qui. 667.d
Aquila aurea in templo ab Herode posita, eademq. excisa. 67.a
Aquila Ponticus Iudæus genere, fide Christianus. 380.d
Aquila Ponticus ab Ecclesia eiectus. 414.e
Aquila & Priscilla Nazaræi. 399.c
Aquilæ & Priscillæ adhæret Paulus. 408.d
Aquila & Priscilla Apollo genere Alexandrinum instituunt in fide. 542.d
Aquila & Priscilla an caput sibi totonderint. 422.b
Aquila & Priscilla ex Italia Corinthum. 403.e
Aquilæ & Priscæ mentio. 364.c
Aquilarum militarium solo affixarum prodigium. 332.c
Ara Ignoto Deo inscripta Athenis, in Gallijs item. 405.d
Ara Primogeniti Dei ab Augusto erecta in Capitolio. 10.b
Ara cæli. 10.b.c
Ara dedicata in nomine Dei, & Stephani testis eius. 243.c
Aræ deorum duodecim stabant Athenis. 450.d.e
Aradus insula. 315.d
Aratoris carmina de vmbra Petri. 233.c
de Petro venatore. 233.c
de carcere, & tatenis Petri. 314.c
de tempore martyrij Petri, & Pauli. 664.c
de porta Petro patefacta. 314.b
de visione Petri. 286.c
de tempore nauigationis Pauli. 591.e
Arabes Magi. 51.c
Arabia contra Iudæam in Oriente. 54.c
Arabia Syria Damasci nominata. 52.b
Arabiæ feminæ velatæ. 475.b
Arabiæ loca nomina ex filijs Abraham sortita sunt. 51.d
Arabiæ Damascus. 52.b
Arabum origo. 52.c
Arabicum bellum Herodis aduersus Aretam. 125.b
Arbor fici arefacta. 141.d
Arbor ex qua primi parentes post peccatum pudenda texerunt. 141.e
Arbor inflexa Christum adorauit Hermopolim aduenientem. 57.e
Arbor Hermopoli morbos depellens. 57.e
Arbor propter magnitudinem lege Gentilicia culta. 58.a
Arbor terebinthus antiquissima. 27.a
Arbor prinus. 94.a
Arbor Persis in Aegypto miraculis clara. 57.e
Arbor Persea Isidi consecrata. 58.a
Arbori suffigi aliquem non licebat apud Iudæos. 183.a
in Arbore fici Iudas suspensus. 164.b
Arbuscula balsami ex Iudæa Romam translata. 703.a
Archelaus & Philippus filij Herodis aderant legationi Iudæorum Romæ. 71.a
Archelai ditio Syriæ contributa. 76.c
Archelai tyrannidem timuit Ioseph. 77.b
Archelaus Regis nomine abstinet. 69.d.
curat patris funus. 69.c
Romam adnauigat pro regni stabilimento ad Augustum. 69.e
confirmatur ab Augusto. 69.e
seditiosos cædit immisso equitatu. 69.d
Archelaus ab Herode Idumæo patre regnum cepit. 3.b
Archelao absente multi sibi Regis nomen vsurpant. 70.d
Archelao regnum largitum. 69.a.d
Archelao crimina obiecta. 77.a
Archelai cohortales milites occisi. 69.d
Archelai regni anni nouem. 70.a
Archelai tempore defectio Iudæorum. 70.c
Archelai ditio Syriæ contributa. 76.e
Archelao dimidiam partem ditionis Herodis concedit Augustus. 71.a
Archelaus natus ex alienigena Malthace Samaritide. 3.c
Archelaus consequitur Transamnanam regionem, & ducenta talenta. 70.b
Archelaus damnatus exilio. 76.b
Archelao obiecta crimina. 77.a
Archelaus in conuinio repertus Cæsaris mandato Romam ducitur. ibid.
Archelaus Hyrcani filius & successor. 267.a
Archelaus Tetrarcha, non Rex instituitur. 71.a
Archelaus Pontifices instituit & abrogat. 71.d
Archelaus in exilium actus. 76.e.77.a
Archippus an Colossensium Episcopus. 603.c
Archisynagogus rogat Iesum. 109.d
Archisynagogi controuersia cum Domino de sabbato. 136.a

Architriclinus apud Iudæos quis. 94.e
Archiua Romanorum de natali Christi. 30.e
Archiuis Hierosolymarum ignis iniectus. 660.e
Archiuum Romanorum, depositorium tabularum censuum. 32.c
Arcus triumphalis Titi. 701.e
Arelatensis Synodus de cælibatu sacerdotum. 531.e
Areopagus quid esset. 404.b
Areopagita subticentior, prouerbium. ibid.d
Areopagitarum munera & mores. 404.c.d
Areopagitarum iudicium quo anno cœptum, & quamdiu durauit. 404.e
Areopagitæ iudices quales essent, & de quibus iudicarent. ibid.c
Areopagitæ ter in mense iudicia exercebant. 404.e
Areopagitæ cognomine Optimi viri dicebantur. 404.e
Areopagitis difficiles causæ committebantur a Romanis. ibid.d
in Areopago Paulus causam dicit. 404.e
in Areopago iudices sacerdotes erant. 457.d
Areopagus vnde dictus. 404.b
Aretæ filia redit ad patrem Macheruntem. 100.d
Aretæ filia ab Herode quando dimissa propter Herodiadem. 100.c
Aretæ bellum cum Herode. ibid.
Aretas Rex Petreæ Arabiæ. 101.d
Aretas Cæsarienßis corrigitur. 728.a
Argentarij in Paulum quid fecerint. 506.d
Argentariorum lucrum ex imaginibus. 560.e
Argentariorum Ephesinorum clamores. 508.b
Argenteæ imagines in templo Gentilium. 507.a
Argentea supellectilia ecclesiæ. 474.a
Argenteus quid. 143.e.144. 145.a.b
Argentei dati Iudæ. 143.e
Argento tectum præsepe Domini. 45.a
Argumentum dicendi ab occasione sumit Paulus. 405.c
Argumentum epistolæ Pauli ad Romanos. 541.d
Ariæ Montani dictionarium Syrochaldaicum. 144.e
Arcæ, & Raphaneæ Palæstinæ ciuitates. 135.a
Ariani bigamos ad sacerdotium non admittebant. 533.a
Ariani corruperunt Euangelium. 253.a
Arianorum sententia peculiaris. 414.b
Aridam manum habens sanatur, & cuius artis homo esset. 112.d
Aristeas, & Iosephus de numero sacerdotum a Theodosio Iudæo differunt. 13.c
Aristeas de septuagintaduobus interpretibus. 13.d
Aristeas de portis templi Hierosolymitani. 227.a
Aristarchus concaptiuus Pauli. 603.b.690.d
Aristion vnus ex septuaginta discipulis. 136.c
Aristobulus iunior. 376.b
Aristobulus filius Herodis. 60.c
Aristobulus auream vitem Pompeio donat. 191.a
Aristobulus ab Herode Pontifex factus, mox necatus. 4.a
Arrogantia Pharisæorum 4.e
Arrhæ loco dabatur annulus sponsæ in qualibet pactione. 463.c
Artes Pharisæorum ne profunde dormirent. 5.b
Arthemas & Tychicus Pauli ministri. 521.b
Ascalone quot millia Iudæorum interempta. 681.e
Ascalonitarum simultas cum Iudæis. 291.b
Ascalonitæ duo millia Iudæorum trucidant. 660.c
Ascensio Isaiæ ab hæreticis promulgata. 328.c
Ascensionis Domini locus. 213.c.217.e
Ascensionis Domini meminit Marcus tantum, & Lucas. 213.e
Ascensionis Domini nocte lucernæ accendi solitæ. 551.d
Aser benedictio impartita. 76.a
Asiani Iudæi a Paulo deficiunt. 598.b
Asiæ Ecclesiæ an a Ioanne fundatæ. 736.c.d
Aspersio sepulchrorum. 240.e
Aspis a vipera mutuatus venenum, prouerbium. 706.d
Assamonæi ex genere sacerdotali, tribu Leuitica. 2.d.e
Assamonæi fœdere nuptiarum iuncti tribui Iudæ, & familiæ Dauid. 2.a.3.a.b
penes ipsos fuit aliquandiu summa rerum apud Hebræos. 2.c.d.e
in ipsis defecit sceptrum de tribu Iuda, cum post ipsos Herodes regnare cœpit. 2.c.3.b
Assamonæorum regnum quamdiu permansit. 2.d
Assamonæi e tribu Leuitica ex filijs Ioiarib. 2.d
Assamonæus sacerdos ex vice Ioiarib. ibid.
Assamonæi ex tribu Leuitica cur dicti viri Iudæ, & vbi. 3.a
Assertio antiquorum Patrum de confessione. 435.e
Assertores traditionum Apostolicarum. 416.a
Asson Troadis. 552.b
Asson vrbs diuersa ab ea, quæ est Troadis. 552.b
Assueri Regis conuiuium. 151.d
Assumptio Virginis quo anno facta. 367.e
Assumptionem Virginis caligine non obnubilari. 309.e
de Assumptione Virginis epistolam ad Paulam & Eustochium non esse Hieronymi, sed Sophronij. 371.a
de Assumptione Virginis sermones falso Augustino adscripti, & Athanasio. 373.a
de Assumptione Virginis scribendi occasio quæ. ibid.e
Assumptionem Virginis Ecclesia profitetur cum Patribus, & Scholasticis. 375.a
Assumptionis Virginis tempus ex reuelationibus diuersis. 368.a
Assumptionis solemnitas quo anno cœpit celebrari. 375.c
Assumptio Virginis transitus nominatus. 372.d
Astra cæli animata esse Pharisæi putabant. 605.b
Astronomiæ cultu addicti erant Pharisæi, & Scribæ. 4.e
Astrologia iudiciaria damnata. 53.a
Astrologiæ iudiciariæ execratio. 444.e
Astutia Pharisæorum. 4.c
Athanasii sermo de assumptione falso illi adscribitur. 373.e
Athanasius traditionum assertor. 418.e
Athenagoras philosophus Christianus. 350.a
Athenarum Episcopus Dionysius. 749.a
Athenas Paulus aduenit. 403.e
Athenis Paulus quid egerit. 407.a
Athenis in foro stabant duodecim aræ deorum. 405.d
Athenis Ignotis diis aras erectas fuisse. 405.d
Athenis Paulus non diu permansit. 408.d
Athenis improbatæ lectionis libri igni traditi. 444.d
Athenienses quid contra negantes deos eorum. 405.e
Athenienses sacerdotes itidem iudices. 457.c
Athenienses tenacissimi deorum cultores. 405.b
Athenienses cur aram inscripserint Ignoto Deo. 406.b.c.d
Athenienses aliquando polygamiam admisisse, & cur. 527.d
Athenienses primi sacum in sacris vsus inuentores. 551.c
Athenienßium templa non est ingressus Paulus. 405.d
Athenienßium summus sacerdos. 128.e
Athenienses Episcopi qui. 749.b
Atinæ Marcus Episcopus. 322.b
Attilius duumuir in mare proiectus, & cur. 9.c
Atronges pastor affectat regnum Iudæorum. 70.d
Auctoris institutum, ætas, candor. in præf. pag.2.
Auctoritates de Eucharistia frequenter sumenda. 499.d.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Auctoritas Phariſæorum apud populum. 4.c
Auctoritas ſeptuaginta interpretum retinetur. 40.a
Auctorum auctoritas in Romana Republica. 457.e
Auguſtini & Hieronymi altercatio de Petri ſimulatione, &c. in qua Auguſtinus Hieronymi ſenſum non videtur aſſecutus. 389.c. 390.a
Auguſtini verba male intellecta de Ioannis nuptijs. 95.b
Auguſtini verſus de primatu Petri in Eccleſia decantari ſoliti. 130.e
Auguſtino falſo adſcripti ſermones de Aſſumptione. 372.e
Auguſtinus canticis Eccleſiaſticis delinitus. 611.c
Auguſtinus de ſanctis ante Chriſtum natum quid dicat. 1.b
Auguſtinus traditionum defenſor. 420.e
Auguſti ſtudium circa carmina Sibyllina. 8.c
Auguſti quo anno ſit natus Dominus. 34.e
Auguſti Imperij anni numerati a nece Cæſaris, & cur. ibidem.
Auguſti Imperij annorum diuerſa ratio. 35.c.d.e
Auguſti victoria in Actiaca pugna, quo anno, & quo die. 35.b
Auguſti nomen inditum eſt Cæſari VIII. Idus Ianuarij. 11.c
Auguſti filius adoptiuus C. Cæſar. 29.d
Auguſti mentio ſingulis luſtris fiebat. 32.d
Auguſti Imperatoris annos a nece Iulij Cæſaris numerare cœpit Horatius. 35.a
Auguſti Imperatoris anno 42. natum Chriſtum qui dixerint. 35.c
Auguſti anni a triumuiratu. ibid. d
Auguſti facta ante obitum. 78.a
Auguſti obitus. 77.e
Auguſti mutata ſententia de Iudæorum cultu. 48.b
Auguſti tributum pro reſtituendo Palatio. 142.c
Auguſto quomodo Chriſtus per Sibyllam innotuiſſe potuit. 10.c
Auguſto ſuprema ac maxima omnium poteſtas ex S.C. delata. 35.c
Auguſto Imperium delatum a Cicerone extraordinarium dictum eſt. ibid.
Auguſto Vrbem ingreſſo quod ſignum apparuit. 10.e
Auguſtus Chriſti typus, ſicut & Cyrus Perſarum Rex. ibid. d
Auguſtus cenſum impoſuit, & cur. 32.c
Auguſtus cur Orbem deſcribi voluit. 32.b
Auguſtus noua & multiplicia inuenit vectigalia. 32.c
Auguſtus Domini nomen oblatum recuſauit, quo tempore. 46.a
Auguſtus nullam ſibi ſtatuam poſuit, ſed publicæ Concordiæ & Paci. ibid.c
Auguſtus Apollinis ſtudioſiſſimus quale ab eo reſponſum accepiſſe dicatur. 10.a.b
Auguſtus erigit aram Primogeniti Dei. 10.b
Auguſtus quando natus. 9.e
Auguſtus pro Apolline ornatus. 10.a
Auguſtus ſacrificauit Apollini hecatombem. 10.b
Auguſtus de Rege venturo reſponſa tulit. ibid.
Auguſtus in Syriam venit, parta victoria. 29.b
Auguſtus circumferebat orbi terrarum præſentiæ ſuæ bona. ibid.
Auguſtus quando mortuus. 29.e
Auguſtus quindecim annos ſuperuixit a Chriſto nato. 31.b
Auguſtus vectigalia omnia prouinciarum ſuſtulit. 32.b
Auguſtus primus omnium vniuerſum Orbem Romano ſubiectum Imperio cenſuit. 33.d
Auguſtus tributa ordinaria inſtituit. 32.b
Auguſtus quinquaginta & octo annos imperauit. 35.b
Auguſtus heres a Cæſare inſtitutus. 35.c
Auguſtus in Antonium armatur. ibid.
Auguſtus Antonij geſta ex S.C. reſcidit. 39.c
Auguſtus ne Dominus diceretur edicto vetuit. 46.a
Auguſtus Domini nomen oblatum quando recuſauit. 46.b
Auguſtus Caium nepotem laudauit, quòd apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet. 48.b
Auguſtus Iudæis fauit. 48.c. 299.b.c
Auguſtus rationem habuit Hebræorum. 4.d
Auguſtus equitum Romanorum numerum recenſuit. 72.e
Auguſtus exagitauit cælibatum, coniugium laudauit. 73.a
Auguſtus Iudæorum religionem in pretio habuit. 48.c
Auguſtus vetat Aegyptiaca ſacra. 48.e
Auguſtus iuſſit offerri quotidie victimas in templo Hieroſolymorum ex ſuis redditibus. 299.c
Auguſtus quæ dixerit audito Herodis infanticidio. 59.e
Auguſtus Tiberium adoptat. 65.d. 59.e. 60.
Auguſtus cælibatum pœnis notari voluit. 73.a
Auguſtus cælibatum ſimulate colentes damnat. ibid.
Auguſtus virginibus perpetuis præmia largitur. 73.a
Auguſtus quomodo adorauit Dei filium. 10.b
Auguſtus audit legatos Iudæorum in Apollinis templo. 71.a
Auguſtus quid in Archelaum. 77.a
Auguſtus quo Chriſti anno e vita exceſſit. ibid.
Auguſtus legem poſuit de pallio, & lingua Græca. 78.a.b
Auguſtus togæ vſum reducere ſtuduit. 479.c
Auguſtus tintinnabula in editiori loco ædis Iouis Capitolini poſuit. 562.e
Auguſtus de Variana clade conſternatus. 574.c
Auguſtus quomodo monitus a Sibylla. 10.c
Auguſtus refudit Herodi iudicium filij Antipatri. 68.e
Auguſtus tradit regnum Archelao. 69.e
Auguſtus Orbis deſcriptionem geometricam a Iulio Cæſare inchoatam abſoluit. 33.b
Aurea menſa in templum miſſa a Ptolemæo Philadelpho. 191.b
Aurea vitis Pompeio donata. ibid.a
Auream fibulam in veſte geſtabant Regis affines. 165.e
Aureum thuribulum in templo Salomonis. 25.b
Aurum & argentum ferre ſecum Apoſtoli non erant prohibiti. 228.e
Auſonij Galli ſupputatio annorum Vrbis. 37.c
Auſonij figura de Cruce. 169.e
Azyma & Paſcha poſt æquinoctium agebatur Chriſti tempore. 148.a
in Azymis myſteria quid. 154.e
Azyma manducare quando inciperent Iudæi. 191.e
Azymas placentas qua figura Iudæi conficiant. 145.e. 146.a
Azymos dies ſeptem, a qua die numerare neceſſe eſt. 147.e
Azymo pane confici ſolita Euchariſtia. 154.e
Azymorum die primo occidebatur Paſcha. 145.e
Azyma dies ſeptem comedebant Iudæi. 147.e
Azymorum vſus. 153.e

B

Babylon apud Aegyptios locus ignobilis. 347.d. 348.a
Babylonis nomine Romam ſignificari, non Romanam Eccleſiam. 347.a.b
Babylonis in Aegypto nullus Epiſcopus. 347.d
Babylonem adducta eſt tribus Iuda. 2.c
Bacchi ſacra celebrare Iudæi coacti. 191.a

Bacchum Iudæos colere falſo exiſtimauit Plutarchus, & erroris occaſio. 19.c
Bacchum Iudæos colere Tacitus etiam calumniatus eſt. 19.c. 190.e
Bal myrrha ab Aegyptijs nominata. 173.c
Balaam Meſopotamenus Haran incolens. 51.d
Balaam prophetias Moyſis habuit. 50.d
Balaam prophetiæ notæ Gentilibus. 50.e
Balaam diſcipuli Magi. ibid.
Balaam vbi de ſtella vaticinatur. 51.d
Balaam genus. 51.d
Balac Rex Moabitarum. 51.d
Balbina virgo. 674.d
Balnea Callirhoes. 68.b
Balſamum pro oleo in eccleſia incenſum. 150.d
Balſami hortus irriguus. 58.e
Balſami arbuſcula Romam a Tito translata. 703.a
Banus ſolitarius Phariſæus. 470.c
Baptiſmata ſuperſtitioſa ac frequentia. 6.d
Baptiſmi ritus. 415.a
de Baptiſmi Chriſti anno multiplex opinio. 35.e. & de eodem error. 85.e
Baptiſmi Chriſti tempus. 36.c
Baptiſmus Chriſti. 36.a. 90.d
Baptiſmi Chriſti dies. 91.a
Baptiſmi Chriſti locus. 91.b
de Baptiſmo Chriſti Ignatij ſententia. 36.e
Baptiſmus Chriſti, & miraculum de aqua in vinum mutata eodem anno contigerunt. 397.e
Baptiſmum in nomine tantum Chriſti collatum. 222.e. 223.a
Baptiſmum non eſſe ad trigeſimum annum prorogandum. 160.a
Baptiſmum paruulis dari ex antiqua traditione. 418.a
Baptizari pro mortuis quomodo ſolerent Marcionitæ. 504.a
Baptizari pro mortuis quomodo intelligendum. 504.b
Baptizat Chriſtus manibus ſuis Petrum tantummodo. 98.e
Baptizat Ioannes in Aennon iuxta Salim. 99.a
Baptizati a Chriſto qui fuerint. 98.e
Baptizatos manus impoſitionem ab Epiſcopis, ſicut olim ab Apoſtolis, accipere conſueuiſſe. 254.c
Bar Ieu pſeudopropheta magus. 264.d.e
Barabbas a Iudæis Chriſto præponitur. 166.b
Barabbas dimittitur. 166.c
Barachias pater Zachariæ. 61.e
Barathrum famoſiſſimus carcer Athenis. 538.a
Barba ſignum melioris naturæ. 478.a
Barbæ cultus. 478.a
Barbæ ſuperioris pili tondendi ſunt. 478.c
Barbæ & capillorum tonſura qualis in lege prohibita. 576.c
Barbæ inciſio quæ improbetur. 576.d
Barbæ nimis affectata attonſio damnata. ibid.
Barbæ raſio quid ſignificet. 577.a
Barbam tondere Chriſtianos olim minus conſueuiſſe. 478.b
Barbam radere Scriptura ſacra non prohibet. ibid.c
Barbas radendi vſus quouſque apud Romanos perſeuerauit. 178.a
Bareas Soranus Proconſul in Aſia a Nerone necatur. 653.c. 652.e
Bareæ Sorani Seruilia filia a Nerone damnatur, & an Chriſtiana. 653.d
de Barnaba iactata falſa refelluntur. 395.b.c
de Barnaba Recognitiones Clementis multa mentiuntur. 394.e
Barnabas Cyprius latifundium Chriſti cauſa vendidit. 230.c
Barnabas Tarſum profectus. 308.c
Barnabas a Gamaliele ſimul cum Saulo & Stephano litteris imbutus. 230.d
Barnabas vna cum Marco Cyprum profectus. 395.d
Barnabas cognominatus Iuſtus. 219.c
Barnabas alius a Barſaba. 219.d
Barnabas excuſatur, quòd a Paulo diuiſus ſit. 394.b
Barnabas perducit Paulum Antiochiam. 308.a
Barnabas a Paulo diuiſus. 394.c
Barnabas an aliquando Romam venerit, & quo tempore. 395.d
Barnabas Mediolanenſem Eccleſiam inſtituit, & in Liguria prædicauit Euangelium. ibid.e
Barnabas vnus ex ſeptuaginta diſcipulis. 136.c
Barnabas & Paulus manibus operantur. 408.e
Barnabas præſto fuit Paulo. 290.a
Barnabam primum Romæ Euangelium prædicaſſe, falſum eſſe conuincitur. 394.e
Barnabæ & Pauli nauigatio. 264.d
Barnabæ epiſtola. 395.e
Barnabæ corpus reſoſſum. 289.d
Barnabæ Acta, Marci nomine ſcripta, falſa monſtrantur. 394.c
Barnabæ epiſtola deſideratur. 395.e
Barnabæ falſo a quibuſdam tribuitur epiſtola Pauli ad Hebræos. 396.a
Barrabas idem fortaſſe quod Carrabas. 278.e
Barſabas locum Iudæ ſortitur cum Matthia. 167.c
Barſabas Iuſtus venenum ebibit ſine læſione. 167.b
Bartholomæus profecturus ad Indos Matthæi Euangelium ſecum detulit. 288.e
Bartholomæus in maiorem Armeniam profectus. 324.a
Baſilica quid. 490.b
Baſilica Aſcenſionis. 218.a
Baſilica erecta in honorem faſciarum Ieſu. 45.e
Baſilica Vaticana fontem habebat in atrio. 482.e
Baſilica Tranſliberim ad Fontem olei erecta. 11.b
Baſilides negauit mortuorum reſurrectionem. 503.c
Baſilides & Saturninus Simonis magi diſcipuli. 708.e
Baſiliſſa & Anaſtaſia Apoſtolorum diſcipulæ martyrio coronatæ. 68.c
Baſilius traditionum prædicator. 419.c
Baſis Annalium verus annus a natiuitate Chriſti. 35.e
Baſpanther filius Panther genuit Ioachim. 15.c
Baſſoræ & Parthi a Ioanne Euangeliſta fide imbuti. 325.a
Bataneæ regio. 69.a
Bataneam cum Trachonitide, &c. Philippus conſequitur. 69.a
Battologia potius quàm polylogia in oratione damnatur. 115.d
Beatius eſt dare quàm accipere, dictum Domini. 561.b
Bedæ error de viris & mulieribus ad feſta venientibus. 74.e
Belli Iudaici veritas a Ioſepho ſcripta. 704.d
Bellum Iudaicum quo anno cœptum. 656.b
Bellum Aretæ cum Herode. 100.d
Benedicere Deo in ſecundis menſis, Iudæorũ & Gentilium mos. 213.b
Benedicti Pererij opinio de tempore baptiſmi Chriſti. 36.c
Benedicti Pererij opinio de abominatione deſolationis. 661.e
Benedictio quomodo traderetur apud Hebræos. 213.b
Benedictio cum ſigno crucis ex traditionibus Apoſtolicis. 213.c
Benedictio ſponſi, & ſponſæ. 462.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Benxui Indis quid. 171.c
Berenice & Agrippa Paulum audiunt. 186.d
Berenice Agrippæ filia. 306.a
Berenice Florum pro Iudæis frustra deprecatur. 658.c
Berenice Hierosolymis votum soluebat. ibid.
Berenice Tito in delicijs fuit. 703.d
Berenice Vrbe inuita recedit. ibid.
Berenice, quæ & Veronica dicta. 184.c
de Berenice carmen Iuuenalis. 186.e
Berenices adamas pretiosissimus. 586.a
Beryllus Neronis pædagogus contra Iudæos. 586.e
Berythus oppidum. 315.d
Berythi coram Syriæ Præsidibus conuocatum Iudæorum concilium. 60.d
Bersa, & Codorlahomor. 52.a
Beræa quid Paulus egit. 403.c
Beselehel filius Vr. 27.c
Bethania vbi sita. 121.b
Bethania quantum distet ab Hierosolymis 121.b
Bethaniæ super Lazari tumbam ecclesia erecta. 139.b
Bethaniæ castellum cur dicatur Marthæ, & Mariæ. ibidem.
Bethaniam confluebat multitudo, non vt Iesum tantum, sed vt Lazarum etiam videret. 140.a
Bethlehem ciuitas Dauid. 27.c
Bethlehem situs. 44.b
Bethlehem triginta stadijs Hierosolymis distans. 33.a
Bethlehem Ioseph & Mariam reuersos occasione cuiusdam festi, falsum. 54.a
Bethlehem Magos non venisse, falsum. 55.a
Bethlehem cultus. 44.c
Bethlehem illustrata natali Domini. 44.b
Bethlehemiticis in suburbijs spelunca, vbi natus Christus. 43.e
Bethsaida vicus in ripa Genezareth, Iulia nuncupatus. 79.c
Bethsaida patria Petri, Andreæ, & Philippi Apostolorum. ibid.
Bethsaida oppidum. 107.a
Bethsaidæ cæcus curatur. 127.c
Bethsur vicus in tribu Iuda. 260.c
Biblia Septuaginta interpretum restituta ab Antonio Caraffa S. R. E. Cardinali Bibliothecario. 45.c
Bibliotheca Vaticana promptuarium ditissimum antiquarum rerum. in præf. pag. 3.
Bigamia in sacerdotio Pudicitiæ vetita. 340.e
Bigamos ordinari prohibet Apostolus. 531.a
Bigami cur non ordinandi. 532.c
Bigami excluſi ab ordinibus etiam a Gentilibus. 532.d
Bigamos in Ecclesia præsidere, probro ductum est. ibid. e
Bigamos nec apud Arianos ordinari potuisse. 535.d
Bimuli & trimuli a dæmonibus vexati. 119.e
Bimuli cur ab Herode occiduntur. 59.b
Bissextilis rationis Cæsar inuentor. 33.b
Blandina martyr in Gentiles quid. 385.a
Blasphemia audita, scindebant vestimenta sua Iudæi. 163.d
Blasphemantes lapidabantur. 165.b
Blastus super cubiculum Regis Agrippæ. 315.c
Boanerges qui dicti. 265.b
Bolides quod instrumentum. 589.b
Bona Ecclesiæ. 474.a
Bona Ecclesiæ restituta per edictum Constantini. 474.b
Bonorum temporalium vsus communis apud Apostolos. 330.c
Boniportus locus. 588.c
Boni viri titulo candidati salutabantur. 534.b
Bos & asinus ad præsepe Domini. 44.c
Bos antiqua voce Italiæ Luca appellari consueuit. 588.b
Bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. 655.e
Brachmani sacerdotes quibus ornamentis vti consueuerunt. 240.e
Brachmani ab Ethnicis celebrati. 635.a
Brandeum quid. 427.e
Britanni a Petro instructi. 325.d
Britanni per Suetonium Paulinum prosligati. 632.c
Britannicus Claudij filius a Nerone veneno sublatus. 521.a
Brutij a calumnia liberantur. 167.a
Brutios ad inferendas pœnas a Romanis destinatos, & cur. 166.e
Brutius scriptor martyrum Christianorum, siue Erutius. 742.e
Burrus Præfectus. 445.c
Burchardus descriptor Terræ sanctæ corrigitur. 27.c
Byzantinæ Ecclesiæ prouidit Petrus. 316.a
Byblis oppidum Palæstinæ. 315.d

C

Caath familia Leuitici generis. 26.e
Caduuera aspicere sacerdotibus & Pontifici interdictum. 340.d
Caduuerum condiendorum mos apud Aegyptios. 195.a
Cæci duo, & dæmoniacus mutus curati a Domino. 111.a
Cæcos in templum admitti solitos, & si erant ex genere sacerdotali, etiam inter sacerdotes residere. 227.c
Cæcum illuminat Paulus Athenis. 407.d
Cæcus in templo Domini sacerdotio fungi non poterat. 57.b
Cæcus illuminatus a Iesu. 139.c
Cæcus a natiuitate visum recipit. 134.d
Cæcus illuminatus a Christo excommunicatione mulctatus. 448.e
Cæcilianus cultus martyris non recepti im probator. 430.b
Cædes nefaria Herodis in suos. 66.a
Cælibatum simulatum exagitauit Augustus, coniugium laudauit. 73.a
Cælibatus Pauli. 466.c. 469.b
Cælibatus Pauli non potest in dubium reu ocari. 466.e
Cælibatus Pauli multis probatur. 469.d
Cælibatus sacrorum ministrorum. 528.e.529.c. 531. 533.
Cælibatus arctus Ecclesiæ Orientalis. 529.a
Cælicolæ Iudæi dicti, cur. 605.b
Cælius mons totus conflagrauit. 85.d
Cæmentarius sanatur aridam habens manum. 112.d
C. Cæsar Iudææ rursum tributum imperauit. 3.d
Cæsar quidam falso inter discipulos Christi nominatus. 136.b
C. Cæsar Augusti filius adoptiuus. 29.d
C. Cæsar adoptiuus ad bellum Armenicum profectus. ibid.
C. Cæsar adoptiuus in prouincia Syriæ defunctus. 29.d
Cæsar templi Dianæ expilationem prohibet. 507.c
Cæsar nimius fuit in attondenda barba. 577.d
Cæsar in signum mœstitiæ capillos & barbam submisit. ibidem.
Cæsaream Philippus dici voluit vrbem Paneada. 79.c. 109.e
Cæsarea metropolis Palæstinæ, & non Hierosolyma, cur. 271.d
Cæsarea Philippi Neronia dicta. 127.d

Cæsarea duplex.
Cæsarea in honorem Cæsaris ab Herode dedicata. 52.d
Cæsarea colonia Romanorum. 703.c
Cæsaream Agrippa se confert. 315.c
Cæsaream Petrus petit. 286.d
Cæsareæ Petri res gestæ prætermittuntur, & cur. 287.a
Cæsari quæ sunt Cæsaris reddenda, quomodo. 142.a
Cæsarienses & Sebasteni quid contra Agrippam defunctum. 360.c
Cæsarienses Gentiles quid contra Iudæos. 359.d
Cæsarienses Gentiles Iudæos apud se habitantes occidunt. 656.c
Cæsarius frater S. Gregorij Nysseni cum myrrha sepultus. 244.d
Cæsarius Arelatensis Episcopus. 249.b
Cæsaris nomine nonnisi Imperatores vocabantur. 136.a
Cæsarum progenies in Nerone extincta. 684.e
Cæsonia vxor Caij. 305.d
Cæstius, vide, Cestius.
Cæturæ filij donati ab Abraham. 51.e
Cæus sophista virtutis & improbitatis describit imagines. 476.a
Caiani hæretici nomine Iudæ proditoris pseudoeuangelium composuere. 328.a
Caietæ promontorium scissum terræmotu tempore passionis Domini. 181.c
Caiphæ assensus ad sententiam requirebatur. 88.c
Caiphas summus Pontifex anni illius, quomodo intelligitur. 139.d
Caiphas in sacerdotio quot annos fuerit. 87.d
Caiphas & Anna quomodo simul dicantur Principes sacerdotum: & eorum functio distincta. 88.b
Caiphas mortis Iesu cupidus captiose eum interrogat. 163.a
Caiphas scidit vestimenta sua præter morem sacerdotum. 163.c
Caiphas vitæ pertæsus mortem sibi conscinit. 267.c
Caij sophistæ laus. 476.a
Caij Caligulæ Consulatus. 284.b
Caij Caligulæ effigies in synagogis Iudæorum Alexandriæ statuuntur. 182.a
Caius Caligula malum Reip. optabat. 721.b
Caij verba in Petronium. 296.b
Caij mores pessimi, & inconstans ingenium. 300.e. 301.a
Caij & Tiberij mentionem Consules non faciebant. 305.d
Caij simulacra sublata, & numismata conflata. 358.c
Caij imagines abolitæ. 358.e
Caij in Petronium odium. 296.b
Caij consiliarius quis. 291.a
Caij statuæ in templum Iudæorum inferendæ nuncium. 293.c
Caij nouum consilium de simulacro in templum inferendo. 301.c
Caius de vsu porcinæ carnis compellat Iudæos. 301.a
Caius a Tiberio heres Imperij relinquitur. 268.b
Caius Germanici filius priuatus ab Agrippa Aristobuli filio colitur. 85.b
Caius Aegyptum cogitat. 300.e
Caius Agrippam soluit, & Regem facit. 268.e
Caius Iudæorum ærumnas irridet. 282.c
Caius ademptam Herodi tetrarchiam ad Agrippæ regnum adijcit. 283.b
Caius eo dementiæ venit, vt deus ab omnibus haberi & coli voluerit, & Ioui præferri. 290.c
Caius colossum aureum in templo erigi mandat, & qua occasione. 291.a
Caius templum sibi dedicari vult, & quo titulo. 301.b
Caius quibus consultoribus vtebatur. 291.a
Caius Agrippæ donat, ne fiat in templo dedicatio statuæ. 301.b
Caius occipitia adolescentulorum radit. 572.a
Caius quo tempore Hierosolymam aduenerit, de quo ab Augusto laudatur. 48.b
Caius Caligula nepos Tiberij ex Germanico heres regni relinquitur. 268.c
Caius Sosius Syriæ Præses. 29.a
Caius quo anno suæ ætatis obijt, & a quibus occisus. 305.a
Caius & Aristarchus socij Pauli. 508.a
Calamitas Iudæorum Alexandrinorum. 279.d
Calamitas Iudæorum Alexandrinorum in statua Caij locanda in templo. 293.e
Calamitas Iudæorum. 377.e
Calamitates domesticæ Herodis. 66.a
Calcei Domini. 479.a
Calceorum vsus apud Christianos. 479.a
Calceos multi Christiani non habebant. 479.b
Calendæ Ianuarij expiatæ. 49.d
Caligula Imperator qualis fuit. 268.c
Caligula deus ab omnibus coli volnit. 282.d
Caligulæ Consulatus. 284.b
Caligula S. Honorati mortuum reuocat. 427.e
Calix, in quo Dominus consecrauit, qualis & vbi. 160.e
Callirhoes balnea. 68.b
Callistus Pontifex tabernam meritoriam illustrauit ecclesia. 11.b
Callistus Episcopus Constantinopolitanus. 316.b
Calphurnius Asprenas seruum Neronem se esse fingentem occidit. 684.e
Calvariæ locus Golgotha cur sic dictus: ibi sepulchrum Adæ. 175.d
Calumniæ Apronij in Iudæos. 303.d
Calumniæ hæreticorum in Virginem Mariam. 570.d
Calumniæ in Apostolos. 388.d
Calumniæ in cælibatum Pauli vnde. 468.e
Cambyses Rex Persarum alabastrum vnguenti dono mittit ad Regem Aethiopum. 121.c
Camelus per foramen acus, adagium apud Hebræos, & quomodo intelligendum. 137.d
Camillus Scribonianus Præfectus Dalmatiæ. 332.c
Camillus Scribonianus aduersus Claudium. 332.e
Camithi filius Simon sacerdos factus. 80.d
Campanarum vsus in Ecclesia. 562.d. vnde dictæ. 562.d
Cananæa mulier cur sic dicta. 127.a
Cananææ filia sanatur. 27.a.165.b
Candaces appellatas esse Reginas Aethiopum. 260.a
Candelabrum Iudæorum in arcu triumphali Titi. 701.e
Candidati Boni viri titulo salutabantur. 534.a
Candidatus mittitur Iesus ab Herode ad Pilatum, & cur. 166.b
Candor vestium quid. 165.d
Cana oppidum in Galilæa. 95.d
Canæ Galilææ nuptiarum locus ecclesia nobilitatus. 97.e
Canendi laudes vsus. 401.e
Canendi mores indecoros insectatur Chrysostomos. 401.d
in Canæ Galilææ nuptijs quis sponsus. 94.e
Canæ Galilææ locus ecclesia a S. Helena illustratus. 97.a
Canon Apostolorum de non abijcienda vxore quomodo intelligendus. 530.a
Canon Nicænæ Synodi mulierum cum clericis habitationem prohibens. 529.e
Canon Græcorum de ætate presbyteri ordinandi. 36.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Canon Nicæni Concilij aduersus bigamos. 36.c
Canon Sextæ Synodi spurius. 237.b
Canon Concilij Toletani de tonsura dilatanda, & cur. 537.b
Canon Synodi Laodicenæ de Angelorum adoratione declaratur. 484.a.607.e
Canon de imaginibus non receptus. 487.c
Canon Synodi Antiochenæ pro imaginibus. 484.a
Canon Eliberini Concilij contra imagines irritus. 487.a.e
Canonum Græcorum & Latinorum collectorum nomina. 487.e
Cantabris rebellantibus portæ Iani apertæ. 46.b
Cantandi ritus diuersarum Ecclesiarum. 611.e
Cantare in ecclesia populus cur vetitus. 610.a
Cantare in cordibus apud Paulum quid. 608.a
Cantharus in atrio ecclesiæ Vaticanæ. 482.e.494.d
Cantici dramatis qui. 608.e
Canticorum modestiam corrumpentes obiurgati. 611.a
Cantiones Christianorum priuatæ quales. 613.c
in Canticis gestus olim fieri soliti exoleuerunt. 609.a
Cantus Ecclesiasticus vnde ortus. 608.c
Cantus post cœnam. 493.d
Cantus Essenorum. 608.d
Cantus sententia Patrum probatus. 609.b
Cantus psalmorum in vniuersa Ecclesia. 609.d
Cantus religiosus quàm proficuus. 611.c.613.d
Cantus Christianorum qualis. 610.b
Cantor, seu Psalmista, officium potius, quàm ordo. 338.c
Cantor sola iussione presbyteri munus obire poterat. 338.b
Cantus Ecclesiastici traditio. 608.c
Cantus feminarum cum viris interdicti. 609.a
Cantus Ecclesiastici corruptores. 612.b
de Cantu Ciceronis sententia. 610.b
Cantus die & nocte in ecclesia. 609.a
Cantus molles reprehenduntur. 610.b.e
Capernaum fons apud Genesareth. 107.a
Caphargamala villa Gamalielis interpretatur. 244.a
Capharnaum vna ex decem ciuitatibus Galilææ. 103.d
Capharnaum Christi ciuitas appellata, & cur. 104.a
Capharnaum vnde dicitur. 107.a
Capharnaum & Corozain quando euenerint mala prædicta a Domino. 682.a
Capitis abrasio omnis in contumeliam. 571.e
Capillorum ornatus. vide, Ornatus.
Capillorum defecatio in virginibus Deo dicandis quid significet. 477.d
Capillorum amputandorum diuersi ritus. 477.e
Capito Flori Centurio. 657.b
Capitonis opera Caius in Iudæos impellitur. 290.e
Capitolium concrematum restituitur a Vespasiano. 693.d
Capitonis Quæstoris litteræ ad Caium contra Iudæos. 290.d
Cappadociam Petrus petit. 315.e
Captiuorum & occisorum numerus in excidio Hierosolymitano. 128.b
Caput vnum visibile in Ecclesia statuendum. 128.a
Caput Ecclesiæ Dei Filius. 2.b
Carcer Mamertinus. 666.a.651.e
Carcer Apostolorum Romæ. 651.e
Carcer Cyzicenus in quo Paulus fuisse creditur. 538.a
Carcer Tullianus. 538.a
Carcer Petri Hierosolymis. 313.d
Carcer Ioannis Baptistæ. 100.b.c
Carcerem Petri non fuisse extra ciuitatem. 313.e
Carceres famosissimi. 538.a.b
Carceris Petri custodes ab Herode suffocati. 315.b
Carceris Petri & Pauli tempus sub Nerone. 651.d
Carioth oppidum in tribu Iuda. 114.b
Cariatharbe, id est oppidum virorum quatuor. 176.b
Cariatharbe, idem quod ciuitas Arbæ. 176.b
Carmen Prudentij de Petri crucifixione. 671.a
de stella Magorum. 55.d
de Cassiano & Hippolyto martyribus. 487.d
de exilio Iudæorum. 699.a
de carnificinis Christianorum. 743.a
Carmen Paulini de amictu Ioannis Baptistæ. 89.c
de vsu pastophoriorum in ecclesia. 482.b
de cantharo in atrio ecclesiæ Vaticanæ. 482.e
de Cruce, & imaginibus basilicarum. 486.c
de Epiphania. 96.e
de cereis in ecclesia accensis. 550.c
Carmen Persij de lotione Romanorum ante ingressum in templum. 483.b
Carmen apud Lactantium de imagine Christi cruci affixi. 486.b
Carmen Horatij de tabella voto suspensa. 507.a
Carmen Plauti de tessera hospitalitatis. 714.c.715.a
Carmen Gregorij Nazianzeni de Thecla. 365.c
Carmina Martialis & Iuuenalis de Iudæis. 11.b.
Carmina Sibyllina de tempore futuri Iudicij. 400.c
Carmina Sibyllina prædicebant affore Regem, a quo tantum sperandæ salus esset. 46.c
Carnificina Christianorum locus dictus ad Aquas Salvias. 667.d
Carnificinæ Christianorum in Vrbe diuersis in locis. 667.d
Caro nostra corpore Christi nutritur. 156.e
Carpi Cretensis visio. 596.e.597.b
Carpocratiani. 309.c
Carpus Pauli an idem cum Carpo Dionysij. 596.d
Carrabas insanus ludibrio in Regem transformatus ab Alexandrinis. 278.c
Caspij canes alebant hominum cadaueribus. 320.b
Cassius tributum Iudæis imperauit. 30.a
Cassius, Chereas, & Cornelius Sabinus in Caium coniurant. 305.e
Cassius clade & depopulatione Iudæos afficit. 3.d.e
Cassianus hospes Ignatij. 730.a
Cassiodori sententiam de anno, quo Christo natus est, ceteris præstare. 34.a
Cassiodori liber de computo Paschali. 34.b
Casula quid. 548.b
Castitatem excolebant Pharisæi vsque ad certum tempus. 5.a
Castorum insigne quale. 591.a
Castores cur dicti Pollux & Castor. 591.b
Castor & Pollux propitij nauigantibus credebantur. 691.a
Catalogus testantium Petrum Romam venisse. 320.e
Cataphrygæ hæretici. 250.b
Catathema quid. 505.e
Catena ferrea Agrippæ a Caio donata & suspensa quid significaret. 307.a
Catenarum Petri laudes. 314.b.d
Cathedra vna monstratur. 307.c
Cathedræ Antiochenæ festa dies. 271.e
Cathedræ Romanæ anniuersarius dies. 341.d
Cathedra Petri lignea Romæ veneration habita. 345.a
Cathedræ linteatæ. 345.e
Cathedræ primæ in synagogis. 74.a
Cathedra Iacobi. 239.c
Catholici nominantur Christiani ad distinctionem hæreticorum. 311.d
Catholicus ab hæretico quo signo dignoscendus. 343.c. 344.c.

Catho-

Catholicum quid significet. 310.a.b
Catholicus & Romanus idem. 344.e
Cato Minor pallio vsus. 78.a
Catulus ter mille ex Iudæis in Cyrene trucidat. 740.a
Cauda insula vbi posita. 589.a
Cautes Cephæ nomine significatur. 93.c
P. Celer apud Neronem accusatus. 509.c
P. Celer & P. Aelius Silano necem intulerunt. 509.e
Cellæ nonaginta in templo Salomonis. 17.c
Cellæ frumentariæ Hierosolymis incendio absumptæ. 689.a
Celsus Epicureus hæreticus. 32.e.178.c
Cenchreæ portus, & nauale Corinthiorum. 422.b
Censebant Romani populum quolibet lustro. 30.b
Censendi populi tempus. 30.a
Censeri qui solerent, & quoto die infantes. 31.d
Censor morum Architriclinus. 94.e
Censorinus scriptor egregius. 725.c
Censu Cæsaris descriptus Iesus Christus accepto nomine. 49.b
Census sub Saturnino. 30.d
Census tabulæ Consulum nomine notabantur. 31.c
Censum soluebant omnes cuiuscumque ætatis, & sexus. 31.d
Census sub Quirino bis actus. 29.e
Census sub Quirino cur Ethnici non meminerint. 33.a
Census diuersi ab Augusto imperati. 31.e.32.a
Census lustralis quolibet quinquennio. 31.e
Census descriptionis forma sæpe mutata. 32.a
Census lustralis exactio quousque perseuerauerit. 32.a
Census Tertulliani temporibus. 32.a
Census causa viri viginti delecti, & in prouincias missi ab Augusto. 32.b
Census plures ab Augusto exacti. 32.b
Census Senatus ab Augusto. 32.c
Census tribus Gallijs imperatus. 32.c
Census primi Augusti cur nullus historicus meminerit. 32.d
Census tabulæ in Romanis archiuis asseruabantur. 32.e
Census ab Augusto impositi ratio multiplex. 32.a
Census occasione exorta secta Galilæorum. 62.e
Censuræ Ecclesiasticæ degradationis, & suspensionis. 452.e
Centumuirum collegium apud Romanos. 135.e
Centuriatorum conatus. in præf. pag. 1.
Centurio Vitellius Proculus. 307.e
Centurio Longinus nomine martyr. 182.b
Centurio ab Angelo traditur Petro imbuendus. 213.a
Centurio a Domino commendatus cuius legionis. 115.c
Cephas primarius lapis. 92.e
Cephas Petrus vocatus a Domino. 92.c
Cephas vox Syriaca. 92.e.93.c
Cephas Syriace petram durissimam significat. 92.c
Cephæ nomen Græcum, & Syriacum. 93.e
Cephas dixit interpres, Petrus, & non Petra, cur. 93.a
Cephas quidam alius a Petro ponitur a Clemente Alexandrino. 389.c
sed a Hieronymo non probatur. 389.d
Cephas vnus ex septuaginta. 136.c
Cephæ Græca interpretatio. 93.e
Cephæ plures introducti. 389.c
Cera sacra mirabiliter ignem extinguens. 150.e
Cerei Paschalis mysterium. 551.a
Cerei accensi in honorem martyrum. 548.d
Cereorum in ecclesia accensorum significatio. 549.e
Cereos in populum distribuere mos fuit. 340.e
Ceroferariorum ordo. 548.e
Cerostata. 550.c
Certamen quinquennale a quo institutum, & quando. 725.c
Cestius Florus Præses in Iudæam missus. 642.d
Cestius in Iudæos quæ. 643.c
Cestius Hierosolymam obsidet. 660.d
Cestius Ioppen deuastat. 660.c
Cestius Hierosolymam capere neglexit miro Dei consilio. 660.d
Cestius nobiles Iudæos transfugas mittit ad Neronem. 660.d
in Chalcedonensi Concilio orationem Latine prius, postea Græce habuit Marcianus Imp. 78.e
Chalcidius Platonicus de Magis meminit, & de ortu stellæ. 51.a
Carioth oppidum in tribu Iuda. 114.b
Chebron idem quod Hebron. 26.e
eius antiquitas. 26.e
Chebron antiquior, quàm Thamis. 26.e
Chebron ab Hierosolymis quantum distaret. 27.b
Chephira vicus. 107.a
Cherinthus primus post Simonem hæresiarcha. 287.b. Pseudoapostolus dictus, contra Petrum & Paulum inuehitur. 287.d
Cherinthus hæresiarcha quæ moliatur. 381.b
Cherinthus, & Merinthus. 533.c
Cherinthus hæreticus resurrectionem negat. 503.c
Cherinthus pseudoapostolus. 287.d
Cherinthi hæresis confutata a Paulo. 606.b
Cherinthus Christi resurrectionem negabat. 503.c
Cherinthus & Ebion inter se consentientes. 707.c
Cherinthus Reuelationes sub nomine Apostolorum edidit. 740.b
Cherinthus & Carpocras hæretici Matthæi Euangelium descripserunt. 290.a
Chlamydem coccineam fuisse vestem militarem. 167.e
Chreston Latine bonum & commodum significat. 390.a
Christum Gentiles Chrestum appellabant, & Christianos Chrestianos. 390.a
Chrismatis sacramentum. 255.b.c.d.e
Chrismatis ampullæ miraculum. 255.c
Chrismatis sacramentum nuncupari consuenit Sacramentum confirmationis. 254.b
Christi genealogia varie describitur. 11.d
Christi aduentus prophetijs Gentilium obscure prædictus. 9.e
Christi aduentum quæ præcesserint prodigia. 9.e
Christi aduentus tempus opportunum. 2.a
de Christi die natali diuersæ sententiæ. 40.b
Christi natalis. 43.e
Christi præsepe. 44.b
Christi nascentis prodigia. 46.a
Christi circumcisio. 49.a
Christi typus Melchisedech. 156.a
Christi interitum Herodem & alios procurasse. 68.a
Christi fuga in Aegyptum. 57.d
Christi prædicationis tempus. 97.e
Christi prædicationis anni vnde auspicandi, & quomodo distinguendi. 100.a
Christi opera diuersa. 136.d
Christi parabolæ. 122.b
Christi mora in Iudæa. 99.c
Christi primum miraculum. 95.d
Christi baptismus. 90.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christi prædicatio quando cœpit. 86.a
Christi reditus ex Aegypto. 70.b
Christi aduentus præsagia Augusto tributa. 10.d
Christi sorores, & fratres nominati. 15.b
Christi regia persona a Matthæo insinuatur. 11.d
Christi aduentus Iudæis & Gentilibus prænunciatus. 7.d.e
Christi aduentus prænuncia oracula male tributa Imperatoribus. 9.d
Christi genealogia quibus mendacijs deprauata ab impijs. 13.a.b.c
de Christi vitæ & passionis tempore diuersæ opiniones. 185.b
Christi prædicationis annus primus a Ioanne digestus. 97.c
Christi passionis annus. 185.a
Christi corpus offertur pro sacrificijs omnibus veteris Testamenti. 158.c
Christi genealogiá cur diuerso ordine retulerint Matthæus & Lucas. 11.d.e
Christi crucem negantes. 660.c
Christi sanguine qui sint abluti. 1.e
Christi excellentia super Angelos cur inculcata. 605.e
Christi passio futura salutem dedit. 2.a
Christi imago a Syrophœnissa erecta. 109.d. 484.b
Christi incarnationis futuræ fide salui facti sunt homines, vt præteritæ. 2.a
Christi adulteras esse præuaricantes virgines. 477.a
Christi natalis ex libris Sibyllinis notus. 48.b
Christi circumcisio. 49.a.b
Christi venturi typum gerebat Salomon. 52.e
Christi miracula, cum ad festum Scenophegiæ profectus esset. 134.c
in Christi aduentu paucorum religio. 7.b
Christi aduentu tantum defecerat sceptrum Iudæ. 3.d
Christi tempore nondum erectum templum Pacis. 47.a
Christiani a Christo, Christi a chrismate nomen deductum. 308.a
Christiani apud Alexandriam habitantes. 18.b
Christiani Nazarei dicti. 72.b. 310.b
Christiani Galilæi nominati. 72.b
Christiani Fratres appellati, & Sancti. 309.c
Christiani vocati Credentes, & Fideles. 310.a
Christiani a Gentilibus impostores dicti. 433.c
Christiani Sibyllistæ dicti, & cur. 7.c
Christiani vetiti a lectione Prophetarum & Sibyllarum pœna mortis. 8.b
Christiani Iudæorum inuidia bonis spoliati. 472.e
Christiani ad Orientem conuersi orabant. 481.d
Christiani sine calceis orabant. 479.a
Christiani manibus lotis orabant. 483.e
Christiani in priuatis domibus, vel in cryptis conueniebant. 481.c
Christiani Hierosolymis abscedunt iuxta præceptum Domini, quando. 660.d
Christiani quo anno Roma pulsi a Claudio. 380.b.d
Christiani dicti Chrestiani. 309.a
Christiani supellectilia saluant in abominatione desolationis. 662.d
Christiani sub Essenorũ nomine a Philone laudantur. 636.b
Christiani non barba rasa, sed pallio ab Ethnicis distinguebantur. 577.b
Christiani de incendio Vrbis calumniam passi. 638.a
Christiani a calumnia incendij Vrbis liberantur. 639.e
Christiani sub Nerone passi primitiæ martyrum dicti. 641.a
Christiani ferarum tergis contecti a feris lanianturs. 639.b
Christiani qua spe operibus misericordiæ incubunt. 713.a
Christiani sub Cestio recedunt Hierosolymis. 660.e
Christiani qui nominandi. 2.a
Christiani, id est, Vncti. 11.d
Christiani omnes Hierosolymis pulsi, Apostolis ibi permanentibus. 250.a
Christiani primum pulsi Hierosolymis. 250.c
Christiani dicti Sancti. 310.a
Christiani dicti Catholici. 310.d
Christiani vt impostores derisi sub Nerone. 640.d
Christiani cum Iudæis necati. 689.e
Christiani spe vitæ æternæ omnia præstant. 713.b
Christiani sub Neronis Imperio infamati. 639.d
Christiani primi diu vixerunt, & cur. 715.e
Christiani præter fidem omnia habent contemptui. 713.b
Christiani sub Titi Imperio securi. 718.a
Christiani quid in calamitatibus Iudæorum. 295.a
Christiani laus, cum nullo habere negotium. 453.c
Christianis omnia communia præter vxores. 309.d
Christianis soleis vtendum. 479.b
Christianis persuasum, omnes inter se fratres esse. 713.b
Christianitas prima. 223.b
Christianorum annuli quo signo sculpendi. 463.d
Christianorum conuiuia qualia. 492.e
Christianorum effusa largitas. 473.a
in Christianorum conuiuijs cantica etiam adhiberi solita qualia. 493.c
Christianorum legio victoriam precibus obtinuit. 565.c
Christianorum nomen cur infamaretur. 639.a
Christianorum Pontificum corona. 240.e
Christianorum qui Hierosolymis expulsi sunt enumeratio. 251.a
Christianorum religio a Claudio inter superstitiones numeratur. 377.e
Christianorum Apologiæ. 639.d
Christianorum irrisiones. 640.d
Christianorum sub Nerone necatorum quo die memoria agitur. 641.b
Christianorum Agapes. 491.e
Christianorum studium in legendis libris Sibyllinis. 8.b
Christianorum studium inuandi peregrinos, ac miserabiles personas. 335.c. 712.d. 713.
Christianorum erga Iudæos officia. 295.a
Christianorum nomen vbi inchoatum. 308.e
Christianorum diuersa nomina. 309.c
Christianorum persecutio ab Agrippa. 312.b
Christianorum modestia. 710.d
Christianorũ carnificinæ locus ad Aquas Saluias, & alibi. 667.d
Christianorum hospitalitas. 714.d
Christianorum causa omnia mala imminere existimabant Gentiles. 724.e
Christianorum religionem Iudaico nomine Gentiles solitos consignare, & cur. 743.e
Christianos etiam hæretici suos sectatores appellare consueuerunt. 309.c
Christianos ab Apostolis indumenti formam mutuatos. 478.c
Christianos bene vsos pacis temporibus ad dilatandam fidem. 716.e
Christo diuinus honor exhibitus quando. 140.d
Christo nubere Deo dicatas virgines recipit Ecclesia. 464.e. 477.a
Christo Aegyptum adeunti quæ contigerint. 57.c
Christo nemo contradixit anno primo suæ prædicationis. 111.b
Christo parantur insidiæ ex tributi pensione. 141.e
in Christo & per Christum sancti omnes salutẽ consecuti. 1.e
Christo in cuius domo cœna paratur. 146.a
Christum adorat arbor inflexa. 57.c

Christum

Christum passum esse anno quadragesimosexto suæ ætatis quidam leuiter opinati sunt. 185.d
Christum passum esse post annum suæ ætatis quinquagesimum, nonnulli arbitrati sunt, & rude moti. 185.d
Christum passum esse post annum suæ ætatis quinquagesimum, scripsit Irenæus, sed aliud alibi sentire videtur. 185.c
Christum passum esse anno suæ ætatis trigesimo, & quintodecimo Tiberij, falso arbitratus est Tertullianus, & ante ipsum Valentinus hæresiarcha. 185.e
Christum passum esse sub Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino, asserit Tertullianus, ex quo multi errandi occasionem acceperunt viri præcipui. ibid.
Christum trigesimo impleto anno passum tradit Clemens Alexandrinus. 186.a
Christum saltem tangere omnes optabant. 112.e
Christum passum esse anno trigesimotertio suæ ætatis per tres menses inchoato, falsum. 186.e
Christum annum tantum Euangelium prædicasse opinati sunt Gnostici. 186.a
Christum quæ secta non receperunt. 4.d
Christum passum esse anno decimoseptimo Tiberij affirmat Orosius. 186.c
Christum vixisse vno & triginta annis, tradit Philastrius, & Gaudentius Brixianus. ibid.
Christum duobus annis prædicasse sentit Apollinaris Laodicenus. 186.b
Christum fuisse tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ, quomodo intelligitur. 198.c
Christum professi, abiecta toga, pallium induebant. 434.e
Christum non vere passum primus Simon magus dissemìnauit. 600.d
Christum mortuum anno ætatis suæ quadragesimosexto, falsum. 185.b
Christus quomodo innotuit Augusto per Sibyllam. 10.d
Christus Ecclesiæ fundamentum. 1.b
Christus, id est, Vnctus. 11.a
Christus ex stirpe regia & genere sacerdotali. 11.d.e. 12.a.b.c.d
Christus quid sit. 1.e
Christus quoto ab origine mundi anno natus. 39.e
Christus quoto anno ab Vrbe condita natus. 37.e
Christus quo Herodis anno natus. 39.d. 41.d
Christus quo anno Augusti natus. 34.c
Christus quo tempore conceptus. 26.c. 40.b
Christus quo die natus. 26.b. 40.e
Christus nocte nascitur. 41.c. 43.e. 44.c
Christus quo mense & die sit natus. 40.d. 41.a.b
Christus qua Olympiade natus. 33.d. 34.c
Christus quibus Consulibus natus sit. 34.a
Christus fascijs inuolutus. 45.
Christus vbi circumcisus. 49.a
Christus offertur in templo. 56.a
Christus nascens Virginis claustra non violauit. 56.c
Christus describitur in censu sub Quirino. 32.e
Christus in infantia miracula non fecit, & cur. 75.b
Christus non modo filius fabri, sed & faber dictus. 75.c
Christus iugi & aratri similitudine vtitur, & cur. ibid.
Christus annorum duodecim. 73.d
Christus quo anno baptizatus. 90.e
Christus Nazarenus dictus. 72.b
Christus Galilæus nominatus ab impijs. 72.c
Christus ex stirpe Dauidica. 11.c
Christus eam feminam, in qua formam serui accepit, esse liberam voluit. 20.d
Christus sacras nuptias probauit. 91.e
Christus virginem nonnisi virgini commendauit. 22.c
Christus vnus ex duabus naturis eodem momento & perfectus Deus, & perfectus homo. 26.c
Christus Princeps pacis. 46.c
Christus existimatur ab Herode Ioannes Baptista. 61.a
Christus quanto tempore in Aegypto mansit. 70.b
Christus & Apostoli Galilæi. 64.b
Christus cur primum ad Annam perductus. 161.d
Christus petra. 93.a
Christus pendente descriptione sub Quirino natus, circumcisus, descriptus. 35.d
Christus montem ascendens elegit mox duodecim Apostolos. 112.e
Christus quæ patitur a suis. 122.a
Christus mittit Apostolos binos. 122.b
Christus de sua passione prædicit. 130.d
Christus Ecclesiæ fundamentum. 1.d
Christus quomodo super pinnaculum templi delatus sit. 91.e
Christus quid cum inuaditur. 165.b
Christus exuitur chlamyde, & proprijs induitur vestimentis. 170.a
Christus quasi hortulanus apparet Mariæ Magdalenæ. 201.d
Christus nouissime Apostolis manifestatur. 210.d
Christus eleuatus in cœlum, cuius figuram manipulus exprimebat. 220.c
Christus Rex & sacerdos. 453.e
Christus transmittit in suos regiam potestatem. 455.b
Christus magiæ insimulatur. 216.d
Christus curat dæmoniacum, & socrum Simonis. 107.b
Christus increpat dæmonia. ibid.
Christus in Iudæa quamdiu mansit. 99.e
Christus imperat vento, & mari. 107.c
Christus abijt Ephren. 139.e
Christus quo anno & quo mense suæ ætatis cruci affixus. 187.d
Christus vbi orauit. 161.c
Christus quo anno Tiberij passus. 188.d
Christus quo die passus. 189.d
Christus quo die resurrexit. 189.c
Christus ibi crucifixus, vbi Isaac immolatus. 175.c
Christus quotidie Fidelibus immolatur. 163.c
Christus falsò dicitur fuisse in templo sacerdos. 455.a
Christus quando abstulit spolia Damasci, & Samariæ. 52.b
Christus a nonnullis falso putatus Herodes. 5.a
Christus creditus a multis Vespasianus. 9.a
Chronicon Philonis an ipsius sit. 60.a
Chronicon Ioannis Antiochiæ Episcopi mendacijs scatet. 110.b
Chrysostomi locus explicatus de præsepe Domini. 45.a
Chrysostomus traditionum assertor. 420.d
Ciborum delectus. 512.e
Cibos non damnat Ecclesia, sed abstinentiam commendat. ibidem.
Cibos & nuptias detestantes qui. 511.c
Cibyres vrbis Cariæ fons. 95.e
Cicero multa vaticinia adducit ex Sibylla Cumana. 9.b
Cilicia sub prouincia Syriæ redacta. 29.c
Cineris copia ciuitates obruit. 719.d
Cinis Vesuuij vsquequo peruenerit. 719.e
Cingulum laneum sponsarum Christi. 477.d
Circulus Solem ambiens visus Augusti tempore. 10.d
Circuitus, seu Periodi libri appellati. 286.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Circumcidit Paulus Timotheum, & cur. 397.c
Circumcisio Christi in spelunca. 49.b
Circumcisio Domini sub quibus Consulibus. 49.a
Circumcisio an in templo facienda. 49.b
Circumcisio fiebat etiam in sabbato. 150.d
Circumcisionem necessariam fuisse in lege veteri. 334.b
Circumcisionis minister dictus Christus. 387.d
Circus Neronis in Vaticano. 670.c
Cisson torrens. 132.c
Cithara ab ecclesiæ modulatione proscripta. 612.e
Ciues Romani qui. 31.e
Ciuitas nobilior, exceptis Hierosolymis, in Palæstina quæ. 26.e
Ciuitas Dauid Bethlehem. 27.c
Ciuitas Iuda quæ dicta. 26.e. prima obtigit sorte familiæ Caath. 26.e
Ciuitates diuisæ ad habitandum tribui Leuiticæ. 26.d
Ciuium Romæ censitorum numerus tempore Claudij. 380.a
Clades Iudæorum Alexandrinorum. 279.a
Clades Variana. 70.b. 574.c
Clades Hierosolymitana & bellum neci Iacobi attributa a Iosepho. 215.c. 692. 693. 694.
Clandestina matrimonia prohibita. 462.e
Claudij Imperium. 305.e
Claudij edicta pro Iudæis. 306.b.c.d
Claudij litteræ ad Fadum. 376.a. eiusdem litteræ ad S.P.Q. Iudæorum. 376.b
Claudij Lysiæ litteræ de Paulo ad Præsidem Felicem. 582.b
Claudij solertia in annona procuranda. 333.a
Claudij tempore fames in toto Orbe, quo anno. 332.e
Claudio mortuo Iudæi Romam redeunt. 445.b
Claudiopolis Bithyniæ ciuitas. 315.e
Claudius Imperium capessit. 305.e
Claudius Latini sermonis ignarum indicem albo erasit. 78.c
Claudius Agrippæ regnum confirmat & auget. 306.d
Claudius quo tempore, & qua occasione Romanum Portum extruxit. 333.a
Claudius multa sacrificia Romæ abrogauit. 358.b
Claudius retinendæ stolæ pontificiæ Iudæis potestatem facit. 376.b
Claudius Aruspicum disciplinam restituendam curat, & qua occasione. 377.b
Claudius Agrippæ ius in res sacras tribuit. 313.b
Claudius Agrippam Agrippæ filium constituit in regno patrui. 377.d
Claudius Iudæos Vrbe pellit, quo anno. 380.d
Claudius Neronem adoptat. 411.a. 421.e
Claudius quando obijt. 445.a
Claudius Iconoclasta. 488.a
Claudius reliquiarum impugnator. 427.c
Claudus a Petro sanatus in qua parte templi esset. 226.e. 228.e. Mysterium ex miraculo. 229.b
Claudus sanatus a Petro ante diaconorum electionem. 228.d.
Claui cruci affixi Domini an quatuor. 177.e
Clauos extractos a Christi manibus ac pedibus in sinu sito Dei genitrix accepit. 182.d
Clemens Stromateus. 99.a
Clemens post Petrum tertius, vel etiam quartus Pontifex. 678.d
Clemens post Linum & Cletum sedit. 678.a. 679.d
Clemens non ante Domitiani tempora sedit. 678.b
Clemens & Linus quomodo sedisse dicantur viuente Petro. 679.e
Clemens a Petro ordinatus. 680.a
Clemens quot annos sedit. 728.d
Clemens virginitatem docet. 707.e
Clemens perpetuam virginitatem coluit. 730.b
Clemens quos instituit Episcopos. 735.b
Clemens quando creatus Pontifex. 728.e
Clemens patruelis Domitiani, vir Consularis. 729.d. 744.b
Clemens potuit habere filios Imperatores, si Domitiano in cultu idolorum adhæsisset. 742.b
Clemens inertiæ culpatur propter quid. 742.b
Clemens a Domitiano iussus occidi quo anno. 742.b
Clemens Alexandrinus de traditionibus. 417.c
Clementis Encyclicæ contra Ebionem. 707.e
Clementis Paulus meminit. 679.c
Clementis scripta de rebus Petri gestis ab hæreticis deprauata. 733.b
Clementis scripta corrupit Ebion. 707.d
Clementis epistola ad Corinthios illustris in ecclesiis legi solita. 733.b. ex diuersis auctoribus integrata. 733.d.
eiusdem epistolæ narratio. 734.a.b.c
Clementis epistolæ plures. 735.a
Clementis Alexandrini error de annis Agonalibus. 725.c
Clementis commentarium antiquissimum esse. 453.e
Cleobolus & Theodorus hæresiarchæ. 648.b
Cleopatra Albini vxor. 642.b
Cleopatra Lysaniam necat. 87.a
Cleopham Emmauntis fuisse indigenam. 203.e
Cleophas cum comite qua hora noctis Hierosolymam peruenerit. 203.e
Cleophæ Maria consobrina Mariæ Virginis. 23.d
Cleophæ comes quis fuerit. 534.d
Cleophas frater Ioseph. 23.d
Cleophen & Alpheum diuersos fuisse. 23.d
Clericalis tonsura quid significet. 570.d
Clerici immunes a Principum vectigalibus, contra Nouatores. 133.b
Clerici nomen delere aut supprimere in pœnam. 452.e
Clerici sportulantes. 471.d
Clerici differunt tonsura a Nazaræis. 570.e
Clerici comam tondeant, quomodo intelligendum. 573.b
Clerici monachis antiquiores. 577.b
Clerici in Occidente an vsi barba. 577.b
Clericorum cælibatus. 529.c. 530. 531.
Clericorum stipendia. 471.b
Clericus ab altari amotus propter impudicum aspectum. 489.a
Clerus vnde dicatur. 337.b
Cleto Clemens subrogatur. 728.c
Cletum & Anacletum eumdem esse putantes decipi. 679.b. 728.d
Cletus & Linus quomodo viuente Petro sedisse dicantur. 679.e
Cletus Lino subrogatus. 718.e
Cletus quot annos sedit, & quando martyrio coronatus. 728.c
Coccineam chlamydem, vestem militarem fuisse. 167.e
Codorlahomor, & Bersa. 52.d
Cœna pura sine animalibus. 190.a
Cœna pura sexta feria appellata. 189.d.e. 190. 192.a
Cœna pura, de qua apud Festum, ad Iudæos non pertinet. 189.e

Cœna pura inter dies celebres Fastis adscribitur. 191.e
de Cœna pura meminit Tertullianus. 189.e
Cœna pura quæ appellari solita apud Iudæos. 192.a
Cœna pura quæ apud Augustinum. ibid.
Cœna pura cur sic nominata. 192.b
Cœna pura non est in ieiunijs. 192.a
in Cœna togati & palliati accumbere interdum soliti. 152.c
Cœnaculum in quo erant Apostoli, cuius domus. 219.a
in Cœnaculis conuenire solebant Christiani. 479.e
Cœna facta ante sex dies Paschæ distincta ab ea quæ facta est biduo ante Pascha. 121.a
Cœnæ Paschalis duplex mensa. 152.a
Cœna Christo paratur in cuius domo. 146.a
de Cœna Domini aliquorum errores. 554.b
Cœna Domini distincta a cœna agni Paschalis. 491.a
in Cœna bis de proditore sermo habitus. 154.c
Cœna Dominica qua hora cœpta. 159.c
in Cœna caros collocandi vsus Romanorum. 152.e
Cœnantibus eis, idem quod, Recumbentibus eis, apud Matthæum. 154.a
Cœna duplex. 491.a
Cœna facta in Bethania cum Lazaro. 139.e
Cœna facta in domo Simonis in Bethania. 143.b
Cœna Paschæ Domino in domo Ioannis Euangelistæ parata. 146.a.b
Cœnam Dominicam manducare quid. 154.d
Cœnare more Romano Iudæi didicerunt. 151.d
Cœnatoria vestis apud Iudæos. 152.c
Cœnæ Dominicæ voce abutuntur Nouatores. 154.d
Cœnæ Dominicæ vsus. 159.c
Cœnæ Dominicæ hymnus. 161.b
Cœlesyria proprie quæ. 624.c.d
Cœmeterium Eunuchi Candacis Reginæ, & miracula. 260.d
Cœmeterium Priscillæ nuper refossum. 484.d
Collatio, Græce Symbolum. 317.e
Collegia sacrarum virginum, & viduarum. 465.a
Collectam indicit Paulus non pro se, sed pro alijs. 504.b
Collectæ Antiochia Hierosolymam transmittuntur. 334.c
die Dominico fieri consueuerunt. 334.e
in vsum pauperum distribuebantur. 335.a
a Pontifice Romano indictæ. 334.c
Collecta nona indicebatur, vbi noua emersisset necessitas. 335.d
Collectas mittendi Hierosolymam mos, & vsque ad Theodosium perdurauit. 335.e
de Collectis admonitio Pauli. 504.c
Collegij seniorum princeps Anna. 88.b
Collecta pecuniarum fieri solita die Dominico. 335.a
Collyridiani hæretici de Virginis Mariæ natura mentiuntur. 15.e
Coloniæ iure Romanorum viuere cogebantur. 400.a
Colonia Agrippina quæ, & quando extructa. 411.a
Colonia Romanorum Cæsarea. 303.d
Coloniis municipia præstabant. 580.b
Colossenses qui. 603.b
Colossæ oppidum in maiore Phrygia. 603.a
Colossæ sub Laodicensi metropoli. 607.c
Colossæ vrbs Cone dicta. 607.b
de Colossensibus an Paulus prædicauit. 604.c
Columba ex templo egredi visa, cum velum templi scissum est. 181.a
Columbæ aureæ super altaria poni solitæ. 499.a
Columna in qua Dominus flagellatus est, vbi posita. 219.e
Columnæ alligatus Christus. 167.b
Columnam esse Hierosolymis, quæ æstiuo solstitio vmbram non faciat, falsum esse monstratur. 177.b
Columnarum magnitudo in templo. 142.e
Columnarum numerus in templo ab Herode structo. 142.e
Comam tondere ignominiæ causa. 571.d
Comam clerici tondeant cur. 573.c
Comedendi a stantibus agni Paschalis vsus intermissus. 153.b
Comes peregrinationis Pauli quis. 398.e
Cometæ. 55.b
Cometa Romæ tempore Neronis. 525.d
Commenta falsa de Barnaba. 394.e
Commentarius de Operibus Cardinalibus probatæ fidei liber. 157.e
Commentarij editi nomine Pauli. 327.d
Communicare cœnam Dominicam quid. 154.d
Communicare sub vtraque specie Fideles numquam solitos extra tempus sacrificij. 499.c
Communicare quotidie non sunt soliti Occidentales. 499.e. 500.d
Communicatio, & excommunicatio. 450.c
Communio sub vna specie. 499.b
Comparatio Christi ad lucem. 1.e. 2.a
Compressiones fieri solitæ in templo. 377.e
Concilia traditiones secuta. 421.a
Concilij celebrandi typus. 127.e
Concilia de Agape quid. 495.a
Concilij Hierosolymitani tempus. 382.b
Concilium aduersus Christum coactum qua causa. 139.c
Concilium Apostolorum Hierosolymis celebratum, & eius causa. 381.a. quo anno. e. an omnes Apostoli interfuerint. 382.c
Concilium seniorum biduo ante Pascha factum. 143.d
Concilij Gangrensis a suffocatis abstinendi mandat. 385.e
Concilium Aurelianense idem iubet. 386.c
Concilium Carthaginense de sacrificio a ieiunis offerendo. 159.d
Concilium Agathense de Missis vespertinis. 159.d
Concilium Eliberinum irritum in multis. 487.b
Concilium Matisconense de vigilijs Dominicæ diei. 556.c
Conciliorum vsus in Ecclesia vnde. 569.a
Conciliorum institutum quod. 569.b
Concilium septuaginta seniorum sublatum, & ex alijs suffectum ab Herode. 60.a
Concilium sanctorum pro Ecclesia. 490.c
Concisio apud Paulum quid. 600.e. 601.a
Cõcordantia Euangelistarũ de hora passionis Domini. 192.c
Concordantia Marci & Matthæi de miraculo facto in terra Gadarenorum. 107.c
Concordantia Euangelistarum de aduentu mulierum ad monumentum. 195.a
Concordantia Euangelistarum de Galli cantu. 162.e
Concordiæ simulacrum. 46.c
Concordiæ publicæ, Saluti, & Paci imagines ponit Augustus. 46.c
Condere aromatibus corpora defunctorum ab Aegyptijs Iudæi mutuati. 195.a
Confessio Petri de Christi diuinitate. 127.e
Confessio peccatorum instituta apud Christianos. 435.b.c
Confessio post baptismum. 435.b
de Confessione auctoritates. 443.a.b.c.d
Confessio, & satisfactio. 436.a
Confessio cui fieri debeat. 436.b.c
Confessio peccatorum publica. 436.d
Confessio peccatorum commendata. 438.d
Confessio præcedere solebat baptismum. 436.e
Confessio ante communionem. 438.a
Confessio peccatorum vomitui comparata. 438.d
Confessio peccatorum duplex, publica, & priuata. 438.e
Confessio etiam priuata a temporibus Apostolorum. 439.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Confessio secreta in vsu maioribus. 436.d
Confessio addita ad primam horam diei. 400.e
Confessio ante baptismum, & post baptismum. 441.c
Confessio peccatorum publica prohibita, & a quibus. 442.a
Confessio publica inter monachos qualis. 442.e
Confessio peccatorum sacerdotibus facienda. 443.a
Confessio ante orationem. 609.d
Confessiones audire, munus Episcoporum fuisse. 443.c
Confessorum, qui in carcere detinerentur, frequens visitatio. 714.b
Confirmationis sacramentum, sacrum chrisma nuncupatum. 254.d
Confutatio illius opinionis, quod Petrus fundauerit prius Ecclesiam Romanam, quàm Antiochenam. 271.e
Coniugalis continentia. 459.e
Coniugati cur frequentius eligerentur Episcopi. 528.b.e
Coniugati si ad sacros ordines adscisc erentur, ab vsu coniugij temperabant. 529.a
Coniugati ordinati abstinere a coniugibus iussi. 531.c
Coniugatum fuisse Paulum, falsum est. 466.e. 467. a.b.c
Coniugij leges. 460.c. 461.d. 462.d
Coniuratio in Paulum. 581.e
Coniuratio in Caium. 305.a
Coniecturis interdum procedendum. 196.c
Connubia apud Iudæos non fiebant nisi inter eiusdem tribus viros & mulieres. 11.e. 12.a. sacerdotibus tantum licebat vxorem ducere feminam ex alia tribu. 12.c.d
Consuetudo Hebræorum, diebus festis ante horam sextam non prandere. 221.d
Consessus Iudæorum ordo. 73.e
Consilium Petronij Iudæis vtile. 395.d
Constans Imp. Athanasium quid rogauit. 617.d
Constantia Augusta sudarium Pauli a Gregorio petijt. 668.c
Constantini edictum de bonis Ecclesiæ restituendis. 474.b
Constantini dona Ecclesiæ facta. 550.d
Constantinopoli nube ignea desuper imminente multi baptizati. 721.c
Constantinus Imperator plumbatarum ictibus primus eximit debitores. 134.b
Constantinus Magnus vrceum vnguenti, quo Christus inunctus fuit, cum alijs reliquijs in foro Constantinopolitano deposuit. 122.a
Constantini & Licinij edictum. 474.b
Constitutiones Apostolorum liber Clementis nomine inscriptus, apocryphus. 117.a
Constitutio Apostolorum de ieiunio quartæ & sextæ feriæ. 193.d
Consuetudo Iudæorum, cum malum imprecarentur. 302.e
Consuetudo Ecclesiarum seruanda. 519.b
Consuetudo interpretandi voces plurium linguarum communes probata. 94.a
Consuetudo Iudæorum iterum pedes ac manus in conuiuio lauandi. 152.a
Consuetudo damnatis aliquod solatium impendendi. 170.b
Consuetudinis varietas Ecclesiæ non obest. 516.b
Consulatus ignoratio, quo natus est Christus, multis causa errandi fuit. 33.e
Consulatus sub quo natus est Christus. 34.b
Consulatus duplex, ordinarius, & honorarius: ex quo multi arguuntur erroris circa tempora. 705.a. 709.e
de Consulatuum numero error emendatus. 709.e
Consulatus Domitiani sextus cum octauo Vespasiani. 8.a
Consulibus tempora feliciter supputantur. in præf. pag. 4.
in Consulatibus numerandis ratio habita. 705.c
Consultor Apostolorum Spiritus sanctus. 318.b
Conuentus forma a Paulo præscripta. 501.b
in Matutinis exprimitur. 501.e. 502.a.b
Conuentus forma in Vrbe primum erecta. 488.b
Conuentus crebrius celebrandi. 488.d
Conuentus Iudæorum in Synagoga ordo. 488.d
Conuentus in templo. 74.a
Conuentus in domo Caiphæ. 143.d
Conuentus Corinthijs Paulus præscripsit. 501.b
Conuentus sacri die sabbati, perinde ac ipsa die Dominica. 517.e
Conuentus forenses apud Græcos qui. 509.a
Conuentus ter in mense ad tollendas lites. 510.a
Conuentus forenses apud Romanos. 509.d
Conuersio ad Christi fidem quinque milliũ hominum. 229.c
Conuersio Eunuchi Candacis Reginæ. 260.c
Conuersio Pauli quo anno ætatis suæ. 261.c.d
Conuiuandi modus apud priscos Romanos. 151.b
Conuiuandi modus Iudæorum, Romanorum similis. 151.b
Conuiuarum pedes lauari solitos. 151.c
Conuiuia duo, quibus a Magdalena vnctus est Iesus. 121.e. vbi facta. 121.c
Conuiuia Christianorum qualia. 492.e
Conuiuia pauperibus Agapes nominatæ. 495.c
Conuiuia in ecclesia celebrari solita post sacra. 491.a
Conuiuia triplici de causa a Christianis celebrari solita. 493.e
Conuiuia Christianorum. Vide, Agapes.
in Conuiuio Paschali Iudæos bis lauari solitos. 151.e
Conuiuium Christianorum a Dei laudibus auspicari. 492.b
Conuiuium Christianorum a Philone descriptum. 592.b
Contentio Apostolorum vnde orta. 153.c
Contentio oborta Ephesi inter Christianos præceptorum causa. 446.b
Contentio Pauli, & Barnabæ. 393.e
Contesseratio hospitalitatis inter Christianos. 714.d
Continentia coniugalis. 459.e
Continentia ex consensu mutuo. 461.b
ex Continentia mutua miracula. 461.d
Contubernium cum vxore relicta vetitum presbytero. 530.d
Continentia perpetua etiam ante Christum seruata. 21.c
Contradictionis libri a Simone mago editi. 258.b
Controuersia Petri & Pauli quomodo intelligenda, vt neuter errasse dicatur. 388. 389. 390. 391.
Coponij magistratus quando. 77.b
Coponius eques Romanus in Iudæam missus. 77.b
Corban sacer thesaurus. 422.c
Corbona a Pilato expilata. 335.a
Corinthia porta in templo erat, quæ Speciosa dicebatur. 226.d
Corinthiæ feminæ impudicissimæ. 475.c
Corinthi Paulus quamdiu permansit. 480.d
Corinthij primum a Paulo instructi. 445.e
Corinthij hominis scelus a Paulo reprehensum. 448.e
Corinthij quomodo se Cephæ esse dicerent. 446.c
Corinthij aliorum casu inflati arguuntur. 446.b
Corinthij ex impudicissimis pudicissimi effecti. 464.d
Corinthias mulieres velari vult Paulus. 475.e
de Corinthijs Paulus gloriatur apud Macedones. 536.a
Corinthiorum incontinentia. 460.c
Corinthiorum virgines velatæ. 464.d
Corinthiorum schisma, & eius causa. 446.a
Corinthiorum errata a Paulo reprehensa. 438.c. 447.e
Corinthiorum Ecclesia schismate laborat. 733.b
Corinthios tertio inuisit Paulus. 538.c
Corinthios Paulus de resurrectione instruit, qua occasione

casione. 503.d
Corinthios vltra modum Veneri addictos. 460.c
Corinthum adire non cuiuis integrum. 460.c
Cornelia Maxima virgo Vestalis a Domitiano damnata. 732.c
Cornelij Iansenij Concordantiam sequendam sibi auctor proponit, non tamen semper. 806.d
Cornelij Iansenij studium in contexendis Euangelijs in vnum. 86.d
Cornelij Iansenij expositio super illud Euãgelij: A bimatu, & infra. 54.d
Cornelij Iansenij opinio de tempore Christi baptismatis. 36.b
Cornelij Centurionis pietas. 285.b
Cornelij Centurionis domus ecclesia facta. 286.e
Cornelium Centurionem Episcopum Cæsariensem fuisse testatur Martyrologium Romanum. alibi fertur Episcopus Ilij. 286.e
Cornelius cum suis baptizatur. 286.d
Cornelius Centurio Ilij Episcopus. 321.e
Cornelius Centurio a Petro imbuitur. 213.a
Cornelius Centurio primus ex Gentibus baptizatur. 259.e
Cornelius cuius cohortis Italicæ Centurio fuerit. 284.d
Cornelius Tacitus de origine Iudæorum hallucinatur. 527.b
Corona & circulus Solem ambiens. 10.d
Corona capitis summi Pontificis qualis. 240.b.e
Corona aurea triplici ordine ducta mitram ornabat summi Pontificis. 240.b
Corona sacerdotalis. 239.d
Corona aurea Pontificum. 240.e
Corona spinea coronatus est Iesus, ad quid significandum. 167.c
Corona in capite clericorum quid significet. 570.d
Corona clericorum inter alia spineam Christi coronam refert. 571.a
Coronæ spineæ Domini sentes reuirescentes. 167.d
per Coronam Episcopi obtestari, quid. 575.c
Coronas gestare Christiani exhorruerunt. 167.c
Corozaim proximus Capharnaum. 107.a
Corpora Petri & Pauli ab Orientalibus requisita, vt ea asportarent. 429.b
Corpus Ioannis Baptistæ vbi sepultum. 124.b
Corpus Christi. 155.b
Corpus Christi offertur pro omnibus sacrificijs veteris Testamenti. 158.e
Corpus Christi viris tantum concessum nuda manu sumere, feminis nonnisi linteamine. 497.c
Corruptores Euangelij Matthæi. 290.a
Cotys dæmon apud Corinthios in honore habitus. 459.d
Crassus templum Hierosolymitanum expilat. 3.d. 702.e
Crassus iuramentum violat. 702.d
Craton Apostolorum discipulus. 646.d
ex Creta Iosephus historicus vxorem duxit. 527.b
Cretæ nobiles Iudæi agebant. ibid.
Cretæ Episcopus Titus. 521.c
Cretenses semper mendaces. 527.a
Cretenses nequaquam fuisse polygamos. ibid.
Cretenses a pueris vxorem ducebant ex legibus. 526.d
Cretensis Ecclesia fidelis. 527.a
Cretensium lex cælibatum prohibebat. 526.d
Cretensium Ecclesia nobilissima. 527.a
Cretensium infamis luxuria. 526.c
Creusæ honestas. 475.b
Crinem virginibus amputari multis ex causis. 477.d
Crinibus virginum incidendis non eadem apud omnes consuetudo. 477.e
Critiæ derisiones in Christianos. 640.d
Crispus Archisynagogus. 410.d
Crispus baptizatus a Paulo. 410.e
Cromaticæ harmoniæ relinquendæ. 610.b
Cruce frontem signare Christianis semper fuit in vsu. 601.d
Cruce poculum signare soliti multi Christiani. 611.d
Crucem post Christum gestat Simon Cyrenæus. 170.a
Crucem Christi negantes. 600.d
Cruces ligno compactæ in titulum erigi solitæ. 601.c
Cruciatus Herodis. 68.a
Crucifixa Iudæorum duo millia a Varo. 70.e
Crucis supplicium. 169.a.b.c.d. 670.e
Crucis pœna homicidæ afficiebantur apud Iudæos. 169.b
Crucis figuram fuisse salutis insigne. 169.c
Crucis signi vsus qua occasione cœptus. 415.b. 601.c
Crucis signo mulier Christiana a lasciuo iuuene liberata. 107.e
Crucis signum apud Aegyptios quid significaret. 170.a
Crucis signum manu ducta expressum contra dæmones. 601.d
Crucis virtus etiam infidelium testimonio comprobata. 602.b
Crucis descriptio. 169.d
Crucis Christi inimicos quos intellexerit Paulus. 600.d
Crucis frequens vsus. 601.d
Crucis signo frontem signare. 601.e
Crurifragium post crucem. 180.d
Crurifragium omnium pœnarum maxima. 180.d
Crurifragium non est passus Dominus Iesus. 182.c
Crux an fuerit in vsu apud Iudæos. 169.b
Crux in titulum poni solita. 484.d. 486.a
Crux, & terra Sepulchri. 184.d.e
Crux Domino cuius formæ parata esset. 169.d
Crux Barrabæ multis nominibus debita, tributa Christo. ibid.b
Crux a sancto Thoma in ecclesia sculpta. 484.e
Cryptæ arenariæ ecclesiarum loco. 481.c
Ctesias rerum Indicarum scriptor parum fide dignus. 96.b
Cultus Bethlehem. 44.e
Cumanæ Sibyllæ carmina haud extincta. 9.b
Cumanæ Sibyllæ carmina a Quindecim viris inspici consueuerunt. ibid.
Cumanus contra Iudæos. 278.c
exilio mulctatur. 379.b
Cumis quid acciderit primo anno Titi. 720.a
Curatæ a fluxu sanguinis monumentum. 109.e
Cursores Picentes. 166.e
Cursorum officium in Ecclesia quod. 337.e
Custodes carceris Petri, iussu Herodis suffocati. 315.a
Cuspius Fadus Iudææ Procurator. 63.b. 234.b
Cuspiniani ad Cassiodorum commentaria. 34.e
Custodia posita in singulis porticibus templi. 25.c
Custodia & munitio sepulchri Domini. 183.d
Cydari vel mitra vti sacerdotibus commune erat. 240.b
Cyprianus Tertulliani discipulus. 618.c
Cyprianus sex millia annorum ab origine mundi enumerat. 40.b
Cyrinus Syriæ Præses descriptionem facit. 27.d
Cyrinus quousque superuixerit. 33.a
Cyrinus. Vide, Quirinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyzicenus carcer teterrimus, in quo Paulus fuisse creditur. 538. a
Cyzicum Paulum peruenisse, verisimile est. 538. b

D

Daemon. Vide infra, Diabolus.
Dæmones quando attriti. 50. c
Dæmones perterriti in die natali Domini. 48. b. 50. c
Dæmones Christianis mentiri non audent. 432. e
Dæmones aduenta Christi in Aegypto turbati. 58. c
Dæmones peccantes post baptismum vexare soliti. 434. d
Dæmoniacus curatus a Domino. 107. d
Dæmonum adiuratorum confessio. 432. e
Dæmonum execrationes a Magis fieri solitæ. 50. e
Dæmonum simulacra collapsa. 58. b
Dæmonum pertinacia manendi in obsessis corporibus. 433. a
Dæmonum auxilijs res longe positas videri. 748. c
Dalmatiam petit Titus. 521. c
Damaris credit Paulo. 407. d
Damaris vxor Dionysij conuertitur. 406. d. 408. a
Damasceni decem millia Iudæorum iugulant. 660. e
Damasci locus, vbi Christus apparuit Paulo. 265. e
Damasci Rex Areta Herodis inimicus. 262. d
Damasci spolia quando abstulit Christus. 52. b
Damascus olim posita in Arabia. 52. b
Damasus non instituit canendi ritum in Ecclesia. 611. e
Damis Pythagoreus. 711. d
Damnati ad bestias an cum illis pugnarent. 426. a
Damnatorum supplicia quousque differenda. 168. c
Daniel ter in die orabat. 224. a
Darius Comes commendat epistolam Abagari ad Iesum. 105. b
Dauid vnctus est Cariatharbe. 26. e
Dauid sceptrum quando defecit. 2. c
Dauid familia a Vespasiano aboleri mandatur, & cur. 704. c
ex Dauid familia inuenti pauperrimi contemnuntur. 729. d ex 741. e
Dauidis sepulchrum. 222. a
Debitorum pœnæ olim atrocissimæ. 134. a
Debitorum duorum conseruorum exemplum. 133. e
Debitorum sectio, & nex. 134. b
Decapoleos prouincia Galilææ, & vnde dicta. 87. b
Decij temporibus fuisse in Ecclesia pœnitentiarios. 439. a
Decimarum solutio probata consensu Patrum. 473. c
Decimæ sacerdotibus debitæ etiam iure naturæ. 472. a. b
Decimæ Christi lege præstandæ. 473. b
Decimæ etiam a Gentilibus dijs offerebantur. 471. e
Decimæ debitæ sacerdotibus Christianis. 472. a
Decimas persoluunt opifices. 473. e
Decimas offerre apud Gentiles obseruatum. 340. d
Decreta per Paulum & Silam promulgata. 396. 397. a
Defensio Petri de legalibus, & de Iudaizando. 392. e
Defensio Petri in vtendo legalibus. 390. e
Defensorum munus in Ecclesia. 338. a
in Defuncti memoria, exemplo resurrectionis Dominicæ, vnus tantum dies integer numeratur, duorum vero partes. 198. e
ad Defuncti sepulchrum, olei accensio, & hostiæ oblatio. 244. d
Defunctorum corpora aromatibus condire ab Aegyptijs mutuati sunt Iudæi. 195. a
Defunctorum animæ quomodo effingi solitæ. 110. d
in Defunctorum corporibus curandis laudabilis in Ecclesia mos exemplo Apostolorum. 244. d
Defunctorum Christianorum corpora quomodo sepelirentur. 244. c
ad Defunctorum sepulchra a Gentilibus faces accendi consueuisse. 244. e. 245.
Defunctorum memoriam agi consueuisse statis diebus. 245. e.
Defunctos incenso thure honorari consueuisse. 245. c
Defunctos inquietari, quid sit. 245. c
Defunctorum memoriæ repetitæ. 245. e
Dei Filius cur homo factus. 2. b
Deiferus homo Christus dictus. 374. c
Dei Filij aduentus Iudæis & Gentilibus prænunciatus. 7. d
Dei genitricis epistolæ apocryphæ. 375. c
Dei genitricis effigies, & mores. 375. c
Dei genitrix in morte Christi quomodo se gessit. 182. d
Delectus ciborum probatur. 512. e
Delphon doctor Pharisæus. 4. d
Delubra deorum in ecclesias commutata. 340. b
Demas Pauli discipulus vnus, an plures. 594. e
Demetrius argentarius. 506. e
Demetrius Cynicus Apollonij discipulus Vrbe pellitur. 723. c
Demosthenes in rebus potius quàm in verbis eloquentiam positam esse ait. 506. d
Denarium valebat numisma census. 142. c
Derben Paulus petit. 367. c
Derisores monasticæ tonsuræ seuerissime a Deo puniti. 574. e
Describi qui solerent in censu. 31. c
Descriptio quolibet lustro siebat. 30. b
Descriptio census facta a Quirino. 37. e
Descriptio Crucis. 169. d
Descriptio geometrica Augusti. 33. b
Descriptio geometrica a Cæsare inchoata. 35. b
Descriptio facta sub Quirino quo tempore. 27. d
Descriptio minuersalis. 38. c
Descriptio Quirini prima secundam arguit. 29. c
Descriptio prima quæ & quomodo accipienda. 29. e
Descriptione in chartis censuum quis arguebatur ciuis esse Romanus. 31. e
Descriptione promulgata, Palæstinam bellis vexatam falso dicitur. 28. e
Descriptionem non esse factam a Quirino, falsum. 27. d
Descriptionis Orbis tempus non verum apud Iosephum. 28. b
Descriptiones census plures. 30. d
Descriptionis ab Augusto factæ certa fides. 32. b
Desertum Aegypti illustratum aduentu Domini. 58. d
Desides monachi qui. 410. e
Deuoti homines Deo, certo tempore olim nubebant. 18. e
Deum inuocare, naturale homini. 721. d
Deuteronomij locus desideratus. 63. d
Dexetra manu in nomine Christi signamus, cur. 563. d
Dexteræ porrectione fides solita polliceri. 463. e
Diabolus tentat impedire passionem Christi. 166. d
Diabolus propinquare passione Christi suam perniciem sentiebat. 166. c
Diabolus æmulus operum Dei in superstitione. 339. c
Diaconi septem ex quibus electi hominibus. 136. a
Diaconi dispensatores bonorum ecclesiarum. 237. a
Diaconi opponebant se Episcopis dilapidantibus bona ecclesiarum. 237. d
Diaconi sacræ mensæ ministri. 236. d
Diaconi imitatores angelicarum virtutum. 237. a
Diaconi mensis etiam communibus præfecti erant, & quomodo. 236. c
Diaconissarum munera quæ. 237. e

Diaconissæ manus impositionem non accipiebat. 238. b
Diaconissas inter laicas adnumerat Synodus Nicæna. 238. b
Diaconissæ ministerium. 238. a
Diacono commissa erat cura rerum ecclesiæ. 237. c
Diaconorum electio prima. 236. a
Diaconorum munus. 236. c
Diaconos habuisse alios sub se positos ministros. 237. d
Diaconus moribus æqualis esse debet Episcopo. 236. e
Diaconus in tremendo sacrificio clamat, Pro ijs qui defuncti sunt in Christo. 247. a
Diagoras Melitus. 405. b
Dianæ Ephesiæ templum. 506. e
Dianæ ædes argenteæ. 507. e
Dianæ Ephesiæ templi magnificentia. 323. a. 507. d
Dianæ Ephesiæ templi securitas. 507. d
Dianæ Ephesiæ spoliatum & incensum templum. 507. e
Dianæ Ephesiæ templum quot annis factum. 507. d
Dianæ Ephesiæ templum septies restitutum. 507. e
Didius Præses Syriæ. 29. b
Didragma quid. 132. e
Didragma solutum a Christo, in cuius vsum cedat. 133. a
Didragma iussi sunt Iudæi in Capitolium ferre. 132. e
Didragma, dragma, vncia, stater, siclus, vel quadrans, & libra quid. 132. d
Didragmatis valor. 132. c
Die sexta hebdomadis passum Dominum, quæ a diuersis diuersimode appellatur. 189. d
de Die natali Domini diuersæ sententiæ. 40. d
Diem iudicare quid. 555. c
Dierum obseruantia quæ prohibita. 553. e. 555. a
Dies lustrici. 31. e
Dies natalis Mariæ Virginis quando contigit. 17. b
Diem a media nocte auspicari apud Gentiles & Christianos mos fuit. 340. e
Dies reditus Domini ex Aegypto in Palæstinam, olim celebris in Ecclesia. 71. c
Dies naturalis & legalis. 148. d
Dies festus apud Iudæos quando inciperet. 150. b
Dies Paschalis certus apud Iudæos. 150. d
Dies in quatuor horas diuiditur apud Iudæos. 192. d. e
Dies illi quomodo & cur breuiati. 694. c
Dies pro tempore accipitur. 234. e
Dies festa Cathedræ Antiochenæ. 271. c
Dies Cathedræ Romanæ. 341. d
Dies Christianis quomodo omnes æquales. 554. e
Dies festos impugnat Aerius. 554. c
Dij habentur Paulus & Barnabas. 366. a
Dijs non detrahes, quomodo intelligebant Iudæi. 508. d
Dio philosophus. 711. d. Vrbe pulsus. 723. d
Diocletiani & Maximiani temporibus sublata bona Ecclesiastica. 474. d
Diogenes Iunior. 710. d
Dionis historia per decem annos perijt. 32. d
Dionysias insula vnde nominata. 96. a
Dionysij Areopagitæ conuersio. 404. a. 406. d. 407. e
Dionysij Areopagitæ verba de funere Mariæ Virginis male a quibusdam interpretata. 369. c
Dionysij locus explicatus. 369. c
Dionysij epistola ad Ioannem exulem in Patmo. 741. a
Dionysius de Solis defectu tempore passionis Dominicæ. 178. e
Dionysius quo anno a Christo passo a Paulo conuersus. 404. a
Dionysius quo anno suæ ætatis vidit Solis deliquium. 406. e
Dionysius per triennium a Paulo instituitur. 407. e
Dionysius funeri beatæ Virginis interfuit. 368. d
Dionysius Ioannem ab exilio reuersum conuenisse putandus est. 740. d
Dionysius in Gallias amandatur. 848. e
Dionysius Romanus Abbas canones Apostolicos in Latinum vertit. 385. e
Dionysius Halicarnasseus Romæ agens scripsit historiam. in præf. pag. 3.
Dionysius Exiguus. 262. b
Diræ furiæ infernales. 448. e
Discessus Iudæ. 160. d
Discessus Pauli Thessalonica. 403. a
Discessio Pauli a Barnaba secundum Deum facta. 394. b
Discipuli duodecim quando Apostoli dicti. 112. e
Discipuli Domini septuagintaduo. 135. b
Discipuli Domini spicas vellentes sibi cibum captarunt. 112. a
Discipuli in eamdem patinam manus porrigunt. 153. a
Discipuli dispersi per totum terrarum orbem. 250. e
Discipuli missi a Petro. 359. a
Discipuli dicti omnes Christiani. 308. d
Discipuli proditoris bis meminit Iesus in cœna. 154. e
Discipuli post ascensionem Domini quid egerunt. 219. a
Discipuli omnes relicto Domino fugerunt. 161. e
Discipuli in Pella habitabant, relictis Hierosolymis. 706. a
de Discipulorum numero disputatio. 135. c
Discipulorum discubitus in cœna. 152. a
Discipulorum loco presbyteri sunt. 325. b
Discipulus notus Pontifici cur. 146. a
Discipulis duobus euntibus Emmaus Christus apparet. 203. e
Discordia prima in Ecclesia. 235. c
Discrimen inter sacerdotum vices. 25. e
Discubitus in mensa Domini. 152. e
Dispensatorem Sammai significat. 4. c
Dissidium inter Samaritas & Iudæos. 102. b. 378. e
Dissidium inter Paulum & Petrum vtrum ex composito simulatum. 390. a
Dissidium Barnabæ & Pauli. 393. e
Distinctio locorum & personarum in Ecclesia. 488. e
Dispersio Christianorum facta post lapidatum Stephanum. 250. d. quanta fuerit. 250. e. 251. a
Disputatio Pauli cum Dionysio Areopagita Athenis. 407. a
Ditalassum quid. 589. d
Diti deuouere quid. 448. e
Diuersitas rituum non improbanda. 397. b
Diuina prouidentia ostenditur in Iesu Anani filio. 632. d
Diuisio Apostolorum quo anno contigerit. 316. e
Diuisio Apostolorum nonnisi Spiritus sancti instinctu facta est. 319. c
Doctores sacri, dum errores arguunt, plerumque nimis in contrariam partem declinant. 374. a
Doctrina ex traditione deducenda. 248. a
Dolabella causam ad Areopagitas defert. 404. d
Dominica cœna qua hora cœpta. 159. c
Dominicæ cœnæ voce abutuntur Nouatores. 154. d
Dominica celebrandum Paschæ quis instituit. 553. c
Dominica die Christus natus. 41. b
Dominica die a nuptijs abstinendum. 461. d
Dominica die non ieiunandum. 545. d
Dominica die Missa audienda. 556. d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dominica dies est appellata dies resurrectionis Domini ab ipsis Apostolis. 199.c. 553.b. 556.b
Dominica dies prima feria appellata. 555.e
Dominica est, quæ dicebatur vna sabbati, vel prima sabbati. 545.c
Dominica dies loco sabbati. 556.b
Dominica dies quibus alijs nominibus appellata. 556.a
Dominicale, linteamen, quo olim feminæ corpus Christi sumebant. 497.c
Dominicæ diei prærogatiuæ. 555.e
Dominicis diebus genua non flectimus, & cur. 165.a
Dominicus homo Christus dictus. 374.d
Domitia Domitiani vxor Iosepho fauet. 723.a
Domitiani persecutio in Christianos. 727.d
Domitiani libido inquirendi de stirpe Dauid. 14.a
Domitiani Consulatuum ordo. 709.e
Domitiani dolo Titus creditur obijsse. 722.b
Domitiani crudelitas. 744.c
Domitiani statuæ conflatæ, arcus euersi, nomen erasum. 745.a
Domitiani patruelis Clemens. 742.d. 744.b
Domitiani occisionem Apollonius prædixit Ephesijs. 748.b
Domitiani edictum contra philosophos. 723.b.c.d
Domitiani persecutio. 727.d
Domitiano occiso, Ioannes exilio soluitur, & in Asiam reuertitur. 746.b
Domitianus Ioannem Euangelistam per ignominiam radi iussisse fertur. 571.e
Domitianus Vespasiani filius fuga sibi consuluit, quando.
Domitianus genus Dauid persequitur, & de medio tollendum curat. 741.b
Domitianus Apollonium Tyanæum in carcerem trudit. 571.e
Domitianus in sex Consulatibus nonnisi vnum ordinarium gessit. 726.c
Domitianus leges sanciuit de seruanda pudicitia. 722.d
Domitianus in virgines Vestales animaduertit. 722.e. 724.a
Domitianus moribus turpissimus. 722.d
Domitianus Corneliam Maximam virginem Vestalem damnat absentem. 732.c
Domitianus philosophos Vrbe pellit. 723.b
Domitianus vult videri pius. 723.e
Domitianus humanitatem exuens sæuire cœpit. 723.b
Domitianus Gentilitiam superstitionem auxit. 725.d
Domitianus, Deus & Dominus dici & scribi voluit. 725.e
Domitianus Neruam in exilium mittit, inde reuocat, & Consulem designat. 726.c
Domitianus Iudæos tributis grauat. 731.a
Domitianus persecutionem in Christianos nequaquam repressit. 728.e. 741.e
Domitianus Consul quoties. 736.b
Domitianus ob sæuitiam Nero dictus. 728.a
Domitianus mensem Octobrem suo nomine inuaserat, sed eo exuitur. 745.a
Domitianus occiditur, a quo, & quo ætatis suæ anno, quo Imperij. 744.e
Domitilla. Vide, Flauia Domitilla.
Domitius a Claudio adoptatur, Nero Claudius postea appellatus. 411.a
Domus in Scriptura quæ etiam dictæ. 55.a
Domus, quam habitauit Deipara in Aegypto, a Sarracenis honoratur. 72.a
Domus in qua perseuerabant Apostoli in oratione. 219.a
Domus Lauretana. 72.a
Donatistarum scelus in amputtam Chrismatis. 255.c
Dorcas, idem quod Tabitha. 283.e
Dorcas Iudæorum Primas ad defectionem solicitasse Iudæos arguitur. 379.a
Dores Hierosolymitanus. 543.e
Dores peninsula. 588.d
Dorenses tumultus. 307.d
Dormitio sanctæ Dei genitricis dicitur Assumptio Virginis, & cur. 372.d
Dorotheus Tyri Episcopus falso inscriptus. 136.a
Dorotheus Episcopus alius a Dorotheo Tyrio. 136.a
Dorotheus Tyrius multa passus sub Iuliano Apostata. 136.a
Dorotheus errat circa Demam Pauli discipulum. 594.e
Dorotheus in sua Synopsi mendacij arguitur. 357.b
Dosithei sectarij. 6.a
Dotes Ecclesiæ concessæ duæ. 211.a
Dramatis cantica. 608.e
Dromedariorum velocitas. 54.e
Druidæ sacerdotes, & iudices. 457.e
Druidæ sacerdotes Gallorum, & sapientes. 448.e
Drusi filius Tiberius, Tiberij Imp. nepos, a C. Caligula nece sublatus. 281.e
Drusilla Felicis vxor cur a Paulo de castitate monetur. 583.b
Brusus Prætor magiæ accusatus. 81.a
Duo altaria in templo Hierosolymorum. 25.a
Duos viros, totidemq. feminas viuos defossos a Domitiano, qua ex causa. 724.a. *an essent Christiani.* 724.c

E

Ebion Romæ etiam prædicauit. 706.e
Ebion & Cherinthus in eadem hæresi communicabant. 707.c
Ebion aduersus Paulum mentitur. 707.c.d
Ebion falsa Apostolorum Acta edidit. 707.d
Ebion Clementis scripta corrupit. 707.d
Ebion Petro imponit falsa. 708.a
Ebion cur sic dici voluit. 708.a
Ebion ab Ignatio arguitur. 708.c
Ebion Pauli hostis infestissimus. 469.d
Ebion multas hæreses simul iunxit. 706.e
Ebion primus post Simonem magum hæresiarcha. 706.c
Ebion quando emersit. 706.d
Ebionem Ioannes fugiendum docet. 707.a
Ebionis peruersa dogmata. 707.c.708.b
Ebionis artes. 708.a
Ebionitarum primordia vbi. 706.d
Ebionæi hæretici Apostolorum temporibus. 154.e
Ebionæi hæretici res a Petro gestas deprauant. 287.a
Ebionæi vsi Matthæi Euangelio. 289.e
Ebionæis Elxai iungitur. 706.d
Ecclesia quid professa de assumptione Mariæ Virginis. 373.a
Ecclesia Christi vna, & Cathedra vna monstratur. 207.c
Ecclesia suis incrementis aucta. 1.a.c
Ecclesia quomodo sit super Petrum. 129.b
Ecclesia sine ordinum distinctione qualis. 338.c
Ecclesia quomodo obseruat numerationem annorum mundi. 39.a
Ecclesia domus orationis erecta super tumbam Lazari. 136.b
Ecclesia trium pastorum in Turri Ader. 48.a

Ecclesia super locum Ascensionis Domini concamerari non potuit. 317.e
Ecclesia illustratus locus, vbi Paulo Christus apparuit. 266.a
in Ecclesia caput vnum visibile statuendum. 128.a
Ecclesia Mauritaniæ ob Vandalicam cladem ministris egebat. 532.e
Ecclesia quadrisida, hoc est, in modum crucis facta. 103.b
Ecclesia custos Apostolicarum traditionum. 416.d
Ecclesia persecutionibus augetur. 673.e
Ecclesia naui comparatur, & cur. 106.c
Ecclesia Cypri sub nulla metropoli, & quomodo id contigerit. 361.d
Ecclesia columna & firmamentum veritatis. 231.c
Ecclesia in Episcopo, & Episcopus in Ecclesia, quando. 126.c
in Ecclesia simul orandum. 224.e
Ecclesia pro Petro orat. 313.b
Ecclesia neque nuptias neque cibos prohibet tamquam res malas. 312.e
Ecclesia diuersis nominibus appellata. 490.a
Ecclesia legitima apud Iudæos quæ. 510.a
Ecclesia S. Thomæ apud Indos. 484.c
Ecclesiæ Christianorum mentio in Valeriani Imperatoris rescripto. 481.a
Ecclesiæ primordia. 92.c
Ecclesiæ vnitas. 342.a.c
Ecclesiæ membra ante Christi aduentum. 2.a
Ecclesiæ vnum semper ab initio corpus. ibid.
Ecclesiæ Antiochenæ subrogatus Euodius. 271.a
Ecclesiæ nomen. 480.c
Ecclesiæ dotes quæ. 211.a
Ecclesiæ quot in Vrbe temporibus Cornelij Papæ. 480.d
Ecclesiæ Vaticanæ monumenta de locorum distinctione. 489.c
Ecclesiæ iussu Diocletiani demolitæ, & quid inde habeatur. 480.b
Ecclesiæ non obest varietas consuetudinum. 516.b
Ecclesiæ cuiusque consuetudo seruanda. 519.b
Ecclesiæ mos fuit, vt peregrinus Episcopus ad concionandum inuitaretur. 362.b
Ecclesiæ caput Christus. 2.b
Ecclesiæ auctoritas. 116.e
Ecclesiæ fundamentum primarium. 1.d
Ecclesiæ vniuersalis vetus vsus Eucharistiam nonnisi ieiunis tradere. 159.d
Ecclesiæ antiquitas. 1.d
Ecclesiæ ordo hierarchicus. 254.a
Ecclesiæ magna persecutio die qua lapidatus est Stephanus. 249.d
Ecclesiæ Christianorum ad instar templi Salomonis. 481.d
Ecclesiam primitiuam vasis aureis & argenteis abundasse. 474.a
Ecclesiam ex Gentibus colligendam, significatum linteo Petro ostenso. 285.c
Ecclesiarum sedes institutæ secundum prærogatiuas a Romanis antea stabilitas. 271.b
Ecclesiarum exemplaria descripta. 482.a
Ecclesiarum priuatarum facta non persequitur auctor, nisi forte Patriarchalium. 711.b
Ecclesiarum dedicatio Agapen habebat. 494.e
Ecclesiarum pro foribus fons. 482.d
Ecclesiarum erectio. 480.b
Ecclesiarum Christianorum qui situs, & quæ structura. 481.c
Ecclesiarum Christianorum ornatus, Ethnicorum testimonijs comprobatur. 480.e
Ecclesiarum Patriarchalium instituendarum quæ ratio habita. 271.b
Ecclesias etiam Apostolorum temporibus fuisse. 479.e
Ecclesias Thraciæ a Petro primos Episcopos accepisse, non ab Andrea. 315.d
Ecclesias Christianorum etiã sub Imperatoribus Gentilibus possessiones habuisse. 472.b
Ecclesias Asiæ an Ioannes fundauerit. 322.e
Ecclesiastica historia hactenus neglecta, vel corrupta. in præf. pag. 2.
Ecclesiastica locutio. in præf. pag. 3.
Ecclesiastica iudicia. 453.d
Ecclesiasticarum oblationum copia. 472.b
Ecclesiastica monumenta a Diocletiano exusta. 680.d
Ecclesiasticæ historiæ vtilitas, & delectatio. in præf. pag. 1.
Ecclesiasticæ historiæ scopus. in præf. pag. 2.
Ecclesiasticæ disciplinæ rigor. 479.b
Ecclesiastici prouentus Gentilium inuidiam mouebant. 471.c
Ecclesiasticis Annalibus non sunt sine auctore res incertæ inferendæ. 716.e
Ecclesiastico iudicio sapientes præficiendi. 453.e
Ecclesiasticum iudicium exercere, graue visum est Augustino, licet necessarium. 454.b
Eclipsis, quæ contigit patiente Domino, in archiuis Romanis relata. 178.c. 179.
Eclipsis, qua dies conuersus in tenebras, in noctis vnius numerum recepta. 197.e
Eclipsis, quæ facta est tempore passionis Domini, meminit Phlegon Hadriani Imperatoris libertus. 178.c
Edessa Syriæ ciuitas, eius Rex Abagarus. 104.d
Edessenorum conuersio. 310.e
Edictum Claudij pro Iudæis. 306.b
Edictum Constantini de bonis Ecclesiæ restituendis. 474.b
Edictum de philosophis & rhetoribus Vrbe pellendis quando promulgatum est, & cur. 710.a
Edictum Domitiani contra philosophos. 723.e
Edicto Claudij Iudæi Roma pulsi. 380.a
Editio Septuaginta interpretum a Iudæis frequentiori vsu recepta. 616.d
Efficacia Symboli Apostolorum. 317.d
Effigies Dei genitricis. 275.c
Egnatij calumnia Bareas Soranus damnatus. 553.b
Eleazarus frater Ioazari in summum sacerdotium prouectus ab Archelao. 71.d
Eleazarus Anani Pontificis filius summus sacerdos. 79.e
Eleazarus curabat eos, qui a dæmonibus vexabantur. 431.b
Eleazarus Ananiæ Pontificis filius. 659.e
Eleazarus Simonis filius tertius factionis Iudæorum dux. 686.a
Eleazarus Iunior summus Pontifex abrogatus. 79.e
Eleazarus Pontifex sub Archelao instituitur. 80.d
Eleazarus Dinæi filius latro caput seditiosorum. 378.c
Eleazarus Dinæi filius vinctus Romam mittitur. 547.e
Eleazarus exorcista. 431.b
Eleazarus pro Iudæis tantum hostias immolari suadet. 659.e
Electio Apostolorum. 212.e
Electio Matthiæ. 219.b
Elephantem per foramen acus, adagium Hebræorum. 137.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eleucadius Platonicus philosophus S. Apollinaris discipulus, & eiusdem successor. 710.a
Eliberini Concilij canon exploditur. 519.c
Eliberini Concilij obiectio diluta de imaginum ornamento. 487.b
Eliberinum Concilium de cælibatu sacrorum ministrorum. 531.b
Eliæ Leuitæ Iudæi liber Tisebi. 144.e
Eliezer doctor Pharisæus. 4.d
Elizabeth filia Aminadab. 12.c
Elizabeth coniux Zachariæ. 7.b
Elizabeth cum Ioanne fugit ab Heredis infanticidio. 62.d
Elizabethæ mors. 62.e
Eloquentia Pauli qualis. 447.b
Elxai hæreticus. 706.d
Elymas magus librum scripsit cõtra Pauli prædicationem, & fidem Christi. 361.c
Emmauntis castellum, nobile olim oppidum. 204.a
Emmauntis fons. 204.a
Emmaus igne cremata. 70.e
Emmaus castellum, ex quo Cleophas. 204.a
Emmaus Nicopolis appellata. 703.c
Emmaus Aquæ calidæ. 204.a
Enac fuisse gigantem, & parentem gigantum. 176.e
Encæniorum dies quando erat. 136.b
Encolpium quid. 548.b
Encratitæ hæretici. 511.c
Energia Pauli. 447.d
Energumeni interdum ob peccatum. 434.c
Encyclicæ epistolæ. 465.b
Encyclicæ Clementis contra Ebionem. 707.c
Encyclicæ disciplinæ. 580.d
Ennodij Ticinensis carmen. 571.b
Ennodius de mitra S. Ambrosij. 141.a
Enoch liber apud maiores haud vulgaris auctoritatis. 645.d
Epænetus an Episcopus Carthaginensis. 542.d
Epaphras concaptiuus Pauli. 603.b
Epaphras Colossensium Episcopus. 603.c
Epaphroditi tres. 600.a
Epaphroditus Paulum Romæ in vinculis visitat. 593.e
Epaphroditus ægrotat ad mortem. 599.c
Epaphroditus ad Philippenses a Paulo remittitur. 599.e
Epaphroditus Episcopus Philippensium Apostolus apellatur. 599.c
Epaphroditus Episcopus Tarracinensis. 609.a
Epaphroditus Neronem morientem conficit. 686.d
Epha filius Madian. 51.d
Ephemereutæ ministri. 492.c
Ephesi quamdiu Paulus commoratur. 424.a
Ephesi cur Paulus diutius immoratur. 504.d
Ephesi Iudæi municipes erant. 510.a
Ephesi templum Dianæ quale. 606.e
Ephesij laudantur ab Ignatio. 598.d
Ephesina Ecclesia. 322.e
Ephesini magiæ addictissimi. 445.a
Ephesiorum ciuitatem Ioannes & Virgo Maria quandoque incoluerunt. 322.c
Ephesum deuenit Paulus. 422.e. 425.a
Ephesus metropolis Asiæ Minoris. 504.e
Ephesus bonarum artium studijs abundans. 504.e. 505.a
S. Ephræm de epistolis Abagari & Iesu meminit. 105.b
Epictetus & Peregrinus a Domitiano Vrbe pulsi. 723.c.d.
Epictetus Stoicus. 723.d
Epicurei & Stoici cum Paulo disputant. 404.a
Epiphania trium miraculorum memoria. 96.d.e
Epiphaniæ festum celeberrimum. 55.d
Epiphaniæ festo Valens Imp. interfuit. 55.e
Epiphaniæ festo Iulianus interfuit. 55.e
Epiphanij opinionem de baptismo Christi Ecclesia respuit. 91.b
Epiphanij sententia de die natalis Domini. 34.a
Epiphanij error de tempore martyrij Ioannis. 91.b.
Epiphanius contra Gnosticos. 13.b
Epiphanius de annis Herodis. 38.d
Epiphanius claruit temporibus Constantij Imp. 15.e
Epiphanius traditionum adstipulator. 420.a
Episcopalis sublimitas nulli comparanda. 456.d
Episcopalis dignitas a Domino, non ab hominibus instituta. 524.d
Episcopalis dignitas a Nouatoribus impugnatur. 522.d
Episcopalis dignitatis ornamentum a Iacobo Apostolo gestatum, & quod. 239.d.e
Episcopatus Apostolatus dictus. 524.d
Episcopæ nomen sæpe repertum. 238.b
Episcopi loco Apostolorum. 524.b
Episcopi & presbyteri differentia. 522.c.d
Episcopi maiores presbyteris. 526.a
Episcopi Apostoli nominati. 524.d. 599.d
Episcopi de presbyteris ab initio iudicabant. 525.c
Episcopi peregrini inuitari soliti ad concionandum. 362.c
Episcopi vox a Cicerone vsurpata. 524.e
Episcopi presbyteris præsunt. 525.e. 526.a
Episcopi nuptijs celebrandis interueniebant. 463.a
Episcopi iudices in Ecclesia. 454.b
Episcopi causas populi iudicabant duplici ratione. 458.e
Episcopi indulgentiam concedunt de pœnitentiæ tempore. 536.d
Episcopi vnius vxoris viri quomodo ordinandi. 527.e
Episcopi & presbyteri quales esse debeant. 522.a
Episcopi Angeli appellati. 606.d
Episcopi nomen in Ecclesia antiquissimam. 524.d
Episcopi Apostolorum successores. 524.b
Episcopi ordinati a Petro. 316.a
Episcopo contradicere, terribile est. 596.e
Episcoporum ordinationes ex Apostolica traditione. 339.c
Episcoporum munus iudicare. 454.b
Episcoporum munus est ordinare, non presbyterorum. 522.c
Episcoporum ordo patrum generator. 523.b
Episcoporum electio quàm male apud populum haberetur. 528.c
Episcoporum percussores. 452.a
Episcoporum immensi labores ex litibus. 459.c
Episcoporum arbitrio ioiunia sanciri solita. 520.b
Episcopos capite abrasos fuisse. 525.b
Episcopos mitras gestare ex traditione & vsu Apostolorum. 240.e
Episcopos legitime implorare auxilium Principum secularium contra hostes Ecclesiæ. 585.d
Episcopos bigamos reperiri, probrum. 532.c
Episcopus an idem quod presbyter. 523.a
Episcopus ordinandus cur non cælebs, sed qui vxorem vnam duxisset. 526.e
Episcopus medico comparatur. 406.d
Episcopus Regi præfertur. 456.a
Episcopus in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo. 126.c
Episcopis subiecti presbyteri. 525.c. 526.a

de Epi-

de Episcopis primis Byzantiorum a Petro creatis, ex Agapeto Papa. 316.b
Epistola Pilati ad Imperatorem de rebus Christi non improbabilis. 216.c
de ea meminit Gregorius Turonensis, & Orosius. 216.c
Epistola Pilati ad Cæsarem in titulo certum continet errorem. 215.c
Epistola Apostolorum ex Hierosolymitano Concilio. 384.a
Epistola Abagari ad Iesum. 104.d
Epistola Iesu ad Abagarum. 104.e
Epistola de inuentione corporis S. Stephani protomartyris. 244.a
Epistola prima Pauli ad Thessalonicenses vbi scripta. 410.c
Epistola secunda ad Thessalonicenses vnde data sit, & eius scribendi occasio. 411.c.d
Epistola prima ad Corinthios vbi scripta, & quæ scribendi occasio. 446.a
Epistola secunda ad Corinthios vbi scripta, & qua occasione. 535.c
Epistola secunda ad Corinthios nequaquã per Titum lata. 536.b
Epistola ad Romanos vbi scripta, & ad quos. 539.a 540.c
Epistola ad Romanos qua occasione scripta, & quod eius argumentum. 539.b.c
ab Epistola ad Romanos qui abstinuerint. 618.b
Epistola prima ad Timotheum e Macedonia scripta. 511.c
Epistola ad Titum non est scripta Nicopoli. 521.b
Epistola Gregorij Thaumaturgi. 458.c
Epistola ad Ephesios quando & qua occasione scripta. 598.b
Epistola ad Ephesios, & epistola secunda ad Timotheum simul Romæ a Paulo scriptæ. 594.c. 598.a.b
Epistola ad Philippenses qua occasione scripta, a quibus, & vbi. 599.d
Epistola ad Colossenses quo anno scripta. 602.c
Epistola Pauli ad Laodicenses a Xysto Senensi edita, qualis. 603.c. 604.a
Epistola Pauli ad Philemonem quando & vbi scripta. 614.b
Epistola ad Hebræos vbi scripta. 615.b
Epistola ad Hebræos an sit Pauli. 615.c
a quo sit conuersa. 615.d
cur in ea non scribitur Pauli nomen. 615.e
& de styli ratione. 616.a
Epistola ad Hebræos ab ipso Petro citatur. 619.d
Epistola ad Hebræos omnium nouissime scripta. 615.b
Epistola ad Hebræos falso alijs quàm Paulo tribuitur. 616.e
Epistola ad Hebræos a Græcis recepta. 617.c
Epistola ad Hebræos a Latinis omnibus recepta. 617.e
Epistola ad Hebræos a Romana Ecclesia recepta vt Pauli. 619.a
Epistola ad Hebræos ab omnibus vt Pauli cognita. 619.c
Epistola Catholica Iacobi esse probatur. 629.c
Epistola prima Petri quo anno scripta, & vbi a Marco translata. 346.d.e
Epistola secunda Petri Romæ scripta ad Hebræos paulo ante eius martyrium. 644.e
Epistola Clementis ad Ecclesiam Corinthiorum graui schismate laborantem celeberrima. 733.b
ex diuersis auctoribus collecta. 733.b.c.d
Epistola Iudæ canonica. 645.c
Epistola Dionysij Areopagitæ ad Ioannem exulem in Patmo. 741.a
Epistola Ioannis ad Parthos. 730.a
Epistola Ignatij ad Mariam Cassobolitem. 730.a
Epistola Gregorij Nysseni inter canonicas recensita. 440.e
Epistola ad Paulam & Eustochium de Assumptione Virginis non esse Hieronymi, sed neque Sophronij, aperte monstratur. 372.a.e
Epistolæ Dei genitricis apocryphæ. 375.c
Epistolæ Ignatij in Ecclesia receptæ. 465.b
Epistolæ Ignatij de Maria Virgine. 275.c
Epistolæ Encyclicæ. 465.b
Epistolæ Pauli ad Colossenses locus variæ lectionis, & quæ potior. 604.a.b
Epistolæ ad Colossenses locus declaratus de religione Angelorum. 604.e
Epistolæ Ioannis Euangelistæ tres quòd germanæ sint, probatur. 751.e
Epistolæ Domitiani, & Proconsulis Asiæ de Ioanne Euangelista. 727.a
Epistolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam quales. 641.b
de Epistolis Senecæ ad Paulum commentum vnde. 641.d
Epistolæ Pauli quot. 615.c
Epistolarum Pauli styli diuersitas. 616.b
Epitaphium Petri & Pauli. 672.e
Epulum connubiale. 493.e
Epulum natalitium. 493.e
Epulum funebre. 493.e
Epulum populare. 494.a
Epulonis diuitis historia. 137.c
Equi Nysæi velocissimi. 55.a
Erasmus male Chrysostomum interpretatur. 441.e
Erastus Corinthi remanet. 539.b
Erastus & Timotheus missi in Achaiam. 446.a
Eruptio montis Vesuuij. 711.c
Erythra Aethiopiæ. 260.d
Error dicentium Christum natum mense Aprili, vel mense Maio. 40.e. 187. 188. a.b.c.d. 189.a
Errores varij de tempore quo passus est Christus. 185. 186.
Errores de genere Mariæ Virginis confutati. 14.b.c
Error eorum, qui dixerunt S. Annam tertio nuptam, &c. 15.a
Error Collyridianorum de Maria Virgine. 15.c
Error dicentium Isachar summum Pontificem fuisse tempore quo nata est Virgo Maria. 16.b
Error dicentis Mariam Virginem ortam esse sub Consulatu Liuij & Pisonis. 17.b
Error eorum, qui putant miracula Romæ facta accidisse ipso Christi natali die. 11.c
Error dicentium per ciuitatem Iuda in montanis positam Hierosolymam esse intelligendam. 27.b
Esau inuentum de attrahendo præputio. 471.a
Essæi Christiani, & Marci discipuli. 194.a
Essæi genus Rechabitarum. 634.e
Esseni qui. 4.c
Esseni vnde dicti, siue Iessæi. 633.d
Esseni qui etiam Hosij. 633.e
Esseni sine vxore vitam ducebant. 20.e
Esseni in omnem regionem dispersi, & ex omni gente, & nonnisi Christiani esse possunt. 635.c.d. 636.c.d
Esseni a ceteris sectis diuisi. 5.c
Esseni moribus conspicui. 5.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esseni, licet Christiani, sabbatum tamen custodiebant, & cur. 636.b
Esseni diuersi a Rechabitis. 634.d
Essenos a Richabitis descendere. 634.e
Esseni ante Christum diuersi ab ijs qui post Christum a Philone describuntur. 635.d
Esseni paulo ante Christum. 634.a
Esseni redditi Christiani. 635.c. 636.a
de Essenis qui ante Christum, silentium. 635.a
de Essenis nihil loquitur Euangelium. 634.e
Essenorum antiquitas. 634.e
Essenorum nomine Christiani a Philone laudantur. 636.b
reijciuntur obiecta. 633.
Essenorum dogmata. 5.e
Essenorum excommunicationis genus terribile. 448.d
Essenorum vita, & laudes. 634.a
Essenorum cantus. 688.d
Essenorum institutum quando cœperit, non ex Gentilibus scriptoribus, sed ex Iudæis probandum. 634.c
Essenos, qui erant in Aegypto, fuisse Christianos. 693.d
Essenos facile Christianis consensisse. 635.d
Esther & Thamar filias fuisse Iosephi viri Mariæ, falsum. 21.d
Ethnici scriptores in rebus Hebraicis facile errore lapsi sunt. 634.c
Euaristus quintus a Petro Pontifex ecclesias diuisit presbyteris. 480.d
Euagrij testimonium de idolis collapsis ad Saluatoris ingressum. 58.d
Euagrius de imagine Christi ad Abagarum missa testatur. 105.c
Euangelica concordia. 86.c
Euangelicæ historiæ dignitas. 86.a
Euangelij prærogatiua, & excellentia. 86.c
Euangelio credendum præ ceteris historijs. 212.e
Euangelio credendum propter Ecclesiæ auctoritatem. 213.a. 414.e
Euangelistas de rebus Christi scripsisse quantum satis esset ad fidem adstruendam. 214.a
Euangelistæ præstantissimi omnium historicorum. 28.b
Euangelistæ singulas res gestas enarrandas non suscepere-runt. 214.a
Euangelium Matthæi quo anno scriptum. 288.a
Euangelium Nazaræorum an apocryphum. 290.a
Euangelium Marci quo anno scriptum. 353.b
Euangelium Marci a Petro confirmatur. 352.b
qua occasione scriptum. ibid.
an Latine vel Græce scriptum. 355.c. 750.d
Euangelium ad Hebræos quodnam intelligendum. 751.a
Euangelium Nazaræorum a Hieronymo translatum. 112.d
Euangelium Lucæ scribendi occasio. 533.c
Euangelium virtute diuina, non humana propagatum. 712.b
Euangelium editum nomine Andreæ Apostoli apocryphum. 327.d
Euangelium nomine Petri apocryphum. 22.a
Euangelium nomine Thomæ ab hæreticis scriptum. 327.d
Euangelium a Theela prædicatur. 362.e
Eucharistia instituta post cœnam. 154.d
Eucharistia primum in azymis confecta. 154.e
Eucharistia sub specie tantum panis asseruari solita. 449.a
Eucharistia frequentanda. 499.d.e. 500.d
Eucharistia ex duabus rebus constans. 156.d
Eucharistia caro etiam nostra alitur. 156.e
Eucharistia nonnisi a ieiunis sumenda, vetus Ecclesiæ mos. 159.e. 496.a.b
Eucharistia non datur ante confessionem. 440.d
Eucharistia in itinere ferri solita. 494.c
Eucharistiam sumendi vsus infrequens Ecclesiæ Orientalis. 500.a
Eucharistia intra columbam auream reponi solita. 494.d
Eucharistiam veteres mysteria nominabant. 154.a
de Eucharistia Patrum assertiones. 157.a.b.c. 158.a.b.c.d.e
Eucharistiæ sacramentum in qua veste instituit Dominus. 152.d
Eucharistiæ institutio post esum agni Paschalis. 499.e
Eucharistiæ diuersa nomina. 155.a.b.c
de Eucharistiæ veritate Patrum auctoritates. 155.e. 156. 157.
de Eucharistiæ sacrificio sententiæ Ignatij. 157.a.b
Eucharistiæ fructus. 156.d
Eucharistiæ susceptores quales. 157.c
Eucharistiæ participatio. 496.d
Eucharistiæ ritus. 495.d
Eucharistiæ similitudo. 157.c
Eucharistiæ ritus a Paulo instituti. 415.a
Eucharistiæ conficiendæ, offerendæ, & distribuendæ ordo recitatur. 496.c. 497. 498.
Eucharistiæ consecratio, & institutio. 151.b
Eucharistiæ eleuatio. 496.d
Eucharistiam non confitentium non recipiebantur oblationes. 157.a
Eucharistiam accipiens quid profitetur. 497.a
Eucharistiam manu accipere soliti qui. 497.b
Eucharistiam sumpturis tabellæ apponi solitæ. 496.e
Eucharistiam non vt communem panem sumimus. 157.c
Eucharistiam suæ conscientiæ arbitrio sumere numquam permissum. 441.b
Eucharistiam domum deferre mos fuit. 497.c. 498.a
quando prohibitum. 498.c
Eucharistiam in manus cuiusque dari solitam, & quomodo. 497.b
Eucharistiam quotidie sumere. 499.c
Eucharistiam asseruandi mos. 498.e
Eucharistiam indigne sumentibus pœnæ a Domino irrogatæ. 500.e
Eudoxia Augusta nobilissimam ecclesiam ædificauit. 242.e
Euellius de domo Neronis martyrio coronatur. 680.c
Eunapius Sardianus de cultu reliquiarum testatur. 429.e
Eunice mater Timothei. 398.a
Eunomius cultum reliquiarum impugnat. 427.b
Eunuchum Reginæ Candacis Philippus diaconus instituit, & baptizauit. 259.d.260.a
Eunuchum Candacis Reginæ fuisse proselytum, & non Gentilem. 259.e
Eunuchum Reginæ Candacis in Arabia Felici, & in insula Taprobana Euangelium prædicasse, & martyrem obijsse. 260.a.d
Euodij nomine scripta. 690.a
Euodio Episcopo Ignatius subrogatur. 689.b
Euodius Episcopus Antiochenus Apostolorum successor. 274.b
Euodius Antiochenus Episcopus martyrio coronatur, qua occasione. 16.e. 346.b
S. Euphemia Chalcedonensis martyr quomodo vestita. 477.c
Euprepia matrona domum suam in titulum ad Missas celebrandas

brandas erexit. 480.d
Euphrates Apollonij perneccessarius. 711.d
Euroaquilo ventus. 589.a
Eusebij historia quam fidelis, in præf. pag. 2.
Eusebij error de relatione Pilati. 216.d
Eusebij error de censu. 27.e
Eusebius longe aliter a Iosepho annos Herodis enumerat. 38.d
Eusebij sententia de epistola Iesu ad Agabarum Regem. 105.a
Eusebius Episcopus Cæsariensis Euangelia in vnum opus contexuit. 86.e
Eusebius traditionum professor. 418.e
Euthymius erroris arguitur de tempore quo scriptum est Euangelium Lucæ. 533.d
Eutropiæ matronæ domus in titulum ad Missas celebrandas erecta. 480.c
Eutropius Episcopus Santonensis. 735.b
Eutychus de tertio cœnaculo cadit. 545.b
Examen conscientiæ laudatur. 400.e
Exauctoratio, degradatio, depositio. 452.d
Excidij Hierosolymitani causa. 696.a. 697.
Excidij Hierosolymitani causa non fuit neglectus religionis. 696.c
ab Excidio Hierosolymitano seruati quam sortem habuerint. 695.c
Excommunicat Paulus incestuosum. 448.e
Excommunicati satanæ traduntur. ibid.b
Excommunicatio apud Hebræos & Gentiles in vsu fuit. 448.d.e
Excommunicatio a Paulo inflicta. 449.a
Excommunicatio apud Gallos qualis. 448.e
Excommunicatio quibus modis dicta a maioribus. 449.a
Excommunicatio semper timenda. 452.c
Excommunicatio iniusta humiliter ferenda. 451.e
Excommunicatio in contumaces ferenda. 452.c
Excommunicatio etiam pro rebus temporalibus inferri potest. 274.a
Excommunicationis forma. 459.e. 460.
Excommunicatio nonnisi ex graui causa inferenda. 451.c
Excommunicationis nomina diuersa. 449.a
Excommunicationis vtilitas. 451.b
Excommunicatorum pœnæ. 448.c
Excommunicatus traditur satanæ. 450.d
Excommunicatus quæ mala patiatur. 450.e
Exercitia Iesu quæ. 75.b
Executores vltimi supplicij qui essent. 167.a
Exempla multorum qui longam vitam duxerunt. 715.d
Exempla ignis æterni. 720.a
Exemplum annuli ad zonam ligati, & sine sui vel zonæ fractione elapsi. 56.e
Exilium Archelai in Gallia quo tempore. 76.e
Exomologesis quid. 436.a
Exomologesis quæ abrogata a Nectario. 442.e
Exomologesin facere quid. 436.a
Exorcismi Salomonis. 431.a
Exorcismi forma versibus explicata. 433.e
Exorcismi ante baptismum. 434.d
Exorcismis aliqui ritus addi possunt. 432.a
Exorcismorum probatus vsus. 432.a
Exorcismorum antiquorum vsus. 432.d
Exorcista Eleazarus. 431.b
Exorcistæ Christiani. 434.c
Exorcistarum ordo. 432.b
Exorcistæ circulatores. 434.a
Exorcistæ Iudæorum non ignobiles viri. 431.a
Exorcistæ Iudæorum quales. ibid.
Exorcistas quomodo dæmones fallere conantur. 433.a
Exorcizare quibus lege prohibitum. 434.a
Exorcizare, peculiare munus ordinis ad hoc constituti. 432.a
Exorcizati fides plurimum confert. 403.e
Exules togam abiiciebant. 78.a
Ezechias Rex scidit vestimenta, & cur. 163.e
Ezechiel iubetur caput radere. 570.c
Ezechiel Hierosolymam raptus. 91.e
Ezechielis visio. 86.a

F

Faber tabernaculorum Paulus. 409.e
Faber lignarius Iesus, & Ioseph. 75.e
Fabianus Papa Philippum Imperatorem ad exomologesin faciendam adegit. 438.a
Fabiola vidua publice exomologesin facit. 442.e
Fabula de homine formam asini habente. 14.c
Fabulæ Iudæis cognitæ. 294.d
Fabulosum commentum cuiusdam auctoris, qui probare conatur tribus diebus & noctibus expletis Christum in sepulchro fuisse. 198.a
Facibus primi vsi in sacris Athenienses. 551.c
Factio Iudæorum triplex. 688.e
Factiosi quo prætextu sibi regnum adscisceре conati apud Iudæos. 693.c
Fadus Iudææ Præses post mortem Agrippæ. 360.e
Fadus Iudæis de stola pontificia negotium facit. 375.e
Fadus Theodam interimit. 63.e
Fama infanticidij Herodis Romam perlata. 59.e
Fama miraculorum Iesu per totam Syriam diuulgata. 104.d
Fames in toto Orbe sub Claudio, ab Agabo prædicta. 332.e
Fames Iudæorum quo progressa. 692.a.b
Familia Dauid a Vespasiano aboleri curatur, & cur. 692.a
Fanum Vestalium, non templum dicebatur. 47.b
Fascia velare oculos capite truncandorum solitum esse apud Iudæos. 667.c
in Fasciarum Iesu honorem basilica erecta. 45.e
Fasti Cassiodori de tempore Christi nati veriores. 34.a.d. 37.b
Fasti Pantinij anno vno discrepant. 37.b
c Fastis nomina Consulum quantumuis criminosorum expungi haud solita.
Fato omnia tribuerunt Pharisæi. 4.e
Fausti Manichæi liber de Ioachim reijcitur. 16.d
Faustus Manichæus mentitur de stirpe Virginis. 14.d
Felix Procurator Iudææ. 379.b
Felix Ionatham Pontificem e medio tollit. 543.e
Felix turbam ab Aegyptio impostore seductam inuadit. 544.b
Felix Iudæam administrat. 445.b
Felix in Iudæos rixantes armatos mittit. 554.b
Felix e magistratu abit. 544.e
Felix tremefactus ex prædicatione Pauli. 583.a
Felix cur speraret pecuniam sibi a Paulo dandam. 583.b

Felix vir mulierosus nimis. 583.b
Felix quomodo Drusillam vxorem accepit. 583.c
Felix trium Reginarium maritus. 583.c
Felix coniurantes in Paulum an Romam miserit. 584.a
Felix quamdiu prouinciam administrauit. 584.b
Felix Vrgelitanus. 488.a
Feminam, quæ vnxit pedes Iesu, Iudæam fuisse. 119.a
Feminas caput velare, Iudæis & Gentilibus commune. 475.a
Feminarum libido Romæ coercita. 82.a
Feminarum locus in ecclesia. 489.a
Feminæ in ecclesia a viris separatæ. 18.b.488.e.489.a.b.c
Feminæ ornatus cupidæ. 476.c
Feminæ Corinthiæ impudicissimæ. 475.c
Feminis cum viris in ecclesia canere interdictum. 18.b. 74.c. 608.c
Feminis cur myrrhina vina concessa. 175.a
Ferdinandus diaconus canonum collector. 487.e
Feria quarta initum consilium de morte Iesu. 194.d
Feria quinta non vacandum ab operibus. 556.e
Feriarum nomen cur diebus inditum. 340.d. 555.d
Feriatio superstitiosa diei sabbati. 6.b
Feriæ nomine omnes dies appellati ante Siluestrum. 555.c
Feriæ quartæ & sextæ religio. 193.d
Feritas in conuiuijs detestanda. 123.e
Fermentum quicquid impurum significat. 192.b
Festa dies reditus Iesu in Palæstinam. 71.e
Festa non abstulit Paulus. 553.d
Festa dies præstat non festæ. 555.a
Festa antiquissima quæ. 557.c
Festa Sanctorum. 557.d
Festa deorum Gentilium in honorem martyrum commutata. 560.b.c.d
Festa dies ab hora nona incipiebat. 150.c
Festi dies in Ecclesia cur introducti. 554.b.c. 557.a
Festis diebus prandere non licebat ante horam sextam. 221.d
Festiuitates in Ecclesia introductæ. 552.e
Festorum Gentilium lex. 560.d
Festorum dierum impugnator Aerius. 554.c
Festos dies denunciandi mos apud Hebræos. 148.c
Festos dies agunt Christiani diuersa ratione a Iudæis, & Gentilibus. 554.b.560.c
Festos dies vnde auspicabantur Iudæi. 147.e
Festum Innocentium. 60.d. 558.b
Festum Polycarpi. 558.a
Festum Epiphaniæ in Ecclesia celeberrimum. 55.e
Festus successor Felicis. 584.d
Festus quot annos in prouincia. 584.e
Festus impostorem magum persequitur. 587.b
Festi mors. 626.c.627.b
Fibulam auream gestabant in veste Regum affines. 165.e
Fici arbor arefacta. 141.e
de Fici arbore Iudas se suspendit. 164.b
Fictilia myrrhina vbi fiant. 172.c
Ficum esse arborem transgressionis. 141.d
Ficus Romulea quot annos superstes. 164.d.621.a
quando exiccata, & quid significauerit. 621.a
Ficuum folia sumpserunt primi parentes ad se tegendum. 141.d.e
Fidei signum in annulis Christianorum. 463.e
Fidelium fuga Hierosolymis. 662.d
Fides porrectione dexteræ solita polliceri. 463.e
Fides historiæ Magorum. 49.e
Fides Ecclesiæ fundamentum. 130.b
Fides sine bonis moribus facile periclitatur. 511.d
Fides Romanorum & deuotio. 539.e
Fides Christianorum quantæ virtutis, & æstimationis. 711.e
Fides Romana annunciatur in vniuerso Orbe. 539.c.e. 540.b.c
Fide incarnationis Christi futuræ salui facti sunt homines, vt præteritæ. 2.a
Fides & miraculum Gregorij Thaumaturgi. 72.a
Figuli ager emptus triginta argenteis qualis. 144.c. 169.c
Figura Crucis. 169.d.e
Filiæ Philippi diaconi quatuor virgines. 566.c
Filiæ Hierusalem quando dixerunt, Beatæ steriles: & montibus, Cadite super nos. 692.c
Filia Seiani a carnifice constuprata. 138.d
Filius Dei cur homo factus. 2.b
Filius viduæ Naim a mortuis reuocatur. 116.a
Filius præfame a matre comestus. 692.b
Fimbriæ Pharisæorum. 5.b
Fingere licitum, mentiri nequaquam. 390.c
Fisci Iudaici calumnia sublata a Nerua. 745.c
Flaccus Aegypti Prætor. 278.
Iudæis infensus. 281.c
Flacci crudelitas in Iudæos. 280.281
Flaccus in Andrum insulam a Caio relegatur, deinde occiditur. 282.c
Flagellatio Iesu. 166.c
Flagellis multi interiere. 166.d
Flagellorum genus duplex apud Romanos. 166.e
Flagrorum duplex genus. 280.e
Flamen apud Gentiles vnius vxoris vir ad sacerdotium admittebatur. 532.d
Flumen quotidie feriatus. 340.d
Flauinica vnius mariti vxor. 532.d
Q. Flaminius Placentiæ discumbenti meretriculæ in quo morem gessit. 123.e
Flamma ex adytis templi erumpit contra Herodem. 222.c
Flammarum eruptio ex Vesuuio monstruosa. 719.c
Flauia Domitilla Clementis neptis in Pontiam insulam relegata. 742.e. 743.c
Flauia Domitilla mater Titi & Domitiani relata inter diuos. 742.e
Flauia Domitilla Clementis vxor. 743.b
Flauia Domitilla a Clemente instructa, & velata. 744.a
Flauia Domitilla Nerei & Archillei sermonibus accensa. 744.a
Flauia Domitilla virgo & martyr. 743.e
Flauiæ Domitillæ procurator Stephanus Domitianum occidit. 744.e
Flauius Vopiscus. 481.a
Flauius Clemens occiditur a Domitiano. 742.b
Flauius Silua Massadam capit, & excidit. 703.b
Florus Albino substituitur. 642.d
Florus homo scelestissimus. 642.d
Florus Iudæos ad defectionem concitat. 643.c.657.a
Florus a Iudæis octo talenta accipit. 656.d
Florus Iudæos nobiles patibulis affigit. 657.e
Florus maledictis a Iudæis appetitur. 655.a
Florus Hierosolymam cum exercitu contendit. 657.b
Florus honorem Iudæorum respuit. 657.b
Florus forum rerum venalium diripiendum militibus tradit. 657.d

de Floro

de Floro & Christo antithesis. 658.a
Florus nouam quærit occasionem irritandi Iudæos ad seditionem. 557.e.658.d
Florus in arcem transire nititur, sed non potuit. 659.b
Fluuius Sabbaticus a Vespasiano visus, & quando fluat. 135.b
Fœnum & cophinus Iudæorum supellex. 731.c
Fons, in quo Dominus pedes lauisse fertur, vbi. 204.a
Fons, in quo baptizatus est Eunuchus Reginæ Candacis, vbi. 260.c
Fons olei Romæ erupit. 11.a
Fons Iesu in Aegypto. 58.e
Fons Arabiæ in vinum conuersus. 95.e
Fons in Palæstina Sabbaticus dictus. 135.a
Fons carceris Apostolorum Romæ. 651.e
e Fonte lapideo aquæ exundare solitæ. 96.c
Fontem fluere vini sapore. 96.a
Fontes & fluuij in vinum conuersi. 95.e
Fontes ad lauandum fuisse pro foribus ecclesiarum. 482.e
Fontium trium miraculum in morte Pauli. 668.c
Forenses conuentus. 590.a.d
Formatæ litteræ quæ. 714.e
Fortunatus Agrippæ libertus Romam missus ad Caium Imp. 283.a
Fortunatus de sepulchro Petri & Pauli. 672.e
Forum Appij quantum ab Vrbe distaret. 691.c
Fossarij qui. 237.e
Fratres Domini qui putati. 21.d
Fratres Domini dicti cur germani putati. 22.d
Fratres Domini quinam essent, ex Hieronymo. 21.e
Fratres appellati Christiani, & Fraternitas eorum cœtus. 309.c.d
Fratres Domini a quo geniti. 22.c
Fratrum & sororum nomine propinquos intelligi. 15.b
Frontem cruce signandi ritus. 415.b
Fuga Iesu, ne Rex fieret. 125.e
Fuga Petri e carcere Herodis. 313.c.314.c
Fuga Petri e carcere Mamertino quando. 666.a
Fulgor e sardonice emitti desiit. 80.c
Fulmen in mensam Neronis illapsum. 625.d
Fuluia sub Tiberio pecuniam corradit. 409.b
Fuluia nobilis mulier Romana a Iudæis decepta. 82.a
Fuluiæ insultatio in Ciceronem. 124.a
Fundamenta Ecclesiæ. 129.a
Funerales Agapes. 494.a
Funera Iudæorum. 183.d
in Funere nobilium apud Græcos & Latinos adhibiti æneatores, & tibicines. 110.d
item & apud Iudæos. in præf. pag. vlt.
Funeris pompam accensis cereis prosequi apud Christianos antiquo vsu receptum est. 244.e
Fures sunt quotquot ante Christum venerunt, & de quibus intelligatur. 234.b

G

Gabaras Aegyptij appellabant corpora defunctorum siccata. 195.a
Gabbain publicanus. 109.b
Gabbæ princeps publicanorum. 109.b
Gabellæ nomen vnde. ibid.
Gabinius administrat Iudæam. 3.d
Gabinius Marsos superauit. 332.d
Gabinius Syriæ Præses tributum Iudæis imperat. 30.a
Gabinij prætura in Palæstina. 509.d
Gabrielis Archangeli nuncium. 26.c
Gadara & Gerasa ciuitates. 71.b.107.d
Gadara vnde dicta. 107.d
Gadareni agri aquæ calidæ. ibid.e
Gadareni Vespasianum recipiunt. 585.c
Gadarensium ciuitas a Vespasiano capta, & incensa. 681.e
Galatæ qui fuerint. 250.d
Galatiam Paulus petit. 423.a
Galba Imperium arripit. 684.e
Galba quamdiu tenet Imperium. 685.a
Galba in foro a militibus occisus. ibid.e
Galilæa contermina Iudææ. 72.c
Galilææ in Palæstina duæ. 72.c
Galilææ caput Sephori ciuitas. 79.c
Galilæi Cæsarem dominum appellare recusant. 64.b
Galilæi diuersa a Iudæis lingua vtebantur. 220.d
Galilæi statuerunt non esse pro Ethnicis sacrificandum. 64.b
Galilæi ab infantia pugnaces. 113.d
Galilæi a Pilato occisi, quòd negarent tributum pendendum Romanis. 136.e
Galilæi Christiani dicti. 644.d
Galilæorum secta. 4.c
Galilæorum natura. 72.d
Galilæorum secta in Aegypto. 703.e
Galilæorum secta quando exorta. 6.d.63.a
Galilæorum secta in Simone reuixit. 77.d
Galilæorum sectæ impugnator Christus, & Apostoli. 64.c
Galilæorum constantia contra Cæsarem. 64.b
Galilæorum secta excisa. 704.a
Galilæos diuersa a Iudæis lingua vti consueuisse. 72.c
Galilæus dictus Iesus. 72.c
Gallæ Augustæ litteræ ad Placidiam Augustam. 672.c
Galli sacerdotes rasi Romanorum exemplo. 577.e
de Galli cantu concordant Euangelistæ. 162.e
Gallicinium duplex. ibid.
Gallia & Galatia idem. 594.d
Galliam pro Galatia legendum esse falsum. 594.d
in Gallijs ara inuenta cum inscriptione, Ignoto Deo. 405.d
in Gallijs defectio Romani exercitus a Nerone. 681.c
Gallio Achaiæ Proconsul. 421.d
Gallio de religione iudicare noluit. 421.c.422.a
Gallio germanus Senecæ. 421.e
Gamala capta a Vespasiano. 63.d
Gamaliel apud Lucam. 63.a
Gamaliel pro Apostolis loquitur in Concilio seniorum. 234.a
Gamaliel Christianus fuit, & cum Stephano sepelitur. 235.a
Gamaliel Stephani, Sauli, & Barnabæ præceptor. 230.d
Gamaliel legis peritus. 234.d.235.a
Gamaliel in Concilio inter Senatores permansit, & cur. 234.c
Gamalielis de Theoda & Iuda vera narratio. 63.a
Gamalielis epistola de inuentione sancti Stephani. 243.e
Gamalielis sententia non fuit, vt Apostoli flagellis cæderentur. 235.b
Gangra Bithyniæ ciuitas. 315.e
Gangrense Concilium probibet suffocatum. 385.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gangrense Concilium Agapes probat. 495.a
Garizim montem adeunt Samaritæ. 259.c
Garizitani templi religio inducta. 102.c
Garizitanum templum sub quo ædificatum. 102.b
Gaudentius Brixianus Episcopus de nuptijs in Cana Galilææ. 94.e
Gaulanitica regio. 69.a
Gausapina penula quæ. 547.d
Gaza vrbs. 71.b
Gazophylacia quæ, & Corbona. 496.c
in Gazophylacium oblationes primo offerebantur, & cur. 496.c
Γενέσια. 13.e
Gelasius epistolam Abagari recenset inter apocrypha. 105.b
Gelasius non videtur affirmare Paulum in Hispanias numquam profectum. 622.b
Gemmæ duodecim rationali Pontificis insitæ. 80.c
Genealogia Christi aliter a Matthæo, aliter a Luca describitur, & cur. 11.d
Genealogia Mariæ Virginis. ibid.e
de Stirpe Mariæ liber reiectus. 13.c
Genealogia Christi a Iudæis ficta. 13.b
Genealogiarum Iudæorum libri perielitati. 13.d
Genealogiæ conscriptæ Hierosolymis asseruabantur. 12.b
Genealogiæ sacerdotum duorum millium annorum seruatæ. 14.a
Genealogiæ Iudæorum virorum tantum nominibus describebantur. 12.a
Generationes Christi naturales. 11.d
Generationes adoptionis Christi. ibid.
Generationum numerus in Matthæo & Luca diuersus. 11.d
Genesar, & Genezareth lacus idem. 106.d
Genezareth lacus descriptio. ibid.
Genezareth lacus, & terra. 106.d.e
Genezareth terræ pulchritudo, & vbertas. 79.b
Genij cultus qui apud Gentiles. 608.a
Genitricis Dei parentes. 14.a
Genfericus Vandalorum Rex. 703.a
Gentes ab Apostolis subactæ Christi lege vixere. 320.a
Gentibus ad fidem Christi ostium apertum. 287.c
a Gentibus leges Romanæ numquam acceptæ, Romano dominatu accepto. 320.c
Gentiles martyrum reliquias disiiciebant. 429.d
Gentiles Christianos impostores vocabant. 434.a.b
Gentiles dijs suis decimas soluebant. 471.e
Gentiles quadrifida incisione in modum crucis panes decussabant, antequam coquerent. 546.b
Gentiles mundabant se aqua ante ingressum in templum. 483.a
Gentiles tabellas pictas in templo suspendere solebant. 507.a
Gentiles etiam in festis lucernas incendebant. 549.b
Gentiles bullas ad collum appendebant. 551.a
Gentiles cordis imaginem in bullis ferebant, & cur. ibidem.
Gentiles Solem adorare Christianos dicebant, & cur. 563.b
Gentiles multi raso capite funera celebrabant. 574.b
Gentiles cuius rei causa diem natalitium celebrarent. 680.a
Gentiles etiam cantus molles damnabant. 610.c
Gentiles diuinæ dispensationis mysterium ignorarunt. 9.e
Gentiles homines apud Philippum agunt, vt viderent Iesum. 141.d
Gentiles per bestias significati. 286.b
Gentiles mundum per ignem interiturum formidabant quando. 721.c
Gentiles omnium malorum causas in Christianos refundebant. 724.d
Gentilicia superstitioni Claudius prospicit. 377.b
Gentilicij ritus in Ecclesiam aliquando translati. 339.e
Gentilium status & mores teterrimi. 7.c
Gentilium impiæ leges, antequam Euangelium reciperent. 319.e
Gentilium ritus multi communes Iudæis, & Christianis. 340.d
Gentilium calumnia in Christianos orta ex peccatorum confessione. 436.e
Gentilium superstitiones in religionem Christianam commutatæ. 551.b. 552.
Gentilium festorum lex. 560.d
Gentilium sacerdotes omnes pilos corporis radebant. 571.a. 527.d
Gentilium cantus ab Ecclesia damnati. 613.a
Gentilium idololatria ab Aegypto. 50.e
Gentilium prophetæ, & prophetissæ. 7.e
Gentium vocatio cum desolatione Iudæorum. 305.b
Gentium vocatio in Magorum aduentu expressa. 55.d
Genua inclinandi ratio. 564.e
Genua in precibus flectere Iudæi solebant. 565.e
Genu flectere, & ad Orientem orare, traditio Apostolorum. 563.d
Genus Ioseph viri Mariæ. 15.c
Georgius Cedrenus. 624.e
Gerasa Arabiæ fons in vinum conuersus. 95.e
Gerasa, & Gadara ciuitates. 107.d
Gergesa viculus. ibid.
Germania a Varo ad defectionem impulsa. 73.b
Germanicus Cæsar a patruo Tiberio in filium adoptatus in Syriam mittitur. 81.d
Germanici Cæsaris Præsidis Syriæ interitus. 82.c
Germanicus Episcopus Cantillanensis. 577.c
Germanus Episcopus Constantinopolitanus. 15.b
Gestus olim fieri soliti in canticis exoleuerunt. 690.a
Gischalæ oppidi Galilææ natum esse Paulum, fabula videtur. 263.c
Gethsemani villa. 161.c
Glaucias Petri interpres. 353.b
Glycas Siculus historicus recenior. 373.c
Gnidum insignis ciuitas. 588.b
Gnostici quid de Zacharia patre Ioannis. 62.c
Gnosticorum liber de stirpe Mariæ portentosissimus. 13.b
Gnostici omnium hæreticorum scelestissimi. 14.c
Gnosticorum opinio, qua affirmabant Christum anno tantum prædicasse. 186.a
Golgotha Caluariæ locus supplicij. 175.c
Golgotha eumdem montem esse, in quo Abraham iussus est sacrificare Isaac. 170.a
Golgotha adhuc monstrat vbi propter Christum petræ scissæ sunt. 181.b
Gorgonæi capitis vis. 294.d
Gorgonia soror Gregorij Nazianzeni Eucharistiam in cubiculo asseruabat. 497.c
Gorgonia mirabiliter sanata. 497.e
Gotheni hæretici. 6.a
Gothi templum Dianæ Ephesinæ spoliarunt. 507.e
Græca lingua communis cum Romanis. 78.a
Græcæ linguæ vsus apud Romanos. 78.b

Græcam

Græcam linguam Paulus Tarsi Ciliciæ a prima ætate imbiberat. 447.d
Græce loqui Romani nobiliores non solebant. 356.a
Græca lingua Romæ vilescit. 355.e
Græci ab Aegyptijs acceperunt idololatriam. 58.d
Græci diem festum agunt de imagine Christi. 105.e
Græci tenaciores antiqui præcepti. 385.e
Græci de non comedendo sanguine institutionem mordicus tenent. 585.d
Græciam Paulus petit. 520.e
Græcorum murmur aduersus Hebræos factum est, & qui per Græcos intelligendi. 235.c
Græcorum scientiæ, & nationum linguæ Hierosolymis publice non tradebantur. 242.d
Græcorum nomine Hebræi nominati. 235.e
Græcorum viduæ a quo ministerio excluse. 235.e
Græcorum scientias, & nationum linguas haud licuisse publice tradi apud Hebræos. 242.e
Græcorum nonnulli barbas radebant, vt Romanos imitarentur. 577.d
Græcorum vti lingua & pallio Romanos ex Augusti lege. 78.a
Græcos etiam ieiunos Eucharistiam sumere. 159.e
Græcos Ethnici appellabant Christianos, & cur. 434.c
Græcos auctores non citasse Apocalypsim, de quibus intelligendum. 737.c
Gratia Spiritus sancti in Gentes effusa. 286.d
Gratia & pax in salutatione adhibita. 351.c
Gratiam deprecari, Pauli sigillum in epistolis. 619.e. 620.a
Gratiarum actio in mensa, exemplo Domini inducta est. 493.c
Gregorij Nazianzeni carmen de Thecla. 365.c
Gregorij Nysseni epistola inter canonicas recensita. 440.e
Gregorij Papæ VII. litteræ de radendis barbis clericorum. 578.c
Gregorij Thaumaturgi fides, & miraculum. 72.a
Gregorij Thaumaturgi epistola insignis. 458.d
Gregorius Thaumaturgus causis litigantiũ iudicandis implicitus. 458.c
Gregorius Thaumaturgus Gentilium superstitiones in veri Dei cultum transtulit. 551.c
Gregorius Nazianzenus traditionum professor. 419.e
Gregorius Episcopus Nicomediæ. 17.c
Gregorius Bæticus. 617.e
Gregorius Papa quomodo Anglis Agapes concessit. 495.c
Gutta iugiter manans dictus locus ad Aquas Saluias. 667.e
ibi Christianorum carnificina. ibidem.
Gymnosophistæ ab Ethnicis scriptoribus celebrati. 635.a

H

Habitatio Virginis Mariæ in honore habita. 59.a
Habitatio feminarum in templo. 18.c.d.e
Hadrianus Imp. loci, in quo natus est Iesus, memoriam abolere conatus est. 44.e
Hadrianus Papa meminit de imagine Saluatoris non manu facta. 105.d
Hæccadi Rabini antiqui de partibus Virginis historia confutata. 14.d
Hæreses Iudæorum omnes extinctæ Hierosolyma excisa, vel potius mutatæ. 705.d
Hæreses & sectæ Iudæorum ex Tertulliano. 6.a
Hæresis Phariseorum de animarum transmigratione propagata. 127.d
Hæresis prima quæ. 258.b
Hæresis Galilæorum. 64.b.c.d
Hæresis Nazaræorum. 72.c
Hæresis Iudæorum de adoratione militiæ cælestis. 605.a
Hæretici inimici crucis Christi qui. 600.d
Hæretici diuidentes Iesum a Christo. 600.e
Hæretici nuptias & cibos damnantes qui. 511.e
Hæretici tonsuram clericalem æmulati sunt. 573.e
Hæretici confutati de Virgine Maria. 20.b
Hæretici ab hominibus potius, quàm a Christo denominantur. 448.c
Hæretici Pontificem titulis debitis non honorant. 521.e
ab Hæreticis miraculum numquam factum reperitur. 211.b
ab Hæreticis Cherinthianis Angelorum adoratio concedi non potuit. 606.
Hæreticis ex circumcisione prouenientibus quid peculiare. 709.a
Hæreticorum libros comburendos lege sancitum. 444.d
Hæreticorum proprium partus supponere. 488.b
Hæreticorum mentiri proprium. 469.e
Hæreticorum nouos psalmos execrata est Ecclesia. 612.b
Hæreticos ad prauum Scripturæ intellectum ex superbia rapi. 212.d.e
Hagiomachi hæretici. 427.a
Halleluia vox non translata, & cur. 506.a
Hebdomada maior, siue pœnosa. 193.c. 194.a
Hebdomada pœnosa passione Domini consecrata. ibid.
Hebraica vox in Græcam significationem sæpe translata. 93.e
Hebraica nomina cur in Ecclesia retenta. 506.a
Hebræi Deum adoraturi, loca superiora conscendebant. 285.c
Hebræi & Gentiles in sacris veste candida vtebantur. 340.c
Hebræi aduenæ dispersionis qui. 250.c
Hebræi proprie qui. 235.e
Hebron ciuitas antiquissima. 26.e.
nobilior ceteris Palæstinæ vrbibus, exceptis Hierosolymis. ibidem.
dicta etiam Chebron, & Chariatharbe. ibid.
Abrahæ domicilium. 27.a
quantum distet ab Hierosolymis. 27.e
Adam ibi conditum autumant. 27.b
quam incolebat Zacharias. 27.c
ab omni gente venerationi habita. 27.b
Hegesippi duo. 698.c
Hegesippus proximus Apostolorum temporibus. 23.d
Hegesippus de traditionibus scripsit. 416.b
Hegesippus Iunior. 666.b
Hegesippus de persecutione Domitiani in stirpem Dauidis. 741.b
Hegesippus iuste in Iosephum historicum quædam expostulat. 14.d. 215.d
Heldad, & Medad prophetæ. 88.a
S. Helena locum nuptiarum Canæ Galilææ ecclesia nobilitat. 97.e
Helena Regina Adiabenorum an fuerit Christiana. 333.a
Helena eadem fame laborantibus subuenit. 333.a.
quo modo ad Iudæos transiit. 333.c
Helenæ filij ad Titum supplices venientes susceptique

Universidad de Deusto
Biblioteca

que seruari, & Romam ducti. 694.c
Helenæ & filij eius mausoleum. 334.c
Heli & Iacob veterini fratres. 12.e
Heli, Heliachim, & Ioachim esse synonyma. 13.a
Heli nominis dubitatio. 12.e
Heli filius Melchi ex vxore Mathan. 10.d
Heli pater Ioseph, non est Ioachim pater Virginis. 13.a
Heliconis consilium contra Iudæos. 291.a
Heliconis Caij consiliarij mors. 291.a.b
Heliopolis Aegypti vrbs. 406.e
Heluia virgo fulmine icta. 724.b
Heluidius infamis hæresiarcha. 22.a
Hemerobaptistæ. 6.b.126.c
Heracleæ sedem prius institutam, quàm Byzantij. 316.b
Herbæ species inusitata ad statuam Saluatoris. 110.b
Herbipolenses Academici. 261.d
Herculanum & Pompeios vrbes cinere obrutas. 719.d
Hermetis nutricis dictum de Petri sepulchro. 671.e
Hermion vna ex quatuor filiabus Philippi. 566.e
Hermogenes, & Philetus, seu Phigellus, a Iacobo ad Christum conuersi. 313.a
Hermogenes & Phigellus a Paulo deficiunt. 598.b
Hermon, & Hermonius mons. 132.c
Hermopoli arbor morbos depellens. 57.e
Hermopolis in Aegypto illustrata Christi aduentu. 57.e
Herodem intelligendum per Regem Assyriorum. 52.b
Herodem & alios Christi interitum procurasse. 68.a
Herodem Christus vulpem nominat. 127.d
Herodes Idumæus, homo Gentilis, postea proselytus. 3.b
Herodes pontificiam dignitatem largitur, & aufert. 4.b
Herodes Romam veniens Pollione vtitur hospite. 9.c
Herodes creditus Christus. 3.c
Herodes igni tradidit tabulas genealogiarum Iudæorum cur. 13.d
Herodes quando cognouit se illusum esse a Magis. 59.c
Herodes qua occasione non statim in infantes sæuit. 59.b
Herodes cur a bimatu & infra infantes præcepit occidi. 54.c
Herodes post præsentationem Christi in templo in infantes sæuit. 57.d
Herodes fauit Antonio contra Octauianum. 39.a
Herodes inferendi sibi necem cupidus. 68.e
Herodes Rhodum se contulit supplex ad Augustum. 39.b
Herodes quomodo regnum promeruit. 39.b
Herodes ius summi sacerdotij sibi arrogauit. 4.b
Herodes Antigonum debellauit. 38.a
Herodes M. Antonij ope in regnum restitutus. 38.a
Herodes vixit vsque ad annum nonum ætatis Christi. 38.e
Herodes ciuitates, theatra, templa Augusti nomine dedicauit. 39.b
Herodes calidis aquis se fouebat apud Callirhoen. 68.b
Herodes omnia in gratiam Augusti. 39.c
Herodes occidit Zachariam sacerdotem. 61.b.62.b
Herodes cur in Zachariam commotus. 61.b
Herodes cogit Iudæos in suum regnum iurare. 60.c.64.e
Herodes quo anno templi ædificationem auspicatur. 98.e
Herodes stolam pontificiam custodiri iussit. 4.b
Herodes Palæstinus nominatus Archelaus. 76.e
Herodes Tetrarcha iudicio postulatus ab Agrippa filio. 267.e
Herodes vlciscitur in aureæ aquilæ exciſores. 67.d
Herodes necat filios. 60.c
Herodes post necem infantium in multas incidit calamitates. 60.e
Herodes necat Scribas, & legis interpretes. 60.c
Herodes Salomen sororem & virum eius interficit. 65.a
Herodes iubet occidi Antipatrum filium. 69.a
Herodes vita functus quinta die postquam Antipatrum filium occidit. 69.b
Herodes Christum cur nescierit. 125.b
Herodes Rex Chalcidis ius in templum Hierosolymitanum obtinet a Claudio. 361.a
Herodes nominatus Agrippa. 312.b
Herodes Antipas qua ratione regnum in Iudæa habuit. 3.b
Herodes Antipas ad Tiberium. 79.b
Herodes Antipas natus ex alienigena Malthace Samaritide. 3.d
Herodes Matthiæ Pontifici sacerdotium adimit. 67.b
Herodes an Romam abierit post Magorum aduentum. 50.d
Herodes Antipas Romam proficiscitur. 69.e
Herodes quando & quoties Romam abijt. 59.d
Herodes quot annos legitime regnauerit. 64.e
Herodes testamentum mutat. 69.a
Herodes in concione de Iudæis conqueritur. 67.c
Herodes quot annorum fuerit, cum pater eius Iudæam accepit regendam. 38.e
Herodes iudicio Synedrij postulatus. 87.e
Herodes Tetrarcha existimat Christum esse Ioannem. 124.e
Herodes quomodo Christi miracula ignorauerit. 125.a
Herodes Iesum ad Pilatum remittit. 165.d
Herodes quali veste Iesum illusit. 165.e
Herodes Agrippa religiosior Iudæis. 147.c
Herodes Agrippa percussus, & cur. 163.c
Herodes cur Ioannem occidit, ex Iosepho. 100.e
Herodes in sepulchro Dauid quid inuenerit. 222.c
Herodes perpetuo damnatus exilio. 283.b.c
Herodes mærore animi consumptus periit. 283.c
Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ frater a Claudio honoratur. 306.b
ius in templum obtinet post mortem Agrippæ. 361.a
Ananiam summum sacerdotem esse iussit, Iosepho abrogato. 377.a
quando moritur. 377.d
Herodi a filio venenum paratur. 68.c
Herodi plagæ diuinitus inflictæ. 67.e
Herodi venenum paratur ab Acme. 68.e
Herodi refundit Augustus iudicium de Antipatro filio. 68.e
Herodis regni exordium. 3.d
Herodis filius occisus in infanticidio. 60.a
Herodis & aliorum studium de perdendo Christo puero. 68.a
Herodis sæuitia de occidendis nobilibus Iudæorum. 68.a
Herodis filij. 101.b.c.d
Herodis regni anni quo modo supputandi. 39.c
Herodis cum Pollione amicitia. 9.c
Herodis vitæ anni ex Iosepho. 38.e
Herodis oratio ad Iudæos. 67.c
Herodis regni annus primus vnde numerandus. 39.b
Herodis studia in Tiberium. 79.d
Herodis regni quo anno Christus natus. 39.c
Herodis filiorum occisio ante Christum. 60.e
Herodis principatus violentus a legitimo distinguitur a Philone, & cur. 60.b
Herodis mores. 69.c
Herodis legitimum regnum. 60.b
Herodis opinio de Christo. 124.e

Herodis opinio contemptus. 66.d
Herodis desperatio. 66.d
Herodis Tetrarchæ insidiæ in Agrippam Regem Iudæorum. 282.e. idem regno priuatur, & relegatur. 283.b
Herodis sæuitia incomparabilis in suos. 60.a 66.a
Herodis morbus & diri cruciatus. 65.e. 66.c. 68.a
Herodis domesticæ calamitates. 66.a
Herodis testamentum. 66.c. 69.b
Herodis facinus execrabile, & mandatum. 68.c
Herodis obitus. 38.b
Herodis funus sumptuosissime ab Archelao curatum. 69.b
Herodis temporibus sacerdotium venale. 24.e
Herodis Regis Chalcidis obitus. 377.d
Herodis & Herodiadis casus. 283.c
Herodis exercitus ab Areta profligatus, & cur. 100.d
Herodiani hæretici. 3.e
Herodiani Herodem Christum esse dicebant. 6.d
Herodianorum gregales contra Christum conspirant. 6.d. 112.e. Vespasiano adulantur. 688.a
Herodias cuius filia. 100.c.101.d
Herodias soror Agrippæ Regis Iudæorum. 283.b
Herodias linguam Ioannis acu perforauit. 124.a
Herodiadis saltatricis filiæ mors prodigiosa. 124.d. 283.c
Herodianus carcer vbi esset Hierosolymis. 313.e
Herodion & Olympas martyres sub Nerone. 680.c
Herodion & Mencherus castella expugnata. 703.b
Herodum stirps perseuerauit vsque ad Vespasianum Imp. 3.c
Hierapoli in Phrygia res gestæ a Ioanne. 323.a
Hierapoli martyrium subit Philippus. 323.d
Hierapoli quiescere Philippum Apostolum. 666.e
Hierapolis terræmotu concussa. 626.a
Hierarchicum ordinem in Ecclesia seruari voluit Christus. 274.e
Hierarchicum ordinem in Ecclesia euertere conantur hæretici. 522.e
Hierocles philosophus commentarium in Christianos edidit. 654.c
Hieroglyphica de ignis significatione. 549.a.b.c
Hieroglyphicum signum mutui fœderis. 493.d
Hieronymi opinio de anno, quo celebratum est Hierosolymis Concilium Apostolorum, non probatur. 382.c
Hieronymi epistola inconsulte inter spurias reiecta. 365.e
Hieronymi & Augustini altercatio de Petri simulatione. 390.d
Hieronymi opinio reiicitur de epistola ad Hebræos, quòd a Latinis recepta non sit. 617.b.618.
Hieronymi sententia de epistola Iacobi. 629.c
Hieronymo falsò attributa scriptura ad Chromatium & Heliodorum. 16.b
Hieronymus pulchre a Nazianzeno eluditur. 112.c
Hieronymus quid senserit de cereis in honorem martyrum accendi solitis, defenditur. 148.e
Hieronymus traditionum suffragator. 420.c
Hierosolyma peregrinis referta. 144.c
Hierosolyma a Cestio obsidetur. 643.c
Hierosolyma rebellat aduersus Romanos. 656.c
Hierosolyma ciuili bello afflictatur. 659.e.685.b
Hierosolyma triplici factione interius vexatur. 688.e
Hierosolyma sub Archelao. 71.b
Hierosolyma a Zelotis exagitata. 682.b
Hierosolyma ciuitas diruta, paucis memoriæ causa relictis. 695.d
Hierosolyma quantum durauit. 697.c
Hierosolyma excisa, omnes sectæ Iudæorum extinctæ, aut mutatæ. 705.d
Hierosolymæ excidendæ vaticinium. 685.d
Hierosolymæ duplici muro circumdatæ. 313.e
Hierosolymitana obsidio. 690.c
Hierosolymitana clades a Iesu filio Anani prædicitur. 637.d
Hierosolymitana clades cur attributa neci Iacobi. 628.c.e
Hierosolymitanam cladem prædicunt Petrus & Paulus. 644.c
Hierosolymitani excidij a Iosepho causa allata refellitur. 695.c
Hierosolymitanæ cladis annus, & error in Iosepho. 690.d
Hierosolymitanæ cladis tempus certum demonstratum. 697.c
Hierosolymitani excidij vera causa inuestigatur. 696.a.b. 697.
Hierosolymitani excidij scriptores qui. 698.b
Hierosolymitano excidio superstites quam sortem nacti sint. 695.c
Hierosolymitanum templum incenditur. 693.a.b.c
Hierothei hymni. 612.e
Hierotheus interfuit funeri Mariæ Virginis. 368.e
Hierusalem vrbs regia potius, quàm sacerdotalis. 27.c
Hierusalem vmbilicus terræ. 177.b
Hierusalem sitam in medio terræ quomodo intelligatur. 177.a.c
Hierusalem ciuitas igni tradita. 694.c
Hierusalem solo æquata. 696.d
Hilarius traditionum defensor. 419.a
Hilduinus male exponit Dionysij verba. 368.e
Hilduinus quæ de Dionysio Areopagita refert. 406.e. 407.
Hillel & Sammai auctores Scribarum & Pharisæorum paulo ante Christum. 4.c. 413.c
Hippolyti martyris celebre festum. 559.c.d
Hippolytus martyr de Anna matre Virginis quæ. 15.a eiusdem de epistola secunda Petri testimonium. 645.a
Hippolyti Thebani sententia de tempore necis Stephani. 241.e
Hippon vrbs Græcaniei instituti. 71.b
Hispaniarum Ecclesiæ Iacobum sibi primum prædicasse profitentur. 312.c
Hispaniarum defectio a Nerone. 681.d
in Hispanias proficiscendi videtur Paulus mutasse sententiam. 621.d
in Hispanias Paulum profectum multi testantur. 622.b
in Hispanijs ab æra cœpti sunt anni numerari quo tempore. 32.c
Hircanium castellum, in quo iussus est tumulari Antipater obscuro funere. 69.a
Hircanorum mores impij de alendis canibus carnibus mortuorum hominum. 320.b
Hircanus redactus in ordinem necatus ab Herode. 3.e
Hircanus Pontifex auctor seruandæ stolæ. 80.a. in Antonia turri degebat. 267.a
Hircani Pontificis prope templum turris. 80.a
Hircanus a sepulchro Dauid abstulit tria millia talentorum. 222.b
Historiæ ab hæreticis labefactatæ. 326.e
Histriones legibus Tiberij exagitati. 81.c
Historia de Maria Virgine. 14.b
Historia Ecclesiastica vel breuitate contracta, vel mendacijs deprauata. in præf. pag. 2.
Historia Eusebij quam fidelis. in præf. pag. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Historia Socratis & Sozomeni in quibus vacillet. in præf. pag.2.
Historia Ecclesiastica hactenus neglecta, vel corrupta. in præf. pag.1.
Historia est narratio de diuite epulone, & cur. 137.c
Historia de Tramno Aegyptio. 181.d.e
Historiæ Ecclesiasticæ vtilitas. in præf. pag.1.
Historiæ differentia ab Annalibus. in præf. pag.4.
Historiæ Ecclesiasticæ scopus. in præf. pag.4.
Historiæ scriptor frustra conatur sine diuini numinis ope. in præf. pag.3.4.7.
Historiæ Ethnicorum magna ex parte mutilatæ. 32.d
in Historica veritate perquirenda quorum auctorum maxime habenda est ratio. 198.a
Homo primus vbi sepultus. 175.d
Homonadensium castella debellata. 29.c
Honoratus Archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ 237.d
Honoris titulus Apostolatus, quo vtitur Paulus. 521.d
Hora tertia, sexta, & nona quid passus Iesus. 193.b
Hora duodecima Dominus ad inferos descendit. 224.d
Hora nouissima quæ. 512.c
Hora comedendi die ieiunij. 517.a
Hora diei tertia, sexta, nona, & vesperum Domini operibus consecratæ. 224.c
Horæ nocturnæ tres. 400.d
Horæ canonicæ. 193.c. 223.e
Horæ orandi septem. 224.d.225.a
de Horis quatuor frequens habetur mentio in Scripturis, peruaro de ceteris. 193.c
Horatius numerat annos Augusti a nece Iulij Cæsaris, & cur. 35.a
Horatij locus de Ianiculo. 669.d
Horatij locus de tabella suspensa in templo. 107.a
Horti Martialis vbi. 669.d
Hortus balsami irriguus. 58.e
Hosanna duabus dictionibus quid significet. 140.b.c
Hosanna vna dictione quid significet. 140.c
Hosanna filio Dauid quid significet. 140.d
Hosanna vox non translata, & cur. 140.b
Hosanna dicentem turbam Christus non redarguit. 455.b
Hosii idem qui Esseni. 633.e
Hospitalitas frequentata a Christianis. 714.c
Hospitalitatis symbolum inter Christianos. 714.d
Hospitalitatis tessera etiam inter Gentiles. 714.e
Hospitium Pauli vbi Romæ fuerit. 592.e
Hostiæ non nisi pro Iudæis immolatæ. 659.e
Hostiarum & comedentium numerus in die Paschatis. 148.b.c
Humilitas Petri commendata. 393.d
Hydaspes Gentilium vates. 7.c
Hydropicus sanatus a Iesu apud Pharisæum discumbente. 136.a
Hymenæus & Alexander in errorem lapsi, & cur. 511.c
Hymenæus & Alexander satanæ traditi. 449.c
Hymni Hierothei. 612.d
Hymni Nepotis. 612.d
Hymni Ambrosii & Prudentij in Ecclesia recepti. 612.e
Hymni & Psalmi passim ab omnibus decantabantur. 690.e
Hymnodia ad corpora defunctorum ex Apostolica traditione. 244.e
Hymnos cantandi in Ecclesia consuetudo vnde orta. 609.c
Hymnos nouos canere quos laudat Ecclesia. 612.d
Hymnos nouos hæreticorum execratur Ecclesia. 612.b.c
Hymnus post cœnam a Domino dictus qui. 161.b
Hyperbata Pauli. 447.e
Hyperbole vsus est Ioannes Euangelista veterem Scripturam secutus. 214.b
Hyperbole Ioannis mitigata. 214.c
Hyperbole Ioannis, hyperbole non est, si ad diuina Christi opera referatur. 214.a.b.c.d.e
Hyperbole Ioannis ad excellentiam Euangelicæ prædicationis referri potest. 214.c.d
Hypocrisis Pharisæorum damnata. 142.c
Hypocrisis nomine Petrus sugillatus. 388.d
Hypodiaconi qui. 237.d
Hypostasis de quo dicatur. 374.e

I

Iacob & Heli fratres vterini. 15.d
Iacob pater Ioseph viri Mariæ, filius Nathan. 15.d
Iacob Israel dictus. 45.b
Iacob pauit greges suos iuxta Turrim Ader. 48.a
Iacob frater Domini consobrinus, filius Cleophæ. 22.c
Iacobi martyrium. 312.d
Iacobi Iusti mors ab Eusebio recitata. 628.b
Iacobi mors & vita ab Hegesippo recitata. 628.c
Iacobi genua in callum obducta. 629.a
Iacobi testimonium de Iesu. 627.a.d
Iacobi sepulchrum. 628.c
Iacobi sanctitas. 628.e
Iacobi epistola Catholica. 629.c
Iacobi epistola canonica esse probatur. 629.c
Iacobi Missa. 632.b
Iacobi locus elucidatus. 165.c
Iacobi epistola contra Simonis hæresim. 630.b
Iacobi ordinationis dies quæ. 239.c
Iacobi cathedra a successoribus asseruata, & in veneratione habita. 239.c
Iacobi cathedra Hierosolymis ablata ante Vespasiani obsidionem. 662.d
Iacobi neci cur attributa sit clades Hierosolymitana. 628.c.e
Iacobi dignitas, & nex Hierosolymis. 324.c
Iacobi nomine pseudoeuangelium refellitur. 14.d
Iacobos tres fuisse quidam falso autumant. 324.
Iacobos Apostolos duos tantum fuisse. 239.b
Iacobum a Petro Hierosolymorum ordinatum Episcopum. 238.e
Iacobum fratrem Domini e numero Apostolorum cur eximant aliqui. 324.e
Iacobum Hierosolymorum Episcopum gestare in capite consueuisse laminam, seu bracteam auream. 239.d
Iacobum fratrem Ioannis profectum in Hispaniam, ibiq. prædicasse. 312.c
Iacobum immolatum esse die secunda Paschatis, falsum est. 313.a
Iacobus semper virgo permansit. 628.e
Iacobus frater Domini vocatus, sed non Iosephi filius. 22.c
Iacobus frater Domini nec carnibus, nec vino vsus. 513.a.b
Iacobus frater Domini vocatus, fuit filius Cleophæ. 22.c
Iacobus Alphæi nominatus. 22.d
Iacobus frater Ioannis occisus ab Agrippa. 307.c
Iacobus Apostolus Hierosolymitanus cultus ab omnibus. 241.b
Iacobus in præceps agitur. 627.b
Iacobus in epistola cur inculcarit operum necessitatem. 630.d

Iacobus agit de oleo sancto infirmorum. 630.e
Iacobus frater Ioannis Hispanias penetrasse creditur. 541.a
Iacobus Iustus, frater Domini, quo anno martyrio coronatus, & sub quo Pontifice, ex Iosepho. 162.b. 626.d
quo supplicio affectus. 626.d
quot annos sedit. 626.d
quamdiu vixerit. 627.a
ob eius necem Hierosolyma excisa credita. 628.c
Iacobus Iustus in honore habitus etiam ab hostibus. 627.b
Iacobus ingrediebatur in Sancta sanctorum. 628.e
Iacobus frater Ioannis primus ex Apostolis martyrium consummat. 312.d
Iacobus cum alio, quem ipse ad fidem conuertit, occiditur. 512.e
Iacobus supra pinnam templi sublatus. 627.e
Iacobus conuertit Philetum & Hermogenem magos, qui ad magiam reuersi sunt. 312.e
Iacobus necatus ante profectionem Apostolorum ad Gentes. 323.d
Iacobus frater Domini permansit Hierosolymis, abeuntibus non aliis Apostolis. 629.b
Iacobus minor & Ioseph fratres Domini cuius Mariæ filij. 22.d
Iacobus putatur fuisse qui tempore passionis Domini nudus aufugit, & an verum sit. 628.c.629.
Iamnia vrbs Iudææ. 290.c
Iamniam, Azotum, & Phasælidam Salome sorori tribuit Herodes. 69.a
Iani templum ter ab Augusto clausum. 46.a.b
Iani portæ post Actiacum bellum clausæ. 46.a.b
Ianus clausus tempore Vespasiani. 703.b
Ianiculi pars dicta Vaticanum. 669.c
Ianiculus quibus spatijs protenditur. 669.c.e
Ianiculus illustratus nece Petri. 670.a
Januarij Kalendæ expiatæ. 49.c
Iapha Galilææ ciuitas a Vespasiano expugnata. 682.a
Iasonis dialogi. 57.b
Icarius volatus sub Nerone exhibitus. 330.c
Iconij Paulus quid passus. 362.a
Idola in martyres mutata calumniabantur Manichæi. 560.a
Idola destructa in Aegypto. 58.c
Idololatria ex Aegypto ad Græcos. 58.d
Idololatria Angelorum in Synodo Laodicensi damnata quæ dicta, & cur. 607.c
Idololatria decrescit Romanæ Ecclesiæ fundatione. 358.b.c
Idumæi cum Zelotis coniuncti ad necem ciuium. 682.e
Idumæa Transammana regio. 112.e
Ieiunare sabbato Iudæis vetitum qua pœna. 190.c
Ieiunare bis in sabbato soliti Pharisæi. 5.b
Ieiunare sabbato Iudæos falso arbitrati sunt scriptores Ethnici. 190.a
Ieiunare sabbato cur putabantur Iudæi. 190.c.d
Ieiuni Fideles communicare debent. 496.a
Ieiunia Iudæorum abstinentissima. 190.a
Ieiunia humilitatem significant. 194.c
Ieiunia ob Christi passionem suscepta. 194.a
Ieiunia a Gentilibus adhiberi solita. 340.d
Ieiunia ad quam horam produci solita a Christianis. 517.a
Ieiunia qualia apud Iudæos. 190.a.c.d
Ieiunia necessaria, aut voluntaria. 514.c.d
Ieiunij edictum. 514.d.e
Ieiunij soluendi horæ antiquo iure. 510.a
Ieiunij legem non seruantem Eleusium Præfectum Gregorius Nazianzenus redarguit. 514.d
de Ieiunio Quadragesimali diuersæ consuetudines. 515.d.e
de Ieiunio maioris hebdomadæ. 193.d.e
Ieiunium a Iudæis celebratum. 67.d
Ieiunium Quadragesimæ. 514.b.c.d.e. 515. 516.
Ieiunium Ambrosianum. 515.e
Ieiunium sabbati vbi seruandum. 397.b
Ieiunium frequenter statio dicitur. 515.c
Ieiunium quartæ & sextæ feriæ. 194.c
Ieiunium magni sabbati qua hora soluere soliti sint Fideles. 194.b.c
Ieiunium diei sabbati cur ab Occidentalibus susceptum. 518.c.d
Ieiunium sabbati cur vetitum. 517.c
Ieiunium a Deo præscriptum, tempus ab Ecclesia. 513.d.e
Ieiunium quatuor temporum. 519.c. 520.a
Ieiunium ab Episcopis indici solitum. 520.b
Ieiunium ante Paschæ etiam a Regibus impletum. 194.b
Ieiuno bis in sabbato, dicebat Pharisæus, quibus diebus. 190.d
Ieiunos vetitum Eucharistiam sumere. 159.c
Iesu fuga in Aegyptum. 58.a
Iesu nominis virtus. 431.b
Ie reditus in Palæstinam. 69.e
Iesu responsio ad Abagarum. 104.e
Iesu imago ad Abagarum missa. 105.b
Iesu parabolæ diuersæ. 122.b. 136.137.b. 141.e
Iesu nominis potentia contra dæmones. 49.c
Iesu fons in Aegypto. 58.e
de Iesu infantia apocrypha. 75.b
Iesu nullum miraculum in pueritia. 75.c
Iesus natus, circumcisus, & descriptus sub Quirino. 31.d
Iesus vere & solus Christus. 2.d
Iesus describitur in tabulis census Quirini. 27.e
Iesus censu Cæsaris descriptus. 49.b
Iesus circumcisus eo loco, quo natus. 49.a
Iesus erat incipiens quasi annorum triginta: multiplex horum verborum sensus, & quis potior. 36.b.c.d
Iesus cur Kal. Ianuarij circumciditur. 49.b
Iesus oblatus in templo. 56.b
Iesus a Simeone susceptus. 57.a
Iesus ducitur in Aegyptum. 57.d
Iesus quamdiu manserit in Aegypto. 70.b
Iesus Nazareth reducitur. 71.c
Iesus ab Aegypto reuertitur. 70.a
Iesus Hierosolymam ducitur ad diem festum Paschatis. 73.d
Iesu parentes Hierosolymam reuersi, vt ipsum quærerent. 75.a
Iesus inuentus in templo. 73.d
Iesus quando, quo modo, & ad quid a Patre missus. 1.d
Iesus Iudæis & Syris cognitus tribus annis. 75.c
Iesus agnus ab origine mundi occisus. 1.e
Iesus puer vbi se a parentibus subduxit. 74.e
Iesus Iosepho nutricio fabro inseruiuit ab adolescentia. 75.d
Iesus in Iudæa quamdiu manserit. 99.e
Iesus a Galilæis humanissime exceptus. 103.c
Iesus in Galilæam cur profectus. 103.e
Iesus prædicat, & curat infirmos. 114.c
Iesus suos docet orare. 115.d
Iesus docet se esse Christum ex prophetia. 122.c
Iesus de Eucharistia disserit. 126.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iesus Ephren ciuitatem quando abiit. 139.d
Iesus cum matre ad nuptias. 94.c
Iesus sua præsentia nuptias sacrat. 95.b
Iesus pœnitentiam prædicat post Ioannem. 100.a
Iesus apud Samaritanos biduum agit. 103.b
Iesus non baptizabat, sed discipuli eius. 98.c
Iesus docet turbas de nauicula. 106.a. 122.b
Iesus in furorem versus putatur a suis. 122.a
Iesus demonstrat prophetiam in se ipso impletam. 122.c
Iesus a suis extra ciuitatem eijcitur. 122.c.d
Iesus an sub rupe latuerit. 122.d
Iesus audita nece Ioannis secedit. 125.c
Iesus ambulans super mare. 125.c
Iesus carnem suam manducandam proponit. 126.b
Iesus quo die intrat Hierosolymam. 140.b
Iesus Malco auriculam restituit. 161.c
Iesus cur primo ad Annam ductus. 162.d
Iesus bis illusus. 163.a
Iesus non lapidandus, sed crucifigendus erat. 165.b
Iesus cur ad Pilatum ductus. 164.d
Iesus ad Herodem a Pilato mittitur. 165.c
Iesus ab Herode ad Pilatum remittitur. 165.c.d
Iesus quali veste ab Herode indutus. 165.d
Iesu crura cur non fracta. 182.c
Iesus cur in nouo sepulchro conditus. 183.a
Iesus dictus Nazaræus. 72.b
Iesus faber dictus. 75.c
Iesus iuga boum conficiebat, & aratra. 75.d
Iesu passio. 163. vsque ad 179.
Iesus sepelitur. 183.a
Iesus. Vide supra, Christus.
Iesus Siæ filius sacerdos ab Archelao instituitur. 71.d
Iesus Anani filius Hierosolymitanam eadem prædicendo conqueritur. 637.d
Iessæi a Iesu, vel Iesse. 633.d
Ignatij auctoritas omnibus præferenda circa tempus baptismi Christi. 36.e
Ignatij epistolæ ad Trallianos locus vitiosa translatione citatus. 36.e
Ignatij sententiæ de Eucharistiæ sacrificio. 157.a.b
Ignatij de Christi ætate firmissima sententia. 187.b
Ignatij testimonium de resurrectione Christi. 204.d
Ignatij epistolas semper antiquitas venerata est. 415.e
Ignatij epistolarum fides. 465.a
Ignatij epistolæ ad Philadelphios locus ab hæreticis depravatus. 468.e
Ignatij testimonium de Quadragesimali ieiunio. 514.b
Ignatij reliquiæ Antiochiam relatæ. 429.b
Ignatius Apostolorum discipulus. 156.e
Ignatius de anno baptismi Christi. 36.e
Ignatius de traditionibus sæpe meminit. 415.e
Ignatius Christi manibus attactus. 690.a
Ignatius Euodio Episcopo Antiocheno subrogatur quo anno. 689.b
Ignatius quando exagitatus. 729.d
Ignatius quot annos sedit. 689.b
Ignis a Thecla superatus. 365.b
Ignis æterni exempla. 720.a
Ignorantia Consulatus quo natus est Christus coegit multos errare. 33.e
Ignotis Dijs aræ erectæ Athenis. 406.a
Ignoto Deo Athenienſis aræ inscriptio. 406.a.c
Illusiones Iesu bis illatas. 163.a
de Imagine Christi oratio Constantini Porphyrogeniti. 105.b
Imagines sacræ sunt ecclesiarum ornatus. 484.a
Imagines sacræ etiam in vasis sacris. 484.d
Imagines mysticæ pingi solitæ. 486.a
Imagines in cœmeterio Priscillæ nuper effosso visæ. 484.d
Imaginum cultus in vmbra Petri consecratus. 233.d
Imagines argenteæ templis Gentilium offerri solitæ. 507.b
Imagines Petri & Pauli a primis Christianis effigiatæ. 668.e
Imaginis Christi Græci solennem diem agunt. 105.d
Imago Iesu ad Abagarum. 105.d.e
Imago Iesu pallio impressa. 105.b
Imago Christi sub specie pastoris. 484.d
Imago Christi a Syrophœnissa erecta. 484.b
Imago vltimi casus mundi. 719.d
Immunda animalia Iudæis prohibita quid significent. 286.a
Imperator futurus tantum Cæsar dicebatur. 136.b
Imperatores tres vno anno occisi. 673.d
Imperium politicum non ablatum a Christo. 457.b
Impositio manuum super ordinandos ex veteri Testamento. 339.a
Impositio manuum Apostolicum munus. 254.a
Impostor Christus a Iudæis nominatus. 434.b
Impostor & Græcus quid significet. 479.e
Impostura in cælibatum Pauli. 469.a
Impostura Simonis magi. 649.b.c
Impugnatores sacrarum reliquiarum. 427.b
Incarnatio Verbi. 26.b.c
Incarnationis Christi futuræ fide salui facti sunt homines, vt præteritæ. 2.a
Incendio Christiani calumniam passi. 639.a
Incendium Vrbis sub Nerone. 638.b
Incendium sub Nerone quamdiu durauerit. 640.c
Incendium Vrbis sub Tito. 721.a
Incensum quando adolebatur in templo. 25.d
Incestuosum Paulus excommunicat. 449.a
Incolatus Christi Capharnaum. 103.a
Indorum vsus epulandi. 151.d
Indulgentia exemplo Pauli peccatoribus conceditur. 136.c
Indulgentia in Ecclesiis concedi solita. 536.c
Indulgentia lapsis danda, habita ratione temporis, & personæ. 536.e
Indulgentiæ ab Episcopis per martyres exoratæ. 609.e
Indulgentiarum antiquus vsus. 536.e
Infantes ab Herode pro Christo necatos semper vt martyres Ecclesia coluit. 60.d
Infans in census tabulas adscribebatur natus non absolutæ descriptione. 31.d
Infanti nomen quando a Gentilibus imponebatur. 31.d
Infanticidij Herodis Macrobius meminit. 59.e
Infanticidij Herodis fama Romam perlata. 59.e
Infanticidium Herodis quando cœptum. 59.b
Infantium pro Christo occisorum ad Deum intercessio. 60.d
Inferni portæ quæ. 720.a.b
Innocentes infantes pro Christo occisi, vt martyres habiti, & eorum solemnitas. 60.d
Innocentius neminem Apostolorum nisi Petrum Hispanias docuisse affirmans, non videtur excludere Paulum. 623.b
Inscriptio templi Pacis Æternæ in marmore. 47.c
Inscriptio arcus triumphalis Titi. 71.e
Insidiæ Iudæorum in Paulum quando. 425.a
Insidiæ parantur Christo a Iudæis ex tributi pensione. 141.e

Insti-

Institutio Romanæ Ecclesiæ quando. 345.d
Instrumenta, quibus mors illata esset, separatim sepeliebantur. 183.a
Insula Dionysias vnde dicta. 96.a
Insula Pontia Flauiæ Domitillæ exilio illustris. 744.a
in Insulam Patmos Ioannes relegatus, ad quid ibi damnatus. 727.e. 728.a
Insulæ Patmos descriptio. 728.a
Intentio & opus in actione considerantur. 392.c
Interpretatio sermonum distincta a dono linguarum. 354.b
Interpretes Septuagintaduo. 135.e
Interprete Apostolis quando opus erat. 354.d
Interpretum necessitas quando maior. 353.d
Interpretum duplex aut triplex munus. 353.e. 355.b
Intinctus panis datus Iudæ, non fuit Eucharistia. 166.a
Inuentio Crucis Christi. 184.d
Inuocare Deum hominibus a natura est. 721.d
Ioadis Regis filius regali pompa tumulatus. 183.c
Ioachim pater Mariæ Virginis. 15.e
Ioachim genealogia. 14.b
Ioachim tres filias genuisse, falsum. 15.a
Ioachim Angelus in deserto vaticinatus est ortum Mariæ. 15.e
Ioachim, Anna, & Maria Trinitati sacrificium laudis offerebant. 16.c
Ioachim interpretatur præparatio Domini. 16.c
Ioachim, Heli, & Heliachim esse synonyma. 13.a
Ioanna vxor Cuzæ, & Susanna ministrabant Iesu. 122.d
Ioannan doctor Pharisæorum. 4.d
Ioannes Annæ Principis sacerdotum filius. 229.e
Ioannes Baptista quo tempore in vtero conceptus. 24.a
quo die natus. 41.a
ab Angelo in deserto nutritur. 62.e
eius victus. 89. c. eius habitatio. 88.d
eius vestitus. 89.b. eius prædicatio. 88.c
ab Herode occidi infanticidio iussus. 61.b
in speluncis a matre conseruabatur. 62.d
a nece subductus. 62.d
ab Herode Christus existimatur. 61.b
nec seminibus, nec oleribus vsus est. 89.d
duos ex discipulis ad Iesum legauit. 92.a
cur dicatur neque manducans, neque bibens. 89.d
de abstinentia a Domino commendatur. 113.b
Princeps monasticæ vitæ. 90.b
eius ecclesia prope Iordanem. 91.c
legatio ad eum mittitur ex Synedrin. 91.e
confessus est se non esse Christum. 92.a
confessionem eius de Christo Iudæi spreuerunt. 92.b
vbi occisus. 123.b. eius apparitio. 88.e
eius carcer. 100.b.c. mittit ad Christum. 116.a
resurrexisse putatur. 124. e
Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim. 99.a
Ioannes Baptista quo anno Christi ab Herode occiditur. 100.d.e
corpus eius vbi sepultum. 124.b
caput eius cum corpore sepeliri nõ est concessum. 124.b
Ioannes Euang. an sponsus in nuptijs Canæ Galilææ. 94.e
Ioannes & Iacobus cælibes. 95.b
Ioannes & Iacobus sequuntur Iesum. 104.c
Ioannes Euang. in domum suam post passionem recepit Dei genitricem. 146.b
Ioannes Euang. ab alijs prætermissa suppleuit. 111.d
Ioannes Euang. cur Pontifici notus. 146.a
Ioannes Euang. domum habuit Hierosolymis. 146.a
Ioannes Apostolus cur plus amatus. 95.b
Ioannes Euang. consentit alijs de die Paschatis a Domino celebrati, cuius sensum multi male distorquent. 147.d
Ioannes Euang. ornamentum episcopale gestauit in capite. 239.e
Ioannes Euang. primum locum cur accepit in cœna. 153.a
Ioannes esse putatur, qui relicta sindone ausugit. 161.e
Ioannes non semper in Asia permansit. 323.a
Ioannes Ebionem & hæreticos omnes suo exemplo vitandos docuit. 707.a
Ioannes vinctus ad Domitianum ex Asia mittitur, quo instigante. 727.a
Ioannes Romæ in feruentis olei dolium missus. 727.e
Ioannes in oleo feruenti illæsus. 674.b
Ioannes relegatus in insulam Patmos, ad quid ibi damnatus. 727.e. 728.a
Ioannes instituit omnes incolas insulæ Patmos. 728.b
Ioannes quo loco scripserit Apocalypsim. 728.b. quo anno. 736.b
Ioannes Euangelista an Ecclesias Asiæ fundauerit. 736.c
Ioannes Euang. cognomento Theologus dictus. 739.e
Ioannes Euang. ab exilio in Asiam reuocatur. 746.c
Ioannes in Asiam reuersus, a Dionysio Areopagita conuenitur. 740.d
Ioannes Euang. iuuenem perditum ad pœnitentiam reuocat. 746.d. 747.b
Ioannes quæ mirabilia operatus esse dicatur post reuersionem in Asiam. 746. 747.
Ioannes mortuum Ephesi suscitauit. 747.e
Ioannes requirit male custoditum depositum. 747.a
Ioannes in Asiam reuertitur pugnaturus cum Apollonio Tyanæo, sicut Romæ Petrus cum Simone mago. 748.a
Ioannes quo anno Euangelium scripserit. 749.d
Ioannes cum scripturus esset Euangelium, quid iusserit, & quæ acciderint. 749.d.e
Ioannes cur dictus filius tonitrui. 750.b
Ioannes qua ratione inducitur adscribendum Euangelium. 750.a.b
Ioannes suis epistolis Basilidem confutat. 751.b
Ioannes Senior quis. 739.a
Ioannes quot annos vixit. 750.d
Ioannes cognominatus Marcus. 146.b. 219.a
Ioannes Zebedæi filius in Asiam migrauit. 322. c. Ephesum incoluit. d
Ioannes & Simon factiosi ducti captiui in triumpho Titi. 701.a
Ioannes Apostolus, & Ioannes presbyter diuersi. 738.d
Ioannes e Giscbali Zelotis fauet. 682.d
Ioannes Zelotas in templo interficit. 686.b
Ioannes tyrannidem meditatur Hierosolymis. 685.c
Ioannis Apostoli epistolæ tres, & omnes germanas esse aperte monstratur. 751.e
Ioannis epistolæ primæ titulus. 752.b
Ioannis epistola ad Parthos. 752.b
Ioannis cognomento Marci impostor falsa scribens. 394.d
Ioannis Euang. possessio vendita Caiphæ Pontifici. 146.a
Ionnis Euang. martyrij monimentum habetur apud portam Latinam. 727.e
Ioannis Antiocheni Episcopi Chronicon mendacijs refertum. 110.b
Ioannes idem quod Ionas apud Hebræos. 128.d
Ioannes publicanus Iudæus nobilis. 656.d
Ioas filius Regis Ioram. 18.c.d
Ioazarus summus Pontifex. 67.d
Ioiada Pont. Max. filiam Ioram Regis Iudæ in vxorem duxit. 12.c
Ioiarib inter vigintiquatuor vices sacerdotales principem locum tenuit. 12.d
Ionadab pater Rechabitarum. 513.a
Ionam fuisse tribus diebus & noctibus expletis in ventre ceti

Universidad de Deusto
Biblioteca

ceti, quomodo accipiendum. 198.c
Ionatha Anani Pontificis filius in Caiphæ locum subrogatur. 267.b
Ionatha summus Pontifex occisus. 543.e
Ionathæ Pōtificis litteræ ad Senatū Lacedæmoniorū. 235.d
Ioppe vrbs sub Archelao. 71.b
Ioseph Galilæus doctor Pharisæorum. 4.d
Ioseph natura filius Iacob, lege vero Heli. 12.e
Ioseph sponsus Mariæ ex regia stirpe Dauid. 7.b. 12.e
Ioseph vir iustus in maritum Virginis delectus. 19.a
Ioseph quomodo dicatur nunc filius Iacob, nunc Heli. 12.e
Ioseph opificio faber. 75.e. 19.a
Ioseph custos & testis Mariæ virginitatis. 21.b
Ioseph cuius ætatis cum Virgo illi desponsata est. 75.d
Ioseph cur timuit Archelai tyrannidem. 77.b
Ioseph non legitur interfuisse nuptijs in Cana Galilææ. 75.e
Ioseph sponsum Virginis Mariæ virginem fuisse. 21.e.
duas vxores habuisse, falsum. 21.b.c.d.e
Ioseph sponsus Virginis quamdiu vixit. 75.e
Ioseph obitus. 76.b
Ioseph germanus Iacobi. 22.d
Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, & diues. 230.d
Ioseph ab Arimathia hortatu Deiparæ Dominum sepeliuit. 182.d
Ioseph ab Arimathia a sacerdotibus apprehensus, ab Angelo liberatur. 203.c
Ioseph ab Arimathia vbi diem clauserit extremum. 251.d
Ioseph qui vocabatur Barsabas, diuersus a Ioseph Barnaba, & ab alio qui dictus est Iudas. 219.d
Iosephi historici errores diuersi. 28.a.c
nouem Herodis annos prætermittit. 28.e
Iosephi erroris causa in enumerando Herodis annos. 39.a
Iosephi error, & varietas. 65.a
Iosephi error de Pilato ex Philone arguitur. 84.c
Iosephi error de Præsidibus Syriæ. 30.c
Iosephi error de annis regni Herodis conuincitur ex suis ipsius scriptis. 38.b.c.d
Iosephi error de tempore descriptionis Quirini. 39.d
Iosephi error de Vari temporibus. 28.e
Iosephi error de tempore exilij Archelai. 76.e
Iosephi error de rebus Theodæ. 234.b
Iosephi errores de historia S. Ioannis Baptistæ confutati. 101.a
Iosephi error de annis, quibus regnauit Philippus Tetrarcha. 267.d
Iosephi errores circa tempora. 361.b
Iosephi errores corriguntur de tempore Agrippinæ, & Quadrati. 379.c
Iosephi error de fame. 376.d
Iosephi error de gestis Caij, atque Petronij. 303.e
Iosephi a Philone discrepantia. 304.a
Iosephi lucubrationes. 735.c
Iosephi error de tempore Coponij Procuratoris. 77.c
Iosephi inconstantia de tempore Vari Præsidis. 28.e
Iosephi error de tempore pontificatus Ananiæ. 581.c
Iosephi error de numero Legatorum Iudæorum ad Caium. 292.e
Iosephi error vnde ostenditur. 39.a
Iosephi errores varij in eadem narratione. 303.b
Philoni non consentit. 303.c
Iosephi error, dum numerat Herodis annos in ædificatione templi. 98.e
Iosephi inconstantia. 28.e.98.c
Iosephi testimonium de Iesu. 215.a
Iosephi testimonium de Iesu in codice peruetusto abrasum. 215.b.c
Iosephi historiæ fides. 215.c
Iosephi historia de seipso. 407.b
Iosephi qui libri non extent. 736.a
Iosepho quæ data occasio, vt de Christo meminerit. 735.c
Iosepho plus tribuunt Nouatores, quàm Euangelistis. 27.c
Iosepho historico quàm parum tribuendum. 215.b
Iosephus historicus Flauius dictus. 265.c
Iosephus refellitur. 28.d
Iosephus historicus contradicit Euangelistæ. 27.d
Iosephus ignorauit Fastos Consulares. 28.d
Iosephus quomodo numerat annos Herodis. 28.e
Iosephus nouem annis errore lapsus est in numero annorum Herodis. 28.e
Iosephus mendacij arguitur de causa morbi Herodis. 49.e
Iosephus hallucinatus de tempore Theodæ. 63.a
Iosephus tempora confundit. 82.d
Iosephus Iudæus historiam Magorum silentio præterit. 50.a
Iosephus apud Hebræos Apostolus. 113.a
Iosephus, Græcus Linius appellatur. 215.e
Iosephus Camidæ filius summo pontificatu priuatus. 376.e
Iosephus quando & vbi historiam scripserit. 704.d
Iosephus Romæ quando ageret. 722.e
Iosephus erroris arguitur a suis gentilibus. 75.e
Iosephus ab auctore iure sæpe arguitur, non inuidia. 215.b
Iosephus vacillat de tempore templi Herodis. 98.c
Iosephus errat circa historiam Herodiadis. 101.c
Iosephus ad quod tempus refert prodigia templi. 181.b.c. 626.b
Iosephus cui tribuat causam excidij Hierosolymitani. 215.c
Iosephus de portis templi videtur sibi contraria dicere, & quomodo conciliari possit. 228.a
Iosephus erroris arguitur, qui confundit tempora. 361.a. 379.d
Iosephus historicus ex Creta vxorem duxit. 527.b
Iosephus an de Pallante vera narrauerit, & de Cestio Floro. 584.d
Iosephus in mari periclitatur. 583.e
Iosephus errat in enumerando suæ ipsius ætatis annos. 584.b
Iosephus quo anno natus. 584.b
Iosephus sequitur translationem Septuaginta. 616.d
Iosephus Vespasiano adulatur. 688.a
Iosephus vsque ad Domitianum Romæ erat, & honoribus ab illo auctus. 722.e
Iosephus quo tempore scripserit de Antiquitatibus Iudaicis. 723.a
Iosephus quo anno absoluerit libros de Antiquitatibus Iudaicis. 735.c
Iosephus cur voluerit de Christo meminisse. 735.d
Iosephus cognominatus Caiphas summus sacerdos factus. 81.c
Iosephus occultus discipulus Christi. 182.e
Iosephus & Aristæas de numero sacerdotum a Theodosio Iudæo differunt. 13.e
Iosephus Mathathiæ a Vespasiano captus. 682.a
Iosue doctor Pharisæorum. 4.d
Iothapata a Vespasiano capta, & quot millia Iudæorum occisa. 681.e
Iouem colere Iudæos Varro putauit. 191.b
Iouinianus hæresiarcha. 95.a
Iouiniani hæresiarchæ conatus in ostendendo omnes Apostolos habuisse vxores. 469.a

Irenæus

Irenæus traditionum Apostolicarum vindex. 416.c
Irenæi filij cadauer reuocatur ad vitam vnctum oleo. 428.b
Isaac vbi immolandus, ibi postea Dominus crucifixus. 175.c
Isachar summus Pontifex. 16.b
Isaiæ sepulchrum apud Siloam. 134.e
Isaiæ prophetia de solitudine Aegypti. 58.e
Isaiæ prophetia de aqua in vinum mutanda. 95.e
Isaiæ precibus fons Siloæ erupit. 134.e
Iscarioth vicus. 114.b
Isidori Peluſiotæ solutæ dubitationes, quomodo Christus dicatur fuisse tribus diebus & tribus noctibus in ventre terræ. 198.c.d
Isidorus Peluſiota diu monasticam vitam duxit. 89.e
Isidorus sycophanta amarulentus. 301.e
Isidi arbor Perſea consecrata. 58.a
Isidis statua in Tiberim proiecta, & templum dirutum. 82.d
Ismael summus Pontifex citatus. 79.e
Ismaeli a matre proiecto Angelus adstitit. 62.e
Ismaelem & Chelciam Nero tamquam obsides detinet. 586.a
Israel idem qui Iacob. 45.d
Israeliticæ meretrices permissæ. 119.a
Itabyrion appellatus mons Tabor. 132.b
Italica legio a Nerone instituta. 285.a
Itinerarium Petri haud certæ fidei. 321.e
Ituræi & Iudæi prouinciæ Syriæ additi. 86.e. 403.d
Iucundus Præfectus equitum Flori. 656.e
Iuda mons. 26.e
Iuda viri quinam dicti. 3.a
Iuda tribus qua ratione regnasse dicitur vsque ad Herodem. 3.b
Iuda sceptrum quando visum est cessasse. 3.b
Iuda tribus Babylonem adducta. 2.c
Iudæ filij Iacobus, & Simeon. 64.a
de Iuda quid Papias Ioannis discipulus. 163.e
Iudaicarum rerum status tempore Christi. 6.e
Iudaicum bellum quo anno cœptum. 656.b
Iudas Ezechiæ filius doctor latronū regnum affectat. 70.d
Iudas Machabæus ramis palmarum diem solemnem constituit. 141.b
Iudas Galilæus populum ad defectionem solicitat. 62.e. 63.d
Iudas Galilæus post Theodam. 234.a.e
Iudas Gaulanites sectæ auctor. 63.d. 77.c
Iudas Sariphæi filius doctissimus Iudæorum. 66.d
Iudas Ezechiæ affectat regnum. 70.d
Iudas & Matthias doctissimi Iudæorum. 69.c
ab Herode viui exuruntur. 49.d
iuuenes inflammant ad auream in templo aquilam excidendam. 66.e
Iudas Galilæus post Theodam extitit, quomodo intelligi debeat. 234.c
Iudas Iscariothes vnde dictus, & cuius tribus. 114.b
Iudas Mariæ Magdalenæ infensus. 117.c
Iudas e conuiuio discessit ad principes sacerdotum. 121.d
Iudas non interfuit Concilio sacerdotum. 143.d
Iudas an sumpserit corpus Christi. 160.b
Iudas intinctum panem accepit, antequam daretur Eucharistia. 160.d
Iudas proditionem parat. 143.c
Iudas orationem post cœnam habitam a Domino non expectauit. 160.d
Iudas laqueo se suspendit. 164.b
Iudas quando sibi manus intulerit. 163.e
Iudas toto corpore inflatus. 163.e
Iudæ interitus. 163.a
Iudas e qua arbore suspensus. 164.b
Iudas dat annulum Thamar pro arrhabone. 463.b
Iudas Apostolus cognomento Thaddæus. 646.a
Iudas Apostolus citatus. 32.c
Iudas Thaddæus dictus in Mesopotamia Euangelium prædicauit. 325.e
Iudas idem qui Simon Chananæus. 225.b
Iudas & Silas multos confirmant. 388.b
Iudæ filij addicti supplicio. 64.a
Iudæ duo. 325.e
Iudæ sceptrum quando defecit. 2.c
sceptrum in Iuda ad Herodem vsque permansisse, quo modo intelligendum. 2.e
Iudæ nomen cur communicatum tribui Leui. 3.a
Iudæ corporis fœtor post mortem. 164.a
Iudæa per Scaurum & Gabinium administrata est a Pompeio Magno. 3.d
Iudæa in prouinciam redacta quando. 77.c
in Iudæa quamdiu Iesus mansit, antequam per Samariam transiret. 99.c
Iudæa palmæ signo expressa. 746.a
Iudæa a Pompeio subacta. 263.c
Iudæa in prouinciam redacta, nullus in ea castellum habuisse putatur. 139.c
Iudææ Præsides. 28.e. 29.a
Iudææ appellatione duas tantum includi tribus. 99.c
Iudææ situm ex Orientali parte Arabiam spectare. 52.c
Iudææ procuratores Romanorum militum legionibus vallabantur. 169.a
Iudææ contermina Galilæa. 72.c
Iudææ captæ forma. 701.b
Iudæi quando dicti. 2.c
Iudæi quæ olim nomina habuerint. 2.c
Iudæi de Christi genealogia. 13.b
Iudæi Romæ habitabant Transtiberim. 11.b. 48.c
Iudæi Romanis tributa penderunt vigintinouem annis ante Antipatrum. 30.a
Iudæi genus Abrahæ ex libera liberos se esse profitebantur. 109.c
Iudæi quicquam alijs non debebant, nisi decimas Deo. 109.c
Iudæi Romanis didragma soluerunt. 132.c
Iudæi in Asia, Africa, & Europa habitabant magno numero. 220.d
Iudæi dispersionis qui. 250.e
Iudæi in nuptijs genus, non pecuniam spectabant. 19.a
Iudæi inuident Gentibus. 362.c
Iudæi nobiles in Creta agere consueuerunt. 527.a
Iudæi dicti quasi Idæi ab Ida monte, ex Tacito. 527.d
Iudæi polygami. 527.c
Iudæi sine circumcisione saluari non poterant. 334.b
Iudæi sub tributo a Romanis redacti. 29.e. 30.c
Iudæi sacerdotio spoliantur legitimo. 4.a
Iudæi a sinceris dogmatibus deuiant. 4.b
Iudæi ab Augusto odio habiti, inde post natum Christum bene accepti. 48.b.c
Iudæi Romæ immunitatibus gaudebant. 48.d
Iudæi permutant sulphurata vitro. 11.b. 732.b
Iudæi adacti iurare in regnum Herodis. 64.c
Iudæi omnes nobiles cædendi iussu Herodis. 68.c
Iudæi a Varo male mulctati. 70.c
Iudæi cur male accepti ab Herode. 60.b
Iudæi regno priuantur. 71.a
Iudæi legatos Romam mittunt, vt suis legibus viuerent, nec amplius sub Regibus essent. 70.c
Iudæi Esseni. Vide, Esseni.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæi cito filias nuptui tradebant. 17.a
Iudæi quando facti vectigales. 30.a
Iudæi sedentes disputabant. 74.a
Iudæi Roma pulsi. 82.c
Iudæi cuiusdam impostura. 82.e
Iudæi in Sardiniam amandati. 82.b
Iudæi Seiani calumnia vexati. 82.d
Iudæi a Pilato fustibus cæsi. 85.a
Iudæi & Samaritani cur tam infensi inter se hostes. 102.c.d
Iudæi bonum agrum vbique incolentes. 114.a
Iudæi dispersi liberi remanserunt. 113.e
Iudæi non tenebantur sabbatis ad præstanda vadimonia. 448.d
Iudæi comitia facere in die festo non prohibebantur. 150.b
Iudæi appensos patibulo eadem die sepeliebant. 150.d
Iudæi ante conuiuium pedes lauabant. 151.b
Iudæi in secundis mensis Deo benedicebant. 154.b
Iudæi an vterentur crucis supplicio. 169.e
Iudæi quando conclamauerunt: Crucifige. 169.b
Iudæi Deum deprecaturi, loca superiora conscendebant. 285.c
Iudæi non tantum in synagogis, sed etiam in templo de lege disserebant. 73.e
Iudæi coram Caio multum irrisi. 302.a
Iudæi supra quinquaginta millia ex improuiso occisi. 304.e
Iudæi ter in die sub nomine Nazaræorum maledicunt Christianis, & Christo. 310.b.c
Iudæi linguas externas non suscipiebant. 353.d
Iudæi puluerem in aerem iactabant, cum maledicentes imprecarentur. 362.e
Iudæi Roma pulsi quo anno. 380.b. & quæ causa edicti. c. an etiam Christiani pulsi sint. ibid.
Iudæi recutiti dicuntur, cur. 471.a
Iudæi contra Archelaum ad rebellionem solicitati. 69.d
Iudæi tumultuantes comprimuntur. 70.c
Iudæi Hierosolymam religionis ergo conueniebant. 70.d
Iudæi Romanos oppugnare parant, Romæ agente Archelao. 70.d
Iudæi Romæ a Tiberio vexati. 82.b
Iudæi per Orbem sparsi. 114.a
Iudæi ad Petronium loquuntur. 294.a
Iudæi Romæ cohibiti. 306.e
Iudæi municipes Ephesi. 510.a
Iudæi cum Syris Cæsareæ rixantur. 544.c.583.d
Iudæi ad Occidentem conuersi orabant. 563.a.b.c.d
Iudæi solebant in precibus genua flectere. 565.a
Iudæi quibus festis feriari solerent septem diebus, & cur. 578.d
Iudæi Antiochiæ habitantes. 274.e
Iudæi Claudij edicto Roma pulsi. 274.b
Iudæi Agrippa nouo Rege sunt aucti. 268.e
Iudæi diebus festis crucifixi. 281.a
Iudæi Roma pulsi a Claudio. 380.a
Iudæi Romam reuertuntur tempore Neronis. 445.c
Iudæi vtebantur excommunicatione. 448.c
Iudæi ad Samaritas profugientes iterum circumcidebantur. 470.e
Iudæi Flori militibus occurrere iussi. 658.e
Iudæi cæsi a militibus Flori. 659.b
Iudæi triplici factione distincti grassantur in se inuicem. 688.e
Iudæi ab Antiochenis quid passi. 689.d
Iudæi concremati in templo. 693.d
Iudæi legitimorum obseruantissimi. 697.b
Iudæi relicti in signum patrati sceleris. 699.c
Iudæi vbique perditi. 703.e
Iudæi corruptores diuinæ Scripturæ. 709.c
Iudæi Cæsarienses ius ciuitatis amittunt. 586.e
Iudæi astra & angelos adorabant, quomodo intelligendum. 605.a
Iudæi Cælicolæ dicti. 605.b
Iudæi salutando pacem deprecantur. 620.a
Iudæi mortuo Claudio Romam reuertuntur. 545.b
Iudæi a cognitione populi sustulerunt neces sanctorum. 620.e
Iudæi libros legis rapientes, Cæsarea secesserunt Narbata. 656.e
Iudæi nobiles a Floro patibulis affixi. 657.d
Iudæi in duas partes diuisi. 659.c
Iudæi & Syri in diuersis ciuitatibus digladiantur. 660.b
Iudæi ad templum confugientes incensi. 593.d
Iudæi ab Impp. Christianis beneficijs affecti, a Gentilibus vexati semper. 698.e
Iudæi tetri & fœtentes appellati. 699.e
Iudæi quomodo lacrymas emebant. 700.a
Iudæi tributis a Domitiano grauati. 331.a
Iudæi somnia vendunt. 731.c
Iudæi an liberi a tributo esse debeant. 63.c
Iudæi aurum in visceribus condidisse putati, misere occiduntur. 691.e
Iudæi fame vexati. 691.d
Iudæis quæ regiones plenæ. 114.b
Iudæis præputium non adducendum. 470.d
Iudæis omnis via salutis ad interitum versa. 691.d
Iudæis ex vna tribu in aliam fœdere nuptiarum transire licitum. 2.e
Iudæorum confessio de aduentu Christi. 3.c
Iudæorum genealogiæ per virorũ seriem texebantur. 12.b
Iudæorum consuetudo in nuptijs contrahendis. 19.a
Iudæorum ordo seruandus in publico conuentu. 74.a
Iudæorum frequentia ad festum Paschale. 73.d
Iudæorum mos adeundi templum diebus festis, & manendi in eo. 73.d.74.c
Iudæorum & Samaritanorum contentio de templi primatu. 102.c
Iudæorum domus quales. 108.c
Iudæorum mos a loco habitationis nomen accipere. 119.c
Iudæorum pura religio. 696.c
Iudæorum Reges quomodo sacerdotibus subiecti. 458.a.b
Iudæorum turba supplex ad Petronium pro templo. 294.b
Iudæorum mos scindere vestimenta, cum blasphemiam audiunt. 367.b
Iudæorum ad viginti millia extincta ex compressione. 778.a
Iudæorum epulandi modus Romanorum similis. 151.c
Iudæorum clades ex quo peccato. 696.e. 697. 698.
Iudæorum mos edendi agnum stando, quando antiquatus. 153.b
Iudæorum mores egregie descripti. 165.c
Iudæorum consuetudo festis diebus ante sextam non comedere. 221.e
Iudæorum præsumptio in Romanos milites. 70.c.d
Iudæorum hæreses extinctæ quomodo. 705.d
Iudæorum sectæ. 4.c
Iudæorum Pontificum series a Iosepho descripta. 26.a
Iudæorum de genealogia Christi commenta. 113.b
Iudæorum seditiones post obitum Herodis. 69.e
Iudæorum regnum multi affectabant. 70.d
Iudæorum legatio ad Augustum sub Varo. 70.e
Iudæorum ad duo millia a Varo crucifixa. 70.e
Iudæorum regnum in tetrarchias diuisum. 71.b

Iudæo-

Iudæorum zelus pro integritate religionis, de aquila excisa. 660.e
de clypeis a Pilato dicatis. 84.d
Iudæorũ sincera doctrina plurimis erroribus obscurata. 4.b
Iudæorum testimonia de Herode in Senatu Romano. 69.c
Iudæorum tria millia occisa ab Archelao, equitatu immisso. 69.d
Iudæorum defectio tempore Archelai. 70.c
Iudæorum supplicatio ad Tiberium pro tributorum releuatione. 81.d
Iudæorum iuuentus distributa in prouincias grauioris cæli. 82.b
Iudæorum aliqui de vnaquaque tribu quomodo remanserint. 114.b
Iudæorum prouinciæ agri magni pretij. 145.d
Iudæorum Rex Agrippa ab Alexandrinis illusus. 167.c
Iudæorum decies centena millia Alexandriam habitabant. 279.a
Iudæorum Alexandrinorum fames, & cædes. 280.a
Iudæorum vlio numquam desitura. 282.d
Iudæorum consuetudo spargendi pulueris. 362.e
Iudæorum remissio animi in calamitate. 378.d
Iudæorum ritus patrij. 291.e
Iudæorum calamitas in statua Caij locanda in templo. 293.e
Iudæorum pœnæ pro flagitijs. 295.b.c
Iudæorum legati ad Caium. 301.c
Iudæorum clades. 304.e
Iudæorum defectio sub Nerone & Floro. 659.c
Iudæorum occisorum & captiuorum numerus in clade Titi. 695.b
Iudæorum anniuersarius luctus in memoriam cladis Hierosolymitanæ. 700.a
Iudæorum studia circa cultum religionis quæ. 696.c
de Iudæorum origine falluntur Ethnici scriptores. 527.b
Iudæorum & Gentilium Cæsarienſium rixæ occasio. 656.c.d
Iudæorum legati auditi ab Augusto in æde Apollinis. 71.a
Iudæorum circiter duo millia a Varrone acta in crucem. 70.e
Iudæorum fuga. 70.e
Iudæorum quinquaginta legati ad Augustum missi, Vari permissu. 70.e
Iudæorum viri ac mulieres seorsum ab inuicem procedentes, mari Rubro transmisso, laudem Deo cecinerunt. 74.d
Iudæorum quatuor millia in insulam Sardiniam amandata. 82.b
Iudæorum domus quales. 108.b
Iudæorum funera. 183.d. 244.c
Iudæorum templum in honore ab omnibus habitum. 297.a
Iudæorum dispersio in varias partes. 297.c
Iudæorum ciuile bellum. 659.e
Iudæorum scrupulosa legis obseruatio. 696.c
Iudæorum Romanis militibus occurrentium interitus. 659.a
Iudæorum decies centena millia Aegyptum habitasse. 636.d.e
Iudæorum decem millia thermis inclusa a Damascenis iugulantur. 660.e
Iudæorum clades diuersis in locis. 660.c.d
Iudæorum multiplices clades a Vespasiano illatæ. 681.e
Iudæorum quinque millia præcipitio perempta. 682.b
Iudæorum supellex fœnum & copbinus. 731.c.d
Iudæorum insidiæ. 581.c
Iudæorum fame consumptorum numerus. 692.a
Iudæorum mendicitas. 731.b.e
Iudæos Saturnum colere existimarunt Gentiles, & cur. 191.b
Iudæos malis artibus lucrum captare solitos. 731.c
Iudæos cibos omnes absque delectu comesturos in aduentu Messiæ. 383.d
Iudæos nonnisi manibus lotis orare consueuisse. 483.a
Iudæos, quasi Idæos dictos, falsum est. 527.b
Iudæos plures vxores habere potuisse. 527.d
Iudæos in Paschali conuiuio bis lauari solitos. 152.a
Iudæus otiosus in naui sedit die sabbati mira superstitione. 6.b
Iudæus Transtiberinus ambulator. 11.b
Iudæus homo mancipium Iudæum habere non poterat. 614.d
Iudæus populus, spreto vero Rege, multa damna & plures tyrannos subiit. 71.c
Iudæus pessimus gerebat se pro Mosaicæ legis interprete. 82.c
Iudæus populus Romanos saxis deturbat. 659.b
Iudæus se occultans detegitur verpus. 731.a
Iudæus institor mercis sulphuratæ. 732.b
Iudæus vt Cain profugus. 699.a
Iudaicarum verum status sub Nerone. 656.c
Iudicare, Episcoporum officium. 454.c
Iudices quomodo suam innocentiam contestari soliti. 168.c.d.
Iudices mundi, partem maximam legis Dei implent. 386.e
Iudices Aegypti, sacerdotes. 457.d
Iudices Episcopi in Ecclesia. 453.b
Iudicia Dei inscrutabilia. 721.a
Iudiciaria astrologia damnata. 53.a
Iudiciaria sacerdotum potestas diuino iure concessa. 458.b
Iudiciariæ potestatis vsus. 458.c
Iudicij Ecclesiastici exercendi modus. 453.d
Iudicio Ecclesiastico sapientes præficiendi. 453.e
Iudiciorum apud Hebræos genera duo. 114.d. 458.e
Iudicium pecuniarum & capitalium quæstionum apud Hebræos. 114.d
Iudicium Ethnicum adire, Christianis probibitum. 453.d
Iudicium Ecclesiasticum. 452.b.d
Iudicio Ecclesiastico quis præficiendus. 452.e
Iudicium quare Episcopis competit. 454.c
Iudith omnibus diebus vitæ suæ ieiunabat præter sabbata. 190.e
Iudith secretum cubiculum sibi fecerat ad orandum. 285.d
Iuga boum conficiebat Iesus. 75.d
Iulia ex Bethsaide dicta. 107.d
Iulia Drusi filia interempta. 599.e
Iulia Augusta ornat templum aureis phialis & calicibus. 299.e
Iuliadis ciuitas in regione Abilinæ. 445.b
Iuliani Apostatæ error. 13.a
Iulianus Apostata quid de Christo descripto. 28.c
Iulianus Apostata quid a Christianis acceptum seruauerit. 246.a
Iulianus Apostata interfuit Epiphaniæ festo. 55.e
Iulianus Apostata templum restaurare conatur. 698.e
Iulianus Apostata exequiarum honorem in suas partes transferre studuit. 246.a
Iulianus Episcopus Toletanus falso cognominatus Pomerius. 40.a
Iulius Centurio Paulum humaniter tractat. 588.a
Iulius Centurio Paulum seruat. 589.d
Iulius vindex rebellat contra Neronem in Gallijs. 681.d
Iulius Archelaus. 704.e
Iulius Maratbus. 9.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iulij Africani libri de Temporibus. 646.d
Iunias appellatur Apostolus. 525.a
Iunius Scribonianus finem Principis per Chaldæos scrutatus. 423.e
Iunius Sillanus veneno sublatus. 445.c
Iupiter creditus Barnabas. 367.b
Iure antiquo Romanorum omnes censum soluebant cuiuscumque ætatis & sexus. 31.c
Iurisdictionis nulla facta diuisio apud Apostolos. 387.a
Ius Ecclesiæ scriptum & non scriptum. 412.c
Ius non scriptum antiquius. 412.d
Ius Romanorum. 412.c
Iustificatio hominis non ex lege, sed per fidem Christi. 388.c
Iustinianus Imperator ieiunium seruat. 194.b
Iustini & Origenis sententia de Magis. 50.b
Iustini locus de Simone mago. 331.c
Iustinus martyr Apostolorum temporibus vicinus. 157.b
Iustinus philosophus ab incognita persona Christianam fidem edoctus. 212.a
Iustinus martyr quid de descriptione census sub Quirino. 32.c.33.a
Iustinus martyr fuit gentilis Simonis magi. 257.a.332.b
Iustinus martyr de sanctis ante Christum quid dicat. 1.b
Iustinus martyr Samarita. 257.a
Iustinus decipi non potuit de Simonis statua. 331.c
Iuuenalis quid de Iudæis. 731.b
Iuuenalis de magico volatu. 649.b
Iuuenalis de tormentis Christianorum. 639.b
Iuuenalis de Domitiano & Christianis. 748.c
Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus. 369.b
Iuuenalis carmen de Berenice. 586.c
Iuuentus contra Herodem concitata. 66.c
Iuuenes in Herodem conspirantes capti fortiter agunt. 67.b
Izatæ Regis filij a Tito seruantur. 694.c
Izates filius Helenæ Reginæ Adiabenorum, Iudæorum fami subuenit. 333.b
quomodo ad Iudaismum conuersus. 334.a

L

Laborantes quinam fuerint in Ecclesia ministri. 237.d. 338.a
Labrum æneum factum a Moyse de speculis mulierum. 18.d
Lac pro sanguine fluxit e ceruice Pauli abscissa. 667.e
Lacedæmones ab Abraham se originem ducere gloriantur. 235.c
Lacedæmonum Regis litteræ ad Oniam Pontificem. 235.d
Lacenæ mulieres laudatæ, & velatæ. 475.b
Lacrymas fundit Iesus e monte Oliueti. 141.c
Lacus Genesareth descriptio. 106.d.e
Lacus Genesareth, lacus Tiberiadis appellatus. 107.a.b
Laici qui dicti. 337.d
Laici a psalmodia semoti, & cur. 401.c
Laicos homines dæmones eiecisse. 431.c
Lamiani horti. 305.d
Lamina aurea in capite summi Pontificis. 240.a
Lamina ante limina ecclesiarum affigi solita. 560.b
Lampades cum delphinis. 550.c
Lampades diuinitus accensæ. 552.a
Lampades accendunt Sarraceni in Christi honorem. 59.a
Lampadius Vrbis Præfectus in pauperes liberalis. 666.e
Lampadum oleum mira operatur. 428.b
Lanæ Laodicenses præstantissimæ. 625.c.626.
Languens in piscina quando curatus. 111.c
Laodicea triplex. 603.a
Laodicea terræmotu prosternitur. 625.d
Laodicenæ oues. 626.b
Laodicenæ Ecclesiæ Angelus cur in Apocalypsi de vestimentis admonetur 625.e
Laodicena Synodus qualem Angelorum cultum prohibuit. 607.d
Laodicenum Concilium de Agape. 495.d
Laodicensibus an scripserit Paulus. 603.a
Laodicensibus an Paulus prædicau erit. 604.e
Laodicensium lanæ Milesiis præstant. 626.a
Λαὸς apud Græcos, populus apud Latinos, vnde Laici. 337.b
Lapidatur Paulus. 367.b
Lapidem sepulchro Christi superpositum seruare vestigia ferreorum vinculorum. 184.b
Lapides templi indelebili nota sanguis Zachariæ conspersit. 62.b.c
Lapides, quibus lapidatus est Stephanus, vbi positi. 242.e
Lapidibus obrutus qui sabbatum violauit, in exemplum aliorum. 232.a
Lapis, super quem panni Christi exiccati. 58.e
Lapis, qui Domini continebat impressa vestigia, a quibus sublatus. 218.d
Lapis, super quem Stephanus lapidatur, in magno honore habitus. 429.a
Lapis vnus, quo Stephanus percussus est, Anconam translatus. 242.d
Lapis inuentus in insula Tiberina Pont. Gregorio XIII. inscriptus Simoni Deo Sancto. 329.c
Lapsus multorum in diuinis Scripturis vnde. 212.d
Lasæa ciuitas maritima Cretæ. 588.b.c
Lateranensis ecclesia vnde dicta. 643.e
Latina lingua vtebantur potius Romani nobiliores, quam Græca. 356.a
Latina lingua sententiæ ferebantur. 78.c
Latina lingua recitari solitæ Pontificiæ litteræ. 78.e
Latina lingua loqui soliti legati. 78.c.d
Latina lingua primum locum obtinet in sacris. 78.e
Latina lingua vtebantur magistratus. 78.d
Latine Græcis Romani responsa dabant. 78.c
Latinæ linguæ bonos per omnes gentes diffusus. 78.c
Latini abstinent a suffocatis. 386.c
Latinius laudatur. 443.a
Latomiæ carceres Syracusarum. 538.a
Laudare Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, ex Apostolica traditione. 401.b
Laudatus Episcopus Carthaginensis. 325.c
Laudes canendi vsus. 609.c
Laudes virginitatis. 465.d
Lauretana domus. 72.d
Lazari mendici historia. 137.e
Lazaro pauperi ecclesiæ erectæ. 137.c
Lazarus diaconus. 232.c
Lazarus resuscitatus. 139.b
diutius vixit. 140.a
Lazarum, Mariam Magdalenam, & Martham cum sociis Marsiliam appulisse. 251.d
Lectiones in Missis Græcorum primum Latine, tum Græce recitatæ. 79.a
Legalia ad tempus permissa. 553.d
Legalia quando sublata. 553.a.b
Legalibus an sit opportune vsus Petrus. 390.b
Legata ab Herode relicta diuersis. 66.d
Legati loqui soliti Latina lingua. 78.c.d
Legati Iudæorum ad Tiberium contra Pilatum. 84.e

Legati Romanorum missi Erythras ad quærenda carmina Sibyllina. 8.d
Legati decem a Iudæis ad Neronem missi. 253.e
Legatio Samaritanorum & Iudæorum aduersus Archelaum. 77.a
Legatio Iudæorum sub Varo ad Augustum. 70.e
Legatio Titi Corinthum. 535.e
Legatio Concilij Synedrin ad Ioannem. 91.e
Legatio ad Antiochenos in Concilio Hierosolymitano decreta. 383.e
Lege Titia quid cautum. 409.b
Lege prohibita spectacula gladiatorum & ferarum. 599.b
Leges Augusti contra cælibatum. 73.a
Leges Tiberij aduersus magos & diuinatores. 80.e
Leges Tiberij de vestibus sericis. 80.e
Leges Apostolorum barbaros domant. 319.e
Leges Ecclesiasticæ non humano tantum, sed Spiritus sancti suffragio institutæ. 396.c
Leges non scriptæ scriptis præstantiores. 412.d
Leges coniugij. 460.c. 461.d. 462.d
Leges prohibentes ciuem Romanum flagellari quæ. 580.e
Legibus scriptis & non scriptis Respublicæ administratæ. 412.b.c
Legio Christianorum orando victoriam reportauit. 565.c
Legio sexta Ferrea cognomine dicta. 116.a
Legionis Italicæ milites non omnes Itali. 284.e
Legis interpretatio apud Hebræos triplex. 116.a
Legitima ecclesia apud Iudæos quæ. 510.a
Legitimum templum vnde dignoscitur. 103.a
Leo Papa nec subdiaconis Græcorum vti vxoribus permisit. 529.e
Leonis Imp. decretum contra comedentes sanguinem. 386.a
Leprosi viri decem Domino occurrunt. 134.c
Leui ex stirpe Dauid genuit Melchi & Panther. 15.c
Leuitarum apud Iudæos ciuitates septuaginta octo. 474.b
Leucius Manichæus, siue Seleucus, Actus Apostolorum falsos descripsit. 22.a
Lex de vsu linguæ Græcæ non recepta. 78.a
Lex Tiberij de pudicitia seruanda. 82.a
alia Domitiani. 722.c.e
Lex Tiberij aduersus histriones. 81.e
Lex Tiberij de damnatorum morte proroganda. 81.e
Lex de non castrandis maribus. 722.c
Lex de comedendo agno. 146.e
Lex de non ducendo vxores in prouincias eluса est. 85.c
Lex de caducis hereditatibus Poppæi nomine. 32.c
Lex naturæ omnium antiquissima. 412.e
Lex scripta quid. 412.d
Lex festorum Gentilium. 561.d
Lex de pallij vsu inter Romanos. 78.a
Lex Cretensium cælibatum non admittebat. 326.d
Lex duodecim tabularum de pœnis debitorum. 134.a
Lex duodecim tabularum quid contra legem Valeriam, & legem Porciam. 666.c
Lex Iudæorum & vela in Palatio Vespasiani condita. 702.b. 716.a
Libellus manuscriptus de translatione sudarij Veronicæ in bibliotheca Vaticana asseruatur. 184.c
Libellus de Septuaginta duobus discipulis Hippolyto tributus. 325.c
Libellus de Transitu Mariæ Virginis apocryphus. 371.a
Liber de Pontificibus nomine Damasi qualis. 676.e
Liber Damasi de Pontificibus contradictionis arguitur. 677.c
Liber de Infantia Saluatoris reiectus. 59.b.75.b
Liber Enoch cuius auctoritatis. 646.d
Liber de Stirpe Mariæ reiectus. 13.a
Liber Recognitionum Clementis ab omnibus Patribus proscriptus. 289.a
eumdem librum alij Circuitus & Periodos appellant. 387.a
Liber nullus contemnendus, si alia requisita adsint. in præf. pag. 5.
Liberi homines fustibus cædebantur, serui flagellis. 166.e
Liberius Maximus Iudæorum terram vendit. 703.c
Libo Drusus Prætor Vrbanus se ipsum necat. 81.a
Librariorum error circa annum natalis Domini in Eusebio. 34.e
Libræ triginta argenti fuit summa argenteorum quibus venditus est Iesus. 145.a
Libri ex auctoritate Ecclesiæ approbandi. 326.e. 327.
Libri Petro & Paulo & aliis Apostolis falso adscripti. 327.a
Libri apocryphi. 327. *per totum.*
Libri hæreticorum comburendi. 444.e
Libri magiæ igni traditi. 444.c
Libri magiæ lege prohibiti. ibid.c.d
Libri de magia ad Petrum & Paulum apertissimi mendacij conuincuntur. 328.d.e
Licinij edictum de bonis Ecclesiæ restituendis. 474.b
Lignorum sonitus quod signum, quando, a quibus, & quomodo vsurpatus. 562.a.b
Liguriæ Barnabas Euangelium prædicauit. 395.e
Lindanus Episcopus Ruremundensis insigniter laudatus. 421.c
Lingua Græca, & Latina promiscue. 78.a
Lingua Latina vtebantur magistratus. 78.d
Linguarum confusio. 317.e
Linguarum genera quæ. 220.e
Linguarum donum datum Apostolis, & quomodo. 354.b
Linguarum omnia genera omnibus Apostolis data. 220.d
Linguarum donum propter duo. 354.a
Linguas exteras Iudæi non admittebant. 353.e
Linguæ Latinæ prærogatiuæ. 78.d
Linguis loqui, & prophetare quid differant. 354.c.d
Lini Paulus meminit. 597.e. 679.b
Lini & aliorum Pontificum anni quomodo numerandi. 717.d.e
Lini ordinationes, & sepultura. 718.c
Lini nomine Acta Petri & Pauli descripta erroribus referta. 665.e. 666.a
Linus Paulo ministrat, & Petro succedit. 597.e
Linus cuius nationis & patriæ. 676.d
Linus an Petro successerit in Pontificatu. ibid.
Linus an Petri corepiscopus. 676.d
Linus primus post Petrum sedit. 670.e
Linus & Cletus sederunt ante Clementem. 679.e
Linus & Cletus corepiscopi. ibid.
Linus & Cletus quomodo viuente Petro sedisse dicantur. 679. 680.b
Linus quo anno Domini martyrio coronatus. 617.d
& quo anno suæ sedis. 717.d
eius Pontificatus. 718.c
Linteum Petro in visione ostensum quid significet. 286.a
Linteum quatuor summissum initijs. 286.a. 386.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Litaniarum vsus. 566.d
Lites ad Episcopos deferri solitæ. 459.a
Litteræ Abagari ad Iesum. 104.d
Litteræ Capitonis ad Caium contra Iudæos. 290.d
Litteræ Agrippæ Regis ad Caium pro templo & ciuitate. 297.b
Litteræ Claudij ad Fadum de stola sacra Iudæis relinquenda. 376.b
Litteræ Claudij ad Senatum & populum Iudæorum, quæ deprauatæ noscuntur. 376.c
Litteræ Apostolorum ex Concilio Hierosolymitano. 383.e. 384.a
quid ab aliquibus illis additum, quid demptum sit. 384.c
Litteræ Claudij Lysiæ ad Præsidem Felicem. 582.b
Litteræ Cornelij Papæ ad Lupicinum Viennensem Episcopum. 490.e
Litteræ Formatæ quæ. 714.e
Liturgia Iacobi. 632.c
Locatus Iudæ nepotes ad Domitianum deduxit. 741.c
Loca in ecclesia distincta. 487.d
Locorum & personarum distinctio, & ordo in ecclesia. 488.d
Locus nobilior. 178.a
Locus in quo Christus vestimenta, vt baptizaretur, deposuit, ecclesia nobilitatus. 91.c
Locus, in quo Dominus a Ioanne baptizatus, miraculis clarus. 91.b
Locus nuptiarum Canæ Galilææ ecclesia nobilitatus. 97.e
Locus vbi virgines manebant, erat inter altare & templum. 61.c
Locus orationis Domini in horto ecclesia nobilitatus. 161.d
Locus, in quo erant Apostoli in die Pentecostes, basilica illustratus. 219.b
Locus orationis etiam extra ciuitatem Iudæis & Samaritis. 399.e
Locus ad Aquas Saluias insignis morte Pauli, & aliorum. 667.d
Locus vbi Pascha a Christo celebratum. 145.e. 146.a
Locus Caluariæ. 175.d
Locus Ascensionis Domini. 218.c.d
Locus Pauli elucidatus de comitatu mulierum. 467.e
Locus omnis ecclesia, persecutionis tempore. 490.d
Locustæ & mel siluestre quid sint, opiniones diuersæ. 89.d.e. 90.a
Locustæ herbarum summitates. 90.a
Locustæ in cibum Aethiopibus, & Parthis. 89.e
Locustæ inter munda comestibilia. 89.d
Lois ania Timothei fidelis. 398.a
Longa ætas complurium. 715.d.e
Longinum cæcum fuisse, apocryphum est. 182.b
Longinus Centurio conuersus, martyrij palmam obtinuit. 182.b. 268.a
Longinus testis resurrectionis Christi cum duobus militibus. 202.a
Longinus Centurio qui. 202.e. 203.a
Loti Romani accumbebant. 151.c
Lotio pedum quando in cœna facta. 147.a
Lotio in cœna duplex. 151.b.e
Lotio pedum ante conuiuium apud Iudæos. 151.b
Loton arbor. 477.d
Lotos prius in balneo accumbere consueuisse Romanos. 151.c
Lotos fuisse discipulos Domini, cum cœnæ accumberent. 152.a
Luca voce antiqua in Italia bos appellari consueuit. 534.c
de Luca obiectionis solutio. 363.a
Lucæ consilium in scribendis Actis Apostolorum. 272.a
Lucæ ratio in scribendo. 403.c
Lucæ nomen, & ministerium. 534.d. 535.a
Lucam Christi, & matris eius, ac Petri & Pauli imagines effigiasse. 375.d. 624.e
Lucam eumdem esse cum Lucio, Origenes existimauit. 624.e
Lucam iussu Petri Euangelium scripsisse quidam ait. 533.d
Lucam martyrium consummasse multi testantur. 624.a
Lucas non omnia quæ fecit Petrus in Actis recenset. 238.e
Lucas multa acta Pauli prætermittit. 537.c. 364.a. 398.a. 537.d
Lucas in Actis Apostolorum res, quibus interfuit, exacte conscribit. 272.a. 363.e. 364.a
Lucas quando Paulo adhæserit. 398.c.d
Lucas pseudoapostolos sugillat. 533.c
Lucas vbi Euangelium scripsit. ibid.
Lucas bouis similitudinem gerit. 534.c
Lucas iterum Romam redijt. 623.e
Lucas quo anno Acta Apostolorum absoluit. 623.e
Lucas Lucius a Paulo dicitur. 543.a.b
Lucas quo abierit, postquam Roma discessit. 623.e
Lucas medicus, & pictor egregius. 218.e. 614.c
Lucas octogenarius ex oleæ arbore suspensus. 624.c
Lucas medicus, & scriptor Actorum quid mystice. 218.e
Lucas non fuit perpetuus comes Pauli. 363.b
Lucas an ex septuaginta discipulis. 634.c
Lucas non Domini, sed Apostolorum discipulus. 544.e
Lucas in Actis multa magnaq. prætermisit. 270.d.e
Lucas an ille, de quo dictum, Cuius laus est in Euangelio, &c. 398.e
Lucas quando Acta scripsit, quo ordine, & consilio. 623.d
Lucæ auctoritas Iosepho præstat, etiam Ethnicorum arbitrio. 28.b
Lucæ scribendi Euangelium occasio. 398.d.e. 533.d
Lucæ Euangelium quod suum Paulus affirmat. 533.e
Lucæ cap. 20. Actuum Græca exemplaria plus habent a Latinis. 552.d
Lucæ vita compendio descripta. 624.b.c
Lucæ martyrium. 624.a
Lucæ miracula apud suum monumentum. 624.e
Lucæ membris vnguentum medicum scaturijt. ibid.
Lucæ reliquiarum translatio. 624.e
Lucerna accensa ante stolam pontificiam. 80.a. 267.a
Lucernæ in die sabbati accensio. 340.e
Lucernæ interdiu accensæ. 549.d
Lucernæ in ecclesia ad quem vsum. 548.d
Lucernales psalmi qui. 401.a.b
Lucernas etiam Gentiles in festis accendebant. 549.b
Lucernariæ preces. 401.a.b
Lucernarum accensio festum. 551.d
Lucianus Christianorum irrisor. 640.d
Lucianus Paulum describit. 644.d
Lucianus de Trinitate breuiter & aperte memimit. 644.d.e
Lucianus de Peregrino loquens, Christianorum charitatem ostendit. 712.c.d. 713. 714.
Lucianus Bellouacensis Episcopus. 735.b
Lucianus Epicureus. 710.d.e
Lucifer stella, Ἑωσφόρος a Græcis, ab Hebræis Seruha Iued dicta. 196.b
Lucina clarissima femina corpus Pauli honorifice sepeliuit. 668.c
Lucilius Bassus Herodion & Mencherũ expugnat. 703.b

Lucilius

Lucilius Bassus tria millia Iudæorum incendit. 703.e
Lucilla Donatistarum patrona. 430.a
Lucinæ elogium. 680.e
Lucius Cyrenensis. 336.b
Lucius Pituanius magiæ reus. 81.a
Lucullus Græcis barbara admiscens, Romanum se probabat. 78.c
Ludibria quæ Iesus expertus. 163.a
Lugduni Herodes exulat. 283.b
Lumen titulus epistolæ cuiusdam. 16.e
Lumina in sepulchris. 340.e
Lumina, & cantus in funere. 244.e
Luminaria. Vide supra, Lucernæ.
Luminaria in Ecclesia propter quid. 548.e
Luminaria in funere quid. 244.e
Luna decimaquarta & quinta Paschæ. 147.c
Lunæ defectus. 67.d
Lupicinus Episcopus Viennensis. 490.e
Lupus Augustalis Præfectus. 704.b
Lustralis aqua. 340.e
Lustralis census vsque ad Vespasianum. 300.a.b. 32.a
Lustrici dies qui. 81.d
Lustrum cum censu conditum iussu Claudij. 308.a
Lustrum post annos quinque a Christo nato. 31.d
Lustrum vltimum. 715.b
Lustro quolibet Romani populum censebant. 30.b
Lustrum nouissimum sub Vespasiano. 715.c
Lydda vicus instar vrbis. 378.e
Lydda Diospolis appellata. 283.d
Lyddæ sancti habitantes. 274.c
Lydia purpuraria. 399.d
Lympha exigua Isaiæ precibus scaturijt. 134.e
Lyncestis vena vinosa in Macedonia. 96.a
Lysaniæ tetrarchia. 87.a
Lysaniæ duo. 87.a.b
Lysanias Abilinæ Tetrarcha non Herodis filius. 87.a
Lysanias arte Cleopatræ necatus. 87.a
Lysimachus Alabarcha. 306.a
Lystra ciuitas. 367.a
Lystram venit Paulus, & Barnabas. 366.a
Lystram reuertitur Paulus. 367.d

M

Macedo vir Paulum in somnijs deprecatur. 319.c
Machabæi fratres ab Antiocho cruciati. 62.a
Macheruntem Ioannes ab Herode mittitur, atque ibi occiditur. 398.c
Maclianus Regis Britannorum frater ab Episcopis excommunicatur, & cur. 531.d
Macrina virgo Thecla dicta. 366.d
Macrobius de adoratione Magorum loquitur. 50.a
Madian & Epha nationes trans Arabiam. 51.c
Mætianus tempore Vespasiani claruit. 96.b
Magdalel oppidum. 119.b
de Magdalena commentarium Rossensis. 121.d
Magdalena an vna fuerit, an plures, prolixe disputatur. 116.c. duas fuisse, falsum. 117.b
Magdalena soror Lazari, & peccatrix eadem. 118.c
Magdalena quoties vnxit Iesum. 117.c. 120.d.e
Magdalena cur demum vngit caput Iesu. 123.b
de Magdalena obiectiones solutæ. 119.d
Magdalena cum suis Massiliam appulit. 251.d
Magdalenam vnam tantum Ecclesia celebrat. 121.d
Magdalenam cum Lazaro Ephesi egisse, falsum. 322.d
de Magdalena Patrum sententiæ. 118.a
Magdalenas tres fuisse, falsum. 117.b
Magna Diana Ephesiorum per duas horas conclamatum. 580.b
Magnus dies sabbati quis, & cur ita dictus. 149.d.e
Magi stellæ signum habuerunt ex Balaam. 50.e
Magi qui fuerint. 50.a.b.c
Magi duo Reges post Cambysem. 51.b
Magi vnde venerint. 52.d
Magi ex semine Abrahæ de filijs Cæturæ. 51.e
Magi an Reges fuerint, & quot. 53.b.c
Magi visa stella iter susceperunt. 54.e
Magi populi in Media. 51.b
Magi cuius magiæ studiosi. 53.c
Magi Mesopotamiam incolentes. 50.e
Magi quo tempore venerint post Christum natum. 53.e
Magi in itinere dromedarijs vsi. 54.e
Magi cur illa dona Christo obtulerint. 52.a
Magi vbi Christum inuenerint. 55.a
Magi per aliam viam reuertentes vbi sunt hospitati. 55.e. 56.a
Magi tres, qui Christi præsepe adiere, a Thoma baptizati dicuntur. 323.e
Magi, & magia a Tiberio proscripta. 80.e
Magi tertij generis legibus Romanorum damnati. 53.a
Magi sacerdotes in Perside regnarunt. 457.d
Magi res absentes quomodo videant. 748.c
Magia vera scientia quæ. 53.a
Magia quæ punitur. 53.a.b
Magia Iesu aduentu profligata. 50.b
Magici volatus. 649.a
Magiæ libri Ephesi combusti. 444.d
Magis stellam apparuisse ante biennium, falsum. 54.b
Magis stella quando apparuit. 53.e
de Magis & ortu stellæ meminit Chalcidius Platonicus. 51.a. 53.c
Magistratus viri optimi dici soliti. 534.b.c
Magistratus Romanorum vti soliti Latina lingua. 78.d
Magodia regio. 53.d
Magog, & Magusæi Persæ appellati. 51.b
Magos septem regnasse, falsum. 51.b
Magorum aduentus. 49.c
Magorum historia cur adeo diligenter a Matthæo describitur. 49.e. 50.a
Magorum genus in partibus Orientis ex Balaam. 50.e
Magorum historiam Macrobius persecutus. 50.a
Magorum nomen vnde deriuatum. 52.e. 53.d
Magos fuisse Chaldæos instructos a Sibylla. 51.a.e
Magos fuisse Persarum sapientes. 51.b
Magos fuisse Reges Persarum, falsum est. 51.b
Magos ab Hystaspe Rege sapientiam didicisse. 51.b
Magos cur ex Oriente venisse dicant Euangelistæ. 52.c
Magos ex Arabia potius venisse vnde conijcitur. 51.c
Magos triplicis generis fuisse apud antiquos. 53.a
Maiores natu in Ecclesia qui. 560.c
Malcho Iesus auriculam restituit. 161.c
Malleus appensus ianuis ad signum dandum. 314.b
Maltace vxor Herodis Idumæi. 3.b
Mambre quercus famosa. 27.b
Mamertinus carcer. 651.e
Mammona quid. 114.d
Mammonoth apud Hebræos quid. 114.d
Manaben Herodis Tetrarchæ collactaneus. 336.b
Manahemus regali habitu incedens occiditur. 660.a
Manasses frater Iaddi summi Pontificis. 102.b
Manna quo die pluit in eremo. 41.b
Mannæus Lazari filius ad Titum transgreditur. 692.a

Manducare

Universidad de Deusto
Biblioteca

Manducare Pascha vsquequo protendebatur. 148.c
Manducatio Christi sacramentalis. 496.e
Manetes hæresiarcha. 326.c
Manibus iunctis orare quid significet. 565.a
Manichæi a Paulo sigillati. 511.e
Manichæi Apostolicas paginas violarunt. 328.b
Manichæi duos hebdomadæ dies ieiunabant, & quos. 517.b
Manichæi aduersus nuptias. 95.a
Manichæi cur sabbato ieiunabant. 517.c.d
Manichæorum scripturæ apocryphæ. 326.e
Manifestatio Christi post resurrectionem. 81.a
in monte Tabor. 210.a
Manus attollere solebant orantes. 565.c
Manus lauandi ritus innocentiæ signum. 168.b
Manus impositio in pœnitentia. 437.d
Manus impositio quæ sit tantum Episcopi. 254.c
Manuum impositionis vsus super ordinandos ex veteri Testamento. 339.b
Manu præmissa nonnulli Patriarchæ nati. 2.b
Manuum ablutione grauia peccata non abstergi. 484.a
Manus abluendi ritus ante preces. 482.e
Manuum coniunctione perfectam animorum consensionem significari. 463.e
Maranatha magis Syrum, quàm Hebraicum. 505.d
Maranatha quid significet. 505.a
Maranatha quid addat ad anathema. ibid.e
Marci lapsus. 126.c
Marcellus de horis canonicis. 150.d
P. *Marcius extra portam Exquilinam ob magiam punitus.* 81.a
Marci Euangelij caput vltimum male in diserimen reuocatur. 200.d
Marci Euangelium Romæ editum. 552.b
Marci Euangelium ex Petri prædicatione exceptum. 356.d
Marci Euangelium e Latino in Græcum translatum. 356.d
Marci Euangelij originale Venetias translatum. 356.e
Marci plures. ibid.
Marci Euangelium a Petro confirmatum, & qua occasione scriptum. 351.e. 352.b
Marci Euangelium creditum fuisse Petri. 552.d
Marci emendatio proficua. 394.e
Marcianus Imperator Græcus Latina oratione vsus. 78.e
Marcion & Valentinus hæresiarchæ sugillant Petrum & Paulum. 388.d
idem fecerunt Porphyrius & Iulianus Apostatæ, & recentiores Nouatores. ibid.e
Marcionitæ hæretici. 504.a
Marcionitæ quomodo pro mortuis baptizabantur. ibid.
de *Marco commentum refellitur.* 357.e
Marco Euangelistæ falso tribuitur præcisio pollicis, quod in Marco anachoreta factum est. 357.c
Marcus Antonius Iudæam debellauit. 3.e
Marcus a Petro genitus in Euangelio. 353.a
Marcus cognominatus Ioannes. 219.a
Marcus an vnus ex Septuaginta. 352.e
Marcus discessit a Domino, & cur. 126.c
Marcus a Petro reuocatur. 156.d
Marcus num Græce, vel Latine scripserit Euangelium. 355.c
Marcus Petri interpres. 353.b
Marcus quo anno scripserit Euangelium. 351.c
Marcus primam epistolam Petri ex Hebræo transtulit. 351.d
Marcus quot annos Alexandriæ sederit. 357.e
Marcus negationem Petri fusius narrat. 353.b
Marcus cur dicatur Matthæi abbreuiator. ibid.
Marcus Euangelista an idem fuerit cum Marco filio Mariæ, & consobrino Barnabæ. 356.e. 358.c
Marcus Euangelista diuersus a consobrino Barnabæ. 357.d
Marcus Euangelista filius a Petro appellatur. 458.c
Marcus Euangelista an Petri consanguineus. 358.c
Marcus Alexandriam missus quando. 346.d
Marcus iterum secutus Paulum. 357.b
Marcus Romam cum Petro venit. 322.a
Marcus Episcopus Ainæ Galilæus. 322.b
Marcus ad Paulum Romam redit. 595.b
Marcus Alexandrinam Ecclesiam Petri nomine erexit. 632.d
Marcus vbi martyrium consummauit. 358.a
Marcus quo anno mortuus. 352.a
Marcus consobrinus Barnabæ. 357.a
Marcus proficit ex seueritate Pauli. 394.b
Marcus ex Iudæis potius quàm ex Aegyptijs Alexandrinam collegit Ecclesiam. 636.c
Marcus Euangelista quo anno martyrio coronatur, sub quo Imperatore. 632.e
vbi, quo genere martyrij. 633.a
qua ætate, quo mense, quo die. 633.b
Mare aquarum congregatio quælibet. 108.a
Maria Syriaca voce Dominam significat. 15.e.278.d
Maria non sine coniugio concepta. 15.e
Maria ex repromissione. 14.e
Maria, cælum, templum, & thronus. 16.c
Maria quo anno in templo præsentatur, & quamdiu ibi mansit. 17.a
Maria sacerdotum manibus tradita Ioseph ad custodiam. ibidem.
Maria cur Angelo respondit: Quomodo fiet istud? 19.d. 20.a.21.
Maria quo anno suæ ætatis peperit. 17.a
Maria Virgo nuptui tradita, sacerdotum consilio. 19.a
Maria Virgo diuino consilio desponsata. 20.e
Maria quo tempore ab Angelo salutatur. 19.b
Maria Virgo non liberorum causa ducta a Ioseph. 20.a
Maria Virgo XV. suæ ætatis anno tradita est sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam. 17.a
Maria Virgo in templo traduxit annos vndecim. ibid.
Maria Virgo vbi nata. 17.b
Maria Virgo cur in templum allata. 17.c
Maria a perpetua virginitate consecuta est cognomentum. 45.a
Maria Virgo lege soluta. 56.e
Maria Virgo sanguinem & aquam, quæ e Domini latere fluxerat, collegit. 182.d
Maria Virgo Nazareth habitat. 97.e
Maria soror Marthæ ad pedes Domini sedens. 136.d
Maria Magdalena cur caput Domini vnxerit. 123.b
Maria matertera Domini quæ. 21.e
Maria mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ. 21.e
Maria Virgo parentibus scientibus nec contradicentibus votum virginitatis nuncupauit. 20.d
Maria vbi desponsata est, parentibus redditur. 19.b
Maria salutatur ab Angelo in domo paterna. 19.b
Maria abiit in Montana. 26.c
Maria post partum an orauerit in templo in loco virginum. 18.a
Maria Virgo nata de stirpe sacerdotali. 12.b
Maria Virgo ex Danidica stirpe progenita. 11.e
& Aaronica. 12.c

Maria

Maria prima omnium votum virginitatis emisit. 20.b
& quando. 20.c
Maria Virgo post nuptias Canæ Galilææ rediit Nazareth. 97.e
Maria sine dolore peperit, & absque obstetrice. 40.b
Maria Virgo ante partum, in partu, & post partum. 45.a
Maria Virgo virgini Ioseph commendata. 22.a.b
Maria Virgo in deponendo filio de cruce inseruit. 182.d
Maria Virgo quo anno ætatis suæ mortua fuerit, variæ opiniones. 368.c
Mariæ Virgo Iosepho sudarium tradit, vt sepeliat Iesum. 182.d.e
Maria Virgo sua luce clarissima. 369.e
Maria Iacobi vxor Alphæi. 23.b
Maria Iacobi minoris & Ioseph mater. 22.e
Maria mater Iacobi & Ioseph longe a cruce stetit. 23.b
Maria Alphæi an eadem sit cum Maria Cleophæ. 23.b
Maria Cleophæ alia a Maria Iacobi. 23.d
Maria Cleophæ nuncupata, quòd fuerit filia Cleophæ. 23.b
Maria Cleophæ cum Maria Virgine iuxta crucem stetit. 23.e
Maria Cleophæ consobrina Mariæ Virginis. 23.a
Maria Cleophæ & Maria Salome non sorores germanæ. 23.b.c
Maria soror Moysi virum habuit Vr. ibid.
Maria, & Martha, & aliæ mulieres ad sepulchrum Domini. 200.e
Maria palus circa quam Essæi habitabant. 633.d
Maria Cassobilita laudatur.
Maria Eleazari filia fame impulsa filium comedit. 692.b
Mariæ virginitatis integritas. 45.a
S. *Mariæ in Via lata Diaconia hospitium primum Pauli Romæ.* 592.e
Mariæ Virginis votum virginitatis. 19.c. 20.a
Mariæ vox, Virgo, & non mutabitur. 40.b
Mariæ Virginis vndecimo anno parentes obierunt. 20.e
de *Mariæ voto sententiæ diuersæ.* 21.b
Mariæ Virginis obitus. 367.e. 368.a.b.c
Mariæ Virginis historia. 14.b
Mariæ Virginis auxilium ab auctore imploratur. in præf. pag. 5.
Mariæ impolluta virginitas. 56.d
Mariæ epitheton Virgo. 45.a
Mariæ parentes. 14.a
de *Mariæ ortu Seleuci Manichæi insana commenta.* 14.d
Mariæ sorores cur dictæ. 15.a
Mariæ voto virginitatis consensisse Ioseph, facile est credere. 21.b
Mariæ purificatio. 56.b
Mariæ Virginis ad Dominum verba post mortem filij. 182.c.d
Mariæ Virginis affectus male expressi in tragœdia inscripta, Christus patiens. 182.e
Mariæ Virginis domus Nazareth Lauretum translata. 72.a
Mariæ Virgini prius quàm ceteris apparuisse Dominum post resurrectionem. 199.e
de *Mariæ Virginis morte quædam scripta apocrypha, quædam improbata.* 369.a
Mariæ Virginis epistolæ quæ feruntur apocryphæ. 375.c
Mariæ, quam Ioseph, genealogiæ cur non potius descriptæ. 12.a
Mariæ Virginis effigies, & mores. 375.c
Mariam Virginem virginitatem vouisse multi testantur. 20.a
Mariam Virginem virginitatem vouisse conuincitur. 19.c
Mariam Virginem non arcet Zacharias a loco virginum in templo. 61.c
Mariam Virginem vna cum Ioanne in Asiam profectam. 322.c
Mariam Virginem cum Ioanne Ephesi habitasse. 322.d
Mariam Virginem collegisse sanguinem & aquam, quæ e Domini latere fluxerant. 182.d
Mariam Virginem constanter egisse in morte filij ab initio vsque ad finem. 182.d
Mariam Virginem sexagesimotertio ætatis suæ anno diem obijsse, traditio habet. 368.d
Mariam Virginem velut Enoch & Eliam translatam Epiphanius insinuat. 370.d
Mariam Iacobi matrem & Ioseph fuisse vxorem Ioseph Mariæ sponsi, falsum. 23.a
Mariani Scoti & Cuspiniani de anno Natalis Domini sententia. 34.c
Marcianus Syracusis datus Episcopus. 322.a
Marij crudelitas. 124.a
Maro ex Sibylla Cumæa quæ acceperit. 9.c
Maro ab Hebræis aliqua accipere potuit. 9.c
Marrucinus ager. 673.d
Marson vir prudens. 315.d
Marsus in locum Petronij in Syriæ prouincia subrogatus. 308.a
Martha Mariæ soror sanguinis fluxum passa, & a Christo sanata, falso dicitur. 109.d
Martialis discipulus vnus ex Septuaginta. 709.c
Martialis fuit puer ille, qui habebat quinque panes, & duos pisces. 709.c
Martialis Apostolorum discipulus. 243.c
Martialis a Petro in Gallias amandatur. 709.c
Martialis Galliarum dictus Apostolus. 709.c
Martialis quot populos ad fidem conuertit. ibid.
Martialis mortuum suscitauit, & quomodo. 709.d
Martialis epistolæ duæ. ibid.
Martialis, qui ad Gallias missus est, Romam venit cum Petro. 322.a
Martialis quando moritur. 709.c
Martialis poetæ carmina in laudem Domitiani. 723.e. 731.b.c
Martialis horti vbi. 669.d
Martinianus & Processus a Petro baptizati. 651.e. 665.d
Martinus Regi presbyterum prætulit. 456.b
Martinus a Maximo Imperatore cõuiuio exceptus. 456.c
Martyres cur sub altari clamare dicantur. 429.a
Martyres sub Domitiano insigniores qui. 745.b
Martyribus non sacrificamus. 560.c
Martyribus facinorosi miscebantur, vt ditarentur. 713.d
Martyres sub Nerone post Petrum. 680.c.d
Martyres sub Domitiano qui. 745.b
Martyrij S. Thomæ vetus monumentum. 485.d
Martyrium quid. 490.b
Martyrium Eunuchi Candacis Reginæ, & miracula. 260.d
Martyrum agones in ecclesijs effigiari soliti. 486.b
Martyrum corpora quomodo in diuersis locis vere esse dicantur. 428.d
Martyrum reliquiæ a Gentilibus dispersæ. 429.d
Martyrum cultus loco falsorum deorum institutus. 339.e
Martyrum dies anniuersaria. 559.c
Martyrum solemnitas. 558.e
Martyrum primitiæ dicti sunt Christiani sub Nerone passi. 641.a
Mascizel tyrannus in Africa a Theodosio prostigatus. 240.e
Massada castrum munitissimum expugnatur. 703.b

Massada

Universidad de Deusto
Biblioteca

Massada præsidium Iudæi capiunt, Romanis occisis. 703.c
Massagetarum ferinus mos de mactandis senibus, & comedendis. 320.b
Mater virginis Deo sacratæ, socrus Dei appellata. 477.b.c
Mater necat filium ad cibum. 692.b
Maternus sophista a Domitiano occisus, & cur. 723.c
Mathan sacerdotis filiæ Maria, Sobe, & Anna. 15.a
Mathematici pulsi Vrbe. 423.e
Matribus honor habitus. 16.a
Matrimonia clandestina prohibita. 462.e
Matrimonij sacri ritus. 462.b
Matrimonij Missæ sacrum. 462.d
Matrimonio iungere non licebat nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus feminam. 12.a
Matrimonium sacramentum. 461.e
Matrimonium non sine sacerdotis præsentia contrahi. 462.a
Matrona dum ingreditur ecclesiam non purgata, a dæmone arrepta est. 483.e
Matthæi Euangelium quo anno scriptum. 289.a
& qua occasione. 288.e
quibus expostcentibus. 289.b
initium cur ita sumptum. 289.c
exscriptum ab Apostolis. 289.d
a Iacobo fratre Domini Hierosolymis explanatum. 289.c
cum Barnaba sepultum, & quo anno inuentum. 289.d
a Hieronymo translatum. 289.e
a Nazaræis deprauatum. ibid.
Matthæi Galeni error in expositione Dionysii Areopagitæ. 369.c
Matthæus sequitur Dominum. 108.d
Matthæus Apostolus carnibus abstinebat. 513.c
Matthæus in Aethiopiam missus. 324.b
Matthias summus sacerdos rem diuinam facere vetitus. 87.c
Matthias Mesopotamiam petit. 325.e
Matthias Apostolus librum de traditionibus scripsisse dicitur. 415.d
Matthias Margalothi legis æmulator. 66.e
Matthias seditionis auctor viuus exustus ab Herode. 67.d
Matthias Theophili Pont. Max. apud Iudæos. 26.a
Matthias Pont. nocte pollutus somnio, vicarium substituit in sacris obeundis. 67.d
Matthias abrogatus summo pontificio. 67.d
Matthiæ Apostoli electio. 219.c
Maturea appellatur Virginis habitatio in Aegypto. 59.a
Matutinæ horæ conuentum referunt a Paulo præscriptum. 224.c
Matutinæ laudes. 400.e
Matutinum officium quid repræsentet. 502.a
Mauritania in duas partes diuisa. 332.d
in Mauritanica Ecclesia bigamos ordinari non est permissum, etiam vrgente necessitate. 532.a.b
Maximianus Episcopus Syracusæ. 494.c
Maximus hostis Monothelitarum. 497.b
Media nocte surrexit Dominus, & Patrem hymnis celebrauit, atque idem nos tunc facere docuit. 224.e
Media nocte venturum Dominum ad iudicium. 400.c.d
Medico non est opus bene habentibus. 108.d
Medicus animæ diligenter inquirendus. 435.c.d
Mediolanensis Ecclesiæ consuetudo in psallendo qualis. 611.e
Mediolanensem Ecclesiam erexit Barnabas. 395.e
Meir doctor Pharisæorum. 4.d
Mel siluestre summe amarum. 90.d
Melania senior Theclæ nomine decorata. 366.e
Melania Romana clarissima femina. 89.b
Melchi filius Leui, frater Pantheris. 15.d
Melchisedech vbi regnaret. 99.b
Melchisedech typus Christi. 156.a
Melchisedech Regis dignitas. 472.d
Melchisedechiani hæretici. 420.c
Melitæ serpentes veneno carent, non natura, sed gratia. 590.a
Melitæ Paulus hiemauit tribus mensibus. 590.a
Melitæ quid passus Paulus. 589.c
Melitæ Pauli miracula. 590.a
Melitam Paulus venit. 589.c
Melitoni Sardensi Episcopo libellus de Transitu Virginis falso tributus. 371.a
Melitonis Sardensis Episcopi liber apocryphus. 316.c
Membra Ecclesiæ ante Christi aduentum quæ. 2.a
Memoria ecclesia dicta. 490.b
Memoria Christi in Aegypto. 58.c
Memoriæ antiquæ de vsu sacrarum imaginum. 486.c
Memphi vrbs Aegypti. 26.e
Menander Simonis magi discipulus quid suis polliceretur. 708.d
Mencherus & Herodion castella expugnata. 703.b
Mendicantes Iudæi quomodo descripti. 731.d
Menna Constantinopolitanus Episcopus. 316.b
Mendum de voce Hieremiæ in textum Matthæi illapsum. 145.c
Menologium Græcorum. 41.a
Mensa quadra apud poetas quæ. 546.b
Mensa in templo Hierosolymitano. 25.b
Mensa in ecclesia quæ. 335.a
Mensa pura quæ. 492.e
Mensa communis & sacra temporibus Apostolorum simul iungebantur. 236.b.c
Mensa duplex apud Apostolos. 236.b
Mensa sacra distincta a communi. 491.b.c.d
Mensa quas quæstiones apud Christianos haberet. 493.a
Mensam communem Christus sacræ præposuit, & cur. 491.c.d
Mensæ quibus diaconi inseruiebant, fuerint ne sacræ, an communes. 236.b
Mensæ Christianorum descriptio. 492.e. 493.
Mense Martio Dominum passum, communis sententia. 189.b
Mensis & dies quo Christus est passus. 189.b.c
Mensurius Episcopus Carthaginensis. 430.b. 713.e
Mercurius Trismegistus. 7.e
Mercurius creditus Paulus. 367.b
Meretrices apud Israelitas permissæ. 119.a
Meretrices vagæ. ibid.b
Meritoria Taberna typus Ecclesiæ. 11.a
Meroe metropolis regni Aethiopiæ. 457.e
Meroe summa potestas penes sacerdotes. 457.c
Mesopotamenus Balaam. 51.d
Mesopotamiam Simon petit. 325.b
Messala Præses Syriæ. 29.b
Messalina Augusta vxor Claudij. 379.c
Messalina Augusta quo anno occisa. 379.c
Messalini Consulatu nascitur Christus. 34.a. 35.c.e
Messias haberi voluit Vespasianus, & vnde colligitur. 716.c
Metallotheca Vaticana. 171.c
Metaphrastes erroris arguitur de tempore Simonis magi. 321.e. 325.c. 330.d

Metellus Creticus nomen familiæ suæ reportauit. 264.e
Michael Archangelus Ecclesiæ protector. 607.b
Michael Glycas de S. Luca. 624.e
Michael Imp. calumniator linguæ Latinæ. 78.d
Michael Mercatus celeberrimus ætate nostra philosophus. 171.b
Michaelis Mercati studio Metallotheca Vaticana constructa. 171.c
Michaelis Imp. temporibus extabat epistola integra Iesu ad Abgarum. 105.c
Michaelis Archangeli cultores Colossenses. 607.c
Michaelis Archangeli oratorium a pijs erectum. 607.a
Michaelis manifestatio in Conis facta. 607.d
Michæas loquitur de turre Ader. 48.a
Midraistelim omnes cibos adueniente Messia Hebræos comesturos dixit. 383.d
Miletum pro Melita. 579.b. 590.c
Miletum in Creta euersum a Gnosiis. 590.e
Miletum Cariæ vrbs. 552.c
Miliaresium donatiuum militare. 145.a
Militares tesseræ quæ. 317.d
Milites cohortales Archelai occisi. 69.d
Millenarius Ioannis gloriæ perpetuitatem significat. 741.a
Minæorum hæresis. 706.b
Ministerium quotidianum quod. 236.c
Ministerium sepulturæ non probibitum Iudæis die festo. 150.c.d
Ministerium diaconissæ. 238.a
Ministerium, a quo Græcorum viduæ videbantur excludi, quodnam fuerit. 235.e
Ministrare, pro sacrificare, apud Lucam. 339.e
Ministri sacræ mensæ diaconi. 236.d
Ministri tabellarij. 337.e
Ministri laborantes dicti. 237.e
Ministri inferioris ordinis in templo sortiebantur ministeria. 25.e
P. *Minutius Præfectus annonæ.* 666.e
Minutius Felix pro Christianis. 385.a
Miraculum olei cur Transtiberim factum. 11.c
Miracula tria in Epiphania recolitur, an eodē die facta. 97.
Miracula Christi quæ non videntur scripta. 124.e
Miracula Romæ facta accidisse ipso Christi natali die, falsum. 11.c
Miracula edita in loco Ascensionis. 218.c
Miracula præclariora a Petro edita. 233.b
Miracula de oleo lampadarum. 550.e
Miracula de ceris Agnus Dei. 551.a.b
Miracula facta in Aegypto, illuc Iesu allato. 57.e
Miracula Vespasiani ex præstigijs Tyanæi. 687.c
Miracula Vespasiano tributa, miracula non sunt. 687.e
Miracula de vmbra Petri quid mystice. 223.b.c
Miracula diei Dominici. 97.c
Miracula ex reliquijs. 427.d
Miracula dijs Gentilium attributa qualia. 688.d
Miracula Anconæ per Stephanum facta. 243.a
Miraculis Petri prædicatio adiuncta. 223.c
Miraculo translatæ domus, & montes. 71.e. 72.a
Miraculorum Iesu per totā Syriā fama diuulgata. 103.d
Miraculorum gratia, & intelligentia Scripturæ, sunt dotes Ecclesiæ. 211.a.b
Miraculum de mutatione aquæ in vinum quo die. 95.e
Miraculum primum Christi, mutatio aquæ in vinum. 97.d
Miraculum de mutatione aquæ in vinum, & baptismus Christi eodem anno. 96.c
Miraculum secundum Iesu, curatio filij Reguli. 103.d
Miraculum ab hæreticis nūquam factum reperitur. 211.b
Miraculum de cruce S. Thomæ apud Brachmanos. 485.a
Missa sacrificium dicitur. 159.b
Missa Iacobi. 632.b
Missa quid significet. 158.e
Missarum vespertinarum vsus. 159.d
Missas agere Christianis neque in cryptis permittebatur. 159.b.c. 491.a
Missæ nomen a quibus auctoribus vsurpatum. 158.e
Missæ vocis vsus in Romana Ecclesia. 159.b
de *Missæ longitudine conquerentes qui.* 611.d
Mitra sacerdotalis qualis fuerit. 240.d
de *Mitra S. Ambrosii epigramma Ennodij.* 241.a
Mitræ sub noua lege diuersæ ab ijs quæ fiebant in veteri, & diuersum repræsentant mysterium. 241.a.b
Moab ciuitas in Arabia. 51.d
Moabitarum Rex Balac. 51.d
Modestiæ officio contineri haud patiuntur mulieres. 476.c
Modestia Apostolorum. 508.d
Monachi comati arguuntur. 574.e. 575.a
Monachi desides qui, & qui operosi. 410.c
Monachi qui nūc sunt, antiquā Ecclesiā æmulantur. 633.c
Monachorum princeps Ioannes Baptista. 90.b
Monarchia Petro collata, & in eius successores propagata. 129.a
Monasticam vitam Anna vidua excoluit. 57.c
Monasticæ tōsuræ deriſores seuerissime a Deo puniti. 574.e
Moniales Alleluia signo conuocari solitæ, vbi. 562.c
de *Monogamia hæresis Montanistarum, & Tertulliani.* 101.d
Monogamos fuisse sacerdotes in lege veteri. 532.c
Monogamos Paulus cur ordinandos monuit. 527.e
Monothelitæ hæretici in Christo duas voluntates negantes. 374.b
Mons Aluerniæ scissus in terræmotu facto patiente Domino. 181.c
Mons Cælius Romæ conflagrat. 85.d
Montana Iudææ quæ. 26.c
Montanistarum error & falsitas. 101.e
in *Monte Oliueti primum castra sunt posita contra Hierusalem, vbi Iesus fudit lacrymas.* 141.c
in *Monte Tabor creditur facta esse apparitio plusquam quingentis fratribus.* 209.e
Montis Vesuuij eruptio. 719.c
Montes e loco in locum transtulerunt plures sancti. 72.a
Moralia ex Synagoga translata in Ecclesiā cū fœnore. 532.c
Moralia præcepta seruata ab Apostolis apud Iudæos. 223.e
Morbus Herodis qualis. 68.a
More maiorum quid significat. 412.d
Mores Iudæorum incompositi in psalmis decantandis. 41.c
Mores puerorum turpissimi apud Cretenses. 526.e
Mors prodigiosa Herodiadis filiæ. 124.c
Mortem sibi consciuit Varus Germaniæ Præfectus. 73.b
Mortuus suscitatur a Petro. 315.e
Mos quid. 412.d
Mos edendi agnum apud Hebræos, ex antiquo eorum rituali. 153.d
Mos Iudæorum differendi de lege. 73.d
Mos Apostolos cum Christo pingendi. 329.a
Mos antiquus sanctorum Christianorum. 230.e
Mos fuit Ecclesiæ, vt Episcopus peregrinus ad concionandum inuitaretur. 362.a
Mosaici libri inuenti & lacerati. 378.b
Moysi prophetias habuit Balaam. 50.e
Moysi libros lacerans miles, securi percutitur. 378.b
Mucianus Syriæ Præses Vespasiano adhæret. 687.a
Mucianus Vespasiano persuadet, vt philosophos Vrbe pellat. 710.c
Mulier Christiana signo Crucis ab arte dæmonum liberata. 107.e. 108.a
Mulier a fluxu sanguinis liberata quæ. 109.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mulier peccatrix eadem Iudæa. 118.e
Mulier in adulterio deprehensa oblata Christo. 134.d
Mulier a profluuio sanguinis sanata æneam statuam erexit Saluatori. 109.e. 110.a
Mulieres ministrantes Iesu quæ. 122.d
Mulieres quæ excubabant ad ostium tabernaculi, quales fuerint. 18.d
Mulieres ad sepulchrum Domini quæ. 200.e
Mulieres hæreticas exorcismos ausas docere. 432.d
Mulieres in modestiæ officio continere, difficile. 476.c
Mulieres Christianas nequaquam speculo uti solitas. 476.d
Mulieres in ecclesia a viris separatæ. 18.b
Mulieres in ecclesia omnino taceant. 503.b
Mulieres bene olere, cum nihil olent. 506.c
Mulieres Hierusalem quando dixerint: Beatæ steriles. 692.c
Mulieri in ecclesia loqui turpe. 542.c
Mulieribus quæ doctrinæ ratio prohibita. 542.c
Mulierum profectio ad sepulchrum Domini quando. 196.c
Mulierum locus in ecclesia supra tabulatum. 489.b
Multiloquium in oratione damnatum quale. 115.d
Multitudo populi foras erat in templo hora incensi, id est, extra primum velum. 25.c
Mundi origenis anni. 39.e
Mundi restitutio per Christum. 43.c
Mundi finis etiam Gentilibus creditus. 721.c.d
Mundi trans Oceanum positi, ex Clementis epistola. 735.b
Mundum igne consumẽdum Sibyllina carmina prædicunt. 720.c
Munera donata ab Abraham filijs Cæturæ. 51.e
Munera Magorum eadem. 51.e
Municipia non cogebantur viuere iure Romanorum. 400.a
Municipia colonijs præstabant. 580.b
Munus diaconorum. 236.c
Mures aurei apud arcam fœderis. 507.b
Murus Hierusalem cingens triduo a Tito construitur. 691.d
Muscæ ad vlcus, prouerbium. 442.c
Musica quæ damnata. 610.d.e. 612.d
Musica instrumenta diuersi generis in ecclesia. 613.a
Musicas leges sine mutatione publicarum legum mutari non posse. 610.e
Musicæ vis. 610.b
Musicæ laudes. 611.a
Musonij duo. 710.c
Musonius philosophus Vrbe pulsus. 711.d. 723.b
Musonius Babylonicus magus in carcerem a Nerone detrusus. 653.e
Myrrhæ vsus probatus. 171.b
Myrrham esse quam Indi Benzui vocant. 171.c
Myrrhati vini loco, vinum felle mixtum Iesu exhibitum. 170.b
Myrrhatum vinum minime amarum. 170.c
Myrrhatum vinum vnde dictum. 170.c
Myrrhatum vinum pretiosum. 170.c
Myrrhatum vinum noluit Iesus bibere. 175.c
Myrrhatum vinum cur Christo datum. 170.b
Myrrhatum vinum ab ebrietate præseruat. 171.a
Myrrhæ natura. 173.b. 174.a.b.c
Myrrhæ odore vina condita lautissima. 170.d
Myrrhina vasa olim in magno pretio. 170.c
Myrrhina vasa apud Orientales ex myrrha confecta. 172.c
de Myrrhinis auctoris iudicium. 171.c
Myrrhina vasa vide materiam habent. 171.b
Myrrhinum vinum inter dulcia numeratum. 174.d
in Mysiam venit Paulus. 319.b
Mysteria nominabant veteres Eucharistiam. 158.e
Mysterium non est quod ad populares & vulgares effertur. 265.c
Mysterium Petri visionis. 285.e

N

NAason tribus Iudæ princeps. 12.c
Naim viduæ filius a mortuis excitatur. 116.a
Nænia, funebre carmen, quod canebatur ad tibiam. 110.e
Næniæ & pectoris tunsiones attemperabantur ad modos tibiæ. 110.e
Narcissus Domini discipulus, Athenarũ Episcopus. 542.e
Narcissus Claudij libertus necatus. 542.e
Nardi vnguentum maximi pretij. 121.e
Nardinum oleum incensum in ecclesiis. 550.d
Nardum pisticum vnguentum quale. 120.c
Nascitur Christus in spelunca. 43.e
Nascentes Patriarchæ manu præmissa quid significarent. 2.b
Natali Domini dæmones perterriti. 48.b
Natalis Christi quomodo. 43.e
de Natali die Domini diuersæ sententiæ. 38.39. 40.d.e
Natalis Domini tempus. 40.d
Natalis dies Domini quis apud hæreticos traditus. 40.d
Natalis dies Christi quis apud omnes Catholicos. 41.b
Natalis Domini post mortem Herodis contingeret, si Iosephum sequeremur. 38.a.b
Natalis dies Herodis. 123.c
Natalis Herodis Persius meminit. 123.d
Natalis Virginis quibus Consulibus, qua Olympiade contigit. 17.b
Natalis S. Theodori martyris. 559.b
Natalis S. Felicis. 559.c
Natalitia sanctorum. 557.e
Natalitio Apostolorum interesse debere. 659.c
Natalius hæreticus quomodo confessus. 435.e
Nathanael an idem cum Bartholomæo. 94.c
Nathanael non fuit inter Apostolos, & cur. 94.c
Nathanael a Cana Galilææ. 95.e
Nathanaelem eruditissimum virum Christus non redarguit. 455.b
Natiuitas Domini. 43.c
Natiuitas Virginis priuilegijs aucta. 14.e
Natura docet veram religionem. 721.d
Naufragium Melitæ a Paulo passum, non esse vnum ex tribus in epistola secunda ad Corinthios enumeratis. 537.e. 538.a
Nauigans Iudæus superstitiose clauum sabbato reliquit. 6.c
Nauigatio Barnabæ & Pauli. 264.d
Nauigatio Pauli in Syriam. 422.d
Naumachia ab Augusto facta. 670.c
Naumachij Ethnici poetæ nobilis de virginitate præclara sententia. 466.a
Nauta Iudæus superstitiosus. 6.c
in Naxo insula fons vini suauissimi. 96.a
Nazaræi qui. 6.d
Nazaræorum secta, & ritus. 6.d
Nazaræi corruptores Euangelij Matthæi. 289.d
Nazaræi Christiani olim. 72.c
Nazaræi, id est, sancti Dei. 570.c
Nazaræi certo tempore a vino abstinebant. 569.e
Nazaræi voto obligati, se Corban nominabant. 422.c
Nazaræi capita radebant. 570.b.c
Nazaræi consortio Ebionæorum infamati. 706.c
Nazaræi quousque tolerati sunt in Ecclesia. 706.a

Nazarenorum Euangelium ex Hebræo a Hieronymo in Græcum translatum. 112.d
Nazarenorum nomen remansit hæreticis. 72.c. 706.b
Nazarenorum hæreticorum duplex genus. 72.c
Nazarenum, id est, Christum Iudæi spernentes, Florum merentur. 657.e
Nazarenus Christus dictus. 72.b
Nazaræorum & clericorum differentia. 570.c.d
Nazaræorum votum. 422.c
Nazaræorum hæresis vnde, & vbi initium habuit. 706.a
Nazareth viculus in Galilæa iuxta montem Tabor. 71.e
in Nazareth duæ celebres ecclesiæ. 71.e
Nazareth in qua sit ex duabus Galilæis. 72.d
Nazareth relicta, venit Iesus Capharnaum. 104.a
Nazareth Christus reducitur. 71.a
in Nazareth domus S. Mariæ. 71.e
Lauretum miraculose translata. 71.e. 72.a
Nectarius a Nouatianis deceptus, vt Socrates refert. 440.b
Nectarij factum male interpretati Nouatiani. 442.c
Nectarius pœnitentiarium deposuit, non pœnitentiam proscripsit. 439.d
Nεανὶς vox quid significet. 262.e
Negatio Petri. 162.d
Negatio Petri vbi. 162.e
Nephasoth apud Hebræos quid. 114.d
Nepotis hymni. 612.d
Nereus & Archilleus a Petro conuersi. 744.a
Nero a Claudio adoptatus. 411.a
Nero in Imperio succedit Claudio. 445.b
quot annis imperauit. ibid.
Nero vestigia pedum vnguentis vngebat. 120.d
Nero per leonem significatur. 347.c
Nero erga Iudæos propensior. 445.b
Nero Agrippam Regem quatuor ciuitatibus donat. 445.b
Nero exordio Imperij mansuetissimus. 445.c
Nero Claudij filium Britannicum veneno sustulit. 521.a
Nero quando incontinens factus est. 521.a
Nero Ismaelem & Chelciam detinet. 587.d
Nero Agrippinæ matri mortem infert. 624.e
Nero Pallantem interimit. 637.b
Nero quid in incendio Vrbis. 638.d
Nero Christianos persequitur. 638.b
Nero nouæ condendæ vrbis gloriam quærere videbatur. 638.e
Nero parricida matris, & vxoris, auriga, histrio, & incendiarius. 638.d
Nero ad necandos quos vellet calumnijs vsus. 639.e
Nero creditus incendiarius. 638.d
Nero se Vrbem incensurum prædixerat. 638.d
Nero cur Vrbem incenderit. 638.e. 640.a
Nero Senecæ concedit, vt quam sibi vellet mortem pararet. 643.e
Nero dijs imperare per magiam concupiuit. 648.c
Nero Poppæam vxorem ictu calcis percussam occidit. 643.e
Nero Tyridatem magum ad se vocat. 648.c
Nero omnis magiæ generis princeps. 648.c
Nero probos omnes insequitur. 652.d
Nero Baream Soranum cum filia Seruilia & Thraseam Pætum interficit. 652.e
Nero philosophos ab Vrbe exegit. 653.c
Nero magos mutata sententia odio prosequitur, & cur. 653.e
Nero Musonium Babylonium magum in carcerem trudit. 653.e
Nero vt Isthmum foderet, in Achaiam nauigauit. 655.b
Nero in Olympicis certans, superans omnes aurigas & citharœdos, coronatur. 655.b
Nero ex Achaia Romam rediit. 665.c
Nero impudicissimus. 521.a. 652.b
Nero Antichristus fuisse creditus, sed falso. 684.a
Nero adhuc viuere falso creditus. 684.d
Nero perterritus, a nece Christianorum se abstinuit. 681.c
Nero in visu perterritus. 681.c
Nero quando animo consternatus. 681.d
Nero templum Dianæ Ephesinæ spoliat. 508.a
Nero sub quo Consulatu obijt. 683.c
Nero quibus ex causis Petrum & Paulum in carcerem comecit. 652.b.c
Neronem in fine sæculi venturum, & ab Antichristo occidendum, quidam fabulantur. 684.b
Neronem se esse fingens seruus multos exterret. 684.c
Neronis in mensam fulmen illapsum. 625.b
Neroni Simon magus carissimus. 648.c
Neronis domesticos nonnullos ad fidem conuersos. 594.a
Neronis stagnum vbi. 670.d
Neronis clementia. 445.c
Neronis tempore lapsus Simonis magi. 330.c
Neronis durum iudicium aduersus Paulum. 593.a
Neronis Circus in Vaticano ad equos agitandos. 670.b
a Neronis tempore vsque ad Domitianũ nulla in Ecclesiam excitata persecutio. 678.e
Neronis sæuitia. 637.b
Neronis in coniuratos sæuitia. 643.d
Neronis tempore quæ prodigia. 673.d. quid significarent. 673.e
Neronis fuga. 683.d
Neronis obitus. 683.d
Neronis studiosus Rex Parthorum. 684.d
Nerua a Domitiano in exilium mittitur. 726.b
Nerua Romam reuocatus, a Domitiano Consul designatur. 726.e
Nerua Apollonij Tyanæi consuetudine vsus. 727.a
Nerua Imperium capessit. 745.c
Nerua optimus Imperator respectu Domitiani. 745.d
Nerua Christianos relegatos reuocat. 745.d
Nerua tributa Iudæis relaxat. 745.e
Nerua Traianum adoptat. 753.a
Neruæ edictum, ne liceret impietatis accusare qui deos non coleret. 745.d
Neruæ obitus. 753.a
Nestorius hæreticus. 322.d
Nicanor vnus ex septem diaconis. 249.d
Nicanor diaconus vbi & quando occisus. 249.e
Nicasius Rhotomagensis Episcopus. 548.a
Nicæna Synodus Symbolo Apostolorum quæ addidit, & cur. 317.c
Nicæni Concilij canonis, mulierum cum clericis habitationem prohibentis, explicatio. 529.c
Nicæni Concilij canon aduersus bigamos. 533.a
Nicephori error de tempore Euangelij Matthæi. 288.e
Nicephori Chronici error de numero annorum, quibus sedit Iacobus. 626.d
Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus ad Leonem Tertium dona mittit. 548.a
Niceta Choniata quid de Alexio Imp. 607.d
Nicetius Episcopus Treuerensis nascitur cum corona clericali. 573.d
Nicodemus Christi discipulus a Iudæis anathematizatur, de ciuitate ejicitur, & a Gamaliele suscipitur. 249.e
Nicodemus ad Iesum nocte venit. 98.e
Nicolaitarum errores. 646.e. 647.e
Nicolaitæ impurissimi a Petro & Iuda exagitati. 646.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nicolaitæ falso sibi nomen Nicolai assumebant. 647.a
qua occasione. ibid.c
Nicolaitæ beatitudinem in voluptate constituebant. 648.a
Nicolaitæ se Gnosticos nominabant. 648.b
Nicolaitæ in varias sectas diuisi. ibid.
Nicolaus Papa Michaelem reprimit in Latinam linguam insultantem. 78.d
Nicolaus orator pro Archelao & Herode. 71.a
Nicolaus diaconus, Episcopus Samaritanorum. 647.c
Nicolaus falso in crimen adducitur. ibid.c
Nicomedes presbyter. 675.e
Nicomedia & Nicæa Bithyniæ oppida. 315.e
Nicopolis ciuitas Emmaus nuncupatur. 204.a
Nicopolis ciuitas iuxta sinum Ambracium. 521.b
Nißæi equi. 55.a
Nocte nascitur Christus, & qua hora. 41.c
Noctem flumine purgare quid. 483.e
Nocturnarum vigiliarum quis modus. 401.c
Nocturnæ conuocationes quæ. ibid.
Nomen Iesu super omne nomen admirabile. 49.c
Nomen quando indebatur infanti a Gentilibus. 31.d
Nomen diuitis epulonis. 137.c
Nomen tetragrammaton quid posset. 431.c
Nomen presbyteri etiam Apostolis commune. 525.a.b
Nomina Eucharistiæ. 155.a.b
Nomina Iudæorum quæ fuerint. 2.c
Nomina diuersa excõmunicationis, & absolutionis. 450.b
Nomina septuagintaduorum discipulorum. 136.a
Nomina quatuor partium diei apud Iudæos. 192.c
Nomina diuersa quibus ecclesia appellatur. 490.a
Nomina Hebraica cur in Ecclesia retenta. 506.a
Nomina martyrum insigniorum sub Domitiano. 745.b
Nominatim in synaxi Christiani requirebantur. 480.a
Nomini proprio filij nomen patris subiiciebatur. 22.d
Nominum nouorum inducendi forma, cum res exigit, ab Apostolis Ecclesiæ tradita. 308.d
Nonis Ianuarij fontem aquam fluere vini sapore. 95.a
Norbanus Consul Romanus. 29.a
Norbani Flacci litteræ pro Iudæis. 299.c
Notariorum munus in Ecclesia. 338.a
Nouatianus hæreticus non fuit chrismate signatus. 256.b
Nouatiani baptizatos non inungunt sacro chrismate. ibid.
Nouatores plus tribuunt Iosepho, quàm Euangelio. 27.e
eorum confutatio. ibid.
Nouatores Ioannem Baptistam delicioſæ vitæ infamant. 90.c
Nouatores quæcumque ignorant, blasphemant. 32.e
Nouatores nostri sæculi. ibid.
Nouatores confutati de bonis in cõmune reducendis. 232.e
Nouatores abutuntur, vt alijs, voce Dominicæ cœnæ. 154.d
Nouatores hæretici Chrismatis sacramentum negantes. 256.b
Nouatores odio prosequuntur monachos. 633.e
Nouatorum intentio in conscribenda historia Ecclesiastica. in præf. pag. 1.
Nouatorum vesania de tempore descriptionis factæ a Quirino. 27.d
Nouatorum insania de Ioanne Baptista. 90.b
Nouatorum error de S. Petro confutatus. 129.b
Nouatorum error de vectigalibus a sacerdote pendendis. 133.d
Nouatorum hallucinatio confutata. 253.c
Noui Iouis illustris Caij titulus. 301.b.c
Nouissima hora quæ. 512.c
Nox in quatuor partes diuidebatur etiam apud Iudæos. 192.c
Nubere in Domino quid. 462.b
Nudis pedibus incedere Christiani consuenerunt. 479.a
Numæ Pompilij ordinatio. 339.c
Numeratio annorum mundi quomodo ab Ecclesia obseruata. 40.b
Numeri abbreuiandi vsus. 135.c
Numerum ciuium Romæ censitorum sub Claudio. 380.a
Numerus hostiarum, & comedentium in die Paschatis. 148. b.c
Numerus Iudæorum fame consumptorum. 697.a
Numerus occisorum & captiuorum in bello Iudaico. 695.b
Numidæ Episcopi a Petro ordinati. 541.b
Numidius Quadratus Syriæ Præses. 378.d.e
Ananiam summum Pontificem, & Ananum ducem Romam mittit. 379.a
Numisma census quid differat ab vsuali moneta. 142.a
Numisma census quanti pretij. 142.b
Numisma Titi Imp. quale. 142.b
Numismata tributorum a ceteris vsualis pecuniæ nummis differebant. 142.a
Nuptias non sine Missa & communione celebrari. 662.d.e
Nuptias & cibos detestantes qui. 511.e
Nuptiæ occultæ & clandestinæ. 340. e. 463.a
Nuptiæ occultæ a Christianis damnatæ. 463.a
Nuptiæ Christi præsentia sacratæ. 95.b
Nuptiæ spirituales. 477.b
de Nuptijs Ioannis Euangelistæ sententia ridicula. 95.c.d
in Nuptijs Canæ Galilææ quis sponsus. 95.d
Nonensis appellatus dies epulo. 137.c

O

Obelisci in Circo Neronis. 670.c
Obiectiones de ecclesijs ædificandis dilutæ. 481.b
Oblatio panis & vini. 496.c
Oblatio. Vide supra, Collecta.
Oblationes ecclesiasticorum prouentuum inuidiam Imperatoribus mouebant. 471.c
Oblationes non statim in ecclesiam inferebantur. 496.b
Oblationes non ab omnibus recipiebantur. 496.c
Oblationes offerendæ, vt in altari consecrentur. 556.d
Oblationes pro defunctis. 246.c.247.a.b
Oblationum copia. 473.a
Oblationibus sustentati Dei ministri. 471.b
Obseruantia dierum quæ prohibita. 553.d
Obstetricis testimonium de Virg. Maria refellitur. 45.d
Obstetrix longe a partu Virginis. 45.e
refelluntur apocrypha. 45.d
Occasum respiciebat Dominus in cruce pendens. 564.c
Occidens hieroglyphicum tenebrarum. 564.b
in Occidente clerici barbam tondebant, & qua de causa. 577.b
Occidentem versus positi renunciabant diabolo Christiani, & cur. 564.b
Occisionem significat anathema. 505.d
Occisorum & captiuorum numerus in excidio Hierosolymitano. 695.b
Occursus festum. 157.d
Octaua die nomen imponere, mos fuit Iudæorum atque Gentilium. 31.d
Octaua die Christiani lætantur. 555.e
Vide, Dominica.
Octauia honestissima femina Neronis vxor. 637.b
Octauiani Augusti obitus. 77.e
Octauius. Vide, Augustus.
Octauius ante pugnam Imperator appellatus. 35.d
Octauius Consul anno ætatis suæ vigesimo. 35.d
Octauius

Octauius. Vide supra, Augustus.
Olei & aquæ benedictio. 632.a
Oleo ad inungendos infirmos nullus antiquorũ Prophetarum vsus. 630.e
Oleum e Taberna Meritoria. 11.a
Oleum e terra Romæ erupit. 11.a
Oleum lampadũ quàm mirabilia operetur. 428.b. 550.e
Oleum sanctum duplex. 630.e
Oleum infirmorum. 630.e
Oleum sacerdotali benedictione virtutem diuinam consequi. 631.a.c
Oleum ad diuina miracula adhiberi solitum quod. 631.e
Olineti mons lampadibus plenus quando. 552.a
in Olineti monte contra Hierusalem primum castra posita. 141.c
Olineti mons adiacet Hierosolymis a plaga Orientali. 134.d
in Olineti monte ecclesia aperto cacumine. 217.e
Olineti mons quantum distet ab Hierosolymis. 213.d
Ollulæ Rhodiacæ quæ. 171.a
Olympas & Herodion martyres. 680.c
Olympiade qua natus sit Dominus. 34.c. 38.c
Olympiades ad supputanda tempora perutiles. 34.c
Olympiadum anni vnde numerari soliti. 37.d.e
Onesimum Gentilem fuisse. 614.c
Onesimus Philemonis seruus a Paulo commendatur. 614.c
Onesimus post Timotheum Episcopus Ephesinus. 614.d.
martyrio coronatus. 614.e
Onesiphorus Pauli hospes. 364.c
Onesiphorus Paulum Romæ inuisit. 593.e
Onias summus Pontifex. 18.e
Onion templum ab Onia ædificatũ, & qua occasione. 704.b
Onion templum Iudæorum in Ægypto demolitum. 704.a
Onufrij Panuinij Fasti vno anno discrepant a Fastis Cassiodori. 37.c
Onufrius Panuinius erroris arguitur. 330.c
Onychina vasa. 171.d
de Opificio manuum. 408.e
Opificium exercebant discipuli Iudæorum. 409.c
Opificium apud quos ignobile. 409.d
Opificium Pauli quod. 409.d
Opinio illa, quòd Petrus fundauerit Ecclesiam Romanam prius quam Antiochenam, refellitur. 271.e
Opinio vulgata de mundi casu. 720.c
Opiniones de causa deperditi Iesu. 74.d
Opinioni ab Ecclesia receptæ inhærendum. 116.d
Opportunitate bene vsi Christiani. 721.b
Optatus Mileuitanus. 93.e. 617.a
Optimates vnde. 534.b
Optimi viri titulus in magistratibus constitutis impartiri solitus. 534.a.b.c
Optimi cognomen quantæ olim excellentiæ. 534.a
Oracula de Vrbis interitu tamquam falsa Tiberius redarguit. 81.c
Oraculum, seu logion. 80.c
Oraculum Apollinis Delphici quando & cur occlusum. 10.a
Orando pectus tundere vnde tractum, & quid significet. 565.e
Orans Dominus ab Angelo confortatur. 161.c
Orantes manus extollere, & expandere solebant. 565.c
Orare ad Orientem, Apostolica traditio est. 563.d
Orare genibus flexis quid significet. 564.e. 565.a
Orare stantes solent Christiani quando, & cur. 565.a
Orare sedendo, extra disciplinam est. 565.d
Orare detecto capite, Apostoli institutio est. 564.d
Orare iunctis manibus quid significet. 565.e
Oratio Herodis ad Iudæos. 67.c
Oratio Domini in horto. 161.c
Oratio Pauli in Areopago. 404.e
Oratio Gregorij Nysseni populi frequentia intermissa. 559.c
Oratio in Cathedræ Petri festiuitate ex Ritualibus antiquis. 341.d
Oratione legio Christiana victoriam reportauit. 565.c
Orationis horæ tres. 224.a.b.c
quinque & septem. ibid.d
Orationis locus. 215.e
Oratorij congregatio. 502.c
Oratorium. 502.c
Oratorium in Vrbe erectum, & eius forma. 502.c
Oratorium S. Hieronymi. 502.c
Oratorium sanctæ Crucis in basilica sancti Petri. 489.d
Oratorium S. Michaelis Archangeli nequaquam ab hæreticis erectum. 607.a
Oratorium S. Michaelis Archangeli Colossis. 607.a.b
Oratorum mos, manum extendere, & quomodo. 586.b
Orbis in institutione quæ facta, ea in eiusdem restitutione adimpleta. 43.d
Orbis status tempore Christi. 7.b
Orbis descriptio facta ab Augusto, & eius causæ. 31.e
Orbis descriptio geometrica cœpta a Iulio Cæsare, absoluta ab Augusto. 33.b
Orbis terrarum quando metiri cœpit. 33.b
Orbis continentia ad Senatum perlata. 33.c
Ordinandi cur non bigami. 532.c
Ordinatio, & ordo quid. 337.a
Ordinationis mysterium. 239.a
Ordinatione Catholici ab hæreticis discriminantur. 336.e
Ordinationes quales fieri solitæ ab Apostolis. 336.d
Ordinationes ex prophetia veniebant. 336.d
Ordinationes apud hæreticos quæ. 338.c
Ordinationes non sine sacrificio & ieiunio fiebant ab Apostolis. 338.e
Ordinationes Episcoporum ex Apostolorum traditione. 339.c
Ordines Ecclesiastici septem. 337.d
Ordines inferiores non habent ius in subiectos. 538.c
Ordines Ecclesiasticos ab officijs distinctos. 338.a
Ordo Iudæorum in synagogis. 74.a
Ordo seruari solitus a Iudæis in publico conuentu. 57.e. 58.a
Ordo clericorum in plures ordines distinctus. 337.c
omnes ab Apostolis institutus. 337.d
quæ sint eorum nomina ex Ignatio. ibid.
Ordo sacer sacramentum est. 538.d
Ordo Romanus quo anno Christum baptizatum profitetur. 36.e
Ordo Romanus de cereorum accensorum significatione. 550.d
Ordo personarum in ecclesia. 456.b. 488.d
Ordo locorum in ecclesia. 488.d
Ordo in Eucharistia conficienda, & distribuenda. 496.b.c
Ordo in conuiuijs Iudæorum. 125.d
Ordo festinitatum. 557.a
Oriens Christus appellatus. 564.a
Oriens pars mundi ad orandum destinata, cur. 563.d
Orientales non quotidie communicare solitos. 449.e
Orientales sacra Apostolorum corpora surripere attentarunt. 672.a
in Orientali Ecclesia monachos & clericos numquam barba rasos. 577.c
Orientalis Ecclesiæ vsus de habitatione mulierum cum clericis prohibita. 529.c

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orientalis Ecclesiæ consuetudo in psallendo qualis. 611.e
in Oriente positus paradisus terrestris. 564.b
Origenes de traditionibus. 417.e
Origenis sententia de Magis. 50.d
Ornamentum capitis summi Pontificis quale fuerit. 240.b
Ornatus capillorum quantum Deo displiceat in virgine. 477.e
Orosij error de tempore cladis Varianæ. 76.b
eiusdem error de tempore Seiani. 138.d
Orthosia oppidum. 315.d
Oseuli genus duplex. 350.b
Oseuli vsus apud Romanos, Tiberij lege prohibitus. 349.c
Oseuli sancti vsus in oseulum tabellæ mutatus. 350.d
Oseulum sanctum quale. 349.e
Oseulum pacis. 349.e
Osius Cordubensis. 487.b
Osorius de cruce S. Thomæ apud Brachmanos. 484.e
Ossa gigantum in Hebron. 177.a
Ossa humana sparsa a Samaritis per porticus Salomonis, & per totum templum. 102.e
Ossenorum hæresis. 706.d
Ostiensis porta, eadem Trigemina dicta, vbi pauperes stipem accipere soliti erant. 666.e
Otho Imperium arripit, occiso Galba. 685.e
Otho sibi ipse mortem conscinit nonagesimoquinto sui Imperij die. 686.a
Otreius Episcopus Melitensis. 572.e
Οὐσία vnde dicatur. 374.e
Ouem & hircũ mactari non patiebantur Aegyptij. 302.d
Ouidij carmina de conflagratione mundi. 720.d

P

Paci simulacrum positum. 47.c
Paci Aeternæ, inscriptio templi, & nummi. 47.c
Pacianus antiquus Theologus. 384.d
Pacianus quo Imperatore claruit. 443.b
Pacis templum, commentum de eo refellitur. 46.d.e
Pacis templum quando erectum. 47.a. 716.a
Pacis templum quando collapsum. 46.c
Pacis templum quando incendio conflagrauit. 47.d
Pacis templum cur voluerit Vespasianus ædificare. 716.a.b
in Pacis templo reposita ornamenta templi Hierosolymitani. 716.a
Pacis osculum. Vide supra, Osculum.
Pacorus Parthorum Rex contra Romanorum exercitum quid. 637.b
Palæstina pacem habuit, Herode & Archelao regnante. 28.a
Palæstina quando dici Iudæa cœpit. 2.c
Palæstina sub Syria continebatur. 30.a
Palæstina diuisa in tetrarchias. 71.a.b
Palæstina & Hierosolyma Antiochiæ subiacebant. 271.b
Palæstinæ totius fines. 145.d
Pallas germanus Felicis Iudææ Præsidis. 445.c
Pallas Claudij libertus a Nerone de medio tollitur. 637.b
Palliati atque togati conuiuæ accumbere soliti. 152.c
Palliati incedebant Christiani. 479.c
Pallij nomen. 78.a
Pallij vsus inter Romanos a quo tempore. 478.c
Pallij forma describitur. 478.e
Pallio vti Romanis non vetitum. 78.b
Pallio non necessario Christiani vtebantur. 479.d
Pallium Pharisaicum. 5.c
Pallium, abiecta toga, Christiani induebant. 478.c
Pallium a communi vsu ad monachos cessisse. 479.d
Pallium ab Apostolis accepisse Christianos potius, quàm a Græcis. 478.e
Pallium quatuor angulos habebat. 478.e
Palma Græcum ad Romanos illapsum. 78.a
Palma quæ ad multa sæcula perduranit. 141.b
Palmæ hieroglyphico Iudæa expressa. 746.a
Palmarum ramos ferendi mos. 140.b.d
Pamelius scholiastes. 47.a
Pan mortis historia ab Eusebio ex Plutarcho recitata. 181.d
Pan vel hominem fuisse, & iamdiu mortuum, vel dæmonem, & mori non potuisse. 182.b
Pan, quem colebant Gentiles, ex Mercurio & Penelope natum. 182.a
Pan mortuus, Christus Dominus a quibusdam intelligitur. 181. 182.a
Pancratius Tauromenij Episcopus venit cum Petro Romam. 322.a
Pandia, Diasia, Dionysia populari epulo celebrabantur. 340.b
Panes propositionis. 25.b
Panis post consecrationem in Eucharistia efficitur corpus Christi. 158.b.c
Panis frangendi mentio in Scripturis tantum, cur. 545.e
Panis decussatus quid. 546.d
Panis decussati forma. 546.e
Panis quadrifida incisio. 546.b
Pantænus philosophus Christianus. 324.a
Paneada Cæsaream dici voluit Philippus Tetrarcha. 79.c
Paneada Phœnices Cæsaream Philippi vocabant. 109.e
Paneade a Syrophœnissa Christi imago erecta. 109.e. 484.b
Panther filius Leui genuit Barpantherem. 15.c
Papias Ioannis discipulus. 163.e. 164.a.c
Paphnutius quomodo in Nicæno Concilio pro vxoratis Episcopis intercesserit. 529.d
Parabolæ Iesu diuersæ. 122.b. 136.d. 137.b. 141.e
Parabolæ de decem virginibus, & talentis distributis. 143.a
Parabolarum vsus. 115.b
Paradisus terrestris in Oriente positus. 564.b
Paragorius Episcopus vxorem iussu canonum reliquerat. 529.c
Paralyticus cur demissus per tegulas. 108.c
Parasceue, licet Græca vox sit, ea tamen vti consueuere Iudæi. 189.d
Parasceue quando desinebat. 148.d.e
Parasceue dies, qui Pascha præcedit, dictus est cœna pura. 191.c
Parasceue Paschæ, id est, Sabbati, quia cum Paschate incidit in die passionis Domini. 149.b
Parasceue quid esset. 149.b
Parasceuen Christiani Græci diem Veneris appellant. 189.d
Parthi & Bassoræ a Ioanne fide imbuti. 323.a
Parthi locustis vescuntur. 89.e
Parthos adijt Ioannes Apostolus. 323.a
Particulas, quas nos dicimus, buccellas dici solitas. 497.e
Partitio Iudæorum regni facta ab Augusto. 71.b
Pascha quando a Domino celebratum. 147.c
Pascha Christo vbi paratum. 146.b
Pascha & Azyma eadem die celebrata. 147.c
Pascha & Azyma circa Christi tempora post æquinoctium agebantur. 148.a
Pascha qua die mensis celebraretur. 148.a
Pascha manducare quousque extendebatur. 148.e
Pascha idem quod Phase. 149.a

Pascha item dicebatur singuli septẽ dies Azymorũ. 149.b
Pascha & parasceue Paschæ quomodo simul incidunt. 150.b.c
Pascha translatum tempore Ezechiæ Regis. 150.e
Pascha in sabbatum translatum mere fictitium est. 147.a.c. 149.c.d. 150.a.b
Pascha Iudæorum nonnisi in plenilunio. 148.a.b
Pascha a Domino celebratum cum alijs Iudæis commune. 151.a
Pascha intercisum fuisse, falsum est. 151.a
Pascha primum a Ioanne recensitum, incidisse in annum Domini trigesimumprimum, & quid inde sequatur. 187.b
Pascha die Dominico celebrandum, Petrus instituit. 553.c
Paschæ & Pentecostes nomina retinuit Ecclesia. ibid. d
Paschæ festum non agendum vt Iudæis. 553.b
in Paschali conuiuio Iudæos bis lauari solitos. 151.e
Paschali tempore quisque hostiam mactabat. 148.b.c
Paschalis solemnitas diuersa ab ea, quæ est Azymorum. 147.e
Paschali tempore obsessa Hierosolyma. 690.c
Paschali festo curialis homo impurus diuinam vltionem expertus. 483.e
Paschata quatuor post baptismum Christi per annos singulos deuoluta. 187.a
Paschate solum epulari non licebat. 148.b
Paschate a nona hora vsque ad vndecimam mactabant hostias. 148.b
Paschata numeranda a primo post nuptias in Cana Galilææ celebrato quot. 112.c
Paschatis die Christus in cruce immolatur. 151.b
de Paschatis die a Domino celebrato sententiæ diuersæ. 146.d.e. 147.c.d.e
Paschatis die hostiarum numerus, & comedentium. 148.b.c
Paschatis dies certus apud Iudæos. 150.d.e
Paschatis celebrandi ritus. 148.a
Passio Christi sacrificium. 156.c
Passio Theclæ qualis. 365.c. 366.
de Passione Domini meditationes piæ, & reuelationes. 182.e
Passionis Christi instrumenta. 184.b
Pastophorium quid significet. 482.b
Pastophorium quem in ecclesia vsum haberet. 482.b
Pastores ad præsepe Domini quot. 47.d. 48.a
Pastoris nomine titulus erectus in Viminali. 597.e
Pastorum trium nomine ecclesia erecta. 48.a
Patulæ quadræ quæ. 546.b
Pateram Maximus Imperator Martino ante se dare iubet. 456.b
Patibulo appensus, eodem die sepeliebatur apud Iudæos. 150.d
Patmos insulæ descriptio. 728.a
Patres vsi Sibyllarum testimonijs. 8.c
Patriarchæ non capita Ecclesiæ, sed membra. 2.b
Patrocinium Iudæorum susceptum a Christo. 390.e
Patrum auctoritates de veritate corporis Christi in sacramento Eucharistiæ. 156. 157.
Paula in spelunca Saluatoris quæ considerauerit. 44.e
Paulæ funus. 245.d
Paulæ monasterium. 562.c
Pauli natale solum. 263.b.c
Pauli conuersio quando. 242.a. 261.b
Pauli nomen a quo inditum, quando, & cur. 265.a.b.c
Pauli cognomen Aemiliorum familiæ. 265.a
Pauli raptus quo anno contigerit. 341.a
Pauli & Barnabæ contentio. 393.c
Pauli peregrinatio, vbi soluit Corintho. 422.d
Pauli peregrinationis comes quis dictus sit. 398.c
Pauli oratio in Areopago. 404.e
Pauli sudaria quid, & semicinctia. 426.c
Pauli eloquentia qualis fuerit. 447. per totum
Pauli cælibatus multis probatur. 469. 470.a.b.c
Pauli penula quid. 547.c
Pauli admonitio de pace ad Philippenses. 600.b
Pauli oratio ad maiores natu Ecclesiæ Ephesi. 550.e
Pauli oratio ad populum Hierosolymis. 579.d.e
Pauli nepos insidias detegit. 182.a
Pauli gratia, virtus Melitæ concessa. 589.e
Pauli causa coram quibus acta Romæ. 590.c
Pauli peregrinatio in Asia bis. 604.d
Pauli cum Sila peregrinatio. 396.b
Pauli sigillum quod. 619.e. 620.a
Pauli Acta apocrypha quæ fuerint. 621.c
Pauli res gestæ in Hispania obscuræ remanserunt. 623.a
Pauli fuga e carcere. 666.c
Pauli cernice abscissa lac pro sanguine fluxit. 667.e
Pauli ætas post conuersionem. 262.a
& ante conuersionem. 262.d.e
Pauli prædicatio. 263.a
Pauli mors quo anno eius vitæ acciderit. 263.a
Pauli natiuitas quo anno fuerit. ibid. b
Pauli visionis tempus. 264.b
Pauli prædicatio Damasci. 265.e
Pauli in Arabiam profectio. ibid.
Pauli reditus Damascum. 266.d
Pauli res gestæ Antiochiæ. 388.b
Pauli verba elucidata, cum ait: In faciem ei restiti. 392.d
Pauli & Silæ preces nocturnæ. 400.b
Pauli & Silæ e carcere liberatio. 402.a
Pauli pugna cum bestijs. 425.e
Pauli res gestæ Romæ. 592.c
Pauli hospitium vbi Romæ fuerit. 592.e
Pauli sepulchrum. 672.d
Pauli effigies, & statura. 668.c
Pauliani qui. 448.e
Paulini carmen de amictu Ioannis Baptistæ. 89.c
Paulini carmen de tribus miraculis in Epiphania. 96.e
Paulini carmen de cantharo in atrio ecclesiæ Vaticanæ. 482.e
de martyrio Lucæ. 624.b
Paulini carmen de pastophorijs ecclesiæ. 482.b.c
Paulinus presbyter Barchinonensis. 487.c
a Paulino Tyriorum Episcopo nobile templum erectum. 482.d
Paulo creditum esse Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis, quomodo intelligendum. 384.b
non propterea limitata potestas. 387.a
Paulo donantur animæ omnes, quæ secum erant in naui. 589.b
quot numero. 589.c
Paulo etiam dictum a Domino ferunt: Denuo debeo crucifigi. 666.c
Paulo vbi Christus apparuit, locus ecclesia nobilitatus. 266.a
Paulum in Hispanias profectum, quinam auctores testantur, multisq. hæc firmatur opinio. 622.c
Paulus Stephani partus. 243.c
Paulus quid de Sibyllis. 8.a
Paulus ante conuersionem quid. 261.d
Paulus impugnator sectæ Galilæorum. 64.c
Paulus Hierosolymam venit Damasco. 268.e
Paulus qua occasione commotus Petro restitit. 392.c
Paulus & Silas præcones legum ab Apostolis sancitarum. 396.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paulus & Silas virgis cæsi. 400.b
Paulus vbi nascitur, an Giscali. 263.e
Paulus mittitur ad Ananiam. 213.a
Paulus in Hebræo mirabilem sonat. 264.e
Paulus de se testatur, ante abijsse in Arabiam, quàm ad Apostolos Hierosolymam veniret. 268.e
Paulus per murum in sporta demittitur. 269.b
Paulus cur ab Aretæ Regis Præposito ad mortem quæreretur. 269.b
Paulus Hierosolymam ascendit videre Petrum honoris causa. 269.d
Paulus ascendit Hierosolymam, vt Euangelium cum Petro conferat. 270.a
Paulus, Stephanus, & Barnabas Gamalielis discipuli. 270.a
Paulus a Barnaba ad Apostolos introducitur. 270.b
Paulus & Barnabas legati missi Hierosolymam. 253.e
Paulus e Saulo quando dictus. 264.e
Paulus contestatus Iudæos transit ad Gentes. 362.c
Paulus & Petrus simul in fundatione Romanæ Ecclesiæ nominantur. 288.d
Paulus vna cum Petro Romanam Ecclesiam consecrauit. 288. e
Paulus in quo minor Petro. 208.e
Paulus cur se abortiuum appellat. 336.c
Paulus linguis omnium loquebatur. 353.d
Paulus Ioannem cognominatum Marcum, olim reiectum, iterum secum assumit. 357.c
Paulus & Barnabas Sergium Paulum ad fidē conuertunt. 361.d
Paulus & Barnabas pro dijs habentur. 367.b
Paulus lapidatur. 367.c
Paulus an interfuerit funeri Virginis Mariæ. 368.e
Paulus non solum Euangelij præco, sed & Apostolicarum sanctionum. 396.b
Paulus & Silas carceri mancipantur, custodem carceris ad fidem conuertunt & baptizant cum omni domo eius. 402. a. b
Paulus Ephesum venit. 422.d
Paulus Athenas venit. 403.e
Paulus manet cum Aquila & Priscilla. 408.d
Paulus vbique manibus operatur. 408.e.409.a
Paulus conuertitur ad Gentes. 410.d
Paulus Crispum baptizat. 410.e
Paulus an ex voto caput totonderit. 422.b
Paulus tribus annis Ephesi moratur, & eorum ratio. 424.a
Paulus Ephesi quid. 424.a.d. 425.a.b.c.d.e
Paulus an Ephesi ad bestias damnatus. 425.b
Paulus an vmbra mortuos suscitauerit. 427.d
Paulus quomodo sermone imperitus. 447.c
Paulus Græcos poetas citare consueuit. 8.a
Paulus aræ titulum ad sui argumenti rationem accommodauit. 8.b
Paulus cur dictus Apostolus Gentium. 387.e
Paulus Marco assumpto Cyprum nauigat. 394.c
Paulus tertium iam annum Ephesi agens cōsilium init Romam veniendi. 445.e
Paulus qualis in scribendo. 447.c
Paulus Corinthijs comminatur. 537.b
Paulus quando raptus ad tertium cælum. 341.a
Paulus quam religionem Angelorum damnat. 604.e
Paulus Ecclesiasticarum causarum cognitores instituit. 458.e
Paulus se cælibem aperte profitetur. 466.c
Paulus habuit sororem germanam. 468.b
Paulus recedit Epheso. 510.b
Paulus abijt in Macedoniam. 510.e
Paulus Ephesi Timotheum Episcopum relinquit. 511.c
Paulus in Macedonia quid. 511.c
Paulus vbi primam ad Timotheum scripserit epistolam. 511. c
Paulus prædicit Timotheo venturas hæreses. 511.e
Paulus apud Macedones de Corinthijs gloriatur. 536.a
Paulus incestuosum excommunicat. 449.a
Paulus incestuosum indulgens absoluit. 536.b
Paulus quæ passus sit. 537.c
Paulus ter Corinthum venit. 538. c
Paulus Corinthi quid. 410.d
Paulus super alienum fundamentum non ædificauit. 538.e
Paulus commendat Ecclesiam Thessalonicensem. 540.e
Paulus cur in epistola ad Romanos non meminit Petri. 540.e
Paulus quos cognatos appellet. 543.b
Paulus multos nominatim salutat. 542.d.e
Paulus Troade quid. 545.a
Paulus penulam & libros Troade reliquit. 547.c
Paulus Samum peruenit, inde Miletum. 552. c
Paulus a suis vix diuellitur. 552.c
Paulus Trogylij commoratur. 552.d
Paulus cur tantopere festinaret Pentecosten Hierosolymis agere. 552.d.e
Paulus festa non abstulit. 553.d.e
Paulus Coum, Rhodum, & Pataram venit. 561.c
Paulus orat in littore. 561.c.d
Paulus abstemius fuisse probatur. 569.e
Paulus venit Hierusalem ante Pentecosten. 552.d.e
Paulus in magno Concilio orat. 581.a
Paulus senioribus morem gerit. 569.d
Paulus Nazaræorum munus explet. 569. e
Paulus captus Hierosolymis. 579.b
Paulus a Tribuno esse putatur Aegyptius magus. 579.d
Paulus se ciuem Romanum esse, nonnisi cogente necessitate, aperuit. 579.d
Paulus Ananiæ insiu percutitur. 581.b
Paulus quomodo ignorare potuerit Ananiam esse principem sacerdotum. 581.b.c
Paulus inter Pharisæos & Sadducæos miscet discordiam. 581.e
Paulus insidijs Iudæorum appetitur. 581.e
Paulus ad Felicem ducitur. 583.a
Paulus ad Gallionem ducitur. 421.e
Paulus in profundo maris, & eius interpretatio. 538.a
Paulus coram Felice agit. 73.d
Paulus quo anno Romam missus. 584.e
Paulus quo anno Hierosolymam venit. 381.e
Paulus Cæsarem appellat. 585.c
Paulus causam suam orat, Agrippa & Berenice præsentibus. 586.a
Paulus semper cælebs. 470.a
Paulus erat Pharisæus ante Apostolatum. 470.b
Paulus quando electus Apostolus. 336.c
Paulus Romam nauigat. 424.b. 590.d
Paulus tempestatem prædicit. 588.a.b
Paulus a vipera inuaditur. 589.e
Paulus quamdiu Melitæ mansit. 590.a
Paulus Publij patrem sanat. 590.a
Paulus Publium ad fidem conuertit, & Episcopum Melitensibus præfecit. 590.b
Paulus e Melita insula Romam ductus. 590.c
Paulus non suos sanat, sed externos. 590.c
Paulus quo die Vrbem ingressus, quo anno Domini. 592.c

Paulus Romæ Iudæos alloquitur. 592.c
Paulus quid coram Nerone egerit. 593.a
Paulus a suis derelictus. 593.a.b
Paulus de ore leonis liberatus. 593.c
Paulus a Philippensibus Romæ in vinculis inuisitur. 593.e
Paulus Timotheum Romam vocat. 595.e
Paulus an scripserit ad Laodicenses. 604.a
Paulus Onesimum Philemoni commendat. 614.d
Paulus e carcere liberatur, quo anno. 693.c
Paulus solutus a vinculis an in Hispanias profectus, & quo iuerit. 621.d.e. 622.c
Paulus, sicut & Petrus, docuit Occidentales. 623.b
Paulus spopondit Corinthijs suum aduentum, sed videtur prohibitus. 621.d
Paulus quantum superuixerit post liberationem a vinculis. 621.e
Paulus qua ex causa post biennium liberatur. 623.d.e
Paulus a Luciano describitur. 644.c
Paulus capite truncatur, & quid in via. 667.b.c.d
Paulus tres milites ad fidem conuertit, cum ad martyrium ducitur, & quæ eorum nomina. 667.d
Paulus quot viros in sua passione ad fidem conuertit. 667.c.668.a
Paulus quot annorum esset, cum martyrium consummauit. 668. b
Paulus a Plautilla velum petit ad oculos obducendos. 667.c. 668.c
Petri & Pauli clarissima memoria. 671.d
Paulus vbi sepultus. 671.d.672.d
Paulus Episcopus Narbonensis comes Pauli. 623.a
Paulus Samosatensis hæresiarcha. 612.c
Pauperes animarum patroni. 494.b
Pauperes extra ecclesiam mendicare, & cur. 489.d
Pauperes ad mensam spiritualem cum Rege vocantur. 490. a
Pauperes extra portam Ostiensem agere consueuisse. 666.e
Pauperibus post sacra mensæ parabantur communes. 491. d
Pax indulgentia dicta. 536.e
Pax tecum, signum Catholicæ communionis, idemq. legentibus epistolas Pauli dici consueuit. 620.e
Peccata dimittendi potestas suis Christus impertitur. 205.e
Peccata mortalia quæcunque purgatorio purgari posse, falsum. 249.b
Pecuniæ depositæ in fanis. 507.d
Pedes sanctorum tangendi. 231.a. 230.e
Pedum lotio post ingressum conuiuarum. 151.c
Pedes conuiuarum lauari solitos. 152.a
Pedum lotio in cœna facta quando. 152.b
Pelagia pœnitens. 120.a
Pellam incoluere Christiani, Hierosolyma relicta. 660.e
in Pentecoste nec genua flectuntur, nec ieiunium imperatur. 517.a. 561.d
in Pentecoste cur genua non flectimus. 565.b
Pentecosten Hierosolymis agere cur Paulus festinaret. 552.d.e
Pentecostes, & Paschæ nomina Ecclesia retinuit. 553.d. 554.a
Pentecostes dies. 220.a
Pentecostes nonnisi vnum diem celebrem habebant Iudæi. 70. d. 578.d
Penula quid. 547.c. 548.a
Penula duplicis generis. 547.c.d
Penula Pauli quid. 547.e
Penula vestis sacra. 548.a.b
Penulam Paulus Troade reliquit. 595.b
Penulas oratorum vsui cessisse. 547.d
Penulæ senibus Romæ concessæ. 547.d
Perea ciuitas in regione Abilinæ. 445.b
Perges Pamphiliæ. 264.e
de Peregrino quæ Lucianus. 712.d.e. 713.a.b.c
Peregrinus Luciani Proteus dictus, & cur. 713.e
Peregrinus Vrbe pulsus. 723.b
Peristeria pientissima femina. 245.d
Perpetua a Petro baptizata. 680.e
Perseæ arboris fructus & folia qualia. 58.a
Persæ a popularibus suis appellati Magog, & Magusæi. 51.a 640.d
Persæ Zoradæ leges conculcant. 319.e
Persarum Reges olim Magi. 53.c
Persarum Principes nihil agebant nisi de Magorum sententia. 51.b
Persarum Reges esse non poterant, qui Magorum disciplinam non percepissent. 51.c
Persæ a Septentrionali plaga contra Iudæam positi. 52.c.d
Persecutio Christianorum sub Nerone. 640.d
Persecutio prima Christianorum an sub Nerone. 640.d
Persecutio sub Nerone in Christianos propagata, occasione incendij. 642.e
Persecutio secunda Domitiani contra Christianos. 728. e. 729.d
Persecutio secunda Hierosolymis in Ecclesia excitata, occiso Iacobo. 316.e
Persecutiones in veteri Testamento contra sanctos, cur non litteris mandatæ. 620.d
Persecutionis etiam tempore Ecclesia argenteis lucernis vti consuenit. 550.d.e
Persecutionis tempore Christianos conuentus celebrasse. 557.b
Persecutores Christianorum quales. 728.e
Persecutores Christianorum Damascum missi alij præter Paulum a Iudæis. 266.d
Persidem Simon Apostolus petit. 325.b
Persidem Paulus salutat. 542.b
Persis an ex Oriente Iudæam spectet. 52.c.d
Persidis arbor illustrata aduentu Christi in Aegyptum. 57. c
Persona vnde dicta. 110.d
Personarum ordo in ecclesia. 456.a.b
Personarum & locorum distinctio in ecclesia. 488.d
Personati tibicines canebant in funere. 110.d
Petra super quam Dominus orauit in horto. 161.d
Petra Christus. 93.a
Petri nomen vnde. 93.d
Petri principatus exprimitur ex suo nomine. 94.b
Petri, & Andreæ vocatio, & filiorum Zebedæi. 140.b
Petri nauiculam ingreditur Iesus, & cur. 106.e
Petri insignis modestia. 287.d
Petri nomen Cephas. 92.d
Petri cura familiaris ante conuersionem. 92.d
Petri, Andreæ, & Philippi Apostolorum patria Bethsaida. 79.c
Petri primatus. 128.e
Petri animosa promissio. 161.a
Petri & Iacobi pseudoeuangelia. 22.d
Petri modestia. 287.d
Petri cathedra lignea. 345.a
Petri prima epistola quo anno scripta, & vbi. 346.b.c
Petri secunda epistola vbi & quando scripta. 644.e. 645.a
Petri vincula. 314. c. vbi custodita. 315.a
ex Petri vinculis libertas. 314.e
Petri martyrij locus. 669.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Petri primatus multis probatur. 128.d.129.
de Petri primatu versus Augustini decantari soliti. 130.e
Petri primatus insinuatur. 133.a.c.207.b.c.d.208.a
Petri confessio. 126.c.127.c
Petri negatio. 162.e
Petri aduentu ad Vrbem Romanis multa felicia acciderunt. 332.c.d
Petri præfectura transfusa in Romanos Pontifices. 208.b
Petri piscatio post resurrectionem Domini. 206.d
Petri successor etiam si malus fuerit, non præiudicat Ecclesiæ. 209.e
Petri successores vsque ad Anastasium recenset Augustinus. ibid.c
Petri solius fuisse languentes vmbra curare. 233.c
Petri prædicatio qualis. 223.a
Petri potestas propagata ad posteros. 208.b
Petri gesta Cæsareæ prætermissa. 286.e
Petri catenarum encomium, & inuentio. 674.d
Petri & Pauli contentio, in qua neuter errasse monstratur. 389.a.b.c.d.e.390.391.
Petri oculi sanguinei præ lacrymis. 675.b
Petri vxor martyrio coronata. ibid.
Petri effigies, & statura. 675.b
Petri prædicatio & laus. 223.a
Petri miraculis prædicatio adiuncta. 223.c
Petri vmbra curati ægroti. 233.b
Petri vmbra sacrarum imaginum cultum expressit. 233.e
Petri & Ioannis nobilissima legatio. 253.c
Petri & Pauli corpora Vrbis munitio. 672.e
Petri Alexandrini Episcopi regulæ Ecclesiasticæ. 61.a
Petri Damiani titulo homilia prænotata. 46.d
Petriani qui. 448.c
Petro primatus collatus, at non propter ætatem. 92.e
Petro cur primatus inter Apostolos delatus. 113.c
Petro & non Ioanni primatus delatus, & cur. 113.c.d
Petro cultus exhibitus ab Imperatoribus. 772.b
Petro quædam cum reliquis Apostolis communia, quædam sibi tantum propria. 207.b
Petro summam omnium potestatem collatam a Domino in posteros dimanasse. 209.b
Petro cur dicatur creditum Euangelium Circumcisionis, Paulo Gentium. 387.c.d
Petro Christus occurrit. 665.e
Petro non adscribendus interitus Ananiæ. 231.d
Petronilla Petri filia. 675.d.e
Petronij litteræ ad magistratus Dorensium. 307.d
Petronia nobilis Romæ familia. 290.c.d
Petronio in Syria Marsus subrogatus. 308.a
Petronius a Caio Syriæ præficitur post Vitellium. 290.c
Petronius anceps consilij an Caio obediat. 291.c
ὁ πέτρος apud Græcos idem est quod ἡ πέτρα. 92.e
Petrum sibi prælatum non sunt indignati Apostoli. 153.d
Petrum prius Romanam Ecclesiam fundasse quàm Antiochenam, noua & inaudita res est, & falsa esse conuincitur. 721.e
Petrum sedisse Antiochiæ annis septem, Romæ annis vigintiquinque, quomodo intelligendum. 276.e
Petrum anno secundo Claudij Romam venisse. 315.e
Petrum Romam venisse certissimum est. 320.d
Petrum in Italiam nauigantem, Siciliam appulisse. 322.a
Petrum videndi studio Paulus Hierosolymam petijt. 269.d
& cur videre voluit. 270.a
Petrum Paulus Antiochiæ conuenit. 274.b
Petrum alijs prælatum quòd senior esset, falsum. 92.e
Petrum Neapoli atque Pisis fuisse, antiqua traditio est 322.b.c
Petrum Roma recedentem, in Africam nauigasse. 381.a
Petrum etiam Byzantinis primum Episcopum dedisse. 316.a
Petrum & Paulum ex composito dissidium simulasse aliqui dixerunt. 389.e
Petrus a Domino Cephas vocatur. 92.d
Petrus non deriuatiue a Petra. 93.c
Petrus apud nos idem quod Petra. 92.e
Petrus non a Petra, sed ipse Petra. 92.e
Petrus deriuatiue a Petra Petreus dicendus esset. 93.c
Petrus cur sic dictus. 93.c
Petrus per Andream vocatus. 92.c
Petrus ab alijs Apostolis quid differat. 208.c
Petrus in renunciatione Andream præcesit, in confessione omnes. 92.c
Petrus a Christo baptizatus. 98.e
Petrus ætate minor Andrea. 92.c
Petrus & Ioannes septuagintaduos discipulos baptizant. 98.e
Petrus & Ioannes currunt ad monumentum. 201.a
Petrus & Ioannes detrusi in carcerem. 229.c
Petrus & Ioannes iudicio sistuntur. 230.a
Petrus & Ioannes Samariam missi. 252.d
Petrus opus difficillimum consummauit. 253.a
Petrus Apostolus Roma Hierosolymam redit. 380.e
Petrus ab omni culpa redditur immunis in contentione, quam habuit cum Paulo. 390.e
Petrus in carcerem truditur ab Herode Agrippa. 313.b
liberatur ab Angelo. ibid.
Petrus e carcere liberatus suos inuisit. 314.b
Petrus post liberationem ab Angelo quo se contulit. 315.c
Petrus baptizat Andream, & filios Zebedæi. 98.e
Petrus Christum Filium Dei esse profitetur. 126.a
Petrus tributum pendere iussus a Christo. 64.c
Petrus cur a Domino Satan appellatur. 131.e
Petrus primus lotus a Domino. 153.d
Petrus promittit se Dominum secuturum. 161.a
Petrus quantumlibet Christum negasset, non propterea a primatu excidit. 199.c
Petrus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ. 408.d
Petrus Malchum percutit. 161.e
Petrus bono vnitatis omnibus præfertur Apostolis. 208.c.d
Petrus vniuersi gregis pastoris nomen est consecutus. 208.c 208.c
Petrus eos potissimum, qui ex circumcisione erant, erudiendos suscepit. 209.a
Petrus primus verbum Dei prædicat. 222.d
Petrus sanat Aeneam paralyticum. 283.d
Petrus Tabitham a mortuis reuocat. 283.e
Petrus primus omnium primum Gentilem hominem Cornelium Centurionem baptizat. 284.d
Petrus piscator, idemq. venator. 286.c
Petrus instituit, Antistitem non minus quàm a tribus Episcopis confirmari. 239.a
Petrus lupinis famem vrgentem expellebat. 513.c
Petrus quæ mutuatus a Iudæis. 223.d
Petrus discipulos in prouincias mittit. 358.d
Petrus die sabbati cum Simone mago certaturus ieiunat. 518.c

Petrus princeps Apostolorum, Antiochiæ principi Orientis ciuitati præponitur. 270.d
Petrus Apostolorum princeps ad Vrbem totius Orbis caput missus. 321.a
Petrus in Italiam nauigans, Siciliam appulit. 322.a
Petrus vbi Missam celebrauit, memoria Neapoli. 322.b
Petrus Liburnum, indeq. Pisas conscendit. 322.b
Petrus Episcopus Vrbis viginti quinque annos perseuerat. 320.d
Petrus primum claudum sanat, & quid significet. 229.c
Petrus etiam in iudiciaria potestate, quam exercuit contra Ananiam & Saphiram, primatum præsefert. 231.a.b
Petrus ad cognoscẽdam causam Samaritanorum cum Ioanne mittitur. 252.d
Petrus Samaritanis & Gentibus Ecclesiæ ostium reserat. 252.d.e
Petrus ad Samaritanos mittitur, quo modo. 253.b.c
Petrus Ecclesias visitat, quod sui muneris erat. 270.c.d
Petrus Ecclesiam Antiochenam instituit, & quo anno. 270.e
Petrus Antiochenæ Ecclesiæ primus Episcopus, inde Romam translatus. 271.b.275.c.276.d
Petrus an caluitium haberet. 269.d
Petrus quot annos sedit Antiochiæ, quot Romæ. 676.a
Petrus e carcere per Angelum liberatur. 313.c.d.e. 314.
Petrus e carcere liberatus quæ fecerit. 315.b.c
Petrus quibus comitantibus Romam venerit. 321.e
Petrus a Domino monitus in Occidentem venit. 329.b
Petrus a Pudente Senatore Romæ exceptus domi suæ, quæ erat in Viminali. 332.e
Petrus confirmat Euangelium Marci. 552.d.e
Petrus Romæ prædicat Euangelium Cæsarianis equitibus. 552.e
Petrus Roma discipulos vndiquaque mittit, quos, & ad quos. 359.a
Petrus reprehensione admonitus, Paulo consentit. 393.d
Petrus etiam Galatis prædicauit. 423.a
Corinthijs etiam, sed post Paulum. 446.d.e
Petrus ad Britannos vsque penetrauit. 541.b
Petrus an fuerit Romæ cum Paulus scriberet ad Romanos. 540.e.615.d
Petrus ad expugnandum Simonem magum Romam pergit. 320.e.330.b
Petrus Pascha die Dominico celebrauit. 553.c
Petrus in coronam attonsus. 571.b
Petrus & Paulus iterum se Romam contulerunt. 644.a
Petrus & Paulus prædicunt cladem Hierosolymitanam. 644.c
Petrus Simonem magum de sublimi deiecit. 649.b.c
Petrus & Paulus cur a Nerone carceri mancipantur. 651.d.652.b.d
Petrus & Paulus multos in carcere ad fidem conuertunt, & male habentes curant. 651.e.652.a
Petrus & Paulus cur in carcere diutius detinentur. 651.d
Petrus fuga sibi suisq. consulit. 665.d
mox ad carcerem reuertitur. 665.e.666.b.
Petrus in regione Iudæorum Romæ crucifixus qua parte. 667.a
Petrus & Paulus quo Neronis anno martyrium subierunt. 664.a.c
quo die, & an eodem vterque anno. 664.b.d.665.a
Petrus & Paulus a Nerone cur & quando condemnati. 665.c
Petrus Processum & Martinianum baptizat. 651.e
Petrus & Paulus ante martyrium cæsi verberibus. 666.c
Petrus & Paulus ad mortem ducti, ab inuicem separantur. 667.a
Petrus quomodo in Ianiculo passus & in Vaticano dictus. 669.e.670.a
Petrus cur inuerso capite crucifigitur. 670.e.
a Marcello presbytero magnificentissime sepelitur in Vaticano. 671.c
Petrus Gentiles ad gratiam quomodo admitteret. 224.b
Petrus Romam quando profectus. 274.c
Petrus Lyddæ miraculum de Aenea paralytico patrat. 283.d
Petrus vbi sepultus. 669.b.670.b.671.c
Petrus Damiani. 22.c
Petrus Canisius de Domo Virginis in agro Lauretano. 72.b
Petrus Ciacconus de modo conuiuandi apud priscos Romanos. 151.c.d
Petrus Fullo hæresiarcha. 361.d
Phanus quidam rusticus Pontifex apud Hebræos sorte delectus. 682.c.d
Phanuel pater Annæ prophetissæ. 18.d
Pharacantara.
Pharao sacerdotes absque tributo liberos agere voluit. 133.b
Pharisæi cur sic dicti. 5.c
Pharisæi communi nomine dicebantur sectatores Sammai & Hillel. 4.d
Pharisæi quidam quid de transmigratione animarum in Christum. 4.e
Pharisæis potius quàm Sadducæis populus obediebat. 5.d
Pharisæis multa persoluit Herodis vxor Phoroe. 64.e
Pharisaicum pallium. 5.c
Pharisæi virginitatem ad tempus excolebant. 5.a
Pharisæi iurare Herodi & Cæsari negant. 60.b.c
Pharisæi ab Herode occisi. 60.b.c.65.a
Pharisæi Christum tentant, & cur. 64.c
Pharisæi anno primo prædicationis Christi nõ grauiter contendunt. 111.b
Pharisæi Apostolos reprehendunt, quòd spicas in sabbato vulsissent. 112.b.c
Pharisæi Dominum calumniantur de eiectione dæmonum. 122.a
Pharisæi bis in sabbato ieiunabant, quibus diebus. 5.b. 517.b
Pharisæorum secta. 4.c
Pharisæorum origo, & auctoritas. 4.c.5.c
Pharisæorum pertinacia, cæcitas, superstitiones, dogmata. 4.d
Pharisæorum larua. 5.c
Pharisæorum continentia, & sanctitas. 4.c.5.a
Pharisæorum vita durissima. 5.a
Pharisæorum ad sex millia Herodi iurare noluerunt. 60.b
Pharisæorum inuidiæ Christus cedens in Galilæam redit. 99.e
Pharisæorum vita qualis. 470.b
Pharisæorum hypocrisis. 5.c
Pharisæorum genus quale. 68.e
Pharisæorum primæ cathedræ. 74.a
Pharisæorum hæresis de transmigratione animarum propagata. 4.e.127.d
Pharisæorum artes ne profunde dormirent. 5.b
Pharisæorum auctores qui. 4.c.413.b.c
Pharisæorum fimbriæ. 5.b
in Pharisæos Ioannes Baptista inuehitur. 5.d
Phase idem quod Pascha. 149.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Phase in Deuteronomio quomodo præceptum. 149.a
Pherecrates comicus Musicam introduxit figura muliebri totum corpus verberibus fœde mulctatam. 610.c
Pherore fratris Herodis Regis vxor. 64.e
Phigellus (seu Philetus) & Hermogenes qui. 590.e. 598.b
Philemon nobilis Colossensis. 614.b
ad Philemonem epistola Pauli quando & vbi scripta. 614.b
Philemonis domus in ecclesiam conuersa. 614.b
Philemonis seruus Onesimus cur ab eo aufugerit. 614.c
Philomenis vxor Appia. 614.b
Philetus (seu Phigellus) & Hermogenes qui. 509.c. 598.b. eorum conuersio. 312.e
Philippenses Paulo Romæ in vinculis subueniunt. 593.e
Philippenses vnitatis & charitatis admonentur. 601.b.c
Philippensium magistratuum timor, quòd Paulum & Silam cecidissent. 402.c
Philippi Herodis fratris obitus. 267.c
Philippicus Dux sub Mauritio Imp. 105.e
Philippi diaconi quatuor filiæ virgines. 566.d.e
Philippi martyrium. 423.c
Philippi Apostoli vocatio. 94.b
Philippo quæ regio ad prædicandum obtigerit. 333.d
Philipporum ciuitas colonia Romanorum. 398.c. 400.a
Philippum diaconum Hierapoli quiescere. 566.e
Philippus filius Herodis succedit in partem. 69.a
Philippus & Antipas alteram dimidiam regni partem ab Augusto consequuntur. 71.e
Philippus Tetrarcha Romæ. 71.a.b
Philippus ædificat Cæsaream. 79.c
Philippus Apostolus quibus verbis a Christo vocatus. 94.b
Philippus Nathanaelem ad Christum perduxit. 94.b.c
Philippus vir Herodiadis laudatur a Iosepho. 101.d
Philippus primus omnium post ascensionem Domini prædicat Euangelium Samaritis. 252.b
Philippus Asiam Euangelio excoluit. 323.d
Philippus diaconus credentes baptizat. 254.a
Philippus Herodis frater, Simonis Pontificis filia natus. 100.c
Philippi viri Herodiadis laudes. 101.d
Philippus Herodis frater quando diem suum obierit. 267.c
Philippus Imp. a Fabiano Papa mulctatus. 457.a
Philippus Imp. exomologesin fecit. 438.a.b
Philippus Nerius auctor Oratorij in Vrbe. 502.c
Philippus Galatis, non Gallis Euangelium prædicauit. 323.d
Philippus Apostolus quo anno cruci affixus, & vbi. 423.d
Philippus diaconus Samariam adijt. 252.b
Philippus Apostolus an filias habuerit, incertum. 566.c
Philippus diaconus cur dictus Euangelista. 567.c
Philippus Simonem magum baptizauit. 252.e
Philippus presbyter legatus in Concilio Ephesino. 78.e
Philippus diaconus Eunuchum Candacis Reginæ conuertit. 259.d
Philistæorum oblatio Deo Israel. 507.b
Philo vixit temporibus Christi. 12. c. mendacij arguitur. 85.a
Philo pro Iudæis publica ad Caium legatione fungitur. 292.d.e
quo anno. 292.e
quomodo a Caio exceptus. 293.a. 302.c
Philo bis Romam legatus mittitur, primo ad Caium, secundo ad Claudium. 282.c. 346.d
Philo Petri amicitiam habuit. 346.e. 304.c
Philo germanus Alexandri Alabarchæ. 304.c
Philo an fuerit Christianorum studiosus. 304.c
Philo cur inter Ecclesiasticos auctores ponatur. 633.c
Philo de Christianis sub nomine Essenorum. 633.c
Philonis Chronicon, seu liber de Tẽporibus, an ipsius sit. 60.a
φιλόκοσμον semineum. 477.c
Philosophi eo tempore quo Apostoli Orbem docentes circumierunt. 711.c
Philosophi Vrbe pulsi sub Nerone. 653.e
Philosophi orbem terrarum circumeuntes quid. 711.c
Philosophi a Domitiano Vrbe pulsi quo abierunt. 723.c
Philosophiæ Christianæ excellentia. 710.d
Philosophorum temeritas damnatur. 710.d
Philosophos aduersarios passi sunt Christiani præter Iudæorum & Gentilium furorem. 711.d.e
Philostrati liber de gestis Apollonij valde noxius. 654.b
Philostratus Apollonij Tyanæi discipulus. 654.b
Philostratus de Apollonio mendacij arguitur. 654.b
Phincees missus legatus. 253.d
Phlegontis Gentilis scriptoris verba de eclipsi facta patiente Domino. 178.c
Phlegon Hadriani libertus. 698.c
Phlegontis & Eusebij dicta conciliantur. 188.e
Phœbe, quam Paulus commendat, quæ. 542.b
Phœnix portus Cretæ. 588.d
Pholes talentum vocatur, & est duplex. 145.b
Photius eunuchus, Episcopus Constantinopolitanus, primus de barba rasa Latinis exprobrauit. 578.a
Phryges quos deos adorabant. 423.d
Phrygum theologia. 423.d
Picentes Romana ciuitate priuati, cur. 167.a
Picentes ad quid damnati, quòd ad Annibalem defecissent. 167.a
Pij Primi, & Vrbani temporibus possessio Ecclesiastica bonorum immobilium. 474.b
Pilati Acta a notario excepta in publicis tabulis. 216.e
Pilati Acta commenticia quæ. 216.e
Pilati epistola ad Imperatorem de Christo probatur. 215.e. 216.a
Pilati præfectura. 84.a
Pilati scelus aduersus Iudæos. 85.a
Pilati milites permixti populo fustibus vtuntur. 85.a
Pilati delictum in leges Romanas. 168.e
Pilati excusatio propter mortem Iesu. 216.e
Pilati varia delicta. 268.a
Pilatum de nece Christi a Maria Magdalena Romæ iudicio postulatum, vt commentum refellitur. 290.b
Pilatus cur miscuit Galilæorum sanguinem cum eorum sacrificijs. 64.b
Pilatus Valerij Grati successor. 84.a
Pilatus de Hierosolymis aufert imagines Cæsaris. 84.c
Pilatus Corban expendit. 85.a
Pilatus Iudæos cædi iubet fustibus. 85.a
Pilatus inuitus damnat Christum. 168.b
Pilatus contra Samaritas prælium committit. 259.c
Pilatus Iesum ad Herodem amandat. 165.c
Pilatus coram populo manus lauat. 84.b. 168.b
Pilatus Christi mortem prorogare iure debuisset. 168.e
Pilatus patratæ cædis accusatus. 267.e
Pilatus quæ gesserit, ex Philone. 84.c
Pilatus Iudæos vexat. 84.b
Pilatus in prouinciam vxorem secum duxit. 85.c
Pilatus legationem Iudæorum impedit. 84.e
Pilatus de Christo Tiberio nuncianit. 216.b
Pilatus a Vitellio in ordinem redigitur, & in eius locum Marcellus mittitur. 268.a
Pilatus Romam mittitur a Vitellio, vt coram Imperatore suam causam agat. 268.a
Pilatus Viennam relegatus. 290.b
Pilatus sibi ipsi mortem conscijt Viennæ relegatus. 290.a

de Pi-

de Piscatione & venatione Apostolorum prophetia Hieremiæ. 286.d
in Piscina Bethsaidæ languens quando sanatus. 111.d
L. Pituanius magiæ reus e saxo Tarpeio deiectus. 81.a
Pistícum nardum vnguentum quale. 120.c.d
Pius Papa Missam sacrificium appellat. 159.b
Placentæ secta quadra quæ. 546.b.c
Placidus magister equitum quid in Gadarenos. 685.c.d
Planctum magnum factum in morte Stephani. 243.e
Planctum magnum funeris amplitudinem significare. 244.b
Planeta vestis sacerdotalis vnde dicta. 548.a
Platonis Respublica communes etiam vxores esse voluit. 309.e
Platonis dialogi dramatici dicti cur. 608.e
Plauti locus de tessera hospitalitatis. 714.e. 715.a
Plautilla Paulo occurrit ad martyrium ducto. 667.b
Plautilla velum a Paulo recipit. 668.b
Plautilla Clementis soror, Domitillæ mater, a Petro baptizata, quando moritur. 743.e
Plautius Lateranus. 643.e
Plumbi & animæ in purgatorio degentis similitudo. 248.e
Plutarchus Iudæos Bacchum colere falso existimauit. 191.a.b
Pœnæ debitorum atrociſſimæ. 133.e. 134.a
Pœnæ debitorum mitigatæ. 134.a.b
Pœnæ Ananiæ & Saphiræ ad salutem. 231.d
Pœna virginum Vestalium in crimine deprehensarum. 724.a
Pœnitens non recipitur sine confessione satisfactoria. 438.a
Pœnitentia publica a quibus sublata. 442.a
Pœnitentia publica prohibita quæ. 442.e
Pœnitentia non iteranda quæ. ibid.
Pœnitentiarij quando in ecclesiis constituti. 439.a
Pœnitentiariorum auctus numerus. 439.c
Pœnitentiæ partes tres. 436.d
Politicum statum Christus conseruatum voluit. 455.e
Politicum principatum sacerdotali subiectum. 456.c. 457.
Politianus Tribunus militum a Cestio mittitur Hierosolymam. 659.c
Pollio bospes Herodis Regis. 9.d
Pollio Virgilij amicissimus. 9.c
Polybius de miraculis deorum Gentilium quid. 688.d
Polycarpi epistola ad Philippenses. 600.b
Polycarpi festum. 558.a
Polycarpi reliquiæ pretiosæ. ibid.
Polycarpus Smyrnæ Episcopus. 416.a
Polycarpus Apostolorum discipulus. 416.a
Polycletus Meridianam partem dimensus est. 33.c
Polycrates Ephesiorum Episcopus. 239.e
Polycrates vsus lyra musica in annulo. 463.d
Pompeij & Herculanum vrbes cinere obrutæ. 719.e
Pompeius fecit Iudæos vectigales. 3.d. 29.e
Pompeius Magnus Iudæam debellauit. ibid.
Pompeius a Regibus Asiæ & Syriæ pecuniam corrasit. 29.e
Pompeius Magnus donatam sibi vitem auream ab Aristobulo Rege Iudæorum posuit in templo Iouis Capitolini. 191.a.b
Pompeius arborem balsami in triumphum duxit. 703.a.b
Pompeius Hierosolymam capit obseruato ieiunij die. 190.b
Pomponia Græcina nobilissima femina externæ religionis rea iudicio viri permissa. 599.b
Pontia insula exilio Domitillæ illustrata. 744.b
Pontifex fieri optauit Titus, & cur. 165.a
Pontifex maximus apud Romanos. 128.c
Pontifex summus quantum sibi apud Iudæos vindicaret. 262.d
Pontifex Romanus, Gentilium tempore, corona aurea vsus. 240.e
Pontificatu legitimo Iudæi spoliantur. 4.b
Pontificatus e domo Leui sublatus. 4.a
Pontifices instituit & abrogat Archelaus. 71.d
Pontifices etiam apud Ethnicos a cæde hominum temperabant. 165.a
Pontifices Iudæorum a sacerdotibus dissident. 544.d
Pontifices disruptis vestibus populum sedare conantur. 658.c
Pontifices occisi, & eorum corpora feris exposita. 682.d.e
Pontifici occidere quemquam non licebat. 340.d
Pontificiam stolam Herodes in loco munitissimo custodiri iussit. 4.b
Pontificis summi functio sorti non subiecta. 24.c
Pontificis Iudæorum auctoritas etiam apud ceteros Reges. 262.c
Pontificis vxor qualis apud Iudæos. 12.c
Pontificum summorum catalogus apud Iosephum. 26.a
Pontificum Iudæorum series olim descripta. 26.a
Pontificum Gentilium ornatus. 240.e
Pontificum Romanorum germana successio. 678.c
Pontina palus. 591.d
Populi frequentia ad festa martyrum. 558.e
Populi ac sacerdotum sedes in templo. 25.c
Populi iudicium falli in comprobandis sacerdotibus. 528.d
Populus a primo & secundo tabernaculo seclusus. 25.b
Populus cum clericis olim in ecclesia laudes Deo canebat. 401.c.d
Populus olim in ecclesia cum clericis canebat, cur, & a quo prohibitus. 610.a
Poppæa Sabina velo vtebatur. 475.b
Poppæa Neronis vxor pro Iudæis. 593.b
Poppæa a Paulo salutatur. 594.a
Poppæa Augusta a Nerone occiditur. 643.e
Poppææ Sabinæ honestas. 594.b
Porcellana fictilia. 171.d
Porcina offa apposita in cœna pura. 189.e
Porcius Festus Felicis successor. 584.b.c
Porcorum miraculum a Domino factum, vbi, & cur. 107.e
Porphyrius martyr. 479.b
Porphyrius hæreticus. 32.e
in Paulum inuehitur. 388.e
Porphyrij stultitia conuicta de morte Ananiæ & Saphiræ. 231.c
Porta nomine S. Stephani appellata Hierosolymis. 242.e
Porta Corinthia in templo. 74.b
Porta templi quot cubitorum fores habuit. ibid.
Porta templi Speciosa quæ. 227.a
Porta Orientalis. 56.d
Porta Trigemina, & Ostiensis eadem. 666.c
Portarum templi Hierosolymitani descriptio ex Iosepho. 74.b. 227.d.e
Porticus Salomonis descripta. 226.c.d.e
in Porticum templi exteriorem qui ingrederentur. 25.e
in Porticum secundam, tertiam, quartam qui ingrederentur. 25.c.d
Possessiones vsque ad annum Iubilæi vẽdi solitæ apud Hebræos. 144.c
Posthumius obtenta belli Latini victoria decimas persoluit. 471.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Præcepta coniuncta cum præcepto de suffocato quæ. 386.c
Prædicatio Apostolorum quantæ virtutis. 319.d
Prædicatio Petri Corinthi post Paulum. 446.d
Prædicatio absque mercede. 409.b
Prædicatio Petri qualis. 223.a
Prædicatio Pauli qualis. 447.a
Prædicationis Christi tempus. 186.b
Prædicationis Christi anni vnde auspicandi. 100.a
de Prædicationum ritibus antiquis. 562.563.564.
Prædictio Domini adimpleta de aduentu exercitus Romanorum. 661.c
Præfecturæ Mosis & Aaron similitudo in duobus Principibus sacerdotum expressa. 88.b
Præsepe Domini quomodo lateritium appellatur. 45.a
Præsepe Domini tectum argento. 44.c
Præsepe Domini Roma possidet. 45.a
Præsepi Domini asinum & bouem alligatos fuisse. 44.c
Præsepium potius quã præsepe cur dixit Ambrosius. 56.d
Præsentationis festum. 57.c
Præsides Iudææ Optimos appellat Paulus. 534.a.b.c
Præsides prouinciarum ad Imperatores res magni momenti scribere consueuisse. 216.b
Præsides prouinciarum bella agere consueuisse. 29.c
Præsidum Syriæ successio. 29.c
Præsidum Romanorum in Iudæa ius in sacra. 80.a
Præsumptio cæca in diuinis Scripturis redarguitur. 212.e
Præstigiatores prope Gadara. 107.c.d
Præstigiæ Simonis magi. 651.c
Præstigiæ Tyanæi. 510.c.d.687.e
Præputij superinductio ab Esau. 471.a
Præputium attrahere quid. 470.e
Præputium superinducere quid. 470.e
Prærogatiua Romanæ Ecclesiæ. 539.a
Prætextatæ Romanæ feminæ exemplum. 477.e
Preces pro Petro effusæ. 313.e
Preces lucernariæ. 401.a.b
Preces nocturnæ Christianorum quæ. 400.c
Preces ante discubitum. 492.c
Presbyter coma abrasa designatus. 573.a
Presbytera, diaconissa, & episcopa quæ diceretur. 237.e. 238.
Presbytera senior femina dicta. 238.c
Presbytera quæ. 238.b.495.c
Presbyteræ nomen sæpe repertum. 238.b
Presbyteri a Domino constituti in discipulis. 526.c
Presbyteri nomen commune & proprium. 525.b
Presbyteri Episcopi appellati. 522.a
Presbyteri non ordinant. 523.a
Presbyteri cur Episcopi appellati. 524.d.e
Presbyteri nomen etiam Apostolis commune. 525.e
Presbyteri ab Apostolis distincti. 525.b
Presbyteri seniores dicti. 525.b
Presbyteri loco discipulorum. 525.c
Presbyteri pœnitentiarij. 439.a
Presbyteri in Concilio cum Episcopis considebant. 525.d
Presbyteri ab Episcopis iudicati etiam Apostolorum temporibus. 525.e
Presbyteri Episcopis subiecti. 525.e.526.a
Presbyteris interdicta manuum impositio, quæ. 523.d
Presbyteris sacramenti extremæ vnctionis administratio conuenit. 631.a
Presbyterorum & Episcoporum differentiæ. 525.b.d
Presbyteros æquales Episcopis faciebat Aerius. 522.d.e
Presbyteros Missas in carceribus offerre solitos. 714.b.c
Prima sabbati, quæ & vna sabbati dicebatur, nunc Dominicus dies est. 545.c
Primatum gerentes, legati missi ad res maximi momenti. 253.d.e
Primatus contentio inter Apostolos quando. 153.c
Primatus Petro, & non Ioanni delatus est, & cur. 113.c
Primatus Petri insinuatur in lotione pedum. 153.d
Primatus Petri præcipuis doctorum auctoritatibus comprobatur. 128.d.129.
Primatus Petro datur propter quid. 270.e
Primitiæ a Gentilibus solitæ diis offerri. 340.d
Primitiæ martyrum quæ. 641.a
Principatus tum in cælo tum in terra constitutus a Deo. 129.a
Principes sacerdotum apud Iudæos qui. 87.e
Principum sæcularium auxilium implorandum contra hostes Ecclesiæ. 585.d
Primus arbor. 94.a
Priscillæ cœmeterium nuper refossum. 484.d
Priscillianistæ hæretici Solem adorabant. 161.b. 564.d
de Priuatis cauticis. 613.c
Processus & Martinianus. 651.e.665.d
Procborus Nicomediæ Episcopus creatus a Petro. 316.a
Proconsulares iudices qui diceruntur. 509.e
Processionum vsus antiquissimus. 566.a
Proconsules qui præerant prouincijs, in ijs bella gerebant. 29.c
Proculus Neronis pincerna ad fidem conuersus. 652.d
Prodigia de Christi aduentu. 9.d
Prodigia Romæ de Rege nascituro. 9.e
Prodigia cladis Iudaicæ. 655.c
Prodigia Neronis tempore. 655.e.673.d
Prodigia a Domino prænunciata. 655.e
Prodigia ante Christum natum. 46.a
Prodigiorum vana interpretatio. 625.d
Prodigium leonum in Samaria. 102.a
Prodigium de aquilis militaribus solo affixis. 332.c
Prodigium Hierosolymitanæ cladis. 637.c
Proditorem suum bis nominat Iesus in cœna. 154.c
Proditio Iudæ biduo ante Paschа. 143.d
Profana quomodo sancta fiant. 340.b
Profanum Hillel significat. 4.c
Profanatio templi a Samaritis. 102.c
Profectionem Pauli in Hispanias multi testantur. 622.c
Professio nihil aliud erat, quàm census solutio. 28.a
Professores litterarum opifices apud Iudæos. 409.c
Progenies Mariæ Virginis. 15.c
Profundum maris apud Paulum quid. 538.a
Promontorium Caietæ scissum tempore passionis Domini. 181.c
Propheta in sua patria honorem non habet. 103.c
Prophetare & linguis loqui quid differant. 354.b.c
Prophetæ repudiati a Dositheis. 6.b
Prophetæ Gentilium. 7.c
Prophetia psalmi: In omnem terram: Pauli tempore impleta. 541.c
Proselytus Herodes Idumæus regnum Iudæorum accepit. 3.c
Proseuchæ perditæ. 282.a
Protagoræ libri ab Athenienſibus combusti. 405.b
Proterius Episcopus Alexandrinus. 553.c
Prouerbium apud Lucam: Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis. 110.e
Prouidentia Saluatoris erga Petrum. 156.b
Prouidentiã diuina ostenditur. 638.a
Prouinciæ inter Apostolos quomodo diuisæ. 318.a
Prudentia Petri. 392.a
Prudentij carmina. 256.a

Prudentij carmen de Stella Magorum. 55.d
de Cassiano & Hippolyto. 487.d
de Petri crucifixione. 664.e.671.a
de consuetudine funeris. 244.d
de exilio Iudæorum. 699.b.c
de imaginibus. 487.d
de religione mutata in melius. 674.a
de carnificinis Christianorum. 743.b
Psallendi vilitas. 614.a.613.d
Psalmi lucernales qui. 401.a.b
Psalmista officium potius, quàm ordo. 338.b
Psalmodia in ecclesia qualis, & cur. 608.c.611.b
Psalmodiæ diuersitas. 611.c
Psalmus quid. 610.b
Pseudo-Christi surgent, & dabunt signa: quando impletum. 694.a.b
Pseudo-Apostoli multi. 533.b
Pseudo-Apostoli studentes lucro. 411.d
Pseudo-Apostoli quæ prædicent. 381.c
Pseudo-Prophetæ paulo ante Christum. 234.c
Pseudo-Euangelia multa. 327.328.a
Pseudo-Euangelium Iacobo attributum. 14.d
Pseudo-Euangelia Petri, & Iacobi. 22.a
Pseudo-Hieronymi liber. 16.b
Pseudo-historici Ecclesiastici. 326.b
Pseudo-Alexander in ordinem remigum redactus. 71.c
Pseudo-martyres quid facerent, vt Christianorum obsequio frueretur. 713.e.714.a
Psychici Catholici nominati. 101.e
Psychici hæretici. 520.b
Ptolemæi Regis sententia pro Iudæis in Samaritas de templi primatu. 102.c
Ptolemæus Mennæi. 87.a
Publicani an omnes Gentiles. 108.e.109.a
Publicani apud Iudæos a magistratibus arcebantur. 109.c
Publicanorum origo. 108.e
Publicanorum munus. 139.a
Publicanorum dignitas. 139.a
Publicanorum duplex ordo. 139.a
Publicanorum laus. 109.a.b
Publicanorum princeps Hebraice Gabbe. 109.b
Publicanorum vita. 109.d
Publicanorum nomen Hebræis & Græcis odiosum. 109.b
Publicanorum muneris functio ad ordinem equestrem pertinebat. 109.a
Publicani prouinciales. 109.b
Publicanos penes Iudæos malæ æstimationis fuisse. 108. 109.a
Publicanos Parisim, id est, latrones appellatos. 109.b
Publij pater a Paulo sanatus. 590.a
Publius a Paulo conuertitur, & Episcopus Melitæ præficitur. 590.b
Publius Dionysio Athenarum Episcopo successit. 590.b
Publius martyrio coronatur. 590.e
Publius Marcius magiæ reus. 81.a
Pudens Senator Petri discipulus. 332.e
Pudentis Senatoris domus in ecclesiam mutata. 480.d.
eiusdem filij. 597.e
Puella Archisynagogi resuscitata. 110.e
Puella spiritum Pythonem habens Paulo obuiat. 399.e. 700.a
Puer Iesus vbi se a parentibus subduxerit. 74.d
Pueris quis locus in templo. 74.c
Pulsatio lignorum quod signum. 562.a
Puluis sepulchri Christi in magno pretio habitus. 184.e
Puluis excutiendus de pedibus Apostolorum contra non recipientes Euangelium. 362.d.
Puluis de sepulchris sanctorum sublatus miracula facit. 428.a
Purgatoria pœna, baptismus ignis appellatur. 248.e
Purgatorij fides. 247.e.248.a
Purgatorij Augustinus fidelis assertor, ac defensor. 289.a
Purgatorio igne non purgari peccata mortalia, sed venialia. 289.b
Purgatorius ignis durior, quàm vlla pœna huius sæculi. 249.b.c
Purgatorium ponere necesse est. 288.c.d
Purgatorium tam Latini quàm Græci Patres pari consensione statuunt. 248.a
Purgatorium etiam Montanus posuit. 148.b
Purgatorium qui negauerit, nullus inuentus est auctor Orthodoxus. 249.c
Purificationis festum cur celebrari cœptum, & quando. 57.d
Purificatio apud Gentiles. 483.a
& ante preces fieri solita. 483.c
Purim ieiunium apud Iudæos. 190.c
Purpura indumentum regium. 166.b
Purpura quæ nobilior. 168.a
Purpuraria Lydia. 396.d
Puteolis septem dies constitit Paulus. 591.e
Puteum Iacob ecclesia in medio amplectitur. 103.b
Puteus Iacob præsentia Domini illustratus. 103.b
Puteus Iacob quot cubitis altus. 103.b
Puteus a Sarracenis effossus in Aegypto. 59.a
Pythonissa liberata. 399.e

Q

Quadra quid. 546.b
Quadragesima Ambrosiana. 515.e
Quadragesima non ieiunare, peccatum est. 514.e
Quadragesima districtius ieiunandum. 514.e. 515.a
de Quadragesimali ieiunio diuersæ consuetudines. 515.b
Quadragesimale ieiunium probatur. 513.e. 514.a
Quadragesimale ieiunium, Apostolica institutio. 514.a
Quadragesimale ieiunium quasi decimatio totius anni. 116.a
Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc: quo modo intelligatur. 98.a.b
Quadraginta martyrum festa dies. 559.c.
Quadraginta septem milites a Petro & Paulo in carcere positis ad fidem conuersi martyrio coronantur. 652.a.b
Quadratura prima quæ a Pythagora dicebatur. 463.e
Quadratus Athenienſium Episcopus. 749.a
Quadrifida panis incisio quæ. 546.a
Quæstio de resurrectione. 142.c
Quæstio de Gentium acceptatione. 287.b
Quasi, non semper diminutionem, aut dubitationem importat. 37.a
Quarta & sexta feria ieiunium in Ecclesia decretum. 516.c
Quartodecimani hæretici confictis Actis Pilati vtebantur. 216.e
Quatuor diei partes apud Iudæos quomodo distinguantur. 192.c
Quatuor temporum ieiunium. 519.c
Quatuor nominant Synodos Apostolorum. 468.d.e
Quercus Mambre iuxta Hebron. 27.b

Universidad de Deusto
Biblioteca

Querelæ Samaritanorum apud Vinidium. 378. e
Quinquaginta tantum Apostolicos canones enumerat Dionysius Abbas Romanus. 385. e
Quinquaginta millia Iudæorum occisa Alexandriæ. 660. c
Quinque Anani filij omnes Pontifices. 625. b. c
Quinque millia hominum obtrita apud Fidenas. 85. d
Quinque millia Romanorum a Iudæis cæsa sub Cestio Præside. 660. d
Quinque millia hominum ad fidem conuersa prædicatione Petri. 229. d
Quinquennale certamen quando & a quo institutum. 725. b
Quinquennale certamen triplex. 725. b. c
Quinta feria non vacandum ab operibus. 556. e
Quintilius Varus Præses Syriæ. 29. d
Quirini Consulatus. 30. d. e
Quirini census occasione, exortæ sectæ Galilæorum. 62. e
a Quirino censum bis actum. 29. e
Quirinus Præses in Syria describit censum. 27. e. 29. c
Quirinus Præses in Syria post suum Consulatum. 29. c
meruit insignia triumphi. ibid.
quomodo remansit Syriæ Præfectus. 29. d
Quirinus Syriæ Præfectus moritur. 83. b
eius res gestæ. 33. a. 83. b
Quirinus, Quirinius, Cyrinus, Cyrinius, idem nomen. 29. d
Quotidie Eucharistiam sumere. 499. e. 500. d
Quotidie communicare non sunt soliti Orientales. 483. e. 499. e. 500. d. e

R

Rabbini Pharisæi, & eorum origo. 4. d. 5.
Rabbini qua interpretatione legis vterentur. 115. b
Rabbini Christum natum scientes, & non venerantes merito pœnis affecti. 67. e
Rabbini manuale opificium laudantes discentibus sacram Scripturam, qui. 409. c
Rabbini artes exercuerunt. 409. d
Racha vox non interpretata cur. 506. b
Racha quid significet. 115. b. c
Radix quædam dæmones expellens. 431. c
Rama ciuitas in sorte Beniamin. 59. e
Rama in Arabia. 59. e
Ramos portare nonnisi in honorem Dei solebant Iudæi. 140. d
Ramos quando Iudæi præcidebant. 141. a
Ramis palmarum diem solemnem constituit Iudas Machabæus. 141. b
Raptus Pauli quo anno contigerit. 341. b
Rationale summorum Pontificum, & miracula ex eo. 80. a. b. c
Rechabitarum traditiones probatæ. 634. d
Rechabitarum instituta quando cessauerunt. 634. e
Rechabitæ diuersi ab Essenis. 634. e
Recognitiones Clementis multa de Barnaba mentiuntur. 395. b
Recognitionum libri apocryphi nomine Clementis. 286. e
Recumbere in sinu quid sit. 152. e
Recutita sabbata quæ. 471. a
Recutiti Iudæi cur dicebantur. 190. b
Recutitos dictos esse Iudæos a circumcisione. 471. e
Redemptio libera. 17. c
Redemptor. Vide supra, Iesus Christus.
Reditus Agrippæ in Iudæam. 277. e
Reditus Domini ex Aegypto. 69. e. 70. a
Reditus Domini ex Aegypto in Palæstinam qua die. 70. e. 71. e
Regale sacerdotium non tollit politicum regnum. 455. e
Reges Persarum nonnisi sapientes. 51. c
Reges Orientales Magi. 53. c
Reges Iudæorum quomodo sacerdotibus subiecti. 458. a
Reges piscatorum ostiarij. 762. c. d
Regi presbyter a Martino prælatus. 456. b
Regia persona Christi a Matthæo insinuatur. 11. d
Regia potestas a Christo in suos transmissa. 455. a
Regij vnum diem constitit Paulus. 591. e
Regina Saba ex Cæturæ filijs oriunda. 52. e
Regina Saba, & Magi cur Israel Regem inuestigarint. 52. e
Reginas Aethiopiæ Candaces appellatas, eastemq. feminas. 260. a
Regis affines aureâ fibulam in veste gestabant. 165. e. 166.
Regium indumentum quale. 165. d. e
Regium nomen qui sibi assumpserint apud Iudæos. 70. d
Regium sceptrum Iudæ in quo defecerit. 2. c
Regni Herodis exordium. 3. d
Regni Iudæorum diuisio in tetrarchias. 71. b
Regni cum sacerdotio in Christum translatio. 455. c
Regni ac sacerdotij mysterium in Christo. 11. e
Regnum Iudæorum multi ex Iudæis affectant. 70. d
Regnum Iudaicum extinctum, actio in crucem Antigono. 4. a
Regnum, sacerdotium, lex, firmissimæ columnæ collapsæ apud Iudæos. 6. e
Regnum sacerdotio coniunctum. 453. b
Regnum Christi consequitur iudicandi potestas. 3. d
Regnum Christi quale. 453. e
Regulæ Ecclesiasticæ S. Petri Alexandrini. 61. a
Reguli nomen quid importet. 103. e
Reguli filius, qui infirmabatur Capharnaum. 103. c
Reliquiæ sanctorum in Rhodanum proiectæ. 429. d
Reliquiæ S. Polycarpi pretiosæ. 429. c
Reliquiæ S. Ignatij Antiochiam relatæ. ibid.
Reliquiæ falsæ non diu latuere. 430. a
Reliquiæ sanctorum cur diuisæ. 428. d
Reliquiæ sanctorum a maioribus probatæ. 430. a
Reliquiarum sacrarum vsus in Ecclesia. 426. e
Reliquiarum cultus vnde probetur. 429. d
Reliquiarum sanctorum accurata disquisitio. 430. c
Reliquiarum delectus. 430. a
Reliquiarum impugnator Eunomius. 427. b
Reliquias martyrum Gentiles disiiciebant. 429. d
Religio Angelorum quæ. 605. a. b. c. d. e
Religio Christiana. Vide supra, Fides, Ecclesia Christiana.
Rei impietatis Christiani dicti. 730. d
Renunciatio bonorum non omnibus Christianis necessaria. 232. b
Renunciatio bonorum facta apud Apostolos. ibid.
Reos solitos capillos demittere apud Romanos. 574. c
Reos extra portam percuti solitos. 667. d
Reprehensiones Pauli. 393. a
Responsio Iesu ad Abagarum. 104. d
Resurrectio Domini quomodo facta tertia die. 198.
Resurrectionem mortuorũ Paulus probat Corinthijs. 503. e
Resurrectionem mortuorum negauit Basilides. 503. c
Resurrectionem Christi negauit Cherinthus. 503. c
Resurrectionis Domini dies, Dominica ab Apostolis appellata. 199. b
Resurrectionis hora. 196. d. e. 197. a
de Resurrectione quæstio. 142. c
de Resurrectione loca elucidata. 201. b

Resurrexisse Dominum ea ipsa nocte quæ lucescit in prima sabbati. 195. c. 196. d
Resurrexisse Dominum post mediam noctem. 196. e
Resurrexisse Dominum in primo gallicinio. 197. a
Resurrexisse Dominum Dominico die diluculo, Ecclesia profitetur. 196. d. e. 197. a
Reuelationes Petri & Pauli a Cherintho confictæ. 327. c
Rex sacrificus apud Gentiles. 340. d
Rex alienigena quando suffectus in Iudæa. 3. d
Rex, & sacerdos, atque legifer Emmanuel. 7. b
Rex sacrorum apud Romanos primum locum in mensa tenebat. 152. e
Rex in Scriptura appellatur cuiusque oppidi dominus. 53. c
Rex Christus. 454. d
Rex post Deum & Episcopum honorandus. 455. e
Rhodanenses feminæ ad Ecclesiam redeunt. 435. e
Rhode puella. 314. b
Rhodiacæ ollulæ quæ. 171. a
Rhody libertate priuati a Claudio. 402. c
Richa idem quod Racha. 115. c
Rituale antiquum, vel Ordo Romanus. 36. e
Rituale Hebræorum quid de ritu seruando in conuiuio Paschali. 153. b. c
de Ritibus precationum. 561. d
Ritus institutionis Eucharistiæ. 153. e
Ritus ferendæ sententiæ. 168. d
Ritus excutiendi pulueris. 262. d
Ritus oblationum pro defunctis. 415. b
Ritus pristini signa tantum. 501. e
Ritus sacri in ordinatione exhibiti. 338. e
Ritus sacros æmulatus diabolus. 339. c
Ritus multi communes Iudæis, Christianis, & Gentilibus. 340. c. d. e
Robertus Bellarminus Politianus laudatus. 421. c
Roffensis commentarium aduersus Nouatores. 121. d
Roma quando condita. 347. b
Roma possidet præsepe Domini. 45. a
Roma sanguine & sepulchris Apostolorum illustrata. 672. b. c. 674. b
Roma in quatuordecim regiones diuisa. 638. e
Roma incendio conflagrauit, quo anno. 638. b
Roma ab Apostolis seruata. 673. b
Roma & Italia philosophi abire cur iussi. 723. b
Romæ fons olei erupit. 11. e
Romæ Cælius mons conflagrat. 85. d
Romæ Fideles quotidie communicabant. 483. e. 499. d
Romæ cathedra Petri lignea venerationi habita. 345. b
Romæ incendium sub Nerone. 638. e
Romæ incendium sub Tito. 721. a
Romam Babylonis nomine significari, non Romanam Ecclesiam. 347. a. b
Romam vsque peruenit cinis Vesuuij. 719. d. e. 720.
Romam Petrus quando profectus. 275. c
Romam Petrus aduenit. 315. e
Romam peruenit fama infanticidij Herodis. 59. e
Romana Respub. & optimi eius mores collapsi. 7. c
Romana archiua de natali Christi. 30. e
Romana Ecclesia Apostolica vna. 342. c
Romana Ecclesia quid de Christi ætate baptismi tempore. 36. e
Romana Ecclesia florentissima Pauli tempore. 539. c. d
Romana Ecclesia Mater appellata. 541. b
Romana Ecclesia cur inconcussa. 542. a. b
Romana Ecclesia epistolam ad Hebræos constanter recipit. 617. d. e
Romana Ecclesia Apostolicarum traditionum depositorium. 188. c. 574. a
Romana Ecclesia suis cereorum indiculis demonstrat quo anno Christus sit passus. 187. e
Romanæ Ecclesiæ consuetudo in psallendo qualis. 611. e
Romanæ Ecclesiæ prærogatiua. 539. a
Romanam Ecclesiam ante Antiochenam a Petro fundatam, est noua & falsa opinio, cuius rationes diluuntur. 271. e
Romana fides eadem quæ Catholica. 539. e
Romana fides annunciatur in vniuerso Orbe. 539. c. d. 540. a. b. c
Romanarum feminarum libido coercita a Tiberio. 82. a
Romani qui Iudæos sub tributo redegerunt. 3. d. 29. e
Romani ciues qui. 31. e
Romani multis bonis donati propter aduentum Petri in Vrbem. 332. c
Romani ob contemptum veri numinis quanta sint passi. 260. d
Romani dicuntur Imperatores vsque ad nostra tempora. 264. e
Romani non raro quini in mensa discumbebant. 153. a
Romani Brutios destinarunt ad pœnas inferendas. 177. e
Romani Pontificis Apostolica salutatio ex Apostolica traditione. 351. b
Romani annulo ferreo vtebantur. 463. b. c
Romani tecto capite deos precabantur, Saturno & Honore exceptis. 565. d
Romani Pontifices præceperunt traditiones. 573. a
Romani tonso capite & barba incedebant. 574. b
Romani viderunt casum Simonis magi. 649. b
Romani milites a Iudæis cæsi. 660. c. d
Romani milites aduersus Iudæos pugnant Sabini Procuratoris tempore. 70. d
Romani milites exarmati occiduntur die sabbati. 660. b
Romani milites pro foribus templi adstare solebant ad comprimendos tumultus. 661. b
Romani milites, capta Hierosolyma, præda satiati. 694. b
Romani magistratus in prouincia vsi lingua Latina. 78. d
Romani vti lingua Græca iussi. 78. d
Romani Imperij finis sub Tiberio prænunciatus. 673. c
Romani Imperij incolarum censæ sub Augusto myriades quatuor centum decem mille, & tredecim viri. 32. b
Romani in signum luctus capillos & barbam promittere soliti. 574. b. c
Romanorum Respublica quando fuit maxime vitiosa. 7. c
Romanorum quinquaginta millia obtrita apud Fidenas. 85. d
Romanorum fides eminens. 539. e
Romanorum Principum erga templum Iudæorũ officium. 298. b
Romanorum Imperatorum muneribus templum locupletatum. 702. e
Romanorum fides, & deuotio. 539. d. e
Romanorum odiorum prima germina contra Christianos. 216. c
Romanorum fastus. 542. a
Romanorum clades in Britannia. 681. d. e
Romanos prius lotos accumbere consueuisse. 151. c. d
in Romanos ciues peccantes Claudius libertate priuauit. 402. c
Romanos barbam radere consueuisse, & numini dicare. 571. a
Romanos seruorum capita radere consueuisse. 572. a. b
Romanus Pontifex. Vide supra, Papa, Pontifex.
Romanus, & Catholicus idem. 344. d. 540. a
Romanus exercitus cur abominatio appellatus. 661. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Romanus orbis qui. 31.c
Romanus exercitus quæ passus sit in Armenia. 681.e
Romanus ciuis ne flagelletur quæ leges prohibent. 580.e. 581.a
Romulea ficus quamdiu superstes. 621.a
Romulea ficus quando aruit, & quid significauerit. 621.a
Romuli tugurium diu conseruatum. 45.a
Romphea ignea. 248.e
Romulus legationibus admittendis præfectus apud Caium Imperatorem. 293.a
Rubellius Plancus ex gente Iulia. 625.d
Rufina filia Paulæ. 494.b
Rufus vnus ex septuaginta discipulis. 136.c
Rufus Capuæ factus Episcopus, & cum Petro Romam venit. 322.d
Ruina templi a Domino prædicitur. 142.d
Ruminalis arbor siccata quid significaret. 62.a
Rusticus Arulenus a Domitiano occiditur, cur. 723.c

S

Saba prouincia trans Arabiam. 51.c
Saba Regina cur Salomonem adierit. 52.e
Saban filius Iexan. 51.d
Sabæi & Madianitæ vnde nominati. 51.d
Sabbæus & Theodosius Samaritanorum patroni. 102.c
Sabbatarios Iudæos appellat Martialis. 190.b
Sabbata recutita. 471.a
Sabbati obseruatio decidente Sole cœpta, vel post meridiem. 148.c
Sabbati iter erat, bis mille passus ambulare. 213.d
Sabbati ieiunium cur Orientalis Ecclesia detestaretur. 397.b. 517.a
Sabbati magnus dies qui diceretur. 149.d
Sabbati violati pœna. 237.a
Sabbati translatio in Dominicam. 519.a
Sabbati ieiunium cur vetitum. 517.c
Sabbati ieiunium vnde institutum. 517.b
Sabbatum superstitiose colebant Dosithei. 6.b
Sabbaticus fons in Palæstina. 135.a.b
Sabbaticus fluuius, & Plinij error. ibid.
Sabbatis Iudæi ad præstanda vadimonia non cogebantur, ex rescripto Augusti. 148.c
Sabbato cur ieiunet Ecclesia Occidentalis. 397.b. 517.a
de Sabbato violato querela Pharisæorum. 111.e
Sabbato cur ieiunarent Manichæi. 517.c.d
Sabbato ieiunare Iudæis vetitum. 190.c
Sabbatorum superstitiosa obseruatio quæ. 6.b.c
Sabbatum secundo primum, vel sabbatum ex sabbato, quid, & cur sic dictum. 112.b
Sabbatum cur non æque feriarentur Ecclesiastici Occidentales, ac Orientales. 119.b.c
Sabbatum dicebatur septima Paschatis. 112.a
Sabbatum æque ac Dominicum feriari prohibitum. 517.e
Sabbatum pro diebus ante sabbatum apud Iudæos. 190.e
Sabinus Vespasiani frater occiditur. 686.e
Sabinus Iudææ Procurator. 30.b
Sabinus Procurator obsidetur a Iudæis. 70.d
Sacerdotalis cum regia stirpe cognatio. 12.c
Sacerdotalis sanctio. 87.c
Sacerdotalis potestas apud omnes summa. 457.e
Sacerdotalis indicandi potestas iure diuino concessa. 525.b
Sacerdotalis potestatis vsus. 456.e
Sacerdotali tribui concessum, vt cum regia stirpe posset inire nuptias. 12.c
Sacerdos sacrificatus. 61.d
Sacerdos summus sancta sanctorum ingredi quando debebat. 24.c
Sacerdotem summum nonnisi vnum apud Iudæos fuisse. 87.e. 88.a
Sacerdotes quot in templo ministrabant quotidie. 13.e
Sacerdotes semper introibant in priori tabernaculo. 25.b
Sacerdotes disponebant de his, quæ semel Deo essent oblata. 19.a
Sacerdotes immunes a tributis apud Aegyptios. 133.b
Sacerdotes apud Romanos ex ærario sumptus accipiebant. 133.b
Sacerdotes Apostoli a Domino facti sunt, & quando. 154.d
Sacerdotes Christiani corpus Christi conficiunt. 157.e
Sacerdotes in Ecclesia potestatem habent dimittendi peccata. 205.b. 206. 207. 455.a.b.c
Sacerdotes Christi ad soluenda peccata potestatem acceperunt, & quid inde sequatur. 206. 207. 455.a.b.c
Sacerdotes Christi Regibus præstant. 456.e
Sacerdotes in Aethiopia Regibus imperabant. 457.c
Sacerdotes Aegypti iidem & Iudices. 457.d
Sacerdotes in Perside regnasse. 457.d
Sacerdotes Gallorum iudicabant. 457.e
Sacerdotes in quo Regibus æquiparentur. 472.b.c
Sacerdotes in lege veteri denuo nubere prohibebantur. 532.c
Sacerdotes legis veteris nec caput nec barbam radebant. 571.c
Sacerdotes Deæ Syriæ barbam & capillos radebant. 576.a.b
Sacerdotes pro locorum consuetudine, vel barbati, vel attonsi barbis incedebant. 577.e
Sacerdotes Gallos barba rasos fuisse. 577.e
Sacerdotes occisi in templo. 694.c
Sacerdoti apud Hebræos meretricem vxorem ducere prohibitum. 119.a
Sacerdotibus vetitum vestes scindere. 163.d
Sacerdotibus inferioribus licebat cum ceteris tribubus mire coniugium. 12.d
Sacerdotibus Christianis debitæ sunt decimæ. 473.b
Sacerdotis summi cum stirpe sua tantum coniunctio. 12.d
Sacerdotij vicaria præfectura nemini concessa, nisi vrgente necessitate. 87.c
Sacerdotium Christi ad posteros propagari. 165.b
Sacerdotium Zachariæ. 24.b
Sacerdotium omnium bonorum apex. 456.b
Sacerdotium regno præstat. 456.c
Sacerdotium simul & regnum Assamonæis iunctum. 2.e. 3.a
Sacerdotium summum a Christo constitutum. 128.a
Sacerdotium & regnum tempore Christi defecerat apud Iudæos. 4.a
Sacerdotum antiquorum coniugia olim qualia. 12.d.e
Sacerdotum singulæ vices quomodo sortiebantur inter se. 25.e
Sacerdotum principes soli ingrediebantur in adytum templi. 25.d
Sacerdotum plusquam quinque millia cuiusque vicis. 25.e
Sacerdotum principes qui. 87.e
Sacerdotum officia. 25.e

Sacerdotum numerus in templo ministrantium. 13.c
Sacerdotum successiones in publicas tabulas relatæ. 2.e
Sacerdotum vices vigintiquatuor. 13.c
Sacerdotum vices singulæ habebant hominum plus quàm quinque millia. ibid.
Sacramenti virtus. 256.a
Sacramentum Baptismi. 210.b. 222.e
Sacramentum Confirmationis sacrum Chrisma nucupatum. 254.d
Sacramentum Pœnitentiæ. 205. b.c.d. 435. 436. 437.
Sacramentum Eucharistiæ. 154.d. 155. 156. 496.d.e
Sacramentum Ordinis. 338.d
Sacramentum Matrimonij. 461.e
Sacramentum Extremæ vnctionis. 630.e. 631.a
Sacramentum Extremæ vnctionis cur sic dictum. 631.d
Sacrarum imaginum in Ecclesia vsus. 484.c
Sacrificio corporis Christi oblato, vexatio cessauit. 158.c
Sacrificium passio Christi. 156.c
Sacrificium a ieiunis offerendum. 159.d
Sacrificium soli Deo offerimus. 560.e
de Sacro velo. 476.d
Sacrum velum quale. 476.d
Sadducæi cum Samaritis sentiebant. 5.d
Sadducæi a Sadoch sacerdote dicti. ibid.
Sadducæi de resurrectione. 142.c
Sadducæi qui. 4.c
Sadducæorum dogmata. 5.d
Sadoch Pharisæus auctor sectæ Galilæorum cum Iuda. 63.d
Sal Apostolicum mundo necessarium. 527.a
Salamina Cypri, Constantia dicta. 264.d
Salem dicta Hierusalem. 99.d
Salem villa. ibid.
Salmanazar Rex Assyriorum expugnauit Samariam. 102.a
Salmone, siue Salmonium Cretæ promontorium. 588.b
Salome obstetrix. 15.a
Salome quænam fuerit. 22.e
Salome soror Herodis. 60.b
Salome ad monumentum Christi venit. 200.e
Salome non Ioseph, sed Zebedæi vxor. 21.d
Salome est eadem quæ & mater filiorum Zebedæi. 23.a
Salomen sororem Herodes interficit. 65.a
Salomen nunc Herodis vxorem, nunc sororem appellat Iosephus. 65.a
Salome ditata ab Herode. 66.d
Salomon de exorcismis scripsit. 431.a
Salomon Christi venturi typum gerebat. 52.e
Salomonis templum annis septem ædificatum. 98.d
Salomonis porticus. 225.e
Salomonis templi quatuor porticuum descriptio. 226.a
Salomonis porticum integram remansisse. 226.b
de Salomonis porticu institutio Christiana. 233.a
Saltatio ad modos musicos enerut animos. 123.e
Saltatrices in conuiuijs adhiberi solitas. 123.d
Saluatorem dedisse mandatum Apostolis ne ad duodecim annos Hierosolymis decederent, quo modo intelligendum. 275.d
Saluatoris sententia, Denuo debeo crucifigi, vbi habetur, & de quo intelligitur. 621.e
Saluianus Massiliensis Africanæ Ecclesiæ statum deplorat, & cur. 574.d
Salutatio in osculo sancto. 349.d
Salutatio Apostolica. 351.b
Salutatio Hebræorum in pacis nomine. 620.b
Salutis simulacrum. 46.c
Samariæ tributorum quarta pars remissa a Cæsare. 71.b
Samariæ & Damasci spolia quando abstulit Christus. 52.a.b
Samaritani non appellabantur Gentiles. 252.b
Samaritani Spiritum sanctum negabant, Gentiles ignorabant. 252.d.e
Samaritanorum querelæ contra Iudæos. 101.e
hæresis. 252.e
Samaritæ hæretici qui. 705.e
Samaritæ credentes in Christum. 252.a
Samaritæ distincti in quatuor sectas. 6.a
quinque tantum Moysis libros recipiebant. 5.e
Samaritæ adhæserunt Simoni mago. 259.b
Samaritæ Hierosolymitanum templum noctu profanant. 102.e
Samaritarum pertinacia. 102.e
Samaritarum & Iudæorum dissidium sub Cumano. 378.b.c
Samaritarum sectæ diuersæ. 5.e
a Samaritanis probibetur hospitio Christus. 134.c
Samaritanos a Simone mago seductos Pilatus disiecit. 259.a.b
Sammai auctor Scribarum & Pharisæorum. 4.c
Sammai & Hillel Rabbini paulo ante Christum. 4.c. 413.c
Samuel seruire Deo, quàm annuam pecuniam soluere maluit. 17.c
Samuel vxorem duxit, ac liberos suscepit. 19.e
Sanaballath a Dario Rege missus in Samariam, in monte Garizim templum ædificauit. 102.b
Sancta sanctorum semel tantum in anno summum Pontificem penetrare fas erat. 24.b
Sancta sanctis. 497.a
Sancti monachi tamquam germina producti in solitudine Aegypti, per quam Iesus transiuit. 58.e
de Sanctis antiquæ legis. 620.c
Sanctiones Apostolicas Paulus obseruandas inculcat. 396.a. 397.e
Sanctiones diuersæ Pauli pro diuersa occasione. 397.a
Sanctos nominatos esse Christianos. 309.a
a Sanguine abstinere quid sit. 385.e. 386.
a Sanguine abstinere, fuisse olim in Ecclesia receptum. 385.c
Sanguis fluens spongia continetur. 180.a
Sanguis Zachariæ indelebilis in lapide templi. 62.b
Sanguis iustorum a Deo vindictam exposcit. 62.a
Sangum a sancto distinctum esse. 331.b
Sangus, siue Sancus, Sabina lingua Hercules dicebatur. 331.b
Sardonix lapis in Rationali. 80.b
Saron non est nomen oppidi, sed regionis. 283.d
Sarraceni venerantur Christi cunabula in Aegypto. 59.a.b
Sarraceni domum in Aegypto, quam habitauit Deipara, venerantur. 59.a
Satan aduersarium significat. 131.e
Satanæ tradere quid sit. 448.b
Saturnini census. 31.b
Saturninus hæreticus matrimonium & cibos damnauit. 512.b
Saturninus Fuluiæ maritus, amicus Tiberij. 82.c
Saturnum colere existimati Iudæi. 191.b
Satyrus frater S. Ambrosii. 498.e
Sauli persecutio. 251.e. 252.a
Sauli mutatio in Paulum cur facta. 264.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Saulus Tarsensis. 242.d
Saulus audiuit verba Stephani dum oraret. 243.d
Saulus adolesceus dicitur non ætate, sed audacia, & vnde probetur. 262.d
Saulus ad vexandos Christianos Damascum mittitur. 565. e
Saulus conuertitur. 261.a
Saulus & Barnabas collectas pecunias Hierosolymam deferunt. 334.e. 336.a
Saulus & Barnabas quo tempore ad prædicandum ordinati. 336.b
Saulus dictus est Paulus, quando, & quæ causa inditi nominis. 265.a
Saxa aspersa sanguine Zachariæ. 62.b
Scaurus præest Iudæis. 3.d
Scemahaia & Alihalion Rabbini. 409.c
Scenofactoria ars quæ. 409.e
Scenophegia Iudæorum. 141.a. 163.e
Sceptrum Dauid quando defecerit. 2.c
Sceuæ Iudæi filij exorcistæ. 430.e
Schinus arbor. 94.a
Sceptrum Iudæ quando visum est cessasse. 3.b
Scissio vestimentorum apud Hebræos quando. 163.c
Schisma apud Iudæos obortum. 102.c
Schisma Corinthiorum. 446.c
Scipio pallio vsus in gymnasio. 78.b
Scribas Herodes necat. 60.a
Scribæ qui dicerentur. 4.d
Scribæ & Pharisæi quando exorti. 4.c
Scribæ & Pharisæi legem vitiosa interpretatione corruperunt. 4.e
Scribæ occisi ab Herode. 60.c
Scribarum & Pharisæorum genus qui singulis annis baptizarentur. 126.c
Scripta Christi nomine conficta. 328.d
Scripta Petri nomine supposita. 327.a
Scriptores omnes proficui, si recto iudicio legantur. in præf. pag. 6.
Scriptores excidij Hierosolymitani qui. 698.e
Scripturæ diuinæ intelligentia. 212.a
Scripturæ sacræ quædam apertæ sunt, quædam obscuræ. 211. e
Scripturæ diuinæ difficultas. 211.d.212.c
Scriptura diuina multa sublata. 620.e
Scripturæ sacræ latitudo, sublimitas, & profundum. 212.a
Scriptura diuina intelligitur tantum reuelatione Spiritus sancti. 212.a
Scripturarum intelligentia Apostolis peculiariter cõcessa. 211.a
Scytharum mos de infodiendis hominibus viuis vna cum mortuis. 320.b
Scythopoli tredecim millia Iudæorum occiduntur. 660.c
Scythopolis Tiberiadi vicina ciuitas maxima. 127.a
Sebaste vrbs sub Archelao. 71.b
Sebaste sepultum corpus Ioannis Baptistæ. 124.b
Sebasteni puniri iussi propter iniurias illatas Agrippæ, & filiabus. 360.e
Sebuæi hæretici. 6.a
Secretarium in ecclesia quid. 482.b
Secessiones viles quæ. 394.c
Secta Pharisæorum. 4.d.c. 5.a.b.c
Secta Sadducæorum. 5.d
Secta Essenorum. 5.e
Secta Galilæorum. 63.d.e
Secta Herodianorum. 3.c
Secta Nazaræorum. 72.b
Sectæ Samaritanorum. 5.e
Sectæ Iudæorum tres præcipuæ. 4.e
Sectæ Iudæorum destructæ vel mutatæ. 705.d
Sectæ quæ Christum non receperint. 4.d
Sectio & nex debitorum. 234.b
Secunda pedum ablutio. 152.b
Secundum signum Iesu, curatio filij Reguli. 103.c
Sedes primorum Episcoporum asseruatæ. 345.b
Sedes Episcoporum linteatæ, seu velatæ. 345.c
Sede Antiochena. 274.275.276.
Sedes Pontificia quando Romæ erecta. 341.d
Sedes Antiochena quando fundata. 273.b. & quomodo. 273.b.c.d. eidem præfuit Petrus. 274.a
Sedis Antiochenæ erectio certa. 276.a
Seditio exorta Hierosolymis sub Cumano. 377.e.378.b
Seditio Demetrij contra Paulum. 506.e. 508.a
Seditiones Iudæorum post mortem Herodis. 69.d
Secretarium quid. 496.c
Seiani tempore Orosii & Eusebij error. 138.d.e
Seiani odium in Iudæos, & eius causa. 138.e
Seiani felicitas immensa, & obitus miserandus. 138.c
Seiano erectæ statuæ. 138.e
Seianus Consul toto Orbe celeberrimus. 138.b
Seianus aduersus Iudæos. 138.e. 81.d
Seianus impulsor & administrator Tiberij. 83.a
Seianus cur Iudæis infensus. 138.e
Seleuci Manichæi de Mariæ ortu delira commenta. 14.c
Seleucus anchoram sculpebat in annulo. 463.d
Semitonsum caput. 571.e
Semmeum commune apud Aegyptios, in quod septimo quoque die conueniebant. 488.d
Semones dij. 331.a
Senatores abortiui qui dicerentur. 336.c
Senatores Romæ a Tiberio interfecti, & cur. 260.d
Senatus a Tiberio rogatus, vt Christus Deus haberetur. 138.d
Senatus Iudæorum oratio ad Petronium pro templo. 294.b
Seneca præceptor Neroni datus. 421.e
Seneca numquam de Christianis loquitur, ex Augustini sententia. 641.c
Seneca Neronem laudat. 445.c
Seneca damnatus exilio a Messalina. 421.e
Seneca licentiam secedendi non obtinet. 641.e
Senecæ epistolæ ad Paulum quales. 641.c
Senecæ litteris ad Paulum, vnde fluxit opinio. 641.d
Senecæ mors eligenda proponitur, & cur. 643.e
Senecionis obitus. 641.e
Senecionis sepulchralis lapidis inscriptio. 642.b
Seniores iidem qui presbyteri. 525.c
Seniorum septuagintaduorum primus, Princeps sacerdotum dicebatur. 88.b
Seniorum traditiones apud Hebræos. 413.d
Sententia Christi de persoluendo didragmate. 132.c
Sententia de Christo occidendo lata. 139.c
Sententia de primatu templi vnde vim habuit. 107.a
Sententiæ damnatorum executio proroganda edicto Tiberij Imp. 81.e
Sententiæ mortis executio sacerdotibus interdicta. 164.d
Sententiæ diuersæ de reditu Domini ex Aegypto. 70.a
Sentius Saturninus Præses Syriæ. 29.c
Sepeliendi mos apud Hebræos. 183.c
Sephori ciuitas cincta mœnibus. 79.c
Septem diaconi ex quibus electi. 136.b
Septem dies feriari in quibus festis solerent Iudæi. 578.d
Septem dies comedebatur Pascha, vel Phase. 149.b

Septem horis canonicis quidam addunt octauam. 224.c
Septimi diei principium & finis quomodo significabatur. 148. c
Septuagintaduorum iudicium Deus Moysi instituendum mandauit. 114.e ex
Septuagintaduo discipuli designati, & bini missi. 135.b ex
Septuagintaduo interpretes. 135.e
missi ad Ptolemæum. 136.a
Septuaginta interpretum anni ab origine mundi. 40.c.d
Septuaginta interpretum editio in vsu apud veteres tam nostros, quàm Iudæos. 616.d.e
Septuaginta interpretum Biblia restituta. 40.d
Sepulchra Patriarcharum Cariatharbe. 26.e.373.b
Sepulchra habere in speluncis excauata, moris fuisse Iudæis. 201.b
Sepulchra tumbæ nuncupata. 201.b
Sepulchra Apostolorum in honore habita. 671.d.e
Sepulchri Christi munitio in honore habita. 671.e. 672.
Sepulchri Christi descriptio. 201.b.d.e
Sepulchri Christi lapidis color albo & rubicundo permixtus. 201.d.e
Sepulchrum Christi in petra excisum, cuius longitudinis. 201.c
ferro a Iudæis obsignatum. 138.e
vna tantum spelunca continebatur. 201.e.202.a
Sepulchrum Dauid & Salomonis sponte corruit, ad quid significandum. 222.a
in eo magnam vim auri a Salomone reclusam. 222.b
Sepulchrum Dauid ab Herode apertum. 222.b
Sepulchrum Virginis quando repertum. 373.b.d.e
Constantinopolim translatum ferunt. 373.
Sepulchrum Isaiæ apud Siloam positum. 135.a
Sepulchrum Helenæ Adiabenorum Reginæ, & filij. 334.b
Sepultura Gamalielis. 244.c
Sepulturæ ministerium non prohibitum Iudæis die festo. 150.c
Serapidis monitu quidam cæcus lumen a Vespasiano poscit. 687.c
Serapidis templum demolitum. 430.a
Sergius Paulus a Paulo ad fidem conuertitur, & cur Proconsul nominatus. 264.d.361.c
Series Præsidum Syriæ. 29.e
Series genealogiæ virorum tantum texebatur. 12.a
Sermo Apostolicus sublimis. 354.d
Sermonis interpretatio. 353.e
Seruiliam Bareæ Sorani filiam Christianam fuisse suspicari possumus. 652.c
Sessionis primæ cathedræ. 74.a
Sethiani hæretici, & eorum figmenta. 55.e
Sethianorum de stella refellitur figmentum. 55.d
Seueri Cecinnæ oratio. 85.c
Seuerus hæreticus abstulit columbas argenteas. 499.a
Sexta Synodus nullos canones edidit. 531.a
Sexta dies passione Domini consecrata, & tota hebdomada pœnosa. 193.d
Sexta sabbati appellata non est cœna pura. 191.c M.
Sexti & Pyrrhones qui dicti. 116.d
Sibylla Erythræa. 9.b
Sibylla quomodo de Christo Augustum docuit. 10.b
Sibyllæ Cumanæ carmina haud extincta. 9.b
Sibyllæ monita data Augusto quæ. 10.c
Sibyllæ carmen de vniuersali iudicio. 400.c
Sibyllæ quot, quando, cuius fidei. 7.c.8.d
Sibyllæ vnde dictæ. 7.c
Sibyllæ cur appellatæ prophetissæ Gentilium. 7.e
Sibyllis quantum tributum sit. 7.e
Sibyllini libri retenti, crematis supra duo millia. 9.a
Sibyllini libri recondili honorifice. 9.a
Sibyllinos libros cur Deus voluit studiose curari. 9.a
Sibyllinis carminibus Lentulus quid. 9.c ex
Sibyllinis carminibus M. Antonius quid. 9.c ex
Sibyllinum vaticinium de Rege venturo, ex Cicerone. 9.b
Sibyllina carmina exscripta priuatim. 9.b
Sibyllina carmina prædicebant affore Regem, a quo tantum speranda salus esset. 46.c
Sibyllina carmina quibus temporibus Romam allata. 8.d
tribuebantur Sibyllæ quasi viuenti. 10.c
quo anno examinata. 217.b
Sibyllina carmina concremata. 8.d
restituta. 9.b
recognita, & examinata. 9.a
ab Augusto purgata. 9.c
recitata a Constantino. 9.c
Sibyllinorum librorum lectio Christianis interdicta. 8.c
Sibyllinos libros suadet Paulus legi. 18.a
Sibyllistæ Christiani dicti. 7.d
Sicarij vnde dicti. 587.a
Siccorum eduliorum vsus. 193.e
Sichem ciuitas, nunc Neapolis. 103.b
Siclus & quadrans idem. 132.e
Sidonij Apollinaris error corrigitur. 81.e
Sidonius Episcopus datus a Petro. 315.c
Sigilli nomine quod sacramentum dicatur. 255.a
Sigillum Pauli in epistolis scribendis quod. 619.e. 620.a
Sigillum Domini dictum sacramentum Confirmationis. 258.d
Signa visa de Christi aduentu. 10.c
Signa & prodigia per Apostolos facta. 233.b
Signa in annulis Christianorum quæ sculpenda, & quæ non. 463.d.e
Signa aduentus sui cur simul a Domino explicata cum signis excidij Hierosolymitani. 655.e.666.a.b
Signare se cruce, Apostolica traditio. 419.c
Signaculi sacramentum. 254.e
Signo crucis mulier liberata a dæmonis illusione. 107.e. 108.a
Signo Tau qui signati. 169.b.c
Signum crucis quid significaret apud Aegyptios. 169.c
Signum crucis salutis hieroglyphicum. 169.c
Signum hieroglyphicum mutui fœderis. 464.c
Signum fidei in annulis Christianorum. 464.c
Silas peregrinationis Pauli comes. 399.a.b
Silas & Paulus carcere mancipati. 402.a
Silas & Paulus Beræam dimissi. 403.a
Silas & Timotheus Athenas ad Paulum veniunt. 408.b
Silæ & Pauli coitio. 321.e
Silæ & Paulo quæ acciderunt Berææ. 403.c
Siloe fons precibus Isaiæ erupit ad radices montis Sion. 134.d
Siloæ turris collapsa. 136.e
M. Sillanus spontanea morte necatus. 282.a
Sillanus dolo Agrippinæ interfectus. 509.e
Siluanus cooperans Paulo in Euangelio. 411.a
Siluester omnes dies feriæ nomine appellauit, sed non primus. 555.c
Simeon Iacobo minori in ecclesia Hierosolymitana successit. 23.d
Simeon iustus. 7.b. 56.c
Simeon inter Prophetas. 57.a
Simeonem fuisse cæcum, falsum. 57.b

Simeoni vt visa Maria in templo. 56.c
Simon semmus Pontifex Iudæorum. 16.b. 26.a
Simon Boethi filius ab Agrippa Pontifex creatus. 307.b
Simon recuperata Hierusalem cum ramis palmarum ingreditur arcem. 141.b
Simon Herodis affectat regnum. 70.d
Simon cur Petrus dicius. 93.c
Simon Galilæus sectarius sectæ Iudæ Galilæi. 77.b
Simon Galilæus defectionis arguitur. 77.b
Simon Camithi Pontifex. 80.d.e
priuatus. 81.b
Simon Cananæus, Zelotes dictus. 325.b
Simon Zelotes sponsus in nuptijs Canæ Galilææ. 95.d
Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. 646.b
vnde confusi nomine. ibid. c
Simon Cyrenæus crucem Christi portare cogitur. 170.a
Simon Apostolus alius est a Simeone fratre Iacobi. 325.d
Simon Apostolus cognomento Zelotes. 646.c
Simon Apostolus alius a Simeone Iacobi successore. 646.c
Simon Apostolus per quas prouincias prædicauit Euangelium. 325.d
Simon & Iudas martyrio in Perside coronati, sed annus incertus. 645.c
Simon & Iudas vnus & idem putatur a Sophronio. 646.a
Simon magus vbi natus. 257.a. 329.c
Simon magus quid de se, & de sua femina doceret. 257.a
Simon magus quid est admiratus in Apostolis. 253.a
Simon magus Samaritanorum seductor. 252.d
Simon magus primogenitus satanæ. 258.a
Simon magus primus hæresiarcha. 258.b
Simon magus dicebat se esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. 258.c
Simon primus omnium hæresiarcha a Petro damnatur, ad quid significandum. 259.a
Simon magus hæreticorum princeps, & auctor. 258.e
Simon magus Romæ statua donatus, & adoratus. 257.e. 329.c
Simon magus in imagine Iouis adorabatur. 332.a
Simon magus quid persecutionis tempore docuit suos. 643.b
Simon magus tonsuræ quoddam genus excogitauit. 573.e
Simon magus quid de Angelis dixerit. 605.d
Simon magus se in Neronis amicitiam insinuauit. 648.d
Simon magus pollicetur volatum. 648.d
Simon magus offert pecuniam Petro ad Spiritum sanctum emendum. 256.e. 257.a.b
Simon filius Cleophæ. 23.d
Simon Hierosolymita legis peritus. 360.b
Simon qui vocabatur Niger. 336.b
Simon Iudæus dux in suos armatur. 686.b
Simon Gerasenus dux Iudæorum. 686.b
Simon Gioræ filius primæ Iudæorum factionis dux. 688.e
Simon Gerasenus aduersus Zelotas in Hierusalem recipitur. 686.b
Simoniaci hæretici. 257.e
in Simone mago diaboli æmulatio. 258.b
Simonis magi insanæ opiniones. 257.a.b
Simonis magi Helena. 257.c
Simonis magi discipuli qui. 257.e. 258.a
Simonis magi prima vox fuit, per gratiam tantum sine operibus saluari homines. 258.e. 630.b
Simonis magi præstigiæ. 651.c
Simonis magi opera & præstigiæ quæ. 651.b
Simonis magi scelera. 258.a.b
Simonis magi fabula. 257.c.d
Simonis magi volatus, & casus. 649.b
Simulacra sponte collapsa, Christo Aegyptum intrante. 58.b
Simulacra collocari Hierosolymis nefas. 84.b
Simulatio Petri. 389.a
Simulatio venenum molestum & infaustum in Ecclesia. 231.c.d
Sindon vestis cœnatoria. 152.c
Sindon, qua inuolutum est corpus Domini in sepulchro, asseruatur in ecclesia Taurinensi. 184.c
Sindonem abiecit adolescens, id est, vestem cœnatoriam. 160.b
Sinopis Ponti oppidum. 315.e
Sinesius a Iudæo superstitioso nauta delusus. 6.b
Sion Dauidis ciuitas. 222.c
Sion omnium ecclesiarum maxima. 219.b
Sirletus Cardinalis Bibliothecarius. 356.d
Sisara Barach vincente prostratus vbi. 132.c
Situs Bethlehem. 44.b
Situs ecclesiarum ad Orientem. 481.d
Sixti martyris corpus incertum. 430.c
Sixtus Quintus Græcam Septuagintaduorum interpretum editionem Latine redditam comprobauit. 40.d
Smaragdus lapis in Rationali. 80.c.d
Sobe Bethlehemitica soror S. Annæ. 15.a
Sobe mater Elizabeth. 15.a
Soceri sunt loco parentum. 12.c
Socrates a Melito accusatus. 405.c
Socrates cur morte damnatus. 405.c
Socrates historicus Nouatianus fuisse ostenditur. 439.e
Socrates de abrogata pœnitentia mentitur. 440.d
Socrates erroris arguitur de Quadragesima Ecclesiæ Romanæ. 516.a
& de ieiunio sabbati. 519.a
Socrates & Sozomenus in historia de Paphnutio quomodo a mendacio liberentur. 529.d
Socratis & Sozomeni assertio de presbyteris pœnitentiarijs. 439.a
Socratis historia quàm fidelis. in præf. pag. 1.
Socratis error de die Paschatis. 553.c
Socrus Simonis Petri curata. 107.b
Solaria in domibus Iudæorum qualia. 108.c
Sol intra tres circulos visus apparere quibus Coss. 10.a
Sol arcu cælesti circumdatus. 46.a
Sol circulo obsignatus. 10.c
Sole obscurato cum Iesus est cruci affixus, & de magnis terræ tunc motibus factis scripsit Phlegon auctor Gentilis. 178.c
Solem obscuratum tempore passionis Domini in vniuerso Orbe. 178.c
Solem in plenilunio non posse naturaliter deficere. 179.c
Solem ignitum lapidem dicebat Anaxagoras. 405.b
Solem adorabant Priscillianistæ. 161.b. 564.d
Solem adorari a Christianis cur dicerent Gentiles. 563.c.d
Soleis Christiani vtebantur. 479.b
Solemnitas anniuersaria in cuiusque Episcopi præfecturæ exordio. 341.e
Soles tres visi Romæ quibus Coss. 11.a
Soles decem sine cibo transigere Christianos. 515.a
Soli nascenti inclinare, Christianis vetitum. 564.e
Solitudo ex transitu Domini benedictionem suscepit. 58.e
Sophronij historia de S. Ioanne Baptista. 88.d

Sorores Annæ. 15.a
Sorores Mariæ. 15.b
Sorores appellabant Iudæi gentis suæ feminas. 467.b
Sors quæ cecidit super Matthiam. 219.d
Sors diuina quid sit. 219.e
Sorte numquam delectum summum sacerdotem apud Hebræos. 24.e
Sorte quæ definirentur. 24.c
Sorte semel tantum summum sacerdotium a factiosis collatum. 24.e
Sortem mittere quibus conditionibus liceat. 219.e
Sortes Apostolorum, liber sic dictus, reiectus. 219.e
Sosipater comes Pauli. 544.e
Sosius Syriæ Præses. 29.a. 38.a
Sosthenes vnus ex septuaginta discipulis. 136.c
Sosthenes synagogæ princeps. 422.a
Sozomeni historia quàm fidelis. in præf. pag. 2.
Spathephori, Alexandrini lictores. 280.e
Speciosa porta quæ. 227.a
Spectacula ferarum, & gladiatorum, lege prohibita. 599.b
Speculo vti nequaquam solebant Christianæ mulieres. 476.d
Speculo sæpe vti in viris reprehensum. 476.d
Spelunca in qua Christus nascitur, vbi posita, celebris etiam apud infideles. 44.a
in ea fluxit e petra aqua indeficiens: mirifico opere excauatur. 44.c
sanctæ Mariæ ecclesiam continebat. 44.d
Spelunca illustris Magorum hospitio. 55.e
Spelunca Ioannis Baptistæ a Domino visitata. 89.a
Spicarum manipulus quando & quomodo a Iudæis offerretur. 99.e. 220.b
Spinas coronæ Iesu, & alia passionis instrumenta diligenter asseruata. 184.b
Spinea corona coronatur Iesus ad quid innuendum. 167.b
Spineæ coronæ Domini sentes reuirescere. 167.d
Spirituale nubendi genus. 477.b
Spiritum sanctum Iesus suis impertitur. 203.a
Spiritum sanctum datum esse Apostolis die Dominico. 220.b
Spiritum sanctum in Samaritas descendisse, magis mirum, quàm in Gentiles. 252.e
Spiritus sancti & Ecclesiæ mira consensio. 396.d
Spiritus sanctus cur Petri opera in Samaritas descendit. 253.b
Spiritus sancti gratia in Gentes effusa. 286.d
Spiritus sancti dona eadem absque miraculis. 256.d
Spolia Damasci quando abstulit Christus. 52.b
Spolia Iudæorum in triumpho Titi. 702.a
Spongia Domini olim Hierosolymis visebatur. 160.c
Spongia Domini, quæ Romæ in basilica Lateranensi asseruatur, cuius coloris. 180.c
Spongia veteres conglutinabant vulnera. 179.d
Spongiæ vulnerato gladiatori ministrabantur ad siccandum sanguinem. 180.a
Spongia admota Adonidi vulnerato. 180.b
Sponsa Christi dicitur virgo Deo dicata, & cur. 477.c
Sponsa velatur in desponsatione. 462.c
Sponsa apud Hebræos delinquens plectebatur vt nupta. 19.b
Sponsalis annulus. 463.b
Sponsalis annulus quo signo apud Christianos sculperetur. 463.e
Sponsalia apud Hebræos non minoris momenti, quàm ipsæ nuptiæ. 19.b
in Sponsalibus apud Hebræos mariti & vxoris nomina describebantur. 19.b
Sponsas Christi nigra veste indui solitas. 477.d
Sponsi dexteras iungunt ad quid. 462.c
Sponsus ad sponsam annulum ferreum mittebat apud Romanos. 463.c
Sponsus & sponsa benedicendi. 461.d
Sportulantes clerici. 471.d
Stachis Episcopus ordinatus ab Andrea. 323.d
Stagna Neronis vbi. 670.d
Stantes aliquando oramus, aliquando genuflexi, & cur. 565.a
Stater quid sit. 132.d
Staterem impendi pro se & Petro cur voluit Christus. 133.b
Statio ieiunium appellari solitum. 515.e. 516.a
Statua Saluatoris, & mulieris ab eo liberatæ. 110.a
Statua Simoni mago Romæ erecta cum titulo, Simoni Deo sancto. 329.c.d.e
Statua Alexandri Alabarchæ Romæ. 376.d
Statua Apollonij Tyanæi operatione dæmonum dabat responsa. 654.
Statua Caij locanda in templo. 290.d
Statuæ Aegyptiorum aduentante Christo concussæ. 58.a
Statuæ in proseuchis dicatæ Caio in Aegypto. 282.a
Statuæ Caij Imp. dedicatio apud Hebræos. 291.b
Statuæ Caij in templo ponendæ dilationis prætextus. 295.e
Statuam Dianæ & Vestæ non pati pluuiam, puerile. 688.d
Statuas de Hierosolymis auferri iussit Pilatus. 84.c
Statuas vel aras erigere nonnisi ex S.C. licitum erat. 331.d
Statuas Christi & sanctorum a Constantino factas. 486.a
Status Iudæorum tempore aduentus Christi. 3.d.e. 4. 5.6.
Status Gentilium quando Christus venit. 7.c
Status in Ecclesia triplex. 464.c
Status virginalis viduali & coniugali præponitur. 464.b.c
Stella orietur ex Iacob, & exurget ex Israel: prophetia etiã apud Magos. 50.e
Stella Magis visa quæ, qualisve. 51.a
Stella Magorum cuius substantiæ. 55.b
Stella Lucifer Vesperugo appellata. 196.a
Stellam Magis visam, Angelum fuisse. 55.c
de Stellæ Magorum eximio fulgore Ignatius & Prudentius. 55.d
Stephanæ domus baptizata a Paulo. 410.e
Stephani martyrium quo anno, quove die acciderit. 241.d
Stephani necis occasio. 242.c
Stephani diem natalem inter Christianorum ferias adnumerari. 243.c
Stephani partus Paulus. 243.c
de Stephani sepultura ex relatione Gamalielis. 243.e
Stephani memoria. 243.b
Stephani corporis inuentio. 243.e
Stephani funus. ibid.
Stephanus B. Iacobo ministrabat. 237.b
Stephanus primicerius diaconorum, & archidiaconus appellatus. 238.e
Stephanus vbi lapidatus. 242.d
Stephanus pro lapidantibus orat. 243.c
Stephanus si non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. ibid.e
Stephanus non ea die sepultus, qua necatus est. 243.c
Stephanus vbi sepultus. 244.d

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stephanus Papa cognoscit historiã de imagine Domini ad Abagarum missa. 105.e
Stephanus Papa traditionum custos. 418.a
Stephanus procurator Flauiæ Domitillæ Domitianum occidit. 744.e
Stephanus Domitiani occisor, libertus Clementis. 747.c
Stipendia clericorum. 471.b
Stirps Herodum quousque perseuerauerit. 3.c
Stirps Mariæ, liber apocryphus. 14.c
Stirps Apostolorum. 113.e
Stoici & Epicurei cum Paulo disputant. 404.a.b
Stola pontificia Iudæis ablata. 4.b.
a Vitellio restituta. 266.e
Stola pontificia in potestatem Iudææ Præsidum redacta. 80.a
Stola cum ornatu pontificio permissa in templo asseruari a Vitellio. 266.e
Stola Pontifex induebatur ieiunij tempore. 80.b
Stola pontificia seruata in turri Antonia. 80.a. 548.d
Stola Pontifici exhibebatur a Præfecto castelli. 267.b
Stola sacerdotalis super dexteras nubentium. 462.b
Stolæ pontificiæ causa Iudæis negotium factum. 375.e
Stolam pontificiam Herodes custodiri iussit. 4.b
Strages exercitus Herodis ab Areta illata. 100.d
Stratonis turris vrbs sub Archealo. 71.b
Stratos in terra orare interdum Fideles consueuisse. 565.c
Structura templi ab Herode erecti firmissima. 142.e
Structura templi penitus demolita. 695.c.d
Studium Iudæorum contra Christum. 164.c
Studium Pauli erga Corinthios. 448.b
Suaria ars apud Hebræos illicita. 108.b
Suarijs multa concessa priuilegia a Romanis. 108.b
Sues ali in Palæstina consueuerunt. 108.b
Subductio Iesu. 74.e
Successio Præsidum Syriæ. 29.e
Successionis vis magna. 103.a
Successor Petri in sede Antiochena quis fuerit. 345.e
Sudaria Pauli mira operantur. 426.d
Sudarium Veronicæ. 184.c
Sudarium, quo caput Domini est inuolutum, ab incendio remansit illæsum. 184.b
Sudarium Plautillæ. 668.c
Sues Iudæi proprio nomine non appellant. 108.b
Suetonij locus declaratus de Christo impulsore. 380.c
Suetonius nullum temporis ordinem seruat. 32.d
Suffocata quæ sint. 385.b.c
a *Suffocatis abstinere, non fuisse omnibus & semper ab Apostolis præceptum, quidam affirmant.* 384.c
a *Suffocatis abstinere quæ Concilia iubent.* 386.c.d
Suffragia pro defunctis exhibere, ab Apostolicarum traditionum fontibus manare, multis auctoritatibus comprobatur. 246.b
Sulphurata vitro rupto iam olim permutare soliti Iudæi. 11.b. 732.b
Sulpitius Galba Cattos vicit. 332.d
Sulpitij Galli seueritas. 475.b
Sulpitius Seuerus de vestigijs Domini. 218.b
Summa triginta argenteorum Iudæ. 144.a.b.c.d.e
Summa rerum penes sacerdotes apud Hebræos. 558.a
Summi Pontificis corona. 241.b
Summum sacerdotium homini rustico Phani nomine obtigisse. 24.e
Summum sacerdotem nonnisi vnum apud Iudæos fuisse. 87.e
Summum sacerdotẽ in omni religione semper fuisse. 128.b
Summus sacerdos numquam sorte delectus apud Hebræos, nisi semel per vim. 24.e
Summus Pontifex virginem tantum ducere poterat in lege veteri. 532.c
Superliminare templi collapsum terræmotu, qui in morte Domini factus est. 181.b
Superstitiones Gentiliciæ in religionem Christianam cõuersæ sanctificatæ. 319.e
Supplicium capitis truncationis an esset apud Hebræos. 176.d
Susanna Christum sequitur. 122.d
Susannæ historia cur a Iudæis suppressa. 620.c
Suspensi patibulo ante occasum Solis sepeliebantur, & cruciatu necabantur. 182.c
Sustensio, censura Ecclesiastica. 452.d
Sylanus occisus. 599.c
Syllæus propinquioris Iudææ Arabiæ Rex. 53.c
Symbolum Apostolorum quando editum, & qua occasione. 317.b.c.d
Symbolum quid significet. 317.b
Symbolum collatio. 317.e
Symbolum singulorum Apostolorum sententijs compactum. 317.c
Symbolum quotidiè recitandum. 317.e
Symbolũ Romæ semper sincere & illibate seruatum. 318.b
Symeon inter Prophetas numeratur. 57.d
Symeon sine honore humatus propter inuidiam sacerdotum. 57.a
Symeon Iacobo succedit. 626.d
Symeon ex Cleopha genitus. 628.b
Symeon Cleophæ passus sub Traiano, alius a Simone Cananæo. 646.b.c
Symeon cum alijs Christianis Hierosolymis discessit ante obsidionem Vespasiani. 662.c
Symeon centum & viginti annos natus cruci affixus. 715.d
Symeonis præmeditatio. 56.e
Symmachus interpres secundo circumcisus. 470.e
Symmachus Papa fecit oratorium sanctæ Crucis. 489.d
Synagogæ Iudæorum a Caio violatæ. 279.a
Synagogæ conuentus ordo. 74.a
Synaxim ante communem mensam celebrari solitam tempore Apostolorum. 491.b.c
Synaxim sacram fecit Paulus Troade. 545.b
Synaxes etiam in persecutionibus frequentari solitas. 490.c.d.e
Synaxes etiam in carceribus habitas. 490.e
Synedrin apud Iudæos collegium quale. 88.a
sublatum ab Herode. 60.a
ex nouis hominibus suffectum. 88.c
Synedrin concilium legationem mittit ad Ioannem Baptistam. 91.e
Synesius Episcopus Ptolemaidis. 459.d
Synesius damnat magistratus. 459.e
Synesius Andronicum excommunicat. 459.d
Synodica acta Concilij Apostolorum. 383.b
Synodos Apostolorum quatuor fuisse. 530.e
Synodus sexta nullos canones edidit, vnde impostura quorumdam Episcoporum detegitur. 530.d
Synodus Turonensis secunda contra clericos incontinentes. 531.c
Synodus Laodicena cultum Angelorum non imminuit. 606.e
Syracusis tres dies constitit Paulus. 591.e
Syri & Iudæi per totam Palæstinam digladiantur. 660.b
Syria Damasci, Arabia nominata. 52.b
Syria citerior, & alia cognominata Cœle. 114.a
Syriace locutus est Dominus, cum ait, Tu es Cephas, id est, Petra. 93.c

Syria-

Syriacas legiones nullam Seiani imaginem inter signa coluisse. 138.e
Syricius Papa nuptijs celebrandis & virginibus sacrandis interfuit. 526.e
Syriam totam fama Iesu peruasit. 104.c
Syriam Deam circumferentes phanatice multa iactabant. 115.d
Syriæ Deæ templum antiquissimum. 576.a.b
Syriæ Deæ sacerdos mitra vsus. 240.c
Syriæ Præses Cuspius Fadus. 360.c
Syriæ Præsidum tempora. 29.e
Syriæ Præsides Antiochiæ agebant. 70.c
Syriæ concessa immunitas, vt nonnisi puberes describerentur. 31.e
Syriæ præfecturæ nobilitas. 271.c
Syriæ contributa Archelai ditio. 76.e
Syrophœnissa Cananæa appellata. 127.a
Syros vti solitos A, pro I. 115.e

T

T littera fures notari solii, & cur. 169.b
Tabellarij vsus. 602.e
Tabellarij Episcoporum qui. 602.e
Tabellas pictas pro voto suspendere solebant Gentiles. 507.a
Tabellæ pictæ pro voto a Christianis appensæ. 560.b.c
Taberna Meritoria, ex qua oleum fluxit. 46.a
figura Ecclesiæ. 11.a
Tabernæ tres vbi positæ. 597.c
Tabernacula duo in templo Salomonis. 25.b
Tabernaculum Sancta sanctorum nemini erat perspicuum, nisi sacerdotibus functionis suæ tempore. 25.c
Tabernaculum Sancta sanctorum quæ asseruaret. 25.b
Tabernaculum Sancta sanctorum intra secundum velum. 25.b
Tabitha a Petro suscitatur. 283.e
Tabor mons Itabyrion a Iosepho dictus. 132.a
Tabor montis situs & figura. 132.b
quantum distet a Diocæsarea, Naim, & Nazareth. 132.b
inuisitur a Christianis religionis gratia. 132.c
planiciem habet in vertice, in qua tres sunt ecclesiæ fabricatæ. 132.b
in *Tabor facta existimatur apparitio plusquàm quingentis fratribus.* 209.c.210.a
Tabulæ Testamenti. 25.b
Tacitus Iudæos Bacchum colere calumniatur, in Christianos odio flagrans mendax in historia reperitur. 639.e
mendaciorum loquacissimus appellatus. 698.b
Tamquam, dictio aliquando expletiua. 37.a
Tanis vrbs Aegypti antiquissima. 26.e
Taprobana insula Aethiopiæ. 260.d
Taprobanam petit Thomas. 323.e
Tarichea ciuitas a Vespasiano expugnata. 445.b
Tarsenses rerum philosophicarum studiosissimi. 580.d
Tarsum Ciliciæ Saulum cum parẽtibus commigrasse, falsum. 263.c
Tarsus Ciliciæ metropolis. 580.b
Tarsus ius municipale a Romanis fuerat consecuta, & qua ratione. 580.b
Tarsus Cæsarianis partibus & Octauio fauit. 580.b
Tarsus Iuliopolis dicta, & cur. 580.b
Tatianus & Ammonius de concordia Euangelistarum. 86.c
Taurinus Ebriocensis Episcopus. 735.b
Telesimus Consul fauet Tyanæo. 654.b
Tempestas Pauli prope Melitam. 589.a.b
Templa quæ dicerentur. 47.b
Templi Dianæ Ephesiæ magnificentia. 570.d
Templi Hierosolymitani partium vsus. 25.c
Templi situs, & ordo ingredientium. 74.b.c.d
in *Templi adytum soli Principes sacerdotum ingrediebantur.* 74.b
Templi structura facta ad Herode firmissima. 17.c.142.e
Templi portæ, quibus mulieres intrabant. 18.a
Templi portæ maioris descriptio. 228.e
Templi portæ descriptæ. 226.c.227.d.e
Templi porta maior quæ. 74.c
Templi ruina prædicitur. 142.d
Templi interiora mulieribus nefas ingredi apud Hebræos. 227.d
Templi Hierosolymitani descriptio, & portarum eius. 225.d.e. 226.a. per totum.
Templi & Memoriarum differentia. 490.b
Templi Hierosolymitani magnitudo vnde probatur. 226.b
Templi profanatio a Samaritis facta. 102.e
Templi superliminare collapsum tempore mortis Domini. 181.c
Templi atrium sanguine inundauit. 689.a
Templi thesaurum quale. 702.b
Templi conflagratio quo die. 693.a.b
Templi structura funditus demolita. 695.c
Templi deprædatio a Crasso. 702.d
Templi velum quale. 180.e
Templi vasa in templum Pacis translata. 702.b
Templi diuitiæ. 702.b.c.d
in *Templo locus orationis feminarum.* 18.a
in *Templo plura fuisse thuribula.* 25.d
in *Templo fuisse virgines deputatas.* 18.e
in *Templo alius orationis, alius habitationis locus.* 18.a
in *Templo foras erat multitudo populi bora incensi, id est, extra primum velum.* 25.c
in *Templo virgines a nuptis seorsum orare consueuisse.* 18.b
in *Templo thuribulum aureum non vnum tantum.* 25.c
in *Templo comedere fas non erat.* 18.a
in *Templo feminæ a viris segregatæ.* 17.c.d
in *Templo locus, vbi feminæ, quæ se Deo vouerant, simul agerent.* 17.c
in *Templo quot cellæ.* 17.c
in *Templo loca distincta.* 25.a
in *Templo habitasse aliquando seminas.* 18.d
in *Templo duo erant altaria.* 25.a
in *Templo quot sacerdotes ministrabant.* 13.c
in *Templo Pacis ornamenta templi Hierosolymitani reposita.* 716.a
Templum primum quod. 226.c
Templum Salomonis quoties ædificatum. 226.b
Templum Salomonis Orientem versus spectabat. 487.d
Templum sub Zerobabel instar prioris restitutũ. 17.e.98.a
Templum ab Herode excitatum. 17.e
Templum quatuor porticus habuit. 25.c
Templum Pacis corruisse nocte qua natus est Dominus, falsum. 46.d
Templum Pacis nondum erectum Christi tempore. 47.a
a quibus constructum. ibid.
quo tempore conflagrauit. 47.c
quo anno ædificatum. 716.a
Templum Pacis Vespasianus ædificauit, & cur. ibid.
Templum legitimum vnde dignoscitur. 103.a.b
Templum Hierosolymitanum exuritur. 693.a.b
Templum Dianæ Ephesiæ. 507.c.d.e
inter septem Orbis miracula. 507.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

spoliatum & incensum. 507.e.508.a
sæpe restitutum. 693.b
Templum Deæ Syriæ antiquissimum. 576.a.b
Templum Iudæorum in Aegypto. 704.b
Templum sibi extrui non passus Tiberius. 79.d
Temporalium rerum vsus minime vetitus. 474.d
Temporum indagatio ad Scripturæ interpretationem quantum conferat. 537.e
Temporum veritas per Consules exquirenda. 677.a
Temporum errores per Consules deprehendi. 677.d
Temporum ratio quantum valeat in rebus perueſligandis. 684.d
Tempora quatuor ieiuniis decreta. 520.a
Tempus, quo Christus Pascha celebrauit. 146.d.e
Tempus prædicationis Christi. 186.b
Tempus diei Iudicij occultum reliclum. 697.e
Terebinthus arbor antiquissima prope Chebron. 27.a
Terentius Varro se in Publicanorum societatem contulit. 109.a
Terentius & socij martyres. 365.d
Terra, quæ Domini adiacet sepulchro, virtutem hausit. 184.e
Terra sancta de sepulchro Domini allata venerationi habita. 184.e.185.a
Terra sancta, aqua admixta, formari consueuisse tortulas. 185.a
Terræmotu duodecim ciuitates excisas in Asia sub Tiberio. 181.b
Terræmotu Laodicea prosternitur, & finitimæ ciuitates. 625.d
Terræmotus factus Spiritu sancto super Apostolos veniente. 230.c
Terræmotus tempore passionis. 181.b
Tertia die, non post tres dies, se Dominus resurrecturum prædixit. 199.e
Tertia, sexta, & nona hora potissimum obseruatæ. 224.c
Tertius Pauli discipulus, Episcopus Iconij. 543.c
Tertulliani locus difficilis explicatur. 31.a
cur agens de censu non vtitur Euangelij auctoritate. 31.b
eius opinio, quo anno suæ ætatis passus sit Christus. 185.d
error de Publicanis. 108.e
Tertulliani loca explicata. 31.a.b
Tertulliani error de epistola Pauli ad Hebræos. 396.a
in Tertulliano magis propria locutio non est requirenda. 31.c
Tertullianus de veritate carnis Christi aduersus Marcionem. 31.d
Tertullianus sub quibus Coss. Christum passum asserit, & eius error. 185.e
Tertullianus epistolam ad Hebræos Barnabæ tribuit. 617.b.c
Tertullianus Cypriani magister dictus. 618.c
Tertullus pro Iudæis contra Paulum. 582.d
Tessera Christianitatis, Symbolum Apostolorum. 317.d
Tessera hospitalitatis inter Christianos & Gentiles. 714.e.715.a
Testamenti arca. 25.b
Testamenti tabulæ. ibid.
Testamenti noui ministri. 86.a
Testamentum Herodis. 66.c
Testimonia contra Iesum non conuenientia. 163.b
Testificatio SS. Patrum de traditionibus. 415.d
Tetragrammaton Dei nomen quid posset. 431.c
Tetrarcha, non Rex instituitur Archelaus. 71.b
Tetrarchiarum Palæstinæ diuisio. 86.e
Tetrarchiæ vocis significatio. 87.b
Tetrarchiæ regnorum instar. 87.b
de Tetrarchis Iosephus Euangelistis consentit. 86.e
Thaddæi cum Abagaro collocutio. 311.b
miracula. ibid.
Thaddæo Apostolo quæ regio ad prædicandum obtigerit. 325.e
Thaddæos duos fuisse. 325.e
Thaddæus vnus ex septuaginta ad Abagarum missus. 310.
Apostolus a Hieronymo creditur. 312.a
Thaddæus curat Abagarum. 311.
Thalassa ciuitas. 58.c
Thamar a Iuda annulum petijt pro arrhabone. 465.c
Thau signo qui signati. 169.c
Thaumaturgus Gregorius ius dicit. 458.c
Thecla sponsum relinquens, adhæret Christo. 364.d
Thecla protomartyr dicta. 366.d
Thecla superat ignem. 365.b
Thecla leones superat. 365.b
Thecla Pauli cupida. 365.e
Thecla distrahit gemmas. 364.e
Theclæ Acta. 362.
Theclæ & Pauli Acta apocrypha quæ. 363.
Theclæ Acta germana. 364.b.c.
Theclæ passio. 364.
Theclæ pugnati Angelum adstitisse imagine Pauli. 365.c
Theclæ passione obtestatio fieri solita. 365.b
Theclæ nomen insigne. 366.d
Theclam robibet Paulus secum pergere. 365.e
Theodas seductor quando. 62.c
Theodæ facinus, & mors. 63.b
Theodæ præstigiatori viri circiter quadringenti consentiunt. 234.a.d
Theodæ caput abscissum. 63.c
Theodoreti expositio in epistolam ad Colossenses de religione Angelorum improbatur. 606.e
Theodoretus bene sentit de Angelorum cultu. 680.b
Theodori pœnitentiarium manuscriptum. 386.d
Theodorus Studita meminit de epistola Abagari ad Iesum. 105.c
Theodorus ab Ethnicis supplicio affectus, quòd clericos tonderet. 572.c
Theodorus contra Latinos, qui a sanguine non abstinebant. 385.e.386.c
Theodosius Magnus vrceum vnguenti quo Christus inunctus fuit, in foro Constantinopolitano a Constantino depositum, inde sublatum honestiori loco recondidit. 121.e
Theodosius Iudæorum princeps. 13.c
Theodosii Iudæi de Christi sacerdotio impostura. 13.c
Theodosii Iudæi inuentum de obstetrice Deiparæ Virginis. 13.d
Theodosii lex de proroganda morte damnatorum. 81.e
Theodosius cœnobiarcha. 56.a
Theodosius Imp. ab Ambrosio mulctatus. 457.
Theodotus Septentrionalem partem dimensus est. 33.c
Theophilum Anani filium a summo sacerdotio summouit Agrippa, & Simonem substituit. 307.b.c
Theophilus Antiochenus. 533.e
Theophilus sufferctus Zachæo in Episcopatu Ecclesiæ Cæsariensis in Palæstina. 583.a
Theophilus Ecclesiæ Antiochenæ Episcopus. 410.b
Euangelia in vnum compegit. 86.c
Theophilus, ad quem Lucas scribit, quis fuerit. 533.e
Theophilus pontificatum a Ionatha accipit per Vitellium. 268.d
Theophorus homo, Christus dictus. 374.c
Thesmotheſiæ magistratus Athenis. 404.b
Thessalonicenses alacriter a Paulo verbum suscipiunt, & quæ

& quæ passi. 402.d.e
Thessalonicæ quid egit Paulus. ibid.
Thessalonicensium tribulatio qualis. 402.e
Thomæ Apostolo quæ regio ad prædicandum obtigerit. 323.e
Thomæ Apostoli crux in ecclesia sculpta. 484.e
Thomam neutiquam fuisse expertem Spiritus sancti, licet præsens non fuerit, cum Dominus insufflauit in discipulos. 205.e
Thomas Apostolus vidit Iesum resuscitatum. 206.a.b
Thomas ad Paribos profectus, ad Indos penetrauit. 323.e
Thomas Taprobanam insulam petit. ibid.
Thramni Aegyptij historia. 181.d
Thramnus a Tiberio accersitus. ibid.e
Thrasea Pætus a Nerone interficitur. 652.e
Thrasillo mago vtebatur Tiberius. 80.e
Thuribula plura fuisse in templo. 25.d
Tiara ex quibus olim confecta. Vide supra, Corona.
Tibarenorum mos de præcipitandis senibus. 320.b
Tiberiadis lacus. 79.b
Genezareth appellatus. 107.a
Tiberias in lacu Genezareth. ibid.
Tiberias ædificata. 79.b
Tiberij Imperium. 79.a
Tiberij laus. 79.d
Tiberij primordia felicia. ibid.
Tiberij studium erga Iudæos. 298.c
Tiberij literæ pro Iudæis. ibid.e
Tiberij edicto magi profligati. 80.e
vsus sericorum ablatus. ibid.
Tiberij lex aduersus histriones. 81.e
Tiberij lex de pœna damnatorum proroganda. ibid.
Tiberij comminatio accusatoribus Christianorum. 216.b
Tiberij annus quintusdecimus, annus placabilis. 85.e
Tiberij crudelitas. 83.a
Tiberij crudelitas in Senatores. 260.d
Tiberius Nero ab Augusto adoptatur, & quando. 65.d
Iuliæ Augustæ filius. 79.a
Iudaicos ritus compescuit. 82.b
Iudæos Vrbe pellit. 81.e
res Iudæorum restituit. 81.d
coercet libidinem feminarum Romanarum. 82.a.d
in deterius mutatus. 83.a
ferme biennio vsus pallio. 78.b
sermone Græco abstinuit. ibid.
magiæ intentus. 80.e
coercet Pilatum. 84.e
oblatos respuit honores. 79.d
de Christi diuinitate ad Senatum retulit. 216.b
quo anno suæ ætatis obijt. 268.b
Tiberius Alexander ditissimus. 376.d
Tiberius Alexander Iudæi successor. ibid.c
Alexandri Alabarchæ filius, desertor paternæ religionis. 229.d
Tibicines ad luctum adhibebantur. 110.d
Timon vnus ex septuaginta discipulis. 136.b
Timor discipulorum, viso Paulo, quid arguit. 269.c
Timotheus presbyter Hierosolymitanus. 56.e
Timotheus Gentilis homo circumcisus a Paulo. 395.a 397.c
Timotheus Thessalonicam missus. 408.b.c
Timothei & Pauli nomine scriptæ epistolæ quæ. 599.a. 602.c
Timothei genus. 398.a
Timotheus cur a Paulo circumcisus. 397.c
quibus parentibus genitus. ibid.
a Paulo sacris initiatus, & Ephesiorum Ecclesiæ præfectus. 736.e
Timotheus & Linus Paulo ministrabant. 237.b
Timotheus a Paulo creatus Episcopus Ephesi. 511.b
vino temperabat. 513.c
Timotheus & Titus virgines permanserunt. 730.e
Tintinnabula primum ab Augusto in editiori loco posita. 562.e
Tintinnabula etiam apud Syros in sacris adhibita. ibid.
Tintinnabulis vsi præfecti excubiarum, & cur. 562.e
Tintinnabulorum vsus in Ecclesia. 562.e
Tirathebam vicum insederunt Samaritæ. 259.c
Tyrius & Sidonius vratus Agrippa. 315.b
Titi Imperatoris numisma quale. 701.a
eius modestia. 700.a
mansuetudo. 717.e
clementia. 717.e
beneficentia. 719.a
arcus triumphalis. 701.e
obitus. 722.b
Titia lege quid cautum. 469.b
Tituli argento ornati in ecclesiis. 559.e
in Titulis impartiendis Catholici copiosi. 521.e
Titulis debitis hæretici Pontificem non honorant. 521.e
Titulus crucis Christi quo ordine scriptus. 78.d.177.e
Titulus Pastoris. 332.e.480.d
Titulus honoris primus in Ecclesia Apostolatus. 521.e
Titulus & statua Simonis magi. 530.d
Titulus Optimi viri magistratum gerentibus dari solitus. 534.a.b.c
Titus Pauli interpres. 351.c
Titus Cretensis Episcopus. 521.b
Titus Imp. optauit fieri Pontifex, & cur. 165.a
in Iudæam a Patre mittitur. 685.d
Hierosolymam obsidet, qua die, qua parte. 690.d
Iudæos captos ante vrbem cruci affigi iubet. 691.a
Hierosolymam aggeribus cingit. 691.c
Hierosolymam muro cingit iuxta prædictionem Domini. 691.d
euiscerantes Iudæos propter aurum cohibet. 691.e.
ad deditionem Iudæos miseratus frustra inuitat. 692.d
Antoniam turrim expugnat. 692.e
templum oppugnat. 692.e
templo parcere statuit. ibid.
frustra templum ab incendio liberare conatur. 693.a
sacerdotes in templo latentes ad supplicium duci iubet. 694.c
dat licentiam militibus inflammandi ciuitatem. 794.c
Sion oppugnat, & capit. 695.a
in templo more Gentium immolauit; non tamen hæc intelligi potest abominatio a Domino prædicta. 694.b
Alexandriam se confert. 700.e
quo anno triumphat. 701.a
a Daniele præmonstratus. 700.d
arborem balsami in triumphum duxit. 703.a
solus imperat. 718.e
quando obijt. 722.b
sexies Consul. 717.b
Tobiæ accubitus. 151.c
Toga ad pallium, prouerbium. 474.d
Tonsura clericalis quid significet. 570.c.d
Tonsura ex Apostolica traditione in Ecclesiam derivata. 570.b 571.b
Tonsura prima antiquitus etiam initiabantur clerici. 572.e

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tonsura puerorum. 572. c
Tonsura maior ijs, qui maioribus ordinibus initiabantur. 573. a
Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus vnde ortus. 570. b
Tonsuræ vsus vnde. 573. c
Tonsuræ monachalis & clericalis differentia. 574. b
Tonsuram Petrus gestabat. 571. b
Tonsuram monasticam deridentes seuerissime puniti. 575. a
Tonsuram barbæ non probat Hieronymus. 575. d
Tormenta Christianorum. 639. b
Torpetes de domo Cæsaris a Paulo conuersus. 594. a
martyrio coronatus sub Nerone. ibid.
Tortulæ ex terra sepulchri Domini & aqua admixta formatæ. 185. a
Trabem ex auro solidam Crassus a templo abstulit. 702. e
Trachonitica regio. 69. a
Traditio quid. 142. b
Traditio scripturæ præstat. 414. d
Traditio antiquior scriptura. ibid. a
Traditio scripturarum fundamentum. 414. d
Traditio Apostolica orare ad Orientem. 563. a
ex Traditione ritus Ecclesiæ. 415. a
Traditiones & scripta ab Ecclesia probantur. 414. c
Traditiones esse Apostolicum depositum. 412. b
Traditiones improbatæ quæ. 412. c. 413. a. b
Traditiones Rechabitarum. 413. e
Traditiones multæ numerantur. 415. a. b
Traditiones circa scriptum ab Apostolis relictæ propter quid 256. c
Traditiones Apostolorum scriptæ ab Ignatio. 415. e
Traditiones Apostolorum. 411. c. 412. a. b
Traditiones de obitu Mariæ Virginis. 371. d
Traditiones Iudæorum. 413. b
Traditiones seruandas, vt a maioribus traditæ sunt. 500. a
Traditiones sub Eleutherio illibatæ. 574. b
Traditiones plusquàm scripta esse æstimatas. 417. a
de Traditionibus. 411. c. 412. a
Traditionum defensores. 421. c
Tragœdiæ inscriptæ, Christus patiens, quis auctor. 146. c
Traianus adoptatus a Nerua. 753. a
Transamnana regio quæ. 108. b
Transamnanam regionem & ducenta talenta consequitur Archelaus. 70. b
Transanimatio Pythagorea quo temperamento astrueretur a Pharisæis & Scribis. 4. e
Transeuphratenses copiæ Iudæorum. 291. e
Transfiguratio Domini. 132. a
Translatio corporum SS. Petri & Pauli. 429. b
Transliberim habitabant Iudæi. 11. b. 48. c
Transliberim erumpentis olei significatio. 11. a. c
Transliberim ecclesia Dei genitrici prima omnium erecta. 11. b
Transliberim Romæ fons olei erupit. 11. a
Transliberinus ambulator Iudæus dictus. 11. b
Transubstantiatio in Eucharistia. 154. d
Tres diuersæ sententiæ antiquorum, sub quibus Coss. natus est Christus. 33. c
Tres dies fuit Dominus in ventre terræ. 197. e
post Tres dies resurgere Dominum quomodo intelligatur. 198. c
Tres horas, tertiam scilicet, sextam, & nonam, solemniores fuisse in orationibus diuinis. 224. a
propter mysterium Trinitatis. 224. b
Tres Tabernæ quantum ab Vrbe distarent. 591. c
Tres virgines Vestales a Domitiano punitæ. 724. a
quæ earum nomina. 724. b
Tribui Leuiticæ an liceret cum ceteris inire nuptias. 12. b
Tribunalia iudicum tria apud Hebræos. 114. c
Tribus Iudæ Babylonem adducta. 2. e
Tribus Iudæ qua ratione regnasse dicitur vsque ad Herodem. 3. b
Tribus singulæ in ædificationem templi Pacis pecuniam contulerunt. 47. d
Tribus sacerdotalis cum regia stirpe poterat inire nuptias. 47. c
Tribus Iudæorum matrimonio non miscebantur. 47. a
Tributa sacerdotibus alacriter pendebatur, non ita Regibus. 472. c
Tributa sacerdotibus pendenda, perinde ac Regibus. ibid. b
Tributa alia in agros, alia in capita ab Augusto imposita. 132. b
Tributi numisma quale. 142. b
Tributum sæpe Augustus imperauit. 32. c
Tributum Reges a filijs exigere non solent. 133. b
a Tributo qui sint liberi. 133. b
Tributum non dandum Romanis, Iudæ Galilæi decretum. 62. c. 163. d
Tributum Iudæorum Romanis dari solitum. 698. d
Tributum Augusti pro restituendo Palatio. 142. c
Triclinij nomen apud Iudæos. 151. d
Triephon Pauli discipulum se nominat. 644. c
Trigemina porta, quæ & Oslienſis, quid ibi. 666. e
Trinitas trium horarum mysterio declarata. 224. b
Tripolis oppidum. 315. d
Trium miraculorum memoria in Epiphania, licet non eodem die facta. 96. d
Trium fontium locus celeberrimus. 668. b. c
vnde ibi tres fontes. ibid.
Triumphus Titi. 701. a
Triumuiratus instituti tempus. 35. d
Troade Paulus quid. 544. e
Troas ciuitas nobilissima. 510. d
Troadis Assos. 552. b
Trogyllij commoratur Paulus. 552. d
Trogyllium quid. 552. d
Trophimus Pauli discipulus. 590. c
Melitæ infirmus a Paulo relinquitur, an Mileti. 590. d. e
Trophimus vnus, an plures. 579. a
Trophimus Hierosolymis cum Paulo. 579. a
Tryphena a Paulo salutatur. 542. b
Tryphon Iudæus. 52. b
Tryphosa a Paulo salutata. 542. b
Tuba dies festi denunciabantur apud Hebræos. 148. c
Tuba significabatur septimi diei principium, & finis. 148. c
Tubæ sonitu certæ horæ Hebræis significatæ. 562. e
Tugurium Romuli ad multa sæcula conseruatum. 45. a
Tullianus carcer cui comparandus. 538. a
Tumultus Ephesini propter templum Dianæ. 508. b. c
Tundere pectus in oratione quid significet. 565. e
Tunica Christi desuper contexta qua arte a matre facta. 177. d
Tunicam inconsutilem Iesu a Christianis redemptam, & conseruatam. 184. b
in Galatia repositam. ibid.
Turres quædam, euersa Hierosolyma, relictæ cur. 695. d
Turrim ædificarunt Noe filij ab alterutrum discedentes. 317. c
Turris quarta supra verticem Pastophoriorum condita Hierosolymis. 148. c
Turris erecta Hierosolymis ad delinquentes coercendos. 313. c
Turris Stratonis Cæsarea. 703. c
Turris Ader, id est, gregis. 48. a

Turris Ader, iuxta quam pauit Iacob greges suos. 48. a
& iuxta quam pastores audierunt, Gloria in excelsis Deo: de qua locutus est Michæas. 48. a
in qua est ecclesia trium pastorum. 48. a
de mille passus distans a Bethlehem. ibid.
Turris nebulosa. 48. a
Turris Antonia dicta. 80. a
Turris in Siloe collapsa. 136. e
Tyana oppidum Cappadociæ. 315. c
Tychicus Pauli tabellarius. 596. c. 598. a. 599. a. 602. b
Typhonicus ventus, qui & Euroaquilo. 589. a
Typus Concilij celebrandi a Domino monstratur. 127. e
Typus decimarum. 472. d
Typus Ecclesiæ. 286. a
Tyranni sophistæ scholam Paulus adijt. 424. e
Tyridates magus. 648. c

V

VAE, væ Hierosolymis, vox Iesu filij Anani. 637. c
Valens Imperator Epiphaniæ festo interfuit. 55. e
Valentini commenta de infantia Saluatoris. 75. b
Valentiniani hæretici opobalsamo vngebant baptizatum. 75. b. 256. b
Valentinus hæresiarcha. 185. c. 388. d
Valeriani Imperatoris testimonium de Ecclesia Christianorum. 481. a
Valerij Grati præfectura in Iudæa. 79. b
Valerij Grati præfecturæ finis. 84. a
Valerius Gratus, Pilati præcessor. 30. b
Vandali quot annos Africam deuastarunt. 577. e
Vari Consulatus. 30. d
Variana clades in Germania. 76. b
Varus Præses Syriæ. 70. c
Hierosolymam contendit. 70. d
ex Syria euocatur. 70. e
in Palæstinam ad comprimendos Iudæos mittitur. 70. e
Iudæos agit in crucem. ibid.
ad administrandam Germaniam amandatur. 73. b
Germanos aspere tractans ad defectionem impulit. 73. b
sibi ipse mortem conscinit. 73. b. 76. b
Syriam pauperem reliquit. 76. b
Varrone doctior rerum antiquarum nullus. 37. c
Vasa myrrhina in magno pretio olim habita. 170. c
vnde materiam habent. 171. b
Vide, Myrrhina vasa.
Vasa templi in templum Pacis translata. 702. a
Vates Gentilium qui fuerint. 7. e
Vaticana metallotheca. 171. c
Vaticana basilica fontem habuit in atrio. 482. e
in Vaticano Petrus sepelitur. 670. b
Vaticanum, locus pauperum. 666. e
Vaticanum Ianiculi pars dicta. 669. c
Vaticinia Gentilium de Christo venturo. 9. c
Vaticinia Domini impleta. 692. b
Vaticinia de Christo Vespasiano Augusto tributa. 9. d
Vaticinium de piscatione Apostolorum. 286. d
Vectigal fructuum venalium remissum Iudæis a Vuellio. 266. e
Vectigal & tributum Principibus pendendum. 455. e
Vectigalia ab Augusto imposita. 32. b. c
Vela duo in templo Salomonis. 25. b
Vela admota reliquijs sanctorum. 427. e
Velamen mulierum quale esse debeat. 475. d
Velamen sacrarum virginum a sacerdotibus benedictum. 476. d
Velandi oculos capite truncandorum mos. 667. c
de Velandis mulieribus Pauli consilium. 475. a
Velatæ mulieres Iudææ. ibid.
Velatæ mulieres Lacænæ. 475. b
Velatio improbata quæ. 475. d
Velationis virginum apophoretica. 477. d
Velationis celebritas Deo dicandæ virginis. 476. e
Velo Poppæa Sabina vtebatur. 475. b
Velum primum templi sacerdotibus tantum patebat. 25. a. b
Velum primum & secundum quid. 45. a
Velum sacrum quale. 476. d
Velum scissum in morte Domini quod. 181. a
Velum templi duplex, interius, & exterius. 189. e
Velum templi quale esset temporibus Iosephi. 180. e
Velum virginitatis insigne. 464. d
Velum mulierum quale reprehenditur. 475. d
Venantij Fortunati carmen de sepulchris Apostolorum. 672. e
Venantius Fortunatus gratiam consecutus ex oleo lampadis. 428. b
Venditionis Iudaicæ typus in Zacharia expressus. 145. b
Veneri & Adonidi templum erectum ab Hadriano Imp. ad abolendam præsepis memoriam. 44. e
Veneris fanum Corinthi. 460. c
Ventidius Cumanus Tiberij Alexandri successor. 377. d
Verba consecrationis quàm efficacia. 158. e
Verba aliquot Domini Iesu ab Euangelistis non scripta. 215. c
Verbi incarnatio quo anno facta. 76. c
Verbo vnita humana natura indiuise & inconfuse. 76. c
Verbum in vterum Virginis quo modo delapsum. 26. c
Verbum carnem assumens, quod fuit, esse non desiit. 26. c
Veritas non labefactatur, si hæreticus eam teneat. 248. b
Veritas Catholica de S. Maria. 370. e
Veronica Berenice dicta. 184. c
Veronicæ sudarium. 184. b. c
Vespasiani Imperij anni varie numerati, & cur. 718. e
Vespasiani miracula ex impostura Tyanæi. 687. e
Vespasiani iustitia. 718. a
Vespasiani mors. 718. d
Vespasiano ex S. C. decretum Imperium. 687. b
Vespasiano cur tributa sint ea, quæ de Christo prænunciata fuerant. 687. e
Vespasiano competere non possunt quæ de regno Messiæ dicta sunt a Prophetis. 688. b
Vespasianus a Nerone aduersus Iudæos missus. 681. e
Vespasianus Augustus a multis creditus Christus. 687. d. 688. b
quot & quales clades Iudæis intulerit. 682. a
Galilæam debellat quando. ibid.
vna cum Tito triumphat. 9. d
Titum ad Galbam nouum Imp. legat. 685. e
tribus exceptis castellis, & Hierosolyma, omnia loca Iudææ subiecit. 686. a
ab exercitu Imperator acclamatur. 686. e
omnes ex familia Dauid necat. 704. c
Alexandria soluens Romam venit. 687. c
cæcum & manu ægrotum sanat Alexandriæ. 687. c
Capitolium concrematum restituit. 693. d
Cæsarienses colonos fecit. 703. c
Christus haberi affectauit. 716. c
philosophos præter Musonium Vrbe expulit, qua occasione. 710. b
Vesper stella. 196. a
Vespere pro sero accipitur. 195. c
Vespera quid significet. 196. a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Vespertinæ Missæ. 159.d
Vesperugo Stella. 196.a
Vestæ statuam non pati pluuiam, commentum. 688.d
Vestales virgines incisos sibi capillos ad arborem suspendebant. 477.d
in *Vestales virgines Domitianus animaduertit.* 722.e. 724.a
Vestalium virginum crimine damnatarum pœna. 732.c
Veste nigra indui solitas virgines Deo sacratas. 477.c
Vestes sacerdotales. 80.b
Vestes hominum in Oriente a feminis confici solitæ. 177.d
Vestes scindere, sacerdotibus vetitum. 163.c
Vestes & ornatus mulierum qualis. 476.a
Vestigia pedum Domini. 161.d
Vestigia Domini Iesu in monte Oliueti impressa, dum in cælum ipse ascenderet. 217.e. 218.b
per *Vestigia vestra, summisso animo dici, vel scribi solitum a Christianis sacerdotes obtestantibus.* 230.e
de *Vestigijs Domini terræ impressis, & de excussis solo respuente marmoribus, quæ manus adornandi studio tentasset apponere, & de calcati puluueris direptione, qui auctores meminerint.* 218.c
Vestiliæ Romanæ impudicitia. 82.a
Vestimenta Christi vbi seruata, dum baptizaretur. 91.c
Vestimenta sua recepit Iesus in cœna. 152.d
Vestis Christi inconsutilis nequaquam pretiosa. 177.c
Vestis nuptialis quæ. 152.c
Vestis Regis assinium qualis. 166.a
Vestis, qua Iesus delusus. 166.a
Vestis cœnatoria quæ. 155.c
de *Vestitu mulierum.* 475.a
Vesuuij montis eruptio. 719.c
Vettius Marcellus equestris ordinis. 673.d
Vices sacerdotum incensum adolentium quot numero. 25.c
Vices Abiæ quota. 45.c
Viam disciplinæ quis inuenit, & cui tradita. 2.c
Victor Episcopus Capuanus. 86.c
Victorini Pictauiensis carmen de Golgotha. 177.b
Victoriam in bello Deus prænunciare solebat per duodecim gemmas insitas in rationali summi sacerdotis. 80.c
Vidua in Ecclesiæ ministerium cuius ætatis eligenda. 532.d
Vidua offerens duo minuta a Domino laudatur. 142.d
Viduæ Naim filius a mortuis reuocatur. 116.a
Viduarum collegia antiquissima. 464.c
Viduis septem discipuli præfecti, & eorum nomina. 136.c
Viennæ Paulus Crescentem reliquit. 623.a
Viennam Galliæ in exilium mittitur Archelaus. 76.e
Vigilantius contra cultum sacrarum reliquiarum. 427.c
Vigilantius Hispanus, vere Dormitantius. 487.e
Vigiliarum nocturnarum vsus & modus. 401.d.e
Vigiliarum vsus ab Ambrosio auctus, non ablatus. 401.e
Vigiliæ anniuersariæ. 340.e
de *Vigilijs Christianorum etiam Ethnici scribunt.* 401.d
de *Vigilijs nocte Dominicæ celebrandis.* 556.c
Vincentius Bonardus, Magistri Sacri Palatij collega. 551.b
Vincentius Lirinensis. 421.e
Victimæ Paschales quo tempore cædi inciperent. 148.b
Vina quæ permissa mulieribus Romanis. 175.a
Vincula ferrea in sepulchro Domini imposita. 184.e
Vincula Petri in honore habita. 664.d 314.b
Vindicta in quosdam Herodis amicos ab Archelao petita. 69.d
Vindicta in sumentes indigne Eucharistiam. 500.e
Vini myrrhati natura. 170.e. 171.c. 172.e
Vinidius Quadratus Syriæ Præses. 378.d
Vinum aqua mixtum in sacrificio offerendum. 495.e
Vinum felle mixtum gustasse Dominum. 170.a
Vinum myrrhatum noluit bibere Dominus. 170.a
Vinum myrrhatum. Vide, Myrrhatum vinum.
Vinum felle mixtum cur Iesus gustauerit. 175.c
Vir in vxorem habet potestatem. 21.a
Virga ferrea. 450.e
Virga Aaron. 25.b
Virga lupos arcet, & oues dirigit. 455.b
Virgæ directionis vsus duplex. 453.e
Virgilius ex Sibyllinis carminibus futura tribuit Salonino filio Pollionis. 9.c
Virgines olim reclusas in templo. 18.d
Virgines pretiosa Christi monilia. 465.a
Virgines suas Corinthij velabant. 475.c
Virgines Lacænæ aperta facie prodibant. 475.b
Virgines Vestales supplicio damnatæ. 724.a
Virgines Deo dicatas nigra veste indui solitas. 477.c
Virgines seorsum a nuptis orare solitas in ecclesia. 18.b
Virgines vt plurimum ad sacerdotium assumptos. 529.a
Virginibus crines amputari diuersis ex causis. 477.e
Virginitas Mariæ illibata. 45.a. 56.d
Virginitas per Christum exaltata. 73.a
Semper & ab omnibus commendata. 73.b
etiam apud Gentiles in pretio habita. 465.c. 466.a
ab Augusto priuilegijs ornata. 73.a
Virginitatem ad tempus colebant Pharisæi. 5.b
Virginitatis cultores Corinthij. 464.c
Virginitatem perpetuam qui coluerunt. 730.b
Virginitatis votum ab hæreticis impugnatur. 20.b
Virginitatis insigne velum. 464.d
Virginitatis merito diuinationem adeptæ Sibyllæ. 7.e
Virginitatis assertores. 465.b
Virginitatis impugnatores. 465.c
Virginitatis & continentiæ seruandæ consilium Pauli. 464.b
Virginitatis laudes. 73.a. 465.e
Virginius Rufus a legionibus Romanis Imperator nominatur. 749.d
laudatur a Plinio. 749.d
Virginum locus in ecclesia antiquus. 489.a
Virginum collegia antiquissima. 464.a
Virginum Vestalium in crimine deprehensarum pœna. 732.a
Virgo desponsata in templo parentibus reddebatur. 19.b
Virgo Deo dicata, sponsa Christi cur dicta. 477.c
Virginis Deo sacratæ mater, socrus Dei vocata. 477.b
Virgo Maria virgini commendatur. 22.c
Virgo, est Mariæ epithetum antiquissimum. 45.a
Viri a mulieribus separati in templo. 74.a
Viri Iudæ quinam dicti. 3.a
Viri Iudæ, non Iudæ legendum. 3.b
Viri Galilæi cur dicti Apostoli ab Angelo. 113.b
Viros pios interdum a dæmonibus vexatos. 120.a
Visibile caput in Ecclesia statuendum. 128.b
Visio Petri. 285.d
Visitare omnes Ecclesias, Petri munus. 277.b
Vitæ longæuæ aliquot exempla in primo Christi sæculo. 715.d
de *Vitellij Imperij tempore opiniones diuersæ cõciliatæ.* 787.a
Vitellium principes Iudæorum quid deprecati. 268.d
Vitellius Præses Pilato successit. 87.e
Vitellius Proconsul in Græciam mittitur. 266.e
Vitellius bellum Arabicum aduersus Aretam Regem parat. 268.d

Vitellius sacerdotibus Iudæorum cum ornatu pontificio stolam restituit. 266.e
Vitellius Iudæorum populum in fidem Caij noui Principis sacramento adegit. 268.d
Vitellius a Syriæ præfectura amouetur. 290.c
Vitellius per Iudæam exercitum non ducit, cur. 661.c
Vitellius ad Imperium proiectus. 685.e
turpissime imperat. 686.c
imperat menses octo, dies quinque. 687.a
occiditur. 686.e
Vitis magnitudo in superliminari portæ templi. 191.b
Vitis aureæ in templo. 191.a
Vitro rupto sulphurata permutare soliti Iudæi. 11.b. 732.b
Vlpianus Christianorum hostis. 434.a
Vltio diuina in Herodem. 65.a
Vltio diuina in Agrippam. 359.e
Vmbra Petri languores curante, cultus imaginum, & vis miraculorum præfiguratur. 233.d
Vmbra Pauli an mortuos suscitauerit. 427.d
Vna fuerit, an plures Magdalenæ, fuse disputatur. 116.c
Vna sabbati appellatus dies qui nunc Dominicus. 545.c
Vncia quid. 132.c
Vnctio pedum cur fieret. 120.d
Vnctio Iesu a Magdalena ter iteratur. 120.e
Vnctionem pedum M. Otho Neronem docuit. 120.d
Vnctio capitis biduo ante Paschа facta. 143.d
Vnctio extrema cur sic dicta. 631.d
Vnctionis extremæ sacramentum. 631.a
Vnctio cadauerum cur iteraretur. 195.a
Vnctionis duplex genus. 630.e
Vnctionis mysterium, qua presbyteri recenter baptizatos inunguntaliud est a sacramento confirmationis. 256.e
Vnguenta offerri solita ad sepulchra martyrum. 560.a
Vnguento pedes vngere, res inusitata. 120.c
Vnguento pedes virgines Athenis vngebant. 120.d
Vnguentum Nardi pistici quale. 120.c. 121.c
Vnguenti alabastrum regale donum. 121.d
de *Vnitate Ecclesiæ assertio firma.* 342.e
Vnius vxoris vir in Episcopum cooptandus quomodo. 532.a
Vnum visibile caput in Ecclesia statuendum. 127.e
Vocatio Petri, & Andreæ, & filiorum Zebedæi. 104.c
Voces cultiores non curandæ. 506.c
Voces quædam Hebraicæ cur in Ecclesia retentæ. ibid.
Voces nouas in sacris non facile admittendas. 506.c
Voces plurium linguarum communes interpretandi consuetudo probata. 94.a
Volatus magici a Luciano descripti. 649.a
Volatus Simonis magi quo tempore. 649.e
de *Volatu Simonis Patrum assertio.* 649.d
Volatus Icarius sub Nerone exhibitus. 330.c
Vologeses Parthorum Rex Neronis memoriam honorat. 684.d
Volsella chirurgicum instrumentum. 577.d
Volusianum a Pilato Romam missum, falso traditum. 217.b
Vota puellarum irrita. 20.c
de *Voto virginitatis sanctæ Mariæ Patrum sententiæ.* 20.a
Votum puellare quomodo seruandum mandauit Deus. 20.c
Votum virginitatis impugnatur ab hæreticis. 20.b
Votum vxoris contradicente viro non tenebat. 20.d
Vox sanguinis Abel, & omnium iustorum clamat de terra. 62.a
Vox in templo audita: Migremus hinc. 655.d
Vr Mariæ sororis Moysi vir. 23.c
Vr sustinebat Moysis orantis manus. ibid.
Vrbanus Episcopus in Macedonia. 542.e
in *Vrbe quot ecclesiæ tempore Cornelij Papæ.* 480.d
Vrbicus Episcopus Arnernensis. 531.c
Vrbis conditæ annus haud satis exploratus. 347.b
Vrbis incendium tempore Neronis. 638.b
quo die. ibid.e
vnde inceperit. 638.b
quamdiu duraverit. 638.d
Vrbis incendium iussum fuisse creditur. 638.b. 639.a
Vrbis protectio a Petro Apostolo. 673.b
Vrbs per nouem dies arsit Neronis temporibus. 640.b
Vrbs Roma diuersa ab Ecclesia Romana. 347.e
Vrbs Romana improbatur, Ecclesia laudatur. 348.a
Vrceus vnguenti, quo Christus inunctus, vbi depositus. 121.e
Vrna habens manna. 25.b
Vrsini presbyteri castitas, & cautela. 531.d
Vsia vnde dicatur. 374.e
Vsuardus & Ado Assumptionem Virginis dormitionem appellant, & cur. 371.e
Vsuardi Martyrologium. 591.d
Vsus in Ecclesia diu viguit, vt seorsum viri a mulieribus, & virgines a nuptis in templo orarent. 18.b
Vsus flagellorum duplex apud Romanos. 166.d
Vsus truncandi capita damnatorum non fuit apud Romanos. 176.d
Vsus dandi annulum in nuptijs vnde. 463.b
Vsus annuli sponsalis apud Romanos. 463.c
Vterini fratres Iacob & Heli. 12.e
Vtilitas ex dispersione discipulorum, quæ facta est sub Stephano. 250.c
Vuitichindus Saxo monachus, nobilis historicus. 366.b
Vulcano litatur propter Vrbis incendium. 640.c
Vxor Pilatum monet. 166.e
Vxor in profluuijs & diebus solemnibus non cognoscenda. 461.d
Vxor semper in digito annulum habet, & cuius gratia. 463.c
Vxor Sulpitij Galli dimissa propter apertum caput. 475.b
Vxorati tantum ab hæreticis ad sacros ordines olim promoti. 528.e. 529.a
Vxorem ducere quid sit. 95.d
Vxores Apostolos habuisse non reperitur, excepto Petro. 469.e
Vxores post ordines retinere nec Græcis olim permissum. 529.b. 531.a

X

Xantippe & Polyxena a Paulo in Hispania ad fidem conuersæ dicuntur. 623.b
Xerophagia erat cœna pura. 189.e
Xerophagias, idest, siccorum eduliorum vsum, ab Apostolorum temporibus cœpisse. 193.e
Xystus affirmat epistolam ad Hebræos Tertulliano quibusdam attributam. 617.a

Z

Zabulon terra & Nephtalim a Domino illustrata. 104.a
Zachariam occisum inter templum & altare, patrem Ioannis esse monstratur. 61.a

Universidad de Deusto
Biblioteca

Zacharias pater Ioannis an summus Pontifex. 12. d. e. 24. b. c. 26. a
Zacharias sacerdos de vice Abia. 24. a
Zacharias in qua parte templi adolens incensum de filij conceptione accepit oraculum. 24. b
Zacharias incensum ponens fungitur munere vicis suæ. 24. c
Zacharias moriens quæ dixit. 62. a
Zacharias Ioiadæ filius. 61. e
Zacharias a Ioas Rege interfectus. 61. d
Zacharias pater Ioannis, filius Barachiæ. 61. e
Zacharias Christi tempore interfectus. 62. c
Zacharias mutus redditus. 61. b
Zacharias erat intra primum velum ad incensum adolendum. 25. c
Zacharias filius Baruch in templo occisus. 62. e
Zacharias sacerdos sortito incensi adolendi functionem perfecit. 25. e
Zacharias Papa de quibusdam animalibus non comedendis statuit. 386. c
Zachariæ Angelus apparuit sub quo summo Pontifice. 26. a
Zachariæ sacerdotium. 24. b. 25. a
Zachariæ ciuitas Chebron. 27. c
Zachariæ domus fuit in Campestribus. 27. c
Zachariæ sanguis in silicibus templi. 62. a. b
de Zachariæ nece sententia confirmatur. 61. e
de Zachariæ sanguine codex manuscriptus in bibliotheca Vaticana. 62. b
de Zachariæ nece meminit Valentinianus Imp. 62. c
Zachariæ Prophetæ corpus repertum. 183. c
Zanedrin deleuit Herodes. 60. a
Zarada Persis leges iniquas dedit. 319. e
Zebedæi filiorum mater pro filijs rogat. 139. c
Zelotarum Hebræorum factio. 24. e
Zelotarum custodijs arctata Hierusalem. 661. e
Zelotæ in interiorem templi partem se recipiunt. 682. c. d
Zelotæ Hierosolymam exagitant. 682. b
Zelotæ summum sacerdotem sorte deligunt. 682. c
Zelotæ contra ciues dimicant. 682. d
Zelotæ in plebem grassantur. 682. e
Zelotæ omnes in templo a Ioanne occiduntur. 691. a
Zeno Episcopus Veronensis quæ ex apocryphis mutuatus. 45. c
Zeno cum decem millibus militum obtruncatus ad Aquas Salnias. 667. d
Zenodori domus quid esset. 71. b
Zephyrinus Papa quid de tempore martyrij Petri & Pauli. 664. d
de Zeuzippi tyrannide apertum mendacium. 323. b
Zona Heliæ & Ioannis Baptistæ pellicea. 89. c

FINIS.

INDEX

INDEX SCRIPTVRARVM SACRARVM QVAE IN HOC PRIMO ANNALIVM TOMO CITATAE ELVCIDANTVR.

GENESIS.

Cap. 1. Dixit Deus: Fiat lux. 46. c
25. Peperit ei Cætura Madian. 51. c
35. Non auferetur sceptrum de Iuda. 2. c

EXODI.

Cap. 7. Deuorauit virga Aaron virgas eorum. in præf. pag. 2.
8. Abominationes Aegyptiorum immolabimus. 302. c
12. Quartadecima mensis huius ad vesperam Phase Domini est. 147. e
28. Stringebatur rationale annulis suis. 165. e
35. Tabernaculum factum est primum. 25. b

LEVITICI.

Cap. 19. Neque in rotundum attondebitis comam. 576. a
20. Separate ergo vos iumentum mundum ab immundo. 286. c
21. Non radent caput, nec barbam. 575. e
23. Mense primo quartadecima die ad vesperam Phase Domini. 147. e

DEVTERONOMII.

Cap. 17. Nec adorent Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli. 605. b
23. Non sit meretrix in Israel. 118. d
23. Non erit vectigal pendens in filijs Israel. 63. c

IOSVE.

Cap. 14. Adam maximus ibi inter Enacim sepultus est. 177. a

REGVM III.

Cap. 10. Regina Saba audita fama Salomonis. 52. e
4. 23. Adolebant incensum Baal, Soli, Lunæ, duodecim signis, & omni militiæ cæli. 605. a. b

ESDRAE II.

Cap. 5. Excussi sinum meum. 362. c

PSALMORVM.

Psal. 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. 455. d
57. Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. 168. c
58. Disperge illos in virtute tua. 699. c
65. Transiuimus per ignem & aquam. 248. e
67. Principes Iuda duces eorum. 113. c
80. Manus eius in cophino seruierunt. 731. d
109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. 156. a
132. Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam. 426. d

ISAIAE.

Cap. 8. Accipiet spolia Damasci. 52. a
9. *Secundum* lxx. Hoc primum bibe terra Zabulon. 96. a
11. Delectabitur infans ab vbere in foramine aspidis. 49. b
22. Vocauit Dominus ad caluitium. 574. a
28. Alijs linguis & labijs loquar populo huic. 354. b
35. Germinans germinabit sicut lilium. 58. e
60. Dromedarij Madian & Epha. 52. a. 54. e
60. Surge illuminare Hierusalem. 52. a
61. Vt prædicarem annum acceptabilem Domino. 85. e
62. Vocabitur tibi nomen nouum. 308. c

HIEREMIAE.

Cap. 16. Mittam venatores. 286. d
31. Vox in Rama audita est. 59. c

EZECHIELIS.

Cap. 4. Non radent caput, neque barbam. 575. e

DANIELIS.

Cap. 9. Vngetur Sanctus Sanctorum. 4. b
9. Ciuitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. 700. d
9. Erit in templo abominatio desolationis. 663. a
9. In finem perseuerabit desolatio. 698. e

AMOS.

Cap. 9. Suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit. 7. a

MICHAEAE.

Cap. 1. Decaluare & tondere. 574. b
4. Et tu Turris gregis nebulosa. 48. a

ZACHARIAE.

Cap. 11. Proijce illud ad statuarium, pretium decorum. 145. b
14. Stabunt pedes eius supra montem Oliueti. 217. d

MACHABAEORVM I.

Cap. 1. Fecerunt sibi præputia. 470. d
5. Viri Iuda magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel. 3. a

MATTHAEI.

Cap. 2. Natus in diebus Herodis Regis. 37. e. 39. d
2. Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam. 49. d. 50. 51. 52. 53. 54.
2. Vidimus stellam eius in Oriente. 49. c
exponitur. 55. b
2. Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. 55. e. 56.
2. Accipe puerum, & fuge in Aegyptum. 57. e. 58. 59.
2. Occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, a bimatu, & infra. 59. b. 60. 61.
2. Habi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth. 71.e
3. Habebat veſtimentum ex pilis camelorum. 88.d. 89. Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſilueſtre. 89.c
3. Venit a Galilæa in Iordanem, vt baptizaretur ab eo. 90.d
4. Ductus eſt in deſertum a Spiritu. 91.d
4. Abijt opinio per totam Syriam. 104.c
5. Qui dixerit fratri ſuo Racha. 114.d
8. Occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes. 107.c
8. Exeuntes abierunt in porcos. 107.c
9. Cum vidiſſet tibicines & turbam. 110.c
10. Nolite poſsidere aurum. 229.a
13. Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc. 98.b
13. Fratres eius Iacobus & Ioſeph. 22.d
14. Herodes enim tenuit Ioannem. 100.b.101.
14. Saltauit filia Herodiadis. 123.b.c.124.
16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? 156.c
16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. 129.d.130.
16. Vade poſt me ſatana. 131.e
17. Solue pro me & pro te. 64.c
17. Ducit illos in montem excelſum ſeorſum. 132.b
17. Acceſſerunt qui didragma peterent. 132.c
17. Ergo liberi ſunt filij. 133.a
18. Tradidit eum tortoribus. 133.c
21. Arefacta eſt continuo ficulnea. 141.d
21. Cuius eſt hæc imago, & ſuperſcriptio? 141.e
23. Implete menſuram patrum veſtrorum. 620.d
23. A ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ. 49.a
24. Cum videritis abominationem deſolationis. 661.a. 662.
24. Ecce in deſerto eſt, nolite exire. 693.d
26. Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim. 151.a
26. Cœnantibus illis, accepit Ieſus panem. 154.c.155.156.
26. Et hymno dicto. 161.a
26. Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? 141.d. 142.
26. In villam quæ dicitur Gethſemani. 161.c
27. Abiens laqueo ſe ſuſpendit. 163.d.164.
27. Chlamydem coccineam circumdederunt ei. 167.c.168.
27. Accepta aqua lauit manus. 168.b
27. Acceptam ſpongiam impleuit aceto. 179.d. 180.
27. Terræmotus factus eſt magnus, & petræ ſciſſæ ſunt. 181.a
27. Quod exciderat in petra. 183.a
27. Recordati ſumus quòd ſeductor ille. 434.b
27. Illi abeuntes munierunt ſepulchrum. 183.c
28. Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati. 195.c.196.

MARCI.

Cap. 2. Nudauerunt tectum eius. 108.d
3. Erat ibi homo habens manum aridam. 112.d
5. Mulier quæ erat in profluuio ſãguinis. 109.d
6. Cum introiſſet filia Herodiadis, & ſaltaſſet. 123.b.c.124.
6. Audiuit Herodes opera quæ faciebat Chriſtus. 124.c
6. Præcepit illis vt accumberent per contubernia. 124.c
7. Niſi crebro lauerint manus, non manducant. 126.c
8. Poſt tres dies reſurgere. 198.c
9. Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem. 132.a.133.
9. Abi, laua in natatoria Siloe. 134.d
10. Camelum per foramen acus. 137.c
14. Veſpere autem facto, venit cum duodecim diſcipulis, & diſcumbentibus, & manducantibus. 151.b
14. Manducantibus illis, accepit Ieſus panem. 152.b
14. Et hymno dicto. 161.b
14. Amictus ſindone ſuper nudo. 161.c
14. Summus ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua. 163.c
15. Maria Iacobi Minoris. 22.c
15. Magis Barabbam dimitteret. 166.c
15. Dederunt ei bibere myrrhatum vinum. 170.a.171.
15. Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam faciem terræ. 178.b.179.
15. Implens ſpongiam aceto, circumponens calamo. 180.d.181.
15. Velum templi ſciſſum eſt in duo. 180.d
15. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. 192.c
16. Cum tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi emerunt aromata. 194.c
16. Valde mane vna ſabbatorum venerunt ad monumentum orto iam Sole. 194.c
16. Dicite diſcipulis eius, & Petro. 199.c
16. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur. 210.c
16. Illi autem profecti prædicauerunt vbique. 223.d

LVCAE.

Cap. 1. Tibi ſcribere optime Theophile. 533.e
1. Sacerdos quidam nomine Zacharias. 24.a
1. Ecce Eliſabeth cognata tua. 11.c
1. Ecce concipies. 19.c
1. Abijt in Montana. 26.c
2. Hæc deſcriptio prima facta eſt a Præſide Syriæ Cyrino. 27.d. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.
2. Peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum inuoluit. 43.c
2. Paſtores erant in regione eadem. 47.d
2. Poſtquam conſummati ſunt dies octo. 49.b
2. Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ. 56.b
2. Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem. 73.c. 74.c
2. Erat ſubditus illis. 75.b
3. Anno quintodecimo Imperij. 85.c
3. Sub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha. 87.c.88.
3. Ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta. 36.a.37.38.39.

5. Aſcen-

5. Aſcendens in vnam nauem quæ erat Simonis. 106.a
6. Vidit Publicanum nomine Leui. 108.c
6. Factũ eſt in ſabbato ſecundo primo. 111.c
6. Elegit duodecim, quos Apoſtolos nominauit. 112.c
6. Iudam Iſcariothem. 113.b.114.b
7. Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. 116.b.117.118.119.
7. Attulit alabaſtrum. 121.d
9. Tertia die reſurgere. 199.d
10. Deſignauit Dominus & alios lxxij. 135.c
11. Ficus, cui maledixiſti, aruit. 141.d
12. Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. 197.c
13. Quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum. 64.b
16. Erat quidam mendicus nomine Lazarus. 137.c.138.
19. De Zachæo Publicanorum principe. 136.d
19. Videns ciuitatem, fleuit ſuper eam. 141.c. 690.c
19. Circumdabunt te inimici tui vallo. 691.d.
19. Ad terram proſternent te. 605.d
21. Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 697.c
21. Cum audieritis prœlia & ſeditiones. 683.a
21. Dicentes: Quia ego ſum. 693.e.694.a
22. Euntes parate nobis Paſcha. 145.c.146.
22. Facta hora diſcubuit cum duodecim. 151.b
22. Accepto calice gratias egit. 154.d
23. Illuſit indutum veſte alba. 165.d
23. Super vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros: quia venient dies. 170.a.692.a
23. Venerunt ad locum qui vocatur Caluariæ. 175.d.176.
23. Scripſit ſuper eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis. 78.d.177.e
23. Obſcuratus eſt Sol. 178.a.179.
23. Velum templi ſciſſum eſt medium. 180.d
23. Erat autem hora fere ſexta. 192.b
23. Erat autem paraſceue, & ſabbatum illuceſcebat. 195.d.196.
24. Vna autem ſabbati valde diluculo. 195.d
24. Petrus procumbens vidit linteamina. 202.c
24. Duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum. 203.e
24. Aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas. 212.d.213.214.

IOANNIS.

Cap. 1. Tu es qui venturus es. 91.e
1. Vocauit Andream. 92.c
1. Vocaberis Cephas. 93.c
1. Inuenit Philippus Nathanael. 94.c
2. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. 94.c. 95.96.
2. Soluite templum hoc, & in tribus diebus. 198.e
3. Erat Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim. 99.b
4. Erat quidam Regulus. 103.b
6. Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 126.a
12. Clamantes, Hoſanna. 140.c
13. Aſpice quales lapides, & ſtructura templi. 142.d
13. Ante diem feſtum Paſchæ. 147.b.148.d
13. Surgit a cœna, & ponit veſtimenta ſua. 150.c
13. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus: Eme. 147.b
13. Erat recumbens vnus ex diſcipulis in ſinu Ieſu. 152.e
18. Erat mane, & ipſi non introierunt in prætorium. 147.a.148.c
19. Tunica inconſutilis. 177.c
19. In eum qui dicitur Caluariæ locum. 175.d. 178.179.
19. Erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine. 78.d.177.e
19. Erat autem paraſceue Paſchæ. 147.a.149.b
19. Erat quippe magnus dies ille ſabbati. 147.b.149.d
19. Illi autem ſpongiam aceto plenam hyſſopo circumponentes. 179.d.180.
19. Sicut mos eſt Iudæis ſepelire. 183.a
19. Paraſceue Paſchæ hora quaſi ſexta. 192.b. 193.
20. Venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum. 195.c.196.
21. Inclinauit ſe, & vidit linteamina. 201.a. 202.b
20. Thomas vnus de duodecim non erat cum eis. 205.c
20. Et cum hæc dixiſſet, inſufflauit, & dixit. 205.a
21. Paſce oues meas: paſce agnos meos. 206.d
21. Nec ipſum mundum arbitror poſſe capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros. 214.a.215.

ACTORVM.

Cap. 2. Dum complerentur dies Pentecoſtes. 220.a
2. Cœperunt loqui varijs linguis. 220.c
2. Cum ſit hora diei tertia. 221.c
2. Sepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem. 222.a
2. Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti. 222.c
2. Frangentes circa domos panem. 223.c. 236.c
3. Petrus & Ioannes aſcenderunt ad horam orationis nonam. 223.d
3. Quem ponebant quotidie ad portam. 488.b
3. Ad portam templi, quæ dicitur Speciosa. 225.c.226.227.
3. Conſolidatæ ſunt baſes eius. 229.a
4. Annas Princeps ſacerdotum, & Caiphas. 229.d
4. Inter alios Barnabas Cyprius genere. 230.c
4. Ponebant ad pedes Apoſtolorum. 230.c
5. Vir quidam nomine Ananias. 231.a.232.
5. Vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret. 233.a
5. Ante hos dies extitit Theodas. 234.a. & ſeq.
6. Factum eſt murmur Græcorum. 235.b
6. Eo quòd viduæ eorum deſpicerentur in miniſterio quotidiano. 235.c.237.
6. Non eſt æquum nos relinquere verbũ Dei, & miniſtrare menſis: conſiderate viros. 235.c.236.237.
6. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine. 238.c.239.240.241.
7. Depoſuerunt veſtimenta ſecus pedes adoleſcentis. 262.d

7. Domi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

7. Domine, ne statuas illis hoc peccatum. 243. d
8. Ciruerunt autem Stephanum viri timorati. 243. c. 244.
8. Facta est persecutio magna in Ecclesia. 249. d
8. Omnes dispersi sunt per regiones. 250. c. 251.
8. Saulus deuastabat Ecclesiam. 251. c
8. Miserunt ad eos Petrum & Ioannem. 252. d. 253.
8. Imponebant manus super ipsos, & accipiebant Spiritum sanctum. 254. a
8. Pecunia tua sit tecum in perditionem. 256. c. 257.
8. Non erit tibi sors in sermone isto. 337. a
8. Vir Aethiops, Eunuchus Candacis Reginæ Aethiopum. 259. d
9. Audiui a multis de viro hoc. 262. d
9. Omnes timebant eum, non credētes quòd esset discipulus. 269. b
9. Petrus dum transiret vniuersos. 270. c. 271. 272. 273.
10. Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italica. 284. d. 285.
10. Ascendit ad superiora, vt oraret, circa horam sextam. 221. e. 285. c
10. Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum. 285. d. 286.
11. Quare introistis ad viros præputium habentes. 287. b
11. Ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani. 308. c
11. Agabus nunciauit famem magnam. 332. e. 333.
11. Posuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudæa. 334. d. 335.
12. Statuens post Pascha producere eum populo. 313. a
12. Venérunt ad portam ferream. 313. c. 314.
12. Erat autem iratus Tyrijs & Sydonijs. 315. b
12. Statuto die Herodes vestitus veste regia. 359. c. 360.
12. Assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus. 355. c. 356.
12. Et ministrantibus illis, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam. 319. a. 386. c
13. Inuenerunt quemdam virum magum, pseudoprophetam. 361. d
13. Saulus, qui & Paulus. 264. b. 265. 266.
13. Viri fratres, si quis in vobis est sermo exhortationis ad plebem, dicite. 362. a. 501. d
13. Illi excusso puluere pedum. 362. c
14. Multo autem tempore commorati sunt, fiducialiter agentes. 363. a
15. Nisi circumcidamini secundū legem Moysi, non potestis saluari. 381. a
15. Conuenerunt Apostoli & seniores audire de verbo hoc. 382. c
15. Vt abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. 384. a. 385. 386.
15. Facta est contentio inter Paulum & Barnabam. 393. c
15. Præcipiens custodire præcepta Apostolorum. 396. a
15. Visum est Spiritui sancto & nobis. 396. c
16. Assumens circumcidit eum propter Iudæos. 397. d. e
16. Recto cursu venimus Samothraciam. 398. c
16. Vbi videbatur esse oratio. 399. d
16. Prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. 399. d
16. Media autem nocte Paulus & Silas orantes. 400. b
17. Venerunt Thessalonicam. 402. c
17. Ad Areopagum duxerunt. 403. c
17. Ara in qua scriptum erat, Ignoto Deo. 405. d
17. In quibus Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris. 406. d. 407.
18. Quia eiusdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur: erant autem scenofactoriæ artis. 408. d. 409. 410.
18. Gallione autem Proconsule Achaiæ. 422. d
18. Qui sibi totonderat in Cenchreis. 422. b
18. Et discedens, Cæsaream ascendit. 423. a
18. Iudæus quidam Apollo nomine. 446. d. 447.
19. Disputans in schola Tyranni. 425. a. 426.
19. Ita vt etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria & semicinctia. 426. c. 427.
19. Tentauerunt quidam de circumeuntibus Iudæis exorcistis. 430. c. 431.
19. Multiq. credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suos. 436. 437. 438. 439.
19. Multi ex his, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros. 444. c
19. Faciens ædes argenteas. 506. c. 507.
19. Per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. 508. a
19. Conuentus forenses aguntur. 508. c. 509. 510.
20. Locutus esset vsque ad diluculum. 545. b
20. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo. 548. c. 549. 550. 551. 552.
20. Vt diem Pentecostes faceret Hierosolymis. 553. c. 554. 555.
20. Quos Spiritus sanctus posuit Episcopos. 522. b. 523. 524.
21. Positis genibus in littore, orauimus. 561. d. 562.
21. Intrantes domum Philippi Euangelistæ. 563. c. 567. c
21. Omnes collecti sunt seniores. 568. d
21. His assumptis, sanctifica te cum illis. 568. e
21. Et impende in illis, vt radant capita. 570. e. 571. vsque ad 575.
21. Dum autem septem dies consummarentur. 578. d
21. Viderant Trophimum Ephesium. 578. d
22. Ego sum vir Iudæus, natus Tarso Ciliciæ. 261. d. 262.
23. Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. 581. b
24. Tremefactus Felix respondit. 314. b
24. Auctorem seditionis sectæ Nazarenorum. 310. b
24. Expleto autem biennio, successorem accepit

cepit Felix Porcium Festum. 584. c
25. Cæsarem appello. 585. b
26. Tunc Paulus extenta manu cœpit rationem reddere. 585. e
26. Exurrexit Rex, & Præses, & Berenice. 586. e
27. Incipientes nauigare circa Asiæ loca. 587. c
27. Venimus Lystram, quæ est Lyciæ. 587. e
27. Cum non esset tuta nauigatio, eo quòd ieiunium præterijsset. 588. b
27. Cum sustulissent de Asson. 588. d
27. Cum inoridissemus in dithalassum. 589. c
28. Excutiens bestiam, nihil est passus. 589. e
28. Occurrerunt nobis ad Appij Forum, & Tres Tabernas. 591. c

EPIST. AD ROM.

Cap. 1. Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo. 539. b. 540. c
14. Altus iudicat inter diem & diem. 555. c
15. Per vos proficiscar in Hispaniam. 621. d. 622. 623.
16. Obedientia enim vestra in omnem locum diuulgata est. 539. a
16. Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio ecclesiæ quæ est in Cenchris. 542. c
16. Salutate Andronicum & Iuniam cognatos meos. 543. d
16. Salutate eos qui sunt ex Narcisi domo. 542. d

EPIST. I. AD CORINTH.

Cap. 1. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego Christi. 446. c. 448. a
2. Cum venissem ad vos, non veni in sublimitate sermonis. 447. b
5. Tradere huiusmodi satanæ in interitum carnis. 448. c. 449. 450.
6. Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, huiusmodi constituite ad iudicandum. 453. c. 454. 455.
7. Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. 460. b
7. Iis autem qui in matrimonio sunt, præcipio vxorem a viro non discedere. 461. c. 462.
7. Volo omnes homines esse sicut me ipsum. 464. a. 465. 466. 467.
7. De virginibus præceptum Domini non habeo; consilium autem do. 464. b. 465. 466.
7. Circumcisus est? non inducat præputium. 470. d
9. Ita Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. 471. b. 472. 473.
9. An non habemus potestatem circumducendi mulierem sororem nostram? 466. c. 467.
11. Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. 475. a. 476. 477.
11. Vir quidem non debet velare caput. 478. a
11. Conuenientibus vobis in ecclesiam. 479. c. 480. 481.
11. Iam non est Dominicam cœnam manducare. 490. d. 491.
11. Probet autem se ipsum homo. 138. c
11. Cetera, cum venero, disponam. 495. d
14. Cum conuenitis, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, &c. 501. b. 502.
14. Quomodo dicet, Amen. 503. a
15. Nouissime autem omnium tamquam abortiuo. 336. d
15. Quid facient qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt? 503. b
15. Ad bestias pugnaui Ephesi. 425. b. 426.
16. De collectis quæ fiunt in sanctos. 504. c
16. Sit anathema maranatha. 505. d. & seq.

EPIST. II. AD CORINTH.

Cap. 1. Hac confidentia volui prius venire ad vos. 535. c
2. Si quid donaui, propter vos in persona Christi. 536. b
2. Non habui requiem spiritui meo, eo quòd non inuenissem Titum. 353. b. 354.
8. Misimus cum illo fratrem nostrum, cui laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. 398. e
10. Epistolæ graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma. 668. d
11. A Iudæis quinquies quadragenas, &c. 537. c
11. Ter naufragium feci. 537. c
11. Nocte & die in profundo maris fui. 537. c
11. Semel lapidatus sum. 367. c
11. Scio hominem ante annos quatuordecim. 264. b. 341. a
12. Ecce tertio paratus sum venire ad vos. 538. c

AD GALATAS.

Cap. 1. Abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum, deinde post annos tres reuersus sum Hierusalem. 266. d
1. Veni Hierosolymam videre Petrum. 268. e
2. Ascendi secundum reuelationem. 382. d
2. Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis. 386. e. 387. 388.
2. Reprehendi eum, quia reprehensibilis erat. 388. 389. 390. 391. 392. 393.
4. Dies obseruatis & menses. 553. e

AD EPHESIOS.

Cap. 6. Nota vobis faciet Tychicus. 598. e. 602. e

AD PHILIPPENSES.

Cap. 1. Vincula mea manifesta fierent in omni prætorio. 592. c
2. Mortem autem crucis. 601. a. 602. 603.
3. Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. 600. c
4. Etiam rogo & te germane compar. 468. b
4. Qui de domo Cæsaris sunt. 594. a

AD COLOSSENSES.

Cap. 2. Nemo vos iudicet in cibo aut potu, aut in parte diei festi. 553. d
2. Nemo seducat vos, volens in humilitate & religione Angelorum, &c. 605. d. 606.
3. Docentes & commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus. 608. b. 609. vsque ad 614.

4. Et eam quæ Laodicensium est, vos legatis. 603. 604. 605.

I. AD THESSALON.

Cap. 1. Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos. 402. d
2. Memores enim estis, fratres, laboris nostri, & fatigationis, nocte & die operantes, &c. 408. c. 409. 410.
3. Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis. 411. a

II. AD THESSALON.

Cap. 2. Itaque state, & tenete traditiones, quas didicistis. 411. vsque ad 421.
2. Mysterium iam operatur iniquitatis. 683. c
3. Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: Gratia Domini. 693. b

I. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Det Dominus misericordiam Onesiphori domui. 593. c
4. Spiritus manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus, &c. 511. c
4. Quia omnis creatura Dei bona est. 512. d. 513. 514. 515.
5. Quæ data est tibi per prophetiam. 336. d

II. AD TIMOTHEVM.

Cap. 1. Ex quibus est Phigellus, & Hermogenes. 593. c. 594. c
1. Det misericordiam Dominus Onesiphori domui. 593. c
3. Quales mihi factæ sunt Antiochiæ, Iconij, & Lystris. 363. b
4. Ego enim iam delibor. 595. d
4. Demas me reliquit, diligens hoc sæculum. 594. d
4. Crescens in Galatiam. 594. d
4. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros. 547. b
4. Marcum assume, & adduc tecum. 595. d
4. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus. 597. c

AD TITVM.

Cap. 1. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ. 515. b. 516. vsque ad 522.
1. Sunt multi inobedientes, vaniloqui, & seductores, maxime qui de circumcisione sunt. 533. b

AD PHILEMONEM.

Paulus senex, nūc autem vinctus Iesu Christi. 262. c. 263.
Quanto magis tibi & in carne, & in Domino. 614. d
Simul autem & para mihi hospitium. 621. c

AD HEBRAEOS.

Cap. 1. Tanto Angelis excellentior effectus. 606. b
11. Lapidati sunt, secti sunt, &c. 620. c
13. Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum. 620. c

IACOBI.

Cap. 2. Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida. 165. d
5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ. 630. c. 631. a

I. PETRI.

Cap. 2. Regale sacerdotium. 277. c
5. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone. 346. d. 347.
5. Marcus filius meus. 351. c
5. Salutate inuicem in osculo sancto. 349. d. 350.
5. Gratia vobis omnibus. 351. b

II. PETRI.

Cap. 1. Velox est depositio tabernaculi mei. 644. b

I. IOANNIS.

Cap. 3. Carissime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, &c. 714. c

IVDAE.

Prophetauit autē de his septimus ab Adam Enoch, dicens, &c. 645. d
Similiter & hi carnem quidē maculant, &c. 646. d. 647.

APOCALYPSIS.

Cap. 3. Angelo Ecclesiæ Laodiceæ scribe: Hæc dicit, Amen, &c. 625. c

FINIS

OCCASIONE RECENTIORVM OBIECTIONVM *ista sunt addita.*

Pag. 3. B 7. perseueret.] *adde*. Licet aliquando senserimus ex paterno etiam genere Machabæos ex tribu Iuda descendere: secus tamen sensimus in editione Plantiniana, & secunda Romana, antequam sua cuderet, qui illa redarguit: quod proculdubio non fecisset, si posteriores nostras editiones inspexisset.

Pag. 12. B 10. filiabus Aaron.] *adde*. Licet cognatæ nomen genericum apud Hebræos fuerit, secundum illud Apostoli de Iudæis loquentis [a]: Qui sunt cognati mei secundum carnem.] iuxta quem sensum scio S. Ambrosium [b] eius fuisse sententiæ, vt dixerit beatam Elizabeth æque ac Mariam Deiparam de tribu Iuda progenitam: qui quidem etsi in ceteris, vtpote excellens doctrina ac pietate Pater, diuini instar oraculi mihi habēdus sit; in hoc tamen ei minime inhærendū, neque a communi omnium tum Latinorum, tum etiam Græcorum sensu & consensu esse recedendum putaui: cum præsertim allata ab eo ratio de ciuitate Iuda, nimirum quòd cum dicat idem S. Euangelista eam habitasse in ciuitate Iuda, ex hoc inferri debeat, fuisse de tribu Iuda, non adeo solida & firma sit; cum constet ex diuina Scriptura [c], Leuiticæ tribui quadragintaocto ciuitates non seorsum positas, sed inter alias tribus collocatas, diuina fuisse voluntate tributas: et illam ipsam ciuitatem Iuda, de qua est sermo, in qua Zacharias cum Elizabeth habitabat, extitisse vnam ex illis ciuitatibus sacerdotalibus, dictam nomine Chebron, in Montanis Iudææ, suo loco inferius demonstratur. Dicimus ergo cum S. Augustino [d] id sæpe testante & aduersus hæreticos validius inculcante, & cum reliquis Latinis atque Græcis Doctoribus, Elizabeth fuisse ex tribu Leuitica; cuius cognatione cum Dei genitrice, Saluatorem nostrum sicut ex tribu Iuda, ita ex Leuitica, & sicuti ex regia stirpe, ita ex genere sacerdotali descendere.

[a] *Rom. 9.*
[b] *Ambros. in Luc. c. 1.*
[c] *Ioſ. 31.*
[d] *Aug. in Iudic. quæſt. lib. 7. q. 77. De conſenſ. Euang. lib. 1. cap. 3. Lib. octog. quæſt. q. 61.*

Pag. 463. B 2. veneramur.] *adde*. Quod autem obiectum est a viro erudito, tam hoc in loco, quàm superius anno Domini quadragesimoquarto, numero LXXXVIII. videri me Iureconsultorum ac Tertulliani potissimum probasse sententiam, qua dixerunt inualida esse matrimonia illa, quæ contrahuntur absque consensu parentū. In re quidem adeo comperta, meridianaq. luce perspicua, decreto sacrosancti Concilij Tridentini Solis instar illucescente, quis Catholicorum potuit errore lapsus esse? Quod ergo a me instituti ratio exigebat, e thesauro noua veteraq. proferre, sic primo loco dixi apud Gentiles nuptias absque consensu parentum esse illegitimas, ceu clandestinas apud Christianos: quod quidem nulla reprehensione dignum est. Hic vero quòd in eo argumento versarer, vt locum Tertulliani elucidarem, quo ipse ait: Nec filij inter se sine consensu patrum rite ac iure nubunt] haud hæc verba esse simpliciter intelligenda monstraui, sed cum fuerint penitus clandestina, secundum alia eiusdem Tertulliani verba ex alio loco nuper recitato, quibus ait: Penes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.] Ex quibus intuli, non esse nouum, quod a sacrosancto Concilio Tridentino sancitum est, Clandestinas nuptias absque præsentia parochi in facie Ecclesiæ minime celebratas, haberi nullas. cuius quidem tantummodo canonis citatione satis persuasum cuique videri poterat, cuiusnam essem ipse sententiæ: Cum alioqui firmato semel in eo pede, licuerit ad externa respicere, & quid de his Gentiles sensissent, in medium afferre: licet mox ad nostra reuersus, docuerim ex eodem Tertulliano, etiam coram Episcopis consueuisse Christianorum matrimonia celebrari; quin & Romæ item coram ipso summo Pontifice interdum peragi solita, Siricij Rom. Pontificis testimonio confirmauerim. Sed in re adeo perspicua non amplius immorandum.

ERRATA.

Pag. 37. D 9.	viginti	*corrige*	tredecim
Pag. 625. A 5.	Cornelij	*adde*	Cossi

Universidad de Deusto
Biblioteca

REGESTVM.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr
Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz Aaaa

Omnes ſunt Terniones, præter a, b, Aaaa Quaterniones.

ROMAE Excudebat Aloyſius Zannettus. M. D. XCIII.

CONCESSIONE PRAESIDENTIVM.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca